Hartmanni Springlii
Theologi Clariſſimi

DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS TRACTATUS

In tres libros tributus:

Continens partim ACCUSATIONEM Papiſtarum, quâ Euangelici Reformatarum Eccleſiarum Chriſtiani ab illis aſſiduè criminis Hæreſeos reaguntur, & Hæretici vocantur: partim DEFENSIONEM Euangelicorum quâ ab intentato ſibi hæreſeos crimine, & hæretici nomine defenduntur.

OPUS, variâ rerum Theologicarum copiâ refertum, hoc repullulantium hæreſium ſeculo maximè utile ac neceſſarium, ac Clariſſimorum in præcipuis Europæ ACADEMIIS & SCHOLIS Theologorum teſtimoniis adprobatum.

Nunc primum in lucem editum,

Ut tum innocentia Euangelicorum in Reformatis Eccleſiis circa accuſationem hæreſeos, & imputationem Hæretici nominis magis innoteſcat; Tum Papiſtæ ſeipſos rectiùs cognoſcant, ab odio & inſectatione Euangelicorum abſtineant, ac deſertâ corruptâ Romanæ Eccleſiæ Religione, ſeſe puriori Reformatarum Eccleſiarum adjungant.

Addito duplici, eoque copioſiſſimo Capitum ac Rerum INDICE.



CIↃ IↃC XIIX.

OPPENHEIMII
Typis & ſumptibus HIERONYMI GALLERI.

Digitized by Google

DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS:

PARTIS PRIMÆ, LIBER PRIMUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

De occaſione, causâ, modo, & fine, quo Papiſtæ Euangelicos in crimen Hæreſeos vocent, & Hæreticos appellent.

QUANQUAM innumeræ ſunt controverſiæ religionis, in quibus & cognoſcendis & explorandis omnes Chriſtianos ex admonitione Apoſtoli 1. Theſſal. 5. ℣. 21. oportet providos ac diligentes eſſe: tamen inprimis magnam curam atque operam adhibere debent in dijudicanda lite de hæreſi & hæreticis, quæ Papiſtis cum Euangelicis, quos vulgò Proteſtantes, vel Lutheranos, Zuinglianos & Calviniſtas vocare ſolent, intercedit. Nam, etſi conſtat, multis ante ſeculis motam fuiſſe à Romanæ Eccleſiæ doctoribus pariter ac ſectatoribus, contra pios Chriſti cultores: agitatur tamen ultimo hoc noſtro ævo multò vehementiùs ab iiſdem adverſus Euangelicos & reformatarum Eccleſiarum Chriſtianos, quos modò nominavi. Ac conſiſtit potiſſimùm tum in accuſatione Pontificiorum, quâ Euangelicos premunt: tum in depulſione Euangelicorum, quâ eam à ſuis cervicibus propulſant: tum denique in ἀντικατηγορίᾳ, ſeu regeſtione & retorſione Euangelicorum, quâ è contra Papiſtas tam criminis hæreſeos quàm nominis hæretici reos agunt. Quare ut hæc non levis ſunt momenti negotia, ſed maxima & graviſſima: ac octo libris ſingula eo, quo in lite tractantur, ordine, deſcribemus. Nec aliò noſtrum hoc ſtudium referre inſtituimus, quàm ut veritate in tanta tamque difficili lite patefacta, tam doctrina, religio & exiſtimatio Euangelicorum in reformatis Eccleſiis à futilibus Pontificiorum calumniis, inſulſisque conviciis, quibus aſſiduè infeſteque hæreſeos accuſantur, & hæretici nuncupantur, pro mea parte vindicetur, quàm Papatus vani-

Digitized by Google

tas & hæreſeomania, quâ totus ferè ſcatet ac fervet, probè cognoſcatur, & eò faciliùs emendari, aut accuratiùs devitari poſſit.

1. Accuſatio Papiſtarum in Euangelicos tota.

Quoad accuſationem Papiſtarum, concurrunt initio ejus origo, magnitudo, finis & effectus, in quibus multa mirificè que & ars & vis eorundem ſeſe exſerit. Nam ſuſcepta eſt accuſatio hæreſeos à Pontificiis contra Euangelicos, propter ſeceſſionem horum à Romana Eccleſia factam. Etenim Euangelicis liberè conſtanterque aſſeverantibus, ſe Eccleſias ſuas ex verbo Dei reformaſſe, & inde doctrinam ac fidem puriorem verioremque, detectis variis Papatus ſuperſtionibus & erroribus, ſibi ſingulari Dei benignitate atque ope reſtitutam eſſe: Pontificii contra id ſtrenuè negant, ac penes ſe doctrinam & religionem incorruptã ſemper abſque omni ſuperſtitione & errore fuiſſe, ac etiam nunc eſſe, diſertè ac pleniſſimis buccis crepant. Simul verò Euangelicos non modò novam & depravatam fidem invexiſſe, acriter contendunt, ſed etiam omninò Euangelicorum doctrinam ac religionem hæreſi infectam, ipſoſque hæreticos eſſe clamitant.

Occaſio & cauſſa accuſationis.

Gravitas accuſationis.

Magnitudinem verò & atrocitatem hujus accuſationis, quis poſſet ſatis recenſere? Nam nihil magis eſt Papiſtis ſolenne, quàm vendicato ſibi confidentiſſimè titulo Catholicæ Eccleſiæ & Catholicorum, deinceps ſine intermiſſione Euangelicis & crimen & nomen hæreſeos atque hæreticorum tribuere. Et quàm importunè, quàm inſolenter, quàm immodeſtè, quàm impudenter, quàm infeſtè atq; acerbè, quàm denique crebiò & frequenter etiam nunquam obturatis, ſed apertiſſimis, ut proverbio dicitur, tibiis hoc facere Pontificii conſueverint, auditur ac percipitur manifeſtè atque abundè ex omnibus ferè eorum ſermonibus & concionibus quotidianis. Præter quas etiam exſtant omniũ Pontificiorum, qui unquam hac ætate, ingenio & eruditione valentes, doctrinam ac religionem ſuam tueri, Euangelicorum autem oppugnare auſi ſunt, publicæ diſputationes, ſcriptaq; omnis generis typis evulgata, quorum nullum eſt, è quo non id ſatis ſuperque pateat. Quippe ſtatim in frontiſpicio vel inſcriptione ſingulorum apponitur, ea adverſus hujus temporis hæreticos, ſub quibus maximè pios Euangeliique ſtudioſos homines intelligunt, ſcripta eſſe. Inde in cunctis penè eorum paginis, atque adeò lineis invenitur, doctrinam & fidem Euangelicorum non tam dici Lutheranam, vel Zuinglianam & Calvinianam, quàm hæreticam, ac ſubinde atrociſſimo hæreſeos convitio proſcindi, ipſoſque Euangelicos non tam Lutheranos ſeu Calviniſtas & Zuinglianos, quàm hæreticos dici, ſpurciſſimoque & odioſiſſimo hæreticorum nomine perſtringi.

Finis & ſcopus accuſationis.

Quem finem autem & ſcopum tantæ tamque gravis ſuæ accuſationis atque infamis appellationis ſibi habent Pontificii præfixum? Et quis eſt effectus ei conjunctus? *Unâ* ex parte, detinere & confirmare ſuæ profeſſionis homines Pontificios in receptâ doctrinâ ac religione Romanæ Eccleſiæ, tanquam verè & unicè Catholicâ, avertereque à ſtudio inquirendæ atque amplectendæ melioris: nec non penitus

tus ab amore & commercio Euangelicæ Eccleſiæ atque doctrinæ, ceu in univerſū hæreticæ atq; abominādæ, abalienare. Unde hæreſin peſti comparant, contagionemq́ue appellant, quò hoc modo ſuis ab iſtius contagio cavēdum eſſe, facilius perſuadeant. Nec imprudenter ſanè: quis negabit? Si enim hæretici eſſent Euangelici, ut illi vociferantur, non injuriâ ut peſtis & peſtilentiâ infecti eſſent fugiendi. Ex *alterâ* autem Euangelicos veluti hæreticos convictos & certos, ad defectionem atque apoſtaſiam à dulci & ſalutari Euangelio ad Papatum ſollicitare, vel ubique inviſos atque exoſos, eorumq́ue doctrinam & religionem ſuſpectam, ac prorſus odio, fugâ, ſupplicioq́ue quolibet dignam reddere. Adhæc adverſus Euangelicos, ceu deteſtandos hæreticos, perpetuò anathematiſmis & execrationibus diris ſævire, nullisq́ue injuriis, calumniis, conviciis & maledictis parcere. Suis lectione non tantùm librorum Euangelicorum, ſed etiam ipſorum Bibliorum ſacrorum, præſertim apud hos excuſorum, unde (ut loquuntur) hæreſeos contagium contrahi poſſit, ſeveriſſimè interdicere. Tam ob profeſſionem doctrinæ & rituum Euangelicorum, tanquam tetris hæreſibus infectorum, quàm ob conſortium cum Evangelicis; rixas turbasq́ue domeſticas atque exteras ciere: vicinos vicinis, tribules tribulibus, amicos amicis, agnatos agnatis, infeſtos reddere & committere: ſubditos à fidelitatis juramento, legitimis Principibus ac Magiſtratibus dato, abſolvere & abſtrahere: privatis publicisq́ue perſonis inſidias, exſilia, mulctas, ſupplicia, cædes creare: totis oppidis, urbibus, regionibus, rebuspub. Eccleſiis ruinas, calamitates, pericula intentare: ſeditiones, motus, tumultus & bella civilia atque externa concitare: denique nullum genus offenſionis & injuriæ prætermittere, ſed indies moliri, accerſere, amplificare & propagare. Quæ accuſationis ſuæ effecta omnia Pontificii tum palàm docent ac ſuadent, ut in Concilii Tridentini decretis & actis, apud Windek in prognoſtico fol. 117. 249. 408. apud Burkardum in Autonomiâ paſſim, & Bellarminum lib. 3. de Laicis cap. 21. aliosq́ue habetur, tum vivâ praxi urgent atque exſequuntur, ut experientia teſtatur. Hæcq́ue paucis in ſummâ de Pontificiorum accuſatione hæreſeos, in Euangelicos ſine intermiſſione directa, quæ tum propter originem, tum propter magnitudinem, tum denique propter finem & effectum graviſſima, atrociſſima, triſtiſſima & crudeliſſima eſt, diximus.

CAP. II.

Quàm jure Euangelicis ſui defenſio infeſtæ Pontificiorum accuſationi hæreſeos, & turpi appellationi hæretici opponenda ſit. Ac quâ ratione & methodo hæc Apologia pro illis ſit ſuſcepta.

CÆterùm non in ea accuſatione Papiſtarum eſt inſiſtendum, ſed ulterius progrediendum, ac diſpiciendum, num perinde ſit æquiſſima & juſtiſſima. At hoc minimè eſſe, multis variisq́ue maximi momenti rationibus probari poteſt, ſi Euangelici nervos ſui ingenii, ſuæq́ue diligentiæ huic intendere

Digitized by Google

tendere volunt. Venimus igitur jam etiam ad Euangelicorum ſtudium, quo ſeſe accuſationi iſti opponere poſſunt. Id conſtat tam criminis depulſione, quàm retorſione in ipſos Papiſtas, ubi conſideranda ejus occaſio, neceſſitas, modus, finis & uſus; quæ deinceps Deo favente fuſiùs pertractabimus.

Neceſſitas innocentiã ſuam aſſerendi & ſeſe purgandi Euangelicis impoſita.

Quid enim Euangelicis in tam durâ ſua ob hæreſeos inſimulationem conditione faciendum? Annon neceſſe illis, *aut* tantas tamque atroces calumnias atque injurias diſſimulare & tolerare? *aut* ſeſe reos ſonteſque ſiſtere & redeundo in gremium Eccleſiæ Romanæ, iſtis ſe liberare? *aut* doctrinam ſuam & ſeſe inſontes demonſtrare, innocentiamque ſuam fortiter vindicando, impetum accuſationis Adverſariorum retundere, ac à ſe & ſuis cervicibus depellere?

I.

At *prius* ſine turpi ſilentio, & belluino potiùs ſtupore, quàm piâ patientiâ pertinaciter nequiret admitti. Etenim perdiu diſſimularunt & ſuſtinuerunt tot tantáſque calumnias ac injurias Euangelici, propterea quod ſuâ innocentiâ confiſi in ſententia S. Bernardi acquieſcebant, qui: *Adverſus os*, inquit, *loquentium iniqua, bonorum opinio cum teſtimonio conſcientiæ ſufficit.*

Sermone 84 in Cantica Canticor.

Nam etiam in primitivâ Eccleſiâ, fides in Chriſtum verè Catholica & orthodoxa piorum Chriſtianorum, ab incredulis Judæis appellata eſt hæreſis. Paulus enim Apoſtolus in judicium vocatus, ut cauſam diceret de hæreſi: *Ego quidem*, inquit, *confiteor, quod ſecundùm viam illam, quam dicunt* HÆRESIN, *ita colo patrium Deum, credens omnibus, quæ ſcripta ſunt in Lege & Prophetis.*

Act. 24.14.

Act. 28.22.

Ad eundem Romæ in vinculis agentem Judæi: *De* HÆRESI *illa*, inquiunt, *notum eſt nobis, quod ubique ei contradicatur.* Ita nos Euangelici, quia fidem & doctrinam Chriſti è ſacris literis veteris ac novi Teſtamenti repetitam amplexi ſumus, quâ à Papiſtis & aliis omnibus ſectis ſeparamur, ideò Papiſtis hæretici & videmur & dicimur. Quum autem hoc falsò (ut poſtea declarabimus) fiat, non temerè ſua innocẽtia freti Euangelici, tamdiu hactenus calumnias atque injurias iſtas Chriſtianâ patientiâ diſſimularunt & pertulerunt. Adhæc malebant ſemper ſe ut plurimum ſtudio verbi divini piæque vitæ defendere, quàm ulla vi adverſa, aut ſaltem ex profeſſo regeſtione convitii tueri. Præterea ſentiebant, tantum abeſſe, ut officiant ſibi ac repurgatæ ſuæ Eccleſiæ inſanis iſtis clamoribus & putidis calumniis Pontificii, ut potius volentes nolentes, dum illis ei obeſſe conentur, admodum proſint. Etenim hunc fructum inde ſe capere, ut Papiſtæ illis aut excitent veritatis ſtudioſos, ſeu alioqui cordatos homines inter ipſos Pontificios, ad doctrinam Euangelii, tantoperè ab illis ſpretam, & maledictis oneratam, avidiùs cognoſcendam atque amplectendam: aut profectò faciant, ut ad Euangelicos iſtis calumniis & injuriis obrutos, promiſſio illa Domini pertineat, qua dicit: *Beati eſtis, quum conviciati fuerint vobis, & vos perſequuti fuerint, & dixerint quidvis mali adverſus vos mentientes, meâ cauſſâ. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis.* Quem in modum etiam Lactantius Inſtit. lib 3. cap. 27. *Beatus eſt*, inquit, *ſapiens in tormentis, ſed quum torquetur pro fide, pro juſtitia, pro Deo. Illa patientia*

Math 5. 11.

patientia

Digitized by Google

tientia beatiſſimum facit: Atqui ſi pertinaciùs & diutiùs hæc diſſimulatio & tolerantia ab Euangelicis præſtaretur, ſine dedecore & incommodo illorum haud accideret. Teſtatur hoc S. Hieronymus, dicens: *Nolo in ſuſpicione hæreſeos quenquam eſſe patientem, ne apud vos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientia judicetur, ſi taceat:* ut poſtea pluribus explicabitur.

Ad Pammach. adverſus errores Joh. Hieroſolymitani.

Ac Ruffinus non contemnendus vetus Scriptor: *Unam*, inquit, *notam hæreſeos qui diſſimulat, non eſt Chriſtianus.* Nam quod nos appellant Pontificii hæreticos, eſt illud crimen ita grave, ita atrox, ut niſi videatur, niſi palpetur, niſi manibus digitiſque teneatur, credi facilè de homine Chriſtiano non debeat. Eſt enim hæreſis, ſi horribilem ejus conditionem ſcire libeat, deſtitutio ſalutis, abjectio gratiæ Dei, diſceſſio à corpore & ſpiritu Chriſti. Recenſetur ab electo Chriſti organo inter *carnis operâ*, quæ non reſipiſcentes condemnant. Quapropter idem: *Hæreticum hominem*, inquit, *poſt unam & alteram admonitionem rejice, ſciens, quod everſus ſit, qui ejuſmodi eſt, & peccet, ut qui ſuopte judicio ſit condemnatus.* Non committendum igitur, ut quando tanto tamque immani ſcelere, atque tam infami & exoſo nomine à Pontificiis publicè ac privatim notantur Euangelici, diſſimulando & ſilendo diutiùs videantur crimen confiteri, ſeque reos ſiſtere.

Hæreſeos & hæretici conditio miſera.

Gal. 5.20. Tit. 3.10.11.

II. Hocque eò minus eſt faciendum, quia *alterum* abſque ignominiâ injuſtæ & impiæ apoſtaſiæ & defectionis, atque adeò ſine horrenda conſcientiæ violatione & vulneratione fieri non poſſet. Si namque ſontes & revera hæretici ſunt Euangelici, ut Papiſtæ ſentiunt & garriunt, tum injuriâ Romanæ Eccleſiæ repudium miſerunt, injuſtéque ab ejus doctrinâ ac religione deſciverunt. Si inſontes ſunt & nullius hæreſeos labe conſpurcati, ut certè ſunt, tum profectò ſummam deſignarent impietatem, & ſuam graviſſimè læderent ſauciarentque conſcientiam, ſi ob falſas calumnias & momentaneas hominum injurias reverterétur ad Papatum derelictum, ac defectionem qualemcunque à purioris doctrinæ profeſſione molirentur.

III. Ergo ad *tertium* illis tranſeundum, ut nempe tam calumniarum & injuriarum iſtarum Pontificiarum confutationem profligationemque liberam, aptam & ſolidam inſtituant, quàm innocentiæ ſuæ ac doctrinæ religioniſque ſuæ incorruptæ vindicationem animoſam & validam ſuſcipiant. Nam ex accuſatione continua Pontificiorum intelligunt Euangelici, certioreſque fiunt, Pontificios tam diuturnâ ſuâ patientiâ, quam hactenus in diſſimulanda & ferenda hæreſeos calumnia ac macula præſtiterunt, prorſum abuti. Sentiunt adhæc, Pontificios ipſoſmet anſam opportunitatemque illam patientiam mutandi, & convertendi in ſerium ſtudium tandem apertè acriterque impugnandæ, redarguendæ, depellendæque tantæ calumniæ, ſuæ autem innocentiæ aſſerendæ, ſibi præbere. Animadvertunt, ſi Pontificiis ad maledicendum Euangelicis, & hos alieno ab ipſis crimine ac probro vellicandum promptis, diſertiſque eſſe liceat, Euangelicos in optima ſua cauſa ad modeſtè reſpondendum, vereque ſeſe purgandum ac

Non eſt tacendum, dum à Papiſtis vocamur hæretici.

Digitized by Google

miniſtro Sacerdotum, dicebat: *Si malè, loquutus ſum, teſtare de malo: ſin bene, quid me cædis?* Itidem S. Paulus convitiorum & injuriarum tolerantiſſimus, quando à Feſto proconſule contemneretur ut inſanus: *Ego*, inquit, *optime Feſte, non inſanio, ut tu putas ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor.* Similiter reliqui Apoſtoli unà ebrietatis inſimulati à Petro ipſorum nomine patrocinium publicè proponente, ſic defenduntur: *Non ut vos Judæi exiſtimatis, iſti ebrii ſunt, quum ſit hora diei tertia, &c.* Quæ illorum omnium verba, quæ ſubſequuta S. Petri Apologia, nō repugnabant ipſorum patientiæ, & tamen iis innocentiam ſuam, quantum ſatis erat, vendicabant. Quare mens Hieronymi eſt in illis verbis: Nolo ſic quenquam in ſuſpicione hæreſeos, nedum manifeſta inſimulatione atque accuſatione, eſſe patientem, ut innocentiam ſuam diſſimulet ac reticeat, ne id ex conſcientia hæreſeos ſibi inhærentis facere exiſtimetur.

Act. 16. 25.

Act. 2. 15.

Præterea cogitandum & hoc eſt. Vocamur à Papiſtis hæretici. Quo argumento igitur innocentiam noſtram teſtabimur? An per impatientiam calumniæ? At nolle injuriam patienter ferre, non eſt argumentum innocentiæ. Etenim qui ipſiſſimi ſunt hæretici, nihil minus patienter ferre poſſunt, quàm ut hæreſeos inſimulentur, ad quam accuſationem cœlum terræ miſcent: Et interim tamen innocentiam, quam non habent, nullis poſſunt quantumvis clamoſis vociferationibus comprobare. Si adulteram voces adulterā, haud quaquam tacet illa, ſed impatientiſſimam ſe notæ hujus oſtendit. Ergo ad comprobationem innocentiæ non requiritur impatientia, ſed moderata veritatis aſſertio, quæ à patientiſſimo quovis fieri poteſt.

Multum etiam refert, quales ſint, à quibus hæretici vocamur, & quorum nos collatione pro hæreticis habeamur. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellum presbyterum Celedenſem ſic ſcribit: *Si ab Arianis hæreticus vocor, meritò!* Quare meritò ſe ab Arianis hæreticum vocari dicit, quum non ipſe, ſed illi eſſent hæretici? Quia illorum reſpectu erat hæreticus. Sic enim ab hæreſi illorum diſcrepabat, ut non poſſet ab illis aliter quàm hæreticus cenſeri. Si fides Arianorum recta fuiſſet, utique hæreſis fuiſſet fides Hieronymi. Sic autem illi cenſebant, ideoque meritò ſe ab illis hæreticum vocari dicit. Sanè hæreticum eſſe Arianis, non eſt hæreticum eſſe Chriſtianis. Nemo verus Chriſtianus non eſt hæreticiſſimis quibusvis hæreticus. Sed aliud eſt hæreticum eſſe Chriſtianis, & aliud hæreticum haberi ab hæreticis.

Refert à quibus hæretici vocemur.

Dicamus igitur & nos, ſi à Papiſtis vocamur hæretici; meritò. Nihil enim minus ſumus, nec quicquam minus eſſe volumus quàm Papiſtæ, quotquot Chriſto Servatori datam fidem illibatam ſervare ſtudemus. At illis hæreticus eſt, quiſquis Chriſtianus Papiſta non eſt. Nam nullâ nos aliâ ratione pro hæreticis habent, quàm quod non per omnia cum ipſis ſentimus. Ego ſanè malo illis hæreticus eſſe, quàm Catholicus: quibus ipſi Apoſtoli (ut infrà 6. capite ac paſſim monſtrabitur) ſi in vivis agerent, omnium eſſent hæreticiſſimi, niſi placitis illorum ſubſcriberent in omnibus. Fidem Apoſtolicam, una cum Symbolo

Ne gravemur ubi à Papiſtis vocamur hæretici, ſed modeſtè exiſtimationis noſtræ rationem habentes innocentiam tueamur noſtram.

lo

Digitized by Google

ELENCHUS CAPITUM IN LIBRIS primæ partis contentorum.

LIBER I.

De occaſione, cauſſa, modo & fine, quo Papiſta Euangelicos in crimen Hareſeos vocent, & Hareticos appellent, cap. 1. pag. 1

Quàm jure Euangelicis ſui defenſio infeſta Pontificiorum accuſationi Hareſeos, & turpi appellationi Haretici opponenda ſit. Ac qua ratione ac methodo hac Apologia pro illis ſit ſuſcepta, cap. 2. 6

De Homonymiâ vocum Hareſeos & Haretici, quâ Papiſta Euangelicis turpiter illudant, ſed nihil proficiant. Ubi quid Gracis & Latinis ſit Hareſis & Hareticus, Germanis autem Ketzerey *&* Ketzer/ *explicatur*, caput 3. 20

Plerunque nudis tantùm verbis & clamoribus Euangelicos à Papiſtis hareſeos accuſari, & hareticos dici. Ac quàm frivola & vana etiam Pontificiorum rationes atque probationes ſint, cap. 4. 45

Quomodo Pontificii veterum dicta de hareſeos & haretici atrocitate colligendo, doctrinam Euangelicam ſuſpectam reddere, & Euangelicos in contemtum, odium atque invidiam adducere conentur, cap. 5. 52

Papiſtas ansâ falſa definitionis haretici, animum ad procaciùs Euangelicos hareſeos inſimulandos & hareticos vocitandos ſumere: ſed confutari & reprimi, cap. 6. 60

Confutatur ampliùs definitio haretici Papiſtica ſacris Scripturis, & Patrum orthodoxorum, juris Pontificii atque Caſarei ſententiis & decretis, è quibus vera & germana haretici definitio conſtituitur, c. 7. 73

De cauſſis & ſpeciebus hareſeos atque haretici. cap. 8. 86

Quid diſcriminis ſit inter hareticos ſeductores & ſeductos, cap. 9. 88

Quod potiſſimùm genus hominum per hareticos ſeducatur, cap. 10. 102

Quantâ & quam variâ culpâ laborent hareſes, quamq; ſint pernitioſa, cap. 11. 108

Nec falſam nec veram haretici definitionem Euangelicis hodiernis convenire, cap. 12. 114

Euangelicos non eſſe hareticos, à deſcriptione Catholici ipſis congruente evincitur, cap. 13. 121

In aſſumendis Doctorum ſuorum nominibus falsò Euangelicos vocari hareticos, cap. 14. 130

Confirmatur Euangelicis nomen Catholici, & oſtenditur ampliùs ac certiùs, eos veras ac proprias Eccleſia vera ac Catholica notas habere, rectiſſiméque & veriſſimè non à Doctoribus ſuis, ſed à ſolo Chriſto Chriſtianos appellari, cap. 15. 135

Refelluntur paucis rationes Bellarmini, quibus tum alias notas Eccleſia vera, quas ipſe fingit, Euangelicis hodie deeſſe arguit, tum inprimis conſenſione in doctrina orthodoxa cum Eccleſia antiqua Euangelicos deſtitui, conſpiratione autem cum vetuſtis antiquorum hareticorum hareſibus implicatos eſſe nugatur, c. 16. 147

LIBER II.

Conſenſionem in doctrina cum antiqua Eccleſia Papiſtas Euangelicis detrahere, at conſpirationem cum viginti veterum hareſiarcharum hareſibus vetuſtis tribuere, cap. 1. 127

De Simonianorum & Eunomianorum hareſi circa fidem & bona opera, cujus maculam Robertus Bellarminus & alii conantur immeritò Euangelicis aſpergere, cap. 2. 136

Florini hareſin de cauſſa peccati Papiſtas abſque ratione Euangelicis tribuere, cap. 3. 260

Origenis hareſin, de imagine Dei penitus deleta & Inferno in conſcientia tantùm cruciatu conſiſtente, prater rationem Euangelicis adſcribi, cap. 4. 286

Hareſin quoque Peputianorum in magiſtratu cum ſacerdotio mulieribus committendo, fruſtrà per Pontificios impingi Euangelicis, cap. 5. 293

Procli & Meſſalianorum hareſin, quoad peccatum in renatis remanens & concupiſcentia peccatum, non inhærere Euangelicis de Papiſtarum ſententia, cap. 6. 323

De Novatianorum, Montaniſtarum

rum

Guilielmus Perkinſus & Mathæus Sutlivius, Angli. Deinde *Franciſcus Junius Biturix & Daniel Chamierus Delphinas*, Galli. Ad hæc *Wolphgangus Muſculus Duſanus*, Germanus, qui multis diverſis & disjectis ſcriptis publicis de Hæreſi & Hæreticis Apologias pro Euangelicis contra Papiſtarum accuſationem hæreſeos atque imputationem hæretici nominis ediderunt. Veruntamen non quieſcente Adverſariorum importunitate & iniquitate, ſed novas vias & excuſandi ſuam illam convitiandi libidinem, & majori impetu in Euangelicos exercendi confingente, ego hujus impulſu ad eandem provinciam patrocinii pro Eccleſiis Euangelicorum ſubeundam me adduci paſſus ſum. Ac cõfirmatus tum neceſſitate & utilitate eâdem hujus ſtudii meo munere Eccleſiaſtico digni, tum lege charitatis in commune Eccleſias Euangelicorum reformatas, ac præſertim chariſſimam meam patriam, quæ doctrinâ è limpido ſacræ Scripturæ fonte depromptâ imbuta, adeò protervè à Pontificiis hæreſeos nævo contaminatur, tum denique rogatu & hortatu virorum doctorum ac gravium, quorum auctoritatem reſpuere nefas fuit, eandem defenſionem Euangelicorũ auſpice CHRISTO prolixiori operoſiorique tractatu pro mea tenuitate peragere ſtudebo. Num ut Penelopes telam retexam, & actum, quod proverbio vitioſum dicitur, agam? Nequaquam. Sed ut commoditati materiæ tantæ tamque arduæ partim utiliùs diſponendæ, evidentiùs ob oculos collocandæ, rectiusque percipiendæ, partim meliùs ad plurium notitiam dirigendæ ac promovendæ inſerviant. Nam illi, excepto Muſculo, non ex profeſſo, ſed quaſi aliud agendo, hanc cauſſam tractarunt. Adhæc illorum libri & opera non ſunt omnibus obvia & expoſita ad manum. Aut etiam, ſi ſunt ad manum comparata: tamen ea, quæ de hæreſibus, à quarum inquinamentis nos puri ſimus, ac è diverſo, quibus Eccleſia Papiſtica tota ſordidata ſit, ſcripſerunt ac probarunt, non conjuncta ſunt, ſed in variis ac diverſis illorum libris diſperſa. Quamobrem ea ego hîc alia methodo præſenti argumento aptiori informata, & partibus ſingula vel augendi, vel illuſtrandi, vel explanandi, vel conciliandi, vel confirmandi, vel refutandi pro cauſſæ reique ratione mihi ſumptis, unum in locum conjiciam, & quaſi unum in corpuſculum ſeu volumen ſeorſim conjunctimque redigam. Quod & ita, pro virili inſtruam, ut faciliùs cõparari, commodiùs teneri terique manibus, & minori moleſtia ac negotio evolvi atque cognoſci poſſit, omninóque & aſpectui, & captui, & uſui quorumcunque accommodatius ſit. Adde, *quòd utile eſt, plures libros à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus iiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic:* ut Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap 3. ſcribit.

Ex profeſſo autem id potiſſimùm in præſenti tractare decrevi, quod circa hanc cauſſam præcipuè in quæſtione & diſceptatione verſatur; *Utrum* nempe *jure an injuriâ Pontificii Euangelicos & reformatarum Eccleſiarum ſectatores hæreſeos inſimulent, ac hæreticos nuncupent?* Et: *Annon verè Papiſtæ multas va-*

Digitized by Google

riasq; hæreſes inter ſe in ſua doctrina ac religione foveant, hæreticiq; veri exſiſtant? Nec omnia & ſingula, quę ad hanc materiam ſeu controverſiam ventilandam, falſaque in ea deſtruenda & vera aſtruenda, objectionibus omnibus reſponſionibusque inter ſe oppoſitis pertinent, conſectari volo, quia in infinitum eſſet procurrendum. Sed ex hypotheſi tantùm Pontificiorum, qua NOS in reformatis Eccleſiis hæreſeos aſſiduè accerſunt & damnant, quum ipſi eâ toti inquinati ſint, rem pertractans pauca, eaque potiora, magis neceſſaria, & rei ſubjectæ convenientiora annotabo. Illud enim Hieronymi in Epiſtola ad Cteſiphontem reſpiciam: *Sententias hæreticorum prodidiſſe, ſuperaſſe eſt, patet prima fronte blaſphemia. Non neceſſe habet convinci, quod ſua ſtatim profeſſione blaſphemum eſt.* Nihil iræ & ſtomacho, quem vel patientiſſimo Pontificii importuna atque inſolenti ſua hac in re impudentia, acerbitate & rabie movere poſſunt, indulgebo. Verùm moderatè, leniter, placidè & ſine contumelia, ingenua tamen, aperta & homine Chriſtiano digna, libertate omnia, Deo auxiliante, proponam. Digreſſiones vagas atque alienas vitabo, quantum fieri poterit, neceſſarias atq; appoſitas adhibebo. Neque ſermonis copiam & ornatum anxiè oſtentare annitar, ſed ut luctantes certamen nudi, ac brevibus præludiis inire gaudét: ſic ſtylo ſuccincto, ſimplici & ſcholaſtico, ut vocant, cujuſmodi omnium maximè veritati in hac cauſſa dextrè indagandæ & monſtrandæ commodus, ac rationum probationumque toris & lacertis nudè aperteque exhibendis idoneus occurret, contentus ero. Inde nomine DOMINI & æquitate Lectorum fretus, rem ipſam jam tandem aggrediar.

CAP. III.

De homonymiâ vocum hæreſeos & hæretici, quâ Papiſtæ Euangelicis turpiter illudant, ſed nihil proficiant. Ubi quid Græcis & Latinis ſit hæreſis & hæreticus, Germanis autem Kätzerey *&* Kätzer *explicatur.*

PRincipio, quum legitimis & juſtis rationibus agendi hanc cauſſam contra Euangelicos Pontificii uti deberét, multas injuſtas & iniquas & ineptas uſurpant, quas ordine recenſebimus & confutabimus.

Harum *prima* eſt petulans & procax I.
abuſus homonymiæ, vel æquivocationis & multiplicis ſenſus ipſius vocis HÆRESEOS, quo Euangelicis illudunt & negotium faceſſunt. Nam in medium protulerunt *Noſtri*, ſibi à Papiſtis accidere, quod fuerit ſemper Judæis tempore Chriſti & Apoſtolorum familiare ac ſolenne, *ut* nimirum, *ſi qui eſſent, qui de illorum erroribus quererentur, & puriorem religionem cuperent reſtitutam, eos ſtatim quaſi novatores rerum & homines factioſos pro hæreticis condemnarent.* (*Apologia Anglicana, cap. 7. ſect. 3. fol. 54. 55. 56.*) Chriſtum enim non aliâ de cauſſâ (*Joh. 8. 48.*) dictum eſſe Samaritanum, quàm quòd ad novam quandam religionem & ad hæreſin defeciſſe putaretur. Sic & Pauli Apoſtoli doctrinam ac fidem fuiſſe hæreſin appellatam, Act. 24. 14, & 28. 22.

Regerunt *Pontificii*, illis temporibus non adeò fuiſſe infame hæreſeos nomen

men

Digitized by Google

men, niſi ſi quid additum, unde pro vitio cenſeri debere poſſet intelligi. *Fuiſſe tunc vocabulum medii generis, potuiſſéq; vel in meliorem vel pejorem partem accipi.* Quod non ſolùm citatis locis ex Joannis Euangelio & Actis Apoſtolicis, ſed etiam è Tertulliano probetur, qui in meliorem partem illud uſurpet, quum de Chriſtianis hominibus locutus, *ſectam* eos appellet: qua voce Latina vertatur Græca illa hæreſeos. Iſta autem Chriſti, Pauli & primorum Chriſtianorum exempla ad defenſionem Euangelicorum non pertinere. Nam Chriſtum à Judæis Samaritanum fuiſſe dictū immeritò, ut illi Samaritanū intelligi voluerint. Euāgelicos meritò hæreticos appellari. Paulū, quum eorum inſtitutum, qui in Chriſto fiduciam collocaſſent, hac voce deſignaretur, honore magis quàm probro affectum eſſe. Tertullianum etiam Chriſtianos ſectam vocaſſe ſine ulla vitii labe aut nota. Non verò eam eſſe Euangelicorum cauſſam. Hos enim hæreſeos, in malam partem accepto vocabulo, accuſari.

Apologetici cap. 31.

11. Deinde, quum vox Græca hæreſis Germanicè ſonet, Kätzerey/ & hæreticus, Kätzer/ eaque apud Germanos dicantur tam ii, qui per nefandam libidinem pecoribus aut ſui ſexus hominibus miſcentur, quàm qui prava dogmata contra fidem orthodoxam pertinaciter tuentur, plerique Pontificii inter Germanos vel Teutonicos priori ſenſu de Euangelicis accipiunt. Hóſque in fide & doctrina à Romana Eccleſia diſſentientes æquè nefarios & maleficos, ſupplicióq; ignis puniendos judicant & proclamant, ac maſculorum ſeu pecorum & brutorum animalium concubitores. Hinc piis viris, Eccleſiæ Tigurinæ reformatoribus, *Dn. Hulderico Zuinglio, & Leoni Juda,* Helvetii Papiſtici inſultantes & maledicentes, hos Germanicos rhythmos ſeu verſus in eos procaciter per ludibrium & probri loco jecerunt.

Zuingli vnd Löw/
Haben ein Bulſchafft die iſt Höw.

Id eſt: *Zuinglio & Leoni,*
Pecudes fœnum edentes ſunt amaſiæ.

Et hunc in modum voce Kätzer/ ſæpiùs Pontificii rudiores ac Græcæ & Latinæ linguæ ignari Euangelicos inſectantur pro vocabulo hæretici, ac perinde pro ſceleratis & maleficis habent & traducunt, ac eos, qui contra naturam infanda libidine cum pecude ſeſe polluerunt. Etſi autem Euangelici ab hoc flagitio & maleficio alieniſſimi & puriſſimi ſunt, nec ejus convinci poſſunt: Tamen tantùm ob diverſitatem religionis Romanæ Eccleſiæ non conſentientis, eos Papiſtæ tanto probro afficiunt, ac turpis infamiſque nominis Kätzer convitio lacerant, ut doctrina & religio Euangelica ſuſpecta fiat, atque in contemptum adducatur.

Refutatio per explicationem orthodoxam vocabuli hæreſeos & hæretici; Item Germanicæ vocis Kätzerey & Kätzer.

Nos homonymiam ſeu æquivocationem in voce hæreſeos agnoſcimus, ut eam ſtrictiùs apud Græcos & Latinos duplicem, & latiùs triplicem, apud Germanos verò omnino triplicem ſignificationem habere dicamus, quæ ancipitem ejus ſenſum facit, cui

Hæreſis & hæreticus unde ac quot modis dicatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

lucem inferre in piorum Chriſtianorum gratiam & utilitatem Eccleſiæ ſtudebimus.

Græci & Latini generaliter ac ſpecialiter vocem hæreſeos accipiunt. Nam *αἵρεσις* dicitur *ἀπὸ τῦ αἱρεῖν*, quod eſt eligere, videlicet opinionem vel ſententiam. Secundùm hanc interpretationem duobus potiſſimùm modis

1. *Prima ſignificatio.* ſumitur. *Primò* generaliter de quavis electione cujuslibet opinionis & ſententiæ, quam quis ſequitur, qua ab aliis diſcrepat, quâve ſe rectè ſentire perſuaſum habet. Unde hæreſes, id eſt, ſectæ & familiæ ac factiones Philoſophorum hoc nomine dictæ ſunt, ſine

2. *Secunda.* tamen contumelia. *Deinde* ſpecialiter apud Eccleſiaſticos Doctores & Scriptores accipitur de electione, qua quis ſibi certum dogma, aut plura certa dogmata eligit ac pertinaciter defendit, quæ orthodoxæ fidei non ſunt conſentanea, ſed cum expreſſo Dei verbo pugnant, & fidei fundamentum ſeu directè ſeu obliquè concutiunt atque evertunt. Qua poſteriori ſignificatione in præſenti materia à nobis accipitur & intelligitur.

Obſervandum hoc eſt perdiligenter, quia *Primùm* ineptos illos refellit, qui hæreſin dici putant ab hæreo, hæres, quaſi ſit hæreſis opinio hærens. Nos enim tum omnes ſolidè doctos aſtipulantes habemus, tum maximè S. Hieronymum, qui in Epiſtolam ad Titum: *Hæreſis*, inquit, *Græcè ab electione dicitur, quod ſcilicet unuſquiſque id ſibi eligat, quod ei melius eſſe videatur.* Et in Epiſt. ad Galatas lib. 2. ad cap. 5. *Hæreſis*, inquit, *Græce ab electione* (nam *αἱρέω* & *αἱρέομαι* ſignificant eligo) *dicitur, quod ſcilicet eam ſibi quiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem.*

Ad quæ Hieronymiana Wolphgangus Muſculus annotat, *Hæc vocis iſtius ſignificatio nihil includit, quod ſit vitioſum. Quis enim ſic inſanit, ut facultatem eligendi aliquid mortalibus liberè conceſſam, pro vitio habendam ſentiat? Hactenus hæreſin damnat neminem: quia nihil habet culpæ* (nimirum ſiquis veriora & meliora eligit) *niſi accidat aliunde.* nempe ſi malitia aut alio affectu pravo falſiora & deteriora eligit. — 1. *locis com. de hæreſib. fol. 1306.*

Cæterum quia Hieronymus in loco, paulo antè è commentario ejus in Epiſt. ad Galatas citato, mox ſubjungit: *Quicunque igitur aliter Scripturam intelligit, quam ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non receſſerit, tamen Hæreticus appellari poteſt; & de carnis operibus eſt, eligens quæ pejora ſunt;* colligitur *deinde* eum ſenſiſſe & ſatis expreſſiſſe, jampridem Chriſtianè & Theologicè vocem hæreſeos & hæretici non more Philoſophicarum ſectarum fuiſſe acceptam & uſurpatam in meliorem partem, ſed tantùm in deteriorem. Nam de Pelagianis acturus in Dialogo contra Luciferianos, initio ſtatim dicit & ſtatuit, *de Hæretico tanquam de Gentili*, id eſt, à religione Chriſtiana abhorrente atque alieno, *loquendum eſſe.* — *Uſus vocis hæreſeos & hæretici in deteriorem partem & abuſum deflexit.*

Animadvertit hoc Muſculus quoque, ac propterea ſuperioribus ſuis verbis ſubnectit: *Eſt igitur abuſivum, quod vox iſta probroſa facta eſt. Tertullianus libro de Virginibus velandis, paulo poſt initium ſic definit hæreſim:* Quodcunque adverſus veritatem ſapit, hæreſis eſt, etiam vetus conſuetudo. *Hæc definitio* — *Hæreticus ſecundum Tertullianum.*

nitio nec propria eſt, nec neceſſaria, ſed abuſiva. Si Græcam vocem Latinè expreſſiſſet, dixiſſet: Quodcunque adverſus veritatem ſapit, electio eſt. At ſic loquendo non expreſſiſſet, quod volebat. Neque enim electio id ſonat in Eccleſia, quod per abuſum ſonare cœpit hæreſis. Hanc tamen vocis iſtius catachreſim non damno. Nam uſus illa eſt &
v. 19. Apoſtolus prima Corinth. 11. dicens: Oportet enim & hæreſes eſſe, quò qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos. Et
v. 20. Gal. 5. ubi hæreſes numerat inter opera car-
v. 10. nis, ac Tit. 3. quum dicit: Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem fuge, uſurpavit illam propterea, quod eſſet inter gentes trita propter Philoſophos & inter Judæos quoque Græcè ſcientes, propter Phariſæorum ac Saducæorum ſectas. Quin & Latini illâ utebantur, ſicut videre eſt in verbis Ciceronis, ubi dicit: Cato in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, in Paradoxis. Hæc Muſculus.

Hæreticus ſecundum Auguſtinum. cap. 1.

Pergens verò, ſcribit: Auguſtinus videtur vocem hanc HÆRESIM accepiſſe pro opinione. Atque ideo in libro de utilitate credendi ſcripſiſſe in hunc modum: Hæreticus eſt, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque ſui gratiâ, falſas ac novas opiniones gignit, vel ſequitur. Græci accipiunt verbum αἱρέομαι aliquando pro velle. Hoc ſenſu rectè vocatur hæreticus, qui pro ſuapte voluntate magis quàm pro veritate eligit ſibi opinionem aliquam cui mordicus adhæreat, quantumvis illam nullis poſſit ſacris Scripturis, pertinenter ac ritè adductis confirmare. Ergo hæreſis pro morbo animi accipitur, quo homines vani, & ſibiipſis impenſiùs indulgentes, à communi aliorum ſententiâ, non judicio, ſed ſtudio diſſentiendi abhorrent, & opiniones eligunt, quas & ipſi ſequantur, & aliis ſequendas obtrudant, nec ullis ſe rationib. ac ſcripturis ab illis abduci ſinãt.

Hæreticus ſecundùm Græcos & Scholaſticos.

Græci paucis, ſic definiunt hæreticum, ὁ ἄλλο τι παρὰ τὴν ἀλήθειαν αἱρούμενος ἔχει. Scholaſtici hæreticum vocant, qui ſectam aliquam vel inſtituit, vel ſequitur, adverſus fundamenta religionis. Et in hæreſi tria concurrere dicunt, unde cognoſcatur, FALSAM videlicet CREDULITATEM, PERVERSAM VOLUNTATEM, ET PUGNANDI PERTINACIAM. Significantes, non mox eſſe hæreticum eum, qui falſa pro veris habens, errat, ſi voluntas non ſit perverſa, & ad pugnandum pertinax. Unde & ille dicebat: Errare poſſum, hæreticus eſſe nolo. Sic illi ſentiunt. Auguſtinus ad Quod vult Deum in præfatione.

His ſuum ſenſum & judicium, quot modis hæreticus rectè hodie & intelligi vel accipi & dici poſſit, ſubjungens Muſculus, ait: Verùm TRIPLICITER meo judicio poteſt hæreticus dici. PRIMÒ, quiſquis aliquid ſibi eligit, quod ſequatur, quodq; verum ac ſequendum ſibi eſſe judicat. HIC ſi eligit, quod verum eſt & utile, ut verum & utile, bonus & inculpabilis eſt hæreticus. Hoc proprio vocis iſtius ſenſu hæretica eſt IPSA quoq; CATHOLICA ECCLESIA, & QUILIBET CHRISTIANUS, propterea quòd elegerunt ſibi fidem in Chriſtum, quam relictis aliis omnibus ſequãtur. Quid enim aliud eſt fides Chriſtiana cum toto mundo, qui extra Chriſtum eſt, collata, quàm hæreſis quædam, à Sapientibus hujus mundi damnata? Quemadmodum & Actorum ult. (℣. 22. ut ſuprà cap. 2. etiam diximus) ab incredulis Judæis appellabatur, quum ad Paulum dicerent: De hæreſi iſta notum eſt nobis, quòd illi ubique contradicatur. Et Tertullianus Eccleſiam Chri-

Eccleſia Chriſti ac fides hæretica eſt bono ſenſu.

ſti & Chriſtianam religionem SECTAM *vocat, initio libri ad Scapulam.*

2. Hæreticus eſt, qui per errorem pro vero eligit quod eſt falſum.

DEINDE *hæreticus eſt, quiſquis per errorem aliquid pro vero ſervãdum eligit, quod alienum eſt à vero. Huc pertinet paulò ſuprà citata Græcorum definitio, quâ dicunt, hæreticum eſſe eum, ὁ ἄλλο παρὰ τὴν ἀλήθειαν αἱρούμενος ἔχει.* Hæreticus eſt, qui hoc facit, non ob id, quod falſum ſibi per errorem eligit pro vero, ſed propterea, quòd ſibiipſe eligit, quod ſequatur. *Quum Auguſtinus dicit:* Errare poſſum, hæreticus eſſe nolo, *non repugnat ei, quod hîc dicimus, ſed utitur voce hac ſenſu communi: Quanquam quid impedit, quo minus dicam: Errare poſſum, errans tamen eſſe nolo? Unde tamen non ſequitur, non eſſe eum errantem, qui errat. Sic non ſequitur, non eſſe eum hæreticum, qui quamvis errando eligat ſibi, quod falſum, hæreticus tamen eſſe non vult. Aliud eſt eſſe, & aliud nolle eſſe hæreticum.*

3. Hæreticus eſt, qui non ex errore, ſed ſtudio ſingularitatis dogmate novo & falſo delectatur.

TERTIÒ *hæreticus eſt, qui non ex errore & ignorantia falſum eligit pro vero, ſed ex agnato morbo, quo rebus novis, raris & inſolitis, & à communi ſenſu alienis impensè ſtudet: illaq; mordicus ut tales apprehendit, & pertinaciter, quantumvis ſint falſa, defendit. Hic morbus reddit hæreticos & culpabiles & noxios vehementer. Et de* TALIBUS *intelligenda ſunt, quæ de hæreticis in ſcriptis Patrum, hiſtoriis Eccleſiaſticis, ac Legibus Imperatorum leguntur.* Hactenus Muſculus de eo, quid ſit hæreſis, & quid ſit eſſe hæreticum, quod attinet vocum iſtarum uſum non modò proprium, ſed & improprium.

Hæreſin & hæret. nunc à Papiſtis & vulgò non in bonam, ſed malã partem accipi & dici.

OMNINÒ igitur, quod Papiſtæ obtendunt, & clamant in Euangelicorũ invidiam (ſicut in exordio hujus capitis indicatum) nomen hæreſeos vel ſectæ, quo oneratus eſt S. Paulus, non fuiſſe per ſe adeò infame aut invidioſum illis temporibus, & Tertullianum religionem Chriſtianam ſectam appellaſſe, ſine ulla tamen vitii labe aut nota: non eſt neceſſe tanto ſtudio ab illis ſine cauſſa pro vero affirmari, quũ verum non ſit. Concedimus enim ſponte, hæreſeos vel ſectæ nomen ſimpliciter & ſecundùm etymon ſuum acceptum, minimè eſſe per ſe probroſum atque ignominioſum, quum electio rerum ſeu dogmatum atque opinionum bonarum, ut & eligens res bonas, ſive dogmata atque ſententias bonas, utiles & veras, non ſit culpabilis, ſed laudabilis. Largimur item ultrò, hæreſeos vel ſectæ nomen nequaquam fuiſſe in Philoſophis infame atque odioſum. Hoc enim vel unius locus Ciceronis, paulò ante è Paradoxis ejus adductus, evincit.

At per abuſum in iis, quæ ſunt Chriſtianæ religionis, pedetentim omnes, præſertim Pagani vel Ethnici, ac Judæi, id ſemper in deteriorem partem acceperunt, inviſum atque infame duxerunt, imò damnârunt. Nam quod *Act. 24. 5.*
ad Paulum attinet, quàm in bonam ſcilicet partem Judæi illum hæreticum appellârint, ac fidem & doctrinam illius hæreſin vocarint, ex Tertulli accuſatoris ejus oratione facilè apparet. *Enimverò,* inquit, *comperimus virum hunc peſtilentem, ac moventem ſeditionem omnibus Judæis per univerſum orbem, ac Principem hæreſis Nazaræorum. Qui templum quoque tentavit profanare, &c.* In eandem ſcilicet bonam partem Chriſto dixerunt: *Dæmonium habes. Nónne bene dicimus, quod Samaritanus es, & Dæmonium* *Joh. 7. 20. & 8. 48. 52.*

Digitized by Google

nium habes? Item: *Nunc cognovimus, quod Dæmonium habes.* In eandem ſcilicet bonam partem de Johanne & Chriſto iidem judicarunt: *Venit Johannes nec edens nec bibens, & ajunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis edens ac bibens, & dicunt: Ecce homo edax & vini potor, publicanis amicus ac peccatoribus.* Item: *Iſte non ejicit dæmonia, niſi per Beelzebub Principem Dæmoniorum.* Ac meliorem hanc partem Chriſtus diſcipulis ſuis prædicendo & promittendo, ait: *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, neque ſervus ſupra Dominum ſuum. Sufficit diſcipulo, ut ſit ſic ut magiſter ipſius, & ut ſervus ſit ſicut Dominus ipſius. Si ipſum patremfamiliâs Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus.* Et in meliorem hanc ſcil. partem dictum eſſe Paulum Apoſtolum *hæreticum*, præter alios NICOLAUS de Lyra Doctorè Pontificiis maximi nominis etiam agnoſcit, & ſuos Pontificios certiores reddere poteſt: Comment. in Act. 24.

Math 11. 18. 19.

Math. 12, 24.

Math. 10. 24. 25.
Joh 15. 18. 20 & 16. 2.

Sic, etſi Tertullianus Chriſtianos & eorum religionem videatur in meliorem partem appellaſſe *ſectam* vel hæreſin, idque ſine ulla vitii labe ac nota, ut Pontificii loquuntur: tamen Ethnicorum & Judæorum judicio vel ſenſu in nequiorem partem ita dicebatur. Idem enim ibi & in Apologetico paſſim ſcribit, *Chriſtianos vulgò ab Ethnicis audiviſſe ſe dici, inceſtos, homicidas, infanticidas, ſacrilegos, peſſimos, nocentiſſimos, publicum odium, hoſtes humani generis, omnium ſcelerum reos, Deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicos.* Ubicunque eos conſpexerant, ſtatim in eos clamabant: *Chriſtianos ad leonem.*

Tertullian. in Apolog.

Ita Auguſtinus: *Factum eſt*, inquit, *vulgò proverbium, pluvia defecit cauſſa Chriſtianorum.*

De civ. Dei lib. 2. cap. 3.

Unde tandem apertiùs abuſum nominis hæreſeos & hæretici agnoſcit atque fatetur S. Hieronymus. Nam ex eo veritas hoc expreſſit in Comment. ad Epiſtolam Pauli ad Titum, cap. 3. *Nomen hæreſeos & in Epiſtola ad Corinthios ponitur, & ad Galatas inter opera carnis numeratur. In quibus diligenter eſt obſervandum, quod quemadmodum cætera vitia, quæ inter carnis opera numerata ſunt, excludunt nos à regno Dei: ita etiam nobis hæreſes auferant regnum Dei, & non intereſt quomodo quis, dum tantùm excludatur à regno. Quod autem magis mirum ſit, etiam illud* " *de Actibus Apoſtolorum videtur eſſe relegen*" *dum, FIDEM noſtram in Chriſto & Eccle*" *ſiaſticam diſciplinam JAM TUNC à perverſis hominibus HÆRESIN nuncupatam. Nos enim, inquiunt Judæi ad Apoſtolum Paulum, nec literas à te accepimus de Judæa, nec veniens quis de fratribus annũtiavit nobis, aut locutus eſt aliquis de te in malum. Petimus autem, ut audiamus à te, quod ſentias. De HÆRESI enim iſta notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur.*

1. Cor. 11. 19.
Gal. 5 20.
Act. 28. 22.

Videtis igitur & auditis, ô Pontificii, vocem hæreſin non ſine, ſed cum vitii labe & nota uſurpatam à Gentilibus & Judæis de Eccleſia atque religione Chriſtiana. Non quod Chriſtus, S. Paulus, S. Apoſtoli, primique Chriſtiani doctrinæ & fidei Chriſti atque Apoſtolorum dediti, non fuerint Catholici & orthodoxi, ac proinde hæreſis in pejorem partem illis impingi potuerit, ipſique hæretici in deteriorem partem dici commeriti ſint. Sed quod pravo & corrupto Judæorum atque Ethnicorum judicio Chriſtianorum

Digitized by Google

ſtianorum & Apoſtolorum religio ac fides pro hæretica fuit habita, ipſique falsâ & corruptâ conſuetudine hæretici & exiſtimati & vocati. Meliorem enim ſanè & utiliorem religionem, doctrinam ac fidem Chriſtus, Paulus, Apoſtoli & primi Chriſtiani elegerunt, ipſis etiam Papiſtis confitentibus: at Judæi & Ethnici eos deteriorem & pernitioſiorem elegiſſe opinati ſunt. Quare & vocem hæreſis atque hæretici in pejorem partem de illis interpretati, ad illos malè & nequiter transtulerunt.

Euangelica Eccleſia & doctrina verè orthodoxa, vocatur immeritò hæretica in malam partē.

Eodem jure ac modo, iiſdem que argumentis & rationibus freti Pontificii, idipſum Chriſti Euangelium & eandem doctrinam atque fidem Apoſtolicam & Chriſtianam, quam Euangelici reformatarum Eccleſiarum Chriſtiani amplexi ſunt, jam denuo condemnant, & in eandem, meliorem ſcilicet partem, jamdiu hæreſem appellarunt, atque etiam nunc appellant. Et quod Chriſtum, Apoſtolum Paulum & Chriſtianos veteres immeritò atque injuriâ, Evangelicos hodiernos meritò & jure hæreticos dici clamant, longiſſimè ſanè errant. Nam omittant & tollant in Euangelicis nomina Proteſtantium, Lutheranorum, Zuinglianorum & Calviniſtarum, inſpiciant verò doctrinam, fidem atque religionem Euangelicorum, certè eam nihil aliud quàm Chriſti, quàm Apoſtoli Pauli & reliquorum Apoſtolorum, quàm denique primitivorum Chriſtianorum eſſe perſpicient, deprehendent, palpabunt, & probabunt, niſi ex malitia cæcutire & corruptè judicare velint. Imò mutent nomina, aut rectè ea interpretentur, ac res erit clara & facilis, Euangelicos nullam hæreſin, ſed unicam doctrinam & fidem Chriſti, Apoſtolorum, puriorumq; ue primitivæ Eccleſiæ Chriſtianorum tenere, ac proinde non meritò & jure, ſed immeritò atque injuriâ hæreticos nuncupari. Euangelici vocantur Lutherani & Proteſtantes, ac Zuingliani & Calviniani, non quòd Lutherum, Zuingliū & Calvinum venerentur ut Deum, nec quòd Lutherus, Zuinglius & Calvinus novam & à ſacris Scripturis alienam doctrinam & fidem in Eccleſias invexerint; (hæc enim meræ atque impudicæ perverſorum hominū ſunt calumniæ;) nec quòd illorum doctrina & fides ullo modo ſit hæretica, ut Papiſtæ æſtimant & clamant. Sed quòd receperunt & profitentur eam doctrinam atq; fidem, quā ex præſcripto Dei Verbo, veteris ac novi Teſtamenti libris comprehenſo, repetiit, recuperavit, revocavit, adverſusque errores ac ſuperſtitiones Romanæ & Papiſticæ Eccleſiæ, vindicavit Lutherus, Zuinglius & Calvinus. Quæ quidem doctrina & fides tam Verbi divini, quàm Euangelicorum, qui dicuntur Proteſtātes, Lutherani, Zuingliani & Calviniſtæ, eſt una & eadem; Nec alia eſt definitio Propheticæ & Apoſtolicæ, quàm Euangelicorum hodiernorum, id eſt, Lutheranæ, Zuinglianæ & Calvinianæ (ut vocant) doctrinæ atque fidei. Nimirum quia hanc & illam definire nemo rectè poteſt, niſi ex Prophetica & Apoſtolica, ſeu ſacræ Scripturæ & ſcripti Verbi divini doctrina, Scripturis ſacris V. & N. Teſtamenti voluminibus comprehenſa. Aliam enim

Vide infrà cap. 14.

Digitized by Google

nim Euangelici, qui appellari ſolent Proteſtantes, Lutherani, Zuingliani & Calviniſtæ, non amplexi ſunt, neque aliam agnoſcunt; quod ipſorum concionibus, ſcriptis, confeſſionibus, ſimilibusq́ue documentis genuinis oſtenditur. Quæ Prophetica & Apoſtolica doctrina & fides apud Euangelicos viguit, publicè quidem & privatim etiam ſonuit ac culta eſt in medio Papatu, ſed fermento Papalium traditionum, decretorum & decretalium conſpurcata. Sicut Chriſto in hunc mundum nato, & paulò ante, publicè ſonuit Moſes & Prophetæ in Eccleſia Judæorum, tametſi multum fermenti traditionum humanarum teſtante ipſo Chriſto Math. 15. & Marc. 7. admiſtum fuit.

Objiciũt Adverſarii: *Nullam unquam Eccleſiam vel Eccleſiolam poſſe oſtendi, quæ per omnia idem crediderit, docuerit & tenuerit, quod credunt, docent & tenent Euangelici, qui dicuntur Proteſtantes, Lutherani, Zuingliani, Calviniſtæ.* Reſpondemus: Oſtendere nos collegium Apoſtolorum, in quo & virgo Maria ac alii fideles fuêre, ab ipſo Chriſto tanquã perfectiſſimam Eccleſiam inſtitutum, & Euangelica hiſtoria Mathæi, Marci, Lucæ ac Johannis deſcriptum. Oſtendimus ipſam primævam copioſiorem Eccleſiam, in Actis & Epiſtolis Apoſtolicis deſcriptam: cujus doctrinam ad amuſſim ſequuntur, nec latum unguem ab ea diſcedunt Euangelici hodierni. Ita Eccleſia Euangelica hodierna ne unicum quidem dogma agnoſcit & defendit, quod non publicè ac privatim ſonuerit, agnitum atque defenſum ſit in primitiva Eccleſia, nempe ex unico ſcripto Dei verbo & prædicata Apoſtolorum doctrina in literas relata, quod eſt fundamentum unicum omnis divinæ veritatis. *Act. 2. 42.*

Hinc oppono Adverſariis Papiſtis hoc argumentum verè Ajacis ſcutum. Doctrina, fides & religio Chriſti, S. Pauli & reliquorum Apoſtolorum, ſacris literis comprehenſa, non eſt hæreſis prava, etiamſi ſic dicta eſt, Actor. 24. 14. & 28. 22. Euangelici hodierni, qui Proteſtantes, Lutherani, Zuingliani & Calviniſtæ nuncupantur, amplexi ſunt & colunt doctrinam, fidem & religionem Chriſti, S. Pauli ac reliquorum Apoſtolorum ſacris literis comprehenſam. Ergo Euangelicorum hodiernorum, qui Proteſtãtes, Lutherani, Zuingliani & Calviniſtæ nuncupantur, doctrina, fides, & religio non eſt hæreſis prava, etiamſi ſic dici ſoleat à Papiſtis. Item: Chriſtus, S. Paulus & primi Chriſtiani verbum Dei ſacris literis comprehenſũ ſequuti, immeritò atq; injuriâ hæretici ſunt dicti; id quod ipſi Papiſtæ fatentur. Euangelici in reformatis Eccleſiis verbum Dei ſacris literis comprehẽſum perinde ac Chriſtus, S. Paulus & primi Chriſtiani ſequuntur. Ergo Euangelici in reformatis Eccleſiis perinde ac Chriſtus, S. Paulus & primi Chriſtiani immeritò atque injuriâ hæretici dicuntur: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Inter ſacrum & ſaxum hîc conſtricti verſantes Pontificii, cognoſcere & ſentire coguntur, Euangelicos verè non eſſe hæreticos, quum hi non dicantur ab illis hæretici, quatenus fidem in in Chriſtum elegerunt, ſed quatenus vox hæreſeos & hæretici in malam partem iis tribuitur, qui fide Chriſti recepta *Vox hæreſis & hæret ut his libris accipiatur.*

pta

prâ, ob eam à reliquis totius mundi hominibus & ſectis, adeoque ab ipſis Papiſtis ſejunguntur. Nam quod vox hæreſis & hæreticus culpabilis, imò infamis, probroſa, exoſa, deteſtanda, damnanda, atque adeò damnata eſt, fieri ſolet per accidens, tum Satanæ inſidiis, tum corrupto & perverſo infidelis atque impii mundi judicio, ut ſuprà demonſtratum, ac deinceps pluribus demonſtrabitur. Et eo malo ſenſu, quo à Papiſtis in Euangelicos torquetur, hoc toto Tractatu ad hypotheſin Papiſtarum accommodatur, & more Papiſtico de Euangelio Chriſti & Euangelicis Chriſtianis in malam partem accipitur, ſed illis non convenire probatur. Simul autem verè de Papatu & Papiſtis accipi atque dici, declaratur atque convincitur.

Hacque de cauſſa, etſi in deteriorē partem vox hæreſis ac hæretici transfertur ad Euangelicos à Papiſtis: tamen eos non quicquam lædit, nec iis officit, quia nullam, quàm verè Catholicam & orthodoxam fidem, doctrinam & religionem ipſius Chriſti, S. Pauli & Apoſtolorum, primorumque Chriſtianorum verè Catholicorum atque orthodoxorum electam & receptam colunt & ſectantur. Et ſic Pontificii per latus Euangelicorum ipſum Chriſtum, ipſum S. Apoſtolum Paulum, ipſos reliquos ſanctiſſimos Apoſtolos, ipſoſque primos Chriſtianos verè Catholicos & orthodoxos, quorum fidei doctrinæ & religioni Catholicæ atque orthodoxæ Euangelici ſeſe rurſus aggregarunt, confodiunt, hæreſeos accuſant & traducunt, atque ut hæreticos vellicant.

III. Tertia ſignificatio vocis hæreſeos ac hæretici.

Porrò quod TERTIAM ſignificationem vocabuli hæreſeos & hæretici in Germanica lingua eſſe diximus, nominibus Käzerey / quod denotat hæreſin, & Käzer / quod hæreticum ſignificat, probatur. Hæque duæ Germanicæ voces per ſe æquivocæ ſunt, & ὁμωνύμως atque ambiguè dicuntur. Nam Germanicè Käzerey tam de propriè dicta mala hæreſi, id eſt, de pertinaci electione & defenſione pravi dogmatis fidem orthodoxam convellentis, quàm de libidinis nefādæ cum bruto animali commiſſæ flagitio enūciatur. Ac Käzer non minùs de propriè dicto in malam partem hæretico, hoc eſt, eligente & ſequente pertinaciter pravum dogma fidei orthodoxæ repugnans, quàm de reo libidinis nefariæ cum pecude bruta deſignatæ accipitur & dicitur.

Käzerey & Käzer unde Germanicè dicantur, & quid Germanis ſint.

Si autem transfertur poſteriori hoc ſenſu, ut & priori, quem antea explicavimus, ad religionis negotium, ac nimirùm ad Euangelicos, quos Papiſtæ non reformatam, ſed deformatam & hæreſibus execrandis inquinatam doctrinam & fidem amplexos opinantur atque vociferātur, non minùs ac priori ſenſu nimis inſolenter & ſceleratè in contemptum & odium ipſius ſacroſancti Euangelii & cultorum ejus piorum atque fidorum fit. Nam quàm impium, quàm blaſphemum, & quā execrandum eſt, Euangelicam, Propheticam & Apoſtolicam doctrinam, ſacris Scripturis comprehenſam, ac proinde unicè Catholicam & orthodoxam, quam Euangelici amplexi ſunt, nefandæ iſtius libidinis ſceleri conferre atque adeò æquare, ejusque ſce-

ſce-

Digitized by Google

ſceleris infami nomine & titulo contaminare? Quàm impium, blaſphemum & exectandum eſt, ſectatores & cultores Chriſti, ejuſque Euangelii pios, deteſtando, odioſo & ignominioſo titulo ac nomine reorum nefandæ iſtius libidinis per contemptũ exornare, imò conſpurcare, traducere, proſcindere, vellicare, lacerare? Neque ſolùm hoc impiè & blaſphemè fit, ſed etiã indoctè, ineptè, abſurdè, quod auctores è noſtris probatiſſimi diligenter explicant & comprobãt. Ab illis igitur, quomodo hæc res ſeſe habeat, accipite.

Hebraica derivatio vocis hæreſeos & hæretici.

Henricus Bullingerus Eccleſiæ Tigurinæ Antiſtes atque Epiſcopus in Inſtitutione cõtra articulos Bavaricos, quæſtione 9. pag. 12. primùm Hebraicam, deinde Græcam, & Latinam derivationem vocabulorum hæreſeos & hæretici exponit, & occaſione vocis Hebraicæ notationem Germanicæ quoque vocis Käßer ſive Keßer oſtendit. Quæſtio eſt, an omnes qui deſtinata voluntate ſe ab Eccleſia ſeparant, ſint damnãdi ut hæretici & ſchiſmatici? reſpondens ergo: *Arbitramur,* inquit, *hos jure pro ſchiſmaticis & hæreticis habendos eſſe, qui deſtinato conſilio, ex libidine animi, malignè & pertinaciter ſeipſos à ſancta & Catholicâ Chriſti Eccleſiâ ſeparant. Separare autem vel ſchiſma & hæreſin inſtituere, hic pro eodem accipimus. Germanicum enim nomen hæretici* Käßer, *ab Hebræo Kazar derivatum eſt, quod abſcindere & ſeparare ſignificat. Unde nos in Germanicâ linguâ pannum lacerum, aut carnes fruſtulatim diſſectas dicimus eſſe* zerkäßeret, *ſeparatas, ſectas & laceras. Quamobrem nomen hæretici* Käßer / *ſignificat factionum & diſſidiorum authorem aut defectorem ſchiſmaticum, non eum qui nefanda libidine contra naturam ſe polluit, & igne puniendus eſt. Etſi talis quoque jure* Käßer *à Germanis nominetur, propterea quòd violarit & ruperit fœdus & ordinem à Deo inſtitutum, de quo ſcribitur in ſacris literis, quòd omnibus animantibus ad Adamum adductis, non inventum eſt ei ſimile, quod ipſi conveniret, & illi conjungi poſſet, & propterea Deum ex latere viri mulierẽ formaſſe, ac inſtituiſſe, ut mas & fœmina matrimonio conjungatur, & ſint caro una.* Unde de duobus edocemur. *Uno,* quòd in negotio hæreſis & hæretici propriè in malam partem de obſtinata dogmatis pravi atque opinionis ſeu doctrinæ falſæ propugnatione, & de ejus ſectatore ſeu aſſecla accepti, Germanicum nomen Käßer ſive Keßer ab Hebræo *Kazar* oriatur, huicque conveniat. *Altero,* quod Germanica vox Käßer non minus ac Hebræa *Kazar* nequaquam propriè, ſed impropriè & abuſivè de reatu pollutionis atque commixtionis cum pecoribus, aut aliis inverſo naturę ordine per libidinem carnis admiſſis, deq; reo ac reis tam nefandæ libidinis dicatur. Quanto igitur iſta utrinque ſunt graviora & atrociora, tanto argumentis majoribus & clarioribus in Euangelicos à Papiſtis probari debebant. At quoniam nullius iſtorum ab his, vel undiquaque rationes & argumenta corradentibus convinci poſſunt, nullum in Euangelicos quadrat, ac non niſi per injuriam & contumeliam in eos æquè ac in Chriſti & S. Apoſtolorum fidem & doctrinam, cui uni ſeſe Euangelici abjectâ Papatus hæreſeomaniâ dediderunt, rapiuntur atque conjiciuntur. Cujus probationes longiores

Digitized by Google

gi0res & firmiores poſtea Deo opitu-
lante dabimus.

Pergit autem Bullingerus, & *Latini*,
inquit, *hæreſim & hæreticos ab electione*
(ideò illis & Græcos addimus) *nomi-*
Deut. 4. & 12. *nant. Deus namque in ſuo verbo per Pro-*
phetas & Apoſtolos diligenter & plenè præ-
ſcripſit, quid nobis faciendum & credendum
ſit, & addit: Ea, quæ præcipio tibi, fa-
cies, non addes quicquam, neque au-
feres. Neque enim facietis quiſque
quod ſibi bonum viſum fuerit, ſed ea,
quæ ego præcipio vobis. *Quicunque*
igitur inobediens eſt, & alia, quæ Deus verbo
ſuo non præcepit, excogitat & eligit atque ea
in re ſeipſum à verbo Dei & his, qui illud ſe-
quuntur, ſeparat, ac peculiarem viam & ra-
Tit. 3. 10. 11. *tionem inſtituit, & in eam alios quoque pel-*
licit, & arrogans, pertinax, contentioſus &
contumax eſt, & in hoc poſt multiplicem in
ſtitutionem perſeverat, hunc veteres hæreti
Secta unde & de quibus dicatur. *cum nominarunt. Latini enim hæreſin ſectæ*
nomine interpretati ſunt ſecta quoque & ſe-
ctarii nomen etiam à Germanis receptum
eſt: verùm quia hæ voces à Latinis deſumptæ
ſunt, non ab omnibus vulgò rectè intelligun-
tur. A ſecando enim ſecta & ſectio dicitur,
veluti quum lignum integrum in multas
partes ſecatur. Aut hi qui priùs in eadem
ſententia & opinione erant, diſſident, & in
varias ſententias dividuntur, ut ſinguli ferè
aliquid peculiare habeant: hujuſmodi au
tem partes ab aliis ſejunctæ, ſectæ appellantur:
Veluti inter Philoſophos Gentium variæ ſe
ctæ fuerunt, Epicureorum, Stoicorum, Peri
pateticorum, in quibus ſingulæ ſectæ peculia-
res opiniones habebant. Veteres tamen inter
hæreſin & ſchiſma diſtinxerunt: de qua di-
ſtinctione non opus eſt, ut hoc loco dicamus,
niſi illud tantùm, non quamvis diſſenſionem
hæreſim eſſe. Etenim quum primùm Apo-
ſtoli prædicare inciperent, & Eccleſiam ædifi-
care, hoc eſt, Chriſto populum ex Judæis &
Gentibus adducere, ut omnes in Chriſto cun-
cta quærerent, doctrina eorum hæreſis nomi-
nata eſt: ſicuti apertè ex 24. cap. Act. cogno-
ſci poteſt. Ideo autem Judæi Apoſtolorum do-
ctrinam hæreſim nominarunt, quòd longè
alia & diverſa hujus doctrinæ ratio eſſet,
quàm illius, quæ hactenus in Judaiſmo rece-
pta fuerat. Ideoq; ſectam & defectionem ar-
bitrabantur ab ea fide, quam ipſi veram ju-
dicabant. Quorſum hæc? Ut tam ſu-
periora à nobis allata confirmari cer-
natur, tum ſequentibus, quæ hinc inde
adferemus, via ſternatur.

Nam ut Bullingerus non indoctè *Kätzer à Catharis deduci putas Musculus fol. 1208.*
& ineptè Germanicæ vocis Ketzerey &
Ketzer vel Kätzerey & Kätzer/ deriva-
tionem ab Hebræis deſumſit: ita Mu-
ſculus eandem pariter docto & con-
gruo modo à Græcis deducit, ſenſu
utrinque integro & conſentiente ſer-
vato. Scribit enim: *Reſtat ut de eâ quo-*
que voce non nihil annotemus, quâ Germa-
ni hæreticum ein Kätzer *vocamus, quam*
& ipſam pauciſſimi intelligunt, uſque adeò
ut neſciant etiam ad quam linguã pertineat,
& quomodo in uſum noſtrum venerit. Unde *In locis communib. de hæreſi artic. 1. fol. 1208.*
ſit, ut ignorent, an verè ſint Kätzer / *quos*
Eccleſiaſtici pro talibus haberi volunt. Quem-
admodum voces illæ in Eccleſia uſitatiſſi-
mæ Kirch/ Prieſter/ Biſchof/ Allmuß/
à Græcis ſunt mutuatæ ac uſu illiteratæ pleb.
corruptæ: ita & vox Kätzer/ *à Græcis eſt*
ſumta qui hæreticos quoſdam καθαρούς, *id*
eſt, mundos ob id vocarunt, quòd ſe pro puris
venditabant, conjugium viduorum damna-
bant, & pœnitentiam iis, qui poſt acceptum
Baptiſmum peccaſſent, denegabant, etiam ſi
hanc ſuſcipere vellent. Horum ſecta uſque
adeò paſſim invaluerat, ut poſt illos etiam a-
lii

Digitized by Google

lii hæretici cœperint vocari καθαροὶ, *& à Germanis* Käẞer. *Sic omnis generis hæreticos* Käẞer / *vocamus. Quemadmodum autem in voce* Allmuß / *litera epſilon in alpha mutata eſt, & ſex ſyllaba in duas contracta: ita hîc alpha mutari cœpit in epſilon, & litera θ. pronunciari cum ſibilo per tz. quod etiam nonnulli Græcè docti in aliis Græcis vocibus factitare ſolent. Non eſt autem, ut dicat quiſquam, haud eſſe veriſimile, quod dictio puritatis ſignificationem habens uſurpetur pro hæretico: ſic ut omnis generis hæretici vocentur cathari,* id eſt, *puri. Haud enim ob id fuerunt hæretici cathari vocati, quod puri eſſent: ſed quod ſe puros eſſe jactarent, ac reliquos præ ſe contemnerent ac faſtidirent. Et quoniam pro hæreticis habebantur, factum eſt, ut hæretici poſtea cathari vocarentur. An martyr non ſonet Græcis teſtem? Et tamen quoniam teſtes Chriſti graviſſimis cruciatibus afficiebantur, factum eſt, ut cruciatum vocemus,* ein Marter/ *& cruciare* martern. *Quid aliud accidit nomini Lutheri piæ memoriæ? Quid Luther ſonet, ſcimus nos Germani, nempe purum. Quoniam verò doctrina illius pro hæreſi proclamata eſt à Papiſtis, annon fieri videmus, ut Lutheranum eſſe idem ſit adverſariis, quod eſſe hæreticum: tã etſi ipſa vox non ſignificet hæreticum, ſed purum? Imò Euangelicum eſſe, quid minus eſt, quàm hæreticum eſſe? At hodie Papiſtis nihil ſonat aliud Euangelicum eſſe, quàm eſſe hæreticum: propterea quod pro hæreticis habentur, qui Euangelio Chriſti credere & obedire malunt, quàm quibuſcunque Antichriſti doctrinis ac ſtatutis. Quid igitur mirum eſt, quod conſimili modo poſt hæreſin Catharorum, omnis generis hæretici Cathari & à Germanis* Käẞer *vocari cœperunt? Quod vocis ſignificationem attinet, utinam cathari,* id eſt *puri ſimus omnes. Nam Chriſtus eos vocat* beatos, qui ſunt cathari, hoc eſt, mundi & puri corde. *Math. 5. ℣. 8. Et ad diſcipulos ſuos dicit. Joh. 15. 3.* Jam vos cathari, i. puri eſtis propter ſermonem meum, quem locutus ſum vobis. *Pſeudocatharos, Pſeudoeuangelicos, & falsò Lutheranos nemo piorum probat veros autem nemo, niſi vel veritatis ignarus, vel impensè malus, damnat.*

Lutherquid ſignificet.

Euangelicus cur ſit Papiſtis hæreticus.

Adhuc dicet quiſquam, unde eſt igitur, quod eos quoque Käẞer *vocamus, qui vel beſtiis miſcentur, vel aliàs contra naturam libidinantur? Reſpondeo:* Uſitatum *hoc eſt, ut hæretici flagitii alicujus infamia abominabiles reddantur, id quod & primis accidit Chriſtianis, quos Ethnici turpiſſimorum ſcelerum inſimulabant. Et hiſce quidem accidebat hoc præter meritum: illis verò non ita ſemper abſque cauſſa. Nam plerumque turpiſſima ſcelera hæreſibus cohærent. Et Hieronymus alicubi dicit, hæreticos rarò eſſe caſtos.* Uſu *venit hoc & Catharis, idq; juſto judicio Dei: unde factum eſt, ut enormia ejuſmodi flagitia patrantes vocarentur Cathari, & apud nos* Käẞer. *Sic mihi videtur, citra tamen aliorum præjudicium.*

Unde ſit, quod Käẞer *vocantur, qui contra naturam libidinantur.*

His iterùm demonſtratur, vocem Germanicam Käẞer nec pro hæretico acceptam, nec pro ſcelere abominandæ conſuetudinis cum beſtiis, aut aliàs libidinis contra naturam perpetratæ ſumptam, congruè poſſe & debere Euangelicis accommodari. Nam ut in doctrinâ & religione, ſic moribus & ſtudiis vitæ, diſciplinâque publica atque privata oſtendunt, comprobãt, & evincunt, ſeſe à culpa teterrimorum illorum ſcelerum eſſe planè immunes, non autem niſi ob fugam veratum hæreſium & omnis generis flagitiorum, receptumque ipſius Chriſti Euange-

Digitized by Google

lium Käger & hæreticos vocari atque haberi. Neque eſt, cur ea tanquam domeſticum teſtimonium de ſeipſis & nobis ipſis rejiciantur. Etenim fidem illis facit ipſum divinum teſtimonium à tantis viris productum. Deinde, hîc non reſpicienda eſt iſtorum perſona, ſed veritas cui conſona dicũt, ut firmis rationibus è ſacra Scriptura, ex antiquorum & ſanctorum Scriptorum conſenſu & auctoritate, ac è natura rei controverſæ petitis, nitantur. Allatrare etiam quidem quiſpiam Adverſariorum ea poterit, neutiquam verò confutare. Quàm autem congruè hæreſis Catharorum Papiſtis potiùs tribuatur, & aptè illis conveniat, infrà lib. 2. Cap. 8. demonſtrabitur. Unde Papiſtæ habent domi quod curent, & à crimine der Kägerey ac nomine Käger inter ſuos repurgent, non in alienis temerè carpant, quod probare nequeant.

CAP. IV.

Plerumque nudis tantùm verbis & clamoribus Euangelicos à Papiſtis hæreſeos accuſari, & hæreticos dici. Ac quàm frivolæ & vanæ etiam Pontificiorum rationes atque probationes ſint.

Levitas Papiſtarũ in accuſatione hæreſeos & appellatione hæretici.

ETſi autem Pontificii voces hæreſeos & hæretici malè intelligant atque interpretentur, & iniquè ac falſò in Euangelicos detorqueant: nihilominus tamen non deſinunt, nec feriantur in omni ferè ſermone, concione, ſcripto, congreſſu, ludo, ſpectaculo, atque adeò omni propemodum actione eaſdem in Euangelicos detonare & fulminare. Minimè autem argumentis & probationibus juſtis, quemadmodum par eſſet, ſed ut plurimum nudis tantummodò verbis & clamoribus, aut fallacibus ac captioſis verborum orationiſque lenociniis vel ſcommatibus, dicteriis, cavillis, maledictis, convitiis, calumniiſque rem agere ſat habent. Et ſi ratio quandoque tam à literatis & in aliquo auctoritatis gradu conſtitutis, quàm à ſellulariis, mulierculis, infimæque plebis hominibus, cur ita vocabulum hæreſeos ac hæretici in Euangelicos effutiant, quæratur, nullam certam & firmam reddere poſſunt. At ſaltem communem hæreſeos & hæretici deſcriptionem, de qua infrà dicemus, ſe ſequi occinunt.

Accuſatio probationem poſtulat.

Atqui vel in civilibus rebus talis accuſatio non ſtatim admittenda, aut perpetuò diſſimulanda ac toleranda, ſed accuratè inquirenda & probanda cenſetur, utrum jure an injuriâ fiat? Ratio eſt, quod non ſatis eſt accuſare, ſed ſimul probare. Si enim accuſare ſufficeret, nemo inſons eſſet. Multò magis id valere debet, in graviſſima & ſanctiſſima religionis Chriſtianæ cauſſa, ad quam hæreſis pertinet. Nam quũ Pontificiis ſit in more & conſuetudine poſitum, Euangelicos aſſiduè hæreticos dicere, non ſatis eſſe poteſt id ad cauſſæ firmamentum & victoriam. Etenim non omnes protinus hæretici ſunt, qui hæretici dicuntur, ſed qui hæretici eſſe comprobantur & convincũtur. Aliud enim eſt dicere, aliud probare & convincere. Si enim illi continuò hæretici eſſent, qui hæretici dicũtur, omnes ſimul eſſent, & nulli uſpiã darentur orthodoxi & catholici Chriſtiani

Digitized by Google

ſtiani, quia ſemper aliqui exſurgerent, qui titulos hos ſibi arrogando, aliis quantum in ſe derogarent.

Rationes & probationes Papiſtarum frivolæ in accuſandis Euangelicis hæreſeos.

Nec eſt, quod Pontificii objiciant, ſe rationes, argumenta, probationes, demonſtrationesque ad Nos convincendos hæreſeos, ac jure vocandos hæreticos, tum in omni refutatione noſtræ, tum explicatione & cõfirmatione ſuæ doctrinæ ac fidei adferre. Quod jactare legimus Nicolaũ Hardingum contra Apologiam Eccleſiæ Anglicanæ, quam ſibi refutandam ſumpſit. Ibi enim cap. 8. diviſ. 1. fol. 56. & 57. Apologia Anglicana pro Euangelicis objicit Papiſtis: *Quantò crimen hæreſeos gravius eſt & atrocius, tantò argumentis majoribus & clarioribus probari debuit, hoc præſertim tempore, poſtquam homines cœperunt minùs iſtorum oraculis habere fidei, & in illorum doctrinam diligentiùs inquirere, quàm ſolebant. Aliter enim nunc inſtitutus eſt populus Dei atque olim fuit, quum omnia Pontificum Romanorum dictata haberentur pro Euangelio, & omnis religio ab illorum tantùm auctoritate penderet. Extant hodie ſacræ literæ, extãt ſcripta Apoſtolorum & Prophetarum, ex quibus & omnis veritas, & doctrina Catholica probari poſſit, & omnis hæreſis refutari.*

Reſpondet ad ea Hardingus nomine Pontificiorum: *Quod hæreſim veſtram, quandoquidem crimen tam atrox ſit, claris & firmis argumentis probari poſtulatis, quàm abundè, quamq; nervosè cùm noſtræ ætatis, tum ſuperiorum temporum eximiæ eruditionis viri iſtud præſtiterint, ignotum non eſt. Annon Berengarium, Sacramentariorum hæreſis veſtræ primum auctorem, clariſſimis & firmiſſimis argumentis Lanfrancus Cantuarienſis Epiſcopus & Guimundus Epiſcopus Averſanus confutarunt? Annon Peterbruſianos, quorum vos adverſus ſacroſanctum miſſæ ſacrificium hæreſim retinetis, eruditè ille Abbas Cluniacenſis? Annon Wiclefum, Thomas Waldenus Anglus vir doctus? Annon Lutherum, item & Oecolampadium noſtris temporibus ſanctus ille & eruditus pater Fiſcherus Epiſcopus? Quid de ſingulis loquar, excellentiſſimis licet, qui hæreſes veſtras refutarint, quum publicâ Eccleſiæ ſententiâ tam in œcumenicis quàm provincialibus Conciliis ſint condemnata? Quamobrem doctrinam veſtram tam locupleti & idoneo more jam condemnatam hæreſeos, nunc denuò convincere non arbitramur eſſe neceſſe. Aliter nunc inſtitutum eſſe populum atque olim fuit, fatemur. Utrum verò meliùs jam, quàm ſub majoribus noſtris, facilè dijudicet, qui vitas eorum, qui nunc ſunt, & qui antè fuerunt, omnino ſecum reputet, &c.*

Victoria Euangelicorum contra Papiſtas vera & ſolida.

Viciſſim verò Nos ad hæc Pontificiis reſpondemus. *Primò*, Lanfrancus, Guimundus, Abbas Cluniacenſis, Thomas Waldenſis, Johannes Fiſcherus, & ejuſmodi notæ alii Doctores Pontificii, adoleſcẽtiores aliquanto ſunt, quàm eſſe oportebat; quippe omnes quingentis his proximis annis nati, & Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Chryſoſtomi, aliorumque antiquorum & eruditorum Patrum, atque Eccleſiæ Doctorum longè diſſimiles. Nec idonea ulla cauſſa eſt, quamobrem Berengarius, Johannes Wiclephus, Johannes Huſſus, Doctor Lutherus, Zuinglius, Oecolampadius, aliique, vel literis, vel veritate, vel judicio in ſacra Scriptura, vel antiquitate denique non poſſint cum illis rectè & tutò comparari. De illis ſaltem id nos dicere poſſe ſpero, quod de ætatis ſuæ

Doctoribus

Digitized by Google

Ad Fortunatianum Epiſt. 3.

Doctoribus & Patribus olim Auguſtinus: *Neq; quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut ſcripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalva honorificentia, quæ illis debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare, aut reſpuere, ſi fortè invenerimus, quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet.*

Deinde, Berengarium, Wiclephum, Peterbruſianos, Lutherum, Zuinglium, Oecolampadium, & ſimiles, quorum doctrinam hodie Euangelicos amplexos & tamen refutatos dicunt Papiſtæ, victoriam potiùs obtinuiſſe contra Lanfrancum, Guimundum, Cluniacenſem, Waldum, Fiſcherum, & ſimiles, pleniſſimè ex Tomo primo Rodol. Hospiniani Tigurini de Sacramentaria hiſtoria diſcitur. Et nos præſentis Tractatus Tomo 1. lib. 1. idem paucis demonſtramus.

Tertiò, non ſolùm legenda ſunt Pontificiorum Apologiæ & ſcripta pro ſe ſuaq; doctrina contra Euangelicos & horum doctrinam, verumetiam Euangelicorum noſtrorum pro nobis & noſtra doctrina in lucem edita. Nec tantùm paucorum ab ambabus partibus libri evolvendi ſunt, verùm omnium & ſingulorum. Quod ſi fiat, & ſi ratio cum ratione certet, Pontificios potiùs ſuperatos eſſe, Euangelicos ac Noſtros & Nos ſuperare illos veritate eluceſcet, & deprehendetur.

Stromat. lib. 7.

Quod dicit Clemens Alexandrinus: *Hæreticos licet cum magna verborum pompa ſe inferant, dogmata tamen ſua craſſè explicare:* hoc in Papiſtarum Doctoribus, Hæreſeos Papalium propugnatorib. verum eſſe experimur. Nam quamvis in omni parte doctrinæ Chriſtianæ magnificè non tam ſplendido verborum ornatu, quàm ſententiarum, teſtimoniorum, argumentorumque robore ſpecioſo & ad dicendum & ſcribendum progrediantur, plurimáque polliceantur in ſe tuta, orthodoxa & catholica, in Euangelicis autem adverſa, erronea & hæretica: tamen craſsè & confusè omnia proferunt & exponunt. Exempli gratiâ, ubi diſputant de Eccleſia, quantũvis variæ ſint vocabuli hujus *Eccleſiæ* acceptiones ſeu ſignificationes, & ipſius rei partes: nihil tamẽ diſtinguũt, nec obſcura explicant, ſed hoc unum agunt, ut pro verâ Eccleſiâ ſeu Pontificem Romanum cum ſuo ſatellitio, ſeu Eccleſiam Romanam inſinuent. Qu'n objecta ante hominum mentes caligine veram Eccleſiam occultent, & Babylonicam meretricem ſuis lenociniis exornatam pro caſtâ Chriſti ſponſa hominibus imperitis venditent & obtrudant. Adhæc hominũm reproborum partes impudenter agunt, eoſque per cavillatiunculas varias in Eccleſiæ ſacrarium inducere conantur. Eos etiam non tantùm partes & membra eſſe dicunt, ſed nonnunquam capita Eccleſiæ Catholicæ. Idẽ faciunt in cæteris articulis & doctrinæ partibus.

Inde craſſiſſimè & confuſiſſimè in noſtris vel explicandis vel confutandis volutantur. Confutatio enim noſtræ doctrinæ, eſt mera G gãtomachia.

Nam quantis & qualibuſcunq; unquam & uſquam Pontificii doctrinam noſtrã cõfutare auſi & conati ſint virib. quia ea eſt Euãgelica & ſacræ Scripturæ

Digitized by Google

ræ conſentanea, ideò veritas eſt, quæ una eademque ſemper nunquam redargui, nunquam deſtrui, nunquam opprimi, nunquam denique hæreſeos convinci potuit & poteſt. Quin quantò acriùs & infeſtiùs oppugnatur, tantò altiùs radices agit, magis effloreſcit, firmiùs conſtabilitur, latiùs diffunditur. Hinc opponendo ſeſuis Euangelicæ noſtræ doctrinæ refutationibus & oppugnationibus, ei Pontificii quantumvis excellentiſſimi, exercitatiſſimi, inſtructiſſimi, doctiſſimi, nihil unquam obfuerunt. Verùm potiùs apud homines prudentes atq; attentos, déq; fide ac religione verè ſollicitos, & hâc non hominum placitis aut ſuo arbitrio ſed ſacrarum literarum Veteris ac Novi Teſtamenti libris comprehenſarum perfectione, perſpicuitate & auctoritate metientes, nihil niſi ſummam ſuæ cauſſæ Pontificiæ inopiam, infirmitatem, pravitatem ac deſperationem, noſtræ autem Euangelicæ cauſſæ veritatem, firmitatem, bonitatem & felicitatem in lucem produxerunt. Adhæc omni & animi & virium contentione, poſthabitisq; cunctis periculis & fortunarum ac corporum diſcriminibus, amendam, exoſculandam, amplectẽdam, colendam, Pontificiæque anteferendam probarunt. Nec conatu & ſtudio ſuo noſtram redarguendi atque oppugnandi ſuam adjuverunt, ſed potiùs majorem in modum læſerunt atque afflixerunt. Quid ni enim, quũ plus traditionum præſcriptionibus, quàm S. Scripturæ probationibus atque rationibus inſiſtant? In argumentis, rationib. & probationibus & demonſtrationibus ſuis contra noſtrã invectis, ſuam tantummodò veræ Theologiæ inſcitiam & penuriam, ſui cordis figmenta, ſui cerebri ſomnia, ſuas ineptias, nugas, tricas, abſurditates, inſulſasque detorſiones Scripturæ ſacræ veterumque Patrum in ſenſus alienos manifeſtent? Suas fallacias, paralogiſmos, ſophiſmata, gryphos inſidioſos & captioſos, aliaque ſua deliramenta tantùm oſtentent & prodant? Præterea quæ ſexcenties à noſtris diluta, ſolideque confutata & profligata ſunt, ea ad nauſeam uſque repetunt, atque ita nihil niſi veteres ſuos coccyſmos raucos occinũt, ac crambem millies recoctam ad ſuam ipſorum confuſionem reponunt. Nullum eſt religionis dogma, nulla doctrinæ pars, de qua non in contrarias partes diſputent, ac ſecũ ipſi pugnẽt. Unus figit, alter refigit. Quare antilogias & cõtradictiones mutuas docendo ac ſcribendo, contraria ac diſſidentia decernendo, unus alterum confundit & unus alterius ſententiam atque decreta enervat & ſubvertit. Et ſi vel ſacram ſuam anchoram ſolvunt, atque ad extremum præſidium ſuum confugiunt, quas præmiſſas controverſas eſſe ſciunt, eas deſtituti idoneis & ſolidis rationibus magno ſilentio prætereunt. Quas verò ut extra controverſiam poſitas concedimus, eas innumeris immenſiſque allegationibus confirmant & efformant. Copias ſuas validiſſimas ſic diſponunt, collocant & communiunt, ut in dextro quidem cornu Scripturarum auctoritates inſtruant, ſed detortas & depravatas. Explicationes verò & confirmationes ſuæ doctrinæ ſi quã in parte rectè proponunt & probant

Digitized by Google

bant, id non ipſis tribuendum, ſed tũ vi veritatis in S. Scriptura ſeſe exſerentis, tum orthodoxis noſtrorum ſcriptis acceptum ferendum eſt, à quibus illi orthodoxas ſententias & interpretationes decerpunt. Probat hoc THOMAS MORTONUS in Apologiis ſuis Catholicis, quibus ipſa Pontificiorum Doctorum verba & loca Euangelicæ noſtræ doctrinæ conſentientia recenſet. Plerumque autem Scripturas ſacras rectâ troporum & figurarum cognitione atque legitimo uſu omiſſo vel ſublato, novis additionibus corrũpunt, aut perverſis interpretationibus & verſionibus adulterant, aut ab oculis fidelium interdicendo earum lectione & meditatione eripiunt, aut ſophiſmatibus & ſtrophis bonarum rationum ac ſolidorum argumentorum loco depravant. In ſiniſtro cornu Patrum malè intellecta teſtimonia locãt, ut tamen contra ipſos potiùs, pro nobis autem Euangelicis faciant. In mediam aciem ponunt turbam inutilem decretalium Pontificiarum, Scholaſticorum, Sententiariorum, Monachorum & ſimilium, quos catervatim cõſtipant. Poſt aciem & manum armatam congregant mendacia tam contra ſuoſmet, quàm alios bonos, ac fabulas, quæ tanquam in inſidiis aſpera & confragoſa molliant, infirma fulciant, languentia refocillent. Ac quamvis in ſuis ritibus, inſtitutis & dogmatibus ſuffulciendis toti occupentur, ac ita etiam ea verborum ornamentis & orationis coloribus illuſtrent, ut ſolidum veritatis fundamentum & verum fidei lumen habere videantur: tamen ita ruinoſa, putrida, fuliginoſa, deformia, inquinata ſunt, ut per ſe abſque detergente & concutiente collabantur, & à ſui aſpectu uſque omnes pios ac cordatos qui veritatis & ſuæ ſalutis rationem habent, abhorrere faciant. Iſtis deniq; omnibus contendunt & collimant, quàm maximè ſaltem eò, ut Pontificis Romani, non Chriſti rem agant & promoveant, illumque velut meretricem Apocalypticam omnibus amandum, complexandum, exoſculandum, evehendum, tuendum, propugnandum, licet cœlum terræ propterea miſceretur, & ruinam pateretur, proſtituant. Atque ita unâ eademque operâ ſuis admirationem, indoctis ſtuporem, nobis riſum concitant. Efficiunt denique, ut univerſum rationum ac probationum ſuarum genus, quo accuſationem hæreſeos in Euangelicos acuunt, non modò ridiculum & injuſtum, ſed etiam futile atque inane ſit, nec proficiat hilum. Aut nonniſi apud ſuperſtitioſiores & rudiores omnium ordinum ac nationũ homines, vel præfractos, profligatos & deploratos Pontificios, non omninò inaniter aquam conſumant, & oleum operamque perdant.

CAP. V.

Quomodo Pontificii veterum dicta de hæreſeos & hæretici atrocitate colligendo, & tragicè exaggerando, doctrinam Euangelicam ſuſpectam reddere, & Euangelicos in contemptum, odium atque invidiam adducere conentur.

DEſtitutos rationibus & probationibus Pontificios decebat quieſcere

cere, & tam ſuæ quàm Euangelicorũ tranquillitati atque exiſtimationi conſulere. Sed neque terræmotus metuẽtes, ut ajunt, neque fluctus, & igni ferróque minitantes, prorſum Euangelicos immerentes & inſontes teterrimi ſceleris hæreſeos inſimulare, ac odio ſuo Vatiniano in illos atque Euangelium Chriſti purum ſatis facere antiquius & potius ducunt, quàm veritati & paci locum dare. Itaque dum malæ, putidæ, imbecillæ atque inanes ipſorum rationes & probationes nihil ponderis ad convincendos Euangelicos hæreſeos habere poſſunt, ea via actionis adverſus eos cœptæ curſum perſequi connituntur, ut brevia & longa dicta, anguſta ac lata loca tam S. Scripturæ, quàm veterum Scriptorum & Patrum corradant, atque in Euangelicos jaculentur, in quibus illi ullo modo probri ac contemptus loco hæreſeos & hæreticorum mentionem faciunt. Inprimis in iis congerendis expediti, ſeduli atque acres ſunt, quæ gravitatem, atrocitatem & exitium hæreſeos atque hæretici oſtendunt. Finis autẽ eſt & ſcopus, ut ea ad doctrinam Euangelii atque Euangelicos traducendo, illam ſuſpectam & exoſam reddant, his deſpectum, odium atque invidiam conflent. Ex iis itaque nos pauca ad huic rei fidem faciendam, ejusque indignitatem monſtrandam delibabimus.

Summatim ſuam ſententiam tali ſyllogiſmo indicare & probare volunt.

Ethnicis & Judæis deteriores cẽſentur Euangelici à Papiſtis.

Omnis hæreſis eſt Judaiſmus & Ethniciſmus, imò illo deterior, ac unuſquiſque hæreticus verè Judæus & Ethnicus, quin Judæo & Ethnico deterior.

Doctrina Lutheri, Zuinglii & Calvini eſt hæreſis, & ſectatores ejus, qui vocantur Proteſtantes & Lutherani, item Zuingliani & Calviniani ſunt hæretici.

Ergo doctrina Lutheri, Zuinglii & Calvini eſt Judaiſmus & Ethniciſmus, imò hoc deterior, & unuſquiſque Lutheranus, Zuinglianus ac Calviniſta verè Judæus & Ethnicus, imò Judæo & Ethnico deterior.

Majorem probant inductione ſeu enumeratione veterum dictorum miſeram hæreticorum conditionẽ & deteſtandam atrocitatem referentium. Primò, ex ſacris Scripturis. Ut Math. 18. ℣. 17. *ubi Chriſtus non obtemperantem Eccleſia pro Ethnico & publicano haberi jubet.* Et Gal. 5. ℣. 20. ubi Paulus *hæreſin inter carnis opera hominem damnantia recenſet.* Ac Tit. 3. ℣. 10. ubi *hæreticum ſubverſum eſſe & peccare, ac proinde devitari debere docet.*

In judicio de Proteſt. & Calviniſtis ἀνωνύμως Ingolſtadii Anno 1601. edito in præfat.

Deinde, converſi ad vetuſtiſſimæ Eccleſiæ Doctores ac Patres, citãt è TERTULLIANO de præſcript. Hæreticorum: *Si hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt.* Ex Hieronymo initio Dialogi contra Luciferianos: *De hæretico tanquam de Gentili loquendum.* Ex Cypriano de unitate Eccleſiæ: *Hæreticus ſic ſe Chriſtianum profitetur, quomodo & Chriſtum Diabolus ſæpè mentitur. Sicut autẽ ille Chriſtus non eſt, licet fallat in nomine Chriſti: ita nec hic Chriſtianus eſt.* Ex Socrate, [a] qui *Aërium*, & è Athanaſio, [b] qui *Arium*, & rurſus ex Hieronymo, qui epiſt. ad Pãmachium *Eunomium* olim *Atheos* dictos ſcribant. Porrò hæreſin eſſe etiam Paganiſmo & Judaiſmo nequiorem, & hæreticos Paganis ac Diabolis quoque

a. lib. 2. cap. 18.
b. Serm. 2. contra Arianos.

Digitized by Google

& Judæis pejores probant ex Chryſoſtomo cōtra Arium. Nam eum de quovis Ariano, ergo & de quolibet hæretico judicare; *Arianus eſt, ergo Diabolus eſt.* Ex S. Lucifero Sardiniæ Archiepiſcopo, qui lib. 1. pro S. Athanaſio pag. 65. non ſolùm univerſaliter probet, *Arianos non poſſe dici Chriſtianos, quia ſunt Ariani*, verumetiam nominatim Imperatorem Conſtantinum affatus: Lib. 2. pag. 149. & lib. de non communicādo cum hæreticis, pag. 192. *Tu*, inquit, *quum negas Dei filium, Gentilis aut Judæus nobis es, teq́ cum tuis Arianis, quales & Ethnicos judicamus cultores omnium dæmonum, & abominamur*, *quomodo* Judæos, *qui ſunt ſine Deo, ex quo unicum negaverunt Filium Dei.* Rurſus ex Athanaſio, qui in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, *hæreticos nec Ethnicorum nomine*, qui certam & conſtantem religionem tenuerint, *dignatur. Tantum*, inquit, *abeſt, ut eos Chriſtianos appellare velim.* Ex Ambroſio, qui de Fide lib. 3. cap. 3. diſertè dicat: *Hæreticos deteſtabiliores ipſis Judæis eſſe, qui carnem Chriſti crucifixerunt.* Item è legibus Imperatoriis, Cod. l. 1. tit. 5. §. quoniam, & tit. 7. ubi *hæretici magis quàm Judæi ac Pagani infames & deteſtabiliores, ac propterea impuriores decernantur.* Denique è Chryſoſtomo, qui: *Spiritus immundus*, inquit, *ejicitur è Gentilibus, quū fiunt Chriſtiani: ſed redit, quum ex Chriſtianis fiunt hæretici. Et tum noviſſima eorum pejora ſunt prioribus. Nam hæreticos Gentilibus eſſe pejores, nemo dubitat. Gentiles enim per ignorantiam Deum blaſphemant, hæretici autem ſcientes laniant veritatem.* Nec non alia ejuſmodi dicta ex antiquorum Doctorum ſcriptis coacervata, hodierno ſtatui hæreſeos atque hæreticorum applicant, ut eum amplificent, & ſatis atrocem, gravem, execrādum, inviſumque reddant.

In Math. 5. cap. 12. hom. 13.

Minorem ſic aſſumunt: *Et hæc quidem de omni hæreſi generaliter dicuntur, & de ſingulis ſunt veriſſima. Cæterùm hujus hæreſis, quæ tempeſtate noſtra auctoribus Luthero & Zuinglio percrebuit, quæque poſtea à Calvino & ſimilibus hæreſiarchis aucta eſt, peculiaris eſt ratio, plurimaq́ ſuppetunt propria cauſſa, cur ea & antiquis hæreſibus & quovis genere Paganiſmi longè haberi debeat fœdior & inquinatior. Ex quibus ego perpaucas & eas valdè perſpicuas attingam.* Nam hujus, & in totum minoris propoſitionis probationem, in ſubſequentia propoſiti ſui Tractatus, quem inſcribit Judicium de Proteſtantibus & Lutheranis, item Zuinglianis & Calviniſtis, &c. capita reſervat.

Ibidem ſub calcem præfationis.

Nos verò reſpondemus, iſtud argumentum laborare plurimis & maximis vitiis, ut nihil turpiùs & falſiùs dici cogitarìve poſſit. Sed præcipua tantùm exponemus. *Primum* latet in propoſitione Majore, ubi hæreſis & hæreticus deſcribuntur tantùm à comparatis, ac nempe Paganiſmo vel Ethniciſmo, & Judaiſmo illa, hic Judæis, Ethnicis & aliis à fide Chriſti alienis cōfertur. Non autem à definitione & cauſſis, uti par erat, quæ rem ipſam ſuis partibus rectè & integrè explanent atque probent, demonſtrantur. Comparata autem non tam probant, ut illuſtrant rem. Nec ſcitur, quid ſit hæreſis, quid & quis hæreticus, etſi illam Paganiſmo vel Ethniciſmo & Judaiſmo, hunc Ethnico & Judæo ſimilem eſſe dicitur. Adhæc comparata nihil probant, niſi altera pars alteri ſaltem in potio-

Digitized by Google

potioribus ſimilis ſit. Hîc autem eſt diſſimilitudo maxima, quandoquidem quę illa dicta atque loca antiquorum dicunt de hæreticis antiquis, verè in his locum habuerunt, quia verè hæretici fuerunt, in Euangelicis autem hodie minimè locum habent, quia minimè hæretici ſunt, nec convincuntur eſſe. Ergo *ſecundò* etiam eſt fallacia à non conſequente. Nam quum dicant adverſarii. Omnes hæretici ſunt Ethnici & Judæi, imò his nequiores. Ergò Euangelici hodie, qui Proteſtantes & Lutherani, item Zuingliani & Calviniſtæ vocantur, ſunt hæretici & etiam Judæis atque Ethnicis nequiores, negatur ſequi. Quum enim Ethnicorum, Judæorum, Hęreticorumque antiquorum, & hodiernorum Euangelicorum reformatæ religionis ſit diverſa diſſimiliſque doctrina ac religio, nequaquam ſunt pares & ſimiles cenſendi ac proclamandi, neque ullo modo conſequitur eſſe ſimiles & pares. *Tertiò*, ſumunt Adverſarii in minore ſeu aſſumptione pro confeſſo & probato, Lutheraniſmum, Zuinglianiſmũ & Calviniſmum eſſe hæreſin, ac Euangelicos, quos appellant Lutheranos, Zuinglianos & Calviniſtas eſſe hæreticos, quæ tamen in controverſia adhuc verſatur, & de quo adhuc quæritur ac diſceptatur, quódque nõdum probarunt, neque unquam probare poterũt. Similiter & concluſio jam pro demonſtrata & probata accipitur, quæ tamen adhuc eſt controverſa, & adhuc demõſtranda atque probanda.

Ibidem ſub calcem præfationis.

In Tract. de ſimplicitate prælatorũ. Sed è beatiſſimi quoque Martyris Cypriani libris Adverſarii hæc de infelici atque exitioſo hæreticorum ſtatu proferunt. *Chriſti adventu*, inquit ille, *detectus proſtratus inimicus (poſtquam lux Gentium venit, & ſoſpitandis hominibus ſalutare lumen effulſit, ut ſurdi auditum ſpiritalis gratiæ admitterent, aperirent ad Deum oculos ſuos cæci, infirmi æternâ ſanitate revaleſcerent, claudi ad Eccleſiam currerent, muti claris vocibus & precibus orarent) videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitavit novam fraudem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos,* HÆRESES *invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem. Quos detinere non poteſt in via veteris cæcitate, circumſcribit & decipit novi itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſiâ homines, & dum ſibi appropinquaſſe jam lumini, atque evaſiſſe jam ſeculi noctem videntur, aliis neſcientibus tenebras rurſus infundit, ut cum Euangelio Chriſti, & cum obſervatione ejus & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment, blandiente adverſario atque fallente, qui ſecundùm Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut Angelũ lucis & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros juſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, ut dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.*

Hinc inferunt ex eodem Patre adhortationem, quâ is ſub finem monet. *Ut nulla cum Hæreticis commercia copulentur, nulla convivia vel colloquia miſceantur, ſimúſque ab eis tam ſeparati, quàm ſunt illi de Eccleſiâ profugi, quia ſcriptum eſt: Si autem & Eccleſiam contempſerit, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus.* *Lib. 1 Epiſt. 3. ad Cornelium.* *Math. 18. 17.*

 Iſto

Digitized by Google

Iſto verò ſic contra Euangelicos argumentantur.

Omnes hæretici ſub titulo Chriſtianitatis fallunt, pernitioſa ſtudia exercent, religionem evertunt, ac propterea non ſunt à fidelibus fovendi & audiendi, ſed fugiendi ac deteſtandi.

At Euangelici, qui Proteſtantes, Lutherani, Zuingliani & Calviniſtæ vocantur, ſunt Hæretici.

Ergo Euangelici, qui Proteſtantes, Lutherani, Zuingliani & Calviniſtæ vocantur, ſub Chriſtianitatis titulo fallunt, pernitioſa ſtudia exercent, religionem evertunt, ac proinde non ſunt à fidelibus fovendi & audiendi, ſed fugiendi ac deteſtandi.

Ubi Majorē quidem propoſitionē nemo negat & impugnat. Sed in Minore rurſus ab Adverſariis committitur Petitio principii; quia ſumunt id, quod ab initio & in quæſtione probandum atque demonſtrandum, ſeu convincendum erat. Quod tam poterit ab illis fieri, quàm ſi nivem eſſe atram, terram cœlum, cœlum terram, aut infernum, aquámque ſiccam eſſe quis demonſtraverit & probaverit.

Dico igitur liberè & apertè, Papiſtas niſi omnem & Dei religionem & erga homines reverentiam penitus abjeciſſent, ſuæ conſcientiæ naufragium feciſſent, atque ipſam pene humanitatem & pietatem exuiſſent, nunquam tantum confidentiæ, tantúmque ſpiritus ſibi ſumſiſſe, ac tantū ſceleris admiſiſſe, ut vetuſta illa dicta Scripturæ ac Patrum ad nos transferrent, ex iiſque illud & hoc in nos argumentum torquerēt, tales in nos voces evomerēt, nósque execrādæ hæreſeos ullo modo accuſare, deteſtādos hæreticos ullâ ratione dicere adniterenter. Præſertim quum ad accuſandū & traducendum nos ejus criminis tam ſint proclives ac fœcundi, ad probandum verò tardi, languentes, ſicci, jejuni & ſteriles. Etſi enim iſtæ & aliæ hujuſmodi rationes atque concluſiones veritatem imitentur & ſimulent, ut non ſolùm rudes & tardos, ſed doctos etiam atque ingenioſos minùs diligenter attentos exercere atque decipere poſſent: tamen ſophiſmata mera & impoſturæ ſunt pietate Chriſtianâ indignæ. Adhæc tantùm à libidine rixandi, puerili ac impio conatu perterrēdi, fallendi & decipiendi incautos, retinendique ſuperſtitioſos in erroribus atque abuſibus Papatus manifeſtis confictæ. Quinimò ad hæreſes ipſius Papatus obvelādas terrifico cum ſtrepitu faſtuoſâ pompâ productæ.

CAP. VI.

Papiſtas anſâ falſæ definitionis hæretici, animum ad procacius Euangelicos hæreſeos inſimulandos & hæreticos vocitandos ſumere: ſed confutari & reprimi.

Nihil igitur penſi habentes Pontificii, nudíſne tantùm clamoribus, & conviciis, an legitimis rationibus & probationibus, ineptíſne & iniquis ſophiſmatibus atque impoſturis, an bonis argumentationibus ac concluſionibus Euangelicos hæreſeos reos agant, & hæreticos appellent, quâ tandem re potiſſimum confiſi & innixi id faciunt?

Summum fundamentum ponunt in

Digitized by Google

in nimis callida & proterva confidentia ac præſumptione abſurdæ falſæque definitionis, ſeu deſcriptionis hæreſeos ac hæretici, quam & ineptè oculos mentesque ſimpliciorum eâ præſtringendo, defendunt. Nam ea merâ Pontificum Romanorum & Decretorum Papalium, horumq; Gloſſatorum ſeu interpretum ſententiâ fabricata, regnũ in Papatu obtinuit. Cœpit hoc jam nonnihil circa Annũ Chriſti 198. quãdo *Victor* Papa Romanus *Eccleſias Orĩtales propterea hæreticas eſſe pronunciavit, quod de feſto die Paſchatis non idem ſentiebant, quod ipſius Eccleſia*, auctore Euſebio lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 26.

Victor Pp. ſemen falſæ definitionis hæretici jecit.

Inde quamvis multi pii & Pontifices & Imperatores & Doctores & alii Chriſtianorum nequaquam idem ſentiebant, ſed acriter reſiſtebant: tandem tamen accidit, ut auctoribus Canoniſtis & Decretiſtis, vulgò Hæreticus in Papatu definiretur & decerneretur, *qui non credit in omnibus, quæ in Eccleſia Romana pro veris tradita ſunt.* Hoc enim Cap. Nulli, Diſt. 19. extat. Ratio ejus redditur, Diſt. 11. ſub finem, & Diſt. 12. Cap. 1. & ſeqq. ubi dicitur: *Ipſa enim Romana Eccleſia tanquam magiſtra ſequenda eſt in omnibus.* Et Diſt. 22. dicitur: *Qui contra eam loquitur, hæreticus reputatur.* Et Papa ipſe decrevit: *Ut qui neget Imperatores, Reges, ac Principes, humanam denique omnem creaturam Romano Pontifici ſubeſſe, Hæreticus haberetur, quoniam hoc credere ſit de neceſſitate ſalutis.* Hoc eſt, unus de fidei articulis. Et hæc eſt communis, trita ac vulgata hodie hæretici apud Pontificios definitio.

Cap. 1. ſub finem Extravag. de majoritate & obedientiâ.

Ex hoc autem tempore, quo longiſſimo poſt Apoſtolorum ætatem intervallo, Pontificii doctores & ipſi Pontifices Romani hanc hæretici definitionem & rationem in orbe Chriſtiano divulgarunt & approbarunt, non emendarunt eam unquam, ſed hodie partim audaciùs confirmant, partim alio fuco pingunt & commendant; Exempli gratiâ, Philippus Bickelius Binſtadienſis, in Examine Apologeticarum Theſium Danielis Toſſani, Theologiæ quondam in Academiâ Heidelbergenſi Profeſſoris, pro Diſputatione Moguntina de Jure Vocationis & miſſionis Miniſtrorum Verbi apud Euangelicos, Moguntiæ Anno 1588. per Caſparum Behem excuſa, dicit. *Propoſitio noſtra hæc eſt. Quicquid ſũmi Pontifices, cõcilia atq; Imperatores pro Hæretico habẽt, & definiũt, hoc hæreticum eſt. Atq; hoc Pontificii omnes concedunt. Hæc ille.* *Demonſt. 2. §. 58.*

At in Catecheſi Auſtriaca, inter prorſus alienos ab Eccleſia ponentes hæreticos: *Hi ſunt*, inquit, *qui quum baptizati ſint, contra Catholicam fidem cum* *Part. 1. § 1.* *pertinacia tuentur errorem.* In Romano *pag. 78.* autẽ Catechiſmo ad nonũ ſymboli Apoſtolici articulũ, ſtatuunt: *Non ut quiſq; primùm in fide peccaverit, hæreticus dicẽdus eſt, ſed qui Eccleſiæ auctoritate neglectâ, impias opiniones pertinaci animo tuetur.*

Ubi priores quidem poſterioribus prorſum contrariæ & ex diametro repugnantes videntur, hæcque illis longè meliores apparent, ſed revera omnes mirabili ſtropha atque impoſturâ unum & idem volunt. Nam ut priores diſertè *Pontifices, Eccleſiam Romanam Concilia & Imperatores* nominant: ſic poſteriorum una ſub *Catholica fide* intelligit ea, quæ Pontifices, Eccleſia Roma-

Digitized by Google

Romana,cōcilia & Imperatores Pontificum Romanorum jurati, in Romana Eccleſia pro veris & orthodoxis etiam præter, extra & contra ſacram Scripturam tradunt, & credenda obtrudunt. Altera ſub nomine *Eccleſia,ejúſque auctoritate*, intelligit Romanum Pontificem cum Imperatore & Conciliis,ad ejus nutum comparatis atque juramento obſtrictis, Eccleſiamque Romanam? Qualem? Quam catervam Pontificis Romani,& ejus Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Abbatum, Monachorum,Sacrificorum, Canoniſtarum, Scholaſticorum denique omnium Romanum Pontificem pro capite ſuo viſibili & Chriſti in terris vicario habentium, imò etiam reproborum, ſceleſtorum, impiorum,hæreticorum & ſchiſmaticorum eſſe contendunt: quemadmodum ex definitionibus ipſorum tam fidei Catholicæ, quàm Eccleſiæ, illarūque interpretationibus liquet.

Driedo de Eccl. dog. lib.4.cap.2. Bellarm. de Eccleſ. milit.c.2. & 12. Thom. Wald. Tom.1.lib. 2.cap.9.

Hinc non mirum eos præ ſe omnes alios, præſertim Euangelicos, etiam abſque omni ratione & probatione ſineque juſta argumentatione ac concluſione, nudis tantummodò verbis ac calumniis, & meris ſophiſmatibus atque impoſturis, hæreticis annumerare. Nam hi ſacras literas amplexi,in univerſum ab illorum doctrina ac fide diſſentiunt,nec quicquam quod Papa Romanus & Romana Eccleſia extra, præter & contra Scripturam ſacram definit,proque veris tradit,recipiunt, neque ullo modo ſalvâ conſcientiâ recipere poſſunt.

At ſic non ſolùm Euāgelici hodierni, ſed etiam innumeri alii fideles, imò ipſe Chriſtus,Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, omneſque, qui nunc in cœlis cum Chriſto trimphant,iſtis Pōtificiorum definitionibus hæretici definirentur & redderentur. Quî ſic? Quum nec Pontifici Romano obedierint,nec quæ Pontifex Romanus & Eccleſia Romana tradit,pro veris habuerint,& ſequuti ſint,ſed potiùs redarguerint & prohibuerint. Imò apertiùs conſtanter dico, pronuntio, conteſtor, ſi iſtæ Papiſtarum definitiones recipiendæ eſſent, quid Chriſto fieret? quid Prophetis? quid Apoſtolis? quid S.Martyribus? quid primæ ac purioris Eccleſiæ Doctoribus & ſectatoribus? qui neque ſciverunt, neq; approbarunt & approbare potuerunt, ſed evidenter,palàm,ingenuè,ſummáque cum libertate dicendi ac ſcribendi mala,perverſa,pernitioſa, Antichriſtiana eſſe prædixerunt, ac fugienda deteſtandaque pronunciarunt,quæcunque Pontifices Romani & eorum aſſeclæ ſequentibus temporibus Eccleſiæ à Scripturis aliena pro veris obtruſuri eſſent,& obtruſerunt?

Math.24. 2.Theſſ.2. 2.Tim.3.& in Apocal. paſſim.

Quin etſi Pontificiis ſuæ illæ hæretici definitiones concederentur, tamen nihil ponderis obtinere poſſent, quandoquidem ad Chriſtum,Apoſtolos,primitivæque Eccleſiæ Doctores atque fideles vel negante vel affirmante argumento relatæ,nihil eorum cauſſam juvant,ſed vehementiſſimè potius lædunt & jugulant. Aut enim tale ex iis conficitur argumentum negativum.

1. Negativè non valet definitio Papiſtica.

Quicunque omnibus credunt,quæ Eccleſia Romana pro veris tradit, non ſunt hæretici.

Doctores

Chriſtus, Apoſtoli & primitivæ Eccleſiæ Doctores atque fideles crediderunt omnibus, quæ Eccleſia Romana pro veris tradit.

Igitur Chriſtus, Apoſtoli & primitivæ Eccleſiæ Doctores atque fideles non ſunt hæretici.

Verùm hac ratione Pontificii maximopere & ſibiipſis imponunt, & alios in erroris præcipitium deducunt. Nam quoad propoſitionem hujus argumenti, ne veræ Catholicæ quidem Eccleſiæ, nedum ulli particulari, qualis Romana eſt, hoc jus divinitus datum eſt, ut credendum & amplectendum ſit, quicquid ipſa ex ſe & per ſe pro vero tradit & obſervat, ſed quæ doctrinæ Chriſti & Spiritus ſancti in Scripturis divinis Veteris ac Novi Teſtamenti conſentanea docet. Deut. 4. 2. Joſ. 22. 5. Prov. 30, 5. Iſa. 8. 20. Pſal. 119. Math. 28 20. Joh. 10. 4 27. & 14. 15. 21. & 15. 10. 2. Tim. 3. 14. 15. 2. Pet. 2. 19. & 3. 2. Nam ideo ſolis Veteris ac Novi Teſtamenti voluminibus inſiſtēdum eſt, teſte S. Paulo: *Ne ſimus pueri, qui fluctuemus, & circumferamur quovis vento doctrinæ, in hominum aleâ veteratoriâ ad inſidioſe fallendum verſutia: ſed Veritatem ſectantes cum charitate, adoleſcamus in illum per per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtus.* Et S. Hieronymus: *Spiritus S. doctrina eſt, quæ Canonicis prodita eſt literis, contra quā ſi quid ſtatuant Concilia, nefas duco.* Et Chryſoſtomus in Math. hom. 29. *Quia,* inquit, *in Eccleſiis Chriſti frequenter exeūt ſeductores, propterea nullis omninò credendum eſt, niſi ea dicant vel faciant, quæ convenientia ſunt Scripturis.* Ac Origenes in Epiſt. ad Rom. cap. 15. *Paulus de Scripturis affirmat, Doctoribus Eccleſiæ præbens exē-*

Epheſ. 4. 14.

Ad Gal.

plum, ut ea, quæ loquuntur, ad populum, non propriis præſumpta ſententiis, ſed divinis munita teſtimoniis proferant, non ſuas, ſed Spiritus ſancti ſententias ſonent.

Romana Eccleſia tam veteris quam novæ conditio.

Romana autem Eccleſia conſiderari debet, tam quoad fuit prima & vetus, quàm quoad eſt recens ac hodierna. *Prima & vetus,* etſi fide ac charitate adeò floruit, ut S. Paulus ingenuè in tantam ejus laudem eruperit: *Gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum ſuper omnibus vobis, quod fides veſtra annunciatur in toto mundo, &c.* ac proinde meritò civitas fidelis, vinea Domini, domus Dei viventis, columna veritatis, cœleſtis Jeruſalem, ſponſa & corpus Chriſti, ac mater fidelium dici poſſit: tamen admonitione & inſtitutione non ſolùm copioſâ & multâ, ſed etiam graviſſimâ ejuſdem Apoſtoli in fide, doctrinâ, moribusque opus habuit, ut in officium in his intermiſſum revocaretur. Unde etiam erraſſe eam, nec omnia, quæ docuit, credidit, fecit, obſervavit, ab omnibus perinde credenda, facienda, obſervādaque fuiſſe perſpicuè colligitur. *Recens autem & hodierna Eccleſia Romana,* ſi mediocri contemplatione, nedum exactâ inſpiciatur, & ad trutinam Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos ſcriptæ examinetur, quis non agnoſcat & defleat, fidelem illam, piam atque laudabilem quondam urbem & Eccleſiam ita turpiter eſſe deformatā nunc, ut eâ de cauſſâ jam vinea Sodomæ, Satanæ Synagoga & errorum Schola, ſpiritualis Babylon, adultera & impura meretrix, genetrixque ſcortationum & abominationum terræ ſpiritualium ac corporalium juſtâ ratione ac meritò appelletur? Quapro-

Rom. 1. 8.

Digitized by Google

pter nec omnibus, nec ſingulis talis tamque fœdè conſpurcatæ Eccleſiæ placitis eſſe credendum & adhærendum, nemo non videt. Quin jampridem multi onus hoc nimis grave traditionum Eccleſiæ Romanæ quàm vehementiſſimè deteſtati ſunt, ſed leviùs tamen, quàm rei indignitas poſtulat. Ex iis Johannes GERSON Pariſienſis Academiæ Cancellarius, & qui non poſtremum locum in Concilio Conſtantienſi tenuit: *Fit*, inquit, *ampliùs de levi jugo Chriſti, & lege libertatis jugum ferreum, & onus grave, premens cervices Chriſtianorum, dum ſcilicet aliqui omnes leges, ſuas inſtitutiones, ſuas regulas & ſtatuta arbitrari volunt, accipienda eſſe, ſicut præcepta legis Dei, ad interna mortis interitum ſi prætereantur, mergentia, &c.* Item: *Scimus, quid dixerit Petrus Apoſtolus*, Act. 15. *Quid tentatis Deum imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus? Hoc animadvertens & piâ compaſſione deplorans egregius Doctor Auguſtinus, ad inquiſitionem* Januarii: *Ipſam*, inquit, *religionem noſtrã, quam maniſeſtiſſimis & pauciſſimis celebrationum Sacramentis Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus: ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur. Si tuo tempore ſic dolebas, ô ſapiens Auguſtine, quid noſtra tempeſtate dixiſſes, ubi pro varietate & motu capitum incredibilis eſt varietas & diſſona multiplicitas onerum hujuſmodi ſervilium & humanarum, prout loqueris, præſumptionum?*

Joh. Gerſon de onere traditionũ Eccleſiæ Romanæ.

De vita ſpirituali divina Lect. 2.

Adde, quod nequaquam Eccleſia Romana eſt fidei & doctrinæ (ut illi ſtatuunt) magiſtra, ſed Chriſtus & hujus Verbum, ſive Scriptura, quẽadmodum ex Math. 17. ℣. 5. Joh. 10. 11. 14. 15. 16. & 27. 2. Tim. 3. 15. 16. 2. Pet. 1. ℣. 17. & 19 &c. conſtat.

Quoad verò argumenti hujus Pontificiæ, hæretici inſervientis deſcriptioni aſſumptionem, ea falſiſſima eſt, & in puritatem ſapientiæ doctrinæque Chriſti, atque ſinceritatem incorruptam doctrinæ fideique tam Apoſtolorum quàm primævæ Eccleſiæ Doctorum & fidelium calumnioſiſſima. Quàm frequenter enim Chriſtus & acriter omnes traditiones contra & præter atque extra Scripturam ſacram inventas & introductas Math. 15. & Marci. 7. 6. ac 7. rejicit, vetat & damnat? Ergo multas ipſe tenuit, credidit & obſervavit; Imo ſi non coluit & tulit Judaicas, inter quas verſatus eſt, multo minùs ſervavit & toleravit Romanas, tunc nõ dum exortas, ſed poſtea demum præter & contra ſuam doctrinam Math. 24. ℣. 4. 5. Joh. 10. ℣. 1. & 10. Act. 20. ℣. 29. 30. exorituras. Sic B. Paulus omnium Apoſtolorum nomine ἐθελοθρησκείαν perſtringit, talitem includens argumento.

Traditiones vetita à Chriſto.

Ab Apoſtolis.

Col. 2. 8. 16. 17.

Doctrina, mandata ac traditiones hominum non ſunt Chriſtianis in negotio religionis obſervanda.

At abſtinentia à certis cibis, obſervatio feſtorum ſabbathorum, noviluniorum, Angelorum cultus, ſunt doctrina, mãdata & traditiones hominum.

Ergo à Chriſtianis in religionis negotio non ſunt obſervanda.

Hanc in profligandis traditionibus diligentiam & ſeveritatem ſtrenuè imitantur Doctores vetuſtiſſimæ Eccleſiæ, inter quos B. Tertullianus adverſus Hermogenem, *Adoro*, inquit, *Scriptura*

Ab antiquis patrib.

Digitized by Google

Scripturæ plenitudinem. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat væ illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum. Idē Præſcrip. Hæreticorum: *Nobis verò,* inquit, *nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam à* CHRISTO *diſciplinam fideliter nationib. aſſignaverunt.* Gal. 1. 8. 9. *Itaque etiamſi Angelus è cœlis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis.*

Baſilius: *Si fidelis eſt,* inquit, *Dominus in omnibus ſermonibus ſuis, & fidelia omnia mandata ejus, manifeſta eſt elapſio à fide & ſuperbiæ crimen, aut reprobare quid ex his, quæ ſcripta ſunt, aut ſuperinducere quid ex non ſcriptis, quum Chriſtus dixerit: Oves meæ vocem meam audiunt, alienum autem non ſequuntur, quia non cognoverunt vocem alienorum.*

Serm de Fidei confeſſ.

Joh. 10. 4. 5.

Hieronymus in cap. 23. Mathæi: *Quod in Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua approbatur.*

In Pſal. 57. Auguſtinus: *Auferantur,* inquit, *de medio chartæ noſtræ, procedat in medium codex Dei. Audi Chriſtum dicentem, audi veritatem loquentem.*

Tradit. quæ licitæ.

Præterea, quamvis pro ratione & temporis & loci & ordinis ac decori ſervandi cauſâ, neceſſe ſit aliquas traditiones ſtatuere & obſervare: par tamē eſſe, ut nulli loco S. Scripturæ repugnent, Canon cap. Scit ſancta, diſtin. 12. dilucidè docet, cujus hæc eſt ſētentia: SCIT *ſancta Romana Eccleſia, quòd nihil obſunt ſaluti credentium, diverſa pro loco & tempore conſtitutiones, ſi illis Canonica non obſiſtat autoritas.* Ex quo colligendum, Decreta, Decretales, cōſuetudines & traditiones cum Scriptura Canonica dimicantes nocere hominū ſaluti, ac proinde eſſe rejiciendas. Nec obſtat, eas jam longâ temporum ſerie invaluiſſe. Progreſſus enim temporis non efficit, ut quod falſum eſt, verum ſit, ac quod malum & à Deo vetitum, aut à verbo ejus alienum, ſit bonum, conceſſum, licitum, ſanctæque Scripturæ exæquatum. Itaque & decreti Sardicenſis Concilii, ſub Julio I. Papa celebrati, ſententia: *Non minus mala conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela eradicanda eſt.*

Traditiones Romanæ Eccleſiæ quales ſint.

Jam Eccleſiam Romanam præcipere & obtrudere ejuſmodi doctrinas mandata ac traditiones, quales hîc Apoſtoli & ſancti veteris Eccleſiæ Patres condemnāt, negare ipſi Pontificii non poſſunt. Et licet nonnunquam attentent inficiari: tamen Decreto 1. Concilii Tridētini Anno 1546. die Aprilis 8. ſeſſione 4. *de Traditionibus pari pietatis affectu ac reverentia cum S. Scriptura ſuſcipiendis,* præſcripto refellūtur. Tales etiam Romanam Eccleſiam excogitaſſe, & ſervandas invexiſſe, ſummóque ſtudio colere, fatetur magni nominis Papiſta Petrus à Soto, qui ait: *Omnes illas obſervationes eſſe Apoſtolicas ſcil. traditiones, quarum principium, author & origo in ſacris literis inveniri non poſſit. Cujuſmodi ſunt,* inquit, *oblatio ſacrificii altaris, Unctio chriſmatis, Invocatio Sanctorum, Orationes pro defunctis, Primatus Epiſcopi Romani, Conſecratio aquæ in Baptiſmo, totum ſacramentū Confirmationis, Ordinis, Matrimonii, Pœnitentiæ, Extrema Unctionis, Merita Operum, Neceſſitas ſatisfactionis, Enumeratio peccatorum facienda ſacerdoti.*

Lib 2. Defenſionum contra Joh. Brentium Cap. 68.

Digitized by Google

Quæ omnia, aliaque ejuſmodi, tempore Chriſti, Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ nondum in uſu fuerunt Neque hi ea, ſi in poſterum inducerẽtur, ſuſcipere, colere, aut credere uſpiã juſſerunt, ſed potiùs paſſim (ut ſuprà dictum) in omnibus ſuis & concionibus & ſcriptis vehementer prohibuerunt & damnarunt. Injuriam igitur atrociſſimam & convitium indigniſſimum faciunt Papiſtæ fidelibus, quando illos ea credere & applaudere iis omnibus volunt, quæcunque ab Eccleſia Romana pro veris traduntur: eoq́; nomine eos non eſſe hæreticos ſtatuũt. Nam hoc procederet, & dari poſſet, ſi Eccleſia Romana, non Chriſtus, eſſet fidei & doctrinæ magiſtra. Et ſi Chriſtus, Apoſtoli, & ſancti vetuſtæ Eccleſiæ Doctores ac Patres idem docuiſſent & mandaſſent. Sed quoniam Chriſtus & ejus Scriptura, non Eccleſia Romana, eſt fidei, doctrinæ, religioniſque magiſtra, & ille cum Apoſtolis ſuis ac ſanctis patribus idem nequaquam docent & mandant, quin potiùs traditiones ἄνευ γραφῆς, ſine Scriptura divina invectas rejiciunt ac damnant, nihil proſſus momenti habet iſta ratio, quin eam ſequentes maximè hæreticos efficit, ut infrà comprobatur.

II. Affirmative etiam non valet definitio hæretici Papiſtica.

Nam ut hoc magis atque evidentiùs pateat, nihil valente negativo illo argumento è Pontificia hæretici definitione dependente, nunc neceſſe eſt, ut per inverſionem affirmativum inde eliciatur. Affirmativè enim in hunc modum inde concluditur:

Quicunque non credunt iis omnibus, quæ in Eccleſia Romana pro veris traduntur, ſunt hæretici.

Chriſtus, Apoſtoli & primitiva Eccleſiæ Doctores atque fideles non credunt iis omnibus, quæ in Eccleſia Romana pro veris traduntur.

Sunt ergo hæretici.

Quo quid abſurdius? quid magis impium? quid magis blaſphemum? Num enim Chriſtus, num Apoſtoli, num veteres primæ Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores atque fideles ſunt hæretici? Minimè omnium, inquiunt Papiſtæ. Non hæc noſtra mens eſt: non ita ſentimus. Non hoc ex noſtra theſi ſeu communi ſententia, quâ hæreticos nunc definimus, concludi volumus.

Reſpõdeo: Quinimò, quum Chriſtus & Apoſtoli ſint Eccleſię & religionis totius magiſtri, principes atque duces, cumque his priſcos Eccleſiæ Doctores & fideles hodiernas Eccleſiæ Romanæ traditiones ignoraſſe, quin rejeciſſe, damnaſſe, atque è ſeptis veræ Eccleſiæ Dei exploſas proſcriptaſque voluiſſe, ex antecedentibus conſtet, & ipſorũmet doctrinâ ac ſcriptis clarè comprobetur, non alia eſt veſtræ definitionis & deſcriptionis hæreticorum Pontificiæ conſequentia. Eoque non ſolùm audaciæ & confidentiæ, ſed etiam impudẽtiæ, impietatis ac blaſphemiæ prorumpitis, dum definitionem hæreticorum ad Eccleſiæ tantummodò Romanæ ſeu unius modò Pontificis Romani palatum, non autem ad veritatis ſenſum dirigitis. Quamobrẽ ſi Chriſtus, ſi Apoſtoli, ſi priſcæ Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores atque fideles non ſunt hæretici, ut fateri cogimini, ſi abſurdum, ſi vanum, ſi falſum, ſi impium

pium

Digitized by Google

pium, ſi denique blaſphemum eſt: eos hæreticos æſtimare ac dicere, ſanè tota illa etiam hæreticorum definitio, quã vos Pontificii potiſſimum hodie producere & urgere ſoletis, prorſus inſulſa, abſurda, inepta, futilis, vana, falſa, impia, blaſphemaq; eſt. Et omnes qui ea notantur eſſe hæretici, ineptè, iniquè, falſo, impie & blaſphemè hæreſeos inſimulantur, atque hæretici dicuntur.

CAP. VII.

Confutatur amplius definitio hæretici Papiſtica ſacris Scripturis, & Patrum orthodoxorum, Juris Pontificii atque Cæſarei ſententiis & decretis, è quibus vera & Germana hæretici definitio conſtituitur.

SEd & Papiſtica hęretici definitio falſi arguitur per ſacras Scripturas, Patres orthodoxos, Jurque Pontificium atque Imperatorium, quorum ſententias & decreta illi opponere poſſumus, ut vera inde hæretici definitio eliciatur ac conſtituatur.

Hæretici definitio vera Syllogiſmo comprehenſa.

Etenim ut omnes perſpiciant, nos non callidè & inſidioſè agere ad decipiendum & fallẽdum quenquam, ſed apertè, candidè ac ſincerè ad ſolam veritatem ſcrutandam atque patefaciendam, comprehendemus initio totam ſententiam ſacrę Scripturæ, ſecundùm hanc Patrum orthodoxorum & Juris Papalis atq; Cæſarei brevi ſyllogiſmo, qui quiſnam verè ſit ſive falsò hæreticus, clarè oſtendat: deinde ejus probationem ſubjungemus: tertiò, quæ ſint hæreſis & hæretici cauſſæ, ſpecies, diſcrimina, damna & finis declarabimus: quartò, num Euangelicis hodie in reformatis Eccleſiis conveniat necne, diſpiciemus.

Syllogiſmus definitionis hæretici locum obtinens, ſic habet:

Quemcunq; ſacra Scriptura, cum orthodoxorum Patrum choro & Jure Pontificio atque Cæſareo, definit eſſe hæreticum, ille hæreticus eſt.

At ſacra Scriptura, cum orthodoxorum Patrum choro & Jure Pontificio atq; Cæſareo, definit hæreticum eſſe hominem Chriſtianum, qui ſacris Scripturis abutens, errorem unum vel multiplicem fundamentum orthodoxæ fidei oppugnantem, pertinaciter contra expreſſum Dei verbum & fidelem orthodoxorum dehortationem tuetur.

Ergo homo Chriſtianus ſacris Scripturis abutens, & errorem unum vel multiplicem fundamentum orthodoxæ fidei oppugnantem, pertinaciter contra expreſſum Dei verbum & fidelem orthodoxorum dehortationem defendens, eſt hæreticus. *Hæreticus quid & quis ſit*

Argumentum totum confido eſſe bonum & firmum, quum conſtet ſufficienti cauſſarum & partium ad hæreticum pertinentium enumeratione.

Excutiemus ejus vim & veritatem. MAJOR manifeſta eſt & vera, quia præcedenti capite eſt demonſtratum & probatum, Scripturam ſacram eſſe rerum in religione definiendarum, faciendarumque magiſtram, principem, ac ducem. Quibus majoris confirmationis loco addo dictum Apoſtoli: *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, ac pertingit uſque ad diviſionem animæ ſimul ac ſpiritus, compagúmque & medullarum, & diſcretor* *Heb.4.11.*

Digitized by Google

cogitationum & intentionum cordis. Item
1 Joh 6.6. S. Johannis Euangeliſtæ: *Spiritus eſt, qui teſtificatur Spiritum* (ac proinde ſacram Scripturam à Spiritu ſancto dictatam, ut habetur 2. Tim. 3. 16.) *eſſe veritatem.* Nam ipſe Chriſtus hoc explicans, dicit:
Joh. 17. 17. 1. Pet 1. 12. *Sanctifica eos,* nempe Apoſtolos & Chriſtianos illorum doctrinam amplectentes, *tua illa veritate. Sermo tuus eſt veritas.* Ac Pauli 1. Cor. 2. 3. dicentis: *Oratio mea & prædicatio mea non verſata eſt in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione Spiritus & potentiæ.* Et Moſis Deut. 5. 32. ſic mandantis:
Joh 5. 47. *Cuſtodite ergo, ut faciatis, quemadmodum præcepit Jehovah Deus veſter vobis. Ne declinetis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Per omnem viam, quam præcepit Jehovah Deus veſter vobis, ambuletis, ut vivatis, & bonum ſit vobis, & prolongetis dies in terra, quam poſſidetis.* Rationem reddit S. Petrus, teſtificans: *Non enim libidine hominis allata eſt Prophetia, ſed acti à Spiritu ſancto locuti ſunt ſancti Dei homines.*

Cum ſacra Scriptura autem reſpiciendum eſſe etiam ad ſententiam orthodoxorum Patrum & Juris Papalis atq; Imperatorii, ſiquidem ſacræ Scripturæ conſentiant, ſuprà quoque indicatum & comprobatum eſt. Nec negari ullo modo jure ab ipſis Adverſariis poteſt. Nam ſi agnoſcendum & fatendum, veteres orthodoxos Patres veros Epiſcopos & Pontifices Eccleſiæ Romanæ, Imperatores, horumque ſectatores, & ſubditos debere eſſe membra Eccleſiæ Catholicæ atque orthodoxæ, certè debẽt iidem in negotio religionis, ad quam hæreſis ac hæreticus ſpectat, ſtare teſtimoniis & dictis ſolius S. Scripturæ, quæ religionis ac fidei unica magiſtra eſt. Teſtatur hoc Apoſtolus dicens, *Superſtructi eſtis ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum;* Et S. Petrus, *Renati eſtis non ex ſemine intereunte, ſed non intereunte per ſermonem Dei vivi.* Idque obſervaſſe unicè ipſoſmet Apoſtolos & primitivæ Eccleſiæ Chriſtianos, Præſules atque Magiſtratus, teſtatur Apoſtolus, *Qui receperunt ſermonem cum omni alacritate, quotidie ſcrutantes Scripturas, an hæc ita haberent. Item: Nec quicquam dixi extra ea, quæ Moſes & Prophetæ futura prædixerũt:* Quibus addit S. Petrus, *Rectè facitis, quod attenditis ſermoni Prophetico tanquã lucernæ ſplendenti in obſcuro loco.* 2. Pet 1. 19. Quib. omnib. Scripturæ locis plurima inſuper affinia producere poſſemus. Eph. 2. 20. 1. Pet. 1. 23. Act. 17. 11. & 26. 22.

Ut igitur in definiendo & deſcribendo hæretico S. Scriptura præit, ita membris Eccleſiæ Catholicæ tum omnibus, tum inprimis præcipuis convenit ſequi. Quamobrem quum orthodoxi veteris Eccleſiæ Doctores, Juriſque Pontificii & Cæſarei Authores pro præcipuis Eccleſiæ membris habeantur, eatenus illorum ſententia de hæretico apud omnes valere debet, quatenus S. Scripturæ aſtipulatur & innititur.

Hinc in Aſſumptione ſeu MINORE ſyllogiſmi, eſſe veram hæretici definitionem; probamus tribus argumentorum generibus. 1. *à definitione ſacræ ſcripturæ.* 2. *à conſenſu orthodoxorum Patrum.* 3. *Ex decretis Juris Pontificii atque Imperatorii,* S. Scriptura communitis & authoritate inſtructis. Quibus notæ & propria hæretici abundè demonſtrantur & produntur. *Hæretici definitio probatur.*

Quod igitur diximus, hæreticum eſſe

Digitized by Google

1. Hæreticus eſt Chriſtianus.

eſſe *hominem Chriſtianum*, extra controverſiam quidem eſt, quia hæreſis & hæreticus tantùm doctrinam & fidem Chriſtianã corrũpit, in Eccleſia Chriſti verſatur, ac in cœtu eorum, qui titulum ac nomen Chriſtianorum ambiunt, & præ ſe ferunt, Chriſtianus æſtimari atque dici vult. Sed ut minùs ambigamus, non obſcurè id à S. Hieronymo innuitur, qui dicit: QUICUNQUE *aliter Scripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt.* Indicat idem Antonius Archiepiſcopus Florentinus part. 2 tit. 12. cap. 5. §. 1. his verbis. *Requiritur ad hæreſim, ut error ſit in illo, qui Catholicam veritatem eſt profeſſus. Si quis enim nunquam eſſet profeſſus fidem Chriſtianam, & malè ſentiret de fide, non eſſet propriè hæreticus, ſed ſimpliciter infidelis: ut Judæus & Gentilis, qui foris ſunt. Unde dicit Auguſtinus de civitate Dei, quod videns Diabolus genus humanum à cultura Dæmonum liberari, hæreticos movit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ. Oportet ergo, quod error ſit in illo, qui in baptiſmo ſuſcepit fidẽ Chriſtianã, ad hoc ut ſit hæreticus.* Ac S. Paulus ad Chriſtianos Eccleſiæ Corinthiacæ fidem Chriſti profitentes ſcribens, ait: *Oportet autem hæreſes eſſe inter* VOS, *ut qui probati ſunt, manifeſti fiant inter* VOS. 1. Cor. 11. 19. Id quod jam ad omnes Eccleſias Chriſtianorum pertinet, utpote in quibus idem ſemper accidat.

Ad Gal. 1. In canonib cap Hæreſis, diſt 24. q. 3.

Idem Cyp. de ſimpl. prælatorũ.

De civitate Dei lib 18. cap. 51.

2. Abutitur S. Scripturis.
3. Impingit in fundamẽtũ fidei.

Deinde *abuti hæreticum S. Scripturis, pugnantiaq́ cum expreſſo Dei Verbo fovere errare in articulis fidei, imò impingere in fundamentum fidei*, non tenere ſanam formam verborum, ſed novam habere atq; tradere doctrinam & fidẽ, quæ humano cerebro excogitata, electas opiniones pravas ſapit, errore uno vel multiplici infecta eſt, hoc eſt, ut planiùs enuntiem, ſuperſtitiones, fabulas, cultus electitios, abuſus, mandata hominum, traditiones humanas, idololatriã denique redolet & continet, hiſce teſtimoniis probatur. Chriſtus dicit. *Erratis, neſcientes Scripturam.* Paulus autem: *Tempus erit quum ſanam doctrinã non tolerabunt ſed auribus prurientes ſibiipſis, ipſis ſibi pro ſuis cupiditatibus coacervabunt doctores. Et à veritate quidem aures avertent, ad fabulas verò convertentur.* Et alibi, *Habent*, inquit, *effigiem pietatis, ſed qui vim ejus abnegarunt, ſemper diſcentes, ſed qui nunquam ad veritatis cognitionem venire valeant* Item: *Si quis diverſam docet doctrinam neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrina, is turget nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones ac verborum certamina: ex quibus naſcitur invidia, lis, maledicentia, ſuſpiciones malæ.* Ac Col. 2. ℣. 22. poſtquam multis traditiones humanas diſſuaſiſſet, infert *impoſtores & Pſeudodoctores fovere mandata & doctrinas hominũ, quæ opinionem quidem habent ſapientiæ in cultu voluntario & ſummiſſione animi, & in eo, quod corpori non parcant, non tamen ullius ſint pretii.* Et ampliùs: *Quemadmodum Jannes & Mambres reſtiterunt Moſi, ita & hi reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem.*

Math. 22. 28.
2. Tim. 4. 3.
2. Tim. 3. 5. 6. 7.
1. Tim. 6. 3.
Col. 2. 8.
1. Tim. 3. 8.

4. Pertinax eſt.

In illis hæreticum habere pertinaciam conjunctam, teſtatur S. Paulus Tit. 3. ℣. 10. dicens: *Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem rejice.* Quo indicat, non facilè pati hæreticũ

ſe

Digitized by Google

ſe corrigi, ſed in electa ſemel opinione perverſâ etiam gravibus & accuratis orthodoxorum dehortationibus in meliorem viam atque ad doctrinam ſaniorem revocatum haud cedere & obſequi, ſed obſtinato animo pergere. Quare Apoſtolus addit: *Everſum eſſe, qui ejuſmodi eſt*, & peccare, ut qui ſuopte judicio ſit condemnatus.

Iiſdem notis & propriis vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres, qui orthodoxi habiti ſunt, hæreticum deſcribunt. Primus S. Hieronymus hæreticum *nequiora eligere & non obſervare Scripturam ſacram dicit, ut ſuam ipſa mentem explicat*: Quémadmodum paulò ante ejus verba citata referunt.

Irenæus illos eſſe hæreticos dicit, *qui Scripturis Apoſtolicis non aſſentiuntur*. Et alibi notas hæreticorum ex profeſſo deſcribens, ait: *Quum ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex auctoritate, & quia variè ſint dicta, & quia non poſſit ex his veritas inveniri ab his, qui neſciunt* TRADITIONEM. *Non enim per literas traditam illam* (ſcilicet veritatem) *eſſe, ſed per* VIVAM VOCEM.

Lib. 3. c. 1. Cap. 2.

Tertullianus hæreticis objecit: *Quod ſtare ſe non poſſe agnoverint, ſi ſolis Scripturis cogantur ſuas quæſtiones ſiſtere.* Et alibi: *Unde extranei*, inquit, *& inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diverſitate doctrinæ, quàm unuſquiſque de ſuo arbitrio adverſus Apoſtolos aut protulit, aut recepit?* Item: *Iſta hæreſis nõ recipit quaſdam Scripturas, & ſi quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad diſpoſitionẽ inſtituti ſui intervertit, & ſi recipit, nõ recipit integras.* Et in libro contra Hermogenem hæreticum: *Adoro*, inquit, *Scripturæ plenitudinem. Scriptum eſſe doceat Hermogenis diſciplina. Si non eſt ſcriptum, timeat væ illud, adjicientibus vel detrahentibus deſtinatum.*

Lib. de Reſur. carnis.

De Præſcrip. hæret.

Objiciunt Adverſarii: Eundem Patrem ipſummet Hæreticum Montaniſtam fuiſſe, & alibi traditiones quoque commendare. Sed reſpondet ad hoc fusè Sibrandus Lubertus lib. 7. de Principiis Chriſtianorum dogmatum, cap. 10 pag. 242 243. 244. Nos hîc addimus: Non hæreſin ejus, ſed veritatẽ, quam docuit eſſe obſervandam, & orthodoxa erroribus ejus præferenda.

Auguſtinus: *Non ob aliud*, inquit, *ſunt hæretici, niſi quod Scripturas nõ rectè intelligentes ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pervicaciter adſerunt.* Et de civit. Dei lib. 1. cap. 51. *Hæretici*, inquit, *ſub vocabulo Chriſtiano, doctrinæ Chriſtianæ reſiſtunt.* Ac licet in præf. lib. 1 de Hæreſib. ad Quod vult Deum dicat: *Quid autem faciat hæreticum, regulari tamen definitione comprehendi, ſicut ego exiſtimo, aut omnino non poteſt, aut difficillimè poteſt*: Tamen alibi ſuam definitionem non reticet. Nam lib. de utilitate credendi cap. 1. *Hæreticus eſt*, ait, *ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatûſque ſui gratiâ falſas ac novas opiniones vel gignit, vel ſequitur.* Quam ejus definitionem probat Jus Canonicum, ſeu Pontificium, cauſ. 24 cap. 28. *Hæreticus*. Sed contra Pontificii ex verbis Chriſti: *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicam, ſed non poteſtis omnia portare*, argumentantur: Quos Chriſtus nõ omnia docuit ad ſalutem neceſſaria, illi non potuerunt omnia neceſſaria ad ſalutẽ ſcribere. Sed Apoſtoli ſunt illi, quos Chriſtus non docuit omnia ad ſalutẽ neceſ-

Lib. 7. de Gen ad liter c. 9.

Itẽ ad Honoratum c. 1 6. 10.

Objectio Papiſtarũ Joh. 16. 12.

Digitized by Google

neceſſaria ſcribere, ac per conſequens ſuas traditiones Papiſticas eſſe ea, quæ Apoſtoli non potuerunt portare. Reſpondet ad hæc Auguſtinus: *Hæreticos ſolere hoc argumento uti & dicere ſuas immunditias eſſe ea, quæ Chriſtus ait, adhuc habeo multa dicere, ſed non poteſtis omnia portare.* Et ſanè nulla tam tetra hæreſis eſt, quæ non ex hoc loco poſſet defendi. Sed nos præterea negamus Minorem. Nam etſi Apoſtolos Dominus tum non docuit omnia, non ſequitur eum neque poſteà docuiſſe. Verſu enim 13. ſcriptum eſt, eum ſubjunxiſſe. *Quum autem venerit ille, id eſt, Spiritus veritatis, introducet vos in omnem veritatem.* Quos autem Spiritus ſanctus introduxit in omnem veritatem, illi potuerunt omnia ad ſalutem neceſſaria ſcribere. Sed Apoſtoli ſunt illi, quos Spiritus ſanctus introduxit in omnem veritatem. Ergo potuerunt omnia ad ſalutem neceſſaria ſcribere. Nam quum Chriſti dicta non poſſent ferre, tum non omnia ad ſalutem neceſſaria ſcribere potuerunt. Verùm quum à Spiritu ſancto in omnem veritatem introducti eſſent, tum potuerunt omnia ad ſalutem neceſſaria ſcribere.

Homil 96. in Joh.

Euſebius ubi ex Gajo Cerinthum hæreticum citat, ait: *Eum prætextu revelationum velut à magno Apoſtolo acceptorũ, portentoſa dogmata in Eccleſiam invehere tentaſſe, hocque contendiſſe, ut ea quæ ſcripta erant inflecterentur ad ſuas revelationes & traditiones.*

Lib. 3. c. 28.

Rurſus Hieronymus, *Ii hæreticorum nomine appellandi non ſunt, qui veritatem in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis inveſtigant, ſed ii potiùs, qui eam in ſeipſis, hoc eſt, hominum inventis & traditionibus inquirũt.*

Citatur in Canonib. cap. dixit, Item c. Quid autẽ diſ. 24. q. 3.

In jure Cæſareo extat Edictum Imperatorium de eo, qui nam ſint vel Catholici vel Hæretici, tale. *Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, Aug. populo urbis Conſtantinopolitanæ. Cunctos populos quos clementia noſtræ regit imperiũ, in ea volumus religione verſari, quam divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio uſque nunc ab illo inſinuata declarat, quamq; Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum Apoſtolicæ ſanctitatis. Hoc eſt, ut ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicámque doctrinam, Patris & Filii & Spiritus ſancti unam Deitatem ſub pari Majeſtate & ſub piâ Trinitate credamus. Hanc legem ſequentes,* CHRISTIANORUM CATHOLICORUM *nomen jubemus amplecti: reliquos verò dementes Veſanosq; judicantes,* HÆRETICI *dogmatis infamiam ſuſtinere divina primum vindicta, poſt etiam motu animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumſerimus, ultione plectendos. Data 3. Calend. Martias Theſſalonicæ, Gratiano 5. Valent. & Theodoſio Aug Coſſ.* Cæterùm qualem religionem S. Petrus Apoſtolus omnibus Eccleſiis per orientem & occidentem, nedum Romæ, ſi quando ibi fuit, tradiderit, docet nos Euangelica & Apoſtolica S. Mathæi Marci, Johannis & Lucæ hiſtoria, una cum duabus Epiſtolis ipſius S. Petri. Fides verò & doctrina Damaſi Pontificis, qualis fuerit, ex ipſius Symbolo patet, quod 2. Tomo operum S. Hieronymi continetur. Eandemq; Petrũ Alexandrinũ Epiſcopũ docuiſſe, ex Trip. Hiſt lib 7. cap. 37. & lib. 8. cap. 14. colligitur. Adhæc Symbolum concilii Niceni contra Arium, Filii Deitatem negantem, habitum An. Domini 324.

Lex Cæſarea circa Annum 382.

A DN. 376.

Ruffinus Eccleſ.Hiſt.lib.1.cap.5.& Socrates lib.1.cap.5.perſcribunt.

Accedunt illis hypotheſes & ſuffragia ipſorum Pontificiorum poſteriorum,qui omnes dicta illa S.Hieronymi & Auguſtini in Jure Canonico approbant. Ac Thomas Aquinas Hieronymi dictum explicans,dicit: *Ille dicitur aliter exponere S. Scripturam, quàm Spiritus ſanctus efflagitat,qui ad hoc expoſitionem S. Scripturæ retorquet,quod contrarium ei, quod eſt per Spiritum ſanctum revelatum.*

In 2.2.q.11. art.2. ad arg.2.

De eodem refert Alphonſus de Caſtro: *Hæreticus eſt,quiſquis à fide Catholica,* QUOMODO LIBET *recedit,inquit Thomas. Eidem ſubſcribit Occam.*

Lib. 1. cont. hæreſ.c. 9.

Robertus Bellarminus Cardinalis demonſtrat ex Cypriano cauſſam hæreſeων his verbis: *Diviſio & hæreſis eò fit, dum ad veritatis originem non reditur,neque caput quæritur,nec magiſtri cœleſtis doctrina ſervatur.*

Lib. 3.de Rom. Pont.

Aſtipulatur illis Concilium Tridentinum,cujus authoritatem Adverſarii noſtri aſpernari non poſſunt. Nam quum tertiâ ejus ſeſſione,die 4. Febr. Anno 1546. admoniti eſſent Patres, *ut ſumerent clypeum fidei,inducerent galeam ſalutis,& accingerent gladium Spiritus,* id eſt, *Verbum Dei, eóque Hæreticos aggrederentur: ſimúlq; fideles Chriſtianos agnoſcerēt ex profeſſione Nicænæ fidei,quâ ab* HÆRETICIS ORTHODOXI *diſcernerentur,quæq; in Symbolo Concilii Nicæa habiti ſub Imperatore Conſtantino Magno adverſus Arium continetur: Patribus ita monitis, Symbolum illud clarâ voce recitatum eſt,& in Acta hujus ſeſſionis relatum.* Unde conjicitur, Tridentinum Concilium agnoviſſe & ſenſiſſe,hæreſin eſſe doctrinā, obfirmatè Verbum Dei & S.Scripturam & fidem orthodoxam Symbolo Niceno comprehenſam contra pias admonitiones pervertentem & negligentem,ac hæreticos eos,qui doctrinę illi pertinaciter adhæreant. Nam quū orthodoxos & catholicos eos cenſeat, qui fidem illo ſymbolo traditam & S. Scripturæ congruam tenent atque tuentur,è contra illos hæreticos exiſtimet,neceſſe eſt,qui à fide illius Symboli verbo Dei conſentanea recedunt.

Trident. Concilium.

Epheſ.6.13.

Petrus Lombardus, quem Magiſtrum ſententiarum vocant, hunc in modum ſcribit: *Ne autem ignores, quid faciat hæreticum,vel quid ſit hæreticus,audi breviter, quid inde ſancti Doctores tradant.* HILARIUS *ait: extiterunt plures, qui cœleſtium verborum ſimplicitatem,non veritatis ipſius abſolutionem ſuſceperunt, aliter interpretantes,quàm dictorum virtus poſtularet. De intelligentia enim* (quando videlicet ſenſus contra Scripturam & veritatem, non è Scriptura pro Scriptura & veritate depromitur: ſicut ſuprà ex Hieronymo & Auguſtino etiam Jure Canonico probante relatum) *hæreſis, non de Scriptura eſt. Et ſenſus non ſermo, fit crimen. Idem in* 8. (ſcilicet ante medium lib.8.) *intelligentia ſenſus in crimine eſt.* HIERONYMUS *dicit,quòd ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.* Inde citat Auguſtini deſcriptionem hæretici paulò antè recitatam.

Lib. 4. diſt. 13. B.

Lib.2.de Trinit ad principem.

Ad Gal c.5. & Oſea cap.9.

Quæ omnia, quum ita ſe habeant, victoria in definiendo & deſcribendo hęretico penes ſacram Scripturam, veteres Patres orthodoxos & Jus Pontificium atque Imperatorium eſt, quia veritati verbi divini ſeſe accommodāt.

Ne quid tamen ad lucem tantæ rei inſe-

Digitized by Google

De hæreſi artic. 1. fol. 1307.

inferendã deſit, è noſtratibus Wolphgangus Muſculus pulchra diſtinctione hæretici definitionem cognoſcendam præbet, quam omnes ſcire expedit. Nam poſtquam oſtendit, hæreticum tribus modis poſſe dici, ac *primò* quidem de eo, quòd aliquis ſibi id, quod utilius & verius ſibi perſuaſum habeat, citra errorem eligat, unde & Euangelium bona ſit hæreſis, & Euangelicus bonus hæreticus, ſubnectit.

Hæreticus qui pro vero eligit id, quod falſum per imprudentiam.

Deinde hæreticus eſt, quiſquis per errorem aliquid pro vero ſervandum eligit, quod alienum eſt à vero. Huc pertinet Græcorum definitio, quâ dicunt, hæreticum eſſe eum, ὁ ἄλλό τι παρὰ τὴν ἀλήθειαν αἱρούμενος ἔχει. Hæreticus eſt, qui hoc facit, non ob id, quod falſum ſibi per errorẽ eligit, pro vero, ſed propterea, ꝙ ſibi ipſe eligit, quod ſequatur. Quum Auguſtinus dicit, *Errare poſſum, hæreticus eſſe nolo:* non repugnat ei, quod hîc dicimus, ſed utimur voce hac ſenſu communi. Quanquam quid impedit, quo minus dicam, Errare poſſum, errans tamen eſſe nolo: hoc eſt, ſcienter errare nolo? Unde tamen non ſequitur, non eſſe eum errantem, qui errat, Sic non ſequitur, non eſſe eum hæreticum, qui quamvis errando eligat ſibi quod falſum, hæreticus tamen eſſe non vult. Aliud eſt eſſe, aliud nolle eſſe hæreticum.

Hæreticus ex agnato morbo dogmatis reus & ſtudioſus.

Tertiò hæreticus eſt, qui non ex errore & ignorantia falſum eligit pro vero, ſed ex agnato morbo, quo rebus novis, raris & inſolitis, & à communi ſenſu alienis impensè ſtudet: illaſque mordicus, ut tales apprehendit, & pertinaciter quantumvis ſint falſæ, defendit. Hic morbus reddit hæreticos, & culpabiles, & noxios vehementer. Et de talibus intelligenda ſunt, quæ de hæreticis in ſcriptis Patrum, hiſtoriis Eccleſiaſticis, ac legibus Imperatorum leguntur.

Hinc demonſtratio infertur neceſſaria, valida, firma & ſemper rata:

Aut ille eſt hæreticus, qui non omnibus credit, quæ Romana Eccleſia pro veris tradit: Aut ille, qui homo Chriſtianus quum ſit, ſacris Scripturis abutitur, errorémque unum vel multiplicem fundamentum orthodoxæ fidei labefactantem, pertinaciter contra expreſſum Dei Verbum & fidelem orthodoxorum dehortationem tuetur.

At prior non eſt hæreticus.

Ergo *poſterior eſt.*

Nam hic tum rationum numero æquè ac pondere, & ſacræ Scripturæ teſtimoniis, tum Patrum orthodoxorũ conſenſu, tum denique Jure Canonico & Cæſareo illi aſtipulante, cum aliorum Doctorum & prudentium coronâ ſequente, hæreticus eſſe convincitur.

CAP. VIII.

De cauſis & ſpeciebus hæreſeos atque hæretici.

QUid autem faciat hæreticum, regulari quâdam definitione comprehendi, aut omnino non poſſe, aut difficilimè poſſe, ſanctiſſimus quidem Pater Auguſtinus exiſtimat, uti cap. præcedente expoſitum. Sed pervolutis & inquiſitis accuratiùs tam S. Scripturæ locis, quàm Doctorum orthodoxorum ſcriptis de hæreſi atque hæretico agentibus, ſatis commodè & plenè cauſſæ veræ erui atque ad notitiam omnium deduci poſſunt. 1.

Hæreſum & hæreticorũ cauſſa efficientes.

Digitized by Google

Bonam hæreſin eſſe ex Deo.

Bonam hæreſim, quâ Deo ſincerâ fide adhærere eligimus, & qua ipſam Eccleſiam, doctrinam, fidemque verè Catholicam, orthodoxam & Euangelicam nominari ſuprà capite 3. diximus, è ſupernis eſſe, nemo dubitare, mirumque putare debet, quod Deum hæreſeos alicujus auctorem conſtituimus. Eſt enim ille primus ac ſupremus omnium hæreticus, ſi vim vocis conſideremus. Nam niſi hæreticus eſſet, quomodo nos ante mundi fundamēta voluntariè elegiſſet, & quos elegit tanta miſericordia & ſapientia ad veram fidem & doctrinam perduceret, utque eam eligant ac teneant firmiſſimè etiam in graviſſimis fortunarum corporumque periculis efficeret, tantaque conſtantia ad finem uſque ſingulari providentia & cura proſequeretur? Per hujus Spiritum moventur corda electorum ut fiāt boni hæretici: Unde ut eligunt hi cum Mariâ *optimā partem, quæ ab ipſis auferatur numquam,* etiamſi propter illam in ſiniſtram atque adeò deteriorem partem hæreſi imbuti, ac hæretici dicantur, omnisq; generis malis affligantur. Sic eſt hæreſis ex hæreſi, noſtra ex ea, quę Dei eſt, cujus etiam argumētum eſt, unde manifeſtum fiat, ꝙ per illam ſimus electi, ut 1. Cor. 11. ℣. 19. Apoſtolus perhibet.

Muſculus de hæreſi art. 3. pag. 1312.

Mala hæreſis duplicem eſſe originē, auctore diabolo.

Malæ hæreſeos origo, à qua nos alieniſſimos eſſe tum ſupra indicavimus, tum infrà pleniùs probabimus, duplex eſt: generalis una, ſpecialis altera. *Generalem* voco, quæ locum habet in quavis mala hæreſi: *Specialem*, quæ in quibuſdam tantùm. GENERALIS primum eſt ex Satana, deinde & ex carne corrupta. Hinc ſunt omnes malæ hæreſes, quantumvis à ſe invicem varient. Ex *Satana* ſunt, tanquā prima cauſſa efficiente & mendaciorum errorum, pertinaciæ, diſcordiarum ac perditionum auctore. Hic primos noſtros parentes & hæreticos & ſchiſmaticos, non ipſorum tantùm, ſed & noſtro malo, mendaciorum ſuorum lenocinio conſtituit, & à Deo ſeparavit. *Gen. 2. 3. 4. Job 8. 44.*

Unde Apoſtolus omnia mendacia, doctrinas pravas, fidem & religionem falſam, ſuperſtitiones, idololatrias, errores, hæreſes, denique ipſum Antichriſtianiſmum teſtatur Satanæ eſſe incitamentum & operationem, *qui potens & efficax ſit in filiis incredulitatis, director tenebrarum.* Peſtifero hujus afflatu ſic eſt *caro* noſtra infecta, ut prona ſit ad quasvis malas hæreſes, & occulta quadam innataque proclivitate ad mendacia ac veritatis odium, vel deſertionem & neglectionem propendeat. Hinc eſt, quod idem Apoſtolus ait: *Oportet autem hæreſes eſſe inter vos.* Ac alibi inter carnis opera numerat & hæreſes, dicens: *Porrò manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt adulterium, ſcortatio, immunditia, protervia, ſimulachrorum cultus, veneficium, inimicitia, lis, æmulationes, ira, concertationes, ſeditiones,* HÆRESES, *invidia, cædes, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quod qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.* Sunt igitur hæretici homines carnales non minùs, imò magis quàm adulteri, ſcortatores, impuri, laſcivi, venefici, ebrioſi, ac cæteri flagitioſi, quos Apoſtolus eo in catalogo recenſet quamvis omnium velint ſpiritualiſſimi videri. Nec mirum eſt, quod plerumque in graviſſima & enormia flagitia incidunt

Epheſ. 6. 12. 2. Tim. 4. 2. 2. Teſſ. 2. 9.

1. Cor. 11. 19. Gal. 5. 20. 1. Cor. 6. 9.

Digitized by Google

dunt propter cognationem, quæ eſt inter opera carnis, ad quæ ſunt ſingulariter propenſi.

Hæreſes, ut ſint ex hominibus.

SPECIALIS hæreſum origo, ſeu cauſæ efficientes ſunt *homines*; quorum ingenia ſunt vel nimia ignorantiæ caligine obfuſcata, vel ad contemtum Scripturæ ac veritatis proclivia, vel ad ſophiſticandum acuta, vel ſuperbiæ ſpiritu inflata, vel ex avaritiæ invidiæque morbo livida, vel ad ferendum ea quæ diſplicent impatientia. Nam *inſcitiâ* ſeduci hæreticum ac ſeducere alios, oſtendit Chriſtus dicens: *Erratis, neſcientes Scripturas.* (*Math. 22. 29.*) At *neglectum & contemptum Scripturæ* in hæreſin inducere, Paulus indicat, inquiens: *Sanam doctrinam non ſuſtinebunt, à veritate ad fabulas convertentur, non venient ad agnitionem veritatis.* (*2. Tim. 4. 3*) E diverſo *ſuperbiam & ſophiſticam* ſcientiam, vel arrogantem ſcientiæ atque doctrinæ præſumptionem & confidentiam veluti matricem quâdam eſſe, unde hæreſes naſcantur, experientia & vetera exempla docent. Quando enim exfaſtu & ſupercilio ſibi homines fingendi quidvis in doctrinâ licentiam, vel errandi immunitatem tribuunt, Φιλαυτίᾳ præoccupati plus rationi ſuæ fidunt, quàm Dei verbo expreſſo, ad rationis decempedâ minus quadrâti, tacito aut veloci pede in hæreſum barathrum ruunt. Valentinum hæreticum ſperaviſſe Epiſcopatum, at alium ſibi prælatum indignè tuliſſe, & ideo in hæreſin prolapſum, quia ingenio potuerit & eloquio, ſcribit Tertulianus de Præſ. Hæret. cap. 30. Niſi per ſuperbiam Epiſcopum ſuû contempſiſſet Arius, illoque doctior videri voluiſſet, tam gravem hæreſim nequaquam in Eccleſias invexiſſet. Et hanc illius ſuperbiam armavit ſophiſtica, quâ ad diſputandum & quæſtiones movêdas erat inſtructus. Multos invidia & impatientia reddidit hæreticos, qua erant erga ſuperiores ſuos affecti. De Tertulliano ſcribitur, ꝙ propter inſolentiam cleri Romani ad partes Montani hæretici defecerit. Niſi tum illis invidiſſet, & hujus fuiſſet intolerans, hæreſim illam non fuiſſet amplexus. Sanè hodie quoque multos impatientia reddit hæreticos & ſchiſmaticos. Neque abeſt *avaritia* & habendi libido. Quando enim homines vident ſe lucrum & commodum adepturos, ſi vel novi quid in doctrina cœleſti tentent, vel vetera revocent deliramenta, vel nova fingant & probent, facilè adducuntur, ut vel nova dogmata prava comminiſcantur, vel errores aliorum ſive veteres ſive recentiores ſequantur. Accedit illis *hypocriſis*, quod aut majoris ſanctitatis & pietatis fuco ſeſe venditant, aut majoris ſanctimoniæ exiſtimationem venantur. Exempla Epiphanius, Auguſtinus, hiſtoria Eccleſiaſtica & experientia ſuppeditat: ut negari iſta nequeant. Eſt igitur omnis hæreticus malitiæ progenies, & aut indoctus, inſcius atque rudis, aut ſuperbus & inflatus, aut ſophiſta & nimiam ſibi ſcientiam arrogans, aut invidus, aut impatiens. De illis autem inprimis ſunt vera, qui hæreſiarchæ & auctores ſunt hæreſum.

E S. Scriptura gigni hæreſin eſt calumnia. fol. 21.

At hodie verbi Dei ſcripti ac ſacræ Scripturæ hoſtes, & Papiſticæ hæreſeos defenſores, tribuunt S. Scripturæ, quod hæreſes faciat. Nam in Cenſura Colonienſi non pudet Papiſtas di-

cere: *Lectio ſacra Scriptura non tantùm non eſt utilis,ſed multis modis pernitioſa Eccleſia.* Ac ſubſternunt: *Ut audacius dicamus,nulla unquam reperta eſt hæreſis, quæ non ex Scripturis occaſionem acceperit.* Quã calumniam non ſinet Dominus abire inultam. Ex carne eſt hæreſis mala, non ex ſacris Scripturis. Caro inſtigãte diabolo,non ſacra Scriptura,eſt mater hæreticorum.Scriptura per ſapientiſſimum mortalium: *In juſtitia ſunt,* inquit,*omnia eloquia oris mei.Non eſt in eis pravum,nec perverſum. Univerſa ipſa recta ſunt intelligenti, & recta invenientibus ſcientiam.* Et quoniam ex bona & perfecta cauſſa bonum atque perfectum eff:ctum oriri neceſſe eſt, Apoſtolus eo elogio unicè commendat Scripturam, dicens,*Tota Scriptura* DIVINITUS *eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem,ad correctionem,ad inſtitutionem,qua eſt injuſtitia.Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.*Verùm Papiſtæ omnes illos pro hæreticis habent, qui ſacram Scripturam ſequi malunt, quàm frivola Pontificiorum commenta. Sanè hoc genus hæreticorum ex ſacris Scripturis naſcitur. Agnoſcimus hoc & inconſtãter fatemur. At non per ſe & ex ſe eſt illorum cauſſa,ſed accedit,imò ingruit media cauſſa, nempe Diaboli & hominum perverſitas,quæ bona & utili & perfecta Scriptura nequiter abutitur. Fallacia ergo eſt non cauſſæ pro cauſſa. At illi nomine hæreſeos & ſacram Scripturam,& electos Dei infames reddere moliuntur, & imperitis fucum faciunt.

Caniſiii Catecheſ. 301.

2.Tim. 3. 16.

Contra autem ex mala cauſſa oritur malus effectus: nempe è Diaboli & hominum nequitia multi peſſimi hæretici, & horrenda atque pernitioſa hæreſum varietas ac ſeges. Ut enim varium, multiplex & fœcundum eſt mendacium: ita ſunt & variæ & multiplices hæreſes,perinde atque multiplex eſt à regia via deviatio,à qua non eadem,ſed aliis atque aliis viis aberratur. *Principiò*, aliæ ſunt Judæorum, aliæ Gentilium Philophorũ,aliæ Pſeudochriſtianorum hæreſes. JUDÆORUM,ut in Joſepho & in Actis Apoſtolorum quoque videre licet,hæretici fuerunt Phariſæi,Sadducæi,& Eſſæi, diverſis à ſe invicem hæreſibus disjuncti. De quibus etiam Epiphanius,Auguſtinus ac Philaſtrius diſſerunt, ut nominatim inter hæreſes numerent. Et quàm multas ab iis mutuati ſint Papiſtæ,lib. 2.exponemus. GENTILIUM Philoſophorum hæretici, alii fuerunt Stoici,alii Peripatetici,alii Epicurei,alii Platonici,&c. de quibus non eſt ut loquamur,quum ſuprà cap. 3.oſtenderimus, eas non malè audiviſſe apud Ethnicos.

II. Hæreſum ſpecies,vel genera.

Muſcul. de hæreſi art. 2.

Judaica.

Ethnica.

PSEUDOCHRISTIANORUM hæreſes, prout haud eadem eſt veſania cunctis innumerabiles ſunt, & incomprehenſibili varietate diverſæ, pleræq; autem Judaicarum atque Ethnicarum ſoboles; ut illarum multitudinem & varietatem nemo unquam, ne Patrum quidem temporibus explicare potuerit, quamvis id nonnulli ſint conati. Principalis tamen hæc illarum varietas videtur eſſe, quòd *alia* ipſa fidei noſtræ fundamenta convellunt, *alia* circa res ſecundarias morbidæ languent,in quibus tamen ipſis etiam fidei vim & meritum vel ſalutem collocant.

Pſeudochriſtiana.

Ad

Digitized by Google

Hæretici fundamenta fidei concutientes.

Ad priorem claſſem pertinent *Marcionitæ & Manichæi*, duo ſtatuentes principia, duos videlicet Deos: bonum unum, malum alterum. *Noëtiani* eundem dicentes Patrem, Filium & Spiritum ſanctum: & *Sabelliani*, quos *Patripaſſianos* ob id vocant, quòd Patrem paſſum pro nobis eſſe dixerunt: & *Carpocratiani*, & *Cerinthiani*, & *Hebionitæ*, & *Theodotiani*, & *Photiniani*, & *Ariani*, qui omnes negata Chriſti divinitate, hominẽ illũ tantùm eſſe nugati ſunt impiè: & *Valentiniani*, qui Chriſtum nihil ex Maria: & *Apellitæ*, qui carnem illum ex elementis mundi ſumpſiſſe, illiſque hanc reddidiſſe dixerunt, quum ſine ea reſurgens, in cœlum aſcenderit: & *Baſilidiani*, qui Chriſtum crucifixum eſſe negarunt: & *Samoſateniani*, qui negabant Filium de cœlo deſcendiſſe, ſed in utero virginis initium habuiſſe: & *Neſtoriani*, qui naturas Chriſti diſtraxerunt, ut aliam perſonam carnis, aliam Deitatis fecerint, nec unum Chriſtum in verbo Dei & carne crediderint, ſed ſeparatum & ſejunctum, alterũ filium Dei, alterum filium hominis prædicarint, ſicq; Mariam virginem non Dei, ſed hominis tantummodò matrem aſſeruerint. Unde illam negavit θεοτόκον, Dei genetricem eſſe, &c. & *Eutychiani*, qui contrà naturas in Chriſto confundebant, ut poſt humanam aſſumptam hæc in divinam τοῦ λόγου converſa ſit, ac retinebãt has propoſitiones: *Natura divina eſt paſſa & mortua*. Et dictum, *Verbum caro factum eſt*, interpretabãtur: *Verbum factum eſt carneum*. Et omnes illi, qui divinitatem Spiritus ſancti impugnarunt: & illi potiſſimùm, qui vel unitatem divinæ eſſentiæ ſic ſtatuerunt, ut cum Judæis ſacram Triadem ſuſtulerint: vel ſacram Triadem ſic confeſſi ſũt, ut tres in numero diſtinctos ac ſubordinatos Deos ſtatuentes, unitatem eſſentiæ divinæ negarint. Item *Pelagiani* gratiam Dei & remiſſionem peccatorum enervantes, liberum hominis in bonis arbitrium ſtatuentes: denique & *Severiani* & *Hieracbitæ*, carnis reſurrectionem rejicientes. Hi omnes circa fidei noſtræ fundamenta errarunt, tanto nocentiores cæteris, quanto perniciosior eſt, qui fundamenta domus evertere molitur, illis qui circa parerga illius convellenda verſantur.

Hæretici in rebus ſecũdariis errantes.

In poſteriorem claſſem referendi ſunt, qui & ipſi quidem hæretici fuerunt, verùm ſervatis fidei noſtræ fundamentis circa res alias errarunt. Quales fuerunt *Chiliaſtæ*, qui Chriſtum in hoc ſeculo annos mille cum electis feliciter regnaturum ſenſerunt: & *Helceſaitæ*, fidem in perſequutione negari, ac tantùm in corda ſervari poſſe docentes: & *Tatiani* atque *Encratitæ*, qui nuptias damnarunt cum aliis multis: & *Cataphryges*, ſecundas nuptias pro ſcortatione habentes: & *Peputiani, Marcoſii, Meſſaliani*, mulieribus id honoris tribuentes, ut eas ad Sacerdotii quoque dignitatem extollerent: & *Artotyritæ*, panem & caſeum offerentes atque in Euchariſtiâ uſurpantes: & *Quartodecimani*, Paſcha luna quartadecima tantùm, quocunque illa die occurrerit, celebrantes: & *Adamiani*, nuditatem Adæ, quàm ille ante peccatum in paradiſo habuit, imitantes, ac nuptias quoque averſantes: & *Valoſii*, ſeipſos & hoſpites ſuos, quaſi Deo ſic ſervirent, caſtrantes: & *Donatiſtæ ac Circumcelliones*, qui

cere: *Lectio ſacra Scripturæ non tantùm non eſt utilis,ſed multis modis pernitioſa Eccleſiæ.* Ac ſubſternunt: *Ut audacius dicamus,nulla unquam reperta eſt hæreſis, quæ non ex Scripturis occaſionem acceperit.* Quā calumniam non ſinet Dominus abire inultam. Ex carne eſt hæreſis mala, non ex ſacris Scripturis. Caro inſtigāte diabolo,non ſacra Scriptura,eſt mater hæreticorum.Scriptura per ſapientiſſimum mortalium: *In juſtitia ſunt,* inquit,*omnia eloqnia oris mei.Non eſt in iis pravum,nec perverſum. Univerſa ipſa recta ſunt intelligenti, & recta invenientibus ſcientiam.* Et quoniam ex bona & perfecta cauſſa bonum atque perfectum eff ctum oriri neceſſe eſt, Apoſtolus eo elogio unicè commendat Scripturam, dicens,*Tota Scriptura* DIVINITUS *eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem,ad correctionem,ad inſtitutionem,quæ eſt injuſtitia.Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.*Verùm Papiſtæ omnes illos pro hæreticis habent, qui ſacram Scripturam ſequi malunt, quàm frivola Pontificiorum commenta. Sanè hoc genus hæreticorum ex ſacris Scripturis naſcitur. Agnoſcimus hoc& inconſtāter fatemur. At non per ſe & ex ſe eſt illorum cauſſa,ſed accedit,imò ingruit media cauſſa, nempe Diaboli & hominum perverſitas,quæ bona & utili & perfecta Scriptura nequiter abutitur. Fallacia ergo eſt non cauſſæ pro cauſſa. At illi nomine hæreſeos & ſacram Scripturam,& electos Dei infames reddere moliuntur, & imperitis fucum faciunt.

Caniſiii Catecheſ. 301.

2.Tim. 3. 16.

Contra autem ex mala cauſſa oritur malus effectus: nempe è Diaboli & hominum nequitia multi peſſimi hæretici, & horrenda atque pernitioſa hæreſum varietas ac ſeges. Ut enim varium, multiplex & fœcundum eſt mendacium: ita ſunt & variæ & multiplices hæreſes,perinde atque multiplex eſt à regia via deviatio,à qua non eadem,ſed aliis atque aliis viis aberratur. *Principiò*, aliæ ſunt Judæorum, aliæ Gentilium Philophorū,aliæ Pſeudochriſtianorum hæreſes. JUDÆORUM,ut in Joſepho & in Actis Apoſtolorum quoque videre licet,hæretici fuerunt Phariſæi,Sadducæi,& Eſſæi, diverſis à ſe invicem hæreſibus disjuncti. De quibus etiam Epiphanius,Auguſtinus ac Philaſtrius diſſerunt, ut nominatim inter hæreſes numerent. Et quàm multas ab iis mutuati ſint Papiſtæ,lib. 2.exponemus. GENTILIUM Philoſophorum hæretici, alii fuerunt Stoici,alii Peripatetici,alii Epicurei,alii Platonici,&c. de quibus non eſt ut loquamur,quum ſuprà cap.3.oſtenderimus, eas non malè audiviſſe apud Ethnicos.

II. Hæreſum ſpecies,vel genera.

Muſcul. de hæreſi art. 2.

Judaica.

Ethnica.

PSEUDOCHRISTIANORUM hæreſes, prout haud eadem eſt veſania cunctis innumerabiles ſunt, & incomprehenſibili varietate diverſæ, pleræq; autem Judaicarum atque Ethnicarum ſoboles; ut illarum multitudinem & varietatem nemo unquam, ne Patrum quidem temporibus explicare potuerit, quamvis id nonnulli ſint conati. Principalis tamen hæc illarum varietas videtur eſſe, quòd *aliæ* ipſa fidei noſtræ fundamenta convellunt, *aliæ* circa res ſecundarias morbidæ languent,in quibus tamen ipſis etiam fidei vim & meritum vel ſalutem collocant.

Pſeudochriſtiana.

Ad

Digitized by Google

Hæretici fundamenta fidei concutientes.

Ad priorem claſſem pertinent *Marcionitæ & Manichæi*, duo ſtatuentes principia, duos videlicet Deos: bonum unum, malum alterum. *Noëtiani* eundem dicentes Patrem, Filium & Spiritum ſanctum: & *Sabelliani*, quos *Patripaſſianos* ob id vocant, quòd Patrem paſſum pro nobis eſſe dixerunt: & *Carpocratiani*, & *Cerinthiani*, & *Hebionitæ*, & *Theodotiani*, & *Photiniani*, & *Ariani*, qui omnes negata Chriſti divinitate, hominē illū tantùm eſſe nugati ſunt impiè: & *Valentiniani*, qui Chriſtum nihil ex Maria: & *Apellitæ*, qui carnem illum ex elementis mundi ſumpſiſſe, illuſque hanc reddidiſſe dixerunt, quum ſine ea reſurgens, in cœlum aſcenderit: & *Baſilidiani*, qui Chriſtum crucifixum eſſe negarunt: & *Samoſateniani*, qui negabant Filium de cœlo deſcendiſſe, ſed in utero virginis initium habuiſſe: & *Neſtoriani*, qui naturas Chriſti diſtraxerunt, ut aliam perſonam carnis, aliam Deitatis fecerint, nec unum Chriſtum in verbo Dei & carne crediderint, ſed ſeparatum & ſejunctum, alterū filium Dei, alterum filium hominis prædicarint, ſicq; Mariam virginem non Dei, ſed hominis tantummodò matrem aſſeruerint. Unde illam negavit θεοτόκον, Dei genetricem eſſe, &c. & *Eutychiani*, qui contrà naturas in Chriſto confundebant, ut poſt humanam aſſumptam hæc in divinam τȣ̃ λόγȣ converſa ſit, ac retinebāt has propoſitiones: *Natura divina eſt paſſa & mortua.* Et dictum, *Verbum caro factum eſt*, interpretabātur: *Verbum factum eſt carneum.* Et omnes illi, qui divinitatem Spiritus ſancti impugnarunt: & illi potiſſimùm, qui vel unitatem divinæ eſſentiæ ſic ſtatuerunt, ut cum Judæis ſacram Triadem ſuſtulerint: vel ſacram Triadem ſic confeſſi ſūt, ut tres in numero diſtinctos ac ſubordinatos Deos ſtatuentes, unitatem eſſentiæ divinæ negarunt. Item *Pelagiani* gratiam Dei & remiſſionem peccatorum enervantes, liberum hominis in bonis arbitrium ſtatuentes: denique & *Severiani* & *Hieracbitæ*, carnis reſurrectionem rejicientes. Hi omnes circa fidei noſtræ fundamenta errarunt, tanto nocentiores cæteris, quanto pernicioſior eſt, qui fundamenta domus evertere molitur, illis qui circa parerga illius convellenda verſantur.

Hæretici in rebus ſecūdariis errantes.

In poſteriorem claſſem referendi ſunt, qui & ipſi quidem hæretici fuerunt, verùm ſervatis fidei noſtræ fundamentis circa res alias errarunt. Quales fuerunt *Chiliaſtæ*, qui Chriſtum in hoc ſeculo annos mille cum electis feliciter regnaturum ſenſerunt: & *Helceſaitæ*, fidem in perſequutione negari, ac tantùm in corda ſervari poſſe docentes: & *Tatiani* atque *Encratitæ*, qui nuptias damnarunt cum aliis multis: & *Cataphryges*, ſecundas nuptias pro ſcortatione habentes: & *Peputiani*, *Marcoſii*, *Meſſaliani*, mulieribus id honoris tribuentes, ut eas ad Sacerdotii quoque dignitatem extollerent: & *Artotyritæ*, panem & caſeum offerentes atque in Euchariſtiâ uſurpantes: & *Quartodecimani*, Paſcha luna quartadecima tantùm, quocunque illa die occurrerit, celebrantes: & *Adamiani*, nuditatem Adæ, quàm ille ante peccatum in paradiſo habuit, imitantes, ac nuptias quoque averſantes: & *Valoſii*, ſeipſos & hoſpites ſuos, quaſi Deo ſic ſervirent, caſtrantes: & *Donatiſtæ ac Circumcelliones*, qui

Digitized by Google

ſiam. *Alia* conſtituunt non ſolùm ſchiſmata, verùm etiam ſeparatas Eccleſias, quo ſpeciem hæreſum effugiant. De illis loquitur Chryſoſtomus alicubi, quum dicit: *Omnia hæc quæ ſunt propriè Chriſti in veritate, habent & hæreſes illæ in ſchiſmate: ſimiliter Epiſcopos, cæteroſq́ ordines clericorum, ſimiliter Baptiſmum, ſimiliter Euchariſtiam, & cætera omnia, &c.* ALIÆ nec ſchiſma, nec ſeparatas Eccleſias faciunt, ſed in Eccleſia, in quâ exortæ ſunt, manent: quia nondum ſatis emerſerunt.

Alia Scripturas recipiunt, alia non, alia corrumpunt.

Quintò, alia, Scripturas ſacras & canonicas non recipiunt omnes, ſed aliquas rejiciunt, quas videlicet opinionibus ſuis vident eſſe contrarias. *Alia* omnes quidem non recipiunt, verùm germanum illarum ſenſum non recipiunt in omnibus, ſed falſis expoſitionibus enervant, ne auctoritate ſacrarum literarum mendacii arguantur. *Alia* vim contra Adverſarios ſuarum hæreſum parant & uſurpant, ut Ariani veteres. *alia* ſub manſuetudinis & ſanctitatis ſpiritu ab omni vi externâ abſtinent, quo virus ſuum leniùs & leviùs infundere queant. Prolixiſſimi operis fuerit, ac ſeparati, omnem hanc varietatem hæreſum exemplis ob oculos ponere, & ſingularum opiniones refellere. Sed legat de illis Epiphanii Panarium, Auguſtinum, ad Quod vult Deum, & Philaſtrium, qui volet. Quibus conjungi poſſunt multi recentiores, qui de hæreſibus ſcripſerunt: quorum catalogum alio loco & tempore in medium Deo favente dabimus addito delectu, quo & excipi & legi debeant. Nunc has ſpecies obiter qualicunque indicio annotare viſum eſt, ad intelligentiam de lite inter Euangelicos & Papiſtas poſtea rectiùs informandam.

CAP. XI.

Quid diſcriminis ſit inter hæreticos ſeductores & ſeductos.

Seductor hæret. quomodo habĕdus & tractandus ſit.

IN hæretico ſeductore duo ſunt improbanda, falſitatis propagatio, quâ quoſlibet ſeducere ſtudet. Nec poteſt erroris ignorantiæ prætextu excuſari. Quamvis enim in eo, qui per errorem ſeductus eſt, nonnihil veniæ meretur ignorantia: in ſeductoribus tamen tantum aggravatur, quantum exitii infert imperitorum hominum ſaluti. Jam ſi ſeductorem non tam excuſat ignorantia, quàm accuſat ſeductionis pernities, quis non videt, quàm ſit damnabilis & execranda ejus ſeductoris impoſtura, qui non modò errat ipſe, ſed ſciens & prudens perſuadet imperitis, quod haud ignorat eſſe falſum, huc tantùm connitens, ut vel nomini, vel quæſtui, vel ventri ſuo ſerviat? Hujuſmodi ſeductorum primarium eſt exemplar in diabolo, antiquo ſerpente. Ille ſic Evam primam noſtram parentem ſeduxit. Nam quòd illi ſuggerebat, ſciebat eſſe falſum. Sic item ſe transfigurat in Angelum lucis, & Apoſtolos ſuos in Apoſtolos Chriſti, quum utique ſe non lucis, ſed tenebrarum Angelum, & Apoſtolos ſuos non Chriſti, ſed ſuos Apoſtolos eſſe ſciat. Verùm ſingularem hanc malitiam, quâ ſcienter ac prudenter imperitos ſeducunt, dum illis quæ ſciunt eſſe falſa pro veris obtrudunt aſtutiſſimè & altiſſimè diſſimulant impoſtores: Quare

Muſcul. de hæreſ art. 7. in medio.

Gen. 3.3.4.

2. Cor. 11. 3. 13.

Digitized by Google

quum & Magiſtratus & integros populos in illum credere cernerent: ita è contrario plus culpæ in illis eſt, qui mox initio recens exortam hæreſim amplectuntur, quàm qui ad illam ſerò accedunt.

4. *Quartò*, minus culpæ habent, qui hæreticis ob id faciliùs credunt, quòd illi veritati Dei & receptæ doctrinæ haud palàm detrahunt, quàm ſi audiant eos illi derogare.

5. *Quintò*, qui ſolis & nudis hæreticorum verbis, ſine aliquo probabilitatis & miraculorum teſtimonio mox temerè credunt, plus peccant, quàm illi, qui miraculis decepti ſeducuntur. Sic accidit illis, qui Davidici hodie vocantur. Crediderunt illi impiiſſimo & impudētiſſimo impoſtori tanquam Chriſto palàm, idque ſolis verborum nugamentis detrahenti, ſeque ipſum ſupra illius ſublimitatem evehenti. Sic quàm blandè omnis generis tam nudis verbis quàm falſis atque detortis rationibus Pontifex Romanus, hæreſiarcha ſummus, & ſeductor vaferrimus atque ſtrenuiſſimus, ſeſe Chriſti Vicarium, caput Eccleſiæ, imò ſuperiorem Chriſti venditet, ut innumeros decipiat & ſeducat, imò totos populos, è libris Roberti Bellarmini de Romano Pontifice, ac noſtri Sibrandi Luberti, Guilielmi Whitakeri, Mathæi Sutlivii, Franciſci Junii, Lamberti Danæi, Danielis Chamieri, aliorumq́ue, à quibus illi refutantur, liquidò conſtat.

6. *Sextò*, aggravatur etiam ſeductio iſta per cauſſas, quas proximo capite percenſebimus. Nam qui per curioſitatem aut ſanæ doctrinæ faſtidium, vel aliam ſimilem cauſſam ad credendum ſeductoribus hæreticis moventur, minus habent excuſationis, quàm qui bono quodam zelo moti mendacio credunt, dum ſe veritati obedire putant. Sic non modò inter ſeductores & ſeductos, ſed & inter ipſos ſeductores, deinde inter ipſos quoque ſeductos multum diſcriminis invenire licet. Quod ob id admonere voluimus, ut occaſionem omnibus offeram competenti diſcretione hæreticos noſcendi, & cavendi, atque etiam cum illis agendi ab iis, quibus ex officio incumbit, ut corrigendis illis curam & operam impendant.

CAP. X.

Quod potiſſimùm genus hominum per hæreticos ſeducatur.

SOlet ſubinde mirum videri, quomodo fiat, quòd nulla unquam hæreſis in Eccleſiis oboritur, quæ non quàm plurimos ſectatores inveniat, etiamſi ſit vehementer ſuſpecta, abſurda, inanis & impia: id quod innumeris tam priſcarum, quàm recentium hæreſium exemplis patet. Si accideret hoc inter eos, qui alieni non à luce tantùm, ſed & à nomine Chriſti in tenebris plus, quàm commerciis vivunt, nulla eſſet admirationis hujus ratio. Jam quum accidat inter Chriſtianos de vera religione gloriantes, haud fuerit præter rationem, ſi quæramus, qualéſnam ſint Chriſtiani illi, in quibus hæreſes malæ tam facilè locum inveniunt, ſicut per eas à divina ac ſaluberrima hæreſi, imò veritate Euangelica ac divina abhorreant, vel abduci ſe ſinant.

Muſcul. de hæreſiarc. 4.

Digitized by Google

Qui non ſunt ex probatis facilè incidunt in hæreſes.

Quum Apoſtolus 1. Cor. 11. 19. dicat: *Oportet enim & hæreſes eſſe inter vos, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos*, ſatis indicat in genere, quódnam Chriſtianorum genus proclive ſit ad recipiendas hæreſes. Eorum videlicet, *qui non ſunt ex probatis*. Probati namque, ubi naſcuntur hæreſes, ad veritatem Dei ſacris literis patefactam reſpiciunt, & in ea permanent. Atq; ita manifeſtum de ſe præbent argumentum, quòd ſint probati. Conſequitur ergo, reliquam turbam eorum eſſe, qui quoniam probati non ſunt, facili momento ad quasvis hæreſes deficiunt, aut facilè receptas pridem atque uſu conſummatas mordicus contra conſcientiam & fidelē orthodoxorum dehortationem, vel per ignorantiam aut cœcitatem innatam retinent. Fatetur hoc è Pontificiis ipſis Robertus Bellarminus, qui: *Tametſi*, inquit, *heretici videntur Eccleſiæ nocere, tamen revera non nocent, ſed eam exercent, & in ſapientia ac patientia proficere faciunt*. Sed videamus, quænam ſint in illis peculiaria, clariùs & penitiùs vitia, vel defectus, unde fiat, ut facilè in hæreſes labantur.

Lib. 3. de Laicis, cap. 22.
Vide infrà lib. 3. cap. ultimo.

Ignorantia mater ſeductionis.

Primùm, ineſt pleriſq; illorum ignorantia, qualis eſt parvulorum, quam rectè ſeductionum matrem eſſe dixeris. Eſt enim non ſolùm recto initio deſtituta, ſed & nequitiæ hominum aſtutorum obnoxia. Quare præter rationē non eſt, quòd Apoſtolus 1. Cor. 14 ℣. 20. monet, *ne ſenſibus, ſed malitiâ potiùs parvuli ſimus*. Hinc eſt, quòd homines aſtuti, & quæſtum ac dominium exercentes in Eccleſia, omnibus quibus poſſunt modis cavent, ne caligo ignorantiæ auferatur à mentibus ſeductæ multitudinis.

Fluctuatio mentis.

Deinde, ignorantiam hanc comitatur fluctuatio mentis, per quam fit, ut qui parvuli ſunt ſenſibus, quovis doctrinæ vento circumferantur. Fluctuationem hanc perſtringens, Apoſtolus dicit: *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, quoſdam Euangeliſtas, quoſdam Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filii Dei, in virum* (quiſque) *perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, ac circumferamur quovis vento doctrinæ, in hominum aleâ veteratoriâ ad inſidiosè fallendum fiducia, ſed charitatem ſectantes cum charitate, adoleſcamus in illum per omnia, qui eſt caput, nēpe Chriſtus*. Ignorantia igitur hæc & fluctuatio mentis oſtium aperit omnis generis erroribus & hęreſibus, dum multitudinem imperitam nequitiæ hæreticorum & aſtutorum hominum reddit obnoxiam.

Epheſ. 4. 11. 12. 13. 14.

Curioſitas.

Tertiò ubi curioſitatis vitium obtinet, ibi quævis hæretica ſeductio locum invenit. Mox atque novi aliquid & inſoliti profertur, qui curioſi ſunt, quidnam & quale ſit ſcire cupientes, cupidè audiunt & legunt, atque ita perinde ac ſimiis accidere fertur, capiuntur.

Servitus deſideriorum.

Quartò accidit hoc illis quoque, qui veluti quædam ſunt deſideriorum ſuorum mancipia. Illi ubi doctrinam audiunt, deſideriis ſuis indulgentiorem, quàm fuit ea, quam anteà veram ac ſanam audiverunt, ſtatim advertunt ad illam, & animum & aures illiq́ue ſeſe totos addicunt. Futurum hoc prædixit Apoſtolus, dicens: *Nam erit tem-*

2. Tim. 4. 3.

pus

Digitized by Google

pus quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros pro aurium ſuarum pruritu, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas verò convertentur. Doctrina veritatis, quam hîc ſanam doctrinam vocat, eſt id carni noſtræ corruptæ & ex deſideriis languenti, quod medicina eſt ægroto. Quemadmodum ægroto moleſtus eſt fidelis medicus, ea prohibens quæ ille impensè appetit, & præcipiens quæ deſideriis illius adverſantur: acceptus verò impoſtor, qui res ſuas agens, deſideriis illius indulget: conſimili planè modo futurum prævidit Apoſtolus, ut hominibus carnalibus ac deſideriorum ſuorum ſervis moleſta fiat doctrina veritatis, ideóque illi aures ab ea ad falſos doctores avertant, & fabulas illorum carni minùs moleſtas, imò plerumque jucundas etiam, cupidè amplectantur. Ubi ergo hujuſmodi carnalium Chriſtianorum multitudo obtinet, quid mirum eſt, ſi inter illos quævis hæreſis locum inveniat? Hoc conſilio ſatan ſingulis hæreſibus aliquid illectâ mente adjicere ſolet, unde carnales homines ad accipiendum eas pelliciantur. An non hoc in Diabolicâ & execrabili Davidis Georgii hæreſi patet, qui ſectatoribus nuditatem Adæ & Evæ, & promiſcuâ venerem omni mulierum diſcrimine ſublato proponit, & obtemperantib. ſibi veram felicitatem promittit.

David Georgius execrabilis hæreticus.

Inſtabilitas *2. Pet. 2.*

Quintò, & illorum animi capaces ſunt hæreſum, qui naturâ ſuâ quavis in re ſunt inſtabiles. Mentionem horum facit Apoſtolus Petrus, quum mendaces magiſtros animas inſtabiles pellicere dicit. Hoc genus hominum non veritatem modò, ſed & quamvis rem atque opinionem facili momento abjicit, & aliam atque aliam amplectitur, ut nulla ſit arundo levior, & ad quemvis ventum mobilior.

Incuria & neglectus in religione vera.

Sextò, tales & illi ſunt, qui in vera religione conſtituti negligenter ſe gerunt. Horum meminit Auguſtinus in lib. de Agone Chriſti cap. vigeſimo octavo, ſic dicens: *Sed iſti homines decipiunt eos, qui negligenter ſunt in catholica fide, & ipſam ſuam fidem, quæ in Scriptura manifeſta eſt, nolunt diſcere, & quod eſt gravius, ac multum dolendum, quum in catholica fide negligenter verſentur, hæreticis diligẽter aures accõmodãt.* Hæc ille. Sic habet planè. Qui negligenter in cœtum Eccleſiaſticum veniunt, negligenter doctrinam ſalutis audiunt, negligenter ad menſam Domini accedunt, Scripturas ſacras vel prorſus non legunt, vel negligenter legunt, ac nullâ ſcientiæ Dei aurâ tanguntur, omninò ſunt impoſturis hæreticorũ expoſiti. Quàm autem hæc negligentia in Eccleſiis, quas Euangelicas vocant, invaleſcere cœperit, quis eſt, qui non videat? Unde non mirum, aliquos à profeſſione Euangelica ad hæreſes tranſire, imò rurſus ipſi Papatui immiſceri. In Papatu autem ſummâ negligentiâ per prohibitam ſacrarum literarum lectionem regnante, putiſq; Euangelii doctoribus exulantibus, redacta eſt veritas in eas anguſtias, ut centones omnium fermè hæreſum antiquarum conſuti per totum Eccleſiæ Pontificiæ corpus dominentur. Naſcitur autẽ hujuſmodi negligentia, vel ex præpoſtera perſuaſione de gratia Dei ac ſalute, deficienteque divinarum rerum cogni-

Digitized by Google

gnitione: vel ex faſtidio rerum ſacrarum, quam copia & abundantia illarum gignure ſolet. Cujus rei exemplũ in illis Eccleſiis videre licer, in quibus ſacra quotidie peraguntur. Hic mirum eſt, quàm fiant omnia perfunctoriè, nõ à plebe tantùm, ſed & ab ipſis ſacrorum miniſtris.

Nimia admiratio perſonarũ.

Septimò, & illorum animi ad recipiendas hæreſes patent, qui nimii ſunt admiratores perſonarum, quas cæteris aliquãto vel eruditionis, vel ſanctimoniæ gratiâ præſtantiores eſſe cernũt. Hinc enim fieri ſolet, ut eos qui etſi quæ vera ſunt docent, culpabiliter tamen vivant, præ iſtis faſtidiant & contemnant, ac tandem deſerant: falſaque hæreticorum ſanctimonia, ac vanæ pietatis imaginatione decepti, hæreſim pro veritate amplectantur. Hoc in Papatu factum, dum variæ Monachorum, ſtudium ſummæ pietatis & ſanctitatis præ ſe ferentium ſectæ atque factiones pedetentim, ingruerunt, quem latet? Sic hodie propter levitatem ac vanitatem miniſtrorum verbi quorundam, paſſim occurrentem, quàm plures ad Anabaptiſtarum hæreſim deficiunt.

Conſcientia peccatis onerata. 2. Tim. 3.6.

Octavò, accidit ſæpenumero, ut quorum conſcientiæ ſunt peccatis oneratæ, ubi in ſubdolas hæreticorum ſuadelas incidant, confeſtim irretiantur. Meminit hujus Apoſtolus dicens; *Ex his enim ſunt, qui penetrant domos & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Quemadmodum qui morbidis ſunt corporibus, nullo ſunt certo medico contenti, quantumvis perito & pio, ſed cui vis aliquid remedii pollicenti ſeſe concredunt: ita accidit & illis, qui conſcientias habent peccatorum pondere preſſas. Illi cuivis hæretico libertatem promittenti ſeſe addicunt. Deinde ſicut illi ſemper ſunt in alicujus medici cura, & tamen ad ſanitatem nunquam perducũtur: ita iſti ſemper quærunt, ſemper diſcunt, & tamen nunquam ad certam veritatis notitiam perveniunt. Illic ratio eſt, quia nulli medicinæ conſtanter ſeſe tradunt: ideoque etiamſi incidant in veram, ne in illa quidem conquieſcunt. Iſtis verò, quia nulli doctrinæ perſeveranter inhærent, ſed propter cordis inſtabilitatem, & imperſuaſibilis animi incredulitatem, vix guſtata una, inhiãt alteri, idque potiſſimũ in diverſæ.

Si quæras igitur, quodnam potiſſimum genus hominum per hæreticos ſeducatur, ſi quæ annotavimus, diligenter conſideraveris, in promptu videbis peſtem hanc inſidioſam eſſe nondum probatis, ignorantibus, fluctuantibus, curioſis, deſideriorum ſuorum ſervis, inſtabilibus, negligentibus, faſtidioſis, perſonarum admiratoribus, & peccatorum pondere oneratis, ut mirum non ſit, quod nulla hæreſis emerſit unquam, quæ non quàm plurimos in Eccleſiis ſectatores invenerit. Quis enim dubitare poterit, talium hominum multitudine ſemper eſſe refertas Eccleſias?

CAP. XI.

Quantâ & quam variâ culpâ laborent hæreſes, quamq́; ſint pernitioſæ.

Gene-

Digitized by Google

De culpa hæreſis. Vide cap. 3. ſup.

Muſcul. de hæreſi art. 5.

GEneraliter culpa magna ineſt omnibus hæreſibus ob id, quod ex mendaciis conſutæ ſunt ac falſæ, eâ duntaxat exceptâ, quæ verorum eſt Chriſtianorum, in quâ nihil prorſus eſt culpabile. Tota namque bona eſt, quamvis à filiis hujus ſeclui in malam partem pro hæreſi habeatur & traducatur, atque etiam damnetur, à quibus probari non poteſt: propterea quòd illi ſpiritum veritatis, unde ipſa conſtat accipere nequeunt. Extra hanc unam reprehenſione dignæ ac culpabiles ſunt omnes reliquæ hæreſes. Eſt autem culpæ illarum triplex conſideratio. Prima in materia illarum, ſecunda in auctore, tertia in ipſis hæreticis.

1. Culpa in materia.

In *materia* culpa eſt mendacii & erroris. Sunt enim dogmata illarum vel falſa in ſeſe, vel iis, quæ falſa ſunt ſervientia. Falſa potiſſimùm in iis ſunt capitibus, in quibus cujuſque hæreſeos veluti ſubſtantia comprehenditur, propter quam à vera ac ſana doctrina diſcrepat. In ſecundariis nonnunquam aliquid veri immiſcetur, unde quod falſum eſt, vero ſimile reddatur.

Eſt autem generalis hæc hæreſum culpa in aliis magna, in aliis major, in aliis maxima. *Magna* eſt etiam, ubi in rebus ſecundariis pertinaciter erratur, & veritati contradicitur. *Major* eſt, ubi contra aliquem fidei noſtræ articulum contenditur. *Maxima*, quando ipſa fundamenta ſalutis noſtræ, vel in ſacra Triade, vel in unitate divinæ majeſtatis concutiuntur, vel in Chriſto alterutra, vel utraque natura negatur, vel Chriſtus ipſe loco movetur, id quod impiiſſimus hæreſiarcha Maomet, & quod poſt hunc David Georgius fecit. Quo autem major eſt culpa, hoc graviorem convenit eſſe hæreſis abominationem.

2. In auctore.

Si *auctorem* hæreſum conſideres, propter hunc quoque culpabiles ſunt, imò abominabiles. Eſſe autem Satanam illarum auctorem, dictum eſt ſuprà. Hujus namque inſtinctu excitantur, ut veritas Dei quaſi nubilo quodam obducatur & obſcuretur. Hinc eſt, quod combuſtores hæreticorum mitram papyraceam comburẽdis imponunt, in qua depictæ ſint imagines Diaboli, ut admoneant quoſvis, hæreſim illorum eſſe ex inſtinctu Diaboli: quâ in re tamen errant, ubi pro malis hæreticis condemnant ac comburunt veros Chriſtianos, id quod olim eſt in Concilio Conſtãtienſi in Joh. Huſs factum.

3. In hæreticis.

In ipſis *hæreticis* multa ad hæreſim facientia concurrunt, quæ haud parum ſunt culpabilia. Hæreſis namque nec excogitata recipitur non ſine gravibus vitiis. Excogitatur enim impulſu vel ſuperbiæ, vel invidiæ, aut ex morbido rerum novandarum ſtudio, aut ex libidine diſſentiendi & contendendi, quæ vitia quis non videt, quàm ſint damnabilia? Recipitur verò animo non modò ignorante ac fluctuante, ſed & negligente, inſtabili, deſideriis obnoxio, faſtidioſo & curioſo: cujus vitia etſi prioribus collata aliquanto ſint leviora, in hac tamen cauſſa levia ducenda non ſunt. Poſſunt in perſonis hæreticorum dictis jam vitiis alia multa concurrere, quæ ſingulari magis experientiâ, quàm noſtris annotationibus cognoſcenda veniunt.

Et hæc ſola homini Chriſtiano ſufficere

ficere

Digitized by Google

II. *De pernicie hæreſum.* ficere poſſunt ad averſandum hæreſes, ſi intellexerit, quàm ſint culpabiles. Verùm ex abundanti aliqua ſaltem ex parte memorabimus, etiam quàm ſint noxiæ & pernitioſæ, idq; primùm ipſis *Muſc. de hæreſi art. 6.* hæreticis, deinde & aliis. *Hæreticis* inferunt hæc admodũ gravia damna. *Principiò*, eos à via veritatis, ad devia pernitioſorum mendaciorum, quibus totos *1. Nocent ſibiipſis hæretici.* ſe ac ſic pertinaciter addicunt, ut ad regiam ſanæ doctrinæ viam reduci ſe vel nunquam, vel omnium ægerrimè patiantur.

Deinde, reddunt illos etiam hoſtes, adverſarios & blaſphematores veritatis, quaſi non ſit ſatis pernitioſum deficere à via veritatis, niſi hanc etiam blaſphemiis ſuis proſcindant. Sic hæreſes Chriſtianos non modò abalienant à via veritatis Dei, ſed & reddunt eos infenſiſſimos illius hoſtes. *Quemadmodum*, inquit Apoſtolus 2. Tim. 3. 7. *Jamnes & Mambres reſtiterunt veritati, ita & hi faciunt.*

Gal 5. 20. *Tertiò*, excludunt eos à regno Dei, ſicuti teſtatur Apoſtolus, ubi poſtquã inter opera carnis adnumeravit & hæreſes, concludit ad hunc modum: *De quibus prædico vobis, ſicut prædixi, quòd qui talia agunt, regnum Dei non ſint conſequuturi.*

1. Tim. 6. 5. *Quartò*, reddunt eos mente corru-
2. Tim. 3. 7. ptos: Unde & Apoſtolus vocat eos homines *mente corruptos & reprobos circa fidem.* Quæ autem ſanitas poteſt eſſe in corpore, in quo ſanguis eſt corruptus? *Tit. 3. 11.* Sic quid poterit eſſe ſinceri & recti judicii in homine, in quo mens eſt corrupta? Eodem ſpectat, quod idem dicit; *Illos eſſe inverſos & peccare, ut qui ſuopte judicio ſint condemnati.* Nã hæreticus *everſus* eſt, nempe tum à mentis ſincero judicio, tum à Chriſto vero veritatis atque ſalutis fundamento, quemadmodum ſi janua cardinibus ſuis removeatur, vel cardines ipſi ſuis calculis. Deinde, *peccat mortaliter*, hoc eſt, corrupto & inverſo ſuo judicio confidenter innitens, etiam inſanabilis eſt, ut ſe ad ſanam mentem redigi non patiatur, nec velit emendari, donec ut morbi vi ſuperatus ab hæreſi vincitur, atque peſſum datur. Et *αὐτοκατάκριτος*, id eſt, *damnatus eſt per ſe*, ut qui in ſe plenas & ſufficientes cauſſas ſuæ damnationis habet. Quemadmodum n. latro, incendiarius, & alius maleficus: ſic hæreticus ſuæ damnationis ſufficientes habet intra ſe cauſſas, quas tamen minimè agnoſcit.

Quintò, conjungunt eos cum Diabolo, & reddunt conſortes reproborum & impiorum omnium, ac tandem ſempiternæ confuſioni conſtituunt obnoxios, ubi inſipientia illorum manifeſta fiet omnibus. Id quod Apoſtolus 2. Tim. 3 ℣. 9 futurum prædixit. Hæc obiter non de omnibus, ſed quibuſdam tantùm malis, quæ per hæreſin accidunt ipſis hæreticis.

Et utinam nocerent ſibiipſis tantũ, *2. Nocent aliis hæretici.* ſed quantum in ipſis eſt, plurimum damni etiam aliis inferunt. Turbant Eccleſias vehementer, dum excitant in illis rixas, altercationes, contentiones & nocentiſſimas animorum exacerbationes, quibus pax & tranquillitas Eccleſiaſtica turbatur. *Deinde*, ſeducunt *2. Tim. 3. 15.* incautos. Nam Apoſtolus: *Improbi autem homines*, inquit, *& impoſtores proficient in pejus, tum ſeducentes alios, tum ſeducti ipſi.* Quid autem nocentius contin-

tinge-

Digitized by Google

tingere poteſt homini,quàm ſi incidat in ſeductorem, à quo de via ſalutis in barathrum ſeductionis abducatur? *Tertiò* labefactant ſacrarum Scripturarum auctoritatem & utilitatẽ, dum illarum aliquando ſenſum,aliquando literam quoque pervertunt,imò nonnunquam pleraq; ex illis prorſus rejiciunt. Quid hoc aliud eſt,quàm fontem vitæ vel corrumperẽ, vel obturare? *Quartò* religionem Chriſtianam apud exteros infamant,dum illam novationibus ac diſſidiis ſuis de incertitudine ac vanitate ſuſpectam reddunt. Apud illos namque etiam hæretici mali pro Chriſtianis habentur. Quemadmodum illis accidit, qui inter Turcicas nationes vivunt. Ideò quicquid diſſidentium dogmatum & opinionũ ex cogitatur,non ipſorum vanitati,ſed Chriſtianorum religioni adſcribitur. *Ecce tibi Chriſtianorum fidem,* inquiunt,*in qua tot ſunt ſenſus,quot ſunt capita,ubi aliud nihil videatur eſſe,quàm omnis generis errorum ſentina.* *Quintò*,verè hæretici veris Chriſtianis non modò odium,ſed etiam periculum capitis fortunarumque creant. Nam quum hæc mereri videãtur veri hæretici, pro hæreticis autem veri Chriſtiani atque Euangelici habeantur,ſic omnium injuriis tanquam hæretici expoſiti ſunt. Quin fieri ſolet, ut quum in coercendis & pœnâ afficiendis ipſis veris hæreticis in malam partem pro ipſorum merito acceptis, diſcrimen & delectus adhiberi debeat: tamen hoc minimè obſervetur erga Euangelicos & verè Chriſtianos, ſed indomita rabie abſque omni diſcrimine hi,tanquam peſſimi hæretici,omni injuriarum & malorum genere digni judicentur atque afficiantur. Idque etiam ab iis,qui hæreticiſſimi ſunt,patiãtur. Quàm immeritò autem & injuria hoc faciãt,lib.4.quem ſuo tempore Deo auſpice dabimus in commune, explicabitur. Hæc damna & nocumenta Chriſti Eccleſiis per hæreſes adferuntur, quare maximopere ſunt cavendæ. Plura adhuc diligens lector ex ſcriptis Patrum colligere poterit. Verùm nobis hæc in præſenti occurrerunt.

CAP. XII.

Nec falſam, nec veram hæretici definitionem Euangelicis hodiernis convenire.

QUISNAM ſit verè aut falsò hæreticus, unde hæreſes oriãtur, quot ſint earũ ſpecies, quo nam diſcrimine hæretici ſeducentes & ſeducti diſcernantur, qui nam per illos ſeducantur, & quàm vitioſi atque mali ſint, proximè ancedentibus capititibus oſtendimus. Sequitur ut ea jam ad quæſtionẽ atque diſceptationem ipſam de Euangelicis & Papiſtis accommodemus, ut utri ex iis verè hæretici pravi ſint, perſpicuè appareat.

Falſa hæretici definitio non convenit Euangelicis.

PONTFICII definiunt quidem & ſtatuunt aſſiduè clamando, *eos eſſe hæreticos.qui non omnibus iis credunt quæ in Eccleſia Romanâ pro veris traduntur. At hoc facere Euangelium hodie profeſſos. Ergo eos eſſe hæreticos.* Verùm ſi Chriſtus, ſi Apoſtoli, ſi vetuſti primitivæ Eccleſiæ doctores atque fideles nequaquam, ut ipſi Papiſtæ haud inficiantur, ſunt hæretici, neque hæretici in malam partẽ dici ac haberi poſſunt & debent, unde

Digitized by Google

id quæſo? Annon quum inde non fiat, quòd veſtras jam dominantis Eccleſiæ Romanæ traditiones ſciverint, amarint, crediderint, uſurparint, obſervarint, atq; ad poſteritatem propagarint, trans miſerintque, ex contrario hoc oportet provenire, quod videlicet ignari expertesque traditionum omnium, præſertim Romanarũ noſtri temporis, atque ab iis prorſus alieni fuere, ſoliique ſacræ Scripturæ dictatis obſequuti, integram & incorruptam ab omni traditionum humanarum fermento doctrinam fidemq; Chriſtianã propoſuére & obſervavere. Quare eodem modo etiam à noſtris crimen hæreſeos & hæretici nomen infame removeri poteſt, ita hinc argumentando:

Si Chriſtus, Apoſtoli & primitiva Eccleſia Chriſtiana doctores atque fideles non hæretici fuerunt, qui tamen non crediderunt iis omnibus, quæ in Eccleſia Romana pro veris traduntur: certè neque hodierni Euangelici ſunt hæretici, qui non iis omnibus credunt, quæ in Eccleſia Romana pro veris traduntur.

At prius verum:

Ergo & poſterius.

Item:

Qua ratione Chriſtus, Apoſtoli & veteres primitivæ Eccleſiæ doctores ac fideles crimen & nomen hæreticorum evitarunt & effugerunt, eâdem & nos Euangelici id evitamus atque effugimus.

At illi id evitarunt & effugerunt rejiciendo atque damnando traditiones humanas, Romanæ Eccleſiæ traditiones ignorando.

Ergo & nos Euangelici crimen nomenque hæreticorum evitamus atque effugimus, rejiciendo ac damnando traditiones humanas, imò Eccleſiæ Romanæ traditiones ignorando.

Et per cõſequens falſiſſimè atque iniquiſſimè à Papiſtis hæretici appellamur.

Num hîc fucus aliquis tegitur? Nũ inſidioſa aliqua fallacia latet? Nemo reor hoc dicet, quum & in forma argumentorum nihil poſſit deſiderari, & materia primum de Chriſto, Apoſtolis & primitivæ Eccleſiæ doctoribus ac fidelibus, quod neſciverint traditiones Eccleſiæ Romanæ, ac propterea minimè coluerint, & tamen non hæretici ſint, deinde de nobis Euangelicis, quod abjecerimus Eccleſiæ Romanæ traditiones, atque adeò penitus ignoremus, & relictas ſinamus, ideoque jure tam verè ac Chriſtus, Apoſtoli & primitivæ Eccleſiæ doctores, piique Chriſti cultores minimè hæretici ſimus, ſit prorſus plana, perſpicua & certa.

Nemini autem ſano judicio prædito ac cordato ſic fucum facient Papiſtæ, ut ei perſuadeant, etiamſi Chriſtus & Apoſtoli cum priſcæ Eccleſiæ fidelibus non habuerint & coluerint traditiones hodiernæ Eccleſiæ Romanæ, ac nihilominus non hæretici ſint: tamen alios, qui itidem non habent, & obſervant traditiones Romanenſes, ob hoc ipſum hæreticos eſſe. Quis enim hæreticus eſſet imitando & ſequendo Chriſtum, & non credendo iis, quibus ille cum Apoſtolis aliiſque piis non credidit? Imò quis hæreticus poſſet fieri aut eſſe propter idipſum, quod Chriſtus, Apoſtoli & priſcæ Eccleſiæ fideles, omneſque verè pii rejecerunt, damna-

Digitized by Google

damnarunt, devitarunt, fugerunt, quia penitus ignorarunt? Ob quod minimè hæretici ſunt, nec eſſe ullo pacto poſſunt? Annon eadem cauſſa eundem ſemper effectum ſortitur? Et num in hæreticos evaderemus, ſi ab inquinamentis & ſordibus Pontificiis, à quibus Chriſtus, Apoſtoli, primæque Eccleſiæ ſectatores puri extiterunt, nos quoque puros atque immunes ſervamus?

Veram hæretici definitionem non convenire Euangelicis.

Objiciat aliquis: Sed altera hæreſeos & hæretici definitio, quam tu approbas, ac pro veriore agnoſcis & celebras, vos Euangelicos arguit & convincit hæreticos eſſe. Ea eſt:

Propoſitio.

Quæcunque doctrina eorum, qui nomen Chriſtianorum geſtant, non unicè recipit & firmiter tenet ſacras Scripturas, ſed præter & contra eas rejecta omni admonitione ſaniore, pertinaciter errores, ac falſas opiniones, traditionesq́; humanas, fundamentum orthodoxæ fidei convellentes gignit, amplectitur & defendit, ea eſt hæreſis.

Similiter:

Quicunque homines nomen Chriſtianorum ferentes non unicè recipiunt & firmiter tenent ſacras Scripturas ſed præter & contra eas rejecta omni admonitione ſaniore, pertinaciter errores, ac falſas opiniones, traditionesq́; humanas fundamentum orthodoxæ fidei convellentes gignunt, amplectuntur, & defendunt, ii ſunt hæretici.

Reſpondeo: Apta & vera eſt hęc hęreſeos æquè ac hæretici definitio ſeu deſcriptio, ſuprà multis Scripturę ſacrę & Patrum orthodoxorum, quinetiam Juris Utriuſque & nonnullorum Pontificiorum Doctorũ teſtimoniis comprobata. Itaque rectè & meritò eam præ illa Pontificia, quâ is hæreticus ſtatuitur, *qui non omnibus credit, quæ Romana Eccleſia pro veris tradit*, congruam veritati & rei agnoſco, pondusque & apud bonos ac pios omnes & apud me habere poſſe ac debere fateor.

Aſſumptio.

Quoniam verò Noſtri à Papicolis maximè infami titulo hæreticorum gravantur, aſſidueque hæretici dicuntur, unde quæſtio, num tales ſint, necne, aſſumo nunc illa, ſic inferens:

Atqui nulla doctrina Noſtrorum, qui nomen Euangelicorum Chriſtianorum gerunt, non unicè recipit & firmiter tenet ſacras Scripturas; nulla item præter & contra illas pertinaciter, rejecta omni admonitione ſaniore errores, falſas opiniones ac traditiones humanas gignit, amplectitur & defẽdit.

Nulla igitur doctrina Noſtrorum, qui Euangelicorum Chriſtianorum nomen gerunt, eſt hæreſis.

Similiter:

Nulli Euangelici, qui nomen Chriſtianorum profitentur, non unicè recipiunt & firmiter tenent ſacras literas: nulliq́; eorum præter & contra illas pertinaciter poſthabitâ omni admonitione ſaniore, errores ac falſas opiniones, traditionesq́; humanas gignunt, amplectuntur atque defendunt.

Nulli ergo Euangelici nomen Chriſtianorum profeſſi ſunt hæretici.

Probatio Aſſumptionis.

Quapropter iſtam Pontificiorũ importunitatẽ atq; audaciam impudẽtiſſimã nobis hæreſeos crimẽ impingẽdi, meritò graviter fortiterq; refellemus Dei ope ac gratiâ, noſtramque doctrinam & fidem rectè, juſtè, piéque EUANGELIUM dici, Noſque jure ac meri-

Digitized by Google

cere: *Lectio ſacra Scriptura non tantùm non eſt utilis,ſed multis modis pernitioſa Eccleſia.* Ac ſubſternunt: *Ut audacius dicamus,nulla unquam reperta eſt hæreſis, qua non ex Scripturis occaſionem acceperit.* Quã calumniam non ſinet Dominus abire inultam. Ex carne eſt hæreſis mala, non ex ſacris Scripturis. Caro inſtigãte diabolo,non ſacra Scriptura,eſt mater hæreticorum.Scriptura per ſapientiſſimum mortalium: *In juſtitia ſunt,* inquit,*omnia eloquia oris mei.Non eſt in eis pravum,nec perverſum.* *Univerſa ipſa recta ſunt intelligenti, & recta invenientibus ſcientiam.* Et quoniam ex bona & perfecta cauſſa bonum atque perfectum eff:ctum oriri neceſſe eſt, Apoſtolus eo elogio unicè commendat Scripturam, dicens,*Tota Scriptura* DIVINITUS *eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem,ad correctionem,ad inſtitutionem,qua eſt injuſtitia.Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Verùm Papiſtæ omnes illos pro hæreticis habent, qui ſacram Scripturam ſequi malunt, quàm frivola Pontificiorum commenta. Sanè hoc genus hæreticorum ex ſacris Scripturis naſcitur. Agnoſcimus hoc & inconſtãter fatemur. At non per ſe & ex ſe eſt illorum cauſſa,ſed accedit,imò ingruit media cauſſa, nempe Diaboli & hominum perverſitas,quæ bona & utili & perfecta Scriptura nequiter abutitur. Fallacia ergo eſt non cauſſæ pro cauſſa. At illi nomine hæreſeos & ſacram Scripturam,& electos Dei infames reddere moliuntur, & imperitis fucum faciunt.

Caniſii Catecheſ. 301.

2. Tim. 3. 16.

Contra autem ex mala cauſſa oritur malus effectus: nempe è Diaboli & hominum nequitia multi peſſimi hæretici, & horrenda atque pernitioſa hæreſum varietas ac ſeges. Ut enim varium, multiplex & fœcundum eſt mendacium: ita ſunt & variæ & multiplices hæreſes,perinde atque multiplex eſt à regia via deviatio,à qua non eadem,ſed aliis atque aliis viis aberratur. *Principiò*, aliæ ſunt Judæorum, aliæ Gentilium Philophorũ,aliæ Pſeudochriſtianorum hæreſes. JUDÆORUM,ut in Joſepho & in Actis Apoſtolorum quoque videre licet,hæretici fuerunt Phariſæi,Sadducæi,& Eſſæi, diverſis à ſe invicem hæreſibus disjuncti. De quibus etiam Epiphanius,Auguſtinus ac Philaſtrius diſſerunt, ut nominatim inter hæreſes numerent. Et quàm multas ab iis mutuati ſint Papiſtæ,lib. 2.exponemus. GENTILIUM Philoſophorum hæretici, alii fuerunt Stoici,alii Peripatetici,alii Epicurei,alii Platonici,&c. de quibus non eſt ut loquamur,quum ſuprà cap. 3.oſtenderimus, eas non malè audiviſſe apud Ethnicos.

II. Hæreſum ſpecies,vel genera.

Muſcul. de hæreſi art. 2.

Judaica.

Ethnica.

PSEUDOCHRISTIANORUM hæreſes, prout haud eadem eſt veſania cunctis innumerabiles ſunt, & incomprehenſibili varietate diverſæ, pleræq; autem Judaicarum atque Ethnicarum ſoboles; ut illarum multitudinem & varietatem nemo unquam, ne Patrum quidem temporibus explicare potuerit, quamvis id nonnulli ſint conati. Principalis tamen hæc illarum varietas videtur eſſe, quòd *alia* ipſa fidei noſtræ fundamenta convellunt, *alia* circa res ſecundarias morbidæ languent,in quibus tamen ipſis etiam fidei vim & meritum vel ſalutem collocant.

Pſeudochriſtiana.

Ad

Digitized by Google

II. Hæreſum ſpecies, vel genera.

Muſcul. in hæreſi art. 2.

Judaica.

Ethnica.

Pſeudochriſtiana.

Hæretici fundamentu fidei convellentes.

Ad priorem claſſem pertinent *Marcionitæ & Manichæi,* duo ſtatuentes principia, duos videlicet Deos: bonum unum, malum alterum. *Noëtiani* eundem dicentes Patrem, Filium & Spiritum ſanctum: & *Sabelliani,* quos *Patripaſſianos* ob id vocant, quòd Patrem paſſum pro nobis eſſe dixerunt: & *Carpocratiani,* & *Cerinthiani,* & *Hebionitæ,* & *Theodotiani,* & *Photiniani,* & *Ariani,* qui omnes negata Chriſti divinitate, hominẽ illũ tantùm eſſe nugati ſunt impiè: & *Valentiniani,* qui Chriſtum nihil ex Maria: & *Apellitæ,* qui carnem illum ex elementis mundi ſumpſiſſe, illiſque hanc reddidiſſe dixerunt, quum ſine ea reſurgens, in cœlum aſcenderit: & *Baſilidiani,* qui Chriſtum crucifixum eſſe negarunt: & *Samoſateniani,* qui negabant Filium de cœlo deſcendiſſe, ſed in utero virginis initium habuiſſe: & *Neſtoriani,* qui naturas Chriſti diſtraxerunt, ut aliam perſonam carnis, aliam Deitatis fecerint, nec unum Chriſtum in verbo Dei & carne crediderint, ſed ſeparatum & ſejunctum, alterũ filium Dei, alterum filium hominis prædicarint, ſicq; Mariam virginem non Dei, ſed hominis tantummodò matrem aſſeruerint. Unde illam negavit θεοτόκον, Dei genetricem eſſe, &c. & *Eutychiani,* qui contrà naturas in Chriſto confundebant, ut poſt humanam aſſumptam hæc in divinam τοῦ λόγου converſa ſit, ac retinebãt has propoſitiones: *Natura divina eſt paſſa & mortua.* Et dictum, *Verbum caro factum eſt,* interpretabãtur: *Verbum factum eſt carneum.* Et omnes illi, qui divinitatem Spiritus ſancti impugnarunt: & illi potiſſimùm, qui vel unitatem divinæ eſſentiæ ſic ſtatuerunt, ut cum Judæis ſacram Triadem ſuſtulerint: vel ſacram Triadem ſic confeſſi sũt, ut tres in numero diſtinctos ac ſubordinatos Deos ſtatuentes, unitatem eſſentiæ divinæ negarũt. Item *Pelagiani* gratiam Dei & remiſſionem peccatorum enervantes, liberum hominis in bonis arbitrium ſtatuentes: denique & *Severiani* & *Hieracbitæ,* carnis reſurrectionem rejicientes. Hi omnes circa fidei noſtræ fundamenta errarunt, tanto nocentiores cæteris, quanto pernicioſior eſt, qui fundamenta domus evertere molitur, illis qui circa parerga illius convellenda verſantur.

Hæretici in rebus ſecũdariis errantes.

In poſteriorem claſſem referendi ſunt, qui & ipſi quidem hæretici fuerunt, verùm ſervatis fidei noſtræ fundamentis circa res alias errarunt. Quales fuerunt *Chiliaſtæ,* qui Chriſtum in hoc ſeculo annos mille cum electis feliciter regnaturum ſenſerunt: & *Helceſaitæ,* fidem in perſequutione negari, ac tantùm in corda ſervari poſſe docentes: & *Tatiani* atque *Encratitæ,* qui nuptias damnarunt cum aliis multis: & *Cataphryges,* ſecundas nuptias pro ſcortatione habentes: & *Peputiani, Marcoſii, Meſſaliani,* mulieribus id honoris tribuentes, ut eas ad Sacerdotii quoque dignitatem extollerent: & *Artotyritæ,* panem & caſeum offerentes atque in Euchariſtiâ uſurpantes: & *Quartodecimani,* Paſcha luna quartadecima tantùm, quocunque illa die occurrerit, celebrantes: & *Adamiani,* nuditatem Adæ, quàm ille ante peccatum in paradiſo habuit, imitantes, ac nuptias quoque averſantes: & *Valoſii,* ſeipſos & hoſpites ſuos, quaſi Deo ſic ſervirent, caſtrantes: & *Donatiſtæ ac Circumcelliones,* qui

Digitized by Google

ſiam. *Alia* conſtituunt non ſolùm ſchiſmata, verùm etiam ſuparatas Eccleſias, quo ſpeciem hæreſum effugiant. De illis loquitur Chryſoſtomus alicubi, quum dicit: *Omnia hac quæ ſunt propriè Chriſti in veritate, habent & hæreſes illa in ſchiſmate: ſimiliter Epiſcopos, cæteroſq; ordines clericorum, ſimiliter Baptiſmum, ſimiliter Euchariſtiam, & cætera omnia, &c.* ALIÆ nec ſchiſma, nec ſeparatas Eccleſias faciunt, ſed in Eccleſia, in quâ exortæ ſunt, manent: quia nondum ſatis emerſerunt.

Alia Scripturas recipiunt, alia non, alia corrumpunt.

Quintò, alia, Scripturas ſacras & canonicas non recipiunt omnes, ſed aliquas rejiciunt, quas videlicet opinionibus ſuis vident eſſe contrarias. *Alia* omnes quidem non recipiunt, verùm germanum illarum ſenſum non recipiunt in omnibus, ſed falſis expoſitionibus enervant, ne auctoritate ſacrarum literarum mendacii arguantur. *Alia* vim contra Adverſarios ſuarum hæreſum parant & uſurpant, ut Ariani veteres. *alia* ſub manſuetudinis & ſanctitatis ſpiritu ab omni vi externâ abſtinent, quo virus ſuum leniùs & leviùs infundere queant. Prolixiſſimi operis fuerit, ac ſeparati, omnem hanc varietatem hæreſum exemplis ob oculos ponere, & ſingularum opiniones refellere. Sed legat de illis Epiphanii. Panarium, Auguſtinum, ad Quod vult Deum, & Philaſtrium, qui volet. Quibus conjungi poſſunt multi recentiores, qui de hæreſibus ſcripſerunt: quorum catalogum alio loco & tempore in medium Deo favente dabimus addito delectu, quo & excipi & legi debeant. Nunc has ſpecies obiter qualicunque indicio annotare viſum eſt, ad intelligentiam de lite inter Euangelicos & Papiſtas poſtea rectiùs informandam.

CAP. XI.

Quid diſcriminis ſit inter hæreticos ſeductores & ſeductos.

Seductor hæret. quomodo habẽdus & tractandus ſit.

IN hæretico ſeductore duo ſunt improbanda, falſitatis propagatio, quâ quoſlibet ſeducere ſtudet. Nec poteſt erroris ignorantiæ prætextu excuſari. Quamvis enim in eo, qui per errorem ſeductus eſt, nonnihil veniæ meretur ignorantia: in ſeductoribus tamen tantum aggravatur, quantum exitii infert imperitorum hominum ſaluti. Jam ſi ſeductorem non tam excuſat ignorantia, quàm accuſat ſeductionis pernities, quis non videt, quàm ſit damnabilis & execranda ejus ſeductoris impoſtura, qui non modò errat ipſe, ſed ſciens & prudens perſuadet imperitis, quod haud ignorat eſſe falſum, huc tantùm connitens, ut vel nomini, vel quæſtui, vel ventri ſuo ſerviat? Hujuſmodi ſeductorum primarium eſt exemplar in diabolo, antiquo ſerpente. Ille ſic Evam primam noſtram parentem ſeduxit. Nam quòd illi ſuggerebat, ſciebat eſſe falſum. Sic item ſe transfigurat in Angelum lucis, & Apoſtolos ſuos in Apoſtolos Chriſti, quum utique ſe non lucis, ſed tenebrarum Angelum, & Apoſtolos ſuos non Chriſti, ſed ſuos Apoſtolos eſſe ſciat. Verùm ſingularem hanc malitiam, quâ ſcienter ac prudenter imperitos ſeducunt, dum illis quæ ſciunt eſſe falſa pro veris obtrudunt aſtutiſſimè & altiſſimè diſſimulant impoſtores: Quare

Muſcul. de hæreſ art. 7. in medio.

Gen. 3. 3. 4.

2. Cor. 11. 3. 13.

tum

Digitized by Google

quum & Magiſtratus & integros populos in illum credere cernerent: ita è contrario plus culpæ in illis eſt, qui mox initio recens exortam hæreſim amplectuntur, quàm qui ad illam ſerò accedunt.

4. *Quartò*, minus culpæ habent, qui hæreticis ob id faciliùs credunt, quòd illi veritati Dei & receptæ doctrinæ haud palàm detrahunt, quàm ſi audiant eos illi derogare.

5. *Quintò*, qui ſolis & nudis hæreticorum verbis, ſine aliquo probabilitatis & miraculorum teſtimonio mox temerè credunt, plus peccant, quàm illi, qui miraculis decepti ſeducuntur. Sic accidit illis, qui Davidici hodie vocantur. Crediderunt illi impiiſſimo & impudétiſſimo impoſtori tanquam Chriſto palàm, idque ſolis verborum nugamentis detrahenti, ſeque ipſum ſupra illius ſublimitatem evehenti. Sic quàm blandè omnis generis tam nudis verbis quàm falſis atque detortis rationibus Pontifex Romanus, hæreſiarcha ſummus, & ſeductor vaferrimus atque ſtrenuiſſimus, ſeſe Chriſti Vicarium, caput Eccleſiæ, imò ſuperiorem Chriſti venditet, ut innumeros decipiat & ſeducat, imò totos populos, è libris Roberti Bellarmini de Romano Pontifice, ac noſtri Sibrandi Luberti, Guilielmi Witakeri, Mathæi Sutlivii, Franciſci Junii, Lamberti Danæi, Danielis Chamieri, aliorumq; ue, à quibus illi refutantur, liquidò conſtat.

6. *Sextò*, aggravatur etiam ſeductio iſta per cauſſas, quas proximo capite percenſebimus. Nam qui per curioſitatem aut ſanæ doctrinæ faſtidium, vel aliam ſimilem cauſſam ad credendum ſeductoribus hæreticis moventur, minus habent excuſationis, quàm qui bono quodam zelo moti mendacio credunt, dum ſe veritati obedire putant. Sic non modò inter ſeductores & ſeductos, ſed & inter ipſos ſeductores, deinde inter ipſos quoque ſeductos multum diſcriminis invenire licet. Quod ob id admonere voluimus, ut occaſionem omnibus offeram competenti diſcretione hæreticos noſcendi, & cavendi, atque etiam cum illis agendi ab iis, quibus ex officio incumbit, ut corrigendis illis curam & operam impendant.

CAP. X.

Quod potiſſimùm genus hominum per hæreticos ſeducatur.

SOlet ſubinde mirum videri, quomodo fiat, quòd nulla unquam hæreſis in Eccleſiis oboritur, quæ non quàm plurimos ſectatores inveniat, etiamſi ſit vehementer ſuſpecta, abſurda, inanis & impia: id quod innumeris tam priſcarum, quàm recentium hæreſium exemplis patet. Si accideret hoc inter eos, qui alieni non à luce tantùm, ſed & à nomine Chriſti in tenebris plus, quàm commerciis vivunt, nulla eſſet admirationis hujus ratio. Jam quum accidat inter Chriſtianos de vera religione gloriantes, haud fuerit præter rationem, ſi quæramus, qualéſnam ſint Chriſtiani illi, in quibus hæreſes malæ tam facilè locum inveniunt, ſic ut per eas à divina ac ſaluberrima hæreſi, imò veritate Euangelica ac divina abhorreant, vel abduci ſe ſinant. *Muſcul. de hæreſiarc.* 4.

Qui non ſunt ex probatis facilè incidunt in hæreſes.

Quum Apoſtolus 1. Cor. 11. 19. dicat: *Oportet enim & hæreſes eſſe inter vos, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos*, ſatis indicat in genere, quódnam Chriſtianorum genus proclive ſit ad recipiendas hæreſes. Eorum videlicet, *qui non ſunt ex probatis*. Probati namque, ubi naſcuntur hæreſes, ad veritatem Dei ſacris literis patefactam reſpiciunt, & in ea permanent. Atq; ita manifeſtum de ſe præbent argumentum, quòd ſint probati. Conſequitur ergo, reliquam turbam eorum eſſe, qui quoniam probati non ſunt, facili momento ad quaſvis hæreſes deficiunt, aut facilè receptas pridem atque uſu conſummatas mordicus contra conſcientiam & fidelē orthodoxorum dehortationem, vel per ignorantiam aut cœcitatem innatam retinent. Fatetur hoc è Pontificiis ipſis Robertus Bellarminus, qui: *Tametſi*, inquit, *hæretici videntur Eccleſiæ nocere, tamen revera non nocent, ſed eam exercent, & in ſapientia ac patientia proficere faciunt*. Sed videamus, quænam ſint in illis peculiaria, clariùs & penitiùs vitia, vel defectus, unde fiat, ut facilè in hæreſes labantur.

Lib. 3. de Laicis, cap. 22.
Vide infrà lib 3. cap. ultimo.

Ignorantia mater ſeductionis.

Primùm, ineſt pleriſq; illorum ignorantia, qualis eſt parvulorum, quam rectè ſeductionum matrem eſſe dixeris. Eſt enim non ſolùm recto initio deſtituta, ſed & nequitiæ hominum aſtutorum obnoxia. Quare præter rationē non eſt, quòd Apoſtolus 1. Cor. 14 ✝. 20. monet, *ne ſenſibus, ſed malitiâ potiùs parvuli ſimus*. Hinc eſt, quòd homines aſtuti, & quæſtum ac dominium exercentes in Eccleſia, omnibus quibus poſſunt modis cavent, ne caligo ignorantiæ auferatur à mentibus ſeductæ multitudinis.

Fluctuatio mentis.

Deinde, ignorantiam hanc comitatur fluctuatio mentis, per quam fit, ut qui parvuli ſunt ſenſibus, quovis doctrinæ vento circumferantur. Fluctuationem hanc perſtringens, Apoſtolus dicit: *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, quoſdam Euangeliſtas, quoſdam Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filii Dei, in virum* (quiſque) *perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, ac circumferamur quovis vento doctrinæ, in hominum aleâ veteratoriâ ad inſidioſè fallendum fiducia, ſed charitatem ſectantes cum charitate, adoleſcamus in illum per omnia, qui eſt caput, nēpe Chriſtus*. Ignorantia igitur hæc & fluctuatio mentis oſtium aperit omnis generis erroribus & hęreſibus, dum multitudinem imperitam nequitiæ hæreticorum & aſtutorum hominum reddit obnoxiam. *Ephes. 4. 11. 12. 13. 14.*

Curioſitas.

Tertiò ubi curioſitatis vitium obtinet, ibi quævis hæretica ſeductio locum invenit. Mox atque novi aliquid & inſoliti profertur, qui curioſi ſunt, quidnam & quale ſit ſcire cupientes, cupidè audiunt & legunt, atque ita perinde ac ſimiis accidere fertur, capiuntur.

Servitus deſideriorum.

Quartò accidit hoc illis quoque, qui veluti quædam ſunt deſideriorum ſuorum mancipia. Illi ubi doctrinam audiunt, deſideriis ſuis indulgentiorem, quàm fuit ea, quam anteà veram ac ſanam audiverunt, ſtatim advertunt ad illam, & animum & aures illique ſeſe totos addicunt. Futurum hoc prædixit Apoſtolus, dicens: *Nam erit tempus* *2. Tim. 4. 3.*

Digitized by Google

pus quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros pro aurium ſuarum pruritu, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas verò convertentur. Doctrina veritatis, quam hîc ſanam doctrinam vocat, eſt id carni noſtræ corruptæ & ex deſideriis languenti, quod medicina eſt ægroto. Quemadmodum ægroto moleſtus eſt fidelis medicus, ea prohibens quę ille impensè appetit, & præcipiens quæ deſideriis illius adverſantur: acceptus verò impoſtor, qui res ſuas agens, deſideriis illius indulget: conſimili planè modo futurum prævidit Apoſtolus, ut hominibus carnalibus ac deſideriorum ſuorum ſervis moleſta fiat doctrina veritatis, ideóque illi aures ab ea ad falſos doctores avertant, & fabulas illorum carni minùs moleſtas, imò plerumque jucundas etiam, cupidè amplectantur. Ubi ergo hujuſmodi carnalium Chriſtianorum multitudo obtinet, quid mirum eſt, ſi inter illos quævis hæreſis locum inveniat? Hoc conſilio ſatan ſingulis hæreſibus aliquid illectâ mente adjicere ſolet, unde carnales homines ad accipiendum eas pelliciantur. An non hoc in Diabolicâ & execrabili Davidis Georgii hæreſi patet, qui ſectatoribus nuditatem Adæ & Evæ, & promiſcuâ venerem omni mulierum diſcrimine ſublato proponit, & obtemperantib. ſibi veram felicitatem promittit.

David Georgius execrabilis hæreticus.

Inſtabilitas 2.Pet.2.

Quintò, & illorum animi capaces ſunt hæreſum, qui naturâ ſuâ quavis in re ſunt inſtabiles. Mentionem horum facit Apoſtolus Petrus, quum mendaces magiſtros animas inſtabiles pellicere dicit. Hoc genus hominum non veritatem modò, ſed & quamvis rem atque opinionem facili momento abjicit, & aliam atque aliam amplectitur, ut nulla ſit arundo levior, & ad quemvis ventum mobilior.

Incuria & neglectus in religione vera.

Sextò, tales & illi ſunt, qui in vera religione conſtituti negligenter ſe gerunt. Horum meminit Auguſtinus in lib. de Agone Chriſti cap. vigeſimo octavo, ſic dicens: *Sed iſti homines decipiunt eos, qui negligenter ſunt in catholica fide, & ipſam ſuam fidem, quæ in Scriptura manifeſta eſt, nolunt diſcere, & quod eſt gravius, ac multum dolendum, quum in catholica fide negligenter verſentur, hæreticis diligẽter aures accõmodãt.* Hæc ille. Sic habet planè. Qui negligenter in cœtum Eccleſiaſticum veniunt, negligenter doctrinam ſalutis audiunt, negligenter ad menſam Domini accedunt, Scripturas ſacras vel prorſus non legunt, vel negligenter legunt, ac nullâ ſcientiæ Dei aurâ tanguntur, omninò ſunt impoſturis hæreticorũ expoſiti. Quàm autem hæc negligentia in Eccleſiis, quas Euangelicas vocant, invaleſcere cœperit, quis eſt, qui non videat? Unde non mirum, aliquos à profeſſione Euangelica ad hæreſes tranſire, imò rurſus ipſi Papatui immiſceri. In Papatu autem ſummâ negligentiâ per prohibitam ſacrarum literarum lectionem regnante, puriſq; Euangelii doctoribus exulantibus, redacta eſt veritas in eas anguſtias, ut centones omnium fermè hæreſum antiquarum conſuti per totum Eccleſiæ Pontificiæ corpus dominentur. Naſcitur autẽ hujuſmodi negligentia, vel ex præpoſtera perſuaſione de gratia Dei ac ſalute, deficienteque divinarum rerum cogni-

gnitione: vel ex faſtidio rerum ſacrarum, quam copia & abundantia illarum gignure ſolet. Cujus rei exemplũ in illis Eccleſiis videre licet, in quibus ſacra quotidie peraguntur. Hic mirum eſt, quàm fiant omnia perfunctoriè, nõ à plebe tantùm, ſed & ab ipſis ſacrorum miniſtris.

Nimia admiratio perſonarũ.

Septimò, & illorum animi ad recipiendas hæreſes patent, qui nimii ſunt admiratores perſonarum, quas cæteris aliquãto vel eruditionis, vel ſanctimoniæ gratiâ præſtantiores eſſe cernũt. Hinc enim fieri ſolet, ut eos qui etſi quæ vera ſunt docent, culpabiliter tamen vivant, præ iſtis faſtidiant & contemnant, ac tandem deſerant: falſaque hæreticorum ſanctimonia, ac vanæ pietatis imaginatione decepti, hæreſim pro veritate amplectantur. Hoc in Papatu factum, dum variæ Monachorum, ſtudium ſummæ pietatis & ſanctitatis præ ſe ferentium ſectæ atque factiones pedetentim, ingruerunt, quem latet? Sic hodie propter levitatem ac vanitatem miniſtrorum verbi quorundam, paſſim occurrentem, quàm plures ad Anabaptiſtarum hæreſim deficiunt.

Conſcientia peccatis onerata. 2. Tim. 3. 6.

Octavò, accidit ſæpenumero, ut quorum conſcientiæ ſunt peccatis oneratæ, ubi in ſubdolas hæreticorum ſuadelas incidant, confeſtim irretiantur. Meminit hujus Apoſtolus dicens; *Ex his enim ſunt, qui penetrant domos & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Quemadmodum qui morbidis ſunt corporibus, nullo ſunt certo medico contenti, quantumvis perito & pio, ſed cui vis aliquid remedii pollicenti ſeſe concredunt: ita accidit & illis, qui conſcientias habent peccatorum pondere preſſas. Illi cuivis hæretico libertatem promittenti ſeſe addicunt. Deinde ſicut illi ſemper ſunt in alicujus medici cura, & tamen ad ſanitatem nunquam perducũtur: ita iſti ſemper quærunt, ſemper diſcunt, & tamen nunquam ad certam veritatis notitiam perveniunt. Illic ratio eſt, quia nulli medicinæ conſtanter ſeſe tradunt: ideóque etiamſi incidant in veram, ne in illa quidem conquieſcunt. Iſtis verò, quia nulli doctrinæ perſeveranter inhærent, ſed propter cordis inſtabilitatem, & imperſuaſibilis animi incredulitatem, vix guſtata una, inhiãt alteri, idque potiſſimũ in diverſæ.

Si quæras igitur, quodnam potiſſimum genus hominum per hæreticos ſeducatur, ſi quæ annotavimus, diligenter conſideraveris, in promptu videbis peſtem hanc inſidioſam eſſe nondum probatis, ignorantibus, fluctuantibus, curioſis, deſideriorum ſuorum ſervis, inſtabilibus, negligentibus, faſtidioſis, perſonarum admiratoribus, & peccatorum pondere oneratis, ut mirum non ſit, quod nulla hæreſis emerſit unquam, quæ non quàm plurimos in Eccleſiis ſectatores invenerit. Quis enim dubitare poterit, talium hominum multitudine ſemper eſſe refertas Eccleſias?

CAP. XI.

Quantâ & quam variâ culpâ laborent hæreſes, quamq; ſint pernitioſæ.

Gene-

Digitized by Google

De culpa hæreſis. Vide cap. 3. ſup.

Muſcul. de hæreſi art. 5.

GEneraliter culpa magna ineſt omnibus hæreſibus ob id, quod ex mendaciis conſutæ ſunt ac falſæ, eâ duntaxat exceptâ, quæ verorum eſt Chriſtianorum, in quâ nihil prorſus eſt culpabile. Tota namque bona eſt, quamvis à filiis hujus ſeclui in malam partem pro hæreſi habeatur & traducatur, atque etiam damnetur, à quibus probari non poteſt: propterea quòd illi ſpiritum veritatis, unde ipſa conſtat accipere nequeunt. Extra hanc unam reprehenſione dignæ ac culpabiles ſunt omnes reliquæ hæreſes. Eſt autem culpæ illarum triplex conſideratio. Prima in materia illarum, ſecunda in auctore, tertia in ipſis hæreticis.

1. Culpa in materia.

In *materia* culpa eſt mendacii & erroris. Sunt enim dogmata illarum vel falſa in ſeſe, vel iis, quæ falſa ſunt ſervientia. Falſa potiſſimùm in iis ſunt capitibus, in quibus cujuſque hæreſeos veluti ſubſtantia comprehenditur, propter quam à vera ac ſana doctrina diſcrepat. In ſecundariis nonnunquam aliquid veri immiſcetur, unde quod falſum eſt, vero ſimile reddatur.

Eſt autem generalis hæc hæreſum culpa in aliis magna, in aliis major, in aliis maxima. *Magna* eſt etiam, ubi in rebus ſecundariis pertinaciter erratur, & veritati contradicitur. *Major* eſt, ubi contra aliquem fidei noſtræ articulum contenditur. *Maxima*, quando ipſa fundamenta ſalutis noſtræ, vel in ſacra Triade, vel in unitate divinæ majeſtatis concutiuntur, vel in Chriſto alterutra, vel utraque natura negatur, vel Chriſtus ipſe loco movetur, id quod impiiſſimus hæreſiarcha Maomet, & quod poſt hunc David Georgius fecit. Quo autem major eſt culpa, hoc graviorem convenit eſſe hæreſis abominationem.

2. In auctore.

Si *auctorem* hæreſum conſideres, propter hunc quoque culpabiles ſunt, imò abominabiles. Eſſe autem Satanam illarum auctorem, dictum eſt ſuprà. Hujus namque inſtinctu excitantur, ut veritas Dei quaſi nubilo quodam obducatur & obſcuretur. Hinc eſt, quod combuſtores hæreticorum mitram papyraceam comburẽdis imponunt, in qua depictæ ſint imagines Diaboli, ut admoneant quoſvis, hæreſim illorum eſſe ex inſtinctu Diaboli: quâ in re tamen errant, ubi pro malis hæreticis condemnant ac comburunt veros Chriſtianos, id quod olim eſt in Concilio Conſtãtienſi in Joh. Huſs factum.

3. In hæreticis.

In ipſis *hæreticis* multa ad hæreſim facientia concurrunt, quæ haud parum ſunt culpabilia. Hæreſis namque nec excogitata recipitur non ſine gravibus vitiis. Excogitatur enim impulſu vel ſuperbiæ, vel invidiæ, aut ex morbido rerum novandarum ſtudio, aut ex libidine diſſentiendi & contendendi, quæ vitia quis non videt, quàm ſint damnabilia? Recipitur verò animo non modò ignorante ac fluctuante, ſed & negligente, inſtabili, deſideriis obnoxio, faſtidioſo & curioſo: cujus vitia etſi prioribus collata aliquanto ſint leviora, in hac tamen cauſſa levia ducenda non ſunt. Poſſunt in perſonis hæreticorum dictis jam vitiis alia multa concurrere, quæ ſingulari magis experientiâ, quàm noſtris annotationibus cognoſcenda veniunt.

Et hæc ſola homini Chriſtiano ſufficere

Digitized by Google

II. De pernicie hæreſum. ficere poſſunt ad averſandum hæreſes, ſi intellexerit, quàm ſint culpabiles. Verùm ex abundanti aliqua ſaltem ex parte memorabimus, etiam quàm ſint noxiæ & pernitioſæ, idq; primùm ipſis hæreticis, deinde & aliis. *Muſc. de hæreſi art. 6.* *Hæreticis* inferunt hæc admodũ gravia damna. *Principiò*, eos à via veritatis, ad devia pernitioſorum mendaciorum, quibus totos ſe ac ſic pertinaciter addicunt, ut ad regiam ſanæ doctrinæ viam reduci ſe vel nunquam, vel omnium ægerrimè patiantur. *1. Nocent ſibiipſis hæretici.*

Deinde, reddunt illos etiam hoſtes, adverſarios & blaſphematores veritatis, quaſi non ſit ſatis pernitioſum deficere à via veritatis, niſi hanc etiam blaſphemiis ſuis proſcindant. Sic hæreſes Chriſtianos non modò abalienant à via veritatis Dei, ſed & reddunt eos infenſiſſimos illius hoſtes. *Quemadmodum*, inquit Apoſtolus 2. Tim. 3. 7. *Jamnes & Mambres reſtiterunt veritati, ita & hi faciunt.*

Gal 5. 20. *Tertiò*, excludunt eos à regno Dei, ſicuti teſtatur Apoſtolus, ubi poſtquã inter opera carnis adnumeravit & hæreſes, concludit ad hunc modum: *De quibus prædico vobis, ſicut prædixi, quòd qui talia agunt, regnum Dei non ſint conſequuturi.*

1. Tim. 6. 5. *2. Tim. 3. 7.* *Quartò*, reddunt eos mente corruptos: Unde & Apoſtolus vocat eos homines *mente corruptos & reprobos circa fidem.* Quæ autem ſanitas poteſt eſſe in corpore, in quo ſanguis eſt corruptus? *Tit. 3. 11.* Sic quid poterit eſſe ſinceri & recti judicii in homine, in quo mens eſt corrupta? Eodem ſpectat, quod idem dicit; *Illos eſſe inverſos & peccare, ut qui ſuopte judicio ſint condemnati.* Nã hæreticus *everſus* eſt, nempe tum à mentis ſincero judicio, tum à Chriſto vero veritatis atque ſalutis fundamento, quemadmodum ſi janua cardinibus ſuis removeatur, vel cardines ipſi ſuis caliculis. Deinde, *peccat mortaliter*, hoc eſt, corrupto & inverſo ſuo judicio confidenter innitens, etiam inſanabilis eſt, ut ſe ad ſanam mentem redigi non patiatur, nec velit emendari, donec ut morbi vi ſuperatus ab hæreſi vincitur, atque peſſum datur. Et αὐτοκατάκριτος, id eſt, *damnatus eſt per ſe*, ut qui in ſe plenas & ſufficientes cauſſas ſuæ damnationis habet. Quemadmodum n. latro, incendiarius, & alius maleficus: ſic hæreticus ſuæ damnationis ſufficientes habet intra ſe cauſſas, quas tamen minimè agnoſcit.

Quintò, conjungunt eos cum Diabolo, & reddunt conſortes reproborum & impiorum omnium, ac tandem ſempiternæ confuſioni conſtituunt obnoxios, ubi inſipientia illorum manifeſta fiet omnibus. Id quod Apoſtolus 2. Tim. 3 ℣. 9 futurum prædixit. Hæc obiter non de omnibus, ſed quibuſdam tantùm malis, quæ per hæreſin accidunt ipſis hæreticis.

Et utinam nocerent ſibiipſis tantũ, *2. Nocent aliis hæretici.* ſed quantum in ipſis eſt, plurimum damni etiam aliis inferunt. Turbant Eccleſias vehementer, dum excitant in illis rixas, altercationes, contentiones & nocentiſſimas animorum exacerbationes, quibus pax & tranquillitas Eccleſiaſtica turbatur. *Deinde*, ſeducunt *2. Tim. 3. 15.* incautos. Nam Apoſtolus: *Improbi autem homines*, inquit, *& impoſtores proficient in pejus, tum ſeducentes alios, tum ſeducti ipſi.* Quid autem nocentius continge-

Digitized by Google

tingere poteſt homini, quàm ſi incidat in ſeductorem, à quo de via ſalutis in barathrum ſeductionis abducatur? *Tertiò* labefactant ſacrarum Scripturarum auctoritatem & utilitatẽ, dum illarum aliquando ſenſum, aliquando literam quoque pervertunt, imò nonnunquam pleraq; ex illis prorſus rejiciunt. Quid hoc aliud eſt, quàm fontem vitæ vel corrumpere, vel obturare? *Quartò* religionem Chriſtianam apud exteros infamant, dum illam novationibus ac diſſidiis ſuis de incertitudine ac vanitate ſuſpectam reddunt. Apud illos namque etiam hæretici mali pro Chriſtianis habentur. Quemadmodum illis accidit, qui inter Turcicas nationes vivunt. Ideò quicquid diſſidentium dogmatum & opinionũ excogitatur, non ipſorum vanitati, ſed Chriſtianorum religioni adſcribitur. *Ecce tibi Chriſtianorum fidem,* inquiunt, *in qua tot ſunt ſenſus, quot ſunt capita, ubi aliud nihil videatur eſſe, quàm omnis generis errorum ſentina.* *Quintò*, verè hæretici versus Chriſtianis non modò odium, ſed etiam periculum capitis fortunarumque creant. Nam quum hæc mereri videãtur veri hæretici, pro hæreticis autem veri Chriſtiani atque Euangelici habeantur, ſic omnium injuriis tanquam hæretici expoſiti ſunt. Quin fieri ſolet, ut quum in coercendis & pœnâ afficiendis ipſis veris hæreticis in malam partem pro ipſorum merito acceptis, diſcrimen & delectus adhiberi debeat: tamen hoc minimè obſervetur erga Euangelicos & verè Chriſtianos, ſed indomita rabie abſque omni diſcrimine hi, tanquam peſſimi hæretici, omni injuriarum & malorum genere digni judicentur atque afficiantur. Idque etiam ab iis, qui hæreticiſſimi ſunt, patiãtur. Quàm immeritò autem & injuria hoc faciãt, lib. 4. quem ſuo tempore Deo auſpice dabimus in commune, explicabitur. Hæc damna & nocumenta Chriſti Eccleſiis per hæreſes adferuntur, quare maximopere ſunt cavendæ. Plura adhuc diligens lector ex ſcriptis Patrum colligere poterit. Verùm nobis hæc in præſenti occurrerunt.

CAP. XII.

Nec falſam, nec veram hæretici definitionem Euangelicis hodiernis convenire.

QUISNAM ſit verè aut falsò hæreticus, unde hæreſes oriãtur, quot ſint earũ ſpecies, quo nam diſcrimine hæretici ſeducentes & ſeducti diſcernantur, qui nam per illos ſeducantur, & quàm vitioſi atque mali ſint, proximè ancedentibus capititibus oſtendimus. Sequitur ut ea jam ad quæſtionẽ atque diſceptationem ipſam de Euangelicis & Papiſtis accommodemus, ut utri ex iis verè hæretici pravi ſint, perſpicuè appareat.

PONTFICII definiunt quidem & ſtatuunt aſſiduè clamando, *eos eſſe hæreticos, qui non omnibus iis credunt quæ in Eccleſia Romanâ pro veris traduntur, At hoc facere Euangelium hodie profeſſos. Ergo eos eſſe hæreticos.* Verùm ſi Chriſtus, ſi Apoſtoli, ſi vetuſti primitivæ Eccleſiæ doctores atque fideles nequaquam, ut ipſi Papiſtæ haud inficiantur, ſunt hæretici, neque hæretici in malam partẽ dici ac haberi poſſunt & debent, unde *Falſa hæretici definitio non convenit Euangelicis.*

id quæſo? Annon quum inde non fiat, quòd veſtras jam dominantis Eccleſiæ Romanæ traditiones ſciverint, amarint, crediderint, uſurparint, obſervarint, atq; ad poſteritatem propagarint, trans miſerintque, ex contrario hoc oportet provenire, quod videlicet ignari expertesque traditionum omnium, præſertim Romanarũ noſtri temporis, atque ab iis prorſus alieni fuere, ſoliique ſacræ Scripturæ dictatis obſequuti, integram & incorruptam ab omni traditionum humanarum fermento doctrinam fidemq; Chriſtianã propoſuére & obſervavere. Quare eodem modo etiam à noſtris crimen hæreſeos & hæretici nomen infame removeri poteſt, ita hinc argumentando:

Si Chriſtus, Apoſtoli & primitiva Eccleſiæ Chriſtianæ doctores atque fideles non hæretici fuerunt, qui tamen non crediderunt iis omnibus, quæ in Eccleſia Romana pro veris traduntur: certè neque hodierni Euangelici ſunt hæretici, qui non iis omnibus credunt, quæ in Eccleſia Romana pro veris traduntur.

At prius verum:

Ergo & poſterius.

Item:

Qua ratione Chriſtus, Apoſtoli & veteres primitivæ Eccleſiæ doctores ac fideles crimen & nomen hæreticorum evitarunt & effugerunt, eâdem & nos Euangelici id evitamus atque effugimus.

At illi id evitarunt & effugerunt rejiciendo atque damnando traditiones humanas, Romanæ Eccleſiæ traditiones ignorando.

Ergo & nos Euangelici crimen nomenque hæreticorum evitamus atque effugimus, rejiciendo ac damnando traditiones humanas, imò Eccleſiæ Romanæ traditiones ignorando.

Et per cõſequens falſiſſimè atque iniquiſſimè à Papiſtis hæretici appellamur.

Num hîc fucus aliquis tegitur? Nũ inſidioſa aliqua fallacia latet? Nemo reor hoc dicet, quum & in forma argumentorum nihil poſſit deſiderari, & materia primum de Chriſto, Apoſtolis & primitivæ Eccleſiæ doctoribus ac fidelibus, quod neſciverint traditiones Eccleſiæ Romanæ, ac propterea minimè coluerint, & tamen non hæretici ſint, deinde de nobis Euangelicis, quod abjecerimus Eccleſiæ Romanæ traditiones, atque adeò penitus ignoremus, & relictas ſinamus, ideoque jure tam verè ac Chriſtus, Apoſtoli & primitivæ Eccleſiæ doctores, piique Chriſti cultores minimè hæretici ſimus, ſit prorſus plana, perſpicua & certa.

Nemini autem ſano judicio prædito ac cordato ſic fucum facient Papiſtæ, ut ei perſuadeant, etiamſi Chriſtus & Apoſtoli cum priſcæ Eccleſiæ fidelibus non habuerint & coluerint traditiones hodiernæ Eccleſiæ Romanæ, ac nihilominus non hæretici ſint: tamen alios, qui itidem non habent, & obſervant traditiones Romanenſes, ob hoc ipſum hæreticos eſſe. Quis enim hæreticus eſſet imitando & ſequendo Chriſtum, & non credendo iis, quibus ille cum Apoſtolis aliisque piis non credidit? Imò quis hæreticus poſſet fieri aut eſſe propter idipſum, quod Chriſtus, Apoſtoli & priſcæ Eccleſiæ fideles, omnesque verè pii rejecerunt, damna-

Digitized by Google

damnarunt, devitarunt, fugerunt, quia penitus ignorarunt? Ob quod minimè hæretici ſunt, nec eſſe ullo pacto poſſunt? Annon eadem cauſſa eundem ſemper effectum ſortitur? Et num in hæreticos evaderemus, ſi ab inquinamentis & ſordibus Pontificiis, à quibus Chriſtus, Apoſtoli, primæque Eccleſiæ ſectatores puri extiterunt, nos quoque puros atque immunes ſervamus?

Veram hæretici definitionem non convenire Euangelicis.

Objiciat aliquis: Sed altera hæreſeos & hæretici definitio, quam tu approbas, ac pro veriore agnoſcis & celebras, vos Euangelicos arguit & convincit hæreticos eſſe. Ea eſt:

Propoſitio.

Quæcunque doctrina eorum, qui nomen Chriſtianorum geſtant, non unicè recipit & firmiter tenet ſacras Scripturas, ſed præter & contra eas rejecta omni admonitione ſaniore, pertinaciter errores, ac falſas opiniones, traditionesq; humanas, fundamentum orthodoxæ fidei convellentes gignit, amplectitur & defendit, ea eſt hæreſis.

Similiter:

Quicunque homines nomen Chriſtianorum ferentes non unicè recipiunt & firmiter tenent ſacras Scripturas ſed præter & contra eas rejecta omni admonitione ſaniore, pertinaciter errores, ac falſas opiniones, traditionesq; humanas fundamentum orthodoxæ fidei convellentes gignunt, amplectuntur, & defendunt, ii ſunt hæretici.

Reſpondeo: Apta & vera eſt hęc hęreſeos æquè ac hæretici definitio ſeu deſcriptio, ſuprà multis Scripturę ſacrę & Patrum orthodoxorum, quinetiam Juris Utriuſque & nonnullorum Pontificiorum Doctorũ teſtimoniis comprobata. Itaque rectè & meritò eam præ illa Pontificia, quâ is hæreticus ſtatuitur, *qui non omnibus credit, quæ Romana Eccleſia pro veris tradit*, congruam veritati & rei agnoſco, pondusque & apud bonos ac pios omnes & apud me habere poſſe ac debere fateor.

Aſſumptio.

Quoniam verò Noſtri à Papicolis maximè infami titulo hæreticorum gravantur, aſſiduęque hæretici dicuntur, unde quæſtio, num tales ſint, necne, aſſumo nunc illa, ſic inferens:

Atqui nulla doctrina Noſtrorum, qui nomen Euangelicorum Chriſtianorum gerunt, non unicè recipit & firmiter tenet ſacras Scripturas; nulla item præter & contra illas pertinaciter, rejecta omni admonitione ſaniore errores, falſas opiniones, ac traditiones humanas gignit, amplectitur & defēdit.

Nulla igitur doctrina Noſtrorum, qui Euangelicorum Chriſtianorum nomen gerunt, eſt hæreſis.

Similiter:

Nulli Euangelici, qui nomen Chriſtianorum profitentur, non unicè recipiunt & firmiter tenent ſacras literas: nulliq; eorum præter & contra illas pertinaciter poſthabitâ omni admonitione ſaniore, errores ac falſas opiniones, traditionesq; humanas gignunt, amplectuntur atque defendunt.

Nulli ergo Euangelici nomen Chriſtianorum profeſſi ſunt hæretici.

Probatio Aſſumptionis.

Quapropter iſtam Pontificiorũ importunitatẽ atq; audaciam impudẽtiſſimã nobis hæreſeos crimẽ impingẽdi, meritò graviter fortiterq; refellemus Dei ope ac gratiâ, noſtramque doctrinam & fidem rectè, juſtè, piéque EUANGELIUM dici, Noſque jure ac meri-

Digitized by Google

meritò Euangelicos vocari demonſtrabimus.

Aſſumptionem enim noſtram probamus: *Primò*, in medium ponẽtes Codicem ſacrum Veteris ac Novi Teſtamenti, cujus doctrinam, ſi Pontificii omnesq; alii cum doctrina noſtra conferent, hanc planè illi ſimilem atque orthodoxam, & tam non hæreticam ullo modo ac illam eſſe invenient.

Deinde, provocamus ad Confeſſiones, conciones, catechiſmos, ſcriptaq; omnia noſtrorum, & Eccleſiarum noſtrarum, publicè ac privatim extantia. Quàm enim dilucidè, quàm planè, quàm copiosè, quàm denique validè ex iis Aſſumptionem hanc noſtram illius argumenti modò recitati probare poſſumus? Sed omittimus in præſentiarum id pręſtare, non quia nimis eſſet prolixum, ſed quòd alioquin cuique in Confeſſionibus, catecheſibus, concionibus, libris, ſcriptisq; noſtrorum paſſim extantibus eſt obvium atq; expoſitum. Nec quia nimium difficile ac operoſum [illegible], ſed ut omnes & ſingulos Papiſtas ad conquirẽdum, comparandum, legendum, evolvendum, meditandumque exuſcitemus. Hoc verò ſi facere detrectaverint, aut fugerint & neglexerint, illos inertiæ & deſidiæ, aut arrogantiæ & faſtidii inſolentis eſſe reos, omnibus teſtatum faciamus.

Confeſſiones Euangelicorum hæreſibus & hæreticis oppoſitæ.

Ac quamvis ex omnibus & ſingulis noſtrorum ſcriptis ſatis ſuperque conſtet, doctrinam fidemque noſtram adeò nullam neque veterem neque novam eſſe, aut ullo modo redolere hæreſin, ut omnes potiùs omnes hæreſes ſive novas ſive veteres acerrimè oppugnent, vehementiſſimè deteſtentur, ſolidiſſimè confutent, ac longiſſimè proſcribant: tamen hoc inprimis evincunt noſtrarum Eccleſiarum CONFESSIONES, quæ publicè in luce ac manibus verſantur. Hæ enim omnes & ſingulæ, totæ item atque integræ ex profeſſo hunc in finem potiſſimùm editæ ſunt, quòd evidenter docent, ac validè certoque teſtantur, in tam infelici pernicioſarum hæreſum proventu, NOS in Eccleſiis noſtris orthodoxè, ſimpliciter puréque docere, ſentire & credere de omnibus in univerſum ac ſingulis Chriſtianæ fidei & religionis dogmatibus, ac proinde ab hæreſum ſectiúmve communione quàm alieniſſimos eſſe.

Quarum hoc conſilio etiam in ſingulis propè capitibus Confeſſionum & aliorum ſcriptorum mentionem facimus, ut in iis rejiciendis & condemnandis nos totos eſſe perſpiciatur. Quamobrem ut doctrina noſtra & religio eſt Chriſtiana atque Catholica, non hæretica: ſic ipſi, qui eam ſectamur, non hæretici, ſed veri Chriſtiani & Catholici, atque idcirco Catholicorum quoque nomen non ementimur, ſed jure adſciſcimus ac profitemur.

Adhæc, ſi quiſquam Pontificiorum poteſt noſtram doctrinam & fidem ullius hæreſeos verè ſolideque coarguere & convincere, prodeat, prodeat, inquam, & ſe in hoc virum præſtet, ac Theologum gerat. Nec ſufficiat ei, nuda accuſatione & calumnia rem agere, nudis importunisq; verbis ac conviciis Lutheri, Zuinglii, Calvini, noſtrámq; vel univerſam, vel in uno aut altero articulo hæreſeos inſimulare, hæreſi de-

par-

Digitized by Google

pravatam clamare, noſque hæreticos dicere & ingeminare: ſed rationum momenta afferat, pondera argumentorum in medio ſiſtat, & probationum demonſtrationumq; copiis evincat & confirmet.

CAP. XIII.

Euangelicos non eſſe hæreticos, à deſcriptione Catholici ipſius congruente evincitur.

NOndum prodeűte quoquam Papiſtarum, qui ſolidè doctrinam Euangelicam eſſe hæreticam & Euangelicos eſſe hæreticos convincat, nos ἀποδείξει & demonſtratione ſumpta à plana definitione vel deſcriptione Catholici, iis liberationem & purgationem à tam tetro crimine & ignominioſo titulo procurabimus.

Catholici nomen inane nihil probat. Ariſt. Elench. lib. 1. cap. 1.

Nudum nomen Catholici quidem nihil auxilii adferre agnoſcimus. Nam quum Philoſophus dicat: Ἐλέγχων τόπος ἀφυέστατος καὶ δημοσιώτατος ὁ διὰ τῶν ὀνομάτων, id eſt, *locus elenchorum à nominibus petitus maximè eſt naturalis & vulgaris*, ideò modus argumentandi à nominibus ineptus eſt ac ſophiſtarum ingenio maximè accommodatus. Nec argumentatio à nomine ad rem valet, niſi res adſit. At nos Euangelicis rem Catholicorum ineſſe, ac proinde non hæreticos, ſed verè potiùs Catholicos exiſtere evincemus.

Euangelici probantur eſſe catholici ab hujus deſcriptione.

Dicimus igitur & pronuntiamus, quaſi in univerſi orbis Chriſtiani theatro:

Qui ſunt verè Catholici, illi non ſunt hæretici.

Atqui Euangelici hodierni ſunt verè Catholici.

Ergo Euangelici hodierni non ſunt hæretici.

Hoc duplici argumentorum genere liquidiſſimum faciemus. Nam *Propoſitionis* veritas patet, tũ p ſe ex oppoſitione Catholici & hæretici, ſi rectè inſtituatur: tum ſupra cap. 7. eſt probata. *Aſſumptio* clara eſt ex veri Catholici deſcriptione, ejuſdemq; eadem ad Euangelicos Chriſtianos accommodatione.

Catholicus quid ſit orthodoxis.

Dici autem Catholicum à Catholica fide & doctrina extra controverſiam eſt. Sic enim Bellarminus de Eccleſia milit. lib. 3. cap. 10. ſcribit: *Catholicus eſt, qui fidem profitetur Catholicam.* Status igitur controverſiæ inter nos & Pontificios eſt: quænam ſit Catholica illa fides & doctrina, ex qua Catholicus denominationem habeat? Papiſtæ quidem omnibus perſuadere volunt, eum eſſe Catholicum, *qui Romana Eccleſia & Pontificis Romani decreta atque placita ſequitur*: quod & ex oppoſitione hæretici, ut ſuprà cap. 6. dictum, apud illos vulgata apparet. Nos verò ex Scriptura divina edocti, eum dicimus Catholicum. *Primò* generaliter, qui 1.
doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum, hoc eſt, Scripturam Canonicam unanimi conſenſu à vera Eccleſia ſemper & ubique approbatam, de vera Dei cognitione & ſalute in Chriſto conſequendâ profitetur, eique aſſenſum præbet, quemadmodum Apoſtolus Petrus Catholicum deſcribit, dicens: *Huic* (Chriſto) *omnes Prophetæ teſtimonium ferunt, quod remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen ejus, quiſquis crediderit in eum.* Adeoque omnem il- *Act. 10. 43.*

Digitized by Google

lam doctrinã Catholicã vocamus, quæ pro fundamento habet Scripturã Catholicam Prophetarum & Apoſtolorũ.

Ita Vincentius Lyrinenſis tradit, illud eſſe Catholicum, *quod ſemper, quod ubiq; & ab omnibus obſervatum fuit.* Quod non abſolutè intelligendum, ſed ad verbum Dei limitandum eſſe per ſe valet. Aliàs enim non minùs Judaiſmus, Gentiliſmus, Epicureiſmus, Turciſmus commendandus foret, quod ſemper & ubique ſuos cultores inveniat. Sic enim Lyrinenſis ſeipſum explicat: *Ille eſt verus & germanus Catholicus, qui* Joh.17.17 *veritatem Dei diligit, qui Dei religioni ac Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis authoritatem, non ingenium, non eloquentiam non philoſophiam.* Sic & Euſebius ſcripta Catholica vocat Scripturam ſacram, quam quum in tres ordines diſtribuiſſet, illi præcipuè parti hoc elogium concedit, quam conſtat omnium Eccleſiarum confeſſione eſſe canonicam & indubitatam.[a] AUGUSTINUS: *Nec Catholicis Epiſcopis*, inquit, *credendum, ſiquidem forte falluntur, ut contra Scripturas Canonicas aliquod ſentiant.* Quid ergo? *Si videris*, ait CHRYSOSTOMUS, *hominem Chriſtianum, conſidera ſi confeſſio ejus conveniat cum Scripturis? Si ſic*, TUM VERUS EST CHRISTIANUS.

In Commonitorio.

Lib.3.cap.3. & 25.

a. De unit. Eccl. cap. 10.

II. *Deinde*, ſpecialiter Catholicus dictus eſt in primitiva Eccleſia, qui verã de Trinitate & perſona Chriſti doctrinam profitetur contra Arium, juxta declarationem Impp. Theodoſii, Valentiniani, Gratiani & Juſtiniani, Lege *Cunctos populos*, de ſumma Trinit. & fide Catholica. Et ſupra cap. 7. recitatur.

Accedunt hypotheſes Pontificiorum, quibus & ipſi Catholicum Chriſtianum deſcribunt. In Cathechiſmo: *Is eſt Catholicus*, inquiunt, *qui Baptiſmatis Sacramento initiatus, Chriſti doctrinam ſalutarem in Eccleſia profitetur.* Summam autem ejus doctrinæ ibidem proponunt, *Quod ſit Symbolum Apoſtolorum.* Bellarminus oſtenſurus doctrinam, per quam homo ſalvari debeat, proponit eam, *quam nos Jeſus Chriſtus docuit, quæ veram ſalutis viam contineat.* GREGORIUS de Valentia in Analyſ. fid. Cathol. parte 5. f.100. Veritatem fidei commendaturus, quæ abſolutè, ſimpliciter, & ab omnibus hominibus ad ſalutem agnoſcenda & credenda eſt neceſſariò, *ſummam ejus in Symbolo Apoſtolorum* deſcriptam eſſe agnoſcit. FRAN. COSTERUS in præfatione de moribus Hæreticorum fol. 7. proprietatem hominis Catholici deſcribit. *Qui ut filius ſponſæ in Chriſti ſponſi gloriam omnes conatus & ſtudia confert.*

Papiſtis quis ſit Catholicus.

In declarat. doct. Chriſtianæ cap. 1

Ex his dictis jam hanc exſtruimus propoſitionem.

Qui Baptiſmo Chriſti initiati ſunt, 2. ſalutarem Chriſti & Apoſtolorum doctrinam ſincerè, 3. Maximè Symbolum Apoſtolorum amplectuntur, 4. Et omne ſtudium conferunt ad vindicandam Chriſti gloriam, illi ſunt veri & boni Catholici Chriſtiani.

Aſſumimus.

Evangelici, alias Pontificiis Proteſtantes & Lutherani, ac Zuingliani, Calviniſtæq; dicti. 1. Baptiſmo Chriſti initiati ſunt, 2. Salutarem Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam ſincerè, 3. Maximè Symbolum Apoſtolorum amplectuntur, 4. Omne præterea ſtudium ad vindicandum

dum

Digitized by Google

dum Chriſti gloriam conferunt.

Ergo Euangelici à Papiſtis Proteſtantes & Lutherani, ac Zuingliani & Calviniſtæ dicti, ſunt boni & veri Catholici Chriſtiani ac per conſequens minimè hæretici.

Propoſitio tota ſumpta eſt, ex Scriptura ſacra, Patribus & ipſis Pontificiorum ſcriptis. *Aſſumptio* negari non poteſt. 1. Etenim nos baptiſmate Chriſti initiatos eſſe conſtat, & ipſi Adverſarii ratum habent noſtrum baptiſmũ, quia neminem à noſtris baptizatum rebaptizãt, 2. Doctrinam Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum nos ſincerè ac mordicus tenere, caput & cauſſa eſt totius controverſiæ inter nos & Pontificios agitari ſolitæ. Immò in hoc probris afficimur, quod ſolo Dei verbo ſcripto nitimur, traditionibus verò cum verbo Dei ſcripto pugnantibus non fidimus, hoc eſt, ut cum illis loquamur, quod traditiones non pari pietatis affectu cum verbo Dei ſcripto recipimus. Unicum hujus rei teſtem affero COSTERUM, qui in præfatione Enchiridii ſui de moribus Hæreticorum ſic ſcribit. *Noſtri temporis hæretici* Fol. 21. (Proteſtantes & Lutheranos, itẽ Zuinglianos ac Calviniſtas, vel ut uno verbo dicam, Euangelicos & pios Chriſtianos intelligit) *adeò ad ſolas Scripturas tanquam ad ſaxum adhæreſcunt, ut ſe non Catholicos, ſed ab Euangelio Euangelicos vocari velint.* Quod teſtimonium Coſteri nos grato animo acceptamus. Sed neque tantum verba Scripturæ retinemus, verùm etiam mentem & ſenſum Spiritus ſancti, adeò ut ex Scripturis nos hactenus erroris convincere non potuerint: ſed ex traditionibus Romanæ Eccleſiæ nos ab illis diſſentire, probandum ipſis ſit. Et hoc eſt, quod quidam ex illis ſcribunt, hæreticos *ex doctrina Romana Eccleſia* convinci poſſe. 3. Symbolum Apoſtolorum nos unicè firmiſſimeque amplecti, ut vel parvuli id ad unguem teneant, ac memoriter recitare queant, vulgo notum eſt. 4. Nos omne ſtudium conferre ad aſſerendam Chriſti, ſponſi noſtri, gloriam teſtantur tum omnia noſtræ doctrinæ capita, tum illa præcipuè, quæ hactenus contra Pontificios omnis generis de juſtificatione noſtra coram Deo à NOSTRIS ſcripta ſunt, quibus ea deſtruuntur & evertuntur, quæ iſti ſuis commentitiis meritis & ſupererogationibus tribuunt, quibus Chriſti unici Mediatoris ac Salvatoris merito tantùm detrahunt & ſuffurantur, quantum ſuis arrogant. Conſtat ergo *Concluſio* noſtra immota. Ergo Euangelici, aliàs Proteſtantes ac Lutherani, & Zuingliani Calviniſtæque dicti, ſunt verè Catholici Chriſtiani.

Probatur idem à notis Eccleſiæ Catholicæ, quas ipſi Pontificii ſua confeſſione veras & proprias eſſe ſtatuunt. *II. A notis Eccleſiæ. Libro de notis Eccleſiæ.* Si enim verè dixit Bellarminus, hæc eſſe ſigna vel notas Eccleſiæ, quæ ab ipſo cõſtituuntur, tũ verè noſtra Euãgelica Eccleſia eſt Chriſti vera Eccleſia Catholica. At Bellarminus tradit, ſe veras ac proprias Eccleſiæ Catholicæ notas conſtituere eaſdemq; Euangelici in ſua Eccleſia reformata oſtendunt. Nempe quòd Eccleſia Euangelica verè Catholica dicitur atq; eſt (ut paulò ante probatum) quòd ab initio fuit: quòd eſt regnum Chriſti, cujus non erit finis: quòd per totum orbem diffuſa eſt: quod

Digitized by Google

quòd una cum ſucceſſione Epiſcoporum,id eſt,Eccleſia miniſtrorum,chariſma veritatis certum tenet: quòd doctrinam ſervat Apoſtolicam, omnesq; hæreſes rejicit, & ab eis fugit: quòd Chriſto unico Eccleſiæ Catholicæ capiti individuo nexu conjungitur,ejúsque unius doctrinæ ac fidei innititur: quòd vera ſua membra licet magnis ſpatiis diviſa ac diſſita,fidei tamē unius conſenſu & charitate connexa ſunt: quòd omnibus commentitiis traditionibus & ſuperſtitionibus antiquatis, Chriſti ſanctiſſimæ doctrinæ fontes puriſſimos & limpidiſſimos conſectatur:quòd Euangelii prędicatione gentes immaniſſimas ſubegit,& manſuetas reddidit, ac propterea efficaciſſimam doctrinam habet: quòd etiam non Pontifices Romanos, ſed Chriſtum, Apoſtolos & Prophetas habet ſuæ doctrinæ auctores, quos nec ipſi Adverſarii negare poſſunt fuiſſe ſanctiſſimos: quòd inſtructa eſt clariſſimis propheti[i]s & ſtupēdis miraculis: quòd denique inſignibus Dei benedictionibus cumulata eſt,qui & adverſarios ejus graviſſimis pœnis,irâ ſuâ palàm in illos effuſâ affecit.

Relect. princip. doctr. controv.1 q 5. art.5.

Neq; etiam ab hoc confeſſio Thomæ Stapletoni abludit. Nam ſi vera & certò Catholica eſt Eccleſia,quæ incepit ab Hieroſolyma, quæ per omnes nationes diffuſa eſt, & veram retinet Epiſcoporum ſucceſſionem,& ſemper extitit invicta, & perpetuò erit, & Apoſtolica eſt & Catholica,& Chriſtianos gignit Catholicos, & unitatem fidei ſervat,& fidei doctrinam per univerſum orbem propagavit, ac conſervavit,Chriſtique diſciplinam retinuit, & adverſus hæreſes prævaluit, hiſque anathema dicit,& à nullis tentationibus vinci poterit, & regulam judicii Eccleſiaſtici tenet,& doctrinam ſalutis docet, & Sacramenta Chriſti integrè cuſtodit, & Scripturas denique ac regulas Conciliorum protegit,ut Stapletonus prolixè docet: tum vera eſt & orthodoxa atque Catholica Eccleſia,quę nunc apud Euangelicos omnibus in nationibus ac regionibus viret. Hæc enim iſtis omnibus exornata, & omnino ea eſt,quam Chriſtus fundavit, & Apoſtoli & pii Epiſcopi per varias ſucceſſiones ad nos uſque propagarunt;quæ ſecū communicantes in omnibus orbis Chriſtiani locis habet, ſecundùm verbum Dei fidem Chriſti profitetur, & Sacramentorum inſtitutionem à Chriſto factam ſervat, & ita Deum colit,ac vivit,ut ipſe præcepit, nullaque earum rerum,quas Stapletonus ad Eccleſiam Catholicam pertinere ait,deſtituitur. Eccleſia igitur Euangelicorum hodierna eſt verè orthodoxa & Catholica: ac per conſequens Euangelii ejuſdem cives atque ſectatores verè orthodoxi & Catholici Chriſtiani. Neque Adverſariorum ulli, quantumvis flumen verborum (ut ſolent) immenſum effundant, unquā docebunt hæc ſigna à noſtra Eccleſia aliena eſſe.

Objectio Papiſtarum.

Negat verò Thomas Stapletonus iſta duplici modo. PRIMO, dicit, *nos non eſſe Catholicos, juxta verum ejus nominis ſenſum.* Relect. Princip. doctr. contr. 1.q.5.art.2. Et quid ita obſecro? Reſpondet: *Quia ſenſum falſum & alieniſſimum hujus nominis confingimus.* Sed ipſe falſum narrat. Nos enim illud Catholicum

Digitized by Google

licâ eſſe dicimus, *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus Chriſtianis creditum eſt*, nempe ſecundùm ſacræ Scripturæ normam & conſenſum. Quod Vincentio Lirinenſi, ut dictum, verè videtur Catholicum. Adhæc Catholicus nobis eſt is, qui ab eodem Lirinenſi Catholicus dicitur. *Ille enim verus eſt & germanus Catholicus*, inquit Vincentius Lirinenſis, *qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit*. Et poſtea, *qui in fide fixus & ſtabilis permanens, quicquid univerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognoverit, id ſolum ſibi tenendum credendúmque decernit*. At tales nos eſſe nemo negare poteſt, quum nõ peculiares & privatas, nec recentes traditiones & opiniones ſectemur, ſed communes & univerſales Veteris ac Novi Teſtamenti fidelium teneamus. Argumentum præterea affert alienũ. Quid enim, ſi non conſentirent aliqui in explicatione vocabuli Catholici, num propterea non erunt Catholici? Et ſi aliquis noſtrum non ad voluntatem Stapletoni locutus ſit, num nos omnes pœnas luere debemus: DEINDE ait, *nos non eſſe Catholicos, quia non communicemus cum omnibus gentibus Chriſtianis, nec unitatem fidei ſervemus*. Verùm communicamus Prophetarum & Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ in Euangeliis atque Actis deſcriptæ fidei & doctrinæ. Præterea cum iis gentibus omnibus, quæ eandem purè è ſacris Scripturis amplexæ ſunt. Adhæc HARMONIA confeſſionum noſtrarum teſtatur, Eccleſias Germanicas, Anglicas, Scoticas, Gallicas, Helveticas, Danicas, Ungaricas de fide conſentire.

In commonitorio.

Adverſus Hæreſ. c. 25.

CAP. XIV.

In aſſumendis Doctorum ſuorum nominibus falsò Euangelicos vocari hæreticos.

Auxilia à Pontificiis ad Euangelicos hæreſeos cõvincendos accerſita.

PRodeunt verò è Papiſtis non pauci tandem, qui cæteris ſuorum ſilentibus, & quieſcentibus in rationum, argumentorum, probationum, demõſtrationumque viribus ſeriò ad convincendos Euangelicos hæreſeos exſerendis, ipſi cauſſam pro ſuis ſuffulciendam & peragendam ſuſcipiunt, ne in accuſatione ſua turpiter ſuccumbere videantur.

Ex iis enim inſtat Bellarminus lib. de Eccleſia Militante deque notis Eccleſiæ Catholicæ cap. 4, ubi; *Proteſtantes*, inquit, *ut hæretici ab Auctoribus ſuis Marcionitæ, Valentiniani, Simoniani, ita ſuorum Auctorum nomina induerunt. Alii Lutherani, alii Calviniſtæ, alii Zuingliani dicuntur*. Idem figmentum Jeſuitæ plerique omnes ſtrenuè urgent. Ut Gregorius de Valentia in Analyſi, Coſterus in Enchiridio, Armandus in Epiſtolis ad Danielem Chamierum.

Reſpondemus: *Primò* negamus, quod de vetuſtorum hæreticorum denominatione à ſuis Auctoribus, vel hæreſiarchis dicitur. Neque enim omnes hæretici ab aliquo certo hæreſiarcha ſive Auctore, ſed multi ab hæreſibus ſuis ſua nomina accepta derivarunt. Teſtatur hoc Alphonſus de Caſtro ipſe clarus Pontificius, qui *Surrexerunt*, inquit, *Acephali, qui ſimul inſurgebant.* NULLUS *enim repertus eſt, qui eorum eſſet* PRINCEPS MAGISTER. *Iſti unam tantùm in Chriſto naturam eſſe di-*

Lib 4. Tit. de Chriſto.

Digitized by Google

dicebant. Hæcille. Ejuſdem farinæ alios hæreticos recenſuit, Alogianos, Agnoitas, Anthropomorphitas, Angelicos, Anabaptiſtas, Cathariſtas, quibus nulla perſona, ſed ſuæ hæreſes nomina indiderunt.

Orthodoxi ab hominibus inſidioſè denominantur.

Deinde, nihil facilius eſt, quàm orthodoxos iſtius modi honorariis ornare elogiis. Quod agnoſcit Lindanus in Panopliæ Præfatione dicens; *Priſcis ſeculis Catholicæ fidei propugnatores Baſilium, Nazianzenum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum; hæretici hæreticos Manichæos, Homouſianiſtas, Sabellianos, Baſilianiſtas appellabant.*

Euangelici execrantur nomina ſchiſmatica.

Tertiò quod Euangelicos ſeipſos à ſuis Doctoribus denominare aſſerunt Adverſarii, magis mendacio illorum tribuendum eſt quàm Lutheri, vel Zuinglii & Calvini merito, aut ullius Euangelicorum conſuetudini ſeriæ ac probæ. Audi enim ſummum ex Euangelicorũ corona reum, nempe MARTINUM LUTHERUM, qui. *Sunt*, inquit, *qui ſe Lutheranos eſſe gaudent. Non ſic ô fatue, non ſic. Audi advertens animum. Primum oro, ut meum nomen taceatur. & NEMO LUTHERANUS, ſed Chriſtianus appelletur. Quid eſt Lutherus? Doctrina non eſt mea, neque pro vobis crucifixus ſui. D. Paulus* 1. Cor. 3, *nolebat pati, ut Chriſtiani dicerentur Paulini & Petrini, ſed à Chriſto Chriſtiani.* Unde *itaq; mihi fœtido vermiũ ſacco accideret, ut filii Chriſti à meo viliſſimo nomine, denominarentur? Abſit ô Amici, deleantur ſchiſmatica nomina, denominemur à Chriſto, cujus doctrinã habemus.*

Tom. 2. Witt. Germ fol 4.

1. Cor. 1. 12.

Euangelici nõ Lutheri, nõ Zuinglii aut Calvini, ſeu cujuſquam hominis auctoritate nituntur.

Hinc accuſator Bellarminus alibi, nempe lib. 3. de verbo Dei, cap. 3. fateri cogitur ipſe, Euangelicos nec Lutheri, nec Zuinglii, nec Calvini, nec ullius hominis auctoritate niti, ſed à ſolius ſacræ Scripturæ auctoritate pendere. Nam *Proteſtantes*, inquit, *tenẽt ſpiritum* NON *eſſe alligatum* ULLIS EPISCOPIS *aut* ULLI HOMINUM GENERI. *Et Johannes Calvinus omnium hominum, atque adeò ipſorum Conciliorum definitiones ad amuſſim Scripturarum examinari jubet. Et Lutherus non* ULLI *homini*, inquit, *cõmiſſum eſt, ut concludat, aut conſtituat quid ſit fides. Et Brentius. Non licet, inquit,* CUJUSQUAM *ſententiæ ita inhærere, ut eam ſine judicio noſtro complectamur.*

Itaque aut hæc non eſt Calvini, Lutheri & Zuinglii ſententia, quam Pontificius ille tam verè & liberè agnoſcit, aut qui Calvinum, Zuinglium ac Lutherum Doctores, & duces ſequuntur, non ſunt propriè Calviniſtæ, Zuingliani & Lutherani nuncupandi. Sed ſi Papiſtæ ab orthodoxis & hominibus nobiſcũ ſentientibus aliquos Martiniſtas ſeu Lutheranos, alios Zuinglianos, alios Calvinianos vocari aſſerant, more ſuo moro mentiuntur, aut ſcopum non rectè attendunt. Nemo enim noſtrum propenſa voluntate, aut malitia eo nomine fratres ſuos appellat, aut ſe appellari ſinit, ut olim ab hæreticis fortaſſis factitatum. Sed omnes NOSTRI ſeſe & Chriſtianos invicem, & Euangelicos, à Chriſto ſummo noſtro MAGISTRO & ejus Euangelio ſacroſancto, denominari maximè gaudent, inviti verò denominationem à ſuis Doctoribus vel ducibus religionis (ut Apoſtolus Heb. 13. ℣. 7. vocat) audiunt atque ferunt. Planè enim nemo noſtrum eſt neſcius, pios & fideles Chriſti cultores attentos eſſe debere, quod CHRISTIANI dicantur, juxta admo-

Math. 23.

Digitized by Google

admonitionem Pauli 1. Cor. 1. ℣. 12. & 3. ℣. 5. ubi docet, non à Doctoribus ſeu Paſtoribus Eccleſiarum denominandos eſſe fideles, ſed à ſolo Chriſto. Ratio: quia Chriſtus ſolus pro nobis cruci affixus eſt, noſque pretioſo ſuo ſanguine redemit. Adhæc, quia in nullius Doctoris, ſed in Chriſti nomen baptizati ſumus. Quibus de cauſſis ego etiam ſchiſmatica iſta *Proteſtantum, Lutheranorum, Zuinglianorum & Calviniſtarum* nomina horreo. *Act. 20. 28.*

Quando autem vel ego vel alius ea ſimul, vel aliquod eorum ſigillatim adhibeo & uſurpo, fit dupliciter per accidens, quod id facere cogimur. Nam *primò* loquimur ad Papiſtarum hypotheſin, qui iis nominibus utũtur, eaque nobis objiciunt. *Deinde*, docendi tantùm cauſſâ iſtis nominibus utimur, eò quod alterius partis aſſeclæ auctoritati Lutheri ſeſe tantopere addicant, ut non vereantur ſeipſos ab illo *Lutheranos* denominare, licet contra voluntatem Lutheri hoc faciant, quam ipſe Tomo 2. Wittenbergenſi Germanico fol. 4. (uti recenſuimus) exprimit. Alios verò imitando Papicolas per calumniam à Zuinglio & Calvino Zuinglianos ac Calviniſtas appellant, quaſi ab illorum, ut Papiſtæ à Papæ & ipſi à Lutheri, nomine & auctoritate pendeant quoque, & non potiùs doctrinã illorum ideò amplectantur, quod eam verbo Dei conſentaneam eſſe judicent.

Nam de nobis ſanè noſtraque doctrina & religione toto cœlo errant Papiſtæ, ſi hujus & noſtræ Eccleſiæ primordia à Luthero, Zuinglio ac Calvino repetunt. Nihil enim nos à Luthero, vel Zuinglio, aut Calvino, ſeu alio quovis homine habemus, licet illi nobis viam bene præmonſtrarint: ſed omnia è ſcripto & audito ab illis verbo Dei atque Euangelio didicimus atque accepimus. Eccleſia enim nec in hominibus, nec in parietibus conſiſtit, ſed (ut inquit Hieronymus) *in dogmatum veritate*. Si ergo dogmata noſtra non alium quàm Chriſtum habuere auctorem, & Doctorem principem in ſacris literis nobiſcum loquentem & agentem, nec alio tempore cœperũt, quàm quando Chriſtus ea per Apoſtolos, & Prophetas, & ſeipſum revelavit; noſtra Eccleſia ab ipſo, & non ab alio quocunque homine originem habet ac denominari debet. *A Chriſto & Chriſti doctrina nominantur Euangelici.* *In Pſal. 33.* *Epheſ. 2. 19. 20. 21.*

Si autem Adverſarii nos Proteſtantes, vel Lutheranos, Zuinglianos & Calviniſtas appellent, non eſt hoc mirum: ſic enim libenter ipſi convitiandi libidine criminantur. Nec nos eorum convitia magni facere debemus, quum contra ea ſolatio Chriſti Math. 5. ℣. 11. dulciſſimo armemur & confirmemur. Nec pudet & piget nos immerentes atque innocentes eadem ferre, quæ veteres Orthodoxi & verè Catholici ſuſtinuerunt. Hi enim verè Chriſtiani Catholici & Orthodoxi, tamen ab Ethnicis Nazaræi, & ab Arianis Homouſiani, & à Donatiſtis Traditores ſunt nominati.

Ipſi potiùs Papiſtę videant, quomodo non titulum Hæreticorum optimè mereantur, quum toti à Papa Romano & ejus frivolis Traditionibus, Decretis & Decretalibus dependẽtes, ideò jure *Papiſtæ* vocentur. Adhæc quum à quibuſdam ſeipſi invicem appellent

Franciſcanos, Dominicanos, Carmelitas, Jeſuitas, Ignatianos, Capucinos, Carthuſianos, Jacobitas, Johannitas, Benedictinos, Bernardinos, &c. quorum regulis gloriantur, quosq; Doctores ſuos ita eſſe jactant, ut eorum nomina aſſumere laudi & honori ſibi ducāt? Quum item à non nullis apertè nuncupentur Pelagiani, Angelici, Manichæi, Apoſtolici & Eutychiſtæ? Quum denique toti centone è plurimis ac manifeſtiſſimis veterum Hæreticorum hæreſibus conſuto veſtiti, nullo alio nomine ſe dignos ipſi reddant? ut part. 2. hujus operis benignè Deo juvante demonſtrabitur ad oculum, & collatione antiquarum hæreſum cum illorum doctrina comprobabatur.

CAP. XV.

Confirmatur Euangelicis nomen Catholici, & oſtenditur ampliùs ac certiùs, eos veras & proprias Eccleſiæ veræ ac Catholicæ notas habere, rectiſſiméque & veriſſimè non à Doctoribus ſuis denominari, ſed à ſolo Chriſto Chriſtianos appellari.

QUo autem minùs poſſit ignorari, aut dubitari, tum nomen Catholicorum veriſſimè Euangelicis reformatarum Eccleſiarum Chriſtianis cōvenire, tum Euangelicos rectiſſimè nō à ſuis Doctoribus denominari, ſed à ſolo Chriſto Chriſtianos appellari, excutiemus totum caput 4. lib. 4. Bellarmini de notis Eccleſiæ, quo ille nomen & titulum Catholici Euangelicis conatur derogare, & potiùs ſuæ Eccleſiæ Papiſticæ ac Papiſtis vendicare ſatagit.

Prima nota, inquit, Eccleſiæ veræ *eſt Catholicum & Chriſtianum dici.* Putat enim τὸ καθολικὸν, *Catholicum* oſtendere veram Eccleſiam, & eam eſſe veram Eccleſiam, quæ *Catholica* dicitur. Atque inde infert, τὸ καθολικὸν, *Catholicum* eſſe veram Eccleſiæ notam: & qui notâ ac nomine Catholici ſint deſtituti, hæreticos eſſe & hæreticam Eccleſiam habere. Hocque tandem Euangelicis hodie applicat, qui notâ & nomine Catholici deſtituantur, ac proinde hæreticam Eccleſiam habeant, & hæretici ſint. Rationem hanc reddit: Auguſtinus enim cap. 4. contra Epiſtolam fundamenti, *Tenet,* inquit, *Poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut quum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticus vel baſilicam ſuam, vel domum ſuam audeat oſtendere.* Et Cyrillus Catecheſi 18. *Si iveris,* inquit. *in aliquam urbem, non petas ubi ſit Catholica Eccleſia? Id enim proprium nomen eſt hujus ſanctæ Eccleſiæ matris omnium noſtrum.* Quaſi dicat (inquit Bellarminus) ſi hoc petas, nullus hæreticus ſuam Eccleſiam oſtendet. Et Pacianus Epiſtolâ ad Sempronium, quæ eſt de nomine Catholico: *Certè,* inquit, *non eſt ab homine mutuatum, quod per ſecula tanta non cecidit Catholicum iſtud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum ſonat, nec hæreticos ſumit auctores.* Et idem infra: *Chriſtianū mihi nomen eſt,* inquit, *Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit.*

Catholici nomen à Papiſtis nota Eccleſiæ vera ſtatuitur.

Rationes Papiſticæ nominis Catholici.

RESPONDEMUS: Hæc ex iis, quæ ſuprà cap. 13. attulimus de vocabulo Catholici, & ſatis jam expoſita ſunt.

Reſponſio orthodoxa.

Cæ-

Digitized by Google

Cæterùm ἐκ περιουσίας & ex abundanti, ad majorem rei inſtitutionem, dicimus Eccleſiam vocari *duobus* modis CATHOLICAM. *Uno*, pro eâ, quæ diverſis temporibus & locis per univerſum terrarum orbem congregatur. *Altero*, pro ea, quæ diverſis locis, diverſiſque temporibus, ab initio orbis uſque ad ejus finem per univerſum orbem congregata eſt, congregatur & congregabitur.

Eccleſia hoc modo Catholica dicta habet tres partes. Pars *una* in cœlo triumphat: *Altera* jam num in terra contra Chriſti hoſtes militat: *tertia* nondum nata eſt, ſed poſt hanc ætatem naſcitura, & ſub cruce Chriſto militatura eſt. *Quæ* in cœlo *triumphat*, corporeis oculis videri nequit. Corpora enim putrefacta nondum recepit. *Tertia* etiam humanis oculis conſpici non poteſt. Quod enim nondum eſt, id nondum incurrit in ſenſus externos. *Secunda*, ſola mentis collect one congregatur. Ergo non corporis, ſed mentis oculis videri poteſt. Quum igitur hæc non ſit viſibilis, manifeſtum eſt, eam nullâ viſibili notâ oſtendi, ſive notificari poſſe. Eccleſia verò priori modo Catholica dicta etiam eſt inviſibilis: Omne enim καθ' ὅλον eſt inviſibile. Deinde hæc Eccleſia per univerſum orbem diſperſa eſt, nec unquam in uno loco ſimul congregatur. Manifeſtum igitur, eam in hoc mundo videri non poſſe. Sed quod videri nequit, id nullo viſibili ſigno ſeu nota oſtēdi poteſt. Eccleſia igitur ſive hoc, ſive illo modo Catholica dicatur, nulla viſibili notâ oſtendi & demonſtrari poteſt.

Catholica & univerſalis Eccleſia non habet viſibiles notas.

At, dices, eam oſtendi in ſuis *ſingularibus*. Sed hoc eſt contra te. Nam, ut exiſtit, ita etiam eſt viſibilis. Si igitur exiſtit in ſingularibus, etiam conſpicitur in ſingularibus. Unde ſequitur, eam non ut catholicam & univerſalem, ſed ut ſingularem, viſibilem eſſe. Ac proinde non univerſalis, ſed ſingularis Eccleſiæ viſibilem notam dari poſſe. Et ut omnia in pauca contraham: Si Catholicum hoc, vel illo modo accipitur, eſt inviſibile, & ob eam cauſſam non poteſt Eccleſiæ viſibilis nota eſſe, nec potes dicere, hanc vel illam Eccleſiam eſſe Catholicam. Nullum enim καθ' ὅλον eſt τὸ δεῖνα. Hoc eſt, Eccleſia, quæ eſt univerſalis, non eſt ſingularis: proinde nullum καθ' ὅλον poteſt oſtendi. Sola enim ſingularia oſtendi poſſunt. Nam quum particula oſtendendi, vel demonſtrādi, ad vocem communem accedit, vox iſta communis accipitur ſingulariter, ut homo, ſic homo. Sed multa ſingularia ſunt univerſalia. Nemo igitur rectè dixerit, hanc vel illam Eccleſiam eſſe catholicam.

Eccleſia Catholica oſtenditur in ſuis particularib.

Catholicū eſt inviſibile.

Attamen, dices, Auguſtinus ait: Ubi *ad Catholicam Eccleſiam conveniatur*? Et Cyrillus: Ubi ſit *Catholica Eccleſia*? RESPONDEMUS: Quum antiquitus dubitaretur, quinam ad catholicam Eccleſiam pertinerent, conſtitutum eſt, ut illi, QUI ORTHODOXAM DOCTRINAM RECIPIEBANT, catholici dicerentur. Edictum enim Imperatorium ſuprà recitatum hoc evincit, quod ſic habet cap. de ſancta Trinitate lib. 1. *Cunctos populos, quos clementia noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari, quam divum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quámque*

Objectio.

Catholici quinam ſint.

Sap. cap. 7.

Digitized by Google

Pontificem Damaſum ſequi daret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum virum Apoſtolicæ ſanctitatis. Hoc eſt, ut ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicámque doctrinam, Patris & Filii & Spiritus ſancti unam Deitatem ſub pari majeſtate, & ſub pia Trinitate credamus. Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen, jubemus amplecti, reliquos verò dementes vesanósque judicantes hæretici dogmatis infamiã ſuſtinere divinâ primùm vindictâ, poſt etiam motu animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumſerimus, ultione plectendos. Hoc clariſsimè exponit & declarat Sozomenus, lib. 7. cap. 4. ſcribens: *Declarabat Imperator Theodoſius ſe velle, ut illorum duntaxat Eccleſia diceretur Catholica, qui Trinitatem divinam æquali honore colerent, qui diverſum ſentirent, eos hæreticos appellari debere.*

1. Orthodoxam doctrinam tenentes ſunt Catholici.

Euangelici ſunt Catholici.

Si Catholicum hoc modo accipitur tum noſtras Eccleſias reformatas eſſe Catholicas ne ipſe Adverſarius negaverit. Omnes enim eandem doctrinam, quam Petrus tradidit, recipimus, omnes item piam Trinitatem æquali honore colimus.

Hanc verò doctrinam quia hæretici oppugnabant, juxta hujus legis ſentẽtiam Catholici dici nolebant. Verùm ſi hoc ita eſt, tum hæc vox non eſt nota veræ Eccleſiæ, ſed *doctrina orthodoxa* eſt vera nota Eccleſiæ Catholicæ. Edicit enim Imperator Theodoſius, ut illorum duntaxat Eccleſia dicatur Catholica, *qui piam Trinitatem pari honore colunt*: hoc eſt, qui orthodoxam doctrinam amplectuntur. Sed hoc eſt, quod nos dicimus.

2. Sacramentis legitimè utentes ſunt Catholici.

Deinde Catholicum cœpit de illis dici, qui ſacramentis Domini utuntur. De cõſecrat. diſt. 2. cap. *ſeculares, &c. Omnis homo, qui in natali Domini, Paſchate & Pentecoſte nõ communicant, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.* Unde apparet, eam dici Catholicam Eccleſiam, quæ ſacramenta Domini participat. Sed cùm Catholicum hoc modo accipitur, tum & noſtræ Eccleſiæ ſunt Catholicæ. Illæ enim ſæpius, quàm ter ſingulis annis communicãt alicubi, alibi ter ad ſummum. Verùm ſi Catholicum hoc modo accipitur, tum Catholicum non eſt nota Eccleſiæ, ſed ſacramẽta in vero uſu adminiſtrata ſunt veræ Eccleſiæ nota. Quæritur enim, quis ſit Catholicus? Reſpõdet Concilium Agathenſe C. *ſingulares*, & Elibertanum C. *omnis homo*. Eos eſſe Catholicos, qui ter in anno participant, & qui hoc negligunt, eos non deberi Catholicos dici. Legitima igitur Sacramentorum participatio eſt vera Eccleſiæ nota, & hoc eſt quod nos dicimus.

Ab auctore nova doctrina denominati non ſunt Catholici.

Poſt hæc allegat Bellarminus *Juſtinum* dialogo cum Triphone inquientem. *Et ſunt diſtincti cognominibus, denominati è quibusdam viris, ut quiſque fuit auctor alicujus novæ doctrinæ. Ex iis alii vocãtur Marcioniſtæ, alii Valentiniani, alii Baſiliani, alii Saturniani, alii alio vocabulo, quiſque à primo inventore ſui dogmatis.* RESPONDEMUS. Sed nos libenter concedimus, eos non pertinere ad Eccleſiam Catholicam, qui novam doctrinam ſequuntur. Verùm ſi opinatur, Euangelicos ſequi novam doctrinam, errat. Sequuntur enim antiquam illã doctrinam, quam Chriſtus Apoſtolis tradidit, & Apoſtoli literis conſignarunt. Nec alium auctorem ſectantur, quàm Chriſtum, & ob eam cauſſam

ſolum

Digitized by Google

ſolum Chriſti verbum, tanquam normam & regulam omnis doctrinæ audiunt: nec poteſt aliud oſtendi & evinci, quantumvis omnes vires huc conferant Papiſtæ.

Qui ab impia doctrinæ principe denominãtur, non ſunt Catholici.

Poſt Juſtinum allegat *Irenæum* lib. 1. cap. 20. dicentem. *Habent vocabula à principe impiiſſimæ ſententiæ Simone dicti Simoniani*. Sed & hoc concedimus. Qui enim impiam doctrinam amplectuntur, illi ſunt extra Eccleſiam Catholicam. Verùm ut illi ſunt extra Eccleſiam, qui impiam doctrinam amplectuntur, ita qui piam doctrinam amplectuntur ſunt in Eccleſia. Quod ſi ita eſt, ſequitur piam doctrinam eſſe Eccleſiæ notam. Si opinatur Euangelicos ſequi impiam doctrinam, errat. Sequuntur enim eam doctrinam, quæ ab Apoſtolis & Prophetis in vetus & novum Teſtamentum relata eſt, & hoc ipſum ſe ex Dei verbo probaturos eſſe recipiunt, nec non validiſſimè jam jam probarunt.

Qui Chriſtiani nomen omittunt, ſunt non Catholici.

Poſt Irenæum producit *Lactantium* lib. 4. c. 30. ſcribentem; *Quum Martionitæ aut Arriani nominantur, Chriſtiani eſſe deſierũt, qui Chriſti nomine omiſſo, humana & externa vocabula induerunt.* Et hoc libenter concedimus. Nullum enim locum retinuerũt in Eccleſia Catholica, qui Chriſtiani eſſe deſierunt. Si ſubjũgit, Euangelicos deſiiſſe Chriſtianos eſſe, errat. Confitentur enim & credũt firmiſſimè, Chriſtum eſſe redemtorẽ ſuum, in eo ſpem & fiduciam omnem collocant, eique totam ſalutem & omnem fælicitatem, quam ſperant, acceptã ferũt, & ab eo ſe Chriſtianos dici gloriantur, & grato animo profitẽtur.

Poſt Lactãtium adducit *Athanaſium ſerm. 2. cont. Arrium ajentem. Nunquam populus ab Epiſcopis ſuis ſed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit certè à beatis Apoſtolis præceptoribus noſtris appellationes adepti non ſumus, ſed à Chriſto, Chriſtiani ſumus & nuncupamur. Illi verò, qui aliunde fidei ſuæ originem deducunt, meritò auctorum ſuorum cognomenta præ ſe ferunt. Quapropter quum à Chriſto Chriſtiani omnes eſſemus, & diceremur, exploſus & Marcion inventor hæreſeos. Reliqui autem, qui manſerunt, Chriſtiani titulum retinuerunt. Qui verò Marcionem ſequuti ſunt, non jam inde Chriſtiani, ſed Marcioniſtæ appellati ſunt. Ita quoque Valentinus, Baſilius, Manichæus & cæteri ſectatoribus ſuis nomina impertierunt.*

Qui fidei originem nõ habet à Chriſto, non eſt Catholicus.

Quod ipſum à nobis quoque libẽter conceditur. Quicunque enim fidei ſuæ originem aliunde quàm à Chriſto ſumunt, illi ſunt extra Eccleſiam Catholicam. Si ſuſpicatur, aut innuit Bellarminus, Euangelicos fidei ſuæ originem aliunde ſumere, quàm à Chriſto, errat. Hi enim ex ſolo Chriſti verbo ſapere cupiunt, ſolum Chriſti verbum, omnis fidei regulam & normam eſſe volunt, aſſeruntque fidem ex nulla origine, quàm ex Chriſti verbo petendam eſſe.

Simile teſtimonium profert Bellarminus ex Chryſoſtomo homil 33. in Acta, ubi hunc in modum ſcribit: *Illi habent quoſdam, à quibus appellantur. Prout enim hæreſiarcha nomen, ita & ſecta vocatur. Nobis autem nullus vir nomen dedit, ſed fides ipſa.* Ultimum verò affert ex Hieronymo contra Luciferianos tale: *Sicubi audietis eos, qui dicuntur Chriſtiani, non à Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſed à quoquam alio nuncupari, ut Marcionitas, Valentinianos,*

Digitized by Google

nos, ſcitote non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ad quæ ſuperiores reſponſiones damus. At præter has, ut aliquid generale addamus, dicimus novam Marcionis doctrinam, impiam Simonis ſententiam, falſam fidei originem ex ſolo Dei verbo dijudicari. Quia enim Marcion aliud docuit, Simon aliud ſenſit, quàm in Dei verbo ſcriptum eſt, illius doctrina nova, & hujus ſententia impia eſſe judicatur. Deinde, qui hæretici ſuam fidem aliunde quàm è Chriſti verbo hauriunt, ex alienis fontibus eam haurire judicantur. Et ſi hæc ita ſunt, ſequitur verbum Chriſti eſſe veram & propriam fidei ſinceræ, doctrinæ antiquæ, & piæ ſententiæ regulam, & veræ Eccleſiæ notam ſeu indicium.

Aſſumptio & concluſio Bellarmini ſuperiorum teſtimoniorum.

Ex his tam pulchris & evidentibus rationibus Bellarminus tandem infert: *Jam ergo ſi nunc dicuntur alii Martiniſtæ vel Lutherani, alii Zuingliani, alii Calviniani: Nos autem* (ſcilicet Papiſtas) *ab aliquo certo nomine nemo unquam vocavit, conſtat noſtram Eccleſiam ſolam eſſe veram & Catholicam.* In quibus, quoniam robur argumenti ſitum eſt, paulò diligentiùs explicanda ſunt.

Primùm negamus eos, qui quovis modo ab aliquo denominantur, eſſe extra Eccleſiam Catholicam. Chryſoſtomus homil. 33 in Acta: *Quòd ſi & nos agnominationem cujuſdam ſortimur, ſed non ut ab hæreſium principibus, ſed ut ab his, qui præſunt nobis, & gubernant Eccleſiam.*

Annon ſint Catholici, qui quovis modo ab aliquo denominantur.

Non igitur quicunque ab alio cognominantur, ſed qui ab hæreſiarcha cognomen accipiunt, non ſunt vera Eccleſia. Et hoc fatetur ipſe Bellarminus, dicens: *Non eſt malum, ſi Catholici denominantur ab iis, qui Eccleſiam gubernant nomine Chriſti.* Deinde dicimus Euangelicos à Papiſtis per contemptum vocari Martiniſtas ſive Lutheranos, Zuinglianos & Calvinianos ſeu Calviniſtas. Sed non, quomodo Papiſtæ eos vocẽt, ſed quomodo ipſi ſe nominant, attendendum eſt. Lutherus igitur tom. 4. abominatur hanc à ſuo nomine derivatam denominationem, dicens: *Sunt, qui ſe Lutheranos eſſe gaudent. Non ſic, ô fatue, non ſic. Oro, ut meum nomen taceatur, & nemo* LUTHERANUS, *ſed Chriſtianus appelletur. Quid eſt Lutherus? Doctrina non eſt mea, neque pro vobis crucifixus ſui. D. Paulus 1. Cor. 3. nolebat pati, ut Chriſtiani dicerentur à Paulo, ſed à Chriſto.* Unde itaq; *mihi fœtido vermium ſacco accideret, ut filii Chriſti à meo viliſſimo nomine denominarentur? Abſit, ô amici, deleamus ſchiſmatica nomina, & denominetur Chriſtus, cujus doctrinam habemus.* Ipſi verò Euangelici hodierni ſe in univerſum propriè vocant Chriſtianos. Nam in Catechiſmo Emdenſi 1.2. quæſtione interrogatur: *Quare vocaris Chriſtianus?* Reſpondetur: *Quia Jeſus Chriſtus me à peccato & morte liberavit, ut æternæ vitæ hæres eſſe poſſim.* In Catechiſmo Heidelbergenſi 32. *Quare tu Chriſtianus appellaris?* Reſpondetur: *Quòd per fidem ſum membrum Jeſu Chriſti, & unctionis ipſius particeps, ut & nomen ejus confitear, méque ſiſtam ipſi vivam gratitudinis hoſtiam, & in hac vita contra peccatum & Satanam liberâ & bonâ conſciẽtiâ pugnem, & poſtea æternum cum Chriſto regnum in omnes creaturas teneam.* Non igitur gloriamur in Calvino, Zuinglio, aut Luthero. Interea tamen non negamus, eos fuiſſe fideles Chriſti miniſtros, & Eccleſiam per Catachreſin & abu-

Digitized by Google

abuſum ab iis cognominationem accipere poſſe, quemadmodum ex Chryſoſtomo & ex ipſo Bellarmino oſtendimus.

Papiſtæ ab hæreſiarchis denominantur, quos & religioſè colunt. Ideò ſe non Catholicos reddunt.

Si quis hoc argumentum rectè expendet, videbit illud in Papiſtas ſummo jure retorqueri poſſe. Vocant enim ſe Franciſcanos, Dominicanos, & iis nominibus gloriantur in frontiſpicio libri Conformitatum dicentes:

Franciſce Jeſu typice, dux & norma Minorum
Mala, Pater egregie, pelle animorum,
Sedes nobis perpetuè da regni cœlorum.

In eodem libro Cōformitatum: *Papa Gregorius IX.* ſcriptum eſt, *plures de ſanctitate beati Franciſci bullas fecit, in quibus aſſerit beatum Franciſcum ſtigmata Domini noſtri Jeſu veraciter in ſuo corpore impreſſa à Chriſto habuiſſe. Et* HOC TENENDUM MANDAT FIDELIBUS *& credendum, & ſub nota hæreſis puniendum oppoſitum ſapientem.*

Eodem modo de Dominico canit Synagoga Romana:

O ſpem miram quam dediſti
Mortis hora te flentibus,
Dum poſt mortem promiſiſti
Te profuturum fratribus.

Quum igitur Papiſtæ ab his auctoribus denominentur, eoſdemque adorent, perſpicuum eſt, eos impiarum & novarum doctrinarum inventores ſectari, & ab iiſdem denominari. Hanc religionis profanationem multi ante noſtra ſecula deplorarunt. Anshelmus Avelbergenſis: *Quare,* inquit, *tot novitates in Eccleſia Dei fiunt? Quis memorare queat tot Ordines Clericorum? Quis non miretur genera Monachorum? Quis deniq; non ſcandalizatur? & inter tot diverſas formas religionum diſcrepantium tædioſo non afficiatur ſcandalo? Imò quis non contemneret Chriſtianam religionem tot varietatibus ſubjectam, tot adinventionibus imminutam, tot novis legibus & conſuetudinibus agitatam, tot regulis & moribus Monachorum ferè annuatim fluctuantem?*

Interea tamen non negamus, & Papiſtas velle Chriſtianos appellari. Verùm quum illi ſic dici velint, & nos id nomen nobis competere aſſeramus, quid eſt faciendum? RESPONDEMUS regulam Chryſoſtomi eſſe tenendam, quam tradit hom. 33. in Acta Apoſtolorum his verbis: *Quid ergo reſpondebimus Gentilibus? Venit enim Gentilis, & dicit, Vellem fieri Chriſtianus, ſed neſcio, cui adhæream. Multa inter vos ſunt pugnæ, ſeditiones ac tumultus. Neſcio quod dogma eligam, quod præferam. Singuli dicunt, ego verum dico, cui credam neſcio, quum ego Scripturarum ſim ignarus, & illi utrinque idem prætexant. Sanè hoc multum pro nobis. Nam ſi diceremus nos rationibus credere, meritò turbareris. Sed quum Scripturas accepimus, & illæ ſimplices ſunt, ac veræ facilè tibi fuerit judicare,* SI QUIS ILLIS CONSENTIT, CHRISTIANUS EST. *Si quis contra eas pugnat, procul abeſt ab hoc Canone.* Idē homiliâ 7. in Mathæum: *Si videris,* inquit, *hominem Chriſtianum, conſidera, ſi confeſſio ejus conveniat cum* SCRIPTURIS, *ſi ſic, item* VERUS EST CHRISTIANUS. Sed ſi hæc regula obtinebit, verum erit, quod ante aſſeruimus, ſacram Scripturam in vero ſenſu eſſe veram, propriam & legitimam notam Chriſtianorum, id eſt, Chriſtianæ Eccleſiæ. Nam, ut inquit Chryſoſtomus, *qui conſentit Scripturis, eſt Chriſtianus, & qui iis non conſentit, non eſt Chriſtianus.*

Digitized by Google

Scriptura igitur Chriſtianos ab iis, qui non ſunt Chriſtiani diſtinguit. Sed hoc eſt, quod nos dicimus, Scripturam in vero ſenſu eſſe veram notam Chriſtianæ Eccleſiæ. Quam quum Euangelici ideò habeant, quod ſolam Scripturam in vero ſenſu ex ipſa deducto ſequuntur, hac de cauſſa vera Eccleſia Dei ſunt, ac proinde etiam veri Catholici, quia orthodoxam doctrinam ſacræ Scripturæ innitentem tenent. Nec quiſquam unquam aliud de NOBIS in reformatis Eccleſiis hodie verſantibus oſtendere ac probare poterit, quàm NOS omnium diligentiſſimè hoc Irenæi curæ habere ac ſectari: *Fugere oportet ſententias hæreticorum, & intentiùs obſervare, ne conjungamur ipſis, confugere autem ad Eccleſiam, & ejus ſinu educari, & DOMINICIS SCRIPTURIS enutriri.*

Lib 5. adverſ hæreſes.

CAP. XVI.

Refelluntur paucis rationes Bellarmini, quibus tum alias notas Eccleſiæ veræ, quas ipſe fingit, Euangelicis hodie deeſſe arguit, tum inprimis conſenſione in doctrina orthodoxa cum Eccleſia antiqua Euangelicos deſtitui, conſpiratione autem cum vetuſtis antiquorum Hæreticorum Hæreſibus implicatos eſſe nugatur.

NE tamen prorſus præter rationem Euangelicos Pontificii hæreſeos accuſare, & hæreticos nuncupare videentur, tranſeunt ad aliud ſuæ accuſationis & appellationis fundamentum, ſeu alium fontem nuper demum inventum atque effoſſum. Nam notas Eccleſiæ veræ & Catholicæ eſſe fingẽs Bellarminus Antiquitatem, Duratione irruptam, Amplitudinem credentiũ, Succeſſionem Epiſcoporum, conſenſum in doctrinâ cum Eccleſiâ antiquâ, Unionem membrorum inter ſe & cũ capite viſibili, Romano Pontifice, Sanctitatem doctrinæ, Efficaciam hujus, Puritatem Auctorum religionis, Gloriam miraculorum, Lumen Propheticum, Confeſſionem Adverſariorum, denique Exitum oppugnãtium Eccleſiam infelicem: has omnes notas Euangelicorum Eccleſiam deficere crepat, ac proinde Euangelicos eſſe hæreticos, eorumque Eccleſiam hæreticam arguit. Sed in ſingulis harum notarum defectibus, quo ad Euangelicos, nihil niſi ſingulos ac meros latratus temerè edit, ut ordine oſtendemus.

Lib. de Notis Eccleſiæ per 12. capita continua.

Aſſerit capite 5. libri de Notis Eccleſiæ Bellarminus *Antiquitatem Euangelicæ Eccleſiæ deeſſe*, quia *Lutherus & Lutherani* cœperint anno 1517. *Zuinglius* & Zuingliani anno 1525. *Calvinus* anno 1538. cum ſuis Calviniſtis. Sed non eſt quæſtio de ortu horum Doctorum, ſed illorum dogmatibus. Dogmatũ verò, quæ in medium attulerunt & & prædicarunt, ipſi non ſunt auctores, neque hoc hactenus quiſquam ex omnibus Lutheri, Zuinglii & Calvini adverſariis, qui ſanè innummeri fuerunt, unquam oſtendere potuit. Neque nobis difficile eſt oſtendere, hæc dogmata (prout Lutherus, Zuinglius & Calvinus ea docuit) tradidiſſe Chriſtum Apoſtolis, Apoſtolos mandaſſe literis, & primitivam ſubſequentémque Eccleſiam illam ex Apoſtolorum ore

I. Antiquitas Eccleſiæ Euangelicæ.

Digitized by Google

ore & ſcriptis hauſiſſe, atque inde per tot ſecula ad hanc uſque ætatem noſtram, ſemper & ſine ulla interruptione aliàs minùs & obſcuriùs, aliàs magis ac clariùs habuiſſe & docuiſſe.

2. *Duratio Eccleſiæ Euangelicæ.*

Aſſerit capite 6. *Durationem* irruptã noſtræ Euangelicæ Eccleſiæ deeſſe. *Nam Lutheranos vix natos areſcere cœpiſſe. Zuinglium non diu regnaſſe, Calviniſtas per Puritanos in Anglia, Trinitarios in Polonia & Samoſatenos in Tranſylvania ad paucitatatem redactos eſſe: ipſumq; denique Calvinum prævidiſſe regnum ſuum non diuturnũ fore.* Sed malè ille ex ſuorum Pontificum regno de noſtris hominibus, qui in ſumma paupertate & maximis Miniſterii Eccleſiaſtici laboribus ac ſtudiis vitam exegerunt, æſtimat. Malè deinde Euangelicorum & Eccleſiarũ hominibus Chriſtianis, qui quoad conſcientias & fidem nullum habent regem, Prophetam & Sacerdotem præter Chriſtum, judicat. Plurimum denique errat, ubi ſemen illud, quod Lutherus & alii pii viri, ut Zuinglius, Calvinus, eorumque ſimiles ſeminarunt, nunc exaruiſſe & evanuiſſe putat. Manet enim illud, & manebit ſemper altis radicibus in piorum cordibus fixum. Neque hoc ſemen aliud eſt, quam bonum illud ſemen, quod Chriſtus in agro ſuo ſeminavit, & quod nũquam funditus eradicatum iri teſtatur. (*Math. 13.*) Seminavit quidem in agro Domini Satanas etiam ſimul zizania Anabaptiſtarum, Antitrinitariorum & aliorum his ſimilium: atqui orthodoxâ verè Euangelicorum doctrinâ reprimuntur aut confutantur. Satanæ miniſtri diſcordiæ inter nos ſemina ſpargere conati ſunt. Manet tamen ſubinde inter Eccleſias Chriſti noſtrates pax & charitas Chriſtiana, omneſque viri pii omiſſis Lutheri, Zuinglii & Calvini ſingularibus opinionibus, unam veram amplectuntur Chriſti fidem ac ſententiam. Eaque nunc Dei clementiâ & potentiâ quotidie magis magiſque radices agit, & effloreſcit. Sed adverſarii res noſtras parùm intelligunt, ſiniſtrè intuentur, malitioſè interpretantur, & ſe vanis rumoribus lactari ſinunt.

3. *Amplitudo Eccleſiæ Euangelicæ.*

Aſſerit cap. 7. *Amplitudinẽ*, ſive multitudinem & varietatem credentium Eccleſiæ Euangelicæ deeſſe. Etenim *Lutheri, Zuinglii & Calvini doctrinam nunquam tranſiviſſe, nec Aſiam, Africam, Ægyptum aut Græciam vidiſſe.* Sed de Lutheri, Zuinglii & Calvini, doctrina parùm laboramus. Euangelium verò Chriſti & ejus dogmata, quæ illi à verbo Dei ſcripto in Veteri & Novo Teſtamento reperierunt, & calamo ac voce mundo propoſuerunt, non modò orientales regiones, ſed totum penè orbem pervaſerunt & occuparunt. Eadem nunc paulatim extincto Papatu & aliis hæreſibus, gradum ſuum recuperat, ac longè lateque invitis & reclamantibus repugnantibuſque Papis propagatur.

4. *Succeſſio Epiſcoporum & Doctorum legitimorum in Eccleſia Euangelica.*

Aſſerit cap. 8. *Succeſſione Epiſcoporum* ab Apoſtolis deducta uſque ad noſtra tempora Eccleſias Euangelicas deſtitui. *Noſtros enim non habere Epiſcopos, nec in Epiſcopatu antiquis ſucceſſiſſe, neque ordinatione legitima Miniſtrorum Eccleſiæ uti.* Verùm utrobique errat. Apud nos enim non ſolùm veri ſunt Epiſcopi, quos ſacra Scriptura Paſtores, Doctores, Prædicatores, Preſbyteros etiam

vocat,ſed etiam vera & cathedræ externæ & doctrinæ eſt ſucceſſio. Legitimam præterea habemus & inſtitutionem & ordinationem, ut tam praxis noſtrarum Eccleſiarum,quàm doctrina typis evulgata comprobant. At Papiſtis,qui præter nomen Epiſcoporum in ſacris literis deſcriptorum nihil habent, & ſucceſſionem deeſſe & inſtitutionem atque ordinationem legitimam Epiſcoporum verorum, ipſa experientia ac ſcripta Papiſtica itidem in lucem emiſſa teſtantur.

5. *Conſenſus doctrinæ cum antiqua Eccleſia apud Euangelicos.*

Adſerit 9. capite *conſenſum* in doctrina cum antiqua Eccleſiâ Euangelicos deficere. Non habere enim Nos conſpirationem & conſenſionem cũ Eccleſia vetuſta. Et hîc ſingulari aſtu & impetu familiarem ſibi fecere è Bellarmino Pontificii conquiſitionem & exprobrationem tam VETERUM quarundam hæreſum, quas è media antiquitate producunt, quam RECENTIUM, quæ ſuperiori ſeculo circa & poſt ætatẽ Zuinglii,Lutheri ac Calvini demum emerſere, aut poſtliminio è vetuſtis in Eccleſiam reductæ ſunt, ſed hodie pro novis habentur. Nam aſſerentes iis Euangelicos conſentire, imò conſpirare, & in doctrina,fide & religione non ſecus atque vetuſtos & novos hæreticos easdem fovere, clamant & colligunt neceſſariò ſequi, Euangelicos reformatarum Eccleſiarum hodie Chriſtianos, eſſe Hæreticos.

Attamen nec rectè pleraſque iſtas Hæreſes nobis aſcribunt Papiſtæ,quas tota mente averſamur, & etiam anathemate percutimus, ſi verè hæreſes ſunt, nec quaſdam earum eſſe hæreſes probare poſſunt, quum orthodoxæ & verè Catholicæ ſententiæ ſint. Fons autem unde tam inepta & futilis inſimulatio hæreſum dimanat, eſt ignorantia & malitia, quâ non bene quid ſit hæreſis intelligunt, aut datâ operâ diſſimulant & pervertunt.

Sententia autem Pontificiorum in hoc talis Syllogiſmi centro includitur. *Quicunque hodie antiquis hæreſibus proximè accedunt, aut novis adhærent, ii ſunt hæretici. At Euãgelici hodie antiquis hæreſibus proximè accedũt, & novis adhærent. Euangelici igitur hodierni hæretici ſunt.*

Verùm *Major* limitanda eſt. Nam ſunt *partim* veræ & convictæ hæreſes veteres ac novæ, *partim* falsò ſic exiſtiſtimatæ & dictæ. Qui itaque *prioris* generis hæreſibus dediti ſunt, ii verè & rectè etiã hodie Hæretici & ſunt & dici poſſũt ac debẽt. Sed qui *poſterioris* generis hæreſes tenent, id eſt, dogmata & ſententias in religione habent falsò exiſtimatas ac dictas hæreſes, ii nec hæretici ſunt, nec hæretici jure dici ac cẽſeri poſſunt. Utrius autem generis Hæreſum accuſentur & inſimulentur Euangelici hodierni, qui vulgo Zuingliani, Calviniſtæ & Lutherani ſeu Proteſtantes appellantur, inſontes atque innocentes planè ſunt, falſoque & injuria illarum accuſantur & inſimulãtur. Itaque Aſſumptio quoq; & Cõcluſio prorſus vana & falſa eſt, ut nunc demonſtrabimus.

Nam ex VETERIBUS nobis non rectè tributis eſt hæreſis *Florini, Simonis, Eunomii, Origenis, Arianorum, Præputianorum, Procli, Meſſalianorum, Novatianorum, Sabellii, Manichæorum, Donatiſtarum, Antinomorum, Priſcillianiſtarum, Pelagianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Agnoitarum* 1. *Veteres hæreſes falsò Euangelicis aſcribi.*

Digitized by Google

gnoitarum, *Audianorum*, *aliorúmque improborum hominum*, quibus ſimilia Noſtri ne cogitarunt quidem, nedum dixerunt. Imò multò rectiùs & magis orthodoxè NOSTRI iis in rebus ſentiunt ac credunt, quàm iſtos hæreticos antiquos ſenſiſſe & credidiſſe Pontificii crepant. Quare illorum hæreſes ſeu opiniones perverſas NOBIS Pontificii per apertum mendacium, aut calumnioſam interpretationem impingunt. Nam quæ verè hæreſes ſunt vetuſtorum hæreticorum, ſi auferantur noſtræ in doctrina ſententiæ cum pravis illarum opinionibus, apparet tantùm illas ab his differre, quantum lumen à tenebris diſtat, & quantum cœlum à terra eſt diſſitum.

2. Hæreſes non eſſe quaſdam, quæ Euangelicis tribuuntur.

Jam quas ex antiquitate nobis objiciunt Pontificii, ſed hęreſes non ſunt, nec eſſe probari poteſt, eſt doctrina Joviniani, Vigilantii, Aërii, Xenaiæ, Lampatianorum, Berengarii, & aliorum, qui non hæreticè, ſed orthodoxè iis in rebus, opinionibus atque ſententiis docuerũt & ſenſerunt, quas in illis Pontificii tanquam hæreſes reprahendunt. Cui enim notitiâ ſacrarum literarum vel leviter imbuto dubium & obſcurum, doctrinam *de venerandis reliquiis, de uxoribus cœtui Miniſtrorum Eccleſiæ permittendis, de non valente operum merito ad juſtificationem noſtri, de non habendo delectu ciborum, de oratione pro mortuis non fundendâ, de imaginibus haud colendis, de libertate Monaſteriis concedendâ adverſus vota obligantia, de carne Chriſti in Eucharistia pane non realiter, ſed Sacramentaliter tantùm præſente, déque ſimilibus rebus*, minimè eſſe hæreſes, verùm orthodoxas ſententias, quæ ipſis verbi divini teſti- comprobentur?

3. Novæ Hæreſes nihil attingunt Euangelicos.

Porrò inter *recentiores* Hæreſes nulla eſt omnino, quæ Euangelicos attingat. Nam à Papiſtis multos inter Noſtros recenſeri videmus, qui revera Noſtri non ſunt, aut à veris Euangelicis Chriſtianis diſtinguuntur ut ſunt *Anabaptiſtæ*, *Ubiquiſtæ*, *Libertini Schuěkfeldiani*, *Servetani*, *Antitrinitarii*, *Tritheitæ*, *Ariani novi*, *Samoſateniani*, *Antinomi*, *Sociniani*, *& ſimiles*, qui proximo ſeculo emerſerunt, & Eccleſias Euangelicorum orthodoxas turbarant. Etenim non modò ſunt à Noſtris ſæpius egregiè refutati, & fortiùs ſolidiúsque quàm à Papiſtis hæreſeos convicti ac profligati, ſed etiam dudum à corpore Eccleſiæ orthodoxæ cauterio verbi Dei & Eccleſiaſticis legitimis judiciis, ab ultima etiam vetuſtate, quaſi carcinomata quædam amputati.

Quare quod de conſenſione vel conſpiratione noſtrorum cum antiquis & novis hæreticis adferunt Pontificii, id nihil niſi mera calumnia & mendax & futilis objectio & eſt & dici debet. Neque enim, ut multa inveſtigarint & conquiſierint Adverſarii, aliquam à nobis publicè aut privatim foveri aut defendi hæreſin, docere & probare poſſunt. Præterea nihil proferre queunt, unde vel in Sacramentorum adminiſtratione, vel in cultu divino Nos cum inſtitutione Chriſti, aut ſacris Scripturis pugnare conſtet. Atque ut omnes in futurum eis ſpes, quaſi poſtea hoc poſſint demonſtrare, præcidatur, deinceps ſingillatim & in ſpecie ſingulas hæreſes, quas nobis nominatim impingunt, cum noſtra doctrina & fide comparabimus, ac quàm

falſò nobis tribuantur, docebimus. Hocque palam profitemur Nos omnes Hæreſes & doctrinas cũ ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis dimicantes rejicere, iiſque Anathema dicere: at ea tantùm dogmata amplecti, quæcunque ſacra Scriptura tradit, Catholica & orthodoxa omnium temporum Eccleſia recepit & probavit.

Modi falſa accuſationis hæreſeos in Euangelicos.

Utq; falſæ ſuſpiciones, accuſationes, calumniæ, maledicta, mendacia, nugamenta, fabulæ denique Papiſtarum in intentando nobis infeſtiſſimè hæreſeos crimine, ac objiciendo nobis conſpirationem cum ullis hæreticorum opinionibus, liquidiùs cernatur, obſervare hos perverſos Papiſticæ accuſationis modos valdè expedit.

Primò nobis Anabaptiſtarũ, Schuēkfeldianorum, Serveti, Gentilis, Blandratæ & aliorum hæreticorum imponunt crimina & dogmata prava atque impia, quibus tamen nos publicè ac privatim Anathema dicimus. Calvinus etiam & noſtri fortiſſimè ac diſertiſſimè contra peſtes iſtas pugnarunt. Quid autem cogitari & fieri poteſt abſurdius, iniquius & injuſtius, quàm aliena peccata, à quibus alieniſſimi ſumus, nobis accepta ferre.

Deinde, ſingulares opiniones Lutheri vel Ubiquiſtarum Calvino aut Calviniſtis aſcribunt verè orthodoxis. At eas Calvinus non magis, quàm Papiſtarum peculiares ſententias defendere tenetur. Nec ſecus, quàm ubi conſentit cum ſacra Scriptura Lutherus, ei Calvinus aſſentitur: ubi diſſentit ab ea, liberè ab illius ſententia recedit.

Quid quod nobis etiam Euangelicis Calvini omnia dicta nonniſi ineptiſſimè imputant? Nos enim, ſicubi errarit Calvinus, ejus dictis ſtare non tenemur. Hoc Adverſariorum vulnus eſt, quòd illi in Pontificis ſui verba jurarunt, & omnia ejus decreta & ferè dicta præſtare tenentur. Ab ipſo enim ſua omnia habent, & propterea rectè *Papiſtæ & Papolatræ* vocantur. Hunc enim ut ſuum in terris Deum colunt, & omnes ejus ſordes ac nugas venerantur. Nos neque à Calvino, neque à Luthero, neque à Zuinglio, neque à quopiam alio mortali fidem noſtram hauſimus, ſed à Chriſto Jeſu, à quo toti pendemus, ac propterea immeritò Calviniani, Zuingliani & Lutherani dicimur.

Præterea Luthero & Calvino dogmata aſcribũt abſurdiſſima, à quibus ipſi valdè abhorrent. Quumque nullum aliud ſuppetit probationis genus, ex Adverſariorum Calvini & Lutheri calumniis teſtimonia corradunt. Quis autem non aſpernetur inimicorum capitalium teſtimonia? Quis non rideat hujuſmodi diſputatorum vel accuſatorum nugas?

Inſuper, quando aliis probationibus deſtituuntur, verba quædam Lutheri, Zuinglii & Calvini aut aliorum è noſtris doctorum virorum contra ipſorum ſententiam inflectunt & detorquent. At hoc calumniatorum proprium eſt, verba conſectari & contra ſententiam torquere.

Poſtremò, ubi nec crimen habent nec ſuſpicionem criminis, ibi tamen impudenter mentiuntur, & calumnias confingunt. Ubi mentiri illos pudet, ibi nugas vaniſſimas deblaterant, atq; (ut eſt apud Hieronymum in præfatione

Digitized by Google

ne ad Pentateuchum) *liberas nanias* & Ægyptia portenta ſectantur. Quis autem hanc ipſorum in mentiendo malitiam, in calumniando audaciam, in malè loquendo rabiem non ſummè averſetur atque oderit? Quis non hujuſmodi figmentum de Euangelicorũ conſpiratione cum antiquis Hæreticis deteſtetur? Quis non delirium de noſtrâ cum vera antiquitate diſſenſione abominetur. *Nam* cum Apoſtolis ita conſentimus, ut nullam inter noſtram & illorum doctrinam oſtendere diſcrepantiam hactenus oſtendere Pontificii potuerint. Cum Patribus meliùs nobis convenit, quàm Papiſtis. Ac ita caput accuſationis Pontificiæ, de non ſuppetente nobis conſenſione cum antiqua Eccleſiæ doctrina, diluimus.

6. *Unio in reformatis Eccleſiis.* Aſſerit Bellarminus 10. capite lib. de Notis Eccleſiæ, *Unionem* veram in noſtrâ Eccleſia deeſſe. Nam *nos nec cum capite Eccleſiæ, nec nobiſcum conſentire.* Sed per caput ille Pontificem intelligit Romanum, quem omnes eſſe Antichriſtum & hoſtem Eccleſiæ ſentiunt, ut Witakerus, Sibrandus, Sutlivius & Chamierus in ſuis de Romano Pontificie diſputationibus contra Bellarminum probant. Si autem verum & proprium Eccleſiæ Catholicæ caput intellexiſſet, nos ejus ſycophantias facilè redarguiſſemus. Nam cum Chriſto vero Eccleſiæ capite ita nobis optimè convenit, ut nulla alia communione & unione gaudeamus ac gloriemur, quàm quæ nobis cum illo arctiſſimè intercedit. Quod autem negat, *nos nobiſcum conſentire*, injuriam nobis facit. Nam præterquam in articulo de Cœna Domini & Prædeſtinatione nullæ nobis inter nos controverſiæ ſunt, & ne in his quidem articulis ita diſſentimus, quin pacẽ publicè nos colamus. Adverſariis ſanè noſtris Pontificiis ſummè dolet, quod non in pluribus diſcrepamus: & libenter illi Staphyli, Cochlæi, Tabritii & hujuſmodi calumniatorum ſycophantias audiunt de noſtris diſſenſionibus, in quibus in ruborem dantur. Nec enim mirum, ſi homines malevoli, quum malè facere nõ poſſint, malè & vanè loquantur.

Aſſerit 11. capite nos *Sanctitatis* doctrinæ eſſe expertes. Doctrinam enim noſtram eſſe, *ſola fide hominum juſtificari coram Deo, & Anabaptiſtas nuptias caninas exercere, & Lutherum docere, infantes credere ac diligere, dum baptizantur, & Calviniſtas credere Deum eſſe authorem peccatorum.*

Sed doctrina juſtificationis ex fide Chriſti ſine operibus legis, hoc eſt, ex ſola fide, ut nonnulli loquuntur, Chriſti eſt & Apoſtolorum, & gratiam Dei amplificat, & ad ſalutem promovet, ac ideò ſanctiſſima eſt: ut ex Joh. 1. & 3. ac 6. & Epiſtolâ ad Rom. Corinth. Galatas, Epheſ. Petri, 1. Joh. 1. cap. 1. 2. 3. 4. ac alibi colligitur. Hocq; eò magis, quod *liberati à peccato, ſervi facti ſumus juſtitiæ*, ut inquit Apoſtolus, & cavere debemus, *ne in libertatem vocati, libertate abutamur in occaſionem carnis.* Quis ergo nõ miretur hanc doctrinam, quam nobis tradidit Chriſtus & Apoſtolorũ chorus, ab impuris Monachis impuram cenſeri? Anabaptiſtarum turpitudines immeritò nobis objiciuntur. Eas enim execramur & refutamus, ut etiã publicè Anabaptiſtas à cõmunione noſtra excludamus. Videant autem Papiſtæ, ne hæc in ipſos conveniant, qui 7. *Sanctitas doctrinæ in Euangelicis Eccleſiis.* *Rom. 6. Gal. 6.*

Digitized by Google

qui legitimas ſpernunt nuptias, & lupanaria publica probant, & nefanda facinora propter caſtitatis votum in Dei verbo non fundatum faciunt. Si quid autem ſingulariter docuerunt Lutherus & Calvinus, culpa penes authores ſit. Nos nihil ſanè reperimus, eos turpiter & nō ſanctè docuiſſe. Nec enim exiſtimavit Lutherus, parvulos dum baptizantur actu credere & diligere, licet Deum in eis fidem & charitatem mirificè operari exiſtimet. Neq; uſquam docuit Calvinus, Deum eſſe peccati auctorem, ſed gubernatorem & ultorem. Bona autem illorum dicta malè ab Adverſariis intelliguntur, & in malam partem contra jus & æquum rapiuntur: ut ſuis locis à nobis oſtendetur.

8. *Efficacia doctrinæ in Eccleſiis Euangelicis.*

Aſſerit 12. capite, *Efficaciam doctrinæ noſtræ ad convertendas animas nullam eſſe.* Verùm quàm hoc falſum ſit eo probatur, quod nonnulli nimis eſſe efficacē queruntur. Ceſſat enim noſtræ doctrinæ efficaciâ Miſſarum quæſtus, & indulgentiæ Papales non nauci æſtimantur, nec poſſunt Pontificiis & mercatoriis Synagogæ Romanæ vel armis tollere, vel fraudibus & ſcelere extirpare Eccleſiæ noſtræ doctrinam. Præterea certum eſt, neque hoc vel ipſe Bellarminus negarit, doctrinam Apoſtolicam eſſe efficacem. At nos non dubitamus, hanc doctrinam, quam nos prædicamus & tenemus, Apoſtolicam eſſe verè Chriſtianā, quum ipſorū Apoſtolorum verba & teſtimonia recitemus, audiamus, explicemus, ſervemus, ut ipſius Spiritus ſancti ſenſus clarè eluceſcat.

Aſſerit 13. capite, *doctrinæ noſtræ auctores ſeu Patres ac Principes parum fuiſſe ſanctos.* Profertq́ue teſtimonium *Waldenſis* contra *Wiklephum, Cochlæi* contra *Lutherum, & Eraſmi* contra neſcio quos *Lutheranos.* Sed toto ille cœlo errat, ſi vel Wiclephum, vel Lutherum, vel alium præter Prophetas & Apoſtolos quamvis noſtri dogmatis authorem fuiſſe crediderit. Ineptè etiam facit, qui vel Waldenſis contra Wiclephum, vel Cochlæi contra Luherum teſtimoniū profert & magni facit. Quis enim inimicum religioſè putet teſtimoniū dicturum, præſertim ubi non tantùm impunitas, ſed præmium quoque propoſitum eſt pro mendacio? Verum ut iſtis crederemus, nihil tamen fingere auſi ſunt, nec afferre potuerunt, unde non facilè intelligere liceret, hos duos Pontificibus Romanis, quos ſanctiſſimos vocant Patres, longè fuiſſe ſanctiores. Teſtimonia *Eraſmi & Schmidelini* aliena ſunt à propoſito. Teſtantur enim non contra Doctores noſtros, ſed potiùs contra diſcipulos malè præceptoribus ſuis morigeros, quales etiam Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli habuere, ut de iis graviſſimè conqueſti ſint. Iſa. 1. 21. Sed officium Paſtorale requirit, ut peccata populi corripiantur. Inprimis malitioſum eſt, quod à Doctoribus ad populum progrediēs, dicit, *in Catholica Eccleſia* (intelligit ſuā Romanam & Pontificiam) *eſſe multos quidem malos, ſed ex hæreticis* (ita vocat nos Euangelicos) *eſſe nullum bonum.* Superbum ſanè judicium. At ſunt ex iis (Deo ſit gratia) innumeri, qui in vera fide & ſeria reſipiſcentia Deo ſerviunt. Teſtantur hoc ſuâ vitâ & innumeris martyriis, quæ in hoc ſeculo in Anglia, Belgio,

9. *Sanctitas auctorum doctrinæ Euangelicæ.*

An ex Euangelicis nullus ſit bonus.

Digitized by Google

Belgio, Galliâ & aliis Europæis regnis vidimus. Non magni igitur facimus, quo loco Monachus Papæ mancipatus nos habeat. Exultamus autem & gaudemus, quod quum mala de nobis dicunt, mentiuntur. Avertat Bellarminus oculos paululum à nobis, eosque ad ſuos convertat, & videbit fortaſſe trabem in oculis ſuis. FRANCISCUS enim Petrarcha Epiſt. 19. *Ecce*, inquit, *jam oculis vides, jam manibus palpas, qualis eſt illa Babylon noviſſima, fervens, æſtuans, obſcœna, terribilis, quam nec Cambyſis opus Babylō Niliaca, nec illa vetuſtior regia Semiramidis Babylon æquet Aſſyria. Nilum & Euphratem Rhodanus vincit, nempe qui Tartarica flumina vincit Cocytum & Acherontem. Quicquid uſquam perfidiæ & doli, quicquid inclementiæ, ſuperbiaq́, quicquid impudicitiæ, effrenatæq́, libidinis audiſti, aut legiſti, quicquid denique impietatis & morum peſſimorum ſparſim habuit orbis terra, totum iſtic cumulatim videas acervatimque repertum eſt.* Ac ne ſtatum illum ex eo tempore emendatum putes, etiamnum exectabilis turpitudo ab ipſis Cardinalibus obſcœnis libris laudatur, & æſtivis menſibus approbatur, lupanaria publicè foventur, & vectigalia ex iis comparantur, fœdéque prorſum vita à Monachis & Nonnis, nedum populo tranſigitur.

Math. 5. 11.

10. *Gloria miraculorum apud Evangelicos.*

Aſſerit capite 14. *Hæreticos* (ita nos vocat) *non habere veram fidem, quia nulla habeant vera miracula & tamen prædicent novam doctrinam, neque ſint ab ordinariis prælatis miſſi.* Utrumque nullo negotio refellitur. Nam *Primò* non eſt ſingulis ætatibus ac luſtris opus novis miraculis, quoniam ad Chriſtianam religionem confirmandam omnia Chriſti & Apoſtolorum miranda ſufficiunt. Neque enim novam proferimus legem, aut religionem, nec aliquid docemus extra ea, quæ Chriſtus & Apoſtoli primi docuerunt. Nam credimus omnia ea, quæ ſunt in Scripturis ſanctis, & extra ea nihil credimus. Recipimus etiam Symbolum Apoſtolicū, Nicenum, Epheſinum, Chalcedonenſe & Athanaſianum, omniaque dogmata in Scriptura revelata, & iſtis ſynodis explicata, cum ſumma reverentia accipimus. Nemo igitur, qui frontem habet, dicet noſtram doctrinam eſſe novam. Sed dicam quid ſit. Non recipimus Monachorum ſomnia, quæ illi poſt & contra ſacram Scripturam ſomniarūt & quibus univerſum penè orbem dementarunt. Inde colligit, noſtram doctrinam novam eſſe. Sed quū his miſſis credamus iis omnibus, quæ ſcripta ſunt in Veteri ac Novo Teſtamento, & extra ea nihil recipiamus, ſufficiunt nobis illa miracula, quibus Scriptura ipſa approbata eſt. Neque quiſquam, niſi qui ipſe prodigium eſt, à nobis plura miracula requiret.

Miſſio Lutheri & aliorum.

Deinde, quod ad miſſionem Lutheri, Oecolampadii, Zuinglii, Calvini & aliorum attinet, neque ſimpliciter ordinaria, neque etiam prorſus extraordinaria eſt. Si reſpiciamus ad modum doctrinæ, fuit ſanè extraordinaria. Extra ordinem enim corruptelas, quas ipſi etiam Papæ in Eccleſiam irrepſiſſe confeſſi ſunt, oppugnarunt. Si verò ad primam illorum ordinationem reſpiciamus, fuerunt miſſi ut cæteri. Ac proinde, ſi quid ſani fuit in Papali ordinatione, hoc etiam in Lutheri & cæterorum ordinatione fuerit neceſſe eſt. Ad-

Digitized by Google

hæc oſtenſum eſt ſępè, non omnem extraordinariam miſſionem indigere miraculis: ut oſtendit S. Johannis Baptiſtæ exemplum, qui extraordinariè à Deo miſſus, nullum miraculum edidit. Quod igitur Adverſarius tam magno conatu dixit, per ſe corruit.

Miracula autem Monachorum & Papiſtarum jactans, quibus alia quam ſacrarum Scripturarum doctrina confirmata eſt, incidit & ipſe & ſui omnes in hoc barathrum, quod Auguſtinus ſic deſcribit: *Non dicat ideò verum eſſe, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum noſtrorum exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille frater noſter, aut ſoror noſtra tale viſum dormiens ſomniavit. Removeantur iſta vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum. Aut enim non ſunt vera, quæ dicuntur, aut ſi* HÆRETICORUM *aliqua mira facta ſunt, magis cavere debemus, quòd quum dixiſſet Dominus, quoſdam futuros eſſe fallaces, qui nonnulla ſigna faciendo etiam electos, ſi fieri poſſet, fallerent, addidit vehementer commendans, & ait, Ecce prædixi vobis.* Neque nōdum ſolvit, quum dicit Auguſtinū oppugnaſſe quaſdam viſiones Donatiſtarum. Argumentum enim hujus eſt generale. Dilutum eſt, quòd dicit ANTICHRISTI miracula eſſe mendacia: MONACHORUM autē eſſe vera. Nam ut Monachi moderni ſunt Antichriſti miniſtri, ita eorū miracula ſunt etiam mendacia, ſępe etiam vana & ridicula. Multò dilutius eſt, quòd dicit vera miracula Eccleſiæ (intelligit Papatum) approbatione diſtingui à falſis. Quis enim ei conceſſit, Papæ eſſe dijudicare, quænam miracula ſint vera, quæ falſa? Quis item ignorat, multa inepta & ridicula miracula eſſe à Papiſtis approbata?

De Unit. Eccleſ. c. 16.

Math. 24. 24.

Antichriſti & Monachorum miracula uno ordine habenda.

Aſſerit 15. capite, *Nos non habere prophetias*, ſeu donum prophetandi & vaticinandi, *unde noſtra doctrina confirmetur.* Sed ex Deut. 13. cognoſcitur, falſos Prophetas quandoque vera pṛdicere: idem fieri poſſe extra Eccleſiam, oſtēditur exemplo Balaam Num. 24. ỳ. 17. Deinde lumen propheticum non ſemper eſt in Eccleſia, ut 1. Maccab. 9. ỳ. 27. dicitur: *Accidit Iſraëlitis tanta calamitas, quanta nulla unquam exſtitit, ex quo nullus unquam Propheta inter eos viſus fuit.* Adhæc etiā extra Eccleſiā Prophetæ, hoc eſt, q futura prædicūt, fuere. Planū igitur eſt lumen propheticum nec omni Eccleſiæ, nec ſoli, nec ſemper convenire. Poſtremò, ſi neceſſe eſſet miracula vera & prophetias veras commemorare, poſſemus nos & *Johannis Huſſi*, & *Lutheri*, & *Zuinglii*, & aliorum piorum virorum miracula ac prædictiones pias ac veras recitare, niſi putidum eſſet in iis, quæ non multum conferunt ad victoriam, multum elaborare, & niſi hoc nomine Adverſarios reprehēderemus. Sufficiunt nobis prophetiæ Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum in ſacra Scriptura perſcriptæ, eorumq; eventu admoniti, veritatem doctrinæ ac fidei obſervamus & ſectamur, Antichriſtum prædictum ſtrenuè cavemus.

11. Propheticum lumen in Eccleſiis Euangelicis.

Aſſerit denique capite 16. *Confeſſionem Adverſariorum*, id eſt, Euangelicorum, qui Papiſtarum adverſarii atque hoſtes ſint, *eſſe, quòd Papiſmus ſeu Papatus ſit vera Eccleſia*, non noſtra Euangelica. ſed graviſſimè fallitur, & alios fallit. Lutherus enim, Zuinglius, Melanchthon, Calvinus, & omnes Doctores noſtri

12. Confeſſio Euangelicorum de Papatu.

Digitized by Google

noſtri, qui hoc ſeculo floruerunt, unanimiter teſtatur Papam eſſe Antichriſtum. Si Bellarminus cum ſuis huic teſtimonio aliquid defert, non poteſt ex eo oſtendere, Papiſmum ſeu Papatum eſſe veram Eccleſiam.

Lib. cont. Anabap.

Nec derogat cauſſæ noſtræ, quòd Lutherum ſcripſiſſe dicit: *Nos fatemur, ſub Papatu plurimum eſſe boni Chriſtiani, imò omne bonum Chriſtianum, atque etiam illinc ad nos deveniſſe. Quippe fatemur, in Papatu veram eſſe Scripturam ſacram, verum Baptiſmum, &c. veram Chriſtianitatem, imò verum nucleum Chriſtianitatis.* Et inde concludit: *At ſi nos nucleum habemus, quid ſibi reſervant* (ſcilicet Euangelici) *niſi corticem & putamina?* Nam reſpondemus: Ut in medio Phariſaiſmo Deus ſibi cõſervavit reliquias Iſraëlis, Zachariam, Hannam, Eliſabetham, Simeonem, Mariam, Joſephum, Apoſtolos, & alios: ita in medio Papatu Deum conſervaſſe ſibi & adhuc conſervare ſuos, qui ſint bonis ſecundùm Scripturam ſententiis, ac Sacramentorum formis, in Papatu relictis inſtructi, & à ſordibus eorum, quæ in Papatu à ſacra Scriptura aliena ſunt, repurgati. Trahit autem Bellarminus Lutheri verba ulteriùs, quàm par eſt. Longè enim aliud eſt, *ſub Papatu fuiſſe nucleum Chriſtianitatis*, quàm ipſum Papatum vel eſſe, vel habere Chriſtianitatis nucleum. Illud aliquid Chriſtianitatis veræ in Papatu remanſiſſe: hoc totum Papatum habere Chriſtianitatem veram denotat. Poſterius eſt falſum, & à Lutheri ſententia alienum: prius verum & ad electos Dei ſpectans, quos Lutherus intelligit. *Bernardum* verè ſanctum fuiſſe exiſtimamus. Sed addimus, Papiſtas fruſtrà

S. Bernardus orthodoxus.

de eo gloriari. Etſi enim vixit ſub Papatu: doctrinâ tamen & moribus non fuit Papiſta. Diſertè enim dicit, *Papam Romanum ſucceſſiſſe Conſtantino, non Petro.* Franciſcum & Dominicum noſtri vocant interdum Sanctos, non quòd tales ſint, vel fuerint: ſed quòd ita vulgò appellantur καταχρηστικῶς, & impropriè atque abuſivè.

Formula pacis inter Papiſtas & Euangelicos in Helvetia.

Multò minùs cauſſæ noſtræ derogat, quòd in tabulis pacis inter Helvetios factæ, Papiſtica Religio vocetur vera & Catholica. Nam dicit: *Quum inter Catholicos & Hæreticos Helvetios poſt multa prælia pax componeretur in primo articulo Concordiæ, Hæretici* (intelligit Zuinglianos ſeu Euãgelicos in Helvetia) *ſcribebant ſe velle deinceps dimittere cõfœderatos quietos, circa veram, indubitatam & Catholicam fidem ſuam. Catholici verò* (intelligit Papiſticos Helvetios) *ſe velle dimittere confœderatos quietos circa fidem eorum, nihil de verâ & indubitata ac Catholica fide addentes.* Hoc, inquam, nihil cauſſæ fidei noſtræ orthodoxæ detrahit, nec quicquam Romanæ Religionis certitudini ac veritati addit. Nam in hujuſmodi formulis homines prudentes & pacis amantes de titulis non ſunt admodum ſolliciti, & ſæpè parti adverſæ ea in re multum concedunt, ut rem ipſam, ob quam certarunt, obtineant. Non derogat Regi Galliæ, quòd Rex Angliæ in pace cum eo facta vocetur Rex Franciæ. Quin quum *Jacobus* Patriarcha paciſceretur cum Labane, Labã jurabat per *Deos Nachor*. *Gen. 31.53.* Si quis ergo inde inferre volet, Jacobũ approbaſſe Deos Nachor, faceret ſancto viro magnam injuriam. Ut & injuriam faceret Chriſtianis, ſi quis iſtos inſi-

Digitized by Google

inſimularet Mahumetiſmi, propterea quòd patiuntur Turcam in fœderibus & pacificationibus jurare per Mahumethum.

1. *Infelicitas Eccleſiæ Euangelic non mala.* Aſſerit denique capite 17. Bellarminus. *Infœlicitate magna Euangelicos contra Romanam Eccleſiem uſos eſſe*, ac proinde illos falſam, Papiſtas veram Eccleſiam habere. At infœlix vitæ exitus non eſt nota neceſſaria & certa falſæ Eccleſiæ Nam exitus ſeu finis vitæ noſtræ duobus modis infœlix dici poteſt: Vel *reipſa* vel *ſecundùm opinionem* hominum. *Luc. 16. 22. 23. &c.* Reipsa in fœlix eſt exitus eorum, qui Eccleſiam oppugnant, & in peccato perſeverantes moriuntur. Sed hoc nobis ſæpè non apparet. Hoſtes enim Chriſti licet infœliciter moriantur, tamen vitam hanc *opinione* omnium ſæpè fœliciſſimè tranſigunt, eandemque tranquillè & quietè finiunt. E contra, qui Chriſto adhærent, & vera Eccleſiæ membra ſunt, multis ſæpè afflictionibus exercentur, & *ſecundùm opinionem hominum* tragicos exitus habent, ut qui aliquando gravibus tormentis excruciantur, & exquiſitis ſuppliciis necantur. Hoc modo Prophetæ ferè omnes, omnes Apoſtoli, innumeri Martyres, ipſe Filius Dei Jesus Christus ſecundum opinionem hominũ miſerrimè perierunt. Nihilominus revera illorum exitus fuit feliciſſimus. *Pſal. 116. 15.* Hinc eſt, quod David dicit, *Pretioſa eſt in oculis Jehova mors ſanctorum*, quo datur intelligi, eam ſæpe vilem eſſe in conſpectu hominum: Ergo honeſtam ac pretioſam in Dei facie ac judicio. Ut ergo non ex proſperis rebus (ut deinceps explicabitur) Eccleſia vera rectè dignoſci poteſt, ſic non ex adverſis dijudicatur & cognoſcitur. In argumento igitur Pontificio conſequentia eſt nulla. Nã ut omnia nobis infeliciſſimè ceſſerint, non tamen ſequitur, noſtram Eccleſiam veram non eſſe. Nam vera eſt propter doctrinæ & Sacramẽtorũ adminiſtrationis, è S. Scriptura inſtitutæ, puritatẽ ac veritatem, cui non ſẽper fecilitas temporalis, ſed infelicitas ac crux promiſſa eſt. *Math. 5. 11. Joh. 16. 20. 33. 2. Tim. 3. 11.* Infelicitas & crux eſt cos ſeu ſtatera probationis, qua pietas, conſtãtia & integritas profitentiũ doctrinam ac fidem Chriſti examinatur, 1. Pet. 2. 18 19. 20, &c. & 3. 14. 15. & 4. 12 13. 14. &c. Math. 3. 12. 13. Noſtri igitur per tot adverſa in iſta probationis bilance conſtanter pii ac fideles Chriſti cultores, & Euangelii ejus ſinceri ſectatores perſeverantes, probati inventi ſunt & mirificè ſuſtentati atq; conſervati divina clementia.

Exitus Doctorum noſtrorum. Quòd Lutherum, Zuinglium, Oecolampadium, Calvinum, Caroloſtadium inter eos numerat, qui Eccleſiã oppugnarint, riſum movet. Nam verè Catholicam & Orthodoxã Eccleſiam non oppugnarunt, ſed reformarunt à Papiſtarum hæreſibus, & propugnarunt, ac rectè inſtituendo ac regendo propagarunt. Eccleſiam Romanam (quam Bellaminus eos oppugnaſſe intelligit) edocti meliora è verbo Dei retinere ac tueri jure non poterant, ſed deſeruerant, & refutando oppugnarant, quum oppugnatione & deſertione digniſſimam eſſe è fontibus ſacræ Scripturæ probarẽt & demonſtrarent. Infelices exitus propterea eos habuiſſe, quòd ait Bellarminus, partim nugatur, partim multipliciter mentitur. Etſi enim propter oppugnationẽ errorum

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ Romanæ & Papiſticæ infelici exitu, aut aliis rebus adverſis potiti eſſent, tamen nihil inſolens, & falſam in iis doctrinam atque fidem convincens, illis accidiſſet, ſed quod piis ſuis ſervis ac fidelibus Chriſtus prædixit, & pollicitus eſt locis paulò ante citatis. Quem vitæ finem verò verè ſortiti ſunt, fuit nō talis ac miſera, ut Bellarminus affirmare audet. *Lutherus* enim nō repētina morte, ut ipſe narrat, ſed ex morbo naturali ac gravi, qui ipſi exitum adeſſe ſignificavit, ut ipſemet præſentiret, placidè mortuus eſt. *Zuinglii* mors beata potiùs fuit, quàm miſera. Pugnās enim pro patria & religione ac fide orthodoxa, ex officio aderat, pugnantesque ad conſtantiam & fiduciam veram in Deo figendam hortans, concidit: teſte Oſwaldo Myconio Baſileenſis Eccleſiæ digniſſimo, Rodolpho Gualtero in Apologia operum ejus, eorumque qui exſpiranti aderant agmine. *Oecolampadium* poſtquam ſedecim dies in lecto decubuiſſet ægrotus, multaq; & uxori & ſuis piè mandaſſet, Pſalmo 51. recitato, placidè & piè mortuum eſſe narrant Wolphgangus Capito & Simon Grynæus, quorum hîc morienti adſtitit. *Caroloſtadium* Baſileæ impiè aut ullo modo malè mortuum eſſe, nemo pius è civibus ejus urbis aſſerit. Zuinglius verò & Melanchthon, ut quidem non omnia in eo viro probarunt: ita tamen fidem ac ſciētiam ſolummodò infirmam in eo reprehenderunt: teſte Hoſpiniano hiſtoriæ Sacramentariæ, parte 2. fol. 33. & 14. Mihi ejus fides & pietas ex Pręfatione in editā à ſe Zuinglii explicationem Epiſtolæ ad Philippenſes probatur. *Calvinum* ventriculi dolore, quem ex immenſis laboribus contraxerat contabuiſſe, & placidè, ac teſtamento antea legitimè condito, in vera & ardenti Dei invocatione obiiſſe, univerſa Genevenſium civitas, & Theodorus Beza ſcripto vitæ ejus teſtatur. Secus qui de illis viris narrant Cochlæus, Bolſecus & alii, tum oculatis teſtibus poſtponēdi ſunt, tum apertè aliena à veritate dicunt.

Schleid. hiſt. 16. Melanch. in vita ejus.

Hoſtium Eccleſiæ verorum exitus infelix.

Quemadmodum verò hoſtes veri Eccleſiæ veræ in veteri Teſtamento tragicos exitus verè aſſequuti ſunt, ut *Pharao* Exod. 14. *Dathan & Abiram* Numer. 16. *Jezabel* 2. Reg. 9. *Antiochus* 2. Machab. 9. Ita hoſtes germani veræ Eccleſiæ Chriſti, ut *Pilatus* hiſt. Euſeb. lib. 2. cap. 7. *Herodes Magnus*, Joſeph. antiquit. Judaic. lib. 17. cap. 9. *Herodes Tetrarcha*, Joſeph. lib. 18. antiquit. cap. 14. *Herodes Agrippas* Act. 12. 23 *Imperatores* à Tiberio uſq; ad Conſtantinum Magnum plerique, Papæ plurimi, *Minerius*, *Johannes Eccius*, *Albertus Pighius*, *Olivarius* Galliæ Cancellarius, *Henricus II. Franciſcus II. Carolus IX.* Galliæ Rex, *Franciſcus* & *Carolus* Guiſii Lotharingi fratres, *Gardinerus* Cancellarius Angliæ, *Creſcentius* Cardinalis, *Franciſcus Spiera*, aliique penè innumeri miſerrimè perierūt, ut juſtum Dei judicium in illorum exitu etiam vulgò innotuerit. Referendus igitur eſt exitus infelix vitæ in perſequutoribus veræ Eccleſiæ ad cautionem; oppugnantium falſam Eccleſiam infelix exitus ad probationem, &c.

14. *Felicitas Eccleſiæ Euangelicæ vera.*

Aſſerit deniq; cap. 18. Bellarminus: *Si felicitas & victoria temporalis eſt nota veræ Eccleſiæ, tum qui felicitatem & victoriam temporalem amittunt, habent hæreticæ Eccleſiæ vel hæreticorum notam. At antecedens*

Digitized by Google

eſt verum: ut teſtantur victoriæ Abrahæ, Moſis, Gedeonis, Samuelis, Davidis, Ezechiæ, Joſiæ, Machabæorum, Conſtantini Magni, Theodoſii ſenioris, Honorii, Theodoſii junioris, & Juſtiniani ſenioris, & Heraclii, & Græcorum Imperatorũ, qui Romanæ Eccleſiæ adhæſerunt, & Ducum belli ſacri in Aſia circa annum Domini 1098. & capitaneorum contra Albigenſes tempore Innocentii III. Papæ pugnantium, & Papiſticorum pagorum Helvetiæ, qui Euangelicis Helvetiis quinq; præliis ſuperiores fuere, & Caroli V. Cæſaris, qui miraculo Lutheranos in Germania profligavit, denique Regum Galliæ & Hiſpaniæ Regis, qui in Gallia, Belgio Euangelicos debellarunt. *Ergo etiam conſequens verum eſt*: ac proinde Euangelici victi & ſuperati à Papiſtis felicitate victoriaque temporali, habent nihil niſi notam falſæ & hæreticæ Eccleſiæ, vel hæreticorum certorum.

1. Crux fidei & Eccleſia vera comes.

RESPONDEMUS utrumque, tam antecedens, quàm conſequens falſiſſimum eſſe: imò in utroque contrarium potiùs oſtendi poſſe. Nam *primò* quoad *antecedens*, veræ Eccleſiæ non multum felicitatis & victoriarum externarum, ſed plerunque calamitates & clades à Deo conſtitutas & promiſſas eſſe, ſacra Scriptura teſtatur. De veteris enim Teſtamenti Eccleſia Jerem. 12. & Pſal. 44. 10, 11. 73. 13, 14. & 74. 4. 5. &c. manifeſtæ ſunt querelæ, felici conditione uti quidem ac frui impios & Eccleſiæ Dei hoſtes, pios autem perpetuò infelici ſucceſſu. De novæ & Chriſtianæ Eccleſiæ ſtatu ait Chriſtus Johan. 15. 20. Ut ſibi Domino, ita ſervis ſuis afflictiones obventuras, dicens: *Non eſt ſervus major Domino ſuo: ſi me perſequuti ſunt, & vos perſequentur.* Johan. 16. 20. *Amen, Amen dico vobis*, inquit, *vos plorabitis & flebitis, mundus autem gaudebit.* Math. 10. 37. *Qui non accipit crucem ſuam, ac ſequitur me, non eſt me dignus.* Act. 14. 22. affirmant Apoſtoli: *Oportere per multas oppreſſiones nos ingredi in regnum Dei.* Et 2. Tim. 3. 12. *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſequutionem paſſuros.* Si igitur *Albigenſes* miſerè trucidati ſunt, evenit hoc iis, ut veræ Chriſti Eccleſiæ. Nam ex reliquiis illorum, qui hodie in Bohemia agunt, & *Waldenſes ſeu fratres Bohemi* appellantur, colligitur vi & fraude inermes oppreſſos, ac partim occiſos, partim diſſipatos ſolummodò propter idololatriam Papatus exploſam, & fidem Chriſti ac pietatem è ſacris literis receptam. Similiter *Helvetii, Galli, Germani & Belgæ* Euangelici in præliis inferiores, victi ſunt non ob aliam cauſſam, quàm quod in iis impletum illud, quod Eccleſiæ ſuæ Chriſtus & Apoſtoli eventurum prædixere, quum ſolam Chriſti doctrinam & fidem amplexi ſint.

Albigenſes.

Helvetii & alii Euangelici.

Deinde eſſe felicitatem & gloriam Eccleſiæ veræ imprimis internam ac ſpiritualem, & in altera demum vita paratam perfectè, Pſal. 45. 14. Epheſ. 5. 27. affirmatur. In his autem terris cum afflictionibus permixtam, teſtatur Chriſtus Marci 9. 30. inquiens: *Amen dico vobis, nullus eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem aut uxorem, aut liberos, aut agros meâ cauſſâ & Euangelii, quin accipiat centuplicia nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & liberos, & agros*

2. Interna Eccleſiæ veræ felicitas & gloria.

Digitized by Google

gros,cum perſequutionibus,ac in ſeculo venturo vitam æternam. Hunc verò interiorem cultum ac ornatum annon nos in Eccleſiis Helvetiæ, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Belgicæ Euangelicis habemus: Nam 1. interior homo optimè in fide & doctrina inſtitutus apud nos eſt juxta dictum Jacob.1.capit. 2. Juſtitiâ & ſanctitate verâ Chriſti induti & ornati per fidem in eum,pacem apud Deum habemus, & acceſſum ad gratiam ejus,in qua ſtamus,& gloriamur ſpe gloriæ Dei, atque perpeſſione ipſarum quoque afflictionum,quia afflictio patientiam,patientia experientiam,experientia ſpem affert. 3. Libertate non ſolùm à ceremoniarum onere,ſed multò magis à peccati reatu, & mortis, mundi, diaboli, infernique metu ac tyrannide certiſſimè fruimur,ut facultate agendi & vivendi jure regeneratorum ac liberatorum hominum merito Chriſti uti poſſimus. 4 Manifeſtam & occultam liberationem, defenſionem ac propagationem Eccleſiæ fideique noſtræ Dei benignitate experimur, licet odium, invidiam, calumnias, convitia,& reſiſtendi reclamandique conatus indefeſſos adverſariorum atque hoſtium noſtrorum ſimul ſentiamus. Quapropter ſorte ea, quam Chriſtus ſuæ Eccleſiæ maximè deſtinavit & promiſit, contenti, externam felicitatem non multum moramur.

Gal. 3. Rom. 5.1. 2.Cor. 5.

Rom. 14. Col. 2. Gal. 5. 13. Joh. 8. 36. Gal. 4. 5. 7. & 5.1. 2.

3 Felicitas & ſucceſſus temporalis & externus eſt maximè falſæ Eccleſiæ.

Tertiò, felicitas & ſucceſſus rerum ac victoriarum temporalis atque externus,inprimis impiis & perverſæ Eccleſiæ ſecundùm ſacram Scripturam tribui ſolet,ut ex Jerem. 12. Pſal. 73. Job. 21. ac aliis locis conſtat. SIMUL iiſdem locis Deus impiorum & perverſorum ſeu infidelium cohorti,& Eccleſiæ *vim* iniquam ac *fraudes* injuſtas aſcribit,nec non *exitum* tandem malum atque *infelicem* proſperarum rerum,victoriarúmq; ſuarum apertè prædicit & minatur, interim ſalvâ veræ Chriſti Eccleſiæ re ac conditione etiam in mediis adverſis ſtante.

Hoc autem in Bellis illis Helveticis, Germanicis,Gallicis,Belgicis, quæ pro Pontificia Eccleſia tam ſuperbè jactat Bellarminus,accidiſſe cum eâ nō poteſt ignorari,nec negari. Nam nō quinque,ſed *duo* tantùm prælia ab Helvetiis in religione diſſidentibus commiſſa ſunt,ut tria Bellarminus turpiter mentiens malitioſè confingat. *Primò* enim teſtante Schleidano hiſt. lib. 6. tumultus quidem in Helvetia anno Domini 1529. exortus eſt, ut Tigurini ac Bernates copias ſuas in quinque pagicos Pontificios,ſuos hoſtes eduxerint,hiſq; caſtra contra illos locarint. Sed interventu finitimorum & Argentinæ quoque civitatis compoſita res & diſceſſum ab armis fuit: præſertim quum Euangelicorum Tigurinorum & Bernatum copiæ bene inſtructæ eſſe à Papiſticis pagis cernerentur. 1. Deinde,undecimo die demum octobris, Anno Domini 1531. pugna à Tigurinis & imparatis, & non toto ſuarum copiarũ robore inſtructis, cum hoſtibus Papiſtis ſubitò & ex improviſo adventantibus,commiſſa eſt non penitus adverſa (nam acerrimè & fortiſſimè hoſtibus Papiſtis reluctati ſunt)ſed tamen nece Zuinglii & fugâ terrore Panico obortâ incommoda. Tandem Tigurinis cum Baſileenſium, Scaphuſianorum, 2.

Helvetica bella ob religionem.

San-

Digitized by Google

Sangallenſium & Mulhuſiorum auxiliis Tugium oppidum hoſtium capere ſub crepuſculum matutinum conantibus, Papiſtæ eâ re per indicium cognitâ, albis amicti induſiis ſuper arma, illos nocte intempeſta Octobris 24. obruerunt, & cæſis utrinque nonnullis in fugam verterunt. Pax tamen mox facta eſt, ut Tigurini nihil de ſtudio religionis Euangelicæ remiſerint, & eam exinde feliciùs propagarint, ac longiùs latiusque diſſeminarint. Nunquam itaque Papiſtæ Euangelicis Helvetiis adeò ſuperiores evaſerunt, quēadmodum jactant, ſed ſtudium religionis purioris atq; Eccleſiæ Euangelicæ augendæ, quo Euangelici Helvetiæ flagrabant, illos ſuperavit. Hinc nō modò ſedes in Helvetia Euangelio relicta, ſed in alias quoque regiones ac nationes traducta eſt. Vide Schleidanum lib. 5. in anno 1531.

Germanicum bellum.

Bello Germanico Cęſar Carolus V. cum ſociis ſuis, poſt auditas permultas de Religione puriore Diſputationes, juramentum Pontifici Romano de perſequendis bello Euangelicis dederat. Bellum ab anno 1540. adeò inſidioſē & callidè paraverat, ut non Religionis, ſed Rebellionis cauſſa, ut animadverteret in principes Germaniæ ſeditioſos, (qui tamen fidiſſimi erant) illud à ſe ſuſcipi ſimularet. Aggreſſus illud tandem, Hiſpanorumque, Italorum, Germanorum Papiſticorum, & aliorum innumerabilium magno exercitu conſtipatus, nunquam tamen Principes Germaniæ conjunctos & ſumma prudētiâ ac concordia ipſi reſiſtentes, ullo aperto, ſed per inſidias ac cuniculos tantùm, diſtractione que ipſorum facta, adoriri auſus eſt. Tandem igitur anno 1547. Euangelicis Civitatibus ac principibus tædio, quod acie congrediendi & dimicandi Cæſar omnes occaſiones detrectaret, divulſis, ac domum pleriſque poſitis armis reverſis, ſolum Saxoniæ Ducē copias ſuas illi adhuc opponentem, ſed jam etiam parte earum maxima in Miſniam & Saxoniam dimiſſa rem agentem, tenuique manu munitum prælio ſuperavit. Reliquos Principes cum Civitatibus Germaniæ in confeſſione Euangelii conſtantes, deditione voluntarios deinceps accepit: Non multo poſt tamen ipſe iiſdem artibus, quibus Saxonem debellavit, à Mauritio fugatus, & ad tantam deſperationem compulſus eſt, ut ſe imperio abdicare coactus fuerit, cauſſa Euangelii & ſincerioris Religionis Euangelicorum nihil diminuta, ſed indies augeſcente. Hoc eſt ſcilicet miraculum (quemadmodum appellat Bellarminus) quo Germanos Euangelicos Carolus 5. Cæſar ſubegit.

Schleid. lib. 17. 18. 19.

Lambert. Hortenſ. libris de Bello Germanico.

Gallica bella ob religionem.

In Gallia quænam Papiſtarum fuit felicitas & victoriarum ſucceſſus contra Euangelicos? Annon Regum Franciſci I. Henrici II. Franciſci II. authoritate veritas Euangelii diu oppreſſa jacuit, Papiſtis eam variis mendaciis & calumniis ſuſpectam atque inviſam populo reddentibus? Poſtquam verò tandem emergere cœpit ſub annum Dn. 1557. ubique Papiſtæ, quantum poterant, reſtiterunt, ne latiùs ſe diffunderet. Et primò quidem F. Guiſio Duce Lotharingiæ ac Carolo Lotharingo Cardinale authoribus & ductoribus, pacem cum noſtris turbarunt.

Dinothus & Popelliniere de Bellis Gallicis.

rũt. Poſtea audaciores facti, & ſeditioſis Monachorum, Sacrificorum & Pſeudo Euãgelicorum vocibus ac calumniis inſtigati, impetum populariter tum Pariſiis anno 1560. tum in Pedemontio anno 1561. tum Vaſſiaci eodem anno, in homines pios fecerunt, eoſque inermes, & ſacris ac divinis rebus juxta ſanctum Euangelium vacantes, & nihil mali opinantes, & fœdera ac publicam fidem pacemque datam ſui clypeum eſſe confidentes, velut oves innocentiſſimas ex improviſo per inſidias, ruptis fœderibus ac juramentis fractis, mactarunt.

Inde Condæo principe ad propugnationẽ Euangelicorum commoto, Nimeſium, Valentiam, Lugdunum, Aureliam & alia loca idonea cum Euangelicis occupavit, nihilque prius & potius quàm pacis edicti obſervationem poſtulavit ac urſit. Sed Guiſius cum Papiſtis, falsò etiam Regis Caroli XI. ſub tutela latentis nomine prætenſo, edictum violari curavit, lanienas Euangelicorum conjuncto Conneſtablio & Marſchallo Sanct. Andræano varias & immaniſſimas Turoni, Rhotomagi, Maſconi ac alibi per Burgundiam & Galliam excitavit. Suzius autem capitaneus ejus, cũ Adretio Cõdæi ſocio congreſſus, funditur & fugatur. Redintegratis viribus Monbrunenſem Euangelicum in prælio vincit ac in fugam vertit. Ciſteronem oppidum, poſtquam Euangelici obſidionis moleſtia eam deſeruere, capit. Idẽ fit à Papiſtis Marſiliæ, ad Aquas Sextias & per totam Provinciam ac Vaſconiam, ubi captis & deditis Euangelicis nihil clementiæ ullo modo concedebant, ſed crudeliſſimè atq; inaudito modo in eos ſæviebant. In Longuedocia Montiſpeſſulum obſederunt, Manguelonem inſulam ceperunt. E contra Condæi Euangelici per Buliargum mirabili victoria Suzium, Somerivam & magnam Papiſtarum manum in Campo Mario, impedimentis ac caſtris eorum captis, tenuiſſima manu in fugam dant, ut etiam 3. octob. anno 1561. Montiſpeſſuli obſidionem ſolvere coacti ſint, Florentiâ parvo oppido Galliæ pro ea captâ & direptâ. Amiralius Caſtillonæi Dominus, Euangelicorum equitatui præfectus, Regios Papiſtas ad Caſtellodunum aggreditur, fundit, & captis eorum tormentis ac prædis diſſipat. Juojus verò Euãgelicus vel inopia commeatus, vel proditione Burges urbem Papiſtis tradit. Hi Montiſpeſſulũ, ſed Navarreno Regio prætore ictu globi vulnerato & enecato, capiunt, ac miſerabili inſolentiq; crudelitate deprædantur & divexant. Guiſio Duce Lutetiam Pariſiorum reverſo, variæ artes ad impediendam vim militarem Condæorum & Euangelicorum per inſtantem hyemem à Papiſtis excogitantur. Genlius Condæi amiciſſimus, & conſiliorum ejus optimè omnium conſcius, ab Euangelicis, fratre Juojo incitante, deficit, híſque cauſſam ineundi nova conſilia adfert. Prælio itaque aperta acie cum Guiſianis Papiſtis, quorum copiæ è Vaſconia & Hiſpania numero ad 26. millia preditum ac 3. millia equitum auctæ erant, ad Druidas facto, Helvetios Papiſticos, Conneſtablio capto, & Guiſianos Euangelici primo impe-

An. Dn. 1561 19. Decemb. tu fuderunt. Sed mox fortunâ verſâ Guiſiani Condæum Principem capiunt,& Euangelicos diſpergunt. Amirallus verò gubernatione belli & prælii loco Condæi ſuſcepta,rem cum Euangelicis ita gerit,ut è Papiſtis Sãctandreanus Mareſchallus, Monbrunus Conneſtabilii filius, multique magni nominis, plurimique reliqui milites deſiderati ſint,ac nox dimicantes diremerit,æquâ ferè victoriæ laude utriq; parti relictâ. Guiſius Pariſios rediens exercitum frendens ac gemens,ſeque ulciſci cogitans inſtaurat, de victoria in campis Druidum reportata temerè gloriatur,à Condæis multos ad ſe defecturos ſperat, ac edicto omnibus Amiralium deſerentib. ſecuritatem promittens,copias rurſus expedit,ac Viẽnam,Nonam aliaque loca per ſuos occupat & devaſtat. Adretius Condæus antea ſæpè victor ad Guiſanos(uti diximus)perfidè deſciſcit.

Anno 1562. Aureliam obſidet. Admiralius in Normandiam proficiſcitur, quem Guiſius ad Equites Germanos calumnioſè defert, ut defectionem horum ab illo impetret,ſed nihil proficit. Angli in Normãdia ſe Admiralio conjungunt. Guiſius à Johanne Poltroto miſerabiliter tribus globulis è ſclopeto emiſſis ſauciatur, ut triduo poſt expirarit,Poltrotus quatuor equis in partes diſtractus ſit, Rex autem 13. Martii edictũ pacis promulgarit. Admiralius crimine inſtigati in Guiſium Poltroti accuſatus, ſe excuſat,ac fiducia edicti de pace ſancita illectus, copias Anglorum & Germanorum invitas dimittit. Pace ſimulato animo à Papiſtis factâ,prædæ & neces paſſim in Euangelicos per Guiſii interempti ſocios intentantur; Condæus muneribus & voluptatibus in vinculis ad apoſtaſiam ſolicitatur,Pamieſa oppidum crudeliter ſtupris, direptionibus, cædibus ab Anvillano Papiſtico tyranno vaſtatur. Idem anno 1564. urbibus Aureliæ, Montalbæ, Valentiæ ac aliis per eoſdem accidit. Condæus divinitus illuminatus liberatur, ſe Euangelicis denuò jungit, eorum cauſſam intercedendo apud Regem ac Reginam matrem fideliter diligenterque agit. Hi interim per Galliam magno cum populi,præſertim Euangelicorum damno exſpatiãdi & animi gratiâ iter faciunt, ac tantùm non tumultus excitant,at verè clamores & querelas Euangelicorum de injuriis & calumniis acceptis ſurda aure prætereunt, & ad judices modò iniquos ac malevolos rejiciunt.

Anno Dn. 1565. Rex cũ matre Toloſâ per Guiennam urbes & vicos præcipuos ſpectandi cauſâ profectus, tandem Bajonam menſe Julio venit,ubi ad eum ſoror Eliſabetha,Philippi Regis Hiſpaniarum uxor ad ſanctam Ligam,id eſt,fœdus tuendæ veteris religionis Papiſticæ cauſâ confirmãdum accedit. Tractatio hæc de S. ut vocant, Liga,ſeu fœdere ad delendos Euangelicos paſſim in Gallia initio occulta erat,quàm maximè,ſed tandem indiciis Condæi prudentiâ & pietate emanavit.

Anno 1566. mediocri pace Euangelici fruebantur,ſed interim injurias à Papiſtis plurimas ſentiebant, & inprimis Amiralius ac Andelotus inſidias quotidie experiebantur.

Anno

Digitized by Google

ANNO 1567. iterum occaſio extirpandi Euangelicos in Gallia duce Lotharingo Cardinale quærebatur, copiæ à Regiis conſcribebantur, variiq́ue prætextus violati edicti pacis prætexebantur. Condæus pro Euangelicis Regi ſupplicat, ſed falſis Lotharingi Cardinalis calumniis nihil efficit. Regina Galliæ regis mater Pariſios fugit, & cum conſiliis novis novas copias undique contra Euangelicos conducit. Euangelici etiã ad Condæũ armati ſe conferunt, ut ſe defendant; Lugduni cædes & direptiones Euangelicorum perpetrantur. Conneſtablius Pariſiis in Condæum & Euangelicos egreſſus infeliciter pugnat, vulneratur & moritur. Condæus auxilia Germanicorum ductore Johanne Caſimiro Palatino accipit. E contra Papiſtæ copias ſuas quoque augentes, ſummam rei Regis Caroli IX. fratri, Henrico Angieræ Duci, committũt, ac nomine Regis ſe bellum gerere prætendunt. Rex exercitium liberum Religionis Euangelicæ, violato edicto ſuperiore, novi edicti publicatione vetat, In Lotharingia utriuſque partis copiæ, Germanis auctæ, hyeme imminente ſeſe invicem inſequebantur. Regina Navarræ fugientes ad ſe Euangelicos è Provincia per idoneos duces Mouvẽtium, Monbrunum, Põſenacum & alios Euangelii ſtudioſos excipit, ac Condæo mittere inſtituit.

Horum fortitudine ad Gannatũ oppidum Avergniæ Papiſtis, qui illos circũ veniebant, victoria eripitur, Altevillanus interficitur, hujuſq́ue domus opulentiſſima incenditur Anno 1568. Januarii 8. Iidem feliciter in Franciam tranſeunt. Condæum expectantes Blaſam capiunt. Adretius apoſtata, qui à Cõdæo defecerat & Euãgelio, multis injuriis per Delphinatum Euangelicos afficit. Condæus urbem Chartres in Belloſana regione obſidione premit, ſed artibus Reginæ pacem ſimulantis retrahitur. Edictum anno 1562. de libero religionis Euangelicæ exercitio conceſſo ſancitum, in caſtris Condæi, ac duobus aliis locis, ſed alibi nuſquam promulgatur regia authoritate, at minimè ſervatur. Nam Euangelici fiducia ejus dilabentes, nec in urbes patriæ ſuæ à Papiſtis recipiebãtur, aut in domos compulſi ac concluſi miſerè & crudeliter tractabantur; adituq́ue redeundi ad Condæum intercludebantur, ac interdum interficiebantur, aut diripiebantur. Urbes multæ Euangelicorum plenæ, artibus perſuaſæ ſeſe Regiis dedebant, ſub prætextu edicti, quaſi exercitium Euangelicæ religionis ubique, niſi Pariſiis non, liberum permiſſum ſit, non pauca loca aſtu præſidiis regiis muniebantur: aliæ præſidia accipere conſtanter renuebant. Profeſſi religionem reformatam, ad munera publica, quæ geſſerant, non admittebantur rurſus: homines abjectiſſimi & toti odio Euangelii ardentes, ad ea evehebantur. Toloſæ parlamentum detrectabat religionis edictum promulgare, & Rapinium Condæanæ aulæ magiſtrum urgentem, ut promulgaretur, capite trũcabat. Lugduni duo contradictoria edicta ridicula promulgabantur, civibusq́ue locum religioni exercendæ aptum in urbe petentibus, ſimulatè unus extra eam concedebatur, ipſis aut

aditu domorum prohibitis, aut direptioni miſerè expoſitis.

Pariſiis præſidia augebantur, populoque poteſtas ferendi arma permittebatur, ut contra reformatæ religionis cultores accincta eſſe ſignificaretur. Sacrifici, Monachi & Jeſuitæ depravatis ſacræ Scripturæ exemplis claſſicũ contra Euangelicos canebant. Lotharingius Cardinalis frequentiſſimè Albani ducis conſilio uſus, initio ad cædem nobilium ac patritiorum reformatæ religionis patrandam, deinde ad plebem promiſcuam excindendam omnibus Galliæ & Franciæ locis, quàm occultiſſimè ſimul atq; acerrimè, inſtigabatur. In primis Cõdęo, Admiralio, Andeloto & ejus fratri Odetto, Rupeſocaulto & aliis præcipuis reformatæ religionis ſectatoribus inſidiæ Reginâ rem miris literarum ac verborum lenociniis agente, tendebantur. Inde igitur ab ineunte Aprili uſque ad Auguſtum crebertimæ & rabioſiſſimæ à furente plebe Papiſtica cædes Euangelicorum fiebant, neque jus faſque ullum hoc defendere poterat, ut ſimul ſtupra ac alia facinora nefanda perpetrarentur. Hi ſcilicet præclari pacis, à Papiſtis omni fide promiſſæ, erant effectus. Condæus & Admiralius in loca tutiora, ringente Lotharingio Cardinale ob occaſionem eos trucidandi omiſſam, ſe recipiebant, exactione inſolitâ & permoleſtâ à Rege premebantur, deque violato pacis edicto graviſſimè conquerebantur. Peculiari juramenti formulâ nobilibus & præcipuis è religione Euangelicâ per vim obtruſâ, hi eam pio & moderato ſcripto accipere renuebant. Rupella & Montalba præſidium regium rejiciens, obſidione cingitur. Literæ Papiſtarum, interitum Euangelicis denuntiantes, intercipiuntur. Amanzæus nobilis Euangelicus occiditur. Condæus & Admiralius à copiis hoſtium Noieræ quæſiti effugiunt. Literis Regi violata pacta, injurias iniquas, cædes injuſtas, periculaque ſua inſperata & atrocia ſumma cum querimonia ſignificant, Guiſianos potiùs, quàm Euangelicos Regis ac regni hoſtes eſſe demonſtrãt. Perfugium tandẽ apud Rupeſocaultum & Rupellanos inveniunt, qui cũ illis multa quoque oppida & loca Euangelium profitentia conjungunt, ac undique homines ejus ſtudioſos in tutelam recipiunt. In Francia, Vaſconia & Delphinatu, ſingulari Dei gratia aliquot oppida plebi Euangelicorũ hoſpitium præbent, viri cum Condæo ſeſe ad bellum parant. Is ſe non in Regẽ, ſed Regis ac regni hoſtes, videlicet Guiſianos, arma expedire declarat. Leges bellicas ſuorum apud ſe condit. Reginam Navarræ, quæ Regem, ejus fratrem Henricum, Cardinalem Burbonium ſuum fratrem fideliter literis de periculis impendẽtibus admonuerat, honorificè Rupellæ excipit. Urbes aliquot invitis & reluctantibus Papiſtis Condæo ſe conſociant, Euangelici in omnibus locis ad eum armati confiuunt. Andelotus juſſu ejus milite conducto, poſt commoda & incommoda itinera tandem ad Admiralium, hoſte ſæpè repulſo, ac occupatis locis aliquot idoneis pervenit. Dux Roanius, ſtabuli Regii magiſter, capitur ac Rupellas deducitur. Angoleſmium oppidum à Condæo ad deditio-

tio-

Digitized by Google

tionem adigitur. Edicto contra Euangelicos pro retinenda religione Romana promulgatur duo. Bulla Papalis in aulam Regiam mittitur, ad internecionem Euangelicorum incitans, qui apertè pro hæreticis proclamātur. Michael Hoſpitalis Archicancellarius regius diſſuadens Bullæ promulgationē, in odium incidit, ac ex aula domum remittitur. Acierus multas copias Cōdæo adjungit, multique omnis generis ac loci ſponte ſe ei copulant repugnantibus licet Papiſtis. Condæanorum Moventius Acierum ad congrediendum ſecum cum Montiſpeſſulano incitans cæditur, ut & Pieregurdus ſocius, Montiſpeſſulano victoriā cruentam relinquit. Condæus occupato oppido Angulmoio Acierum excipit. Regina Navarrena Rupellæ gubernatricem agit, Reginæque Anglicæ opem acceſſit. Condæus, Admiralius & Acierus ineunte Novembri Henricum Regis fratrem & Montiſpeſſulanum ad pugnam ſollicitant, ſed hi optimè circumvallati ſe ab ea continent. Condæi arce Chavignia capta & combuſta, levibus aliquot præliis cum Henrico Regis fratre ac Montiſpeſſulano congrediuntur. 17. Novembris, juſtum autem prælium expetentes repulſam patiuntur. Regii deſertis caſtris aliò ſe conferunt, ac Euangelicis inſequentibus celſo animo ac parato exercitu multum è facultatibus ſuis relinquunt. Tandem prælio à Condæo cū Regis fratre Henrico commiſſo, deſiderantur Papiſtarum ſexcenti, inter quos 15. capitanei, ac Admi alii adventu gravior in Papiſtas impreſſio facta fuiſſet, præſertim Condæo omnes ſuas copias in aciem educente, niſi Regii ſe in caſtris continuiſſent. Diſcedētem poſt aliquot dies regis fratrem Condæus inſectatur, deditioneque accepta Mirobeâ plus octiduo commodis in caſtris copias recreat. Admiralius ſub finem Novembris Comitē Briſſacum fundit & fugat. Regii à matre Regina & ducibus ſuis moniti conſilium ineunt nulla acie cum Condæis congrediendi, ſed vires ejus cædendo debilitandi aut impediendi. Per nuntium Regina mater Condæum ad pacem petendum hortatur, qui ſe & conſcientiæ & religionis purè conſervandæ, & tyrannidis Guiſianorum atque Lotharingicorum amoliendæ cauſſa in armis eſſe reſpondet. Ducis Bipontini è Germania auxilia expectat, à Reginæ matris ac Lotharingicorum artibus ſe deludi & circumveniri ſentiens. Papiſtæ falſas, Condæus & Navarræ Regina veras belli cauſſas ſpargunt. His Germanorum auxilia impetrant. Cocheus Condæanus contra Argentinam ab Aumalio circumventus, cæſis ſuorum multis, funditur, capitur ac proditoriè occiditur & in profluētem abjicitur. Noira Burgundiæ, Condæis addicta, falſis promiſſis deditur, & contra jus faſque cædibus Euangelicorum crudeliter factis diripitur. Quinque millia & ſexcenti equites Germani Rhenum ad Condæanos tranſeunt, ac Aumalii Guiſiii minas eludunt. Henricus Regis frater fruſtrà deditionem Mirobeæ, à qua Condæus diſceſſit, tentat: Aciero eam fortiter tutante, ac Condæi auxilia accerſente, quæ & hoſtem in alia loca repulere, ac è Regiis ducentos Helvetios, tre-

centoſque pedites alios ex improviſo oppreſſos cecidere. Caſtra utrinque hyeme aſpera ſub finem anni æquis locis ponuntur.

Anno 1569. Pilleus Condæi ſocius in Vaſconia novas copias colligit, aliquot loca capit, tandemq; ſe Principi conjungit ex itinere vicis, ubi antea Muvetius & Pierregurdius, aliiq; ſuorum miſerabiliter cæſi erant, incenſis. Monaſterium Florentiæ, ducentis præſidiariis occiſis, Condæi occupant. Comes Briſaccus Burſantum Condæenſem paucis munitum octo millibus equitum obruit, at paucis cæſis reliqui noctis auxilio evadunt. Idem Comes Mongomerium aggreditur, qui arcis finitimæ auxilio, fratre tamen ſuo ab hoſte capto, liberatur. Papiſtis è bonorum Eccleſiaſticorum facultatibus nervos belli comparantibus, Euãgelici idem faciunt, ſicque faciliùs belli ſumptus ſuſtinent. Sancerra menſe Februario fruſtra à Papiſtis obſidione premitur, qui & multos milites magno cum damno amittunt. Rex Meti exercitiũ Religionis Euangelicæ, clauſis templorum foribus, præſens abrogat. Aumalius ad Tabernas à Francis Euangelicis reprimitur, qui duce ſuo Genliſio febri laborante privantur. Betſteinius Rhingravius aliquot manus militum ad Regios perducit. Regii & Condæani vires ſuas utrinque animosè multis congreſſibus experti, tandem 1. Martii prælium ineunt, in quo Condæi equo glandibus perfoſſo ipſe capitur, & ſclopetto transfoditur per caput, ut ſummum luctum Euangelicis attulerit. Ex horum numero ducenti interfecti, quadraginta capti

Condæus occiditur.

ſunt, nec pauci tam gregarii quàm magnæ authoritatis viri è Papiſtis interiere. Regina Navarræ in caſtra Euangelicorum profecta, bonam Condæi cauſſam non cum ipſo concidiſſe ait, ſed à Deo defendi, qui tam ſuum quàm Condæi filium patronum ejus ſubſtituat: His exercitũ illorum in officio quum continuiſſet, Rupellam redit. Henricus Anguleſmam capere conatur, ſed eâ ab Euangelicis novo præſidio munitâ ductore Comite Montgomerio, qui ſingulares res magna diligentia procurabat, re infecta diſcedit. Alibi verò arce per deditionem occupata, ſimile in urbe, & arce Mucidana tentat, ac ſecurum propugnatoribus exceſſum pollicitus obtinet. At his ex arce egreſſis, ſingulos præter fidem datam obtruncari curat. Admiralius, Andelotus, Rupeſocaltus Principe Navarreno Henrico, qui poſtea Rex Galliæ ejus nominis 4. factus eſt, duce exercitus Euangelici creato, tam equitum quàm peditum copias luſtrant & renovant. Maji 7. Andelotus veneno accepto moritur, ac poſt eum Bovardus. Pilleus Modocam inſulam, inter Rupellam & Burdeaux ſitam, in poteſtatem Euangelicorum redigit. Mongomerius ſummâ perfidiâ ad Henricum Regis fratrem deſciſcit. Dux Bipõtinus in Galliam quum trãſſcendiſſet, Regi cauſſas ſui adventus juſtas exponit per literas, ac Charitẽ Burgundiæ oppidum, fruſtra eum inſequente hoſtiliter Aumalio 8. Maji capit. Henricus Regis frater duo millia equitum, & quatuor millia peditũ à Papa accipit, Aumalii manu augetur, ac Bipontinos à latere inſequitur, ſed

non

Digitized by Google

non adoriri audet. Euangelici Principes Holtronum oppidum vi in poteſtatem redigunt, & ſe maximo cum gaudio Bipontinis Germanis conjungunt. Wolphgangus autem Bipontinus Dux 11. Junii febre acuta moritur, poſtquam cauſſam belli Volrado Mâſfeldio Legato ſuo commiſiſſet. Regina Galliæ ad Henricum filium Limoſam in caſtra venit, comitatu Caroli Lotharingii & Burbonii Cardinalium ſtipata, luſtroque exercitus tranſacto ſingulos ad conſtantiam pro Rege adhibẽdam monet. Condæani Viennam fluvium tranſcenſuri à Regiis prohibentur, ſed horum partem occidunt, partem in fugam compellunt. Die 25. & 26. Junii magno & acri prælio Euangelici Condæani ad S. Rochium Papiſtas Regios, horum duce Stroſſio capto, ſexcentis cæſis, multiſque vulneratis, ſuperant. Motis propter commeatus inopiam caſtris aliò ſe conferunt, inſequente eos Henrico Valeſio Regis Caroli fratre, ſed captis aliquot arcibus & oppidis, in quibus dux quidam ſe viginti millibus Franconum redimens, liberationem *Petri Vireti* miniſtri verbi divini pollicetur & conficit, arcem Chabaneiam inflammant. Henricus Valeſius equitatus ſui partem domum dimiſit, ſed ut 1. Octobris revertatur. Euangelici Chaſtelerutum oppidum, & arcem Luſignanam capiunt. Regii Chantam oppidum oppugnantes magnum damnum à pulvere tormentario incenſo accipiunt, & re infectâ propter adventantes Cõdæanos eam defenſuros diſcedunt. Re igitur Papiſtarum in deterius ruente, & copiis Regiis hinc inde diſperſis,

Pacificatio ab Euangelicis inſtituitur.

Regina Navarrena cum Principibus Euangelicis ſibi conjunctis viam idoneam id eſſe pacificationis agendæ rata, ſupplices literas ad Regem pro pace mittere inſtituunt. Sed repulſam ferunt. Regii Bearnam Reginæ Navarrenæ ditionem, amiſſis tormentis & magno militum numero deſiderato, perdunt, ut à Comite Montgomerio ſub ditionem reginæ redacta ſit. Potiera à copiis Euangelicorum obſeſſa, per Regios novis viribus auctos obſidione liberatur, Italis tamen propè quingentis, & inter eos Fabiano Romano duce, amiſſis. Euangelici tamen menſe Auguſto Olitacum oppidum mira arte capiunt, ac terrorem toti regioni incutiunt. Occaſione utrinque ad pugnam committendam quæſita Euangelici quingentos hoſtium occidunt, reliquos in fugam dant. Dominicus Dalbe Vaſconius ad Bipontinos cum literis Principum Euangelicorum miſſus, ex itinere proditor illorum fit, veneno Admiralium tollere promittit, ſed tandem ob moras diutiùs nexas ſuſpectus capitur, & confeſſus facinora ſuſpenditur. Regii copiis antea dimiſſis revertentibus, & novis accedentibus, Partenaiam duo in agmina diviſi feſtinant, & ad Euangelicos vix duarum horarum itinere diſſitos quàm proximè accedunt. Admiralius Movium è hoſtium manibus eripit, ſed ab Henrico Valeſio locum editiorem & commodiorem occupante, tertio Octobris, gravi & funeſto prælio vincitur ad Montgunturum urbem, quia etiam numero peditatus & equitatus ſuperabatur. Movius Euangelicus ab amico glande percuſſus perfidè, Rupellas

pellas deducitur curandi vulneris cauſſa, ſed brevi magno cum luctu ſuorum moritur.

Regii aliquot oppida & loca Anno 1570. recipiunt: at plus quam ducentos viris nobiliſſimos amittunt. E diverſo Principes Euangelici Nimeſium in Languedocia obtinẽt, ac Burges oppidum proditione capiendum conſervant. Vezelæ oppidum in Burgundia ſeſe contra vim Sanſaci tuetur. Necunquam Principes & populi Euangelici propter amiſſum prælium ad Mõtgunturum timidi & remiſſi apparebãt, ut etiã Foreſtium propè Lugdunũ ad Rhodanũ penetrarint. Sub finẽ Maji copiis principum hinc inde multum damni Pontificiis dantibus pacis mentio paulatim facta eſt, ac tandem menſe Auguſto procedit, præſertim occaſione matrimonii inter Regẽ Carolũ IX. Galliæ & Maximiliani 2. Cæſaris filiam contrahendi oblata, cui Cæſar minimè aſſentiri, niſi belli motibus ſedatis, volebat. Tandem 26. Novembris nuptiæ Iſabellæ imperatoris Maximiliani 2. filiæ, cum Carolo IX. Rege Gallorum confirmantur & celebrantur.

Anno 1571. 23 Septembris cadaver Ducis Wolphgangi Bipontini, anno 1569. quinto Junii, Admiralii juſſu Engolesmam traductum, ac Cognati in ſacello arcis conditum, in Germaniã Maysheimium transfertur ac patrio tumulo infertur.

Anno 1572. die 15. Junii Rex Galliæ Carolus nonus fœdus cum Eliſabetha Angliæ Regina ſancit & jurat. Die 18. Auguſti nuptiæ maximo cum apparatu Pariſiis inter Henricum Navarrorum Regem & Margaretham ſororẽ Caroli Franciæ Regis celebrãtur. Die 22. Auguſti nobilitate omnis generis ad nuptiarum ſolennitatem congregata, Caſpar Colignius Admiralius Caſtilionæus à Papiſtis ſupplici libello legendo pedibus iter faciens intentus glandibus plumbeis ictus eſt, & 24. non ipſe modò ſed & Rupefocaldus, Telignius gener Admiralii, Marchio Renelius, Forſius cum filio, Præſes Plateanus, Petrus Ramus, Chappæus Juris conſultus, Lomenius ſecretarius Regius & alii plurimi impetu facto cæſi. Sponſus autem Rex Navarræ & Henricus Princeps Condæus ex cubiculis ſuis ad regem, comitibus adminiſtris eorum in area arcis Louparæ peremptis, deducti ſunt. Die 25. quotquot Euangelicorum inveniri potuerũt, obtruncantur & bona eorum diripiuntur. Parriſienſe exemplum pleræque civitates & loci in omnibus regni provinciis, perimendo Euãgelicos omnis ætatis, ſexus ac ordinis eorumque bona diripiendo imitantur. Rex ob conſpirationem Euangelicorum adverſus ſe, matrem fratresque ſuos, & regem Navarræ factã omnes iſtos mandato ſuo de medio ſublatos promulgabat, & ſimulabat.

Nuptiæ Pariſinæ.

Anno 1573. Rex Navarræ, Condæus & Rupefocaldus Euangelicam religionem abjuraſſe ſparguntur. Cum Henrico & Alanzonio regis fratribus Rupellam obſident, ſed nihil proficiunt. Die 7. Aprilis Principes magno numero nobilium ſtipati propugnaculum Rupellæ ante machinis bellicis concuſſum oppugnant, ſed multis ſauciatis, & in his duce Nivernenſi

Digitized by Google

nenſi, fratre Ducis Guiſii, Claremontano Goaſio, & deſideratis ampliùs trecentis retrocedere coacti ſunt. Poſtridie ex oppidanis aliqui ab hoſte de im proviſo opprimũtur, & interimũtur. Tandem hoc ipſum propugnaculum cuniculis verſũ multos adobruit, & oppidum quaſi acto aggere munivit. Die 18. Aprilis Coſſinius militum tribunus in aggere ſtans, globo tormentario interfectus eſt. Gabriel Comes Mongomerius cum multis nobilibus ex Anglia reverſus Rupellanis auxilium ferre vult, ſed impetu hoſtium viſo, retrocedit in Inſulam, ac mox in Angliam redit. Die 21. oppugnatione Rupellæ renovata, inde Papiſtæ denuò dejiciuntur & Bironius fœmore vulneratur. Die 10. Maji Henricus Regis frater & Andium Dux Rex Poloniæ declaratur. Die 11. aliqui in Rupellano propugnaculo ſomno ſopiti perimũtur, ſed nihilominus urbs relinquitur. Die 20. Mongomerius navigium ad oppidanos emiſit, quod pulvere tormẽtario & frumẽto repletum per medias hoſtium cuſtodias elabitur, & opportunè obſeſſis ſubvenit. Die 5. Junii Andium Dux propter vocationem ſuam ad Poloniæ regnũ ſuſcipiendum de pace agitat. Edictum de pace die 11. Auguſti Pariſiis in curia promulgatur & Rupella obſidione levatur. Inde ἀμνηςία & oblivio præteritarum injuriarum ſancitur, & Rupellæ, Montalbanæ & Nemauſæ urbibus publica religionis Euangelicæ profeſſio liberumque exercitium conceditur. Die 28. Septemb. Andicus Dux in Poloniã regni capeſſendi gratia abit. Frater Carolus rex febri correptus, eũ comitari deſinit Menſe Decemb. detecta eſt conjuratio eorum, qui conſilium de dominatu Rupellæ occupando, & omnibus ſine diſcrimine obtruncãdis iniverant.

Anno 1574. circa finem Februarii Mongomerius in Normandia potitus eſt Careſtano, S. Lo, cujus defenſionẽ reliquit filio ſuo & Columbiero. Euangelici in Pictonibus occuparunt Fontenejum, Luſignanum & Talmonum. In Lugdunenſi provincia Malevallum & arcem Peretum, ac alia loca. Die 26. ſancitum eſt in conſilio aulico arma contra eos eſſe capienda. Penultima Feb. rex rumore adventantium Euangelicorum audito profugit è Germano Lutetiam, Euangelici ab eo ſtatus priſtini reſtitutionem petunt, & ordinum conventus agi poſtulant. Frater Mongomerii de S Johanne domi ſuæ interficitur. Die 24. Martii Henricus Navarræ rex ſe purgat à crimine læſæ Majeſtatis, ac Regis fautorẽ ſe profitetur Die 11. Aprilis è cuſtodia regia comprehendũtur aliqui, qui conſpirationem adverſus regem feciſſe dicuntur. Die 27. Maii Mongomerius in obſidione Donfroniæ ſe Marignoni Regis vicario dedit, abſẽte duce Bullonio, ac poſtea Lutetiæ capitis ſupplicio afficitur. Die 30. Maji Carolus IX. Francia rex fœdo morbo vivens & ſpirãs à vermib. conſumitur. Eodem die Henricus Andæus, Poloniæ rex in demortui locum declaratur Rex Franciæ. Die 17. Junii Henricus Rex ſplẽdida cœnâ Polonis Cracoviæ datâ clàm diſcedit, & quàm maximis itinerib. in Galliam properat. Monbrunus Euangelicus in Delphinatu ex

vulnere extinguitur. Princeps Delphinus Euangelicos ex Rhodani tractu depellere conatur. Toto ſuo regno Rex novus Galliæ Henricus nihil vi & perſequutione adverſus Euangelicos profici cernens, pacem illis concedit. Tandem indignè hoc ferẽtibus Papiſtis, qui conjuratione facta Euangelicos extinguere moliuntur, eundem Regem, quod iſtas conſpirationes nõ probaret, per nefarium Monachum, ad papatus & Monachatus infamiam trucidant. Succeſſorem ab ipſo declaratum, Henricum 4 Navarræ Regem ſimili arte nefaria interficiunt, Euangelii verò doctrina interim per Galliã non ſolùm refloreſcit, ſed longè latéque ſeſe propagat & diffundit. Gallicis igitur bellis expoſitis, nunc Belgica etiam conſideremus.

Belgica bella adverſus Euangelicos.

In Belgis, quibus veritas Euangelica affulgere cœpit, opprimendis & delendis num Papiſtæ etiam omnibus præliis ac rebus, ut gloriantur, ſuperiores fuerunt? Primò quidem legibus & judiciis contra Euangelicos pugnarunt. Poſtea cum armis Hiſpanorum Albanum, Pontificiæ & Hiſpanicæ crudelitatis ſupra modum idoneum miniſtrum, in Belgium miſerunt. Cujus ſi omnes res iniquè, injuſtè, crudeliter & perfidè geſtas in Euangelicos Belgas commemoraremus, nihil aliud faceremus, niſi ut multas unius carnificis palmas numeraremus. Judiciis ſub juſtitiæ prætextu multi ab eo oppreſſi ſunt: alii in exilium pulſi: nonnulli clàm necati: plurimi armorum ſpecie, quantumvis maximè inermes eſſent, trucidati. Multiplex erat variæ mortis facies. Una autem omnis mali origo, Papiſtarum adverſus veram & orthodoxam Euangelicorum doctrinam atque fidem odium & rabies. Sed nihilominus AN. DN. 1566. plerique proceres ac nobiles, oratore illorum HENRICO BREDENRODIO, quos religio purior fœdere jungebat, introductionem Hiſpanicæ Inquiſitionis averſabantur, Cardinalem Granvellanum eam ſummâ immanitate invehentem ac urgentem expelli curabant, ac Duciſſæ Parmenſi Gubernatrici confeſſionem ſuæ fidei & ſupplicationem pro ea concedenda offerunt, numero ſociorum indies vehementer accreſcente. Nihil autem præter injurias & oppreſſiones Euangelicis, obtinentibus, patientiâ in furorem verſâ, arma non quidem contra magiſtratum, ſed adverſus imagines ſumunt, quas Boſcoduci, Bredæ, Bergis, Gandavi, Ipeti, Udenarii, Ultrajecti, Amſterodami, Harlemi, Leideni, Delphti, Antuerpiæ mẽſe Auguſto demoliuntur. Mercatura eam ob cauſſam impedita, ſenatus Antuerpienſis per Ducem Guilielmũ Auraicum, tanquam Rectorem à Regia majeſtate Hiſpaniarum conſtitutum, decretum contra furorem ejuſmodi populi promulgat, ac liberam utriuſque religionis exercitationem permittit.

Dinothus de Bell. Belg. Demetr. Meterani hiſt. Belg.

ANNO DOMINI 1567. ſub finẽ Januarii Valentiniani in finibus Galliæ & Belgicæ poſiti, à Papiſta Noercarmio, obſidione premuntur ac concionatoribus & primoribus populi in carcerem conjectis ſummè periclitantur. At 15. Feb. populus Belgicus concionum & Sacramentorum puriorum uſum per Henricum Bredenrodium im-

impenſiù à Gubernatrice Parmenſi flagitat. Die 15. Martii Gulielmo de Greve Gubernatricis nomine copias Euangelicorum propè Antuerpiam concidente & diſpergente, Auraicus Dux tumultum à reliquis Euangelicis in auxilium ſuorum concitatum prudenter compeſcit, ut religioni utrique adhærentes ſub mutua fide ſecuritatem utrinque promitterent, ac omnes pacati domum redirent.

Menſe Majo Dux Albanus primũ Genuam appellit; inde Menſe Julio amplis cum copiis Turinum, ac mox GENEVAM verſus movet, multis ſuſpicantibus ipſum hanc quaſi nidum & receptaculum Hæreticorum (ut vocant Euangelicos) Sabaudóque rebellẽ obſeſſurũ. Verũ incolis civitatis armatis, ac expectatione auxilii Helvetiorum confœderatorum ſuffultis, ipſe ea ad 7. milliaria relicta, iter ad Burgundiam convertit, ac cũ Alberico Lodionio, qui circiter 3000. peditum & 300. equites conſcripſerat, cõjungit, copiasque per Gandavum, Lovanium & Bruxellas, locaque vicina diſtribuit. Edictum de inquiſitione ſtabilienda promulgat, omnia mutat & turbat, Senatum ſangninis ordinat, Gandavenſibus claves portæ eripit, Egmodanum & Hornium Comites cõprehendit, plurimos in Angliam & Germaniam diſſipat, Guilielmum Auraicum & Antonium de Lalaine comitem Hochſtratenſem conſilia ejus impedientes ab Hiſpaniæ Rege citari curat. Hi ſe 25. Aprilis purgant, & veras motuum cauſſas in papiſtas vere derivant. Menſe Junio Comes Egmondanus & Hochſtratenſis, aliique

AN. DN. 1568.

viri principes capite plectuntur. Auraicus copias pro Euangelicis conſcribit, multis à ſumma nobilitate Germanica ei militantibus, ac in vexillis Pellicanum, cum ſymbolo PRO LEGE, GREGE ET REGE geſtantibus, ac feliciter repugnante Albano aliqua loca capientibus, & Moſam, eluſis Albani coſiliis, trajicientibus. Hi menſe Septẽbri cum Albanis, minimè de ſumma rerum decertare volentibus, multas leves pugnas vario ſucceſſu uſque ad 27. ejuſdem menſis committunt. Mẽſe Decembri ex Belgio re infecta diſcedunt, Regiíque impetrandi per regnũ tranſitus gratiâ quatuordecim curulia tormenta donant. Albanus diſceſſu illorum flagrantior, furit gravius & atrocius in reliquos Euangelicos, ac naves Anglorum mercatoribus cuſtodię traditis arreſtat, Reginâ Angliæ hos & ſeſe ANNO 1569. egregiè purgante. AN. 1570. Antuerpiæ pro ſtipendiis ſuſpendia multis dat. Anno 1571. tributa & portoria auget ac gravat.

Econtrà AN. DN. 1572. Euangelici exoſum nomen Hiſpanicum habentes Brieli, Fliſſingæ, Roterodami, Schiedami ac alibi per Holandiã & Selãdiã Hiſpanos invadunt, expellunt, ſuſpendunt, portuſque maris intercipiunt & muniunt. Menſe Majo Ludovicus Naſſovius milite in Galliis collecto Valẽ ianam & Montem urbes Hanoniæ, civibus non admodum reluctantibus, occupat. Guilielmus Comes Bergenſis, ob bona ſibi ab Albano erepta ſe ei aſſociat, ac Zutphaniam, Dotecum, Duiſbergum, Grollium, aliaq; Geldriæ vicina loca capit. Julii 12. Dux Medimnæ ſucceſſor Albano datus,

Belgæ denuo feliciter gerunt bellum.

Digitized by Google

Fliesſingæ ab Euangelicis oppido erũpentibus obruitur, ac naves complures mercimoniis Indicis pleniſſimas, cum mille ac ducentis Hiſpanis, amittit: quatuor in reciproco maris fluxu hærentes concremari vidit. Junii 16. animis omnium ad Papiſtarum inquiſitionem & exactiones abrogandas inflammatis, Guilielmus Auraicus denunciationem belli ad proceres ſtatúſque Belgii proprio ſcripto publicat. Unigerus à Sizma & Bertoldus Enteſius Friſiaci exercitu pro Auraico contracto, Dordracum, Harlemum, Alcmaram, Leidam, Delphios, Medenblic, aliaque vicina Holandiæ loca ſuis partibus adjungũt. Copiæ Euangelicorum à ruſtico perfidè Binſium ductæ & necatæ, à Ludovico Naſſovio vindicantur Binſio ſuccenſo. Auraicus cauſſas belli ſuſcepti Imperatori mittit, auxilia ſibi è Germania non impediri petit, ac in Saxonia & finitimis regionibus ſuppetias acquirit. Eberſtenius Polvilerus & Fronſpergius militem in Albani auxilium conſcribunt. Julii 23. Auraicus Ruremundam vi expugnat, bellicis machinis potitur & tranſitu & Bommelo oppido, & 9. Auguſti Ziricæa Selandiæ. Auguſti 30. præſidium Auraici Mechliniam ingreſſum eſt. Quinto Septembris Lovanio obſeſſo, atque centena pecuniæ ſumma civib. imperata, ad Montem Hannoniæ ab Albani obſidione liberandum contẽdit. Septembris 7. Euangelici Aldenardũ munitũ Flandriæ oppidum capiũt. Die 8. Auraicus ad caſtra Albani pvenit, fruſtra irrumpere tentat, ac dãno accepto regreditur in Brabãtiã. Die 17. Sept. Mechlinia ſumptus belli Auraico denegans, prima octobris ab hoſte diripitur Albano. Octob. 11. ac poſtea Albanus Middelburgum, Teremondam, Aldenardum, Ruremundam & alia loca recipit, ut ei prædæ fuerint. Die 20. Lumæus nomine Auraici Schõhoviam Holandiæ occupat. Anno 1573 intercipitur à Fliſſingenſibus claſſis Hiſpanica, Euangelici toto Februario Harlemẽſibus ab Albano obſeſſis neceſſaria adferunt. Martii 7. Fliſſingenſes in Selandia ad Terenſeum adorti claſſem Albani in fugam conjiciunt. Martii 25. Harlemenſes eruptione facta caſtra Albanicorum invadunt & multis cæſis, multíſque fugatis incendunt. Aprilis 21. Fliſſingenſes cum inſtructa Albani claſſe confligentes, quinque naves capiunt, duas demergunt, unam incendunt, præfectum & alios occidunt. Junii 2. Euangelici militem in propugnaculum ex aggere factum Amſterodami immiſerunt, qui commeatum à caſtris Albanicis averteret. Die 22. Fliſſingenſes cum Middelburgenſibus pugnarunt, ac horum præfectum Catorenum cędunt. Defẽſione Harlemi fruſtra ab Auraicis tentata, certis pactis id ſeſe menſe Julio dedit. Civitatem Alemaniorum Euangelici ſub Auguſtum Albanicis præripiunt. Die 8. Fliſſingẽſes arce Ramekenſi potiuntur. Sub finem menſis Euangelici Montem in poteſtatẽ redegerunt. Septemb. 20 ingens navale prælium inter Albanicos & Euangelicos, præſertim Enchuſianos, non procul ab Amſtelredamo, ipſo Albano ſpectante, commiſſum eſt: quo Albanici, magna navium parte amiſſa, ſuperati ſunt. Novemb. 16. Albanus cum filio

filio ſuo, Varga & Secretario, à Rege Hiſp. non bona cum gratia in Hiſpaniam revocatur, ac ſolvit Antuerpiâ, Mediolanenſi præfecto Caſtiliæ Commendatore ei in gubernatione Belgii ſuccedente Fliſſingenſes 22. Novemb. eam claſſem obſident.

Anno 1574. claſſis Hiſpanica in Belgium miſſa menſe Januario 30. navib. conſtans, fere tota periit. Alia itē claſſis 80. navium ab Euangelicis fugata eſt, occiſo Admiralio & veteranis Hiſpanis, navibusque 19. ſubmerſis. *Chriſtophorus* Palatinus Auraico à Germania auxilia adducit, quæ in cāpis Muccenſibus circumventa & profligata ſunt. Maji ultimo Antuerpia ab Hiſpanis ob non ſoluta ſtipendia divexatur, & pecunia mulctatur. Euāgelici naves illorum partim capiunt, partim tormentis afflictis in aquas mergūt.

Belgarum nova oppreſſio inſtituta.

Quid plura? Pace demum Anno Domini 1578. facta, Papiſtæ nihilominus bellum cordibus premebant. Omnibus enim modis pacta, quantumvis à Rege & Gubernatoribus icta & jurata violarunt, utque rurſus ad arma concurſum ſit, effecerunt. Nec aliud in Belgio, quàm Chriſti fidem & religionem naſcentem extinguere, creſcentem impedire, roboratam tollere Papiſtæ conati ſunt. Sed aut ancipite aut nullo prorſus ſucceſſu. Quis enim exitus præliorum navalium in Scaldi?

Repugnant Belgæ feliciter.

Mari Auſtrali, ubi Boſſu captus eſt? & aliis locis? Nonne miſerabilis & lugubris fuit eventus formidabilis iſtius claſſis, quam Philippus anno 88. emiſit? Nonne de hinc Belgæ Philippo omne imperium maris ademerunt. Nōne paucis annis innummeras & potentiſſimas urbes, Groningam, Daventriam, Zutphaniam, Novimagū Bredam, Gertrudebergam, Schluſam, Gravam, Stenvicam, ſuo imperio ſubjecerunt? Nónne innummera Caſtella, eaque loco & opere munitiſſima, Delphſylam, Reidā, Covordiā, Gorā, Brevordiam, Andriſcum, Iſendicum, Hiſpanis extorſerunt? Quid quæſo ad hujus uſque anni 1614. laudabile in Belgica ab Hiſpanis geſtum eſt? Narrant Philippum triginta tribus annis, hoc eſt, ab anno ſexagesimo ſexto uſque ad annum nonageſimum nonum in bellum Belgicum quinquies mille & quingentos nonaginta quatuor milliones Ducatorum, id eſt, centies ſexagies ſepties mille octingentas & viginti tonnas auri, ut nunc loquimur (ſive in zifra, ut vocant, 5594. milliones Ducatorum, hoc eſt, 16782. tonnas auri) expendiſſe. Cui pecuniæ conferendæ non ſunt omnes Europæi Reges atque Principes ſatis opulenti & divites.

Sumptus Hiſpanici in Belgis ſubjugandis fruſtra impenſi.

Quid verò tam prodigioſis ſumptibus, & tam variis, magnis, multis monſtroſiſque exercitibus laudabile ac præclarum geſſit & effecit? An non tantus Monarcha, tantorum tamque multorum Regnorum Rex omnibus viribus & ſuis, & Papæ & totius Cleri & amicorum ſuorum ne unum quidem Principem Euangelicū eumque non potentem, niſi per fraudem & inſidias opprimere potuit. Rectè itaque in Papiſtas quadrat, quod ſupra diximus è Jeremiæ 12. Pſal 72. & 73. Job. 21. Felicitatem ac triumphos & ſucceſſus temporales impiis & malignantium Eccleſiæ à ſacra Scriptura aſſignari, ſimul verò eidem vim iniquam

Digitized by Google

quam ac fraudes injuſtas, cum exitu tā dem infelici atque infauſto tribui, interim re ac ſtatu Eccleſiæ veræ florente aut ſaltem mediocriter ſe ſuſtentante per Dei gratiam atque opem.

Infelicitas & victoriarum amiſſio pius eſt contingens, nec Hæreſeos labes.

Jam ex antecedente ſyllogiſmi Bellarminiani. *Si felicitas & victoria tēporalis eſt nota veræ Eccleſiæ*; quòd hoc cōſequens colligunt, *tum qui felicitatem & victoriam temporalem amittunt, habent Hæreticæ Eccleſiæ; vel Hæreticorum notam*, perinde abſurdum atque falſum plane eſt. Nā Primo, quos ipſe adducit ex S. Scriptura, Abraham, Moſes, Joſua, Gedeon, Samuel, David, Ezechias, Joſias, Machabæi, infelicitate ſæpius uſi ſunt & de victoria deturbati. Num autem ideò hæreticæ Eccleſiæ ſectatores, aut hæretici exſtitere? Nequaquā Sed vera Eccleſia, vera fides, veraque doctrina apud eos veriſſimè univerſā ſacrâ Scripturâ teſte, fuit. Quos verò è hiſtoria Eccleſiaſtica profert, *Conſtantinus* M. annon in bellis felix, at filiis diverſæ vitæ, morum, naturæ, religioniſque infelix fuit? Nam Conſtantinus brevi mortuus eſt, Conſtantius Arianis adhæſit, ſolus Conſtans Catholicus remanſit. *Theodoſius ſenior* quantas curas & laborum moleſtias tum aliàs pertulit, tum in cæde Theſſalonicenſium hauſit & ſuſtinuit? Taceo alias ſollicitudines atque res adverſas, quas præter onera bellica ſubiit, licet in bellis ipſis gerendis Dei opem ſenſerit. *Honorius* annō tū in experiendis Gothorū viribus per Italiam, atque adeò ad urbem uſque Romam penetrantibus & invaleſcentibus, tum in mandato de truncando Stillicone, quaſi parum fideliter ageret, & imperium ad ſe transferre conaretur, infelix fuit? Annon quum hinc non eſſet dux commodus ad eripiendam Romam ex obſidionis periculo, ea decimo quinto Honorii anno ab Alaricho capta eſt? Hocne nulla eſt infelicitas? Annon ſic Honorius victoria cecidit? *Theodoſius Junior* num non hoc adverſi & incommodi ſenſit, quod Vandali per Stilliconem concitati adverſus Gothos, regiones, quæ circum Ungariam ſunt, utpote Illyricum & Valachiam occuparunt? quod tandem in Africa delati, & aucti ac ſtabiliti cum imperii diminutione ſunt? Imò quod Genſerichus Vandalus capta & direpta Roma Eudoxiam reginam una cum duabus filiabus vinctam ſecum in Africam tranſportavit? *Juſtinianus Senior* tam virtute propria & legum optimarum digeſtione ac divulgatione, quàm Belliſarii ac Narſetis fortitudine & prudentia felix imperium habuit. At Belliſario & Narſete ab officiis depoſito num non in infelicitatem & anguſtias ſeipſum cum dedecore conjecit? An peſſima gratia duobus illis Ducibus ejus ab ipſo relata, commodo & gloriæ ei eſt? *Heraclius* quàm non ſemper eo modo felix fuerit, ac Papiſta Bellarminus ait, vel hinc conjici poteſt. Saracenis armata manu Ægypto imminentibus, Cyrus Alexandriæ Epiſcopus nullam ſpem habens in Heraclii ope, ignavius tum agente, optimum ratus cum gente paciſci ad prædam nata, annuum eis tributum aliquot millium promittens, eos ab Ægypto avertit. Demum delatus ad Heraclium, ut qui Ægypti opes in hoſtes transferret, Manuelem quendam ſucceſſorem accipit

Digitized by Google

cipit, quo tributum recuſante, Saraceni continuò occupant. Imperator pœnitentiâ ductus, Cyrum mittit oratum Saracenos, ut finibus excedere, annuumq́ue, ut hic ante dediſſet, tributum accipere velint. Tum quidam ex Saracenis, ingentem quandam columnam digito oſtentans: Putáſne, inquit, Cyre fieri poſſe, ut hanc columnam devores? Illo hoc fieri poſſe negante: Tam, inquit Saracenus, difficile eſt factu, ut deinceps nos Ægypto excedamus. Quid, quod victoria de Perſis parta, ſæpe numero ei maximo conſtitit? Adde, quod ſub Heraclio Mahomet & Saracenorum regnum cœpit, quũ ſtipendia vel legitima per præfectos Cæſareos eis aſperè denegarentur, illique ea de cauſſa adverſus Cæſarem Heraclium moverent ſeditionem. Hi itaque Cæſares, num ob felicitatem ſæpe ſibi minùs ſecundam ac præſentem, hæretici fuerunt? Fuerunt certè Catholici, & pugnabant contra hoſtes aut Ethnicos, aut hæreticos, ac pro fide non Papiſtica, ſed Chriſtiana & verè Catholica dimicabant: prout hiſtoriæ de illis ſcriptæ oſtendunt. Ac licet perpetua uſi eſſent felicitate & victoriarum gloria: non tamen propter Papiſticam religionem, qualis hodie eſt, & quæ Catholicæ Eccleſiæ nomen ſibi vendicat, eam obtinuiſſent, ſed propter veram Chriſti ac veræ Catholicæ Eccleſię doctrinam, quæ tunc, hodiernis Eccleſiæ Romanæ traditionibus ignotis, veriſq́ue hæreſibus exploratorum hæreticorum damnatis, in uſu fuit, necdum Pontificis Romani primatũm habuit.

Imperatores Orien- Quod Imperatores Orientis, id eſt, Græcos, ab eo tempore ſemper in deterius lapſos dicit, quo propter imaginum cultum à Romana Eccleſia ſeceſſionem fecerint, *tales ſchiſmatici.* *tripliciter* potiùs contra ſententiam adverſarii facit, quàm pro ea. *Primùm*, quod repudiatus imaginum cultus orthodoxos & Catholicos reddidit: teſte tum ſacra Scriptura Exod. 20. 1. Joh: 5. 1. Cor. 10. & paſſim alibi, tum Antiquis Patribus Auguſtino & Epiphanio de Hæreſibus. *Secundò*, quòd revera imaginum cultores, ut Audiani, Simoniani, Baſilidiani Carpocratitæ, Gnoſtici, Armeniani, Montaniſtæ & Staurolatræ in Eccleſia hæretica degerunt, ac pro hæreticis damnati ſunt, ſicque Papiſtæ horum imitatores judicari merentur, prout parte 2. lib. 1. hujus Tractatus de Hæreſibus demonſtrabitur. Vide Auguſtinũ, Epiphanium, Iſidorum, Irenæũ Nicephorum & Tertullianum de iſtis Hæreticis. *Tertiò*, quod Papæ Romani minùs piè doctrinâ contra imaginum cultum eruditi, indignâ contentione pro imaginum cultu ſuſcepta, Orientis Imperium ab occidente diſcerpſerunt, ſicut Hiſtoria Leonis Imperatoris 3. Geogorii 2. Romani Pontificis ac hujus ſucceſſorum teſtatur. Hinc accidit ut Imperatores Græci Turcis impares virib. facti, tandéq́ue exciſi ſint in Oriente: Imperatores verò Occidentis ad umbram poteſtatis imperatoriæ redacti Papis ſubeſſe cogantur, horumq́ue tyrannide ſuperbiſſima ac truculentiſſima premantur. Vide libros Antibellarminianos de Tranſlatione Imperii ad Francos & Germanos.

Latinos adhæc ſeu Occidentales Impe-

Imperatores Occidentis miſeri potius quã felices ſub Papis

Imperatores quòd *ſemper magis vel minùs floruiſſe* dicit, *prout magis ſeu minùs Romana Eccleſia dediti fuerint*, etiam non pro, ſed contra ipſius ſententiam facit. *Primò* enim, eo ipſo quod Eccleſiæ Romanæ addictos Reges & Imperatores vult felices maximè eſſe, oſtendit eam non Chriſti eſſe Eccleſiam, ſed Antichriſti. Nam ut omnia alia de Antichriſto prædicta conveniunt Papæ & Eccleſiæ Romanæ, ita quando in Apocalypſi dicitur, magnam fore inter Antichriſtum & Reges hujus ſeculi neceſſitudinem, hoc ea potiſſimum via impletur, quod Papæ Eccleſiæ Reges hujus mundi ſe addicunt omni ſtudio & virium conſenſione. Quum enim Papa ſe pro CAPITE univerſalis Eccleſiæ, cujus ſedes princeps Romana Eccleſia ſit evehere & venditare cœpit, adjutores in eo ſummos & amiciſſimos annon orbis Monarchas, Phocam, Pipinum, Carolinos, Otthones, Sigismundum, Maximilianum 1. Carolum 4. & 5. Ferdinandum, cumq; iſtis Reges Galliæ & Hiſpaniæ poſteriores, aliosque quam plurimos inter illos & cum illis, immò omnes Impp. Romanos ab anno Domini 666 habuit. Quod annon eſt id, de quo Apoc. 17. ℣ 12. 13. *Decem cornua quæ vidiſti decem Reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam Reges una hora accipient cum beſtia Hi unum Conſilium habent, & vires ac poteſtatem ſuam tradent.*

Apoc. 17. 5. & 18.

Hic enim ratiocinamur: Ille cũ quo Reges, qui Romanum imperium dilacerarunt, unum conſilium habent, cuique iſti reges ſuam virtutem & potentiam tradunt, eſt Antichriſtus. Sed Papa Romanus eſt ille, cum quo Reges, qui Romanum imperium dilacerarunt, unum conſilium habent, eidẽque iſti ſuam virtutem & potentiam tradunt. MAJOREM concedit nomine Papæ & Eccleſiæ Romanæ ipſe Bellarminus. MINOR habet duo membra. *Unum*, quod iſti Reges ſuam potẽtiam & virtutem Antichriſto tradunt. Hoc confirmant juramenta, quibus omnes Reges inde à *Phoca* qui Romanum imperium dilacerarunt, & Chriſtianiſmum profitentur, ſe Papæ & Romanæ Eccleſiæ obligare coguntur. *Alterum* docet experientia. coacti enim ſunt ad nutum Papæ gladium ſtringere, ac Papam & Romanam Eccleſiam defendere, & pro capite ſuo agnoſcere, ac adverſarios ejus debellare ac perſequi, ut exempla Pipini, Carolinorum, Othonum, Fridericorum, Alberti, Rodolphorum, Sigiſmundi, Caroli 4. Maximiliani 1. Caroli 5 Ferdinandi, Galliæ Regum Francifci 1. & 2. Henricorum & Caroli IX., Hiſpaniæque Regum teſtantur. Quin in ſuis Decretalibus dicunt; *Reges teneri ad Papæ nutũ gladios ſtringere.* De majoritate c. *unam ſanctã.* Ubi gloſſa *Nutus eſt*, inquit, *per aliqua ſigna cognoſcere alterius voluntatem.* Reges ergo & principes videntes per ſigna hæc placere ſe Papæ, ſtrinxerunt contra rebelles & inobedientes Papæ materialem gladium, id eſt, ei ſuam virtutem & poteſtatem tradiderunt & etiamnum, ſi ei addicti ac jurati ſunt, ſtringunt atque tradunt. Eſt igitur Papa Romanus ipſe Antichriſtus. Præterea, Papiſtæ fatentur, Antichriſtum ſucceſſurum eſſe Romano Imperio, & hoc deſtructurũ. Sed utrumque fecit Papa Romanus. Nam quod ad deſtructionem attinet; Papa ſibi

Lib. 3. de Pontif. R. c. 14.

Nicol. Sand. Demonſt. 30. 31. 32. 33

Digitized by Google

Bellar. l. 3. de Pont. Rō. c. 5. 6. & 16. 17.

ſibi Romam & totum Latium ſubjecit. Neapolim & Siciliam, ut patrimonium Petri, quod tamen Petrus nunquam habuit, concedit ſuis beneficiariis, ſed ita, ut magnos reditus ex iis quotannis recipiat. Reliqua regna omnia Romano imperio ſubtracta fecit ſibi feudataria, quin ex iis ingentia vectigalia percipit. Narrant Pragmatici, quòd ex ea Galliæ parte, quam nunc Rex tenet, majora tributa percipiat Papa Romanus, quàm Imperatores veteres ex univerſa Gallia unquam perceperint. De ſimilibus eſt idem judicium: Deinde, iſti Reges beneficio Papæ regna accipiunt, eique ſua regna accepta ferunt, & poteſt Papa pro poteſtate ſibi ipſi vendicata eos è regnis ſuis ejicere, ſi ſibi obedientiam detrectat. Deſtruxit igitur Romanum Imperium, & licet ita nominari nolit, tamē revera eſt Romanorum Imperator. Quin non erubuit, ſe Romanorum Imperatorem ac Cæſarem vocare. Bonifacius enim 8. recuſabat Albertum Auſtriacum coronare, & corona ſibi impoſita dicebat; *Ego ſum Cæſar.* Idem tempore Jubilæi juſſit ante ſe Imperatoria inſignia deferri, & acclamari; *Ego ſum Papa & Cæſar cœleſtisq́; & terreſtris poteſtatis dominium habeo.* Idem *Tanto ſuperat Cæſarē, quāto ſol ſuperat terrā.* De majorit. c. Solita. Idē *Habet ſuperioritatē in Imperium & vacāte imperio Imperatori ſuccedit.* In Clementinis cap. Fundament. de electione in 6. Steuch. in donat. Conſtantini dicit, *Totius Occidentis, id eſt, Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ Imperium eſſe penes Papam.* Quid ni ergo eſt Papa Antichriſtus?

Poſtremò, quod ait *Catholicos*, id eſt, Romanæ Eccleſiæ addictos Reges ac horum ſubditos, *ab hæreticis*, id eſt, Euangelicis, *ſemper victorias reportaſſe in Helvetia, in Germania, in Gallia, in Belgio, &c.* dilutum eſt ſuprà, & diluitur ampliùs eo, quod etſi verum eſſet, tamen hoc ipſum eſſet evidens ac verum ſignum Euangelicos in Helvetia, Germania, Gallia & Belgio, ac alibi eſſe verè Orthodoxos ac Catholicos Chriſtianos, Papam & Papiſtas autem victores illorum eſſe Antichriſtos atque Antichriſtianos, ac proinde hæreticos. Nā Danielis 7. 21. prædicitur de Antichriſto, *eum prælium facturum cum ſanctis & eis prævaliturum.* Quod Apoc. 13. 7. & 17. 6. etiam indicatur. Et hoc quidem proprium & genuinum Antichriſti opus eſt, ſine quo Antichriſtus eſſe nullo modo poſſet. Quum enim Antichriſtus & Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris unici adverſarius ſit re & nomine, omnes eos oppugnet neceſſe eſt, quotquot fide verâ Chriſto adhærentes, ipſius merito ac morte ſanctificati ſunt. Sancti enim in Scripturis non ii modò, qui vita hac functi in cœlis agunt (quemadmodum rude Pontificiorum vulgus opinari ſolet) dicuntur, ſed & omnes hi, quotquot per ſanguinem filii Dei ſanctificati & purgati ſunt vel abluti. Imò fideles omnes, qui ſe ſolo Dominicæ paſſionis & mortis merito à peccatorum ſordibus ita mūdatos eſſe ſciunt, creduntq́ue firmiter, ut coram Deo patre juſtificati, pro ſanctificatis & ſanctis cenſeantur, & poſt hanc vitam æternum vivere, ac felicitatis nunquam finiendæ bona percipere poſſint. Hos verò ſuæ tyrannidis viribus nunquam non oppugnavit

Superando Euangelicos reddunt ſe Papiſtæ hæreticos.

Sancti qui ſint verè.

Digitized by Google

Romanus Pontifex, ut qui horum fidem & religionem nullo modo ferre queat. Si enim ſolo Chriſto nitantur homines, ſi mortis ipſius merito unicè fidant, ſi eum ſolum & unicum totius mundi Salvatorem & Redemptorem agnoſcant, jacet jam omne Pontificis & Sacerdotum Papiſticorum aucupium, jacet quæſtus ille uberrimus, quo illi utuntur & fruuntur. Fœtent indulgentiarum merces, contemnuntur Bullæ, & fœcunda auri ac argenti Alchymia purgatorii flammis incenſa inceſſum curis & ardoribus fatigari conſuevit. At quomodo id ferrent homines deliriarum, voluptatum & ſuperbiæ ſtudiis deditiſſimi? Crepant igitur & concitant arma, bellumque contra Sanctos Domini oritur, cui claſſicum canit, & frigidam ſuffundit Papa, ejusque conjurati ſacrifici ac monachi, quod inde ab anno Chriſti *666*. accidit. Poſtquam enim à Phoca Imperatore hoc Papa Bonifacius 3. obtinuit, ut totius & univerſalis Eccleſiæ caput œcumenicum atque univerſale & ipſe & ſucceſſores ejus dicerentur, omnes deinceps Papæ vel Romani Pontifices, inprimis Gregorius 7. Paſchalis 2. Alexander 3. Innocentius & alii horrenda bella diverſis temporibus in Germania, Anglia, Hiſpania, Italia, aliisque regnis, adjuvantibus eos Monachis & Clericis, aliisque hominibus perfidis & patriæ hoſtibus, contra Europæos Reges concitarunt, ut hujus, quem ante diximus, tituli honorem & primatum uſurpare poſſent. Ac quoties aliqui fuerunt, qui Pontificiæ tum tyrannidis tum ſuperſtitionis abominationem reprehenderet, ac Chriſto Domino ſoli regnum ſacerdotiumque totius mundi vendicaret, unique univerſi mundi ſalutem aſcriberet, imò eum ſolum Eccleſiæ ſuæ caput eſſe confiteretur, mox aut armis oppugnatus & compreſſus eſt, aut in vincula & carceres conjectus, vel in horum ſqualore triſtem mortē ſubiit, vel cruces, gladios, flammas, omneque ſuppliciorum genus ſuſtinuit. Quin ſi Princeps aut Rex aliquis tantam rei crudelitatem deteſtatus, in ſuos ad nutum Pontificis ſævire noluit, mox ipſe quoque hæreſeos ſuſpectus eſſe cœpit, & Paparum inſidiis petitus eſt. Nec tantùm tam horribili ſanctorum carnificina ſeſe non exſaturari ſinit immanis beſtia, Romanus Papa, ſed ſi Chriſti doctrinam & fidem conſtanter retineri, & cunctis tormentis, ſuppliciis ac bellis ſuorum complicum ſuperiorem videat, immaniſſimas quoque Gentes ac infeſtiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes excitandos eſſe putat, ut hi ferro & flammis eos excindant, qui ſoli Chriſto Salvatori fidentes, nec Romanum Pontificem, nec tyrannidem & ſuperſtitionem ejus adorare & amplecti dignantur.

Hujus exemplum eſt etiam Bellum Sacrum, cujus Bellarminus hîc ipſe quoque meminit, & in teſtimonio felicitatis eorum adducit, qui pro Papa & Eccleſia Romana pugnarint: ſed & falsò & contra ipſum atque ipſam. Paucis enim primò hiſtoriam verbis Theodori Bibliandri ad omnium ordinum Principes recitabo: deinde fuſiùs exponam. Ille enim: *Hildebrandus*, inquit, *concitando imperatorem Græcum contra Turcas, ſemina jecit expe-*

Bellum ſacrum ab Anno 1095. uſque ad 1100.

peditionis Gog & Magog. In quem clamat ſanguis Eccleſiæ, gladio lingua ejus miſerabili perditione effuſus. Quæ lingua verò, aut quis calamus poſſet exprimere ſatis, quantum ſanguinis Chriſtiani & omnium propè nationũ profundi curaverit URBANUS *ſecundus, ut ſub prætextu expeditionis pro Chriſtiana religione propaganda, & recuperando ſepulchro Domini, in ſedem Romanam, oppreſſa factione Guibertinâ,* id eſt, Imperatoria, *reſtitueretur?* Hæc eſt ſumma hiſtoriæ de bello ſacro. De hoc ait Bellarminus: *Tempore Urbani* 2. (id eſt, anno 1098.) *quum Chriſtianus exercitus verſaretur Antiochia, in ſumma deſperatione & omnium penuria revelavit Deus, ubi lancea ſacra latebat, eáque prolata in bello, occiſi ſunt* 100. *millia Turcarum.* Verùm hócne eſt exemplum felicitatis & victoriæ, ob quã Romani Pontificis & Eccleſiæ Romanæ doctrinæ ac fides ſtatim pro ſola orthodoxa & Catholica habenda ſit, quíque eam reprehendunt, & ut tyrannide ac ſuperſtitione refertam deferunt, omnium Regum & populorũ armis atque opibus exterminãdi ſint? Audi de ipſo Urbano Bennonem Cardinalem, qui eum *Hildebrandi nequiſſimi Papæ diſcipulum & pediſſequum, contemtimq́;* TURBANUM, *cæcum, ſchiſmaticum,* HÆRETICUM *& Liberii Papæ Ariani ſocium nominat. Qui ne venenum,* inquit, *erroris eorum perciperetur, quaſi mel veneficorum more admiſcuit. Scripturas enim intentione fallendi mendaciis aſtutè addidit, &c.* Nam (ut ait Primaſius ad Apocalypſin alludens,) *Antichriſtus agni ſimilis eſt.* Nam ut alii omnes Papæ, ſic hic Urbanus potuit inſtar agni prætendere Eccleſiæ commodum, verbique divini propagationem, ſi in Aſiam

Paulus Æmil. c. 4. Guil. Tyrius lib. 6

Apoc. 13. 11.

expeditio à Chriſtianis contra Turcas, ad recuperandum ſacrum Domini ſepulchrum ſuſciperetur, eoque prætextu Eccleſiam incitare, ut hoſtes ſævisſimos laceſſat, & hos viciſſim occultè & fraudulenter in Eccleſiam exacuere. Hoc modo Hildebrandus, Urbanus & ſucceſſores eorum prætendebant, indignum eſſe Chriſtiano nomine, terram ſanctam & ſepulchrum DOMINI CHRISTI à Turcis, Sarracenis & Barbaris teneri. Deinde nihil magis convenire Chriſtianis Principibus, quàm Imperii Orientalis provincias à Turcis cum illo occupatas recuperare, & Eccleſias per eas inſtaurare. Specioſus prætextus & prorſus agninus. Sed revera agebant, ut Imperatorum potentiam & auctoritatem in Occidente opprimerent, ſibíque dominationem in Eccleſiam Chriſtianam, ac ſuperioritatem in Principes Chriſtianos pararent. Hoc autem ut facerent, Principes & Imperatores Chriſtianos graviſſimis & difficillimis bellis implicuerunt, ut eos in vitæ fortunarumq́ue periculum conjicerent, iisq́ue abſentibus Imperium & Imperii provincias raperent, aut ſaltem ſibi ſummam auctoritatem & potentiam per Imperiũ & cætera regna acquirerẽt. Papa enim claſſicum canente per Petrum Eremitam, Folckmarum & Godſchalcum, fit magnus hominum ex omnibus Chriſtiani orbis regnis concurſus. Exercitus Chriſtianorum in Aſiam deportatur. Omnia humani cruoris plena fiunt. In ipſo templo Hieroſolymitano tantum ſanguinis humani fuſum, ut equi uſque ad genua in cæſorum ſanguine ſteterint. Ad Aſcalonem uno

Expeditio Chriſtianorum in Aſiam.

Digitized by Google

prælio ad centum hominum millia abſumpti ſunt. Guilielmus Pictavienſis adducit victoribus novum exercitum, in quo erant centum millia equitum & peditum. Qui exercitus ita contritus eſt hoc bello, ut ex tanto numero vix mille redierint. Tandem iiſdem prætextibus in prælia truditur Fridericus Barbaroſſa. Sed hic ſe prodidit 2. *Expeditio.* agnina illa Eccleſiæ propagandæ cupiditas. Hunc enim tam pium Imperatorem Saracenis prodidit Alexander Papa hujus nominis tertius. Picturam enim Friderici miſit ad Suldanum hoſtem Imperatoris, & ſcripſit ad eum, ſi regnum quietè poſſidere vellet, Fridericum necaret. Præterea Philippum Galliæ Regem & Richardum Angliæ, Henricum Barbaroſſæ filium iiſdem artibus in hoc bellum præcipitavit. 3. *Expeditio* Tandem Gregorius IX. incitat Henricum II. Imp. in Turcas. Ille agnoſcens Papæ artes excuſat & recuſat. Papa eum excommunicat. Ille vanâ fulminis ſuperſtitione territus ſuſcipit expeditionẽ in Palæſtinã, ut excõmunicationẽ aboleat. Dum verò Imperator pro Eccleſia ſtrenuam operam in Oriente navat, Gregorius IX. ejus provincias Calabriam & Apuliam per vim domi occupat, & Cæſari eripit. Imperator nihilominus rem foris ſtrenuè gerit, Hieroſolymam, Nazaroth, Joppen Suldano adimit, ac tandẽ decẽnales inducias cum eo pangit. Hujus nuncii literas mittit ad Papam, ut orbis Chriſtianus pro victoria Deo gratias ageret: Papa verò literas Imperatorias ſupprimit, nuncios occidit, ne victoria Cæſaris innoteſceret, & ipſe tãto melius in Cæſaris provinciis graſſari poſſet. Ac ut Cæſarem diu in peregrinâ terrâ teneret, aut interimi curaret, monet Suldanum ut non reddat Cæſari terram ſanctam, nec cum eo paciſcatur. Et quum Cæſar pace facta in Occidentẽ reverteretur, conatus eſt Papa omnibus modis Cæſarem impedire, ne exercitum in Occidentem reducere poſſet. Et quum hoc impedire nequiret, excommunicavit eum, quòd cum Turca inducias pepigiſſet, huncque bannum Imperator nonniſi centum aureorum millibus numeratis abolere potuit. Poſt Heinricum II. Lu- 4 *Expeditio.* dovicus Galliæ Rex iiſdem artibus à Papa ad terram ſanctã ſcilicet recuperandam excitatur. Sed hoc bello Papa ita exacerbavit Turcas in Chriſtianos, ut odiũ tum in Chriſtianos conceptum nondum poſt quingenteſimum annũ depoſuerint, ſed illud ita adhuc retineant & exerceãt, ut totum Orientem & maximam partem Europæi Imperii Chriſtianis eripuerint. Hoc bellum omnium bellorum, quæ à condito orbe geſta ſunt, graviſſimum, truculentiſſimum, difficilimum & longiſſimum fuit. Per illud bellum robur Chriſtiani nominis petiit, exercitus interierunt, præſtantiſſimi Imperatores oppreſſi ſunt, omnes Eccleſiæ per orientem, Aſiam, Ægyptum & Africam everſæ, Regesque Europæi ita fracti & domiti, ut Papæ colla ſubmiſerint, & ad oſculum pedũm ipſius ſe abjicere coacti ſint. Quin ipſi Imperatores his bellis & turbis per Papas domi, dum ipſi aberãt, cõcitatis, ita contuſi & diminuti ſunt, ut ſe illorum pedibus conculcandos proſternerent. Omnis denique religio, pietas, reverentia per illud bellum

lum

Digitized by Google

lum perierunt. Omnia per idem bellũ & alias Papæ artes ſuperſtitione repleta ſunt. Papa denique Imperatoribus per hoc bellum fractis, omnem imperialem & regiam potentiam atque auctoritatem ſibi rapuit, iisque fretus continuum adhuc bellum contra eos gerit, qui ipſius pedes oſculari renuũt: unde illa funeſta bella patrum noſtrorum memoria in Bohemia cõtra Huſſum & Huſſitas Euangelii ſtudioſos, in Italia, Germania & Galliâ contra Fridericos, Henricos, Ludovicos, Philippos, & alios geſta. Iisdem viribus fretus totam Indiam, Galliam & Belgium adhuc humano ſanguine fœdat, reliquaque regna Angliam, Scotiam, Germaniam libentiſſimè humano cruore repleret, ſi poſſet. Manifeſtum igitur eſt, eum eſſe ipſiſſimum Antichriſtum.

Objectio Papiſtarum.

Non negant Pontificii, ſed fatentur loca Dan. 7. 21. Apocalypſ. 13. 7. ac 17. 6. de Antichriſto loqui. Negant autẽ Papæ illa loca convenire, quia Sanctos non perſequatur, ſed colat & amet. Hocque probat Nicolaus Sanderus *Primò* inductione eorum exemplorũ, quæ Papam Sanctos non perſequi demonſtrant, *deinde* eorum, quæ Papam ne quidem per Eccleſiaſticam ſuam poteſtatem aliquem ullo modo occidere indicent. Nam *non Papam & Epiſcopos ſed politicos tantùm Magiſtratus homines neci dare.* &c. Nos igitur, quandoquidem Antichriſti hanc veramque propriam que notam eſſe cõſtat fatentibus etiam ipſis adverſariis Papiſtis, ut Sanctis non modò bellum inferat, ſed eos etiam vincat, duosque illos teſtes occidat, id eſt, qui ei audẽt reclamare, eos de medio tollendos curet, circumſpiciamus an eâ Pontifex Romanus non illas ob rationes injuſtus ſit, quas Nic. Sanderus affert. Quid ergo? *Mitis, pius, clemens potiùs eſt Pontifex*, ait Sanderus. RESPONDEMUS: Eſt aliquid forſan, quamobrem Pontifex Sandero bonus & benignus videatur, à quo multa beneficia accepit, quique & ipſum & ejus ſimiles ſẽper ſibi devinctos eſſe voluit. Et viciſſim dignus eſt Sanderus pontificis ſui amore, quem ſic amat & adorat, ut ejus dignitatem ſuâ ipſius ſalute atque anima chariorem habeat. Ac ſi pontifex Sanderum non perſequitur, mirãdum non eſt, qui nullum pro pontifice certamen & laborem recuſat, illumq; ut patrem ſuum colit. Nam leones, etſi natura feroces admodum ſæviqne ſunt, ſuos tamen catulos amant. Ita nec Antichriſtus erit ita ab omni humanitate deſertus, ut quos ipſius ſtudioſiſſimos eſſe viderit, eos non fovendos ſibi & officiis omnibus continendos intelligat.

De viſib. Monarchia Demonſt. 34.

Reſponſio.

Verùm non qualis erga ſuos Pontifex fuerit, ſed quid de iis ſtatuerit, à quibus ſe læſum, & parùm honorificè tractatum, imò non pro capite Eccleſiæ & totius religionis ac fidei magiſtro haberi ſenſerit, cogitandum eſt. Tum enim cujuſmodi Pontificis ingenium ſemper fuerit, facilè apparebit. *Si ergo Sanctos*, inquit Sanderus, *immaniter tractavit Antichriſtus, ob hoc ipſum quia Sancti ſunt: non eſt dubium, quin quo ſanctiores erunt, eò gravius perſequetur illos. Quos verò poſt illud tempus, in quo revelatum fuiſſe Antichriſtum Proteſtantes dicunt, ſanctiſſimos, integerrimos, & omnium docti-*

Sancti Pontificiorum à Papa illaſi.

Digitized by Google

ctiſſimos fuiſſe conſtat, eos nunquam eſt perſequutus Papa, ſed duplici potiùs honore affecit. Quos, quos tandem? Recenſeat eos Sanderus: *Hi autem erant*, inquit Sanderus, *Hilarius Cæſarienſis, Beda Venerabilis Angloſaxo, Haymo Alberſtatenſis, Hilduwinus Abbas S. Dionyſii, Walafridus Strabo, Jonas Aurelianenſis, Borno Augienſis, Humbertus, Lanfrancus Cantuarienſis, Regino Hiſtoricus, Rupertus Tuitienſis Abbas, S. Malachias in Hibernia Epiſcopus, ſanctus Bernardus Clarevallenſis, Petrus Abbas Cluniacenſis, Petrus Comeſtor, ſanctus Dominicus, ſanctus Franciſcus, ſanctus Thomas Cantuarienſis, Hugo de S. Victore, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, ſanctus Thomas de Aquino, S. Bonaventura, Rudolphus Saxo, Baldus Peruſinus, Nicolaus Liranus, Thomas Waldenſis, Johannes Gerſon, ſanctus Bernardus, ſanctus Antonius Archiepiſcopus Florentiæ, Beſſarion Epiſcopus Nicenus, Dionyſius Ricelius Carthuſianus, Johannes Roffenſis, Thomas Morus, Petrus à Soto, Staniſlaus Hoſius, & alii penè innumerabiles, quorum neminem Papa unquam perſequutus eſt, ſed omni potiùs obſervantiâ coluit: quum tamen ſi ullos omnino ſanctos tyrannide opreſſiſſet, hos omnium ſanctiſſimos præterire non debuerit.* Hactenus Sanderus. Sed reſpondemus, hi quos tam multos enumerat, etſi eorum nonnullos viros ſanè bonos, & doctos & ſanctos fuiſſe fatemur: tamen cur eſſent Romano Pontificii odioſi, nulla cauſſa fuit. Quanquam enim erant doctrinâ & pietate præſtantes; tamen aut Pontificem non eſſe Antichriſtum omnino intelligebant, aut illi timidiùs & languidiùs reſiſtebant. Et ea quidem horum temporum ratio fuit, in quibus ad ſummam in Eccleſiæ potentiam Pontifex pervenerat, ut qui otium vitamque ſuam amaret, illius potiùs voluntati obſequi, quàm cum ipſo inimicitias periculoſas exercere mallet. Tamen horum aliquos auſos eſſe Pontificis tyrannidem verbis apertiſſimis perſtringere, ſi negat Sanderus & alii Papiſtæ, Bernardus eos refutabit, à quo Pontifex & ſæpè & liberè & acerbè reprehenſus eſt.

Quales reliqui exſtiterint, quos à Pōtifice cultos eſſe dicit Sanderus, nihil attinet narrare. Fuiſſe omnium, ut ait, SANCTISSIMOS, quomodo perſuadebit? Quid ſi enim multa de horum virtutibus ſcripta in libris jactantur? An illis ergo ſolus maximam veræ pietatis laudem tribuemus? Alios de quibus nihil tale legimus, nec ſanctos, nec doctos, nec ulla laude dignos fuiſſe cenſebimus? Ii quidem ſanctiſſimi tum habiti ſunt & doctiſſimi, qui maximè Pontifici Romano propter operam ei in quacunque re vel juſta vel injuſta, orthodoxa ſive falſa & heterodoxa placere potuerunt. Lanfrancus multa pro Pontificio dogmate contra Berengarium ſcripſit: Lombardus & Gratianus porticum Eccleſiæ Romanæ ſuſtinent: Dominicus, Franciſcus, duorum erant præclariſſimorum ordinum authores: Thomas Cantuarienſis pro cauſſa Pontificia ſanguinem profudit, eoque nomine ut Divus à Papiſtis colitur, à noſtris ac verè orthodoxis vix honore tanto dignus judicatur: Albertus, Alexander, Aquinas, Bonaventura, Scholaſticæ Pontificiæque Theologiæ ad nutum Pontificis compoſitæ parentes ac nutritii erant: Waldenſis Wiclephiſtas pon-

Pontificia dogmata erroris arguentes concidit, Beſſarion à Græcis ad Latinos tranſiit: Roffenſis, Morus, pro Pontificis Romani capite ſua amiſerũt: Aſotus rem Pontificiam fortiter contra Lutheranos defendit: Hoſius de Pontifice Romano bene meritus eſt, eique Pontifex gratiam, ut Sanderi calculo inter ſanctos numeraretur, referre voluit. Quis jam neget, præclarè à Sandero demonſtratam eſſe Pontificis Romani in parcendo clementiam? Sed erant alii, ô Sandere & Papiſtæ, qui ſi nacti fuiſſent tam amicos & diligentes laudum ſuarum præcones, quàm iſti ſunt, cum his quidem in omni laudis genere contendiſſent. Nunc quia Põtificis à ſe voluntatem alienarunt, & illum minùs propitium habuerunt, in nullo numero reponuntur. Tales erãt Bertramus, Berengarius, Wiclephus, Waldenſis atque hujuſmodi infiniti, qui Scripturæ ſacræ myſteria penitùs ſcrutati, errores pontificios ac pontificum tyrannidem in Eccleſia animadverterunt & patefecerũt, pontificémque Romanum oppugnarunt, ac ideo ab illo crudeliſſimè excepti & tractati ſunt. Sed horum nomina, quanquam à papiſtis infamia notantur, tamen in libro vitæ perſcribuntur, & apud eos chara atque honorifica ſunt, qui Antichriſtum & Papam Romanum agnoſcere & odiſſe rectè didicerunt.

Sancti potiores Papiſtis.

Fratricelli & Dulciniſtæ.

Quod Bonifacius 8. *Fratricellos & Dulciniſtas*, inquit Sanderus, *ac alii Pontifices Romani alios, qui promiſcuos concubitus & exercebant & approbabant, perſequuti eſſe leguntur, non puto quenquam, qui ſanctus ipſe haberi velit, ejuſmodi monſtra in ſanctorum numero habiturum. Certum igitur eſt, Papam, qui ſanctos non eſt perſequutus, non eſſe Antichriſtum.* Verùm Fratricellos & Dulciniſtas in Italia media natos, nihil eſt, quod nobis objiciat. Nullam enim Eccleſiæ noſtræ ſimilem fœditatem ferunt, & illos, ſi tales erant, merito pontifices Romani delendos judicarunt. Rodolphus Hoſpinianus de origine Monachatus lib. 6. c. 32. verè eruit, in quib. falsò, in qb. verè accuſati & delati ſint Fratricelli. Ac ea jure reprehendẽs, quæ mala ac ſceleſta eſſent, ſi ab iis eſſent perpetrata, tandem ea quoque de iis recenſet, ob quæ iniquè pontifices eos perſequuti ſunt. Ac folio 275. addit, credibile autem hæc & ſimilia ab eorum hoſtibus conficta, ut æquior eorum damnatio videretur. Hoc enim eſt ingenium hominum pontifici Romano additorum adhuc hodie, ut etiam de Euangelii Chriſti veris profeſſoribus multa nefaria fingant, & in vulgus ſpargant, quo faciliùs odium hominum incurrant, & cruentiſſimæ illorum perſequutiones juſtiores habeantur. Id quod etiam Pariſiis Anno Domini 1567. evenit, ut de Euangelicis ſparſum ſit, eos nocturnos conventus habere, tandemque extinctis luminibus promiſcuè utroque ſexu coire, ac infantes ſic genitos necare, alia que facinora fœda committere. Sed falſiſſima & meræ calumniæ erant, ad perſequutionem illorum injuſtam promovendam excogitatæ à Papiſtis & divulgatæ. Sic factum videtur cum Fratricellis olim. Nam multi viri ſingulari eruditione, multaque religione præditi huic ordini faverunt, & HERMANNUS ejus fundator Ferrariæ diu in multa magnaque veneratione fuit.

Fol. 274.

Quod

Hinc illæ horrendæ innumerabilium hominum ſtrages, ubique ferè à Pontificiis editæ, tanta crudelitate & ſuppliciorum teterrimorum varietate, quantâ priſcis tyrannis incognita atque inaudita fuit. Et nunc, quas minas Pontifex, quas cædes ſpirat? ut ſi hanc belluam in nos Dominus iterum immiſerit, nihil niſi interitum atque internecionem expectare liceat. Si igitur Sanctos Dei perſequi, ſit homines pios integros, doctos, Chriſti ſervos, veræque religionis profeſſores crudeliſſimis ſuppliciis mactare, tum Sanctos Pontifex perſequitur, qui nullum à Pontificum Romanorum & Antichriſti doctrina abhorentem, vivere omnino ſinit, ſi illi vitam eripere poteſt. Dominus JESUS hunc omnium Tyrannorum τυραννικώτατον coërceat, Eccleſiamque ſuam ab irati & provocati Antichriſti crudelitate vindicet. Et ab hac ipſummet deterrere debe- pœna atrox & gravis, quam Deus Antichriſto 2. Teſſ. 2 8. & Apoc. 18. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. ac per totum caput minatur. Quin quod paſſim S. Scriptura noviſſimi judicii meminit, quando unuſquiſq; digna ſuis factis præmia recepturus ſit.

P DE

Digitized by Google

cum antiqua Eccleſia eſſe notam Eccleſiæ, agnoſcimus verum eſſe, ſi per antiquam Eccleſiam intelligat *Apoſtolicam.* Conſpiratio enim in doctrina cum hac Eccleſia, veræ Eccleſiæ nota eſt. Hoc enim ſolidiſſimè probat tum Lubertus Sibrandus lib. 4. de Eccleſia, tum Guilielmus Witakerus de Eccleſia quæſt. 5. capite 17. 18. 19. 20. 21. Sin per antiquam Eccleſiam intelligat eam, quæ ſubſequuta eſt quingentis aut ſexcentis annis poſt Chriſtum, dicimus conſpirationem in doctrina cũ hac Eccleſia non aliter veræ Eccleſiæ notam eſſe, niſi quatenus hæc Eccleſia cum Apoſtolica conſpiravit. 2. Respondemus: Si volunt ergo Adverſarii noſtri probare, ſuam Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, oſtendant ſe doctrinæ conſanguinitatem cum Eccleſia Apoſtolica habere. Hoc ſi fecerint, nos acqueſcemus. Sed debēt hoc ex veris literis & tabulis Apoſtolorum, non ex traditionibus & levibus quibuſdam conjecturis demonſtrare. Atqui iſtam cum Eccleſia Apoſtolica doctrinæ conſanguinitatem non urgent. Quare? Quia Eccleſia illa, quæ quingentis aut ſexcentis annis poſt Chriſti tempora fuit, etſi vera fuit Eccleſia, tamen non per omnia tenuit doctrinam Apoſtolicã, nec tam purè & ſincerè omnia fidei dogmata tradidit, quàm tradidit Eccleſia Apoſtolica: id quod ex ſcriptis patrum, qui illis temporibus vixerunt, manifeſtè liquet. Quin & ipſis Apoſtolis adhuc vivis, cœpit myſterium iniquitatis Satan operari. Tamen illa Eccleſia omnia neceſſaria fidei dogmata, & omnia Chriſtianæ religionis fundamenta ſalva tenuit. Et licet errores etiam quoſdam ſimul tenuit: tamẽ illi errores non erant capitales. Neque enim ſi vera Eccleſia fuit, in nulla re eã erraſſe ſequitur. Nam tum nulla vera Eccleſia poſſet errare. At dant Adverſarii, hanc & illam Eccleſiam errare poſſe. Tenuit quidem illa Eccleſia Apoſtolicam doctrinam, ſed in partibus præcipuis & plurimis, non in omnibus.

Apoſtolica Eccleſia doctrina eſt nota Eccleſia.

2. Theſ. 2. 7.

Alterum teſtimonium à Bellarmino allatum, petit ex Sozomeno c. 7. hiſt. c. 12. ubi laudat hic Theodoſium Imperatorem, quod hac arte hæreticos ſui temporis compoſuerit. Juſſit Impp. Principes ſectarum in unum locum convenire; deinde ab illis quæſivit, an exiſtimarent antiquos patres, qui Eccleſiam rexerant ante diſſidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, rectè conſenſiſſe, & verè ſanctos ac Apoſtolicos fuiſſe. Quod quum illi conceſſiſſent, & rem ita ſe habere reſpondiſſent, ſubjunxit ſtatim Theodoſius: *Examinemus ergo doctrinã veſtram ad illorum ſcripta: & ſi cum illis conſenſerit, retineatur: ſin minus, abjiciatur.* Respondemus. 1. Nos probare hoc inventum, cujuſque tandem fuerit. Erat enim ſatis commodum & pium. Volunt quidam, inventum fuiſſe *Agellii* cujuſdam, Epiſcopi Novatiani. Sed quæſtio tum fuit de Trinitate tantùm. Nos libenter doctrinam veterum patrum tum hac de re, tum de omnibus Chriſtianæ doctrinæ ac fidei capitibus amplectimur, quatenus ſacræ Scripturæ conſentit, ut quidem in maximis & plurimis, præcipuè in articulo Trinitatis conſentit. Si tempora, Chriſti & Apoſtolorum ætatem ſubſequẽtia

Doctrina Patrum S. Scriptura conſentiens recipienda.

Digitized by Google

tia, in reliquis omnibus tam pura fuiſſent, quàm in articulo de Trinitate fuerunt, nos Eccleſiæ illorum temporum in omnibus aſſenſum noſtrum libenter præberemus. 2. RESPOND. Si doctrina poteſt examinari ad ſcripta hominum, cur non etiam ad ſacras Scripturas? Si rectè dixit Princeps ille: *Examinemus veſtram doctrinam ad Patrum ſcripta*: cur non rectiùs multò nos dicamus, exanimandam eſſe omnem doctrinam ad ſacras Scripturas, quæ luce, dignitate, claritate, perfectione, auctoritateq; e omnes omnium Patrum libros ſuperant? Non enim debemus exiſtimare, Patres meliùs, ſanctiùs aut ſinceriùs docuiſſe, quàm docuit Spiritus ſanctus in Scripturis. Et nos quidem non recuſamus iſtam examinationem, quam Theodoſius commemoravit, ſi Adverſarii nos ad Scripturas tandem devenire patientur, ut ipſe Deus jubet Iſa. 8. 20. Joh. 5. 39. RESPONDEMUS 3. Quare non provocavit Princeps iſte ad Pontificem Romanum? Cur non dixit, eamus ad ſummum controverſiarum judicem in terris, nempe Papam Romanum? Forſan illo tempore cognitum non fuit, illum ſummum controverſiarum judicem in terris fuiſſe. Et veriſſimum hoc quidem eſt. Sed reſpondebunt illi fortaſſe, ut ſunt ſatis callidi, rem huic Principi fuiſſe cum hæreticis, qui Romani Pontificis judicium recuſare voluiſſent. Verùm hanc nos reſponſionem ſtatim tollemus. Si enim hoc verum ſit, tum hæreſis hoc fuit, nolle Romanum Pontificem ſummum in terris judicem agnoſcere. At non fuit. Oſtendant enim, quis illius hæreſeos auctor fuit, aut quis unquam propter eam damnatus eſt, & alia illa omnia, quæ ipſi de omni hæreſi oſtendi poſſe affirmant. At iſta nunquam poſſunt oſtendere, nec propter hoc quiſquam unquam antiquitùs pro hæretico eſt habitus.

Jam tamen, poſtquam ſibi demonſtraſſe videtur Bellarminus, conſenſionem in doctrina cum vetuſta Eccleſiæ eſſe veræ Eccleſiæ notam, ex hac nota vult probare ſuam Eccleſiam eſſe veram. Hoc verò, ait, *duobus* modis poſſe probari. *Primò*, proferendo ſententias veterum, quibus ſingula illorum dogmata confirmari, noſtra verò refutari poſſent. Sed hunc modum ait nimis prolixum eſſe & multis calumniis & objectionibus obnoxium. RESPONDEMUS. Hunc modum nos non improbamus. Nam etſi non judices eſſe Patres agnoſcimus: tamen teſtes eſſe veritatis non negamus: ſic tamen ut non ſint omni exceptione majores. Nam omnes errarunt, tamen nos, noſtram doctrinam fuiſſe omnibus ſeculis in Eccleſia, poſſumus ex Patrum ſcriptis probare. Sed Adverſarius hanc viam non probat. Alia ergo via progreditur. *Altera via*, inquit, *eſt brevior & certior, nimirum oſtendendo primùm ex confeſſione Adverſariorum, noſtra dogmata eſſe doctrinam omnium veterum; deinde dogmata Adverſariorum habita fuiſſe in Eccleſia antiquâ pro exploratis Hæreſibus. Sic enim conſtabit*, inquit, *doctrinam noſtram* (Romanam) *conſpirare cum doctrina veterum Catholicorum, doctrinam verò illorum conſpirare cum doctrina veterum Hæreticorum*. Ita primò docet, ſe eadem dogmata tenere, quæ antiqui Patres tenuerunt; *ſecundò* oſtendit

Patres veritatis teſtes non judices.

NB.

dit, nos eadem tenere, cum antiquis Hæreticis.

Respondemus 1. Nos quidem fatemur, quoſdam errores Papiſticos eſſe antiquos, & à Patribus etiam teneri ac defendi. Quod nos certè liberè & apertè profitemur. Non enim cauſſam noſtram quicquam lædit. Nam religio cœpit corrumpi vivis adhuc Apoſtolis: & myſterium iniquitatis, quemadmodum anteà diximus tum peragi cœptum eſt, quod poſtea paulatim magis magiſque crevit. Ergo hoc nihil ad rem, niſi probet, ea dogmata, quæ iſti ab antiquis Patribus habent, eſſe eadem quæ Apoſtoli docuerunt, ut tandem ad antiquiſſima tempora veniant. 2. agnoſcimus, quædam noſtra dogmata à quibuſdam Patribus improbari, quæ tamen nos non eſſe improbanda dicimus, quia poſſumus probare, eadem omnia cum doctrina Apoſtolica conſentire & nos illa tenendo, cũ antiquiſſima Eccleſia cõſpirare. Noſtram verò doctrinã nulli pro hæreſi damnarunt, niſi qui Scripturam ipſam damnaverint. Nam ſi poteſt ex Scriptura refelli, nos illam quoque Hæreticam eſſe fatebimur. Aliter non moramur, ſi noſtrum aliquid Pater aliquis damnet; modò id ſine auctoritate Scripturæ faciat.

Collatio Patrum cum doctrina Papiſtica & Euangelica.

Nunc Adverſarius *primò*, probat ſua dogmata, ex noſtra confeſſione, ab antiqua Eccleſia recepta fuiſſe. *Secundò* docet, noſtra dogmata hæretica eſſe. Respondemus 1. Sibrandum Lubertum ipſis noſtrorum ac Patrũ verbis lib. 5. de Eccleſ. cap. 6. exponere & probare, neutrum horum verè & legitimè à Bellarmino ac quocunque Papiſta dici, probari & convinci, ſed contrarium potiùs oſtendi & demonſtrari poſſe: uti ipſe Sibrandus ibidem dilucidè ac ſolidè præſtat. Obſecro Lector vide, lege & expende. 2. Nos nunc de utriſque breviter quoque reſpondere parati ſumus.

Quod enim ad primum attinet, profert quædam teſtimonia ex Calvino & Centuriarum Scriptoribus. Iſti quoſdam *Veterum* errores annotarunt, quos cum Papiſtis communes habuerunt: nempe de libero arbitrio, de meritis, de limbo, de invocatione ſanctorum, de cœlibatu Epiſcoporum, de ſatisfactione & quibuſdam hujuſmodi. Ergo Bellarminus ait, nos concedere, veterem Eccleſiam ſic ſenſiſſe, quemadmodum ipſi ſentiunt, imò omnes veteres ſic ſenſiſſe. Respondemus: Verùm eſſe quod Calvinus ait, & qui Centurias ſcripſerunt, in multis erratum eſſe à veteribus & veteri Eccleſia: ut de limbo, de libero arbitrio, de operum meritis, & rel quis illis, quæ paulò ante commemorantur. De ſingulis reſpondere nimis hîc longum eſſet. Dicto loco Sibrandus ad ea reſpondet, uti diximus, ac à lectore reperiri poteſt. Et à nobis etiam ſuo loco omnia Deo favente tractabuntur.

Doctrinam Romanam cũ vetuſtis Patribus conſentire, an Euangelici agnoſcant.

Fallacia Pontificiorum tres.

Sed in his colligendis teſtimoniis, Bellarminus *triplicem fallaciam* adhibet. *Prima* eſt, quia perſuadere vult, quod de quibuſdam patribus dicunt Calvinus & Centuriatores, id de omnibus patribus intelligi: quaſi ea omnium patrum ſententia fuiſſet. Exempli gratiâ, de invocatione ſanctorum, & de ſatisfactione, omnes patres non idem docuerũt, quod Papiſtæ. Quod ad ſatisfactionẽ attinet, de ea quidem patres loquun-

Digitized by Google

tur, ſed illi *Eccleſiaſticam* quandam ſatisfactionem intelligebant, non talem, qualem Papiſtæ. *Secunda* Adverſarii fallacia eſt, quod quæ Calvinus & Centuriatores ex iis patribus producunt, qui ſunt in manibus, ea non tantùm omnium patrum, ſed totius etiam Eccleſiæ dogmata fuiſſe colligit. Sed unde hoc intelligit? aut quomodo id ſtatuere poteſt, quum quidam patres nihil ſcripſerunt, quorundam verò libri, quos ſcripſerunt, jam non exſtent. *Tertia* ejus fallacia eſt, quod errores veterum patrum pro certis & ſinceris fidei articulis obtrudit: & ſe eſſe veram Eccleſiam contendit, quia errores veterum patrum tenent, quaſi illi non errare potuerint. At illi in multis erraverunt, quemadmodum nos probare poſſumus, & in quibuſdam certè erraſſe, Adverſarii ipſi fatentur. Ita hæc eſt Adverſariorum defenſio, quando patres cum illis faciunt, tum non errant: quando contra, tum errant. Ita ea tantùm in patribus vera eſſe volunt, quæ Papiſtis convenientia docent: & ſic illi loquuntur, quemadmodum olim Donatiſtæ: *Quod volumus, verum eſt.* Nam illorum ſententia, eſt regula omnium patrum. Sed nos Scripturam & illorum & patrum REGULAM eſſe volumus. Itaque à patribus ad eam ſtateram provocandum eſt: ad eam trutinam omnia ſunt examinanda, & quærendum, utrum Eccleſia cum ea conſentiat & conſpiret.

II. Conſpiratio cum antiquis Hæreſib. & Hæreticis an apud Euangelicos hodie ſit.

Progreditur nunc Robertus Bellarminus, & producit VIGINTI HÆRESES à priſca Eccleſia damnatas, eaſq; dicit à noſtris Doctoribus Euangelicis renovari & propugnari, ac ideò Eccleſiam Euangelicam hos ſequentem eſſe hæreticam, & Euangelicos verè hæreticos, utpote qui exploratas & certas veteres hæreſes hodie à Doctoribus ſuis poſtliminio reductas amplectantur, & pro articulis fidei habeant, ſicq; cum vetuſtis hæreticis conſpirent. Quare ſingulas ut accuratè excutiamus, & diligenter ac fideliter cum Euangelicorum doctrina, religione, fide, vitaq; ue conferamus, & loci opportunitas, & Adverſariorum importunitas, & rei ipſius gravitas atque neceſſitas poſtulat. Nam ſic, ut ſperamus & confidimus, apparebit facilimè & luculẽtiſſimè, Bellarminum cum ſuis cõplicibus in viginti iſtarum hæreſum noxa nobis intendenda tam infirmum & ſterilem, imò vanum & futilem eſſe, ut VIGINTI ſolùm ejus CALUMNIÆ ſint, & criminationes meræ, quæ inſtar nebulæ evaneſcant in Euangelicis, ac turpitudine iniquæ accuſationis & inſimulationis in Adverſariis fixę hęreãt.

CAP. II.

De Simonianorum & Eunomianorum Hæreſi circa fidem & bona opera, cujus maculam Robertus Bellarminus & alii conantur immeritò Euangelicis aſpergere.

PRIMA *Hæreſis*, inquit Bellarminus de Eccleſia milit. lib. 4. cap. 9. *eſt Simonianorum, de quibus Irenæus lib. 1. c. 20. Illi docebant: Servari homines ſecundùm gratiam Simonis Magi, quem Deum faciebant, & non ſecundùm operas juſtas. Eadem fuit Hæreſis* EUNOMII, *qui docuit: Non poſſe homini ulla peccata nocere, modò fidem habeat.* Teſtatur hoc Auguſtinus in lib.

I. Simonianorum & Eunomianorum Hæreſis.

Digitized by Google

lib. de hæreſibus ad Quod vult Deũ, c. 54. Idem Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 14. ait, hanc hæreſin de ſola fide ſufficiente ad ſalutem ſine operibus, ortam eſſe tempore Apoſtolorum, ex non intellecto Paulo. Et propterea contra hanc hæreſin ſtylum præcipuè direxiſſe alios Apoſtolos in ſuis Epiſtolis, id eſt, Petrum, Johannẽ, Jacobum & Judam. *At hæc eadem* (inquit Bellarminus) *eſt ſententia omniũ ſectariorum hujus temporis. Sic Lutherus in lib. de Captivitate Babylonica, c. de Eucharistia: Non alia via* (inquit) *poteſt homo cum Deo convenire aut agere, quàm per fidẽ, opera ille nihil curat. Et ibidem; Tam dives eſt Chriſtianus, ut non poſſit perire, etiam ſi velit, quantumcunque malè vivat, niſi nolit credere. Et Calvinus ac Brentius,* inquit, *etſi opera dicunt eſſe neceſſaria, ut effecta fidei, tamẽ adhuc hærent in eorum errore, quum negant opera mereri vitam æternam: & ſi quis poſt omnia peccata habeat actum fidei, ei nullum peccatum imputari, quod nihil aliud eſt, quã quod Eunomius docuit.* Hæc Jeſuita ille in Euangelicos. Ac eadem in hos detonat Stapletonus lib. 7. de doctr. princip. cap. 7. dicens. *Eunomius tam fuit inimicus bonis operibus, ut nemini obeſſe quorumlibet peccatorum perſeverantiã diceret. Simon Magus docuit ſuos nec Prophetas attendere debere, nec opera curare. Lutherana hæreſis de ſola fide eſt illis affinis.* Ac FEVARDENTIUS in Comment. ad Epiſt. Jacobi, *Dogma,* inquit, *minimè Apoſtolicum, ſed Simonis Magi, Eunomii, Baſilidis, Joviani, Pſeudo-Apoſtolorum hæreſis teterrima.*

1. Euangelici à Simonis hæreſi alieni.

Reſpondemus primò quo ad Simonianiſmum. Noſtiáne ſententia ſimilis eſt ſententiæ Simonianorum. Blaſphemum & impium: Simoniani n. prorſus inſani nihil referre docebant, quomodo quis viveret. *Salvari n. omnes per gratiam Simonis, modò illum mundi Servatorem eſſe crederent.* Hæccine noſtra eſt ſententia? Num nos ei aliquid ſimile tenemus? Abſit. Imò ex GRATIA CHRISTI homines ſalvari docemus & credimus. Ratio eſt: quia Chriſtus ſolus & unicus eſt verus totius Mundi Salvator. Hoc nos ſacra Scriptura Gen. 3. 15. & 17. 7. Math. 3. 17. Joh. 1. 16. 29. & 3. 16. Rom. 11. 6. 32. Gal. 2. 21. & 5. 4. Epheſ. 2. 8. Tit. 3. 7. docere & credere jubet. Quapropter multò melius ſentimus Adverſariis, qui *ſalutis meritũ inter* opera & gratiam partiuntur.

Deinde, Simon Magus & hæretici alii perinde atque Papiſtæ docebant, nos fide tanquam opere quodam noſtro coram Deo juſtificari, & fidem noſtram, quatenus à nobis eſt actio quædam, mereri dignitate ſua iſtam coram Deo juſtitiã. Nos ex fide juſtificari homines docemus, non tanquam ex opere noſtro, aut ex dignitate iſtius certitudinis, ſed Ex CHRISTO & per Chriſtum, quem fides pro nobis mortuum apprehendit. Hæc enim locutio, *Fides nos juſtificat,* eſt Metonymica; qua continens pro contento ponitur. Significat enim Chriſtum, qui per fidẽ à nobis apprehenditur, nos coram Deo juſtificare.

Adhæc iidem Hæretici hoc fidei prætextu cuivis ſceleri habenas laxabant, & homines ea ſcelera impunè laturos docebant. Id verò quàm procul à nobis abſit, totus ſcit orbis & his Confeſſionis noſtræ verbis refutatur, quã Art. 16. de Fide & Bonis operibus dicimus: *Quamvis ergo doceamus cum Apoſtolo*

Digitized by Google

ſtolo, *hominem gratis juſtificari per fidem in Chriſtum, & non per ulla opera bona: non ideo tamen vilipendimus aut condemnamus opera bona. Quum ſciamus hominẽ nec cõditum, nec regenitum eſſe per fidem, ut ocietur, ſed potius ut indefinenter quæ bona & utilia ſunt, faciat. Etenim in Euangelio dicit Dominus:* Bona arbos bonum fructum adfert. *Et iterùm*: Qui in me manet, fructũ plurimũ adfert. *Deniq; Apoſtolus*: Dei ſumus creatura, *ait*, conditi in Chriſto Jeſu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus. *Et iterùm* Qui tradidit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret ab omni iniquitate, & mũdaret ſibi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum. *Damnamus itaq; omnes, qui bona opera contemnunt, non curanda & inutilia eſſe blaterant.* Hactenus nos in Confeſſione noſtra publicè edita.

Math 12. Joh. 15. Epheſ 2. Tit. 2.

Sed urget Bell. aliique Adverſarii, hanc fuiſſe Simonianorum ſententiã; *Non ſervari homines ſecundùm operas juſtas*, id eſt, non ſecundùm operum juſtitiã. Quaſi Irenæus in ea fuiſſet opinione, ut crederet Simonianos in hoc erraſſe, quod falſum eſt. Quid enim? Num Irenæus ſenſit, nos merito operum ſervari, quia hoc in Simone reprehendit, quod dixit: *Nos per ipſius gratiam, non per operas juſtas ſalvari?* Non ſequitur. Nam lib. 3. cap. 2. ſcribit: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores facti ſunt multi, & amiſerunt vitam: ita oportuit per obedientiam unius hominis, qui primus de virgine natus eſt, juſtificari multos & percipere ſalutem.* Simon verò dixit: *Virtutẽ non eſſe curandam, nec operationes juſtas: quia non ſunt naturaliter, ſed per accidentia* (ut loquitur de eo Irenæus) *quemadmodũ poſuerunt, qui mundum fecerunt Angeli, per hujuſmodi præcepta in ſervitutem deducentes homines.* Hæc Simon dixit.

Rom. 5. 19.

Opera bona ut ad ſalutem neceſſaria.

Nos virtutes & opera bona eſſe neceſſaria dicimus: & nos quoque ſecũdùm opera ſervari, etſi non merito operum, ſentimus, quod Simõ nunquã ſenſi: (ut modò ipſiuſmet dicto probatum) aut ſi ſenſit certè erravit. Sint ne autem opera bona neceſſaria ad ſalutem? ambigua & inſidioſa eſt quæſtio. Nam ſi hic ſenſus aſſumitur, bona noſtra opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, ut ſint cauſſæ ſeu meritum juſtitiæ, ſalutis & vitæ æternæ, falſum ſtatuitur, ut ex Epiſtolis S. Pauli ad Romanos & Galatas ac concionibus Chriſti. Joh. c. 3. c. 4. c. 5. c. 6. c. 11. & c. 12. &c. liquet. Si verò intelligatur nova obedientia neceſſaria, quæ ſit debitum obſequium & effectus neceſſariò ſequens recõciliationem & juſtificationem, verum dicitur. Nam Deus neminem vult ſervare ſine pœnitentia. Et donatio Spiritus ſancti eſt neceſſaria ad vitam æternam, ſicut Chriſtus ait Joh. 3. ℣. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex* [a] *aquâ & Spiritu, non poteſt introire regnum Dei.* Deinde fides, ſine qua ſervari eſt impoſſibile, non poteſt eſſe abſque bonis operibus. Et fides etſi non *ἐνεργείᾳ*, tamen *δυνάμει* charitatem habet conjunctam, Gal. 5. 6. Adhæc evenit ut S. Bernardus ait: *Bona opera ſunt via regni, non cauſſa regnandi.* Nec quiſquam ad vitam æternam pervenire poteſt, niſi per viam bonorum operum, quæ Deus præparavit, ut in iis ambulemus, Epheſ. 2. 4. & 10.

a. Joh. 7. ℣ 37. 38.

S. Bernardus de operibus.

Hæc itaque Lutherum quoque cõfirmare, non ſubvertere, imò verâ doctrinâ

Digitized by Google

Dictorum Lutheri interpretatio de operibus quæ Deus non curat.

ctrinâ de juſtificatione illuſtrare, patebit clariſſimè, ſi ipſiuſmet verba cum circumſtantiis rectè, non autem invidioſè, ut Adverſarii faciunt, enuncientur & exponantur. Quod enim dicit: *Non alia via poteſt homo cum Deo convenire, aut agere, quàm per* FIDEM: *Opera ille nihil curat;* Hæc κατά τι Lutherus dixit, eâdem mente, quâ de Enocho dicebat Apoſtolus Heb. 11. verſu quinto: *Priuſquam transferretur Enoch, teſtimonium obtinuerat, quod gratus fuerit Deo. Atqui fieri non poteſt, ut abſque fide quiſquam ſit gratus: nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet eſſe Deum, & eſſe præmii largitorem iis, qui exquirunt eum.* Adhæc: *Acceditur,* inquit Lutherus, *ad Deum per fidem operantem, at non per opera.* Opera non tollit, quâ fidei effecta ſunt: ſed negat eſſe acceſſus aut conventionis cauſſam cũ Deo noſtro. *Opera ille nihil curat,* ait, nimirum in ratione acceſſus aut convẽtionis noſtræ cum ipſo: non ea ſunt opera noſtra, quæ acceſſum nobis ad Deum parare poſſint.

Irenæus. Quid verius, obſecro? Hinc etiam D. Irenæus lib. 3. capite vigeſimo ſecundo: *Sicut nihil eſt,* inquit, *delectabile hominibus ſine luce, ſic ſimiliter nihil eſt delectabile atque acceptum Deo, abſque fidei lumine.* *Ambroſius.* Ambroſius lib. 2. de Cain. & Abel: *Ante omnia,* ait, *nos fides commendare debet Deo. Quum fidem habuerimus, elaboremus, ut opera noſtra perfecta ſint.* *Auguſtinus* Auguſtinus Epiſtolâ 105. *Deus,* inquit, *unicuique partitur menſuram fidei, opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, ſine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Chryſoſtomus. Chryſoſtomus in Mathæum homilia quinquageſima ſecunda: *Sicut lampas,* inquit, *non ex oleo accenditur, ſed ab igne, per oleum tamen nutritur, & niſi oleũ illi ſubminiſtraveris, extinguitur: Sic & fides non ex operibus accenditur, ſed ex verbo Dei, & tamen per bona opera nutritur, & niſi ſubminiſtraveris ei opera bona, deficit.* Cum his & Lutherus & nos ſentimus. Quid igitur erroris in iis reprehendi verè poteſt? Præterea, quod dicit Lutherus: *Tam dives eſt Chriſtianus, ut non poſſit perire, etiamſi velit, quantumcunque malè vivat, niſi nolit credere:* Emphaticè de homine Chriſtiano dixit, ad veritatem Dei in promiſſionibus ſuis reſpiciens, ex quo per Spiritum ſanctificationis illum obſignavit. Nihil aliud ſibi his verbis voluit, quàm quod ait Apoſtolus: *Hominum infidelitas Dei fidem non reddet inanem,* Rom. 3. ℣. 3. Item: *Illi* qui ceciderunt (ſic enim vocaverat præcedente verſu) *ſi non permanſerint in infidelitate, inſerentur: potens enim Deus eſt rurſum eos inſerere,* Rom. 11. ℣. 23. Sic Heb. 3. & 4. Et ſi excidit homo à Deo, quantum in ipſo eſt: *fieri tamen non poteſt, ut excidat ſermo Dei,* quem in corde illius obſignavit, ad Romanos cap. 9. verſu ſexto. Et 1. Theſſ. 5. verſu vigeſimo quarto: *Fidelis eſt, qui vocavit eum, qui etiam efficiet.* Tantumque abeſt, ut electi perire poſſint, ut ne ſeduci quidem finaliter queant. I. *Quia benedicti patris, quibus paratum eſt regnum ante jacta mundi fundamenta,* Math. 25. 34. II. *Quia voluntas Patris eſt, ne pereant dati filio,* Joh. 6. 39. III. *Quia virtute Dei cuſtodiuntur per fidem.* 1. Pet. 1. 5. Act. 13. 48 Phil. 1. ℣. 6. Quod autem videtur nonnulli deleri poſſe de libro vitæ ex loco Exod. 32. 32. & Pſal. 69. Fallacia eſt figuræ dictionis. Eſt enim loquutio Moſis partim hyper-

Chriſtianus ut perire in peccatis nequeat, niſi nolit credere.

Digitized by Google

hyperbolica & exſtatica, animi in ſalutem electi populi tantùm intentio: partim hypothetica, ſi videlicet id fieri poſſet, qualis & illa Pauli Rom. 9. 3. *Optavi fieri anathema, &c.*

Papiſtæ ipſi nos à Simonianiſmo purgant.

Accedit ipſorum Adverſariorum confeſſio & explicatio mollior ac dexterior, quâ Lutherum & Euangelicos ipſi à Simonianiſmo liberant. Nam dicit quidem Bellarminus lib. 4. de Eccleſia milit. cap. 9. SIMONIANI *docebant, hominem ſalvari ſecundùm gratiam Simonis Magi. Idem Proteſtantes.* At lib. 1. de juſtificatione Cap. 12. & paſſim per librum integrum ſcribit: PROTESTANTES *dicunt, oportere nos juſtificari tantùm per gratiam Dei in* JESU, *quam per fidem tantùm apprehendimus.* Sic ſententiam noſtram neutiquam Simonianæ hæreſi ſimilem eſſe ex ore & calamo ipſorum Adverſariorum noſtrorum intelligitur.

Excluſiva Sola *fide nos juſtificari offendit Pontificios, ſed injuriâ.*

Quid verò potiſſimùm eſt, cur eam nihilominùs Pontificii nobis aſſignent? Offendit eos præcipuè, quod in negotio juſtificationis hominis coram Deo particulam excluſivam, *Solâ* fide nos juſtificari, ac non etiam operibus & meritis noſtris, addimus. Nam Johannes HOLTUSIUS Kempenſis in examine ordinandorum, tanquam rabioſus: HÆRETICI, inquit (intelligens Euangelicos) *mordicus retinent dogma illud de ſola fide juſtificante. Verùm nos, qui Catholicam fidem profitemur, & tueri parati ſumus, liberè cum Eccleſia Catholica aſſerimus,* SOLAM FIDEM *juſtificare non poſſe.* Bellarminus lib. 1. de juſtificatione cap. 25. dicit. *Etſi veteris Eccleſiæ Doctores ſæpè phraſin illam uſurpant, hominem ſola fide coram Deo juſtificari; tamen nunc uſurpanda non eſt, ſed* HÆRETICA *potiùs cenſenda, quia videlicet diverſo ſenſu ab Euangelicis urgetur.* Hæc ille. Et hinc illæ lachrimæ, hinc illa Simonianæ hæreſeos inſimulatio in Euangelicos inſtituta.

Verùm ipſe potiùs Holtuſius & Bellarminus & quilibet Papiſta, non ſola fide, ſed etiam operibus nos juſtificari ſentiens, cõmittit hæreſin Phariſaicam & Pelagianam, ut lib. 2. deinceps Deo opitulante evidenter docebimus. Nobis verò Euangelicis ob hanc de ſolius fidei juſtificatione abſque operibus doctrinam hæreſin Simonianam ſive ullam impingens, atrocem injuriam facit, cujus ipſum merito pudere deberet.

Solâ fide nos juſtificari probatur.

Nam ideo particulam excluſivam SOLA fidei in juſtificationis cauſſa adjungimus, ut intelligatur, promiſſionem ſalutis *ſolâ* accipi *fide*, & non pendere ex ulla operum noſtrorum dignitate aut merito.

Et particula excluſiva *ſola* probari poteſt tum ex ſacra Scriptura, tum ex patribus, tum nonnullis Pontificiis Doctoribus. PRIMO ex Scriptura. Nam I. Mar. 5. 36. expreſſa habetur, ubi Dominus confirmaturus Jairum, dicit ei: *Ne metuas, μόνον πίστευε, ſolùm crede.* Quibus verbis Chriſtus apertè indicat, ſe nihil omnino quærere, quàm unam & *ſolam fidem.* Quia *impoſſibile eſt Deo placere ſine fide:* & quia *quicquid non ex fide fit, peccatum eſt:* ut Heb. 11. Rom. 14. Apoſtolus teſtatur.

I. *Ex Scripturâ.*

II. Habetur ejus æquivalens, Gal. 2. ỳ. 16. Paulus enim dicit: *Homines non juſtificari ἐὰν μὴ διὰ πίστεως, niſi fide, vel niſi per fidem.* Et addit expreſsè: καὶ οὐκ ἐξ

ἔργων

Digitized by Google

ἔργων, & non ex operibus. Et Rom. 3. 28. & 4. ait: *χωρὶς ἔργων, abſque operibus.* Itaque ſatis ſolidè & diſertè *ſoli fidei* tribuit juſtificationem, qui operibus adimit. Idem confirmat particula *δωρεὰν gratis,* Rom. 3. 24. & alibi. Excludit enim hoc vocabulum omne meritum & demeritum ab eo, cui vel bene, vel male fit. Ut Pſal. 35. 19. *Oderunt me δωρεὰν immeritò,* id eſt, ſine ulla cauſſa odii à me profecta.

III. Apoſtolus Rom. 10. 3. pronunciat, propterea *Judæos non fuiſſe juſtitia Dei ſubjectos, quia propriam juſtitiam unà cum juſtitia fidei voluerunt ſtabilire.* Et Phil. 3. 8. aſſerit, ſe ut eſſet *ἄμεμπτος*, irreprehenſibilis in lege coram hominibus, omnia reputare veluti *σκύβαλα, ut eam juſtitiam, quæ eſt à Deo per fidem conſequatur.* Significans fieri non poſſe, ut fides & opera ſimul juſtitiæ partes aut cauſſæ ſtatuantur.

Johannes Piſtorius contra Hunnium.

IV. Neceſſitas vindicandi honorem Chriſti, & conſolandi afflictam conſcientiam in agone, requirit excluſivam particulã SOLA fide nos juſtificari. Nam etſi Papiſtæ ſentiant & credere ſe dicant, *nos fide juſtificari, & ſalutem per Chriſtum conſequi, imò Chriſti meritum ſolũ, ſolũ, ſolũ ſufficientiſſimum eſſe ad nos ſufficienter ac meritoriè juſtificandos & ſalvandos:* tamen opera ſua bona fallaciter & aſtutè fidei tanquam cum hac juſtificantia & ſalvantia connectunt, & ſub Chriſti ac meriti Chriſti nomine inſerunt atque venditant. Scribit enim Bellarminus: *Non ſola in Chriſtum fide juſtificamur coram Deo, ſed & aliis virtutibus ſeu actionibus piis, videlicet quatenus per eas ad juſtificationem præparamur, imò juſtitiam apud Deum ex congruo meremur.*

Lib 1. de Juſt. c. 11.

Adhæc fide ipſa tanquã opere nos juſtificari cum ſuis Papiſtis aſſerit, dicens: *Quum fide juſtificari dicimur, id abſolutè de ipſa fidei dignitate & merito, cujus vi fides ipſa nos ad juſtitiam præparat, adeoq; etiam juſtificat: non autem relativè de* GRATIA *Dei, quam fides in Chriſto apprehendat & ſibi applicet, intelligendum eſt.* Dicunt item: *Opera hominum regeneratorum non ſunt ipſorum, ſed Chriſti, efficientis ea in regeneratis. Et quia opera Chriſti ſunt, idcirco ea ſalvant: non verò aliâ de cauſſâ,* &c. c. 17.

Excluſiva igitur particula SOLA FIDES JUSTIFICAT, excludit non cauſſas concurrentes, quæ extra nos ſunt, ſed ſui duntaxat generis & ordinis cauſſas intra nos, id eſt, non gratiã & miſericordiam Dei juſtificantis, nec meritum mortis Chriſti ſufficientiſſimum, quod nobis ad juſtitiam fide applicatum imputatur: SED noſtra tantùm & ſanctorũ opera ſive qualitates. Nam aſſertio juſtificationis per opera, Deum gloriâ ſuâ ſpoliat, & meritum Chriſti evacuat, teſtante Apoſtolo Rom. 4. 14. *Si ii, qui ex lege ſunt, hæredes ſunt, inanis facta eſt fides, & inanis reddita eſt promiſſio,* nempe Dei, pollicentis ſe ex mera gratia per Chriſtum Filium pro nobis mortuum nos juſtificaturũ, ſi eum fide apprehendamus. Quod ſic comprobatur: Quod ſacræ literæ diſertè exprimunt & conſtituunt proprium & unicum fidei juſtificantis objectum, in quo uno iſta occupatur, illud & non aliud pro ejus objecto habendum eſt. Atqui miſericordia Dei in Chriſto, ſive (quod idem hîc valet) promiſſio gratię, redemptio, ſatisfactio Chriſti eſt illud ipſum. Ergo miſericor-

Digitized by Google

ctiſſimos fuiſſe conſtat, eos nunquam eſt perſequutus Papa, ſed duplici potiùs honore affecit. Quos, quos tandem? Recenſeat eos Sanderus: *Hi autem erant*, inquit Sanderus, *Hilarius Cæſarienſis, Beda Venerabilis Angloſaxo, Haymo Alberſtatenſis, Hildwinus Abbas S. Dionyſii, Walafridus Strabo, Jonas Aurelianenſis, Borno Augienſis, Humbertus, Lanfrancus Cantuarienſis, Regino Hiſtoricus, Rupertus Tuitienſis Abbas, S. Malachias in Hibernia Epiſcopus, ſanctus Bernardus Clarevallenſis, Petrus Abbas Cluniacenſis, Petrus Comeſtor, ſanctus Dominicus, ſanctus Franciſcus, ſanctus Thomas Cantuarienſis, Hugo de S. Victore, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, ſanctus Thomas de Aquino, S. Bonaventura, Rudolphus Saxo, Baldus Peruſinus, Nicolaus Liranus, Thomas Waldenſis, Johannes Gerſon, ſanctus Bernardus, ſanctus Antonius Archiepiſcopus Florentiæ, Beſſarion Epiſcopus Nicenus, Dionyſius Ricelius Carthuſianus, Johannes Roffenſis, Thomas Morus, Petrus à Soto, Staniſlaus Hoſius, & alii penè innumerabiles, quorum neminem Papa unquam perſequutus eſt, ſed omni potiùs obſervantiâ coluit: quum tamen ſi ullos omnino ſanctos tyrannide opreſſiſſet, hos omnium ſanctiſſimos præterire non debuerit.* Hactenus Sanderus. Sed reſpondemus, hi quos tam multos enumerat, etſi eorum nonnullos viros ſanè bonos, & doctos & ſanctos fuiſſe fatemur: tamen cur eſſent Romano Pontificii odioſi, nulla cauſſa fuit. Quanquam enim erant doctrinâ & pietate præſtantes; tamen aut Pontificem non eſſe Antichriſtum omnino intelligebant, aut illi timidiùs & languidiùs reſiſtebant. Et ea quidem horum temporum ratio fuit, in quibus ad ſummam in Eccleſiæ potentiam Pontifex pervenerat, ut qui otium vitamque ſuam amaret, illius potiùs voluntati obſequi, quàm cum ipſo inimicitias periculoſas exercere mallet. Tamen horum aliquos auſos eſſe Pontificis tyrannidem verbis apertiſſimis perſtringere, ſi negat Sanderus & alii Papiſtæ, Bernardus eos refutabit, à quo Pontifex & ſæpè & liberè & acerbè reprehenſus eſt.

Quales reliqui exſtiterint, quos à Põtifice cultos eſſe dicit Sanderus, nihil attinet narrare. Fuiſſe omnium, ut ait, SANCTISSIMOS, quomodo perſuadebit? Quid ſi enim multa de horum virtutibus ſcripta in libris jactantur? An illis ergo ſolus maximam veræ pietatis laudem tribuemus? Alios de quibus nihil tale legimus, nec ſanctos, nec doctos, nec ulla laude dignos fuiſſe cenſebimus? Ii quidem ſanctiſſimi tum habiti ſunt & doctiſſimi, qui maximè Pontifici Romano propter operam ei in quacunque re vel juſta vel injuſta, orthodoxa ſive falſa & heterodoxa placere potuerunt. Lanfrancus multa pro Pontificio dogmate contra Berengarium ſcripſit: Lombardus & Gratianus porticum Eccleſiæ Romanæ ſuſtinent: Dominicus, Franciſcus, duorum erant præclariſſimorum ordinum authores: Thomas Cantuarienſis pro cauſſa Pontificia ſanguinem profudit, eoque nomine ut Divus à Papiſtis colitur, à noſtris ac verè orthodoxis vix honore tanto dignus judicatur: Albertus, Alexander, Aquinas, Bonaventura, Scholaſticæ Pontificiæque Theologiæ ad nutum Pontificis compoſitæ parentes ac nutritii erant: Waldenſis Wiclephiſtas pon-

Digitized by Google

Pontificia dogmata erroris arguentes concidit, Beſſarion à Græcis ad Latinos tranſiit: Roffenſis, Morus, pro Pontificis Romani capite ſua amiſerũt: Aſotus rem Pontificiam fortiter contra Lutheranos defendit: Hoſius de Pontifice Romano bene meritus eſt, eique Pontifex gratiam, ut Sanderi calculo inter ſanctos numeraretur, referre voluit. Quis jam neget, præclarè à Sandero demonſtratam eſſe Pontificis Romani in parcendo clementiam? Sed erant alii, ô Sandere & Papiſtæ, qui ſi nacti fuiſſent tam amicos & diligentes laudum ſuarum præcones, quàm iſti ſunt, cum his quidem in omni laudis genere contendiſſent. Nunc quia Põtificis à ſe voluntatem alienarunt, & illum minùs propitium habuerunt, in nullo numero reponuntur. Tales erãt Bertramus, Berengarius, Wiclephus, Waldenſis atque hujuſmodi infiniti, qui Scripturæ ſacræ myſteria penitùs ſcrutati, errores pontificios ac pontificum tyrannidem in Eccleſia animadverterunt & patefecerũt, pontificémque Romanum oppugnarunt, ac ideo ab illo crudeliſſimè excepti & tractati ſunt. Sed horum nomina, quanquam à papiſtis infamia notantur, tamen in libro vitæ perſcribuntur, & apud eos chara atque honorifica ſunt, qui Antichriſtum & Papam Romanum agnoſcere & odiſſe rectè didicerunt.

Sancti potiores Papiſtis.

Quod Bonifacius 8. Fratricellos & Dulciniſtas, inquit Sanderus, *ac alii Pontifices Romani alios, qui promiſcuos concubitus & exercebant & approbabant, perſequuti eſſe leguntur, non puto quenquam, qui ſanctus ipſe haberi velit, ejuſmodi monſtra in ſanctorum numero habiturum. Certum igitur eſt, Papam, qui ſanctos non eſt perſequutus, non eſſe Antichriſtum.* Verùm Fratricellos & Dulciniſtas in Italia media natos, nihil eſt, quod nobis objiciat. Nullam enim Eccleſiæ noſtræ ſimilem fœditatem ferunt, & illos, ſi tales erant, merito pontifices Romani delendos judicarunt. Rodolphus Hoſpinianus de origine Monachatus lib. 6. c. 32. verè eruit, in quib. falsò, in qb. verè accuſati & delati ſint Fratricelli. Ac ea jure reprehendẽs, quæ mala ac ſceleſta eſſent, ſi ab iis eſſent perpetrata, tandem ea quoque de iis recenſet, ob quæ iniquè pontifices eos perſequuti ſunt. Ac folio 275. addit, credibile autem hæc & ſimilia ab eorum hoſtibus conficta, ut æquior eorum damnatio videretur. Hoc enim eſt ingenium hominum pontifici Romano additorum adhuc hodie, ut etiam de Euangelii Chriſti veris profeſſoribus multa nefaria fingant, & in vulgus ſpargant, quo faciliùs odium hominum incurrant, & cruentiſſimæ illorum perſequutiones juſtiores habeantur. Id quod etiam Pariſiis Anno Domini 1567. evenit, ut de Euangelicis ſparſum ſit, eos nocturnos conventus habere, tandemque extinctis luminibus promiſcuè utroque ſexu coire, ac infantes ſic genitos necare, alia que facinora fœda committere. Sed falſiſſima & meræ calumniæ erant, ad perſequutionem illorum injuſtam promovendam excogitatæ à Papiſtis & divulgatæ. Sic factum videtur cum Fratricellis olim. Nam multi viri ſingulari eruditione, multaque religione præditi huic ordini fuerunt, & HERMANNUS ejus fundator Ferrariæ diu in multa magnaque veneratione fuit.

Fratricelli & Dulciniſtæ.

Fol. 274.

Quod

Hinc illæ horrendæ innumerabilium hominum ſtrages, ubique ferè à Pontificiis editæ, tanta crudelitate & ſuppliciorum teterrimorum varietate, quantâ priſcis tyrannis incognita atque inaudita fuit. Et nunc, quas minas Pontifex, quas cædes ſpirat? ut ſi hanc belluam in nos Dominus iterum immiſerit, nihil niſi interitum atque internecionem expectare liceat. Si igitur Sanctos Dei perſequi, ſit homines pios integros, doctos, Chriſti ſervos, veræque religionis profeſſores crudeliſſimis ſuppliciis mactare, tum Sanctos Pontifex perſequitur, qui nullum à Pontificum Romanorum & Antichriſti doctrina abhorentem, vivere omnino ſinit, ſi illi vitam eripere poteſt. Dominus JESUS hunc omnium Tyrannorum τυραννικώτατον coërceat, Eccleſiamque ſuam ab irati & provocati Antichriſti crudelitate vindicet. Et ab hac ipſummet deterrere debepœna atrox & gravis, quam Deus Antichriſto 2. Teſſ. 2 8. & Apoc. 18. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. ac per totum caput minatur. Quin quod paſſim S. Scriptura noviſſimi judicii meminit, quando unuſquiſq; digna ſuis factis præmia recepturus ſit.

P DE

cum antiqua Eccleſia eſſe notam Eccleſiæ, agnoſcimus verum eſſe, ſi per antiquam Eccleſiam intelligat *Apoſtolicam.* Conſpiratio enim in doctrina cum hac Eccleſia, veræ Eccleſiæ nota eſt. Hoc enim ſolidiſſimè probat tum Lubertus Sibrandus lib. 4. de Eccleſia, tum Guilielmus Witakerus de Eccleſia quæſt. 5. capite 17. 18. 19. 20. 21. Sin per antiquam Eccleſiam intelligat eam, quæ ſubſequuta eſt quingentis aut ſexcentis annis poſt Chriſtum, dicimus conſpirationem in doctrina cũ hac Eccleſia non aliter veræ Eccleſiæ notam eſſe, niſi quatenus hæc Eccleſia cum Apoſtolica conſpiravit. 2. RESPONDEMUS: Si volunt ergo Adverſarii noſtri probare, ſuam Eccleſiam eſſe Apoſtolicam, oſtendant ſe doctrinæ conſanguinitatem cum Eccleſia Apoſtolica habere. Hoc ſi fecerint, nos acqeſcemus. Sed debẽt hoc ex veris literis & tabulis Apoſtolorum, non ex traditionibus & levibus quibuſdam conjecturis demonſtrare. Atqui iſtam cum Eccleſia Apoſtolica doctrinæ conſanguinitatem non urgent. Quare? Quia Eccleſia illa, quæ quingentis aut ſexcentis annis poſt Chriſti tempora fuit, etſi vera fuit Eccleſia, tamen non per omnia tenuit doctrinam Apoſtolicã, nec tam purè & ſincerè omnia fidei dogmata tradidit, quàm tradidit Eccleſia Apoſtolica: id quod ex ſcriptis patrum, qui illis temporibus vixerunt, manifeſtè liquet. Quin & ipſis Apoſtolis adhuc vivis, cœpit myſterium iniquitatis Satan operari. Tamen illa Eccleſia omnia neceſſaria fidei dogmata, & omnia Chriſtianæ religionis fundamenta ſalva tenuit. Et licet errores etiam quoſdam ſimul tenuit: tamẽ illi errores non erant capitales. Neque enim ſi vera Eccleſia fuit, in nulla re eã erraſſe ſequitur. Nam tum nulla vera Eccleſia poſſet errare. At dant Adverſarii, hanc & illam Eccleſiam errare poſſe. Tenuit quidem illa Eccleſia Apoſtolicam doctrinam, ſed in partibus præcipuis & plurimis, non in omnibus.

Apoſtolica Eccleſia doctrina eſt nota Eccleſia.

2. Theſ. 2. 7.

Alterum teſtimonium à Bellarmino allatum, petit ex Sozomeno c. 7. hiſt. c. 12. ubi laudat hic Theodoſium Imperatorem, quod hac arte hæreticos ſui temporis compoſuerit. Juſſit Impp. Principes ſectarum in unum locum convenire; deinde ab illis quæſivit, an exiſtimarent antiquos patres, qui Eccleſiam rexerant ante diſſidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, rectè conſenſiſſe, & verè ſanctos ac Apoſtolicos fuiſſe. Quod quum illi conceſſiſſent, & rem ita ſe habere reſpondiſſent, ſubjunxit ſtatim Theodoſius: *Examinemus ergo doctrinã veſtram ad illorum ſcripta: & ſi cum illis conſenſerit, retineatur: ſin minus, abjiciatur.* RESPONDEMUS. 1. Nos probare hoc inventum, cujuſque tandem fuerit. Erat enim ſatis commodum & pium. Volunt quidam, inventum fuiſſe *Agellii* cujuſdam, Epiſcopi Novatiani. Sed quæſtio tum fuit de TRINITATE tantùm. Nos libenter doctrinam veterum patrum tum hac de re, tum de omnibus Chriſtianæ doctrinæ ac fidei capitibus amplectimur, quatenus ſacræ Scripturæ conſentit, ut quidem in maximis & plurimis, præcipuè in articulo Trinitatis conſentit. Si tempora, Chriſti & Apoſtolorum ætatem ſubſequẽtia

Doctrin Patrum Scriptur conſent. recipien

Digitized by Google

tia,in reliquis omnibus tam pura fuiſſent, quàm in articulo de Trinitate fuerunt,nos Eccleſiæ illorum temporum in omnibus aſſenſum noſtrum libenter præberemus. 2. RESPOND. Si doctrina poteſt examinari ad ſcripta hominum, cur non etiam ad ſacras Scripturas? Si rectè dixit Princeps ille: *Examinemus veſtram doctrinam ad Patrum ſcripta:* cur non rectiùs multò nos dicamus, examinandam eſſe omnem doctrinam ad ſacras Scripturas, quæ luce, dignitate, claritate, perfectione, auctoritateque omnes omnium Patrum libros ſuperant? Non enim debemus exiſtimare, Patres meliùs, ſanctiùs aut ſinceriùs docuiſſe,quàm docuit Spiritus ſanctus in Scripturis. Et nos quidem non recuſamus iſtam examinationem,quam Theodoſius commemoravit, ſi Adverſarii nos ad Scripturas tandem devenire patientur;ut ipſe Deus jubet Iſa.8.20. Joh.5.39. RESPONDEMUS 3. Quare non provocavit Princeps iſte ad Pontificem Romanum?Cur non dixit,eamus ad ſummum controverſiarum judicem in terris,nempe Papam Romanum? Forſan illo tempore cognitum non fuit,illum ſummum controverſiarum judicem in terris fuiſſe. Et veriſſimum hoc quidem eſt. Sed reſpondebunt illi fortaſſe,ut ſunt ſatis callidi,rem huic Principi fuiſſe cum hæreticis, qui Romani Pontificis judicium recuſare voluiſſent. Verùm hanc nos reſponſionem ſtatim tollemus. Si enim hoc verum ſit,tum hæreſis hoc fuit,nolle Romanum Pontificem ſummum in terris judicem agnoſcere. At non fuit. Oſtendant enim,quis illius hæreſeos auctor fuit,aut quis unquam propter eam damnatus eſt,& alia illa omnia,quæ ipſi de omni hæreſi oſtendi poſſe affirmāt. At iſta nunquam poſſunt oſtendere, nec propter hoc quiſquam unquam antiquitùs pro hæretico eſt habitus.

Jam tamen,poſtquam ſibi demonſtraſſe videtur Bellarminus,conſenſionem in doctrina cum vetuſta Eccleſiæ eſſe veræ Eccleſiæ notam, ex hac nota vult probare ſuam Eccleſiam eſſe veram.Hoc verò,ait,*duobus* modis poſſe probari.*Primò*, proferendo ſententias veterum,quibus ſingula illorum dogmata confirmari, noſtra verò refutari poſſent.Sed hunc modum ait nimis prolixum eſſe & multis calumniis & objectionibus obnoxium. RESPONDEMUS. Hunc modum nos non improbamus. Nam etſi non judices eſſe Patres agnoſcimus: tamen teſtes eſſe veritatis non negamus: ſic tamen ut non ſint omni exceptione majores. Nam omnes errarunt,tamen nos,noſtram doctrinam fuiſſe omnibus ſeculis in Eccleſia, poſſumus ex Patrum ſcriptis probare. Sed Adverſarius hanc viam non probat. Alia ergo via progreditur. *Altera via*, inquit, *eſt brevior & certior, nimirum oſtendendo primùm ex confeſſione Adverſariorum,noſtra dogmata eſſe doctrinam omnium veterum; deinde dogmata Adverſariorum habita fuiſſe in Eccleſia antiquâ pro exploratis Hæreſibus. Sic enim conſtabit*, inquit, *doctrinam noſtram* (Romanam) *conſpirare cum doctrina veterum Catholicorum,doctrinam verò illorum conſpirare cum doctrina veterum Hæreticorum.* Ita *primò* NB. docet,ſe eadem dogmata tenere, quæ antiqui Patres tenuerunt;*ſecundò* oſtē-dit

Patres veritatis teſtes non judices.

Digitized by Google

dit, nos eadem tenere, cum antiquis Hæreticis.

RESPONDEMUS 1. Nos quidem fatemur, quoſdam errores Papiſticos eſſe antiquos, & à Patribus etiam teneri ac defendi. Quod nos certè liberè & apertè profitemur. Non enim cauſſam noſtram quicquam lædit. Nam religio cœpit corrumpi vivis adhuc Apoſtolis: & myſterium iniquitatis, quemadmodum anteà diximus tum peragi cœptum eſt, quod poſtea paulatim magis magiſque crevit. Ergo hoc nihil ad rem, niſi probet, ea dogmata, quæ iſti ab antiquis Patribus habent, eſſe eadem quæ Apoſtoli docuerunt, ut tandem ad antiquiſſima tempora veniant. 2. agnoſcimus, quædam noſtra dogmata à quibuſdam Patribus improbari, quæ tamen nos non eſſe improbanda dicimus, quia poſſumus probare, eadem omnia cum doctrina Apoſtolica conſentire & nos illa tenendo, cū antiquiſſima Eccleſia cōſpirare. Noſtram verò doctrinā nulli pro hæreſi damnarunt, niſi qui Scripturam ipſam damnaverint. Nam ſi poteſt ex Scriptura refelli, nos illam quoque Hæreticam eſſe fatebimur. Aliter non moramur, ſi noſtrum aliquid Pater aliquis damnet; modò id ſine auctoritate Scripturæ faciat.

Collatio Patrum cum doctrina Papiſtica & Euangelica.

Nunc Adverſarius *primò*, probat ſua dogmata, ex noſtra confeſſione, ab antiqua Eccleſia recepta fuiſſe. *Secundò* docet, noſtra dogmata hæretica eſſe. RESPONDEMUS 1. Sibrandum Lubertum ipſis noſtrorum ac Patrū verbis lib. 5. de Eccleſ. cap. 6. exponere & probare, neutrum horum verè & legitimè à Bellarmino ac quocunque Papiſta dici, probari & convinci, ſed contrarium potiùs oſtendi & demonſtrari poſſe: uti ipſe Sibrandus ibidem dilucidè ac ſolidè præſtat. Obſecro Lector vide, lege & expende. 2. Nos nunc de utriſque breviter quoque reſpondere parati ſumus.

Doctrinam Romanam cū vetuſtis Patribus conſentire, an Euangelici agnoſcant.

Quod enim ad primum attinet, profert quædam teſtimonia ex Calvino & Centuriarum Scriptoribus. Iſti quoſdam *Veterum* errores annotarunt, quos cum Papiſtis communes habuerunt: nempe de libero arbitrio, de meritis, de limbo, de invocatione ſanctorum, de cœlibatu Epiſcoporum, de ſatisfactione & quibuſdam hujuſmodi. Ergo Bellarminus ait, nos concedere, veterem Eccleſiam ſic ſenſiſſe, quemadmodum ipſi ſentiunt, imò omnes veteres ſic ſenſiſſe. RESPONDEMUS: Verùm eſſe quod Calvinus ait, & qui Centurias ſcripſerunt, in multis erratum eſſe à veteribus & veteri Eccleſia: ut de limbo, de libero arbitrio, de operum meritis, & rel quis illis, quæ paulò ante commemorantur. De ſingulis reſpondere nimis hîc longum eſſet. Dicto loco Sibrandus ad ea reſpondet, uti diximus, ac à lectore reperiri poteſt. Et à nobis etiam ſuo loco omnia Deo favente tractabuntur. SED in his colligendis teſtimoniis, Bellarminus *triplicem fallaciam* adhibet. *Prima* eſt, quia perſuadere vult, quod de quibuſdam patribus dicunt Calvinus & Centuriatores, id de omnibus patribus intelligi: quaſi ea omnium patrum ſententia fuiſſet. Exempli gratiâ, de invocatione ſanctorum, & de ſatisfactione, omnes patres non idem docuerūt, quod Papiſtæ. Quod ad ſatisfactionē attinet, de ea quidem patres loquun-

Fallacia Pontificiorum tres.

tur,ſed illi *Eccleſiaſticam* quandam ſatisfactionem intelligebant, non talem,qualem Papiſtæ. *Secunda* Adverſarii fallacia eſt, quod quæ Calvinus & Centuriatores ex iis patribus producunt,qui ſunt in manibus,ea non tantùm omnium patrum,ſed totius etiam Eccleſiæ dogmata fuiſſe colligit. Sed unde hoc intelligit? aut quomodo id ſtatuere poteſt, quum quidam patres nihil ſcripſerunt,quorundam verò libri,quos ſcripſerunt,jam non exſtent. *Tertia* ejus fallacia eſt,quod errores veterum patrum pro certis & ſinceris fidei articulis obtrudit: & ſe eſſe veram Eccleſiam contendit,quia errores veterum patrum tenent,quaſi illi non errare potuerint. At illi in multis erraunt, quemadmodum nos probare poſſumus,& in quibuſdam certè erraſſe, Adverſarii ipſi fatentur. Ita hæc eſt Adverſariorum defenſio, quando patres cum illis faciunt,tum non errant: quando contra,tum errant. Ita ea tantùm in patribus vera eſſe volunt,quæ Papiſtis convenientia docent: & ſic illi loquuntur, quemadmodum olim Donatiſtæ: *Quod volumus, verum eſt.* Nam illorum ſententia, eſt regula omnium patrum. Sed nos Scripturam & illorum & patrum REGULAM eſſe volumus. Itaque à patribus ad eam ſtateram provocandum eſt: ad eam trutinam omnia ſunt examinanda, & quærendum, utrum Eccleſia cum ea conſentiat & conſpiret.

II. Conſpiratio cum antiquis Hæreſib. & Hæreticis an apud Euangelicos hodie ſit.

Progreditur nunc Robertus Bellarminus, & producit VIGINTI HÆRESES à priſca Eccleſia damnatas, easq; dicit à noſtris Doctoribus Euangelicis renovari & propugnari,ac ideò Eccleſiam Euangelicam hos ſequentem eſſe hæreticam,& Euangelicos verè hæreticos, utpote qui exploratas & certas veteres hæreſes hodie à Doctoribus ſuis poſtliminio reductas amplectantur,& pro articulis fidei habeant,ſicq; cum vetuſtis hæreticis conſpirent. Quare ſingulas ut accuratè excutiamus,& diligenter ac fideliter cum Euangelicorum doctrina,religione,fide, vitaq; conferamus,& loci opportunitas,& Adverſariorum importunitas, & rei ipſius gravitas atque neceſſitas poſtulat. Nam ſic,ut ſperamus & confidimus, apparebit facilimè & luculentiſſimè,Bellarminum cum ſuis cõplicibus in viginti iſtarum hæreſum noxa nobis intendenda tam infirmum & ſterilem,imò vanum & futilem eſſe,ut VIGINTI ſolùm ejus CALUMNIÆ ſint,& criminationes meræ,quæ inſtar nebulæ evaneſcant in Euangelicis, at turpitudine iniquæ accuſationis & inſimulationis in Adverſariis fixę hęreãt.

CAP. II.

De Simonianorum & Eunomianorum Hæreſi circa fidem & bona opera, cujus maculam Robertus Bellarminus & alii conantur immeritò Euangelicis aſpergere.

I. Simonianorum & Eunomianorum Hæreſis.

PRIMA *Hæreſis*, inquit Bellarminus de Eccleſia milit. lib. 4. cap. 9. *eſt Simonianorum, de quibus Irenæus lib. 1. c. 20. Illi docebant: Servari homines ſecundùm gratiam Simonis Magi, quem Deum faciebant, & non ſecundùm operas juſtas. Eadem fuit Hæreſis* EUNOMII, *qui docuit: Non poſſe homini ulla peccata nocere, modò fidem habeat.* Teſtatur hoc Auguſtinus in lib.

lib.de hæreſibus ad Quod vult Deũ,c. 54. Idem Auguſtinus lib. de fide & operibus cap.14.ait,hanc hæreſin de ſola fide ſufficiente ad ſalutem ſine operibus, ortam eſſe tempore Apoſtolorum,ex non intellecto Paulo. Et propterea contra hanc hæreſin ſtylum præcipuè direxiſſe alios Apoſtolos in ſuis Epiſtolis,id eſt,Petrum,Johannẽ, Jacobum & Judam. *At hæc eadem* (inquit Bellarminus) *eſt ſententia omniũ ſectariorum hujus temporis. Sic Lutherus in lib. de Captivitate Babylonica,c.de Euchariſtia:Non alia via*(inquit)*poteſt homo cum Deo convenire aut agere,quàm per fidẽ, opera ille nihil curat. Et ibidem;Tam dives eſt Chriſtianus,ut non poſſit perire,etiam ſi velit, quantumcunque malè vivat,niſi nolit credere. Et Calvinus ac Brentius,*inquit,*etſi opera dicunt eſſe neceſſaria,ut effecta fidei tamẽ adhuc hærent in eorum errore,quum negant opera mereri vitam æternam: & ſi quis poſt omnia peccata habeat actum fidei,ei nullum peccatum imputari,quod nihil aliud eſt, quã quod Eunomius docuit.* Hæc Jeſuita ille in Euangelicos. Ac eadem in hos detonat Stapletonus lib. 7. de doctr. princip. cap. 7. dicens. *Eunomius tam fuit inimicus bonis operibus,ut nemini obeſſe quorumlibet peccatorum perſeverantiã diceret. Simon Magus docuit ſuos nec Prophetas attendere debere,nec opera curare.Lutherana hæreſis de ſola fide eſt illi affinis.* Ac FEVARDENTIUS in Comment.ad Epiſt. Jacobi,*Dogma,*inquit,*minimè Apoſtolicum, ſed Simonis Magi,Eunomii,Baſilidis,Joviani, Pſeudo-Apoſtolorum hæreſis teterrima.*

1. *Euangelici à Simonis hæreſi alieni.*

Reſpondemus primò quo ad Simonianiſmum. Noſtiáne ſententia ſimilis eſt ſententiæ Simonianorum. Blaſphemum & impium:Simoniani n. prorſus inſani nihil referre docebant, quomodo quis viveret. *Salvari n. omnes per gratiam Simonis,modò illum mundi Servatorem eſſe crederent.* Hæccine noſtra eſt ſententia? Num nos ei aliquid ſimile tenemus? Abſit. Imò ex GRATIA CHRISTI homines ſalvari docemus & credimus. Ratio eſt: quia Chriſtus ſolus & unicus eſt verus totius Mundi Salvator. Hoc nos ſacra Scriptura Gen. 3.15.& 17.7.Math.3.17.Joh.1.16.29. & 3.16.Rom. 11.6.32.Gal.2.21. & 5.4. Epheſ. 2.8. Tit.3.7. docere & credere jubet. Quapropter multò melius ſentimus Adverſariis,qui *ſalutis meritũ inter* opera & gratiam partiuntur.

Deinde, Simon Magus & hæretici alii perinde atque Papiſtæ docebant, nos fide tanquam opere quodam noſtro coram Deo juſtificari,& fidem noſtram,quatenus à nobis eſt actio quædam,mereri dignitate ſua iſtam coram Deo juſtitiã.Nos ex fide juſtificari homines docemus, non tanquam ex opere noſtro, aut ex dignitate iſtius certitudinis, ſed Ex CHRISTO & per Chriſtum,quem fides pro nobis mortuum apprehendit. Hæc enim locutio, *Fides nos juſtificat,* eſt Metonymica; qua continens pro contento ponitur. Significat enim Chriſtum,qui per fidẽ à nobis apprehenditur, nos coram Deo juſtificare.

Adhæc iidem Hæretici hoc fidei prætextu cuivis ſceleri habenas laxabant, & homines ea ſcelera impunè laturos docebant. Id verò quàm procul à nobis abſit,totus ſcit orbis & his Confeſſionis noſtræ verbis refutatur, quâ Art.16.de Fide & Bonis operibus dicimus: *Quamvis ergo doceamus cum Apoſtolo*

poſtolo

Digitized by Google

ſtolo, *hominem gratis juſtificari per fidem in Chriſtum, & non per ulla opera bona: non ideo tamen vilipendimus aut condemnamus opera bona. Quum ſciamus hominẽ nec cõditum, nec regenitum eſſe per fidem, ut ocietur, ſed potius ut indefinenter quæ bona & utilia ſunt, faciat. Etenim in Euangelio dicit Dominus:* Bona arbos bonum fructum adfert. *Et iterùm*: Qui in me manet, fructũ plurimũ adfert. *Deniq; Apoſtolus*: Dei ſumus creatura, *ait*, conditi in Chriſto Jeſu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis ambulemus. *Et iterùm* Qui tradidit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret ab omni iniquitate, & mũdaret ſibi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum. *Damnamus itaq; omnes, qui bona opera contemnunt, non curanda & inutilia eſſe blaterant.* Hactenus nos in Confeſſione noſtra publicè edita.

Math. 12. Joh. 15. Epheſ. 2. Tit. 2.

Sed urget Bell. aliique Adverſarii, hanc fuiſſe Simonianorum ſententiã; *Non ſervari homines ſecundùm operas juſtas*, id eſt, non ſecundùm operum juſtitiã. Quaſi Irenæus in ea fuiſſet opinione, ut crederet Simonianos in hoc erraſſe, quod falſum eſt. Quid enim? Num Irenæus ſenſit, nos merito operum ſervari, quia hoc in Simone reprehendit, quod dixit: *Nos per ipſius gratiam, non per operas juſtas ſalvari*? Non ſequitur. Nam lib. 3. cap. 2. ſcribit: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores facti ſunt multi, & amiſerunt vitam: ita oportuit per obedientiam unius hominis, qui primus de virgine natus eſt, juſtificari multos & percipere ſalutem.* Simon verò dixit: *Virtutẽ non eſſe curandam, nec operationes juſtas: quia non ſunt naturaliter, ſed per accidentia* (ut loquitur de eo Irenæus) *quemadmodũ poſuerunt, qui mundum fecerunt Angeli, per hujuſmodi præcepta in ſervitutem deducentes homines.* Hæc Simon dixit.

Rom. 5. 19.

Nos virtutes & opera bona eſſe neceſſaria dicimus: & nos quoque ſecũdùm opera ſervari, etſi non merito operum, ſentimus, quod Simõ nunquã ſenſit (ut modò ipſiuſmet dicto probatum) aut ſi ſenſit certè erravit. Sintne autem opera bona neceſſaria ad ſalutem? ambigua & inſidioſa eſt quæſtio. Nam ſi hic ſenſus aſſumitur, bona noſtra opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, ut ſint cauſſæ ſeu meritum juſtitiæ, ſalutis & vitæ æternæ, falſum ſtatuitur, ut ex Epiſtolis S. Pauli ad Romanos & Galatas ac concionibus Chriſti. Joh. c. 3. c. 4. c. 5. c. 6. c. 11. & c. 12. &c. liquet. Si verò intelligatur nova obedientia neceſſaria, quæ ſit debitum obſequium & effectus neceſſariò ſequens recõciliationem & juſtificationem, verum dicitur. Nam Deus neminem vult ſervare ſine pœnitentia. Et donatio Spiritus ſancti eſt neceſſaria ad vitam æternam, ſicut Chriſtus ait Joh. 3. ℣. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex* [a] *aquâ & Spiritu, non poteſt introire regnum Dei.* Deinde fides, ſine qua ſervari eſt impoſſibile, non poteſt eſſe abſque bonis operibus. Et fides etſi non ἐνεργείᾳ, tamen δυνάμει charitatem habet conjunctam, Gal. 5. 6. Adhæc evenit ut S. Bernardus ait: *Bona opera ſunt via regni, non cauſſa regnandi.* Nec quiſquam ad vitam æternam pervenire poteſt, niſi per viam bonorum operum, quæ Deus præparavit, ut in iis ambulemus, Epheſ. 2. 4. & 10.

Opera bona ut ad ſalutem neceſſaria.

a. Joh. 7. ℣ 37. 38.

S. Bernardus de operibus.

Hæc itaque Lutherum quoque cõfirmare, non ſubvertere, imò verâ doctrinâ

Dictorum Lutheri interpretatio de operibus quæ Deus non curat.

ctrinâ de juſtificatione illuſtrare, patebit clariſſimè, ſi ipſiuſmet verba cum circumſtantiis rectè, non autem invidioſè, ut Adverſarii faciunt, enuncientur & exponantur. Quod enim dicit: *Non alia via poteſt homo cum Deo convenire, aut agere, quàm per* FIDEM: *Opera ille nihil curat*; Hæc χρ̃ π Lutherus dixit, eâdem mente, quâ de Enocho dicebat Apoſtolus Heb. 11. verſu quinto: *Priuſquam transferretur Enoch, teſtimonium obtinuerat, quod gratus fuerit Deo. Atqui fieri non poteſt, ut abſque fide quiſquam ſit gratus: nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet eſſe Deum, & eſſe præmii largitorem iis, qui exquirunt eum.* Adhæc: *Acceditur*, inquit Lutherus, *ad Deum per fidem operantem, at non per opera.* Opera non tollit, quâ fidei effecta ſunt: ſed negat eſſe acceſſus aut conventionis cauſſam cũ Deo noſtro. *Opera ille nihil curat*, ait, nimirum in ratione acceſſus aut convẽtionis noſtræ cum ipſo: non ea ſunt opera noſtra, quæ acceſſum nobis ad Deum parare poſſint.

Irenæus.

Quid verius, obſecro? Hinc etiam D. Irenæus lib. 3. capite vigeſimo ſecundo: *Sicut nihil eſt*, inquit, *delectabile hominibus ſine luce, ſic ſimiliter nihil eſt delectabile atque acceptum Deo, abſque fidei lumine.*

Ambroſius.

Ambroſius lib. 2. de Cain. & Abel: *Ante omnia*, ait, *nos fides commendare debet Deo Quum fidem habuerimus, elaboremus, ut opera noſtra perfecta ſint.*

Auguſtinus

Auguſtinus Epiſtolâ 105. *Deus*, inquit, *unicuique partitur menſuram fidei, opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, ſine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt.*

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus in Mathæum homilia quinquageſima ſecunda: *Sicut lampas*, inquit, *non ex oleo accenditur, ſed ab igne, per oleum tamen nutritur, & niſi oleũ illi ſubminiſtraveris, extinguitur: Sic & fides non ex operibus accenditur, ſed ex verbo Dei, & tamen per bona opera nutritur, & niſi ſubminiſtraveris ei opera bona, deficit.* Cum his & Lutherus & nos ſentimus. Quid igitur erroris in iis reprehendi verè poteſt? Præterea, quod dicit Lutherus: *Tam dives eſt Chriſtianus, ut non poſſit perire, etiamſi velit, quantumcunque malè vivat, niſi nolit credere*: Emphaticè de homine Chriſtiano dixit, ad veritatem Dei in promiſſionibus ſuis reſpiciens, ex quo per Spiritum ſanctificationis illum obſignavit.

Chriſtianus ut perire in peccatis nequeat. niſi nolit credere.

Nihil aliud ſibi his verbis voluit, quàm quod ait Apoſtolus: *Hominum infidelitas Dei fidem non reddet inanem*, Rom. 3. ℣. 3. Item: *Illi qui ceciderunt* (ſic enim vocaverat præcedente verſu) *ſi non permanſerint in infidelitate, inſerentur: potens enim Deus eſt rurſum eos inſerere*, Rom. 11. ℣. 23. Sic Heb. 3. & 4. Etſi excidit homo à Deo, quantum in ipſo eſt: *fieri tamen non poteſt, ut excidat ſermo Dei*, quem in corde illius obſignavit, ad Romanos cap. 9. verſu ſexto. Et 1. Theſſ. 5. verſu vigeſimo quarto: *Fidelis eſt, qui vocavit eum, qui etiam efficiet.* Tantumque abeſt, ut electi perire poſſint, ut ne ſeduci quidem finaliter queant. I. *Quia benedicti patris, quibus paratum eſt regnum ante jacta mundi fundamenta*, Math. 25. 34. II. *Quia voluntas Patris eſt, ne pereant dati filio*, Joh. 6. 39. III. *Quia virtute Dei cuſtodiuntur per fidem*. 1. Pet. 1. 5. Act. 13. 48 Phil. 1. ℣. 6. Quod autem videtur nonnulli deleri poſſe de libro vitæ ex loco Exod 32. 32. & Pſal. 69. Fallacia eſt figuræ dictionis. Eſt enim loquutio Moſis partim hyper-

Digitized by Google

ἔργων, & non ex operibus. Et Rom.3.38.& 4.ait: *χωρὶς ἔργων, abſque operibus*. Itaque ſatis ſolidè & diſertè *ſoli fidei* tribuit juſtificationem, qui operibus adimit. Idem confirmat particula *δωρεὰν gratis*, Rom.3.24.& alibi. Excludit enim hoc vocabulum omne meritum & demeritum ab eo, cui vel bene, vel male fit. Ut Pſal.35.19. *Oderunt me δωρεὰν immeritò*, id eſt, ſine ulla cauſſa odii à me profecta.

III. Apoſtolus Rom.10.3. pronunciat, propterea *Judæos non fuiſſe juſtitia Dei ſubjectos, quia propriam juſtitiam unà cum juſtitia fidei voluerunt ſtabilire*. Et Phil.3.8. aſſerit, ſe ut eſſet *ἄμεμπτος*, irreprehenſibilis in lege coram hominibus, omnia reputare veluti *σκύβαλα, ut eam juſtitiam, quæ eſt à Deo per fidem conſequatur*. Significans fieri non poſſe, ut fides & opera ſimul juſtitiæ partes aut cauſſæ ſtatuantur.

Johannes Piſtorius contra Hunnium.

IV. Neceſſitas vindicandi honorem Chriſti, & conſolandi afflictam conſcientiam in agone, requirit excluſivam particulã SOLA fide nos juſtificari. Nam etſi Papiſtæ ſentiant & credere ſe dicant, *nos fide juſtificari, & ſalutem per Chriſtum conſequi, imò Chriſti meritum ſolũ, ſolũ, ſolũ ſufficientiſſimum eſſe ad nos ſufficienter ac meritoriè juſtificandos & ſalvandos*: tamen opera ſua bona fallaciter & aſtutè fidei tanquam cum hac juſtificantia & ſalvantia connectunt, & ſub Chriſti ac meriti Chriſti nomine inſerunt atque venditant. Scribit enim Bellarminus: *Non ſola in Chriſtum fide juſtificamur coram Deo, ſed & aliis virtutibus ſeu actionibus piis, videlicet quatenus per eas ad juſtificationem præparamur, imò juſtitiam apud Deum ex con-*

Lib 1. de Juſt. c. 12.

gruo meremur. Adhæc fide ipſa tanquã opere nos juſtificari cum ſuis Papiſtis aſſerit, dicens: *Quum fide juſtificari dicimur, id abſolutè de ipſa fidei dignitate & merito, cujus vi fides ipſa nos ad juſtitiam præparat, adeoq́; etiam juſtificat: non autem relativè de* GRATIA *Dei, quam fides in Chriſto apprehendat & ſibi applicet, intelligendum eſt*. Dicunt item: *Opera hominum regeneratorum non ſunt ipſorum, ſed Chriſti, efficientis ea in regeneratis. Et quia opera Chriſti ſunt, idcirco ea ſalvant: non verò aliâ de cauſſâ*, &c. *c. 17.*

Excluſiva igitur particula SOLA FIDES JUSTIFICAT, excludit non cauſſas concurrentes, quæ extra nos ſunt, ſed ſui duntaxat generis & ordinis cauſſas intra nos, id eſt, non gratiã & miſericordiam Dei juſtificantis, nec meritum mortis Chriſti ſufficientiſſimum, quod nobis ad juſtitiam fide applicatum imputatur: SED noſtra tantùm & ſanctorũ opera ſive qualitates. Nam aſſertio juſtificationis per opera, Deum gloriâ ſuâ ſpoliat, & meritum Chriſti evacuat, teſtante Apoſtolo Rom.4.14. *Si ii, qui ex lege ſunt, hæredes ſunt, inanis facta eſt fides, & inanis reddita eſt promiſſio*, nempe Dei, pollicentis ſe ex mera gratia per Chriſtum Filium pro nobis mortuum nos juſtificaturũ, ſi eum fide apprehendamus. Quod ſic comprobatur: Quod ſacræ literæ diſertè exprimunt & conſtituunt proprium & unicum fidei juſtificantis objectum, in quo uno iſta occupatur, illud & non aliud pro ejus objecto habendum eſt. Atqui miſericordia Dei in Chriſto, ſive (quod idem hîc valet) promiſſio gratię, redemptio, ſatisfactio Chriſti eſt illud ipſum. Ergo miſericor-

 dia

Digitized by Google

dia Dei in Chriſto, ſive promiſſio gratiæ, redemptio, ſatisfactioque Chriſti eſt pro vero & unico fidei juſtificantis objecto habendum. MINOR enim Iſa. 53. Joh. 3. 16. Rom. 3. 24. Gal. 2. 3. Epheſ. 2. 8. 1. Tim. 1. 16. Tit. 3. 5. Luc. 1. 50. 72. 78. Jerem. 23. 6. Iſa. 53. 11. Hoc igitur objectum fidei juſtificantis, nempe promiſſionem gratiæ & miſericordiæ Dei in Chriſto, imò & ipſam Dei gratiam atque miſericordiam inanem reddit doctrina de juſtificatione operum, ac ſic Deum gloriâ ſpoliat. Chriſti verò etiam merito & honori eam detrahere, oſtendit Paulus, dicens: *Si per legem eſt juſtitia, igitur Chriſtus ſine cauſſa mortuus eſt.* Gal. 2. 21. Hinc quum *gloriatio* noſtra contra Dei gloriam & Chriſti ſufficiens meritum neceſſariò ex operum juſtitia & confidentia oriatur, ut Rom. 3. & 4. Apoſtolus ait: Ergo hæc *gloriatio per fidei legem excluditur,* dicente eodem Rom. 3. 2. & 22. *Nunc verò abſque lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, comprobata teſtimonio legis & Prophetarum. Juſtitia, inquam, Dei* PER FIDEM *Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt.* Et poſtea verſu 27. *Ubi igitur gloriatio? Excluſa eſt. Per quam Legem? operum? Non: imò per Legem* FIDEI. *Ac* ℣. 30. 31. *Siquidē unus Deus eſt, qui juſtificabit circumciſionem ex fide, & præputium ex fide. Legem igitur inanem reddimus per fidem? Abſit: imò Legem ſtabilimus.* Nam *finis* ſeu ſcopus, impletio & perfectio legis eſt, Chriſtus in juſtitiam omni credenti, Rom. 10. 4. *Et,* ut ait Ambroſius, *perfectionem Legis habet, qui credit in Chriſtum.*

Piè igitur & rectè *Sola fides* juſtificare dicitur, quia ipſa unicum eſt inſtrumentum & unica facultas in nobis qua recipimus juſtitiam Chriſti & Dei Patris miſericordiam atque gratiam, Deique & Chriſti Filii gloriam vindicamus. Et ut *efficientis* cauſſæ reſpectu ſolus Deus juſtificat, non Fides: ita *meritoria* ſola obedientia Filii juſtificat, ſed *inſtrumētalis* reſpectu, SOLA FIDES.

Quòd autem Paulus Rom. 3. 28. & 15. 6. addit χωρὶς ἔργων νόμου, *abſque operibus Legis* nos juſtificari: non facit, ut ea adeſſe negetur, ſed ut cauſſa juſtificationis eſſe inficietur.

Opera omnia fide à juſtificatione excluduntur.

Nec excludit per fidem in juſtificationis actu ſolùm CEREMONIALIA, ut volunt Papiſtæ, ſed & MORALIA opera. Hoc planum eſt ex hiſce dictis, quæ ad ſentētiæ ſuæ probationem Apoſtolus Paulus adducit, affirmans: *Ex operibus Legis nulla caro juſtificabitur,* Rom. 3. 20. *quoniam per Legē cognitio peccati,* Et 4. cap. ℣ 15. *Lex iram operatur.* Quæ de totâ lege, nimirum ceremoniali, Morali & Forenſi aſſeruntur.

2. *Ex patribus*

Quare doctrina Euangelicorum, *Solam fidē nos juſtificare,* cōſenſu ſanctorum Patrum quoque confirmatur. Nā NAZIANZENUS in orat. de Bono ordine & GENNADIUS Pauli interpres inquit: Δικαιοσύνη γὰρ καὶ τὸ πιστεῦσαι μόνον, *Juſtitia eſt credere ſolummodò.* Vel *juſtitia in* SOLA FIDE *conſiſtit.* Et AMBROSIUS; *Juſtificati ſunt,* inquit, *gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes* SOLA FIDE *juſtificati ſunt.* In 3. cap. ad Rom.

In Math. 8.

HILARIUS: *Movet Scribas,* inquit, *remiſſum ab homine peccatum. Hominem enim tantum in Jeſu Chriſto contuebantur, & remiſſum ab eo, quod Lex laxare non poterat.* FIDES *enim* SOLA *juſtificat.*

Hie-

Digitized by Google

In epiſt. ad Rom. 3. Hieronymus: *Convertentem impium* PER SOLAM FIDEM *juſtificat Deus non opera bona, quæ non habuit.*

Lib. 4. in Levit. c. 14. HESYCHIUS: *Gratia verò*, inquit, *ex miſericordia* FIDE *comprehenditur* SOLA, *& non ex operibus.*

Nec feriatur CHRYSOSTOMUS ſed ſuffragans iſti: *Illi* (nempe Galatæ) inquit, *dicebant, qui* SOLA FIDE *nititur execrabilis eſt. hic* (Paulus) *contra demonſtrat, qui* SOLA FIDE *nititur, eum benedictum eſſe.* In 1. cap. ad Galatas.

In 4. c. ad Rom. Iterum AMBROSIUS: *Quomodo ergo*, ait, *Judæi per opera legis ſe juſtificari putant juſtificatione Abrahæ, quum videant Abraham non ex operibus legis, ſed* SOLA FIDE *juſtificatum. Non ergo opus eſt lege*, videlicet ad juſtificationem, *quando impius* PER SOLAM FIDEM *juſtificatur apud Deum.*

In 1. Cor. 1. Et alibi: *Hoc conſtitutum eſt à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere,* SOLA FIDE *gratis accipiens remiſſionem peccatorum.*

Rurſus in Epiſtola ad Rom. 5. *Manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nullo ab his requiſito pœnitentiæ opere, niſi* TANTUM UT CREDANT.

In Pſal. 88. Neque diſſidet ab illis AUGUSTINUS, ſed conjungens illis ſuam ſententiam: *Quia*, inquit, SOLA FIDES *Chriſti mundat, non credentes in Chriſtum ſoluti ſunt ab emundatione.*

Et habet is multa ſimilia, ſed inprimis ſerm. 60. de verbis Apoſtoli: *Medicina*, inquit, *animæ omnium vulnerum, &* UNA *propitiatio pro delictis omnium eſt,* CREDERE in Chriſto. Ubi nota, Theologos Lovanienſes in ſua editione hìc pro *omnium* poſuiſſe *hominum.*

In 3. cap. Epiſt. ad Rom. ORIGENES: *Arbitramur*, inquit, *juſtificari hominem per* FIDEM *ſine operibus legis.* Et dicit ſufficere SOLIUS FIDEI *juſtificationem: ita ut* CREDENS *quis* TANTUMMODO *juſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum. Imminet ergo nobis, qui integram eſſe Scripturam Apoſtoli conamur aſſerere & ordine ſuo cuncta conſtare, ut requiramus, quis ſine operibus* SOLA FIDE *juſtificatus ſit? Quantum igitur ad exemplum pertinet, ſufficere arbitror illum latronem qui cum Chriſto crucifixus, clamavit ei de cruce: Domine Jeſu, memento mei, quum veneris in regnum tuum. Nec aliud quicquam deſcribitur operis ejus in Euangelio: ſed pro hac* SOLA FIDE *ait ei Jeſus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* *Luc. 23. 43.* Et paulò poſt: *Per* FIDEM *juſtificatus eſt hic latro,* SINE *operibus legis,* (ergo ſolâ fide) *quia ſuper hoc Dominus non requiſivit, quid prius operatus eſſet, nec expectavit, quid operis, quum credidiſſet, expleret: ſed* SOLA *confeſſione* (quam fidei eſſe ex Heb. 10. ỽ. 23. & Rom. 10. 9. probatur) *juſtificatum, comitémque ſibi Paradiſum ingreſſuro aſſumpſit.*

In orat. de Humilitate. BASILIUS: *Hæc eſt*, inquit, *perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque propter juſtitiam ſuam aliquis effertur, ſed intelligit, ſe indigere verâ juſtitiâ,* FIDE *autem* SOLA *in Chriſtum juſtificari.*

Quæ ſanctiſſimorum Patrum teſtimonia meritò omnium Pontificiorũ contrariæ ſententiæ anteponimus, quum ſacris literis præclarè congruãt. Nam imitantur S. AUGUSTINUM, qui: *Epiſt. 19.* *Ego*, inquit, *ſolis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, hunc timorem & honorem deferre didici, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam.* ALIOS *autem ita lego, ut quamlibet*

 ſancti-

Digitized by Google

ſanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à veritate nō abhorreat, perſuadere potuerunt.

3. Ex conſenſu Pontificiorum quorundā Theologorum.

Pro eadem noſtra de ſola fide juſtificante doctrinâ non quidem multi ex profeſſis Pontificiis ſtant atque pugnant, at quos ſocios in ea habemus, ii tum pietatis præſtantiâ & ardore, tum doctrinæ atque nominis claritate recentiores multis paraſangis antecedunt. Annon enim talis eſt S. BERNHARDUS? Is ergo ſermone 22. in Cantica ait: *Quamobrem quiſquis pro peccatis compunctus eſurit, & ſitit juſtitiam,* CREDAT IN TE, *qui juſtificas impium, &* SOLAM *juſtificatus per* FIDEM, *pacem habebit apud Deum.* Quæ verba GEORGIUS CASSANDER ſummæ auctoritatis Theologus Pontificius ſub Cæſare Ferdinando & Maximiliano II. in ſua conſultatione profert, ac rectè à ſancto Bernhardo dicta affirmat, ipſe quoque juſtificationem, quæ eſt poſt regenerationem, SOLA FIDE conſtare docens.

In 3. ad Gal.

HAYMO eis ſubſcribens: *Lex ergo,* ait, *non complebatur fide magis quàm operibus, quia* SOLA FIDES *ſalvat.*

De Pœnit. Diſt. 2. Charitas eſt quâ, &c.

Eiſdem aſtipulatur GRATIANUS ex Auguſtino inter alia adducens. *Quòd ſi charitas à* FIDE *Chriſtianorum ſejungi nequit, cui* (ſcilicet fidei) SOLA VENIA *promittitur, quomodo qui charitatem non habuerit, fidem Chriſtianorum habuit, id eſt, in Chriſtum credidit.* Et mox *Hoc eſt enim manducare panem vivum, quod* CREDERE *in Chriſtum, id eſt, amando tendere in ipſum. Quum ergo reprobus in eum non credit, quem non manducavit, & ita* FIDEM *Chriſtianorum* (QUA SOLA PECCATA RELAXANTUR) *non habuit, quomodo ſi vivit Dominus, cui omne judicium dedit Pater, judicium perpetuæ damnationis effugiet.*

THOMAS AQUINAS, lectione 3. ex 1. Tim. 1. ad locum Rom 7. 7. ubi loquitur Apoſtolus, *Data eſt Lex, ut cognoſcamus peccatum,* addit: *Non ergo in eis* (ſc. operibus Legis) *ſpes juſtificationis, ſed in* SOLA FIDE, Rom 3. 28. *Arbitramur hominem juſtificari fide ſine operibus legis.*

Et ſuperioribus teſtimoniis affine atque æquipollens eſt, quod S. BERNARDUS Serm. 23. in Cantica ait: *Sufficit mihi ad omnem juſtitiam,* SOLUM *habere propitium, cui* SOLI *peccavi. Omne quod mihi ipſe non imputare decreverit, ſic eſt quaſi non fuerit.*

Poſt quæ *Bellarmini* ingenua confeſſio non eſt prætereunda, quam tandem de Juſt. f. lib. 5. cap. 7. aliis ſuis ac ſuorum erroribus ſic inſerit orthodoxè & verè Catholicè. *Propter incertitudinem propriæ juſtitiæ & periculum inanis gloriæ tutiſſimum eſt, fiduciam totam* IN SOLA DEI MISERICORDIA *& benignitate reponere:*

De operum juſtificatione Jacobus cap 2. ꝟ 14. 15 24. cum Paulo conciliatur.

Adde etiam, quòd nuſquam *apertè* ſcriptum eſt, *nos ex noſtris operibus* (quatenus noſtra & meritoria finguntur) *coram Deo juſtificari*, niſi quod Jacob. 2. 24. 25. & deinceps. propter eos, qui fidei titulo abutebantur, per *Metalepſin* quandam vel potiùs *Metonymiam effecti*, quâ opera bona tanquam effecta pro fide, cauſſâ videlicet ſua efficienti nominantur, operibus id tribuitur, quod fidei operanti per charitatem (ut Paulus Gal. 5 6. eam vocat) proprium eſt. Nam contrà ſæpiſſimè dicitur, [a] *non ex ope-*

[a] Rom 3. 20

Digitized by Google

Gal 2.16. Epheſ.2.9. 2.Tim.1. 9. b Rom.3 22 26. 27. 28. 30.31. Rom.4.3. 5. 15 16. Rom.5 1. Joh.3.15.16. & 20.31. Rom 10.10. Gal 3. 11. Epheſ.2.8.

operibus, ſed [b] *ex fide*: Item, non *niſi ex fide ſeu per fidem*, nos juſtificari; Item, *quicunque crediderit in Chriſtum, juſtum & ſalvum futurum*, &c. Æquum verò eſt, ut unus aliquis obſcurior locus Scripturæ ad tam multos apertos exigatur, non tam multi aperti ad unum.

Nec aliud quàm plumbeum eſt Pontificiorum telum, quod in nos ſic conjiciunt: Jacobus & Scriptura ſæpe operibus tribuit regnum Dei, juſtificationem & vitam æternam. Ergo bona opera ſunt cauſſa juſtificationis ſalutis & regni Dei potiundi propria & vera. Nam *antecedens* agnoſcimus, & ut divinum oraculũ amplectimur. *Conſequens* verò, ut putidum Pontificiorũ Phariſæorum & Pelagianorũ (de quibus copioſè lib. 2. infra) commentum rejicimus. Nam in eo vox *Operum* aliter ac in antecedẽte accipitur. In antecendente Metonymicè pro fide viva & efficaci, de quâ Habac. 2.4. Rom. 1.17. Gal. 2.16.17.18. & 5 6. In Conſequenti propriè. Unde evidentiſſimum eſt, Pontificios æquivocationis fallacia Scripturam depravare, Eccleſiæque Dei imponere.

Fidem ſolitariam Euangelicos non habere neque fingere.

Ridiculus adhæc & contumelioſus eſt BELLARMINUS, qui Lib. 1. de juſtific. cap. 6. pag 209. crepat. *Neſciunt Lutherani, quid ſit fides.* Qui ſic? *Quia eam habent pro ſingulari, & à dilectione & ſpe ſeparata virtute. Et tamen dicunt, non quamvis, ſed veram & vivam fidem juſtificare. Quia nihil vivit ſine dilectione*, 1. Johan. 3. RESPONDEMUS 1. Imò probiſſimè ſcimus quid ſit fides. *Eſt enim* nempe fides juſtificans *gratia Dei per Chriſtum redẽptorẽ in promiſſione Euangelii fiducialis apprehenſio operibus bonis viva & vigens, ſed ſola ſalvant*. Id quod ſuperioribus comprobavimus. 2. Non ſeparamus fidem à dilectione & ſpe, ut etiam non ab operibus bonis, ſed tamẽ ab iis diſtinguimus. Diſtinctam igitur fidem aſſerimus à dilectione vel charitate & ſpe, at non ſeparatam. Quod ipſe tandem agnoſcit lib. 1. de juſt. c. 6. pag. 215. 3. Vitam verò fidei ſtatuimus non charitatem ſeu dilectionem noſtram (ἀδύνατον enim & impoſſibile: perinde ac ſi diceres: Hominem mortuum ſe movere, ut vivat) ſed CHRISTUM, Gal. 2. ℣ 20. & Philip. 1. ℣ 21. Illic enim Apoſtolus: *Vivo autem non amplius ego*, inquit, *ſed vivit in me Chriſtus, Et vitam quam nunc vivo, per fidem in carne vivo, Filii Dei, qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Iſtic verò *Mihi*, inquit, *Chriſtus eſt vita, & mors lucrum.* 4. Dilectionem interim & ſpem dicimus eſſe fidei effectus: ac proinde ex dilectione & ſpe agnoſcitur viva fides ſicut ex reſpiratione & motu cognoſcitur vivus homo, Jac. 2. ℣. ultimo. Sic enim S. Johannes 1. Epiſt. 3. 14. *Nos ſcimus*, inquit, *quòd tranſlati ſumus ex morte ad vitam* (nempe per Chriſtum Epheſ. 2. 5. 6. 8. fide apprehenſum) *quia diligimus fratres*. Et Heb. 3. ℣ 6. *Domus ſumus Chriſti Filii Dei, ſi fiduciam & ſpem illam, de qua gloriamur, ad finem uſque firmam retinuerimus.* Et Heb. 6. 19. ſpes *anchora animæ*, ac 1 Theſ. 5. 8. *galea ſalutis* dicitur.

Ut igitur συλληπτικῶς & ſummatim dicam, ſentimus & aſſeveramus ſecundùm ſacram Scripturam, hominem peccatorem, quam primum verè credit ac reſipiſcit, coram Deo gratis juſtificari *ſolâ fide* in Chriſtum, abſque ullo vel operum vel fidei merito, &c.

Sed

Sed quum *ſolam fidem* dicimus, non inanem, aut bonis operibus vacuam intelligimus: verùm tantummodò operibus noſtris, ſive operum noſtrorum meritis eandem opponimus. Hoc eſt, eatenus ſolam intelligimus, quatenus ipſa in ſolam Dei gratiam & Chriſti λύτρον ac ſatisfactionem recumbit, eoque operum noſtrorum meritum, & propriam dignitatem in actu juſtificationis penitus excludit. Ut enim oculus ſolus videt, auris ſola audit, etſi ſola non ſunt: ſic & *ſola fides* juſtificat, etſi ſola non eſt, ſed aliis virtutibus inſtructa & comitata. Quæ Adverſarii contra regerunt, Conradus Vorſtius in Antibellarmino à pagina 595. uſque ad 600. & Balthaſ. Menzerus contra Piſtorium in diſput. de juſtific. diluerunt, ut & alii noſtrorum paſſim in ſuis ſcriptis.

Lib. 1. de Juſt. c. 12. Adhæc idem Bellarminus quidem cum aliis Papicolis rurſus hanc Euangelicorum doctrinam oppugnat, dicens: *Nos ſolâ fide juſtificari coram Deo, eſt opinio paradoxa.* Et Maldonatus: *Eſt*, inquit, *omnium hæreſium ſeminarium.* Ac Fevardentius commentariorum in Jacobi caput 2. dicit: *Eſt juſtitia fictitia & imaginaria.* Sed contra hanc eſſe orthodoxam ſententiam, & ad ſalutem neceſſariam, alii viri Pontificii, licet Proteſtantium Adverſarii graviſſimi, & doctrinâ inſignes, libellis ſuis publicis, ac etiam verbis in comitiis celeberrimis conſtanter aſſeverarunt. Ut *Pigbius* Vega teſte lib. 7. de juſtificatione cap. 21. Et *Colonienſes Canonici*, Ibidem. cap. 21. Quinetiam *Auctores* libelli oblati à Cæſare collocutoribus Proteſtantibus in comitiis Ratiſbonenſibus dicunt: *Tantùm per imputationem juſtitia Chriſti, quatenus fides noſtra apprehendit miſericordiam atque juſtitiam Chriſti, propter meritum Chriſti, nos juſtificari coram Deo.* Ut prætera Caſſandri, Stapulenſis, Peraldi, Joh. Feri, & aliorum Romanæ Eccleſiæ alumnorum verba, quibus omnes ad eandem Euangelicorum doctrinam, tanquam unicam animarum anchoram, totis viribus adhæreſcunt. Quare dicta Lutheri; *Homines cum Deo convenire non poſſe, niſi per fidem, operáque illum nihil curare. Et tam divitem eſſe Chriſtianum, ut non poſſit perire, quantumcunque malè vivat, niſi nolit credere*: Tale tamé; eſt apud veros & ſaniores Chriſtianos axioma ac decretum Theologicum, ut talem ſenſum habeat. Nos opera juſtificationem præcedentia, in actu juſtificationis, id eſt, remiſſionis peccatorum, non ita curare oportere, ut vel ſi bona fuerint, gratiam ac vitam æternam mereantur, vel ſi mala, ſuperabundanti nos gratiâ privent. Nam Rom. 6. 23. *Stipendia peccati*, inquit Apoſtolus, *eſt mors. Donum autem Dei eſt vita æterna per Chriſtum* JESUM *Dominum noſtrum.* Et antea cap. 3. ℣. 28. fide apprehendi ſola tam gratiam quàm vitam æternam, hoc eſt, juſtificationem totam, ſic probavit: *Colligimus igitur*, FIDE *juſtificari hominem abſque operibus legis*; ergo ſola fide. De malis autem operibus verè credentis gratiam & juſtificationem non auferentibus, fusè agit idem Apoſtolus ad Rom. 5. ℣. 14. 15. 16. 17. 18. 19. ac tandem ℣. 20. 21. concludit: *Lex verò præterea introiit, ut augeretur offenſa. Sed ubi auctum eſt peccatum, ibi ſuperabundavit* GRATIA. *Ut quemadmodum regnaverat peccatum in mortem*

Maldonatus Comment in Math. 19.

Digitized by Google

mortem, ita etiam GRATIA *regnaret per juſtitiam in vitā æternā Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Sic ipſe Lutherus ſe explicat lectione in feriis Johan. Euangeliſtæ, & Calend. Januarii ex epiſt. Gal. 3. ad lect. 1. in cap. Dominicæ Quadrageſ.

II. Euangelici ab Eunomii hæreſi immunes.

Hinc ad Eunomii hæreſin, quod attinet, qui credentibus impunitatem ſcelerum promiſit, minori difficultate ob inſtitutionem antea allatam reſpondemus. Accuſatio Pontificiorum atrox eſt. Nam ut iſtic Bellarminus, Stapletonus, aliique, ſic in Enchiridio ſuo Franciſcus COSTERUS tract. de Eccleſia cap. 4. ait: *Non eſt diffitendum à novis ſectariis ſemper aliquos errores ſuſcitari. Quod non obſcurè in noſtris locum habet, qui ab Aërio & Eunomio doctrinam ſuam de ſola fide mutuati ſunt.* Et rurſus Stapletonus: *Fidem intelligunt, qua caret omni bono affectu charitatis.* Ac Vega lib. 11. cap. 22. *Nec præter fidem requirunt rectam & novam mentem.*

De doct. princip. l. 8. c. 35.

De hæreſ. cap. 54.

Reſpondemus: Sed iſtius veteris hæreſis mentē Auguſtinus clariùs exprimit, dicens: *Fertur uſque adeò Eunomius fuiſſe bonis moribus inimicus, ut aſſeveraret, quod nihil cuiquam obeſſet, quorumlibet perpetratio & perſeverantia peccatorum, ſi hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet.* Eane noſtra eſt doctrina? Nóſne tale aliquid affirmamus? Mera calumnia eſt. Quin nos dicimus, opera (ut paulò ante explicatum) eſſe neceſſaria ut fidē teſtentur, exornent atque expleant. Docemus omnibus fidelibus eſſe *piè, juſtè & moderatè vivendum, quia dedit ſemetipſum pro nobis Filius Dei, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibiipſi populum peculiarem, ſtudioſum*

1. Pet. 1. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Tit 2. 10. 11

bonorum operum. Itaque operum honeſtatem à vera fide non magis divelli ac ſeparari, quàm à ſole lucem, imò Calvinus *Sola*, inquit, *fides eſt, quæ juſtificat. Fides tamen quæ juſtificat, non eſt ſola. Sicut calor ſolis ſolus eſt, qui terram calefacit, ipſe tamē calor nō eſt ſolus in ſole, ſed cū ſplendore.*

In Antid. Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 11.

Idem demonſtrāt Eccleſiarum noſtrarum Confeſſiones, Catechiſmi, conciones, ac monumenta Theologica omnia. Execramur ergo illam Eunomii opinionem, licere cuique vivere ut vult, & fidem cum quibuſlibet peccatis ſtare poſſe, etſi homo in illis perſeveret. Apage cum hac doctrina. Nequaquam Euangelica noſtra fides impunitatem & perſeverātiam in malis operibus approbat. Nequaquam non curat bona opera. Nequaquam pœnitētiam, mentem novam ac piam, cæteraſque virtutes excludit.

Quóq; minùs de tali noſtra fide ambigi poſſit, iſtis Papiſtarum rabulis fidem hæreſi Eunominianâ contaminatam nobis imputantibus, alios Papiſtas nos ab iſtac naviter vindicantes opponimus. Maldonatus: *Dicunt ſanè*, inquit, *Proteſtantes fidem juſtificantem* NON POSSE ESSE SINE BONIS OPERIBUS. Et acerrimus Lutheri Antagoniſta Roffenſis: *Statuamus igitur*, inquit, *tertium; Fides, quæ juſtificat, ferax eſt bonorum operum, Gal. 5. 6. Nec verò inficior, quin fides abſq; partu bonorū operum, hoc eſt, quum opera nondū peperit, poſſit juſtificare; at jam operum gravida eſt, & paritura eſt, quum occaſio fuerit.* VEGA: *Juſtificationem & ſanctificationem tam conjunctas, tamq; cohærentes eſſe aſſeverant, ut* NON POSSIT *alterum ab altero* DIVELLI. *Etiam tu Calvine pœnitentiam in*

Comment. in Joh. 3. 15.

Act. 1. adverſ. Luth.

Lib. 15 de Juſt. c. 5.

Digitized by Google

peccatoribus requiris,ut juſtificentur. STAPLETONUS ſeipſum confodiens: *Omnes*, inquit, *Proteſtantes ad unum dicunt, fidem, qua juſtificat, eſſe* VIVAM *& operantem per* CHARITATEM, *aliaque opera*. Quid Bellarminus tãdem? [a] *Confeſſio Auguſtana*, inquit, *per ſolam fidem* NON EXCLUDIT ALIAS VIRTUTES *ſed meritum ipſarum*. Et alibi: [b] *Negamus,inquiunt Proteſtantes,fidem* POSSE *cum malis operibus* CONSISTERE. *Nam qui habet propoſitum peccandi,fidem remiſſionis peccatorum concipere nullam poſſit*. Item: [c] *Dicunt* FIDEM SOLAM *juſtificare,ſed eam* NON ESSE SOLAM. Adhæc: [d] *Non negabunt*,inquit,*in juſtificato requiri* FIDEM ET PŒNITENTIAM. Denique: [e] *Tametſi dicunt, remiſſionem peccatorum non pendere ex conditione operum,neque fidem aut pœnitentiam, aut ullum actum noſtrum eſſe cauſſam aut meritum juſtificationis: tamen non negant requiri fidem & pœnitentiam, etiam* FIDEM VIVAM *& pœnitentiam ſeriam, & ſine his neminem juſtificari*. Bellarm.de juſtif. [a] lib.4. cap.1. [b] lib.1.cap.14. [c] lib.4.capite 1. [d] lib.3.cap.6. [e] lib.2.cap.6.

Nec ſanè aliter,quam extra controverſiã apud Euangelicos noſtros habētur, quæ *pro vera neceſſitate vera in Chriſtum fidei,item pœnitentiæ & bonorum operum*, veraque libertate Chriſtianâ, & vera differentia veteris ac novi Teſtamenti contra Antinomos & ſimiles alios à Bellarmino lib.1. & 4. de Juſtificatione differuntur. Item quæ de liberali mercede ſeu remuneratione pietatis noſtræ,tum in hoc tum in futuro ſeculo à Deo nobis promiſſa lib.5.paſſim traduntur. Imò & illa,*quæ* lib.1. & 2. & 3. (ſi commodè explicentur) *contra ſolius fidei,id eſt,ejus quæ* SOLITARIA *& reipſa à bonis operibus ſejuncta vel ſeparata eſt,juſtificationem: deq; neceſſitate,veritate, mutabilitate & inæqualitate juſtitiæ inhærentis,in medium adducuntur*. Etſi enim Euangelicorum quidam prçſertim circa initia Reformationis & horum certaminum, quum ſcoriæ Papatus nondum plenè defœcatæ erant, quaſdam hujus loci quæſtiones, maximè quæ ſunt *de formula juſtificationis*, non ſatis commodè explicarunt: & nunc quoque *de juſtitia Chriſti imputatione,deq; certitudine finalis perſeverantiæ, &c.* nonnulla inter quoſdam controverſia viget: OMNES tamen in eo conſentiunt, *juſtificari nos coram Deo gratis,abſque meritis noſtrorum operum per* SOLAM *quidem, ſed tamen vivam & veram fidem in Chriſtum: quæ videlicet miſericordiam Dei in Chriſto nobis peccata condonantem ita apprehendat, ut ſimul etiam per charitatem efficax ſit,hoc eſt,bona opera,tanquam neceſſarios & bonos fructus,ex ſeſe pariat & edat*.

Res igitur jam in confeſſo eſt, Euangelicos hodiernos,quum fidem vivam à mortua, pœnitentiam à peccatis ſeriam,à perſeverãtia in peccatis,ſanctificationem ab impietate, JESUM Salvatorem ab impoſto.e Simone Mago & Eunomio diſtinguunt, non poſſe hæreſeos Simonianæ atque Eunomianæ reos ullo modo eſſe,ac verè dici.

Addimus majoris expoſitionis gratia: *Sunt opera bona neceſſarii & inſeparabiles fidei effectus*. Sed dicimus tamen: *Si quis actum fidei habeat,ei peccata non nocere* id quidem Lutherus affirmat: id nos omnes aimus. Sed fallunt nos Adverſarii per ὁμωνυμίαν. Nam illi actum fidei,ſcientiam tantum religionis & cognitio- *Ut peccata non noceant fidelib.*

gnitionem dogmatum, fidemque hiſtoricam intelligunt: Nos autem Fidem veram & fidei πληροφορίαν intelligimus, illam nimirum, de qua Propheta & Apoſtolus: *Juſtus ex ſua fide ſua vivet.* Et dicimus, quantumvis aliquis peccator maximus & flagitioſiſſimus & turpiſſimus fuerit: tamen ſi credit in Chriſti meritum, fideque concipit ac apprehendit perfectiſſimam ejus miſericordiam & juſtitiam, remiſſa ei eſſe peccata omnia, adeò ut ei non noceant: quod Scriptura docet Pſal. 32. 1.2.3.5. Iſa. 53.5. 1. Cor. 15.3. Johan. 5.24. & 6.29.35.40.47. & 7.38.39. & 11.25. 26. Actor. 10.43. Rom. 1.16 17. & 3 22. 24.25.26.27. & 4.13.16.18.19.22.23.24. 25. & 5.1.9.10. & 7.24. & 8.1.31.32.33. & 10.4.6.9:10. Gal. 2.16. & 3.22. Heb. 9.1. 1. Pet. 2.24. 1. Johan. 1.7. & c. 2. 2. Exempla habemus in Abrahamo Geneſ. 12 13. Moſe & Aarone Numeri 20. Noa Geneſ. 9. Lotho Gen. 19. Davide 1. Sam. 12. Ezechia Iſa. 30 31. Apoſtolis Math. 28, 20. Luc. 22. Petro Math. 26 11. Act. 7. Paulo Act. 9. 1. Tim. 1.16. 17. Johan. 21.15.16. &c. totumque populum Iſraëliticum in lib. Judicum, Regum, Prophetis.

Habac. 2. 4. Rom. 1. 17.

Quod ergo Simonianos & Eunomios ac hodiernos Euangelicos inter ſe Papiſtæ committunt, Mæſonica dicteria ſunt, non collationes modeſtæ, quæ Chriſtianos decent. Eoque magis ac certiùs, quòd in Simonianorum & Eunomianorũ opinionibus partim eſt homonymia in vocabulo fidei (uti dictum) quo antiqui illi hæretici abuſi ſunt, partim principii petitio in eo, quod fides ſalvifica dicitur à vera pietate ſeparari, aut cum veris flagitiis cõjungi poſſe: à quibus portentoſis opinionibus toti ex interiore pectore abhorremus. Quæ cum ita ſe habeant, dum vos Pontificii tam execrandos de fide hæreſes Euangelicis ſine fide falsò affingitis, in ſtudio veſtro tribuẽdi alias quoq; hæreſes Euangelicis, atq; adeò in calumniis veſtris reliquis profectò fidem nullam poſcere, aut expectare debent.

Concludimus ergo hoc caput verbis Confeſſionis noſtræ fidei publicæ, qua artic. 16. de Fide & bonis operibus profitemur: *Interim, quod & antea dictum eſt, non ſentimus per bona opera nos ſervari, illaq; ad ſalutem ita eſſe neceſſaria, ut abſque illis nemo unquam ſit ſervatus. Gratiâ enim ſoliusq; Chriſti beneficio ſervamur. Opera neceſſariò ex fide progignuntur. Ac impropriè his ſalus attribuitur: quæ propriiſſimè aſcribitur gratia. Notiſſima eſt enim illa Apoſtoli ſententia:* Si per gratiam, jam non ex operibus: quandoquidem gratia jam nõ eſt gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratia: quandoquidem jam opus, non eſt opus. *Rom. 11.*

CAP. III.

Florini hæreſin de cauſſa peccati Papiſtas abſque ratione Euangelicis tribuere.

1\. Sed quia ſemel, qui verecundiæ fines tranſiliit (ut inquit Orator) eum gnaviter impudentem eſſe oportet, progrediuntur Pontificii ad antiquam hæreſin *Florini*, quam Euangelicis affricare conantur. Nos irritum eſſe omnem hunc conatum docebimus.

Florini hæreſi Euangelicos carere.

Secunda hæreſis, inquit Bellarminus, *eſt Florini, quæ eadem Simonis Magi, Marcionis*

Lib. 4. de Eccl. milit. cap. 9.

Digitized by Google

tonis & Manichaeorum fuit: Deum eſſe autorem peccati: Sic Calvinus, ſic Lutherus, ſic Martyr, ſic Melanchthon docuit. Idem illis tribuunt Fevardentius Comment. in Jacob. 1. Campianus ratione petitæ à ſe diſputationis publicæ in Anglia octava. Ac Gab. Vaſquez Jeſuita ceu furibundus: *Pudeat*, inquit, *Calvinum & Melanchthonem, aliosq́, hujus temporis hæreticos qui Deum Opt. Max. auctorem peccati & culpæ pronunciant.* Et *hoc ſine ullo pudore docet Calvinus inſtit. lib. 1. cap. 18.* ait Bellarminus loco, ut ſuprà. Idem de amiſs. gratiæ & ſtatu peccati, lib. 2. cap. 1. ac per totum 2. & 3. lib. noſtris impingit.

In 2 parte Thomæ. diſp. 129. 2.

Deum peccati cauſſã ab Euangelicis non ſtatui.

Reſpondemus: Vos potiùs pudeat hujus tam impudentis veſtræ calumniæ. Agnoſcimus quidem Florinum iſta docuiſſe, & Irenæum apud Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 20. dicere, *eſſe plus quàm hæreſin.* Quam etiam tribuit Vincentius Lyrinenſis in commonitorio *Simoni Mago.* Eandem verò Euangelicos hodie tenere & docere, impiam eſſe calumniam profitemur. Nos illam ſententiam execramur, Deum eſſe cujuſquam peccati cauſſam: & cum Irenæo dicimus, eam eſſe quàvis hæreſi majorem & deteriorem.

Nuſpiam enim tam illi Doctores noſtri præſtantiſſimi & ὀρθοδοξώτατοι, quàm ulli alii noſtratium docuerunt & ſenſerunt, aut docent ac ſentiunt, Deum eſſe effectorem, vel auctorem & cauſſam efficientem peccati. Hæc enim è ſacris Scripturis & optimè intelligimus, & firmiſſimè credimus, & rectiſſimè interpretamur: *Vidit Deus, quæ fecerat, & erãt valdè bona*, Pſalm. 5. ✝. 5. *Quia non Deus volens iniquitatem es tu, non habitabit juxta te malignus: perdes loquentes mendacium.* Deut. 16. 22. *Neque eriges tibi ſtatuam, id quod odit Dominus Deus tuus.* Deut. 18. 12. *Abominatio enim Jehovæ eſt quicunque facit hæc abominanda.* Jacobi. 1. 13. *Nemo quum tentatur, dicat ſe à Deo tentari; Nam Deus tentari malis non poteſt, nec quẽquam tentat.* Eccleſ. 15 ✝. 11. *Ne dicas, defeci impulſu Domini, nam quæ ille odit, tu non debes facere. Ne dicas, ipſe me induxit in errorem.*

Gen. 1. 31.

Docemus autem & credimus, peccati cauſſam efficientem per ſe & propriam eſſe voluntatem diaboli & hominum, qua liberè illi à Deò defecerunt, & ſe imagine Dei ſpoliarunt: id quod principium primò per ſe, proximum atque ſingulare eſt peccati. Chriſtus enim Joh. 8. 44 *Vos ex patre diabolo eſtis, & cupiditates patris veſtri vultis explere. Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perſtitit; non eſt n. veritas in eo.* Rom. 5, 12. *Per unum hominem peccatum in mundũ introiit, ac per peccatum mors.* 1. Joh. 2. 1. *Quicquid eſt in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum, & faſtus vitæ, non eſt ex patre: ſed ex mundo eſt.* Et cap. 3 ✝. 8. *Qui committit peccatũ, ex Diabolo eſt, quoniam inde à principio diabolus peccat.*

Si igitur ipſe reus Calvinus in medium prodit, non Deum auctorem peccati ſtatuit, *ſed diabolum & hominem peccatorem*, juxta illa ſacræ Scripturæ teſtimonia. Ac licet Dei voluntatem & operationem intervenire dicat: tamẽ ab hæreſi Florini, quæ eadem Simonis Magi, Marcionis & Manichæorum fuit, alieniſſimus, non ſequi probat, ut ideo Deus peccati auctor ſit. Exempli gratia. *Jacobus, ait, peccatorum Auctorem* MERITO DEUM ESSE NEGAT. *admonitio neceſſaria*, NE *nos Deum loco noſtro*

Comment. in Jacob. 1. & in Pſal.

ſub

ſubſtituamus, ac ſi nos ipſe ad peccandum impelleret. Summa eſt fruſtra tergiverſari homines, qui vitiorum ſuorum culpam rejiciunt in Deum, quia non ex alio fonte proveniunt mala, quam Ex Mala *cujusque cordis* Concupiscentia. Hæc Calvinus. Idem in loco ab adverſariis objecto. *Flagitiorum cauſſa*, inquit, Extra humanam *voluntatem quærenda* Non *eſt, ex qua mali radix aſſurgit, & in qua peccatum reſidet.* Et *Deum eſſe Auctorem peccati* plus centies diſertè alibi ſimiliter negat.

Negat autem etiam ſequi, Deum eſſe peccati Auctorem, etiam ſi in peccatoribus & impiis agat. Nam *Deus*, inquit, *tentat neminem Loquitur de internis tentationibus, quæ nihil aliud ſunt, quàm inordinati appetitus illorum* Auctorem Deum Esse Negat *quoniam ex carnis noſtra corruptione manant. Verùm tota Scriptura doctrina huic ſententia reclamare videtur, qua tradit Deum homines excæcare, in reprobum ſenſum tradere, in pravas & fœdas cupiditates conjicere.* Reſpondeo. *Sic quidem Scriptura loquitur, an quia Dominus eorum corda depravet, atque corrumpat?* Minime. *Ideo enim ſubjicitur, tradidit eos pravis ſuis deſideriis, quia cor eorum jam corruptum & vitioſum erat. Deus tradendo tantum peccata ulciſcitur, atque ita ſe res habet, nō aliunde nos in malū impelli, ſed* Cuique Pravum Suum Affectum *ducem eſſe & impulſorem. Deum autem neminem tentare, quia malis non tentatur, id eſt, mala non appetit.* Et ad locum Rom. 9 ℣. 18. *Ergo cujus vult miſeretur*, ſcilicet Deus, *quem vult indurat*, eadem eodem modo tractans, ſubjicit: *Corruit ergo frivolum illud effugium, quod de præſcientia Scholaſtici habent. Neque enim præ-*

(Margin: *Ibid. in Jacob* 1. — Exod. 4. 21. Deut. 2. 30. Joſ. 1. 20. 1. Sam. 2. 24. 1. Reg. 12. 15. Job. 12. 16. Eſa. 19. 14 & 36. 17. Jer. 20. 7. Joh 12. 39. Rom. 1. 24. 26. 28. Rom. 9. 18. 2. Teſſ. 2. 11. — Exod. 9. 16)

videri ruinam impiorum à Domino Paulus tradit, ſed ejus conſilio & voluntate ordinari. Quemadmodum & Solomon docet, non modò præcognitum fuiſſe impiorum interitum, ſed impios ipſos fuiſſe deſtinato creatos, ut perirent.

Non ſolùm autem his, ſed & aliis S. Scripturæ locis inſtructi ac confiſi, addimus & dicimus Nos, peccata non tantùm nuda Dei permiſſione, quod ſentiunt Papiſtæ, verùm etiam non ſine Dei voluntate & decreto & ordinatione fieri. Deum omnia & ſingula omnium atque ſingulorum hominum peccata regere, horúmq;ocioſam permiſſionem eſſe dogma Epicureum affirmamus. Liquet hoc primo ex pii Joſephi ſermone, qui: *Non vos* (fratres ſcilicet mei, qui me ſceleratè vendidiſtis in Ægyptum) *miſiſtis me huc*, inquit, *ſed Deus*, &c. Item: *Vos cogitaſtis quidem adverſum me malum, Deus autem cogitavit illud in bonum, ut faceret ſecundùm diem hanc, ut vivificaret populum multum.* Patet deinde è Nathanis Prophetæ correptione adulterii Davidis, quâ pœnam talionis ei minando, prædicit filium quidem ipſius Abſolomū etiam uxoribus patris Davidis vitium illaturum, ſed Deum id effecturum atque gubernaturum. Ait enim: *En ego*, nempe Deus cujus nomine loquebatur Propheta, *ſuſcicaturus ſum adverſus te malum de domo tua, tollámque uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, dormietq; cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus. Tu enim feciſti abſconditè, ego faciam hoc coram toto Iſraele & coram ſole.* Nec te fellit hoc Davidem, ſed quum pulſus eſſet à filio Abſolomo urbe ac regno, obſequutus hic peſſimo conſilio Achitophelis, in-

(Margin: Prov. 16. 4. — *Cauſſa ordinans & regens peccatum Deus.* — Gen. 45. 5. 7. 8. & 50. 19. — 2. Sam. 12. 11.)

Digitized by Google

greſſus eſt ad concubinas patris ſui in oculis totius Iſraëlis, ut 2. Sam. 16. ℣. 21. & 22. refertur. Itaque Dei decretum pridem patefactum, nunc expletum eſt, ut quod Deus ſe facere dixerat, Abſalom parricida nefarius fecerit. Eodem tempore Semeo maledicēte Davidi, & Abiſao monente hunc, ut eum comprimeret, reſpondet David: *Ecce filius meus qui egreſſus eſt de utero meo, quærit animam meam, quātomagis nunc filius* Jemini? *Sinite illum, ut maledicat: quia dixit*, id eſt, mandavit, *ei Jehovah*. Quin injuſta cæde Filii Dei à Judæis perpetrata, fatentur atque teſtantur Apoſtoli id Dei voluntate atque decreto factum. *Hunc*, inquiunt, *definito conſilio & providentia Dei deditum quum accepiſſetis, manibus injuſtis cruci affixū ſuſtuliſtis*. Item: *Coacti ſunt verè adverſus ſanctum Filium tuum* Jesum *quem unxeras, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Iſrael, ut facerent, quæcunque manus tua &* Consilium *tuum prius* Definierat *facienda*.

2 Sam. 16. 11.

Act. 2. 23. & 4. 27. 28.

Pſal. 45.

In ſumma, Deum in peccati conſideratione facimus cauſſam ordinis ſive relationis ad aliud, quâ non facit, ſed ordinat & dirigit arcanâ providentiâ ſuâ actionem peccatoris malam ad conſtitutionem ordinis ſui in univerſitate & ſingulis rebus ipſius, & gloriæ ſuæ teſtimonium. Huc pertinent ſacræ Scripturæ loca, Prov. 16. 4. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum*. Rom. 9. 21. *Annon habet poteſtatem figulus faciendi vas aliud ad honorem, aliud in contumeliam?* Exod. 9. 26. *Idcirco autem poſui te* (Pharaonem) *ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen tuum in omni terra*. Vel ut Apoſtolus citat Rom. 9. 17. *In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, &c.*

Eodem ſpectat ſancti Auguſtini doctrina lib. 14. de civitate Dei cap. 11. Ubi optimè Deum voluntatum bonarum adjutorem ac remuneratorem, malorum relictorem & damnatorem, utrarumque ordinatorem ſeu gubernatorem appellat. Atque in hanc ſententiam rectiſſimè Calvinus dicit, *peccatores & impios ita gubernari, ut nihil ipſi deliberando agitent, niſi quod Deus apud ſe decreverit, & arcana directione conſtituat*: oſtendens non à ſe agi de decreto efficiente peccati, ſed ordinante peccatum in illo ordine admirabili providentiæ ſuæ.

Nam (ut res intelligatur planiùs) aliud eſt peccatum abſolutè in ſe, aliud in relatione & ordinatione ad aliud. Peccatum *abſolutè* eſt à cauſſa proxima efficiente, nempe Diabolo, qui ejus eſt flabellum, & ipſius hominis peccantis voluntas proba, quæ malo & peccato, & in Deum perfidiæ atque inobedientiæ aſſentit: peccatum verò *relatè* non à cauſſa efficiente proxima peccati ordinatur, ſed à providentia Dei cum bonis ordinante mala ſapientiſſimè ac juſtiſſimè, & dirigente ad univerſi bonum. Omnes enim & ſingulæ creaturæ, angeli, homines, in Deo ſunt, vivunt, moventur, agunt: neque plus ſunt, vivūt, moventur & agunt, quàm Deus vires eis ſuggerit, quod Apoſtolus Act. 17. 24. 25. & 28. Epheſ. 1. 11. ac Scriptura Iſa. 45. 7. Amos 3. 6. Gen. 45. 5. 6. 7. 8. & 50. 19. Job. 1. 21. 1. Sam. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10 &c. Exod. 21. 13. 2. Sam. 12. 11. &c. docet. Deinde autem, peccatum tantùm eſt ex lege, bona præcipiente

Digitized by Google

piente, mala vetante: ſine lege verò in actionibus peccatum nullum eſt, juxta Apoſtoli dictum: *Ubi non eſt lex, ibi nec transgreſſio.* Hinc ſenarius ille Græcus: Νόμῳ τὰ πάντα γίγνεται καὶ κρίνεται. Angeli igitur & homines, reliquæque creaturæ, quando peccant, pravo naturæ ſuæ, & ingenii voluntatis, cupiditatiſque ſuæ motu ad peccatum ac tranſgreſſionem legis divinæ inclinant & feruntur. Quum autem ſeſe contra legem movent & peccant, etiam ejus motionis cauſſa Deus eſt: nec tamen peccat, vel peccati cauſſa eſt: quia Deus nō eſt ſub lege, nec legem habet, proinde peccare non poteſt. Eoque minùs peccati auctor, effector vel cauſſa efficiens proxima & propria Deus eſt, quo magis lex ab eo data bona præcipit, mala autem vetat. Unde ſi homines, angeli & cæteræ creaturæ legi Dei obtemperarent, non peccarent. Quia autem legem divinam Diaboli inſtinctu & propria voluntate mala tranſgrediūtur, neq; tamē plus in ea tranſgreſſione poſſunt, quàm Deus permittit & ordinat, ut clariſſima loca Scripturæ paulò ante recitata teſtantur, ideò ipſe peccata abſolutè in ſe & per ſe committunt. Deo autem cauſſa peccatorum tribui propriè nequit, quia ſi illæ legi ejus bonæ divinā ipſius voluntatem tradenti parerent, non peccarent. Si autem peccata angelorum, hominum & creaturarum Deo tribuuntur, & Deus dicitur, feciſſe hoc vel illud crimen, quod hic vel illud patravit, tunc IMPROPRIE id dicitur atque enunciatur: quia quantum Deus facit, non eſt peccatum, quum bona ipſius lex ſit, neque ipſe ſubſit legi, neque voluerit tranſgreſſionem ejus, ſed obedientiam, tranſgreſſionem autem in bonum finem ordinet, ac freno ſuo moderetur.

Rom. 4. 15. 1. Joh. 3. 4.

Unde iterùm B. Auguſtinus: *Vitiorum noſtrorum,* inquit, *non eſt auctor Deus: ſed tamen ordinator eſt, quum eo loco peccatores conſtituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Ad hoc valet, quòd oves ponuntur ad dextram, hœdi autem ad ſiniſtram. Quædam ergo facit Deus & ordinat, quædam verò tantùm ordinat. Juſtos & facit & ordinat: peccatores autem, in quantum peccatores ſunt, non facit, ſed ordinat tantùm, &c.*

Lib. de Geneſi ad Literam imperfecto cap. 5.

Idem: *Magna,* inquit, *opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit volūtatem: quia non fieret, ſi nō ſineret, nec utique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri mala, niſi omnipotens etiam de malo faceret bene.*

In Enchirid. ad Laurēt. cap. 100.

Et alibi: *Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas voluntates eorum, quorumcunque vult, ſive ad bona, pro ſua miſericordia, ſive ad mala, pro ipſorum meritis. Judicio utiq; ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem* JUSTO.

De Grat. & lib arb. cap. 21.

Rurſus in Enchiridio cap. 10. *Aliquando bona,* inquit, *voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult: & rurſus fieri poteſt, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bonâ. Tantùm intereſt, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem, ut aut approbetur, aut improbetur.*

Rurſus lib. de gratia & libero arbitr. cap. 20. *Scriptura,* inquit *divina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolùm bonas hominum voluntates, ſed etiam illas, quæ conſervant ſeculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas, quò voluerit, quando voluerit,*

FACI-

Digitized by Google

FACIAT INCLINARI, *vel ad pœnas quibuſdam ingerendas vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, ſicut ipſe judicat, occultiſſimo quidem judicio, ſed ſine ulla dubitatione juſtiſſimo.* Et infrà: *Non enim jubendo dixit* (Semei) *ubi obedientia laudaretur, ſed quòd ejus voluntatem proprio vitio ſuo malam* IN HOC PECCATUM (nos tamen non ita loquimur) *judicio ſuo juſto & occulto inclinavit.* Et cap.21. *Quis non iſta judicia divina contremiſcat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum, quicquid vult, reddens eis tamen ſecundùm meritum eorum. Et manifeſtum eſt, Deum operari in cordibus hominum ad* INCLINANDAS *eorum voluntates quocunq; voluerit. Agit enim omnipotens in cordibus hominum &* MOTUM *voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino injuſtè aliquid velle nō novit, voluntatem ejus pro proprio vitio ſuo malam* INCLINAVIT AD HOC PECCATUM *juſto ſuo & occulto judicio.*

Lib.5.c.3. cōt. Julian.

Idem: *Deus non facit voluntates malas, ſed utitur eis, ut voluerit.*

De grat. & lib. arb. c. 20.

Rurſus de fine ordinationis ſuæ in peccatis ſic diſputat: *Ecce quomodo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem & adjumentum bonorum. Sic uſus eſt,* inquit, *Juda tradente Chriſtum. Sic judæis crucifigētibus Chriſtum, qui & ipſo Diabolo utitur peſſimo ſed optimè ad exercendam & probādam fidem & pietatem bonorū.*

Lib. de corrept. & gratiâ c.10.

Præterea ſcribit: *Deum ſciviſſe magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala non ſinere. Sic* ORDINASSE *Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid eſſet liberum arbitrium, deinde, quid poſſet ſua gratiæ beneficium, juſtitiæq; judicium.* Unde colligitur: Deum mala nō ſolùm præſciviſſe, ſed etiam ordinaſſe: & ſic etiam lapſum Angelorum atque hominum, ut oſtenderet, *quòd Angeli & homines per liberum arbitrium*, Deo eos non ſervante in integritate, *ſtare non poſſent.* Deinde, ut quid poſſet *ſua gratiæ beneficium*, nempe in eripiendo aliquos è pernicie ac merita dānatione æterna, *juſtitiæq; ſuæ judicium*, in relinquendo alios ad interitum ac damnationem, puniendoque, declararet.

Tract. de Sacrā. part. 4 cap.14 ac 15.

Nec minùs ex ipſorum Pontificiorum Schola protrahi poſſunt, qui noſtram ſententiam clariſſimè comprobant. HUGO enim de VICTORE: *Nunquam*, inquit, *cauſſa eſt voluntas ejus* (Dei) *ut non fiat, quod vult: neque in ſumma aliquando ut fiat, quod non vult.* Et paulò poſt: *Voluntas Dei ſemper impletur, & non excuſantur mali propterea, quoniam in eis & per eos voluntas Dei impletur, quoniam non ſua voluntate ad implendam Dei voluntatem diriguntur, ſed occulta ipſius diſpoſitione diriguntur.*

Actus volendi in Deo eſt, non permiſſio ſolùm.

Idem lib.1. de Sacram. cap.12. part. 4. *Dictu* LEVE *eſt*, inquit, *& abſque conſcientia ſcrupulo dicitur, ſed* GRAVE *auditu. Videtur enim tum dici, quòd Deus malum diligit, & approbat, quod pravum eſt. Ideo refutat hoc pia mens, non quia quod dicitur: ſed quia quod bene dicitur, non bene intelligitur. Deus, quum facit bonum, & permittit malum, apparet voluntas ejus, quo* ESSE *vult, quod facit, & quod permittit, eſt Dei voluntas,* OPERATIO *ejus &* PERMISSIO *ejus.*

AQUINAS libro 1. contra Gentes cap.82. *voluntas Dei*, inquit, *eſt ſemper actu ad unum oppoſitorum determinata, & Dei voluntas eſt actus æternus.*

Quæ probè obſervanda ſunt, quia hodie

Digitized by Google

Lib. 4. de Eccl cap. 9. hodie Bellarminus & alii Põtificii permiſſionem duntaxat Dei commenti ſunt, quâ excludunt actum volendi in Deo. Nam non ſolam permiſſionem à Calvino & noſtris in Deo ſtatui indignantur. Dicit ille igitur: *Non ſolùm permiſſione* (inquit Calvinus) *verumetiam voluntate Dei homines peccant, ita ut nihil illi deliberando agant, quod non Deus ipſe anteà decreverit. Rurſus ſcribit ibidem: Quod aliqui,* inquit Calvinus, *verbum Dei contemnant, ipſorum eſt pravitas, ſed in hanc pravitatem à Deo adducti ſunt, ut in iis potentiam ſuam & ſeveritatem oſtendat.* Ac Stapletonus: *Lutherus etiam*, inquit, *illud velle, quo Judas voluit Chriſtum prodere, fuiſſe opus Dei affirmat.* Hinc tandem Bellarminus diſtinctionem indignam prorſus Dei majeſtate fingit contra Calvinum & Noſtros, dicens: *Deus quoad peccatum, non habet poſitivè velle, ſed tantùm privativè, nec enim vult eſſe peccatum, nec vult non eſſe, ſed non vult eſſe, quod eſt permittere.*

Lib. 11. de juſtif. c. 4.

Lib. 2. de amiſſione gratia. c. 16.

Hanc verò voluntatis ſuſpenſionẽ ſtupidam prorſus & impotentem Deo tribuere, nemo doctiorum & verè Scripturis intentiorum Papiſtarum, quinetiam nemo verè Chriſtianorum non improbat. Sine blaſphemia enim dici, ſtatui, doceri & credi non poteſt: ſicut antea Hugo de Victore & Aquinas etiam è Pontificiis agnoverunt. Quare ut pateat dilucidiùs, alterum illud non velle Deũ nõ poſſe, atq; adeò non ſolùm Deum permittere, ſed etiã velle & ordinare, quanquã nec approbando malum velit, nec ſanè faciẽdo, iterùm tum ipſum reum Calvinum, tũ Advocatos ejus Pontificios plura in eam ſententiam diſſerentes audiemus.

Stapletono enim objiciente: *Ecce Calvinus in exemplo, Job inquit, colligimus, Deum ejus probationis, cujus Satan miniſter fuit, auctorem fuiſſe. Ecce Calvinus apertè plus tribuit Deo in ſcelere quàm Diabolo.* Calvinus cauſſam ſuam ibi ſatis ipſe defendit, dicens, *Deum probationis auctorem fuiſſe,* non ſceleris. *In Doct. Princip. de hac quaeſt.*

Quò autem rectiùs & planiùs tota noſtrorum ſententia cum Calvini intelligatur, ſic ipſius Calvini verbis exponitur. *Non negamus ipſi, quin omnia fiãt Dei voluntate. Atque adeò quum declaramus, cur dicatur omnipotens, poteſtatem in omnibus creaturis efficacem ei tribuimus, atque docemus, ut ſemel creavit orbem univerſum, ſic etiam ipſum regere, manúmque operi ſemper admotam habere, ut omnia in ſtatu ſuo conſervet, & arbitrio ſuo diſponat. Ut faciliùs exprimam, quid hoc ſibi velit: ajo nobis conſiderandum eſſe,* DEUM *in univerſi adminiſtratione tribus modis operari.* *In instruct. contra Libertinos, cap. 14.*

Eſt enim PRIMUM *univerſalis operatio, quâ dirigit omnes creaturas juxta conditionem & proprietatem, quam ſingulis, dum eas formaret, dedit. Hæc gubernatio nihil aliud eſt, quàm quod* ORDINEM *naturæ vocamus. Nam quum infideles nihil aliud in diſpoſitione mundi agnoſcant, quàm quod oculis intuentur, ideóque naturam veluti* DEUM *conſtituunt, quæ omnibus præſit, ac dominetur: hac Dei voluntati laus tribuenda eſt, quod ipſa ſola moderatur, ac regit omnia. Quocirca quum Solem, Lunam, Stellas curſum ſuum conficere videmus, exiſtimemus ipſa obedire Deo, ipſius juſſa exequi: neque id tantùm, ſed Dei quoque manu gubernari: fieríque omnia ejus virtute. Sic quum rerum terrenarum curſum cernimus, tribuenda Deo omnia, creatura verò cenſenda,* *I. Univerſalis operatio Dei.*

veluti INSTRUMENTA *in manu ipſius, quæ quomodocunque libuerit, operi applicet.*

Univerſalis providentia.

UNIVERSALEM *iſtam providentiam ſæpè attingit Scriptura, ut diſcamus gloriam tribuere Deo in omnibus operibus ſuis. Ac præcipuè honeſtam virtutem nobis Deus commendat, ut eam in nobis agnoſcamus, quò exuamur arrogantiâ, quæ ſtatim in nobis exſurgere ſolet, ſimulatq; nos in ipſius manu eſſe obliviſcimur. Huc pertinet, quod Athenis dicebat Paulus: Ipſe eſt, in quo vivimus, movemur & ſumus. Iis enim admonet, niſi nos ſuſtineat manu ſua, vel minimo temporis momento ſtare non poſſe, quum in ipſo ſubſiſtamus. Atque ut anima vim ſuam per univerſum corpus effundens, membra agitat: ſic nos vivificari à Deo, à quo quicquid eſt in nobis facultatis aut virium, obtinemus. Hæc tamen univerſalis operatio non prohibet, quò minùs ſingulæ creaturæ, tum in cœlo tum in terris, qualitatem & naturam ſuam retineant, propriamq; inclinationem ſequantur.*

Act. 17.18.

II. Operatio Dei ſpecialis.

ALTER MODUS, *quo Deus operatur in creaturis ſuis eſt, quod eas adducit in obſequium bonitatis ſuæ, juſtitiæ & judicii: prout nunc ſervos ſuos adjuvare, nunc ſontes punire vult, nunc fidelium patientiam probare, aut eos caſtigare paterno affectu. Sic quum frugum copiam nobis vult largiri, dat pluvias ſuo tempore, calores per ſolem ſuum emittit, lucidóſque & ſerenos dies: tum etiam naturalibus aliis mediis utitur, veluti inſtrumentis bonitatis ſuæ. Quum verò manum ſuam ad ſe revocat, cœlum fit veluti æneum, terra quaſi ferrea. Itaque is eſt, qui tonitrua, gelu, grandines, tempeſtates efficit, & ſterilitatis cauſſa eſt. Ideóque quicquid Ethnici & ignari tribuunt* FORTUNÆ, *nos divinæ* PROVIDENTIÆ *aſſignare debemus: non tantùm univerſæ illi virtuti, de qua locuti ſumus, ſed* ORDINATIONI SPECIALI, *qua moderatur omnia, ut maximè convenire & conducere ipſi videtur. Idq; docet, quum ait per Prophetam, ſe tenebras & lucem creare, vitam & mortem immittere, nihil boni aut mali accidere, niſi è manu ſua adeò, ut dicat, ſe etiam ſortes & alia, quæ fortuita videntur, moderari. Quod ſi aliquis fortè occidatur non ex induſtria ſe cauſſam eſſe mortis illius, atque ita conſtituiſſe, nec quicquam fortuito, ſed omnia ex conſiliis ipſius definitione evenire putemus. Ac vehementer indignatur, quum exiſtimamus quicquam aliunde proficiſci, neque in ipſum intuemur, ut eum agnoſcamus non ſolùm, ut præcipuam omnium cauſſam, ſed etiam ut auctorem, hoc vel illo modo omnia ſuo conſilio ſtatuentem. Sic igitur concludamus, tam proſpera quàm adverſa, pluvias, ventos, grandines, gelu, ſerenitates, abundantiam, famem, bellum, pacem, opera Dei eſſe, creaturas autem, quæ inferiores cauſſæ ſunt, inſtrumenta ſolùm eſſe, quæ in uſu habet, ad exequendum voluntatem ſuam: ideóque iis arbitrio ſuo uti, quocunque libuerit eas convertere, eóque adducere, ut omnino fiat, quod conſtituerit.*

Iſa 45. 7. Amos 3.6. Prov. 16.33. Exod. 21. 13.

Homines & Diaboli providentiæ Dei ſubjecti.

Præterea notandum eſt, ipſum non ſolùm creaturis ſenſu carentibus hoc modo uti, ut per eas operetur & exſequatur voluntatem ſuam, ſed & hominibus ipſis atq; etiam Diabolis. Adeò ut & Satan & iniqui ſint executores divinæ voluntatis. Quemadmodum Ægyptiis uſus eſt ad affligendum populum ſuũ, aliquanto poſt ſuſcitavit Aſſyrios, alióſque ſimiles, ut ejus delicta vindicaret. Diabolo uſum eſſe cernimus, ut Saulem torqueret, ut deciperet Achab, & in omnes iniquos, quum neceſſe fuit, JUDICIA SUA *exerceret: aut è diverſo ad probandum ſuorum conſtantiam, cujus rei Jobus nobis eſt exemplum.* Job. 1. 12.

Quæ quum Libertini audiunt, temerè at-

que

Digitized by Google

Hanc Libertinorum blaſphemiam Bell. Calvino per calumniam aſpergit.

quæ incogitanter irruentes, neque longiùs ſpectantes, concludunt, nihil ampliùs agere creaturas. Sic horribiliter omnia permiſcent. Neque enim tantùm cœlum cum terra, ſed Deũ cum Diabolo confundunt. Idq; ita accidit, quod exceptiones duas valdè neceſſarias minimè obſervent.

Reſponſio ad Libert. blaſphemiam & Bellarmini calumniã.

Prior eſt, *Satanam & iniquos non ſic eſſe inſtrumenta Dei, quin ipſi etiam ſuas agant partes. Nec enim imaginari oportet, Deum ſic per hominem iniquum, ut per lapidem & truncum operari, ſed ut per creaturam rationis participem, ſecundùm natura, quam ei dedit, qualitatem. Quum igitur dicimus,* Deum Per Creaturas Operari *id non prohibet, quo minùs etiam impii ſua ex parte operentur. Quod etiam Scriptura apertiſſimè oſtendit. Ut enim pronunciat, Deum ſibilaturum, & quaſi cantaturũ tuba, ut ad bellum educat infideles: induraturum aut inflammaturum animos: ſic narrare non deſinit proprium eorum conſilium, & qua fuerint voluntate: atque opus illis adſcribit, quod Dei decreto exequuti ſunt. Iſa. 10. 7. 8. Act. 2. 23. & 4. 27.*

Iſa. 5 26. Iſa. 10. 6.

Diſcrimen inter opus Dei & impii.

Altera Exceptio, *cujus infelices iſti nullam habent rationem, hæc eſt: magnam eſſe differentiam inter opus impii, quum eo*
„ *Deus vice inſtrumenti utitur.* Impius
„ *enim ſuâ avaritia, aut ambitione, aut invi*
„ *dia, aut crudelitate incitatur ad facinus ſu*
„ *um, nec alium finem ſpectat. Ideo ex radice il*
„ *la, id eſt, ex animi affectione & fine, quem*
„ *ſpectat, opus qualitatem ſumit & merito*
„ *malum judicatur. Sed* Deus *reſpectum o*
„ *mnino contrarium habet, nempe ut juſtitiam*
„ *ſuam exerceat ad conſervandos bonos: gratia*
„ *& bonitate ſua utatur erga fideles: malè au*
„ *tem meritos caſtiget.*

En quo pacto ſit inter Deum & homines diſcernendum, ut hinc in eodem opere juſtitiam, bonitatem ac judicium ejus contemplemur: illius Diaboli & infidelium malitiam. Sumamus autem præclarum & perlucidum ſpeculum, in quo iſta intueamur. Quum Jobo affertur nuntium tantæ bonorum jactura, interitus filiorum, tot calamitatum, quæ ipſi acciderunt, agnoſcit ſe viſitari à Deo, inquiens, Dominus hæc mihi omnia dederat, eadem ipſe abſtulit. Et ſanè ſic ſe res habebat. Sed interim nonne ſciebat, Diabolum eam ipſi cudiſſe fabam? Nonne intellexerat, Chaldæos armenta & pecora ſua abegiſſe? An prædatores & latrones laudabat? An excuſabat Diabolum, quod à Deo afflictio illa oriretur? Minimè. Magnam enim eſſe inter hæc differentiam intelligebat. Itaque malum damnans inquiebat: Sit nomen Domini benedictum. Similiter David quum eum Semei perſequeretur, dicit ſe id recipere à Deo, ac videt impium illum eſſe virgam, quâ Deus eum caſtigat. Sed Deum laudans non minus poſtea Semei condemnat. De hoc autem adhuc alio loco tractandum erit. Hoc nunc tenere ſufficit, Deum *ſic per creaturas ſuas operari, iiſque uti ad providentiam ſuam, ut inſtrumentum, quo agit, malum eſſe non deſinat. Quódque Satanæ & impiorum hominum malitiam in bonum convertit, non propterea excuſari ipſos aut expiari, quo minùs id delinquant, eorúmque opera iniqua & damnanda ſint. Sumunt enim omnia qualitatem à propoſito & voluntate auctoris.*

Job. 1. 21.

Jobi exemplum.

Davidis exemplum.

2. Sam 16. 11.

Libertinis & calumniatoribus hoc dicitur,

Qui igitur iſta non diſtinguunt, omnia tanquam porci roſtro ſuo evertunt, & horribili confuſione perturbant, quæ pulcherrimo ſunt ordine conſtituta. Tales ſunt Libertini, qui non ſolùm Diabolum curâ Deo ſocietate conjungunt, ſed etiam in Deum ipſum transformant: laudabilia ejus opera cenſentes hoc prætextu, quòd nihil agat, niſi à Deo conſtitutum. Hæc autem hæreſis, ſi antiquis doctori-

Digitized by Google

" *bus fidem habemus, originem cœpit à Simone* " *Mago. Nos contra obſervare debemus, creaturas in ſuo gradu opera ſua in terris efficere, quæ, prout effecta fuerint hoc vel illo fine, ſic aut bona aut mala exiſtimanda ſunt. Interim omnia gubernat & moderatur Deus, eáque ad rectum finem dirigit: malum in bonum convertit, aut ſaltem natura ſuæ bonitate agens, ex eo, quod malum eſt, boni aliquid elicit: ita utitur Diabolo, ut ſe cum eo admiſceat, quo aliquid habeat cum eo commune, vel ſocietate mali conjunctus implicetur, vel mali naturam deleat juſtitiâ ſuâ. Sicut enim Sol in cadaver radios ſuos emittens, & corruptionem quandam in eo generans, nihil aut corrupti aut impuri ad ſe trahit, neque efficit impuritate ſua, quo minùs cadaver putridum ac fœtidum ſit: ita Deus per impios ſic operatur, ut juſtitia, quæ in ipſo eſt, eos non juſtificet, nec ipſe eorum nequitiâ & corruptione contaminetur.*

Solis & cadaveris ſimile.

III. *Specialis operatio gratiæ divinæ.*

TERTIA SPECIES *operationis divinæ, in gubernatione fidelium conſiſtit, in quibus vivit & regnat per Spiritum ſuum. Quatenus enim corrupti ſumus peccato originali, terra ſicca & ſterili perſimiles ſumus, boni fructus omnino nihil producenti. Nam corruptum eſt judicium noſtrum, voluntas noſtra Deo rebellis, ad malum proclivis & propenſa: denique tota natura noſtra vitioſa eſt. Quod, quum ita ſit, non ſolùm bonis rebus animum appellere non poſſumus, verùm quòd majus eſt, unica bona cogitationi non ſumus idonei, ſed, ut inquit Paulus, ſi quid idonei ſumus, id ab eo proficiſci neceſſe eſt. Ideo is eſt, qui operatur in nobis velle & perficere, qui nos illuminat, ut ad ſui cognitionem adducat, nos ad ſe trahit, format nova corda in nobis, duritiem noſtram emolliens. Idem ipſe eſt, qui nobis inſpirat precandi affectum, vim ac poteſtatem impertit reſiſtendi omnibus tentationibus Satanæ, efficitq́, ut in præceptis ſuis ambulemus. Sed interim notandum eſt, nos à natura electionem & voluntatem habere.* " *Cæterùm quia utraq́ peccato depravata eſt,* " *Dominus eas reformat, & è malis bonas facit. Quod igitur ad diſcernendum apti ſumus, quod volumus, quod hoc vel illud facimus, id naturale donum eſt. Quod verò aliud nihil poſſumus eligere, expetere aut facere, quàm malum, id ex corruptione peccati eſt: Quod bene operari cupimus atque exequendi poteſtate ſumus præditi, id à ſupernaturali gratia proficiſcitur, quâ in meliorem vitam ac planè divinam regenerati ſumus. En igitur quid Deus in filiis ſuis efficiat: perverſam nempe eorum naturam delens, eos Spiritu ſuo dirigit in obſequium voluntatis ſuæ.* Hactenus Calvinus.

2. Cor. 3. 5. Phil. 2. 13. Epheſ 4 23. Job. 6. 44.

Rom. 8. 16. Ezech 36. 27.

Quibus cognitis, judicet lector Chriſtianus, an his omnibus quicquam dicatur, quod à Scripturæ ſacræ doctrinâ, & pietate veritateq́; ſit alienum, ac unde hæreſis Calvino intentata colligi poſſit? Annon, quum Papiſtæ clamitent, *Adverſarii*, id eſt, Euangelici, *non uno loco docent, Deum non ſolùm ut cauſſam univerſam ad actiones illas, quæ mala ſunt, concurrere, ſed etiam eas, ut tales ſint, in ſpecie velle, intendere, imperare, ac per inſtrumenta ſua propriè efficere, ac per hoc cauſſam particularẽ eſſe, tum phyſicam* (quæ motu interno efficiat) *tum moralem* (quæ imperet.) *Ergo Deum verè & propriè peccare, peccatiq́ authorem eſſe docent atque conſtituunt*; apertiſſimè tum falſum, tum calumnioſum evincunt aſſumi atque concludi? *Falſum*, quòd noſtri Deum faciant cauſſam particularem, propinquam actionum humanarum bonarum vel malarum, quarum cauſſam particularem propinquam conſtat

Aſſertio plena Calvini & Euangelicorum ab hæreſi Florini ac ejus complicum. Bell. de amiſs. gratia Lib. 2. cap 5.

Digitized by Google

ſtat nõ eſſe, niſi bonam vel malam hominum voluntatem. *Calumnioſum*, quod ſecundùm noſtros Deus actiones malas, quæ ſunt tales in ſpecie, intendat, velit, imperet, homines ad eos moveat, impellat, per eos ut inſtrumẽta efficiat. Non enim, niſi judicia ſua occulta & juſta, in hominum peccatis, quæ improbi ſibi relicti ultrò perpetrant, intendit, vult, imperat, efficit. Quo & illud Calvini pertinet: *Ego*, inquit, *plus concedo, fures & homicidas & alios maleficos divinæ eſſe providentiæ inſtrumenta, quibus Dominus ipſe ad exequenda, quæ apud ſe conſtituit,* Judicia *utitur.* Suorum proinde judiciorum Deus eſt cauſſa per ſe, non particularis, ſed universalis ſpecialiter agens: peccatorum verò, quæ in inſtrumentis concurrere permittit, quæque ad finem utilem dirigit, non niſi per accidens. Sicut eques equum claudum agitans cauſſa particularis per ſe eſt equitationis, quam intendit, per accidens claudicationis, quam non intendit. Organicen impellens claves tuborum vitioſorum cauſſa universalis ſpecialiter in tubos agens per ſe eſt harmonici concentus, per accidens δυσφωνίας, quæ vitio tuborum harmoniam perturbat.

Inſtitut. lib. 1. c. 17. §. 5.

Equitis ſimile.

Organiſta.

Quæ etiam nonnulli è Pontificiis hunc in modum tradunt, & aliis aptis ſimilibus explicant atque illuſtrant. Ut H. Pererius: *Multa*, inquit, *facit Deus* Etiam Intra Eum *qui obduratur, quibus vitio ſuo is fit deterior. Excitat* Varios Motus *vel ſpei, vel timoris, vel* Cupiditatis, *vel* Iræ. *Itẽq; varias imaginationes immittit, dubias atque perplexas, quibus ille nimio plus incredulus* Præcipitatur *in malũ. Hanc excæcandi impios & obdurandi viam omnium maximè approbat Auguſtinus, dicens: Deum non modò per permiſſionem atque patientiam, ſed etiam* Per Potentiam & Actionem *potentiſſima ſua providentia, ſed tamen ſapientiſſima atque juſtiſſima agere.* Hucuſque Pererius; qui quid, ut Deus non ſit Auctor peccati etiam in peccatoribus & impiis agens, magis orthodoxè dicere potuiſſet?

Comment. in Geneſ. 18. diſp. 8.

Lib. 5. adverſus Julianum.

Andreas Vega rem exemplis ſeu ſimilitudinibus dilucidam facit. *Quemadmodum*, inquit, *mala ambulationis in claudo in detortam tibiam vitium rejicimus, & vitium ſcripturæ exaratæ in optimo ſcriba in malam papyrum, aut malè temperatum calamum; ita mala noſtra non debent imputari Deo, quòd auxilio generali ad ea* Cõcurrit, *ſed nobis qui deflectimus, & claudicamus ab ipſius lege, & influxum ejus in malum detorquemus. Quam obrem licet nobiſcum faciat actus, qui intrinſecam & inſeparabilem habet* Malitiam, *nequaquã tamen, ut antiquiores Theologi probè monuerunt, peccati Auctor cenſeri debet. Quia in moralibus ille alicujus operis cauſſa judicatur, qui* Præcipit, *conſulit, ſuadet, præmiat, approbat. At Deus, ut Theologi probabilius ſentiunt, cum voluntate & conſenſu* Velit Et Faciat *nobiſcum* Peccata, *nihil horum facit.*

Lib. 2. c. 15. in expoſit. conc. Tridentini.

Uſus iſtorum omnium eſt, quod iis primò Papiſtarum plurimorum commentum refellitur, qui in Deo nihil ferè quàm præſcientiam fingũt, omnem verò rerum vel bonarum vel malarum adminiſtrationem ei adimunt. Ita ex Deo otioſum mundi ſpectatorem facere videntur, adeoque ignavum etiam & inertem, qui multa contra voluntatem ſuam, & ſecus quàm conſtituerat

Uſus providentiæ divinæ circa peccatum.

tuerat

Digitized by Google

peccatoribus requiris, ut juſtificentur. STAPLETONUS ſeipſum confodiens: *Omnes,* inquit, *Proteſtantes ad unum dicunt, fidem, qua juſtificat, eſſe* VIVAM *& operantem per* CHARITATEM, *aliaque opera.* Quid Bellarminus tãdem? [a] *Confeſſio Auguſtana,* inquit, *per ſolam fidem* NON EXCLUDIT ALIAS VIRTUTES *ſed meritum ipſarum.* Et alibi: [b] *Negamus, inquiunt Proteſtantes, fidem* POSSE *cum malis operibus* CONSISTERE. *Nam qui habet propoſitum peccandi, fidem remiſſionis peccatorum concipere nullam poſſit.* Item: [c] *Dicunt* FIDEM SOLAM *juſtificare, ſed eam* NON ESSE SOLAM. Ad hæc: [d] *Non negabunt,* inquit, *in juſtificato requiri* FIDEM ET PŒNITENTIAM. Denique: [e] *Tametſi dicunt, remiſſionem peccatorum non pendere ex conditione operum, neque fidem aut pœnitentiam, aut ullum actum noſtrum eſſe cauſſam aut meritum juſtificationis: tamen non negant requiri fidem & pœnitentiam, etiam* FIDEM VIVAM *& pœnitentiam ſeriam, & ſine his neminem juſtificari.* Bellarm. de juſtif. [a] lib. 4. cap. 1. [b] lib. 1. cap. 14. [c] lib. 4. capite 1. [d] lib. 3. cap. 6. [e] lib. 2. cap. 6.

Nec ſanè aliter, quam extra controverſiã apud Euangelicos noſtros habẽtur, quæ *pro vera neceſſitate vera in Chriſtum fidei, item pœnitentia & bonorum operum,* veraque libertate Chriſtianâ, & vera differentia veteris ac novi Teſtamenti contra Antinomos & ſimiles alios à Bellarmino lib. 1. & 4. de Juſtificatione differuntur. Item quæ de liberali mercede ſeu remuneratione pietatis noſtræ, tum in hoc tum in futuro ſeculo à Deo nobis promiſſa lib. 5. paſſim traduntur. Imò & illa, *quæ* lib. 1. & 2. & 3. (ſi commodè explicentur) *contra ſolius fidei, id eſt, ejus quæ* SOLITARIA *& reipſa à bonis operibus ſejuncta vel ſeparata eſt, juſtificationem: deq; neceſſitate, veritate, mutabilitate & inæqualitate juſtitiæ inhærentis, in medium adducuntur.* Etſi enim Euangelicorum quidam præſertim circa initia Reformationis & horum certaminum, quum ſcoriæ Papatus nondum plenè defœcatæ erant, quaſdam hujus loci quæſtiones, maximè quæ ſunt *de formula juſtificationis,* non ſatis commodè explicarunt: & nunc quoque *de juſtitia Chriſti imputatione, deq; certitudine finalis perſeverantia, &c.* nonnulla inter quoſdam controverſia viget: OMNES tamen in eo conſentiunt, *juſtificari nos coram Deo gratis, abſque meritis noſtrorum operum per* SOLAM *quidem, ſed tamen vivam & veram fidem in Chriſtum: quæ videlicet miſericordiam Dei in Chriſto nobis peccata condonantem ita apprehendat, ut ſimul etiam per charitatem efficax ſit, hoc eſt, bona opera, tanquam neceſſarios & bonos fructus, ex ſeſe pariat & edat.*

Res igitur jam in confeſſo eſt, Euangelicos hodiernos, quum fidem vivam à mortua, pœnitentiam à peccatis ſeriam, à perſeverãtia in peccatis, ſanctificationem ab impietate, JESUM Salvatorem ab impoſto. e Simone Mago & Eunomio diſtinguunt, non poſſe hæreſeos Simonianæ atque Eunomianæ reos ullo modo eſſe, ac verè dici.

Addimus majoris expoſitionis gratia: *Sunt opera bona neceſſarii & inſeparabiles fidei effectus.* Sed dicimus tamen: *Si quis actum fidei habeat, ei peccata non nocere* id quidem Lutherus affirmat: id nos omnes aimus. Sed fallunt nos Adverſarii per ὁμωνυμίαν. Nam illi actum fidei, ſcientiam tantum religionis & cognitio-

Ut peccata non noceant fidelib.

gnitionem dogmatum, fidemque hiſtoricam intelligunt: Nos autem Fidem veram & fidei πληροφορίαν intelligimus, illam nimirum, de qua
Habac. 2. 4. Propheta & Apoſtolus: *Juſtus ex ſua fide*
Rom. 1. 17. *ſua vivet.* Et dicimus, quantumvis aliquis peccator maximus & flagitioſiſſimus & turpiſſimus fuerit: tamen ſi credit in Chriſti meritum, fideque concipit ac apprehendit perfectiſſimam ejus miſericordiam & juſtitiam, remiſſa ei eſſe peccata omnia, adeò ut ei non noceant: quod Scriptura docet Pſal. 32. 1. 2. 3. 5. Iſa. 53. 5. 1. Cor. 15. 3. Johan. 5. 24. & 6. 29. 35. 40. 47. & 7. 38. 39. & 11. 25. 26. Actor. 10. 43. Rom. 1. 16 17. & 3 22. 24. 25. 26. 27. & 4. 13. 16. 18. 19. 22. 23. 24. 25. & 5. 1. 9. 10. & 7. 24. & 8. 1. 31. 32. 33. & 10. 4. 6. 9: 10. Gal. 2. 16. & 3. 22. Heb. 9. 1. 1. Pet. 2. 24. 1. Johan. 1. 7. & c. 2. 2. Exempla habemus in Abrahamo Geneſ. 12 13. Moſe & Aarone Numeri 20. Noa Geneſ. 9. Lotho Gen. 19. Davide 1. Sam. 12. Ezechia Iſa. 30 31. Apoſtolis Math. 28. 20. Luc. 22. Petro Math. 26. 11. Act. 7. Paulo Act. 9. 1. Tim. 1. 16. 17. Johan. 21. 15. 16. &c. totumque populum Iſraëliticum in lib. Judicum, Regum, Prophetis.

Quod ergo Simonianos & Eunomios ac hodiernos Euangelicos inter ſe Papiſtæ committunt, Mæſonica dicteria ſunt, non collationes modeſtæ, quæ Chriſtianos decent. Eoque magis ac certiùs, quòd in Simonianorum & Eunomianorũ opinionibus partim eſt homonymia in vocabulo fidei (uti dictum) quo antiqui illi hæretici abuſi ſunt, partim principii petitio in eo, quod fides ſalvifica dicitur à vera pietate ſeparari, aut cum veris flagitiis conjungi poſſe: à quibus portentoſis opinionibus toti ex interiore pectore abhorremus. Quæ cum ita ſe habeant, dum vos Pontificii tam execrandos de fide hæreſes Euangelicis ſine fide falsò affingitis, in ſtudio veſtro tribuẽdi alias quoq; hæreſes Euangelicis, atq; adeò in calumniis veſtris reliquis profectò fidem nullam poſcere, aut expectare debent.

Concludimus ergo hoc caput verbis Confeſſionis noſtræ fidei publicæ, qua artic. 16. de Fide & bonis operibus profitemur: *Interim, quod & antea dictum eſt, non ſentimus per bona opera nos ſervari, illaq; ad ſalutem ita eſſe neceſſaria, ut abſque illis nemo unquam ſit ſervatus. Gratiâ enim ſoliusq; Chriſti beneficio ſervamur. Opera neceſſariò ex fide progignuntur. Ac impropriè his ſalus attribuitur: quæ propriiſſimè aſcribitur gratiæ. Notiſſima eſt enim illa Apoſtoli ſententia:* Si per gratiam, jam non ex o- Rom. 11.
peribus: quandoquidem gratia jam nõ eſt gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratia: quandoquidem jam opus, non eſt opus.

CAP. III.

Florini hæreſin de cauſſa peccati Papiſtas abſque ratione Euangelicis tribuere.

1. Florini hæreſi Euangelicos carere.

Sed quia ſemel, qui verecundiæ fines tranſiliit (ut inquit Orator) eum gnaviter impudentem eſſe oportet, progrediuntur Pontificii ad antiquam hæreſin *Florini*, quam Euangelicis aſtricare conantur. Nos irritum eſſe omnem hunc conatum docebimus.

Secunda hæreſis, inquit Bellarminus, Lib. 4. de Eccl. milit. cap. 9.
eſt Florini, quæ eadem Simonis Magi, Marcionis

Digitized by Google

tonis & Manichæorum fuit: Deum eſſe autorem peccati: Sic Calvinus, ſic Lutherus, ſic Martyr, ſic Melanchthon docuit. Idem illis tribuunt Fevardentius Comment. in Jacob. 1. Campianus ratione petitæ à ſe diſputationis publicæ in Anglia octava. Ac Gab. Vaſquez Jeſuita ceu furibundus: *Pudeat*, inquit, *Calvinum & Melanchthonem, aliosq; hujus temporis hæreticos qui Deum Opt. Max. auctorem peccati & culpæ pronunciant.* Et *hoc ſine ullo pudore docet Calvinus inſtit. lib. 1. cap. 18.* ait Bellarminus loco, ut ſuprà. Idem de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati, lib. 2. cap. 1. ac per totum 2. & 3. lib. noſtris impingit.

In 1 parte Thomæ. diſp. 129. 2.

Deum peccati cauſſã ab Euangelicis non ſtatui.

Reſpondemus: Vos potiùs pudeat hujus tam impudentis veſtræ calumniæ. Agnoſcimus quidem Florinum iſta docuiſſe, & Irenæum apud Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 20. dicere, *eſſe plus quàm hæreſin.* Quam etiam tribuit Vincentius Lyrinenſis in commonitorio *Simoni Mago.* Eandem verò Euangelicos hodie tenere & docere, impiam eſſe calumniam profitemur. Nos illam ſententiam execramur, Deum eſſe cujuſquam peccati cauſſam: & cum Irenæo dicimus, eam eſſe quâvis hæreſi majorem & deteriorem.

Nuſpiam enim tam illi Doctores noſtri præſtantiſſimi & ὀρθοδοξώτατοι, quàm ulli alii noſtratium docuerunt & ſenſerunt, aut docent ac ſentiunt, Deum eſſe effectorem, vel auctorem & cauſſam efficientem peccati. Hæc enim è ſacris Scripturis & optimè intelligimus, & firmiſſimè credimus, & rectiſſimè interpretamur: *Vidit Deus, quæ fecerat, & erãt valde bona*, Pſalm. 5. ✝. 5. *Quia non Deus volens iniquitatem es tu, non habitabit juxta te malignus: perdes loquentes mendacium.* Deut. 16. 22. *Neque eriges tibi ſtatuam, id quod odit Dominus Deus tuus.* Deut. 18. 12. *Abominatio enim Jehovæ eſt quicunque facit hæc abominanda.* Jacobi. 1. 13. *Nemo quum tentatur, dicat ſe à Deo tentari; Nam Deus tentari malis non poteſt, nec quẽquam tentat.* Eccleſ. 15 ✝. 11. *Ne dicas, defeci impulſu Domini, nam quæ ille odit, tu non debes facere. Ne dicas, ipſe me induxit in errorem.*

Gen. 1. 31.

Docemus autem & credimus, peccati cauſſam efficientem per ſe & propriam eſſe voluntatem diaboli & hominum, qua liberè illi à Deò defecerunt, & ſe imagine Dei ſpoliarunt: id quod principium primò per ſe, proximum atque ſingulare eſt peccati. Chriſtus enim Joh. 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & cupiditates patris veſtri vultis explere. Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perſtitit; non eſt n. veritas in eo.* Rom. 5, 12. *Per unum hominem peccatum in mundũ introiit, ac per peccatum mors.* 1. Joh. 2. 1. *Quicquid eſt in mundo, cupiditas carnis, & libido oculorum, & faſtus vitæ, non eſt ex patre: ſed ex mundo eſt.* Et cap. 3 ✝. 8. *Qui committit peccatũ, ex Diabolo eſt, quoniam inde à principio diabolus peccat.*

Si igitur ipſe reus Calvinus in medium prodit, non Deum auctorem peccati ſtatuit, *ſed diabolum & hominem peccatorem*, juxta illa ſacræ Scripturæ teſtimonia. Ac licet Dei voluntatem & operationem intervenire dicat: tamẽ ab hæreſi Florini, quæ eadem Simonis Magi, Marcionis & Manichæorum fuit, alieniſſimus, non ſequi probat, ut ideo Deus peccati auctor ſit. Exempli gratia. *Jacobus, ait, peccatorum Auctorem* MERITO DEUM ESSE NEGAT. *admonitio neceſſaria*, NE *nos Deum loco noſtro* *Comment. in Jacob. 1. & in Pſal.*

ſub

ſubſtituamus, ac ſi nos ipſe ad peccandum impelleret. Summa eſt fruſtra tergiverſari homines, qui vitiorum ſuorum culpam rejiciunt in Deum, quia non ex alio fonte proveniunt mala, quam Ex Mala *cujusque cordis* Concupiscentia. Hæc Calvinus. Idem in loco ab adverſariis objecto. *Flagitiorum cauſſa,* inquit, Extra humanam *voluntatem quærenda* Non *eſt, ex qua mali radix aſſurgit, & in qua peccatum reſidet.* Et *Deum eſſe Auctorem peccati* plus centies diſertè alibi ſimiliter negat.

Negat autem etiam ſequi, Deum eſſe peccati Auctorem, etiam ſi in peccatoribus & impiis agat. Nam *Deus,* inquit, *tentat neminem Loquitur de internis tentationibus, quæ nihil aliud ſunt, quàm inordinati appetitus illorum* Auctorem Deum Esse Negat *quoniam ex carnis noſtræ corruptione manant. Verùm tota Scriptura doctrina huic ſententiæ reclamare videtur, quæ tradit Deum homines excæcare, in reprobum ſenſum tradere, in pravas & fœdas cupiditates conjicere.* Reſpondeo. *Sic quidem Scriptura loquitur, an quia Dominus eorum corda depravet, atque corrumpat?* Minime. *Ideo enim ſubjicitur, tradidit eos pravis ſuis deſideriis, quia cor eorum jam corruptum & vitioſum erat. Deus tradendo tantum peccata ulciſcitur, atque ita ſe res habet, nō aliunde nos in malū impelli, ſed* Cuique Pravum Suum Affectum *ducem eſſe & impulſorem. Deum autem neminem tentare, quia malis non tentatur, id eſt, mala non appetit.* Et ad locum Rom. 9 ℣. 18. *Ergo cujus vult miſeretur,* ſcilicet Deus, *quem vult indurat, eadem* eodem modo tractans, ſubjicit: *Corruit ergo frivolum illud effugium, quod de præſcientia Scholaſtici habent. Neque enim præ-*

Ibid. in Jacob 1.

Exod. 4. 21. *Deut.* 2. 30. *Joſ.* 1ᶦ. 20. 1. *Sam.* 2. 24 1. *Reg.* 12. 15. Job. 12 16. *Eſa.* 19. 14 & 36. 17. Jer. 20. 7. Joh 12. 39. *Rom.* 1. 24. 26. 28. *Rom.* 9 18. 2. *Teſſ.* 2. 11.

Exod. 9. 16

videri ruinam impiorum à Domino Paulus tradit, ſed ejus conſilio & voluntate ordinari. Quemadmodum & Solomon docet, non modò præcognitum fuiſſe impiorum interitum, ſed impios ipſos fuiſſe deſtinato creatos, ut perirent.

Prov. 16. 4.

Non ſolùm autem his, ſed & aliis S. Scripturæ locis inſtructi ac confiſi, addimus & dicimus Nos, peccata non tantùm nuda Dei permiſſione, quod ſentiunt Papiſtæ, verùm etiam non ſine Dei voluntate & decreto & ordinatione fieri. Deum omnia & ſingula omnium atque ſingulorum hominum peccata regere, horúmq; ocioſam permiſſionem eſſe dogma Epicureum affirmamus. Liquet hoc primo ex pii Joſephi ſermone, qui: *Non vos* (fratres ſcilicet mei, qui me ſceleratè vendidiſtis in Ægyptum) *miſiſtis me huc,* inquit, *ſed Deus,* &c. Item: *Vos cogitaſtis quidem adverſum me malum, Deus autem cogitavit illud in bonum, ut faceret ſecundùm diem hanc, ut vivificaret populum multum.* Patet deinde è Nathanis Prophetæ correptione adulterii Davidis, quâ pœnam talionis ei minando, prædicit filium quidem ipſius Abſolomū etiam uxoribus patris Davidis vitium illaturum, ſed Deum id effecturum atque gubernaturum. Ait enim: *En ego,* nempe Deus cujus nomine loquebatur Propheta, *ſuſcitaturus ſum adverſus te malum de domo tua, tollámque uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, dormietq; cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus. Tu enim feciſti abſconditè, ego faciam hoc coram toto Iſraële & coram ſole.* Nec fefellit hoc Davidem, ſed quum pulſus eſſet à filio Abſolomo urbe ac regno, obſequutus hic peſſimo conſilio Achitophelis, in-

Cauſſa ordinans & regens peccatum Deus.

Gen. 45. 5. 7. 8. & 50. 19.

2. *Sam.* 12. 11.

Digitized by Google

greſſus eſt ad concubinas patris ſui in oculis totius Iſraëlis, ut 2. Sam. 16. ℣. 21. & 22. refertur. Itaque Dei decretum pridem patefactum, nunc expletum eſt, ut quod Deus ſe facere dixerat, Abſalom parricida nefarius fecerit. Eodem tempore Semeo maledicēte Davidi, & Abiſao monente hunc, ut eum comprimeret, reſpondet David: *Ecce filius meus qui egreſſus eſt de utero meo, quærit animam meam, quātomagis nunc filius* Jemini? *Sinite illum, ut maledicat: quia dixit*, id eſt, mandavit, *ei Jehovah*. Quin injuſta cæde Filii Dei à Judæis perpetrata, fatentur atque teſtantur Apoſtoli id Dei voluntate atque decreto factum. *Hunc*, inquiunt, *definito conſilio & providentia Dei deditum quum accepiſſetis, manibus injuſtis cruci affixū ſuſtuliſtis*. Item: *Coacti ſunt verè adverſus ſanctum Filium tuum* JESUM *quem unxeras, Herodes & Pontius Pilatus cum Gentibus & populis Iſrael, ut facerent, quæcunque manus tua &* CONSILIUM *tuum prius* DEFINIERAT *facienda*.

2 Sam. 16. 11.

Act. 2. 23. & 4. 27. 28.

Pſal. 45.

In ſumma, Deum in peccati conſideratione facimus cauſſam ordinis ſive relationis ad aliud, quâ non facit, ſed ordinat & dirigit arcanâ providentiâ ſuâ actionem peccatoris malam ad conſtitutionem ordinis ſui in univerſitate & ſingulis rebus ipſius, & gloriæ ſuæ teſtimonium. Huc pertinent ſacræ Scripturæ loca, Prov. 16. 4. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum*. Rom. 9. 21. *Annon habet poteſtatem figulus faciendi vas aliud ad honorem, aliud in contumeliam?* Exod. 9 26. *Idcirco autem poſui te* (Pharaonem) *ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen tuum in omni terra*. Vel ut Apoſtolus citat Rom. 9. 17. *In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, &c.*

Eodem ſpectat ſancti Auguſtini doctrina lib. 14. de civitate Dei cap. 11. Ubi optimè Deum voluntatum bonarum adjutorem ac remuneratorem, malorum relictorem & damnatorem, utrarumque ordinatorem ſeu gubernatorem appellat. Atque in hanc ſententiam rectiſſimè Calvinus dicit, *peccatores & impios ita gubernari, ut nihil ipſi deliberando agitent, niſi quod Deus apud ſe decreverit, & arcana directione conſtituat*: oſtendens non à ſe agi de decreto efficiente peccati, ſed ordinante peccatum in illo ordine admirabili providentiæ ſuæ.

Nam (ut res intelligatur planiùs) aliud eſt peccatum abſolutè in ſe, aliud in relatione & ordinatione ad aliud. Peccatum *abſolutè* eſt à cauſſa proxima efficiente, nempe Diabolo, qui ejus eſt flabellum, & ipſius hominis peccantis voluntas proba, quæ malo & peccato, & in Deum perfidiæ atque inobedientiæ aſſentit: peccatum verò *relatè* non à cauſſa efficiente proxima peccati ordinatur, ſed à providentia Dei cum bonis ordinante mala ſapientiſſimè ac juſtiſſimè, & dirigente ad univerſi bonum. Omnes enim & ſingulæ creaturæ, angeli, homines, in Deo ſunt, vivunt, moventur, agunt: neque plus ſunt, vivūt, moventur & agunt, quàm Deus vires eis ſuggerit, quod Apoſtolus Act. 17. 24. 25. & 28. Epheſ. 1. 11. ac Scriptura Iſa. 45. 7. Amos 3. 6. Gen. 45. 5. 6. 7. 8. & 50. 19. Job. 1. 21. 1. Sam. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10 &c. Exod. 21. 13. 2. Sam. 12. 11. &c. docet. Deinde autem, peccatum tantùm eſt ex lege, bona præcipiente

Digitized by Google

piente, mala vetante: ſine lege verò in actionibus peccatum nullum eſt, juxta Apoſtoli dictum: *Ubi non eſt lex, ibi nec transgreſſio.* (Rom. 4. 15. 1. Joh. 3. 4.) Hinc ſenarius ille Græcus: *Νόμῳ τὰ πάντα γίγνεται καὶ κρίνεται.* Angeli igitur & homines, reliquæque creaturæ, quando peccant, pravo naturæ ſuæ, & ingenii voluntatis, cupiditatiſque ſuæ motu ad peccatum ac tranſgreſſionem legis divinæ inclinant & feruntur. Quum autem ſeſe contra legem movent & peccant, etiam ejus motionis cauſſa Deus eſt: nec tamen peccat, vel peccati cauſſa eſt: quia Deus nõ eſt ſub lege, nec legem habet, proinde peccare non poteſt. Eoque minùs peccati auctor, effector vel cauſſa efficiens proxima & propria Deus eſt, quo magis lex ab eo data bona præcipit, mala autem vetat. Unde ſi homines, angeli & cæteræ creaturæ legi Dei obtemperarent, non peccarent. Quia autem legem divinam Diaboli inſtinctu & propria voluntate mala tranſgrediũtur, neq; tamẽ plus in ea tranſgreſſione poſſunt, quàm Deus permittit & ordinat, ut clariſſima loca Scripturæ paulò ante recitata teſtantur, ideò ipſe peccata abſolutè in ſe & per ſe committunt. Deo autem cauſſa peccatorum tribui propriè nequit, quia ſi illæ legi ejus bonæ divinã ipſius voluntatem tradenti parerent, non peccarent. Si autem peccata angelorum, hominum & creaturarum Deo tribuuntur, & Deus dicitur, feciſſe hoc vel illud crimen, quod hic vel illud patravit, tunc IMPROPRIE id dicitur atque enunciatur: quia quantum Deus facit, non eſt peccatum, quum bona ipſius lex ſit, neque ipſe ſubſit legi, neque voluerit tranſgreſſionem ejus, ſed obedientiam, tranſgreſſionem autem in bonum finem ordinet, ac f eno ſuo moderetur.

Unde iterùm B. Auguſtinus: *Vitiorum noſtrorum*, inquit, *non eſt auctor Deus: ſed tamen ordinator eſt, quum eo loco peccatores conſtituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Ad hoc valet, quòd oves ponuntur ad dextram, hœdi autem ad ſiniſtram. Quædam ergo facit Deus & ordinat, quædam verò tantùm ordinat. Juſtos & facit & ordinat: peccatores autem, in quantum peccatores ſunt, non facit, ſed ordinat tantùm, &c.* (Lib. de Geneſi ad Literam imperfecto cap. 5.)

Idem: *Magna*, inquit, *opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit volũtatem: quia non fieret, ſi nõ ſineret, nec utique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri mala, niſi omnipotens etiam de malo faceret bene.* (In Enchirid. ad Laurẽt. cap. 100.)

Et alibi: *Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas voluntates eorum, quorumcunque vult, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro ipſorum meritis. Judicio utiq; ſuo aliquando aperto, aliquando occulto, ſemper autem* JUSTO. (De Grat. & lib arb. cap. 21.)

Rurſus in Enchiridio cap. 10. *Aliquando bona*, inquit, *voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult: & rurſus fieri poteſt, ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bonâ. Tantùm intereſt, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem, ut aut approbetur, aut improbetur.*

Rurſus lib. de gratia & libero arbitr. cap. 20. *Scriptura*, inquit *divina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolùm bonas hominum voluntates, ſed etiam illas, quæ conſervant ſeculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas, quo voluerit, quando voluerit,*

FACI-

Digitized by Google

FACIAT INCLINARI, *vel ad pœnas quibuſdam ingerendas vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, ſicut ipſe judicat, occultiſſimo quidem judicio, ſed ſine ulla dubitatione juſtiſſimo.* Et infrà: *Non enim jubendo dixit* (Semei) *ubi obedientia laudaretur, ſed quòd ejus voluntatem proprio vitio ſuo malam* IN HOC PECCATUM (nos tamen non ita loquimur) *judicio ſuo juſto & occulto inclinavit.* Et cap. 21. *Quis non iſta judicia divina contremiſcat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum, quicquid vult, reddens eis tamen ſecundùm meritum eorum. Et manifeſtum eſt, Deum operari in cordibus hominum ad* INCLINANDAS *eorum voluntates quocunq; voluerit. Agit enim omnipotens in cordibus hominum &* MOTUM *voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit, qui omnino injuſtè aliquid velle nõ novit, voluntatem ejus pro proprio vitio ſuo malam* INCLINAVIT AD HOC PECCATUM *juſto ſuo & occulto judicio.*

Lib. 5. c. 3. cõt. Julian. Idem: *Deus non facit voluntates malas, ſed utitur eis, ut voluerit.*

De grat. & lib. arb. c. 20. Rurſus de fine ordinationis ſuæ in peccatis ſic diſputat: *Ecce quomodo probatur, Deum uti cordibus etiam malorum ad laudem & adjumentum bonorum. Sic uſus eſt,* inquit, *Juda tradente Chriſtum. Sic judæis crucifigẽtibus Chriſtum, qui & ipſo Diabolo utitur peſſimo, ſed optimè ad exercendam & probãdam fidem & pietatem bonorũ.*

Lib. de correp. & gratiâ c. 10. Præterea ſcribit: *Deum ſciviſſe magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quàm mala non ſinere. Sic* ORDINASSE *Angelorum & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid eſſet liberum arbitrium, deinde, quid poſſet ſua gratia beneficium, juſtitiæq; judicium.* Unde colligitur: Deum mala nõ ſolùm præſciviſſe, ſed etiam ordinaſſe: & ſic etiam lapſum Angelorum atque hominum, ut oſtenderet, *quòd Angeli & homines per liberum arbitrium*, Deo eos non ſervante in integritate, *ſtare non poſſent.* Deinde, ut quid poſſet *ſua gratia beneficium*, nempe in eripiendo aliquos è pernicie ac merita dãnatione æterna, *juſtitiæq; ſua judicium*, in relinquendo alios ad interitum ac damnationem, puniendoque, declararet.

Nec minùs ex ipſorum Pontificiorum Schola protrahi poſſunt, qui noſtram ſententiam clariſſimè comprobant. HUGO enim de VICTORE: *Nunquam*, inquit, *cauſſa eſt voluntas ejus* (Dei) *ut non fiat, quod vult: neque in ſumma aliquando ut fiat, quod non vult.* Et paulò poſt: *Voluntas Dei ſemper impletur, & non excuſantur mali propterea, quoniam in eis & per eos voluntas Dei impletur, quoniam non ſua voluntate ad implendam Dei voluntatem diriguntur, ſed occulta ipſius diſpoſitione diriguntur.* *Tract. de Sacrã. part. 4. cap. 14. ac 15.*

Idem lib. 1. de Sacram. cap. 12. part. 4. *Dictu* LEVE *eſt*, inquit, *& abſque conſcientia ſcrupulo dicitur, ſed* GRAVE *auditu. Videtur enim tum dici, quòd Deus malum diligit, & approbat, quod pravum eſt. Ideo refutat hoc pia mens, non quia quod dicitur: ſed quia quod bene dicitur, non bene intelligitur. Deus, quum facit bonum, & permittit malum, apparet voluntas ejus, quæ* ESSE *vult, quod facit, & quod permittit, eſt Dei voluntas*, OPERATIO *ejus &* PERMISSIO *ejus.* *Actus volendi in Deo eſt, non permiſſio ſolùm.*

AQUINAS libro 1. contra Gentes cap. 82. *voluntas Dei*, inquit, *eſt ſemper actu ad unum oppoſitorum determinata, & Dei voluntas eſt actus æternus.*

Quæ probè obſervanda ſunt, quia hodie

Digitized by Google

Lib.4. de Eccl cap.9. hodie Bellarminus & alii Pôtificii permiſſionem duntaxat Dei commenti ſunt, quâ excludunt actum volendi in Deo. Nam non ſolam permiſſionem à Calvino & noſtris in Deo ſtatui indignantur. Dicit ille igitur: *Non ſolùm permiſſione* (inquit Calvinus) *verumetiam voluntate Dei homines peccant, ita ut nihil illi deliberando agant, quod non Deus ipſe anteà decreverit. Rurſus ſcribit ibidem: Quod aliqui,* inquit Calvinus, *verbum Dei contemnant, ipſorum eſt pravitas, ſed in hanc pravitatem à Deo adducti ſunt, ut in iis potentiam ſuam & ſeveritatem oſtendat.* Ac *Lib.11. de juſtif.c.4.* Stapletonus: *Lutherus etiam*, inquit, *illud velle, quo Judas voluit Chriſtum prodere, fuiſſe opus Dei affirmat.* *Lib.2. de amiſſione gratiæ.c.16.* Hinc tandem Bellarminus diſtinctionem indignam prorſus Dei majeſtate fingit contra Calvinum & Noſtros, dicens: *Deus quoad peccatum, non habet poſitivè velle, ſed tantùm privativè, nec enim vult eſſe peccatum, nec vult non eſſe. ſed non vult eſſe, quod eſt permittere.*

Hanc verò voluntatis ſuſpenſionẽ ſtupidam prorſus & impotentem Deo tribuere, nemo doctiorum & verè Scripturis intentiorum Papiſtarum, quinetiam nemo verè Chriſtianorum non improbat. Sine blaſphemia enim dici, ſtatui, doceri & credi non poteſt: ſicut antea Hugo de Victore & Aquinas etiam è Pontificiis agnoverunt. Quare ut pateat dilucidiùs, alterum illud non velle Deũ nõ poſſe, atq; adeò non ſolùm Deum permittere, ſed etiã velle & ordinare, quanquã nec approbando malum velit, nec ſanè faciẽdo, iterùm tum ipſum reum Calvinum, tũ Advocatos ejus Pontificios plura in eam ſententiam differentes audiemus.

Stapletono enim objiciente: *Ecce Calvinus in exemplo, Job inquit, colligimus, Deum ejus probationis, cujus Satan miniſter fuit, auctorem fuiſſe. Ecce Calvinus apertè plus tribuit Deo in ſcelere quàm Diabolo.* *In Doct. Princip. de hac quaſt.* Calvinus cauſſam ſuam ibi ſatis ipſe defendit, dicens, *Deum probationis auctorem fuiſſe,* non ſceleris.

Quò autem rectiùs & planiùs tota noſtrorum ſententia cum Calvini intelligatur, ſic ipſius Calvini verbis exponitur. *In inſtruct. contra Libertinos. cap.14.* *Non negamus ipſi, quin omnia fiãt Dei voluntate. Atque adeò quum declaramus, cur dicatur omnipotens, poteſtatem in omnibus creaturis efficacem ei tribuimus, atque docemus, ut ſemel creavit orbem univerſum, ſic etiam ipſum regere, manúmque operi ſemper admotam habere, ut omnia in ſtatu ſuo conſervet, & arbitrio ſuo diſponat.* Ut *facilius exprimam, quid hoc ſibi velit: ajo nobis conſiderandum eſſe*, DEUM *in univerſi adminiſtratione tribus modis operari.*

I. *Univerſalis operatio Dei.* *Eſt enim* PRIMUM *univerſalis operatio, quâ dirigit omnes creaturas juxta conditionem & proprietatem, quam ſingulis, dum eas formaret, dedit. Hæc gubernatio nihil aliud eſt, quàm quod* ORDINEM *naturæ vocamus. Nam quum infideles nihil aliud in diſpoſitione mundi agnoſcant, quàm quod oculis intuentur, ideóque naturam veluti* DEUM *conſtituunt, quæ omnibus præſit, ac dominetur: hæc Dei voluntati laus tribuenda eſt, quod ipſa ſola moderatur, ac regit omnia. Quocirca quum Solem, Lunam, Stellas curſum ſuum conficere videmus, exiſtimemus ipſa obedire Deo, ipſius juſſa exequi: neque id tantùm, ſed Dei quoque manu gubernari: fieríque omnia ejus virtute. Sic quum rerum terrenarum curſum cernimus, tribuenda Deo omnia, creatura verò cenſenda,*

veluti INSTRUMENTA in manu ipſius, quæ quomodocunque libuerit, operi applicet.

Univerſalis providentia.

UNIVERSALEM iſtam providentiam ſæpè attingit Scriptura, ut diſcamus gloriam tribuere Deo in omnibus operibus ſuis. Ac præcipuè honeſtam virtutem nobis Deus commendat, ut eam in nobis agnoſcamus, quò exuamur arrogantiâ, quæ ſtatim in nobis exſurgere ſolet, ſimulatq; nos in ipſius manu eſſe obliviſcimur. Huc pertinet, quod Athenis dicebat Paulus: Ipſe eſt, in quo vivimus, movemur & ſumus. (Act. 17. 18.) Is enim admonet, niſi nos ſuſtineat manu ſua, vel minimo temporis momento ſtare non poſſe, quum in ipſo ſubſiſtamus. Atque ut anima vim ſuam per univerſum corpus effundens, membra agitat: ſic nos vivificari à Deo, à quo quicquid eſt in nobis facultatis aut virium, obtinemus. Hæc tamen univerſalis operatio non prohibet, quò minùs ſingulæ creaturæ, tum in cœlo tum in terris, qualitatem & naturam ſuam retineant, propriamq; inclinationem ſequantur.

II. Operatio Dei ſpecialis.

ALTER MODUS, quo Deus operatur in creaturis ſuis eſt, quod eas adducit in obſequium bonitatis ſuæ, juſtitiæ & judicii: prout nunc ſervos ſuos adjuvare, nunc ſontes punire vult, nunc fidelium patientiam probare, aut eos caſtigare paterno affectu. Sic quum frugum copiam nobis vult largiri, dat pluvias ſuo tempore, calores per ſolem ſuum emittit, lucidóſque & ſerenos dies: tum etiam naturalibus aliis mediis utitur, veluti inſtrumentis bonitatis ſuæ. Quum verò manum ſuam ad ſe revocat, cœlum fit veluti æneum, terra quaſi ferrea. Itaque is eſt, qui tonitrua, gelu, grandines, tempeſtates efficit, & ſterilitatis cauſſa eſt. Ideóque quicquid Ethnici & ignari tribuunt FORTUNÆ, nos divinæ PROVIDENTIÆ aſſignare debemus: non tantùm univerſæ illi virtuti, de qua locuti ſumus, ſed ORDINATIONI SPECIALI, qua moderatur omnia, ut maximè convenire & conducere ipſi videtur. Idq; docet, quum ait per Prophetam, ſe tenebras & lucem creare, vitam & mortem immittere, nihil boni aut mali accidere, niſi è manu ſua adeò, ut dicat, ſe etiam ſortes & alia, quæ fortuita videntur, moderari. (Iſa 45. 7. Amos. 3. 6. Prov. 16. 33. Exod. 21. 13.) Quod ſi aliquis fortè occidatur non ex induſtria ſe cauſſam eſſe mortis illius, atque ita conſtituiſſe, nec quicquam fortuito, ſed omnia ex conſiliis ipſius definitione evenire putemus. Ac vehementer indignatur, quum exiſtimamus quicquam aliunde proficiſci, neque in ipſum intuemur, ut eum agnoſcamus non ſolùm, ut præcipuam omnium cauſſam, ſed etiam ut auctorem, hoc vel illo modo omnia ſuo conſilio ſtatuentem. Sic igitur concludamus, tam proſpera quàm adverſa, pluvias, ventos, grandines, gelu, ſerenitates, abundantiam, famem, bellum, pacem, opera Dei eſſe, creaturas autem, quæ inferiores cauſſæ ſunt, inſtrumenta ſolùm eſſe, quæ in uſu habet, ad exequendum voluntatem ſuam: ideóque iis arbitrio ſuo uti, quocunque libuerit ea convertere, eóque adducere, ut omnino fiat, quod conſtituerit.

Homines & Diaboli providentia Dei ſubjecti.

Præterea notandum eſt, ipſum non ſolùm creaturis ſenſu carentibus hoc modo uti, ut per eas operetur & exſequatur voluntatem ſuam, ſed & hominibus ipſis atq; etiam Diabolis. Adeò ut & Satan & iniqui ſint executores divinæ voluntatis. Quemadmodum Ægyptiis uſus eſt ad affligendum populum ſuũ, aliquanto poſt ſuſcitavit Aſſyrios, alióſque ſimiles, ut ejus delicta vindicaret. Diabolo uſum eſſe cernimus, ut Saulem torqueret, ut deciperet Achab, & in omnes iniquos, quum neceſſe fuit, JUDICIA SUA exerceret: aut è diverſo ad probandum ſuorum conſtantiam, cujus rei Jobus nobis eſt exemplum. Job. 1. 12.

Quæ quum Libertini audiunt, temerè atque

Digitized by Google

Hanc Libertinorum blaſphemiam Bell. Calvino per calumniam aſpergit.

quæ incogitanter irruentes, neque longiùs ſpectantes, concludunt, nihil ampliùs agere creaturas. Sic horribiliter omnia permiſcent. Neque enim tantùm cœlum cum terra, ſed Deũ cum Diabolo confundunt. Idq; ita accidit, quod exceptiones duas valdè neceſſarias minimè obſervent.

Reſponſio ad Libert. blaſphemiam & Bellarmini calumniã.

Prior eſt, *Satanam & iniquos non ſic eſſe inſtrumenta Dei, quin ipſi etiam ſuas agant partes. Nec enim imaginari oportet, Deum ſic per hominem iniquum, ut per lapidem & truncum operari, ſed ut per creaturam rationis participem, ſecundùm natura, quam ei dedit, qualitatem. Quum igitur dicimus,* Deum Per Creaturas Operari *id non prohibet, quo minùs etiam impii ſua ex parte operentur. Quod etiam Scriptura apertiſsimè oſtendit. Ut enim pronunciat, Deum ſibilaturum, & quaſi cantaturũ tuba, ut ad bellum educat infideles: induraturum aut inflammaturum animos: ſic narrare non deſinit proprium eorum conſilium, & qua fuerint voluntate: atque opus illis adſcribit, quod Dei decreto exequuti ſunt. Iſa. 10. 7. 8. Act. 2. 23. & 4. 27.*

Iſa. 5 26. Iſa. 10. 6.

Diſcrimen inter opus Dei & impii.

Altera Exceptio, *cujus infelices iſti nullam habent rationem, hæc eſt: magnam eſſe differentiam inter opus impii, quum eo „Deus vice inſtrumenti utitur.* Impius *„enim ſuâ avaritia, aut ambitione, aut invi„dia, aut crudelitate incitatur ad facinus ſu„um, nec alium finem ſpectat. Ideo ex radice il„la, id eſt, ex animi affectione & fine, quem „ſpectat, opus qualitatem ſumit & merito „malum judicatur. Sed* Deus *reſpectum o„mnino contrarium habet, nempe ut juſtitiam „ſuam exerceat ad conſervandos bonos: gratia „& bonitate ſua utatur erga fideles: malè au„tem meritos caſtiget.*

En quo pacto ſit inter Deum & homines diſcernendum, ut hinc in eodem opere juſtitiam, bonitatem ac judicium ejus contemplemur: illius Diaboli & infidelium malitiam. Sumamus autem præclarum & perlucidum ſpeculum, in quo iſta intueamur. Quum Jobo affertur nuntium tanta bonorum jactura, interitus filiorum, tot calamitatum, quæ ipſi acciderunt, agnoſcit ſe viſitari à Deo, inquiens, Dominus hæc mihi omnia dederat, eadem ipſe abſtulit. Et ſanè ſic ſe res habebat. Sed interim nonne ſciebat, Diabolum eam ipſi cudiſſe fabam? Nonne intellexerat, Chaldæos armenta & pecora ſua abegiſſe? An prædatores & latrones laudabat? An excuſabat Diabolum, quod à Deo afflictio illa oriretur? Minimè. Magnam enim eſſe inter hæc differentiam intelligebat. Itaque malum damnans inquiebat: Sit nomen Domini benedictum. Similiter David quum eum Semei perſequeretur, dicit ſe id recipere à Deo, ac videt impium illum eſſe virgam, quâ Deus eum caſtigat. Sed Deum laudans non minus poſtea Semei condemnat. De hoc autem adhuc alio loco tractandum erit. Hoc nunc tenere ſufficit. Deum *ſic per creaturas ſuas operari, iiſque uti ad providentiam ſuam, ut inſtrumentum, quo agit, malum eſſe non deſinat. Quódque Satanæ & impiorum hominum malitiam in bonum convertit, non propterea excuſari ipſos aut expiari, quo minùs id delinquant, eorúmque opera iniqua & damnanda ſint. Sumunt enim omnia qualitatem à propoſito & voluntate auctoris.*

Job. 1. 21.

Jobi exemplum.

Davidis exemplum.

2. Sam 16. 11.

Libertinis & calumniatoribus hoc dicitur.

Qui igitur iſta non diſtinguunt, omnia tanquam porci roſtro ſuo evertunt, & horribili confuſione perturbant, quæ pulcherrimo ſunt ordine conſtituta. Tales ſunt Libertini, qui non ſolùm Diabolum cum Deo ſocietate conjungunt, ſed etiam in Deum ipſum transformant: laudabilia ejus opera cenſentes hoc prætextu, quòd nihil agat, niſi à Deo conſtitutum. Hæc autem hæreſis, ſi antiquis doctori-

Digitized by Google

ſtat nõ eſſe, niſi bonam vel malam hominum voluntatem. *Calumnioſum*, quod ſecundùm noſtros Deus actiones malas, qua ſunt tales in ſpecie, intendat, velit, imperet, homines ad eos moveat, impellat, per eos ut inſtrumẽta efficiat. Non enim, niſi judicia ſua occulta & juſta, in hominum peccatis, quæ improbi ſibi relicti ultrò perpetrant, intendit, vult, imperat, efficit. Quo & illud Calvini pertinet: *Ego*, inquit, *plus concedo, fures & homicidas & alios maleficos divina eſſe providentia inſtrumenta, quibus Dominus ipſe ad exequenda, quæ apud ſe conſtituit*, Judicia *utitur.* Suorum proinde judiciorum Deus eſt cauſſa per ſe, non particularis, ſed univerſalis ſpecialiter agens: peccatorum verò, quæ in inſtrumentis concurrere permittit, quæque ad finem utilem dirigit, non niſi per accidens. Sicut eques equum claudum agitans cauſſa particularis per ſe eſt equitationis, quam intendit, per accidens claudicationis, quam non intendit. Organicen impellens claves tuborum vitioſorum cauſſa univerſalis ſpecialiter in tubos agens per ſe eſt harmonici concentus, per accidens δυσφωνίας, quæ vitio tuborum harmoniam perturbat.

Inſtitut. lib. 1. c. 17. §. 5.

Equitis ſimile.

Organiſta.

Quæ etiam nonnulli è Pontificiis hunc in modum tradunt, & aliis aptis ſimilibus explicant atque illuſtrant. Ut H. Pererius: *Multa*, inquit, *facit Deus* Etiam Intra Eum *qui obduratur, quibus vitio ſuo is fit deterior. Excitat* Varios Motus *vel ſpei, vel timoris, vel* Cupiditatis, *vel* Iræ. *Itẽq; varias imaginationes immittit, dubias atque perplexas, quibus ille nimio plus incredulus* Præcipitatur *in malũ. Hanc excæcandi impios & obdurandi viam omnium maximè approbat Auguſtinus, dicens: Deum non modò per permiſsionem atque patientiam, ſed etiam* Per Potentiam & Actionem *potentiſſima ſua providentia, ſed tamen ſapientiſſima atque juſtiſſima agere.* Hucuſque Pererius; qui quid, ut Deus non ſit Auctor peccati etiam in peccatoribus & impiis agens, magis orthodoxè dicere potuiſſet?

Comment. in Geneſ. 18. diſp. 8.

Lib. 5. adverſus Julianum.

Andreas Vega rem exemplis ſeu ſimilitudinibus dilucidam facit. *Quemadmodum*, inquit, *mala ambulationis in claudo in detortam tibiam vitium rejicimus, & vitium ſcripturæ exaratæ in optimo ſcriba in malam papyrum, aut malè temperatum calamum; ita mala noſtra non debent imputari Deo, quòd auxilio generali ad ea* Cõcurrit *ſed nobis qui deflectimus, & claudicamus ab ipſius lege, & influxum ejus in malum detorquemus. Quam obrem licet nobiſcum faciat actus, qui intrinſecam & inſeparabilem habet* Malitiam, *nequaquã tamen, ut antiquiores Theologi probè monuerunt, peccati Auctor cenſeri debet. Quia in moralibus ille alicujus operis cauſſa judicatur, qui* Præcipit, *conſulit, ſuadet, præmiat, approbat. At Deus, ut Theologi probabilius ſentiunt, cum voluntate & conſenſu* Velit Et Faciat *nobiſcum* Peccata, *nihil horum facit.*

Lib. 2. c. 15. in expoſit. conc. Tridentini.

Uſus iſtorum omnium eſt, quod iis primò Papiſtarum plurimorum commentum refellitur, qui in Deo nihil ferè quàm præſcientiam fingũt, omnem verò rerum vel bonarum vel malarum adminiſtrationem ei adimunt. Ita ex Deo otioſum mundi ſpectatorem facere videntur, adeoque ignavum etiam & inertem, qui multa contra voluntatem ſuam, & ſecus quàm conſtituerat

Uſus providentia divinæ circa peccatum.

veticæ & Euangelicæ artic. 8. de lapſu hominis & peccato, ac cauſâ peccati, apertiſſimè ſtatuimus: *Damnamus Florinum & Blaſtum, contra quos & Irenæus ſcripſit, & omnes qui Deum faciunt authorem peccati. Quum diſertè ſcriptum ſit;* Tu non es Deus, qui velit iniquitatem. Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Et iterum:* Quum loquitur Diabolus mendacium, ex propriis loquitur, quia mẽdax eſt, & pater ejus rei. *Sed & in nobis ipſis ſatis eſt vitii corruptioniſque, ut nihil neceſſe ſit Deum infundere nobis novam aut auctiorem pravitatem. Proinde, quando dicitur in Scripturis Deus indurare, excæcare & tradere in reprobum ſenſum, intelligendum id eſt, quòd juſto judicio Deus id faciat, tanquam judex & ultor juſtus. Denique, quotieſcunque Deus aliquid mali in Scriptura facere dicitur atque videtur, non ideò dicitur, quòd homo malum non faciat, ſed quòd Deus fieri ſinat & non prohibeat, juſto ſuo judicio, qui prohibere poſſet, ſi voluiſſet: vel quòd malo hominum bene utatur, ut peccatũ fratrum Joſephi: vel quòd ipſe peccata gubernet, ne latiùs, quàm par eſt, erumpant atque graſſentur. Sanctus Auguſtinus in Enchiridio ſuo:* Miro modo, *inquit,* & ineffabili non fit præter voluntatem ejus, quod etiam fit contra volũtatem ejus. Quia non fieret, ſi fieri non fineret. Nec utique nolens ſinit, ſed volens. Nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene. *Hactenus Confeſſio Euangelicorum.*

Pſal. 5. Joh. 8.

Quòd itaque Pontificii nos cum Simone Mago & Florianis Deũ authorem peccati facere dicunt, nihil impudentiùs dici ne à Satana quidem ipſo potuit. Nos enim in eadem etiam numero actione diſtinguimus opus Dei, quod ſemper ſanctum eſſe dicimus, Pſal. 25. 10. ab opere & à fine hominis ac Diaboli, quem ſolum & MALUM & peccatũ eſſe profitemur. Et ſic cum tota ſacra Scriptura loquimur, Geneſ. 50. 20. Job. 1. & 2. Act. 4. 28.

Imò potiùs ipſi Pontificii docent, Deum lubenter peccatum, quâ peccatum eſt, & malum permittere, ac proinde velle, ut ex Bellarmino lib. de ſtat. pecc. & amiſſ. gratiæ conſtat, ac lib. 2. infra circa Pelagianiſmum oſtendemus.

CAP. IV.

Origenis hæreſin de imagine Dei penitus deletâ & inferno in conſcientiæ tantùm cruciatu conſiſtente præter rationem Euangelicis aſcribi.

PROGREDIENTES Adverſarii Origenis hæreſin duplicem Euangelicis aſſignant. Sed re penitiùs conſiderata, nos in neutra cum Origene conſentire deprehenditur Deo clementer nos tutante.

Tertia hæreſis, inquit Bellarminus lib. 4. de Eccleſia milit. cap. 9. de ejuſdem notis, *eſt Origenis.* PRIMO *enim docuit, Adamum peccantem totam Dei imaginem, ad quam erat conditus, perdidiſſe:* ut teſtatur Epiphanius hæreſi 63. *Idem docet Calvinus, dicens lib. 2. inſtitut. cap. ſectione 5. Per peccatum primi hominis obliterata eſt cæleſtis imago.* Graviùs tamen nos ejuſdem accuſat Edmundus Campianus, qui ac ſi per Mimeſin noſtrorum verba imitetur, dicit: *De homine quid?* nẽpe Euangelici ajunt? *Imago Dei penitus* *Ratione 8. pag. 111.*

in

Digitized by Google

in homine deleta eſt,nulla bona ſcintilla ſuperſtite. Tota natura, quoad omnes animæ partes ita funditus everſa,ut ne renatus q̃dē & ſanctus quicquã ſit aliud intrinſecus, niſi mera corruptio & cõtagio. Quorſum iſta? Ut *qui ſola fide gloriam rapturi ſunt,in omniũ turpitudinum cæno volutati,naturam accuſent,virtutem deſperẽt,præcepta deonerẽt.* Et infert: *Sic n. Illyricus,ſic Calvinus docuerũt.*

Hîc primùm ad Bellarmini,deinde ad Campiani verba reſpondebimus. *Primò*,diſtinguendum eſt in vocabulo imaginis.Nam ſignificat vel animæ rationalis ſubſtantiam,vel tantùm dotes & qualitates animæ ſpirituales: quæ diſtinctio fortè Origenem,certè quidē Calvinum & noſtros Euãgelicos,à ſuſpicione hæreſeos vindicabit. Ac advocatus noſter in hoc eſt non vulgaris Papiſta Alphonſus de Caſtro,qui ſcribit: *Origenes per imaginem intelligebat,vel naturam,ſeu ſubſtantiam rationalem,vel ſignificabat ſimilitudinem,ſeu animi qualitatem. Quod ſi Origenes ſecundùm hunc modum uſurpaverit, quis non videt,ibi nullam eſſe hæreſis ſuſpicionem?* Et quis non videt, Alphonſo Moderatore, etiam Calvinum ac Noſtros Euangelicos omnes hæreſis ſuſpicione prorſus liberari.

1 De imagine Dei rectè ſentire Euangelicos.

Lib. 1. adverſ hæreſ. Tit. Adam.

Verùm hoc ſapit hæreſin ſcilicet, quod *imaginem obliteratam eſſe dixerit*. At defenditur dupliciter. *Uno* modo, ꝙ Adverſarii fallũt Æquivocatione. Nã obliterare aut obſcurare ſignificat quaſi literis aliis obductis,aut delere planè & penitus:& ita exponit Nonius, idoneiq́; auctores paſſim ſic uſurpaverũt. Hoc poſteriore modo Calvinus nõ dixit,ſed Bellarm.pro ſua fide & auctoritate,id eſt,ex invidia & odio illũ ita accepiſſe id vocabulum garrit.Negamus hoc ſenſu Calvinum dixiſſe,& ipſe ibidem negat. Nam & lib. 1. Inſtitut.cap. 15. §. dicit. *Etſi demus,non prorſus exinanitam ac deletam in eo fuiſſe Dei imaginem, ſic tamen corrupta fuit,ut quicquid ſuper eſt, horrenda ſit deformitas.* Sic alibi paſſim idem ait, non deletam eſſe prorſus omnem Dei imaginem in homine, imò ejus reliquias quaſdam in animâ remanere affirmat, rationem,intelligentiã, ſapientiam & hujuſmodi,ſed hæc dona eſſe naturalia & magna ex parte corrupta; ſupnaturalia verò affirmat penitus amiſſa & extincta eſſe ſanctitatem, juſtitiam,veritatem.Quod niſi Adverſarii dant,ſunt planè Pelagiani. *Altero* modo defenditur,quòd etiã verè Catholicos idem & ſenſiſſe & dixiſſe conſtat.Teſtis eſt MALDONATUS,qui *Solẽt,*inqt,*pleriq́; per ſubſtantiã quam prodigus dicitur* PERDIDISSE *Luc.* 15. LIBERŨ ARBITRIUM *cæteráſque naturales facultates interpretari. Sic Auguſt. Beda, Enthymius,Bernardus,quæ tamen ſano ab iis ſenſu dicta ſunt. Alii per eam ſubſtantiam perditã* IMAGINEM *& ſimilitudinem Dei ſignificari putant. Ambroſius,* OMNIA,*inquit, naturæ ornamenta conſumpſit, & Auguſtinus ſerm. 37. de verbis Domini.*

Comment. in Luc. c. 15.

Hæc ſufficere poterãt etiam ad Cãpiani verba confutanda.Sed plenioris expoſitionis gratia adjicimus, Illyrici opinionem de Imagine Dei & inſiti peccati naturâ à Noſtris verè Euangelicis & orthodoxis dudum & reprehẽſam eſſe & refutatã. Quapropter Calvino manifeſta fit injuria,quando Illyrico hujus ſententiæ ſuæ ſocietate conjungitur. Etenim Illyrici error fuit in hac ſententiâ;*Imago Dei ponitus in homine deleta eſt, nulla boni ſcintilla ſuperſtite*, at

Illyrici error de imagine Dei & inſiti peccati natura nihil orthodoxos Euangelicos attinet.

in

in Calvino veritas eſt, qui contrà ac Campianus illum loquentem facit, *non penitus in homine deletam fuiſſe Dei imaginem*, disertè ſcribit. Nam quando per imaginem intelligit tantùm dotes veræ ſanctitatis, hanc quidem dicit per lapſum prorſus obliteratam fuiſſe. Etenim: *Conſtat*, inquit, *Adamum creatum fuiſſe ad imaginem Dei, quo indicat factum eſſe participem divinæ tum ſapientiæ, tum juſtitiæ, virtutis & innocentiæ. Hæc* COELESTIS IMAGO *obliterata fuit*. Quando autem lumen rationis naturalis integrum intelligit, tum ait, *Regenerationis ſcopus eſt, ut* IMAGO DEI, *quæ per primam transgreſſionem fœdata, & tantùm non obliterata fuerat, in nobis reformetur.* Quanquam ergo non negamus illius nobiliſſimæ imaginis nonnullas adhuc reliquias ſuper eſſe, tamen quod nos Deo conciliet, gratosque faciat, & nobis ad ſalutem ſufficiat, id totum extinctũ ac deletum eſſe affirmamus. Non ratio omnis, non judicium, non intelligentia penitus amiſſa eſt, quæ fuit illius imaginis particula quædam, non voluntas omnino nobis nulla reliqua eſt, ſed tamen iſtis omnibus, quæ nunc in nobis remanent, eam plagam Adami, à Deo defectio impoſuit, ut nec voluntas per ſe velle poſſit quicquam, quod Deus approbet, & mens cogitare, intelligere, judicare ſine errore recta ac vera nequeat. Itaque Johãnes ait: *lucem in tenebris lucere, ſed tamen à tenebris non comprehendi*. At verò illa majora, fides, juſtitia, ſanctitas, veritas, perfecta virtus, quæ nos ad felicitatem æternam perducant, hæc demum non modò vulnus acceperũt, ut fierent infirmiora, ſed prorſus interierunt, ut eſſent nulla, quouſque in nobis per Spiritum ſanctum & regenerationis gratiam renoventur. Huc facit precatio Apoſtoli hæc ardens: *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo tota familia in cœlis & in terra nominatur, ut det* VOBIS *pro divite ſua gloria, ut fortiter corroboremini per Spiritum ſuum interiori homine, ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris*. Itẽ poſtea; *Oportet vos deponere, quod ad priſtinam converſationem veſtram attinet, veterẽ illum hominem, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur,* RENOVARI *verò* SPIRITU *mentis veſtræ, & induere novum illũ hominem, qui ſecundùm Deum conditus eſt, ad juſtitiam & ſanctimoniam veram*. Unde & Chriſtus. *Quod genitum eſt ex carne, caro eſt: quod ex Spiritu, ſpiritus.*

Inſtit. lib. 1. c. 15 §. 4. & c. 1. §. 5.

Johan. 1. 5.

Epheſ. 3. 14. 15. 16.

Eph. 4. 22. 23

Col. 3. 8.

Joh. 3. 6.

Quo loco etiã totam hominis regenerationem & Dei dilectioni & ſpiritus divini operationi tribuit, ut & Joh. 15. 4. Quare ſic de homine poſt peccatum ante reſtitutionem judicamus, quemadmodum Auguſtinus ſcribit quem ne ipſi quidem Scholaſtici auſi ſunt reprehendere: *Naturalia dona fuiſſe in homine per peccatum corrupta, ſupernaturalia exhauſta*. De homine verò renato non ea dicimus, quæ Adverſarii affirmant, *nihil in eo niſi meram corruptionem atque contagionem reperiri*. Eſt enim Chriſti Spiritu præditus, Chriſtũ in ſe habitantem poſſidet, fide, ſpe, charitate imbuitur. Qui verò nihil hujuſmodi in ſe habet, imò nihil in ſe, niſi corruptionẽ habet, eum minimè renatũ eſſe conſtat. Id ex Eph. 4. 24. colligitur, *ubi novum hominem, qui ſecundùm Deum conditum eſt ad juſtitiam & ſanctimoniam verã reformari oportere*, Apoſtolus dicit.

Auguſtin. citatur à Lombardo.

Digitized by Google

Quid plura? Utramque ſententiam de Dei imagine, quòd & donorũ naturalium duntaxat obſcurationem, & ſupernaturalium obliterationem totam ſignificat, inſignis Pontificius GABR. *In 1.1. Thomæ, Tom. 1.* VASQUEZ conciliat. Nam: *Reſpondeo*, inquit, *imaginem Dei aliam eſſe naturaliter impreſſam in intellectu, nempe memoriam & volũtatem, & hujus nihil minus intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè, & ideo nunquam deleri, quantumvis extrinſecè minuatur. Aliam verò eſſe imaginem Dei, hominis* *a Nempe Dei, ut Rom. 5. 5.* *per Gratiam & ª Charitatem impreſſam. His enim qualitatibus Deo ſimiles efficimur, & hac* AMITTITUR OMNINO *per peccatum: & de hac intelligendi ſunt Origenes & Auguſtinus.* Addi etiam potuit, & Calvinus, & unuſquiſq; Euangelicus. Nam ut his Auguſtinus atque Origenes, ita & Calvinus ac Euangelici ab hæreſi liberantur.

De inferno orthodoxe ſentire Euangelicos. SECUNDO loco in Origenis hæreſi numerat Bellarminus, quòd dixerit & docuerit: *Infernum nihil eſſe, niſi conſcientiæ horrorem*, teſte Hieronymo in Epiſtola ad Anitum. *Idem docet Calvinus*, inquit ille, *lib. 3. Inſtitutionis Chriſtianæ, cap. ult. ſect. ult.*

Reſpondemus: Vult quidem Calvinus, Gehennæ pœnam nonnullam in conſcientiæ cruciatu conſiſtere; at eum docere, *nihil aliud eſſe infernũ, quàm conſcientiæ cruciatum atque horrorem*, calumnia eſt, igne vel infernali conſcientiæ cruciatu purganda. Calvinus enim in loco ab Adverſario citato nihil ejuſmodi habet, & ſemper eam opinionẽ Origenis improbavit, quẽadmodum & nos omnes Euangelium Chriſti profitentes. Horrorem quidem & cruciatum conſcientiæ Calvinus ponit, ſed non ſolum. Tum illuditur hic ab Adverſariis homonymiâ. Nam aliud eſt locus, quem Calvinus non negat, ut ille ait, ſed nihil de eo ibidem dicit: aliud perpeſſio in loco inferorum, de qua bifariam idem docet. Nam inſtitut. cap. 11. §. 28. ſecundùm editionem primam, ait: *Quemadmodum Dominus benevolentiam ſuam erga fideles, præſentibus bonis teſtando ſpiritualem felicitatem ejuſmodi typis, ac ſymbolis tunc adumbrabat: ita dabat* IN PŒNIS CORPOREIS IN REPROBOS *judicii ſui documenta.* Eo autem loco, quem Adverſarius adducit; *Nos in eo*, inquit, *potiſſimùm defigere cogitationem oportet, quàm ſit calamitoſum alienari ab omni Dei ſocietate. Neque id modò, ſed majeſtatem Dei ita ſentire tibi adverſam, ut effugere nequeas, quin ab ipſa urgearis.* Hæc Calvinus. Illic ergo reproborum corporibus pœnam æternam infligendam eſſe palàm aſtruit, corporibus, inquam, non modò conſcientiis. Hîc verò non ab ipſa conſcientiâ, ſed ab ipſa majeſtate Dei, adverſante & urgente judicio ſuo, reprobum in conſcientia æquè ac corpore cruciandum docet. Annon utrobique orthodoxè & nulla ſcriptura reclamante? Et ſic evicimus, nos ut à Simonis Magi, Eunomii & Florini, ſic ab Origenis hæreſi tantum abeſſe, quantum cœlum à terra diſtat.

Nec prætereundum eſt, quod excellenti ingenio & doctrina vir Lambertus Danæus, ad hunc locum circa *L. Danæus de imagine Dei.* accuſationem Origenis hæreſis contra Bellarminum affert. Dicit: *Tertia collatio*, ſcilicet, antiquarum hæreſum cum *1. Joh. 1. 8. 9.* doctrina Euangelicorum *eſt de imagine Dei, quam ex parte meliore in nobis per peccatum*

catum amiſſam eſſe ab Adamo dicimus, non autem totam, ut iſte mentitur. PONTIFICII *contra ne obſcuratam quidem, niſi in ſenſuali* ANIMÆ *parte, eam Dei imaginem per Adami peccatum putant, contra Paulum Epheſ. 4. ỹ. 23. 24. Atqui ita ſunt Origeniſtis hæreticis pejores.* Hæc ille. Ergo ſeipſos hîc emendare & purgare ab hæreſi tenentur Papiſtæ, ſi ex Chriſtiana religione fructum ſalutarem auferre cupiunt. Non autem meliùs ſe corrigere poterunt, quàm ſi Euangelicorum ſententiam, de amiſſa ex parte meliore Dei imagine per Adami lapſum, amicè amplectentur.

CAP. V.

Hæreſin quoque Peputianorum in Magiſtratu cum Sacerdotio mulieribus committendo, fruſtrà per Pontificios impingi Euangelicis.

UTut malè Pontificiis ceſſit prior conatus derivandi in Euangelicos ſentinam veterum hæreſum, pergunt tamen *quartam*, quam vocant, *Peputianorum*, iis aſcribere. Quâ vi veritatis? Nulla.

I. *Peputianorum hæreſis.* *Quarta hæreſis*, inquit Bellarm. lib. 4. de Eccleſ. c. 9. *eſt Peputianorum, qui mulieribus Sacerdotium permiſerunt:* ut teſtatur Auguſtinus in lib. de hæreſ. c. 27. *Ita Lutherus affirmat articulo 13. ex iis quos Leo X. damnavit, quia dicit: In Sacramento pœnitentiæ aquè abſolvere poſſe mulierem vel puerum, atque Epiſcopum vel Papam. Et jam reipſâ Calviniſtis in Anglia mulier quædam eſt ſummus Pōtifex* Reſpondebimus igitur *primò* ad Peputianorum hæreſin. 2. Ad Lutheri verba. 3. Ad mulierem, quam in Anglia Pontificem agere queritur.

1. De Peputianorum hæreſi verba ipſius Auguſtini refert ſcire, ut ſtatus præſentis controverſiæ ſeu accuſationis rectè pateat. Ita ergo is de verbo ad verbum ſcribit: *Peputiani à loco quodam nominati ſunt, quam civitatem deſertam dicit Epiphanius. Hanc autem iſti divinum aliquid eſſe arbitrantes, Hieruſalem vocant: tantum dantes mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim Quintilla & Priſcilla in eadem civitate Pepuza, Chriſtum ſpecie fœmina revelatum, unde ab hac Quintiliani etiam nuncupantur.* Hactenus Auguſtinus. Quibus innui videtur, Peputianos fœminis id honoris detuliſſe, ut apud eos unâ & Reipublicæ gubernaculis admotæ, & Eccleſię miniſterio prę fectæ fuerint. Nec ſecus intelligere videntur Adverſarii Pontificii, ſi circumſtantiæ verborum eorundem penitiùs inſpiciantur & diſcutiantur.

Quod ſi ita ſe habet, utrinque maniſeſtè cōtra doctrinam Apoſtolicam Peputiani admiſerunt. Nam 1. Cor. 14. 34. ait Apoſtolus: *Mulieres veſtræ in cœtibus ſileant, nec enim permiſſum eſt eis, ut loquantur, ſed ut ſubditæ ſint ſicut & lex dicit.* *Imperium in viros & munus Eccleſiaſticum mulieribus lege divina vetatur.* Quibus númnon functionis Eccleſiaſticæ partibus obeundis muliebri ſexui interdicitur? Utrumque tamen munus tam politicū, quā Eccleſiaſticum idem conjungit 1. Tim. 2. 11. ac dicit: *Mulier cum ſilentio diſcat omni ſubjectione. Mulieri enim docere non permitto, neque auctoritatem uſurpare in viros, ſed eſſe in ſilentio.* Non igitur omnino ratione caruerunt, qui in Peputianis cōſuetudinem dandi mulieribus principatum cum ſacerdotio, pro hæreſi habuerunt.

Inprimis non convenit mulieribus

Digitized by Google

Dominandi poteſtas atque mulierib. illicita.

rationes, cur dominãdi poteſtas mulieribus ſive privatim ſive publicè fieri haud debeat. *Prima* eſt ab ordine creationis. *Adam enim*, inquit, *prior formatus eſt, deinde Eva.* Quæ ratio valet in eadem ſpecie, alias infirma eſſet. Nam pecudes & plantæ ante Adamum conditæ ſunt. Sed in eadẽ hominis ſpecie, quũ Deus Adamũ ante Evam creaverit, præſtantior is Evâ eſt. Ergo Eva hoc gradu inferior, ſuperiori ſubeſſe debet. Deinde valet propter duplicem perſonam, quam ut Adam, ſic Eva gerit, nẽpe tum ſuam ipſius, tum totius poſteritatis, cujus maſſam ſuſtinebat. Quemadmodum enim Paulus Rom. 5.12. ait: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Et infra verſu 19. *Per unius obedientiam peccatores conſtituti ſunt multi*: ſic quum uni Evæ hæ partes impoſitæ ſint, ut viro pareat & ſeſe ſubmittat, non dominetur atque imperet, certè eadem toti poſteritati in muliebri ſexu, id eſt, omnibus & ſingulis mulieribus ſunt impoſitæ. *Altera* ratio eſt ab eventu. Nam ait: *Et Adam non fuit ſeductus*, nempe primo loco, ſed ſecundario, *verùm mulier ſeducta, rea transgreſsionis facta eſt*. Quaſi diceret: Quod infeliciter cedit, cavendum eſt. In primum virum imperium mulieris conceſſum infeliciter ceſſit. Igitur deinceps mulieri ab imperio in virum cavendum eſt.

Gen. 2.

Imperium mulierum in viros ſemper fuit infame & exoſum.

Accedit iſtis *tertia* ratio, quod γυναικοκρατεία, id eſt, imperium mulierum in viros ſemper apud omnes ferè populos malè audivit, ſive privatim ſive publicè fuit uſurpatum. *Privatim*, apud Ægyptios, ut viro mulier præficeretur, lege cavebatur, teſtantibus uxoribus inter ſolemnia ſponſaliorum, *inprimis viſum ſuo arbitrio parere virum debere*. Iidem apud Geographos (ut Mela lib. 1. cap. 9. de Ægypto teſtatur) hoc nomine reprehenduntur, *quod mulieres eorum forum & negotia tractarent, viri penſa & domos curarent*. Spartanæ mulieres viris imperitare ſolebant, domeſticiſque negotiis ſolæ præerant, cuiáque omnis & procuratio ad ipſas pertinebat. In quo fertur lepidè dictum Gergonis uxoris Leonidæ, quæ quum ab hoſpite argueretur, quòd ſolæ Spartanæ viris imperitarent. *Haud immerito*, inquit, *nã ſolæ viros parturiunt*. Numa rex Romanorum ſapientiſſimus, mulieres curioſas eſſe prohibuit, ſobrietatem verò illis præſcripſit, & ne de neceſſariis quoque rebus abſente viro loquerentur. At quàm turpiter poſteri ejus degenerarũt? Nam verbum Catonis nimium mulierum in viros imperiũ exprobrãtis, ſæpe in Romanos dimanavit: *Illos omnibus gentibus armis imperitare, ipſis verò uxores*. Et quum mulier quædam poſteris temporibus propriam in foro cauſſam dixiſſet, id portento ſimile viſum eſt Patribus, & legati miſſi conſultum Deos, quid ea res civitati portenderet. Fuitque lege ſancitum, ne mulieres cujus vis negotii cauſſa ſenatum aut curiam adirent. Sauromatas etiam ferunt, hoc habuiſſe præcipuum, ut viri ſub imperio uxorio & famulatu eſſent. De Semiramidis imperio dubio, laudéne an vituperio magis dignum fuerit, ſatis conſtat. Ab eâdem mos mulieribus traditus diu permanſit, ut viris uxores dominentur. *Publicè* igitur

Digitized by Google

præter conceſſum Semiramidi, regnũ etiã Spartanis ſeu Lacedæmoniis mulieres adhibere publicis conſiliis, illaſque frequenti curia in exequendis negotiis ſocias aſſumere, uſus erat. Itaque & ob hoc ſcomma Gorgonis in eos tortum. Sub Cæſaribus Claudio & Nerone, quum non pro dignitate videretur Agrippinam ejus matrem Patrum conſultationibus admitti, decrevere Patres, ut ſaltem à tergo abditis foribus ſtaret velo diſcreta, quod viſum arceret, aditum admitteret. Tandem Cæſar Heliogabalus pervicit, ut præter mores inſtitutaque majorum in ordine ſenatorio mater admitteretur. Inde & Meſa Varia ejuſdem avia obtinuit, ut in ſenatu ſederet, Patres conſuleret, & ſententiam diceret, cæteráque ſenatoris omnia obiret. Ad hæc ſenatus mulierum in colle Quirinali conſtitutus eſt. Sed eum cavillis per ludibrium iſtius ætatis homines ſenatulum nominaverunt. Ac totum Heliogabali imperium cùm multis aliis de cauſſis, tum ob hanc etiam infame atq; odioſũ fuit. Apud Perſas Xerxi non admodum laudi datum, quod in arcano conſilio, quum delectos Perſarum proceres conſuleret, Artemiſiam ſæpè ad conſultandum accerſivit, ejúſque ſententiam fuit ſequutus. Sed & Germanis ac Gallis conſuetudinem fuiſſe, ut ubi plurimum negotii bello & pace fuiſſet, fœminarum conſiliis regerentur, ac quicquid incideret contentionis & litis, earum judicio decerneretur, cum iis, quæ hactenus recenſuimus Alexander ab Alexandria Genialium dierum lib. 4. cap. 8. pag. 180. & cap. 11. pag. 193. 194. auctor eſt. Idem poſtquã virorum in mulieres officium expoſuit: *Cavendum*, inquit, *ne uxoris imperio maritus agatur. Nã illũ famoſum deſpectúmque paulo momento præcipit emageret.*

Nullæne autem in ſacris literis narrantur, quæ rebus viriſque præfuerint? Multæ equidem, ſed pleræq; aut Ethnicæ, aut Ethniciſmo deditæ, ac virorũ rerumque Peſtes. Ad Salomonem Regina Sebá vel auſtri excucurit, adeò rerum potita, ut cum exercitu gravi & copiâ pretioſiſſimorum theſaurorum ejus tentandi cauſsâ ſeſe oſtentare non fuerit verita. Commendatur tamen per ipſum CHRISTUM ab inſigni adjuncto, videlicet ſapientiâ, & ſtudio audiendi ſapientiam Solomonis, quaſi ei amor pietatis & veritatis fuerit conjunctus. Seba autem vel Saba in Scripturis S. eadem eſt, quæ Plinio Meroës, regia regni Æthiopici ſedes. Hinc progreſſu temporis Meroëni ſeu Æthyopes fœminis parere ſoliti, Reginas ſuas vocarunt Candaces, voce perinde communi illis, ac Pharaonum & Ptolemæorum vocabulum in Ægypto Regibus fuit. Solomoni autem licet ſapientiſſimo mortalium fœminæ exteræ ac Gentiles contra legem Dei ipſi connubio junctæ, adeò imperium eripuerunt, ut cultum idolorum palam exercere auſæ fuerint, ac ut ipſe etiam eidem vacârit illarum lenocinio inductus effecerint. Hinc tributa & onera publica aucta, nec non diviſio regni tandem ſequuta. Jezabel ſocia à marito rege Achabo aſſumpta, quantis turbis & maritum ad idololatriam pellexit, & populum ea complevit, & Prophetas Dei perſequuta eſt, & ſibi, conjugi, plurimiſque aliis exitium attulit?

Quæ mulieres rebus & viris præfuiſſe in S. Scripturis recitentur.
1. Reg. 10. 2. Par. 9. 1.
Math. 12. 41.
Luc. 11. 31.
Lib. 6 c. 29.
1. Reg. 11. 4. Exod 34. 16.
1. Reg 19. & 20. & 21. & paſſim ibid.
2. Reg. 9.

Athalia

2.Reg.11. 13. 2.Par.22. 10. Athalia mater Regis Ahaſiæ annôn regni habenis comprehenſis, adque nutum ſuũ flexis, tum omne ſemen regiũ excepto una Joa clam exitio ſurrepto, tum ſemetipſam perdidit? Inde nullius mulieris in culmen magiſtratus evectæ (Act.8 27.) mentionem amplius faciunt Sacræ Scripturæ, niſi Reginæ Candaces, cujus ex aula Eunuchus & Dynaſtes fuit, quem S. Philippus Diaconus ad Chriſtianiſmum convertit. Sed qualis illa fuerit non annotatur. Plinius verò & Strabo meminerunt Candaces Reginæ, imperante Auguſto, prudentia quidem & animi æquitate magnis viris incomparabilis, ſed quæ & monocula & à Pub. Petronio acie devicta ſit.

Limitatio in muliebri imperio. Quid multis? Ut ex ſuperioribus collegimus, mulieres diſcendi potiùs ſtudium omni cum ſubjectione & modeſtia decere, quàm loquendi, docendi, diſputandi, aliaque agendi in Eccleſia: ſic ex his conjicimus, ſtudium parendi legitimo imperio eas magis ornare, quàm dominandi & imperioſè agendi in viros ſive proprios ſive alienos. Tantùm poſterius hoc limitationem quandam pati atq; admittere videtur, ut indifferens eſſe poſſit, mulieri quandoque imperium & ſummam rerum politicarũ committere. Quemadmodum enim Chriſtus Euangelio ſuo non abrogavit politicas ordinationes, Magiſtratum, Leges, Judicia, & reliqua ſocietatis humanæ vincula, juri naturæ, rationi, Verboque ſuo conſentanea: ſic non ablata eſt prorſus rigidè mulieribus gubernandi Rempublicam ac populum jus atque poteſtas, pro gentis ac populi, loci item, temporis atque rei ratione. Ea itaque illis permitti poteſt, ſi quę vel publico conſenſu graviſſimis de cauſſis, vel auctoritate legum priſtinarum atque majorum inſtituto ferente, vel hæreditatis jure & legitima ſucceſſione poſtulante, vel deſiderio & judicio prudẽtiori bonorum expetente, copiaq; rerum ad principatum ac regnum adminiſtrandum neceſſariarũ tam animo, quàm corpore & fortunis comitante, clavum ipſa arripit, aut legitima vocatione & electione ab aliis accipit. Verùm ſtudio ſeu libidine dominandi, ſeu confidentia ingenii, præſumptione ſapientiæ ac prudentiæ, quæ virorum ſapientiam & prudentiam æquet aut ſuperet, ſuperbiaque & luxu, ſeu avaritię & habendi cupidine, alioque pravo affectu, reclamante populo & gente, legum auctoritate ac majorum inſtituto renitente, omnique & jure & bonorum ac prudẽtum judicio obſtrepẽte & reluctante, quantamlibet mulierem imperium cicivile & publicum invadere, vel ab aliis ad id provehi atque extolli, parum fas videri poteſt ac debet. Nec ei poteſt aut debet permitti, ſi præciſè rigidèque mãdatum Apoſtolicum obſervetur. Et hæc mea eſt ſententia, ſalvo aliorum judicio & Apoſtoli præcepto, & ut ſuſpicio atque labes hæreſeos hac in re effugiatur.

Math.17. 27. Math.22. 21. 1.Tim.2.2. & 4.4. Rom.13.1. 2.3. 1.Pet.2.1. Jud.ỳ.8. Act 10.31. 4 & 13.12. Joh.9.38. 39.

Theodorus Beza de imperio muliebri. Nec me falli, ex clariſſimi & acutiſſimi Theologi, Theodori Bezæ verbis colligitur, quæ Confeſſionis ipſius Chriſtianæ fidei, pag. 168. & 169. exſtantia mihi planè ſuffragantur. Nam ait: *Quoniam ſolent homines ſua rebellioni prætexere Magiſtratuum vitia, obſervandum eſt inprimis, ſitne vitium in re, an verò in perſona. Vitium rei appello, quum ipſa poteſtas*

vel

Vel per ſe & ſimpliciter eſt à Deo damnata. Vel certo duntaxat reſpectu: veluti ſi legibus & inſtitutis certæ civitatis repugnet, cujus rei ſit hoc exemplum. Latrocinia ſunt interdicta omni non tantùm divino, ſed etiam humano jure. Si quis ergo ſeſe inter latrones principem faciat, in Re *ipſa vitium eſſe conſequetur. Romæ cautum eſt, ne quis regiam poteſtatem affectet, ſed ut omnes communi jure Quiritium utantur & vivant, vel privati, vel pro ſuæ dignitatis gradu, quem more majorum acceperunt. Ibidem cautum eſt, quo quiſque intervallo fungatur ſuo Magiſtratu. Julius Cæſar Galliam invito Senatu vult retinere, Conſulatum ambit manifeſtè contra Leges, adverſus Conſules arma capit, denique Rempublicam evertit. Eſt igitur in* Re *ipſa vitium, etiamſi Cæſarem daremus omnium hominum fuiſſe clementiſſimum, & modis omnibus optimum. Idem affirmant quoque nonnulli de* Muliebri Imperio, *ſed quibus non poſſim aſſentiri. Etſi enim ſexus muliebris conditus eſt, ut virili ſubjiciatur,* (Gen. 2. 18.) *quò fit, ut ingenuè fateat ſapientiùs rebus ſuis proſpexiſſe, qui caverunt, ne ſceptrum mulieribus unquam traderetur: tamen non videtur hoc eſſe ex earum rerum numero, quas ita præcisè conſtituit Deus, ut qui præter eas ali quid faciat, & juri ſuo renunciet, impiè feciſſe videatur, quum Dominus, ut virorum ignaviam caſtigaret, ejuſmodi muliebribus imperiis non ſemel benedixerit. Nam ſi libeat tam anguſtè id interpretari, multa certè abſurda conſequentur. Nempe nullum eſſe matribus in mares liberos poteſtatem, neque filiabus unquam licere paternam hæreditatem adire, quæ ſit poſita in feudis, quæ vocant nobilibus, nec olim jus ullum unquam meritò fuiſſe fœminis in ſervos mares. Quæ omnia miror an quiſquam inveniatur, qui non dico ut impia ſed etiam ut iniqua velit reprehendere.*

Conſequitur ergo, non ita univerſalem eſſe legem illam, quæ ſexum muliebrē virili ſubjicit, ut nullam exceptionem admittat, quum & matris & hæredis nomen, quorum neutrum temerè & abſque Dei providentia mulieribus obtingit, plena ſint dignitatis nomina, quæ ipſas mulieres, certarum perſonarum reſpectu, auguſtas & venerabiles ipſis etiam viris reddunt. Cur igitur obſecro, ubi ex populi vel tacito vel expreſſo conſenſu regna ſunt hæreditaria, ſi mulier hæres exſtiterit, vitium in Re *ipſa eſſe dicatur? Quod autē ex Moſe citatur, de viri imperio in mulierem poſt Adami lapſum conſtituto non ſatis appoſitè dicitur. Ibi enim agere Dominum de ea ſubjectione,* (Gen. 3. 16.) *quæ in matrimonio duntaxat locum obtinet, partim ex circumſtantiâ loci conſtat, quum eodem in loco fiat partus mentio: partim ex ipſis Domini verbis. Neque enim ſimpliciter inquit.* Ad virum erit appetitus tuus, *Sed,* Ad virum tuum erit appetitus tuus, & ipſe dominabitur tibi. *Cæterùm ex iſtis, ut opinor, cognoſci facilè poteſt, quando in* Re *ipſa vitium eſſe dicatur: Id verò quoties obtingit, nego pro Magiſtratu habendos, qui Magiſtratus nomen ſibi falſo vendicant. Nemo igitur latronum principi eſt obnoxius, & Cæſari jure reſtiterūt Conſules.* Sed *hoc tamen obſervandum eſt,* Rei *vitia interdum purgari poſſe, interdum non poſſe. Neque enim quicquam obſtat, quo minùs ritè mutatis legibus licitum fiat, quod antea illicitum erat, & ratum habeatur tacito vel expreſſo conſenſu, ꝗ contra leges factū erat, ac proinde neminem initio obligabat. Itaq; C. Cæſar quum faſces haberet, & Tribunitia poteſtate tutus eſſet, omniſq; poteſtas ad eū eſſet delata Romanos tandē habuit ſibi jure obnoxios, quos jure ab initio hoſtes, habuerat: Et Brutus cum ſociis conjurationis meritò fuit interfectus: itémque cæteris Cæſaris ſucceſ-*

ceſſoribus

Digitized by Google

ceſſoribus Romani, ut ſuis principibus obediētiam omni jure debuerunt. Hactenus Beza. Si itaque tacito vel expreſſo conſenſu habenæ etiam mulieri committuntur, ſive id fiat mutatis legibus an fixis, quid ni ratum habeatur?

Euangelici cum Luthero à Pepuziana hæreſi puri.

II. Ad Lutheri ſententiam quod attinet, quem Pontificii hæreſeos Pepuzianæ ideò accuſant, *quod docuerit æquè mulierem & puerum in Sacramento pœnitentiæ abſolvere poſſe, atque Epiſcopum vel Papam*, trifariam reſpondemus. PRIMO *pœnitentiam eſſe Sacramentum* negamus, tantum abeſt, ut ſentiamus & doceamus, *mulierem aut puerum in Sacramento pœnitentiæ quenquam abſolvere poſſe.*

Pœnitentia non eſt Sacramentum. *Act. 2. 38. & 22. 14.*

Nam 1. etſi *Baptiſmus* ejusque fides, ſeu fidelis memoria aliud eſt, & *pœnitentia* propriè dicta aliud, tamen ex Spiritus ſancti mente Mar. 1. 4. Baptiſmus eſt Sacramentum ſeu ſignum pœnitentię, cujus effectus fideli per totam vitam durat. Cujus & ſancti Patres habemus teſtes, è quibus Auguſtinus *Baptiſmum vocat Sacramentum fidei & pœnitentiæ.*

De fide ad Petr.

Nā pœnitendi & credendi ratio unica eſt, tam ante, quàm poſt Baptiſmū, prout unus Deus, unus Chriſtus, una ſpes, una fides eſt.

Epheſ. 4. 5.

2. Nec ſignum externum habet pœnitentia, nec inſtitutionem & præceptionem divinam de eo uſurpando, nec promiſſionem gratiæ per id obſignandæ. 3. Remiſſionem peccatorū in ſuo nomine Chriſtus pœnitentiam fide verâ agenti denunciat atque promittit, non abſolutionem ſacerdotis vel Eccleſiæ nomine ac poteſtate accipienti. 4. Vera pœnitentia, licet externis ſignis & fructibus ſeſe oſtendat; in ſe tamen nihil aliud eſt, quàm vera converſio animi à peccatis ad Deum, &c. Hæc autem per ſe merè interna & privata eſſe poteſt. Nec ullum extat divinitus inſtitutum materiale ſignum, ſine quo ipſa vel eſſe, vel effectum ſuum conſequi non poſſit. Non igitur eſt Sacramentum. Quod autem objiciunt Adverſarii 1. Joh. 1. 9. exigi oralem confeſſionem ab iis, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, nec remitti ad Baptiſmum, & Act. 8. 22. ac inceſtuoſum Corinthium 1. Cor. 5. ad novam pœnitentiæ ſpem ablegari, non ad Baptiſmum revocari; Ergo pœnitentiam novum quoddam Sacramentum eſſe, frivolum eſt. Nam errant ignoratione elenchi, plura interrogata temerè commiſcent, ac fallacia non conſequentis fallunt. Nam confeſſio coram Deo probatur, pœnitentia eadem, cujus Baptiſmus eſt Sacramentum, fide in miſericordiam Dei per Chriſtum ſemper efficax relapſis commendatur, non alia neque nova requiritur. Adhæc, quando objiciunt Patres, qui pœnitentiam poſt Baptiſmum vocare ſoleant *tabulam poſt naufragium, ſecundam ſalutis januam, ſecundam ſpem, ſecunda ſubſidia*, ergo pœnitentiam eſſe aliud Sacramentum quàm Baptiſmum, &c. illorum phraſes improprias, quæ tamen commodè accipi poſſunt, ad incommodum ſenſum detorquent. Nam ut ante Baptiſmum pœnitentia ſeria cum emendatione peccatorum vera, ac fides non fucata in Dei miſericordiam per Chriſtum acquiſitam, homini peccatori etiam ſceleratiſſimo ad ſalutem prodeſt, ſic eadem relapſo in peccata atque ſcelera conducit, ſi ad eandem recurrit, atque eandem reſumit, Sacramento Baptiſmi remiſ-

ſionem peccatorum obſignatam accipiens.

Abſo'utio à fide verè pœnitentis pendet, non ab externa pœnitentia.

Deinde, putidiſſima Adverſarii calumnia in Lutherum utuntur. Nam Lutherus ait, & quidem veriſſimè, ei verè remiſſa eſſe peccata, quem verè peccatorum fide in Chriſtum concepta pœnitet, ſive ſacerdos eum abſolvat, ſive non. Audiatur ipſe reus. *Abſolutio*, inquit, *eſt efficax non quia fit, à quocunque tandem fit, erret ſive non erret, ſed quia creditur.* Item: *Crede fortiter te eſſe abſolutum, & abſolutus verè eris, quicquid ſit de tuâ contritione.* Item: *Eſto per impoſſibile, quod confeſſus non ſit contritus, aut quòd ſacerdos non ſeriò, ſed joco abſolvat, ſi tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.* In Articulis, contra quos Pariſienſes Theologi determinationes ediderunt, articulo de Abſolutione. Hinc Roffenſis art. 13. adverſus Lutherum: *Credidit Lutherus, totam vim delendæ culpæ non in Miniſtro, ſed* In Fide Credentis *ſitam eſſe, & non poteſtati Miniſtri, ſed fidei, quâ in Verbum Dei credimus, remiſſionis effectum eſſe tribuendum.* Ubi rectiſſimè expoſuit Lutheri ſententiam, ſed peſſimè exagitavit, laterem turpiſſimè lavans. Congrua enim eſt hæc Lutheri doctrina Auguſtini ſententiæ, quæ Tract. in Joh. 8. ſic ſonat; *Unde eſt iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo; non quia fit, ſed* Quia Creditur. Et Act. 13. ℣. 38. ait Apoſtolus: *Notum ſit vobis fratres, quòd per hunc* (Jesum Christum) *vobis remiſſio peccatorum annunciatur: & quod ab omnibus, à quibus non potuiſtis per Legem Moſis abſolvi, per hunc omnis qui* Credit, *abſolvitur.* Nec minus Heb. 1. ℣. 3. teſtatur, Deum omnia agere Verbo *potentiæ ſuæ*, non ſacerdotis aut miniſtri verbo tanquam ex ſe prolato & *per ſe purgationem peccatorum facere*, nō habens rationem, joce utrne miniſter an ſeriò faciat. Sed ſi ſuſcipienti ſit ea fides, ut credat ſe verbo potentiæ Dei, non jocantis miniſtri purgari, tum eum purgationem peccatorum verè accipere, juxta illud Act. 15. 9. *fide purificatis cordibus illorum.* Nam ait: *Qui Chriſtus quum ſit ſplendor gloriæ, & character perſonæ illius, ſuſtineatq; omnia verbo illo ſuæ potentiæ, purgatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum facta, ſedit ad dextram poteſtatis illius excelſiſſimæ. Num hoc eſt mulieribus ſacerdotium tribuere?*

At ille quidem loco ab Adverſario adducto, *mulierem* non minùs abſolvere poſſe, quàm Epiſcopum aut Papam, ſed tamen non ideò mulieri ſacerdotium aſſignat, quemadmodum nec puero: nam & *puerum* ibidem nominat. Sic enim ipſe in dominica Paſchati proxima ad locum Joh. 20. ℣. 23. *Apoſtolus* 1. Cor. 14. *ait: Omnia cum ordine fiant. At ſi omnes Sacramenta porrigere velimus, quis futurus eſſet ordo? Si omnes ſimul concionari, qualis coaxatio? qualis jam ranis in uſu eſt. Omnes Sacramenta adminiſtrandi poteſtatem habemus: ſed nemo ſibi hoc temerè, ut exerceat, aſſumere debet,* Nisi is, Qui Ab Ecclesia *ad hoc* Destinatus *fuerit. Idem ſentiendum eſt de poteſtate ligandi & ſolvendi.* Ad eundem ſcopum collimat in articulis à Pariſienſibus oppugnatis, dicens art. de Sacramentis: *Omnes Chriſtiani habent poteſtatem in verbo & ſacramento quocunque.* Item: *Claves Eccleſiæ ſunt omnibus communes.* Adhæc: *Omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes.* Nam dicit Auguſtinus ſuper Johan-

Mulieri nō tribuit Lutherus ſacerdotium.

Digitized by Google

Math. 16. 18. 19. Johannem tractatu 50. *Si in Petro non eſſet Eccleſiæ ſacramentum, non ei diceret Dominus, tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcunque ſolveris ſuper terram, &c. Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia.* Et ſubdit; *Si in Eccleſia fit, quando claves accepit, Eccleſiam ſanctificavit.* Et in præfatione Pſal. 108. *Quædam,* inquit, *dicta ſunt ad Apoſtolum Petrum, nec habent illuſtrem intellectum, niſi quum referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam. Sicut eſt illud, tibi dabo claves.*

Jam omnes Chriſtiani ſunt Eccleſia, ut Auguſtinus ſuper Pſal. 122. ait. Quare omnes Chriſtiani hanc poteſtatem in verbo & Sacramento acceperunt. Idem notat Auguſtinus in Apocalypſin cap. 2. Serm. 1. Denique ſuper Johannem Serm. ult. ubi: *Eccleſia,* inquit, *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figuratam generaliter perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, naturâ unus homo erat, gratiâ unus Chriſtianus, abundatiore gratiâ unus idemq́; primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt; Tibi dabo Claves regni cœlorum quodcunque ſolveritis ſuper terram, &c. univerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in hoc ſeculo diverſis tentationibus velut imbrium fluminibus & tempeſtatibus quatitur, & non cadit, quia fundata eſt ſuper petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra. Sicut non eſt Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto vocatur. Ideo quippe ait Dominus, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam, quia dixerat Petrus, Tu es Chriſtus filius ille Dei vivi: ſuper hanc, inquit, petram, quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Eccleſia ergo, quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cœlorum accepit, poteſtatémque ligandi & ſolvendi peccata: quod eſt enim per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra, quâ ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus Eccleſia.* Idem ibidem: *Omnibus ſanctis ad corpus Chriſti inſeparabiliter pertinentibus, propter hujus vitæ procelloſiſſimæ gubernaculum ad liganda & ſolvenda peccata, claves regni cœlorum primus Apoſtolorum Petrus accepit. Ac deinde de Johanne Apoſtolo: Nec iſte,* inquit, *ſolus, ſed univerſa Eccleſia ligat, ſolvitq́; peccata.*

ORIGENES: *Quicunque veſtigia Petri imitantur, habent rectè ligandi & ſolvendi poteſtatem.* Et quæ ſunt veſtigia Petri, niſi excellẽtior via charitatis? quam exactiſſimè ab eo expetebat Dominus, quum percontabatur ingeminando, Simon diligis me plus his.

Portò, eſſe omnes & ſingulos quoſque Chriſtianos verè Sacerdotes, tum Scriptura docet, tum S. Patres affirmant. Petrus 1. Epiſt. 2. ℣. 5. *Ipſi quoque vos, veluti vivi lapides, ædificati eſtis,* nempe ſuper Chriſtum, *domus ſpiritualis,* SACERDOTIUM SANCTUM, *ad offerendum ſpirituales hoſtias acceptas Deo per Jeſum Chriſtum.* Cui conſonat hoc in Apocalypſi: *Jeſus Chriſtus dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris per ſanguinem ſuum, & fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.* Ad quæ Hieronymus in Malachiæ cap. 1. *Genus,* inquit, *regale & ſacerdotale ſumus omnes, qui baptizati in Chriſto, Chriſti cenſemur nomine.* Ac S. Ambroſius: *David,* inquit, *quum eſuriret ipſe cum ſociis panes propoſitionis ſumpſit, quos non licebat* man-

Sacerdotes ſunt omnes Chriſtiani.

Cap. 1. 6.

In Luc. lib. 2. cap. 6.

Digitized by Google

manducare, niſi ſolis Sacerdotibus, ut per illam monſtraret figuram, ſacerdotalem cibum ad uſum tranſiturum eſſe populorum, ſive quod omnes filii Eccleſiæ ſint Sacerdotes. Unimur enim in Sacerdotium ſanctum, offerentes noſmetipſos hoſtias ſpirituales. Rom. 12. 1. *De quo rationali ſacrificio Paulus ait, ſcribens Romanis: Obſecro vos per miſerationes Dei, ut præbeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, acceptam Deo, rationalem cultum veſtrum, non Judæorum inſtar pecualem, ſed rationalem, nimirum ipſum hominem ſentiens.*

Præterea, Lutherus non abſolutè ſimpliciterque dixit, mulierem atque puerum non minùs abſolvere poſſe ac Papam & Epiſcopum, ſed ex hypotheſi, reſpiciens ad conditionem ſui temporis & Papæ. Nam quum Eccleſia ſit regnum cœlorum quoad credentes & electos ejus cives, verbumque Dei ſit clavis regni: rectè Lutherus ſtatuebat nullam abſolutionem eorum eſſe, qui ſine clave, id eſt, verbo Dei abſolverēt. Ita autem eſſe in illa cauſſa Indulgentiarum illum Papam atque Epiſcopos, indulgentias & remiſſionem peccatorum conferentes, hoc eſt, abſolventes à delictis, qui non tenerent tamen & docerent, atque annunciarent verbum Dei, nec clave illa uterentur. Hac lege ergo Lutherus affirmabat, tam poſſe mulierem puerúmve abſolvere, quàm illi poſſint. Nempe quia juxta illud Gelaſii, *nec apud Deum, nec apud Eccleſiam ejus quenquā iniqua gravat ſententia*, ut habetur 11. q. 3. c. ſi quipræ eſt. Nec aliud unquam evincetur, quàm qui pœnitētiam ſeriò agūt, & à Deo abſolvuntur, eos quemvis pronunciare poſſe abſolutos, licet publicè hoc facere teneantur Eccleſiæ paſtores, quibus miniſterium reconciliationis commiſſum eſt. Alioqui fœminis nec prædicandi, nec Sacramenta adminiſtrandi, nec claves Eccleſiæ tractandi poteſtatem largimur.

Baptiſmus mulieribus in Papatu commiſſus Lutherum excuſat. Papiſtas accuſat.

TERTIO, iſtam calumniam in Lutherum jactā retorquendo poſſumus diluere. Lutherus enim mulieribus facultatem abſolvendi, nempe *declarativè* & privatim tantùm tribuit: Papiſtæ etiam iſtis baptiſandi concedunt. Quid intereſt? Ille veſtram abſolutionem, ut non Sacramentum verum repulit: Papiſtæ Sacramentum verum profanant. Bellarminus quidem ſugillando Calvinum lib. 4. c. 9. de notis Eccleſiæ dicit: *Ut Laici baptizant (uſus multis abhinc ſeculis uſurpatur) ſi Miniſter in tempore non adſit, non video, inquit Calvinus, quàm firma ratione poſſit defendi.* Ac ſubjungit Adverſarius multa, quibus defendere conatur. Sed ut paucis eum hic abſolvam, qua ratione potiùs damnari poſſit, procul dubio Tertullianus non obſcurè vidit. Teſtimonium ei perhibet Roffenſis art. 33. adverſus Lutherum, dicens: *Tertullianus in Præſcriptione hæreticorum hæreticos variis deſcribit colorib. Ipſæ mulieres, inq̄t, hæreticæ quàm procaces ſunt? quæ audēt docere, curationes promittere, forſan &* TINGERE. Quapropter cur Papiſtæ vidēt feſtucā in oculo alieni, & in ſuo trabē non vidēt? Certè bonis rationibus Lutherus dixit, mulierē ac puerum pariter abſolvere poſſe ac Papam vel Epiſcopum, ut hactenus demonſtratum. Papiſtæ nullis rationibus tum mulieribus ac cuilibet laico baptiſmi permittunt adminiſtrationē, tū eo ipſo facto ſeſe hæreſi Peputiana pol-

Bellarm. lib. 1. de Sacram. Baptiſ. cap. 7.

Digitized by Google

pollutos arguunt: ut in *ἀντικατηγορίᾳ* cap. 9. libri 2. fuſiùs explicabitur.

Rectiſſimè igitur Lambertus Danæus: *Quod apud nos*, inquit, *mulieres Sacramenta conferant, hoc eſt, putidiſſimum mendacium, cujus, ut opinor, ipſum Satanã puduit, quum hæc chartis illineret Bellarminus ipſius ſcriba & graphiarius. Imò Pontificii hoc cum Pepuſianis docent, qui contra concilium Carthaginenſe concedunt mulieribus ut baptizent. Quæ iſta eſt impudentia, hoc nobis objicere, quod non facimus, ſed ipſi faciunt?*

Eliſabetha Angliæ Regina an ſe pro Pontifice geſſerit. III. Reſtat, ut promiſſum reſponſum ad nobilem calumniam, de muliere in Anglia ſummum Pontificem agente, præſtemus. *Et jam reipſa*, inquit Bellarminus, *Calviniſtis in Anglia mulier quadam eſt ſummus Pontifex.* Quænam? Intelligitur ELISABETHA, inde ab Anno 1558. uſque ad 1603. per Dei gratiam Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina. Ubi variè inſaniam ſuam cum malitia conjunctam Pontificii produnt. *Primò* enim, nihil aliud ſereniſſimæ illi & nobiliſſimæ mulieri in Anglia tributum eſt quàm regnum, & Regia dignitas atque poteſtas permiſſa. *1. Vocatione divina fuit regno præfecta.* Num impiè & libidine proterva contra Apoſtoli doctrinam 1. Cor. 14. 34. & 1. Tim. 2. 12? Nequaquam. Sed Regia ſede in Anglia poſt infinitas & incredibiles calamitates atque turbas, à Pontificiis propter receptam Euangelii JESU CHRISTI doctrinam excitatas, ſtatim à morte Mariæ Reginæ Papiſticæ Anno 1558. vacante. Deinde, quod Eliſabetha Mariæ ex patre ſoror, legitima ſororis ac regni hæres, ac omnium ordinum conſenſu, legibus atque inſtitutis antiquis regni ferentibus, votis bonorum, piorum ac ſapientum flagitantibus, denique juſta legitimorum ſuffragiorum auctoritate pervincente, ad ſuſcipiendum regnum admonita atque perducta fuit. Quod divinam fuiſſe vocationem & electionem, quis mentis compos & pietatis ſenſu non deſtitutus inficiabitur? *2. Donis necessariis instructa.* Eóque minùs de hac legitima ejus in regni Britannici coronâ obtinendâ ſucceſſione dubitari poteſt, quia dotibus & virorum choro & regno par fuiſſe doctorum fidéque dignorum teſtimonio perhibetur. Henricus enim Pantaleon: *Commentariorum de ſtatu religionis & reipub. Ferdinando Cæſare lib. 28. ab initio.* U*nica*, inquit, *erat regina* (Mariæ) *ex patre ſoror* ELISABETHA, *quam Henricus rex ex Anna Bolenia ſecunda uxore ſuſcepe rat, puella literis, religione, pudicitia & forma excellens. Hæc poſt regis Eduardi* (fratris, qui Henrico illi VIII. ſucceſſerat) *mortem, tum quod conſcia ejus ſeditionis, quæ contra Mariam mota fuerat, putaretur, tum quod de religione nollet ſorori* (ſcilicet Mariæ Pontificiæ) *acquieſcere, cuſtodia erat tradita. Verùm eâ de ſuſpicione Viatus* (ſeditionis architectus) *qui poſt capitis ſupplicio affectus eſt, in quæſtione illam prorſus liberaverat, ita ut ſub Maria gubernatione huic* (ELISABETHÆ) *pacificè & quietè vivere conceſſum fuerit.* Eodem teſtimonio & elogio in cœlum fertur, atq; in terris hominibus commendatur Eliſabetha à Pontificiæ ſectæ Doctore Edmundo Campiano, licet ei Adverſario. Qui: *Audi*, inquit, ELISABETHA, *Regina potentiſſima. Tibi cantus Propheta* (nempe Iſaias cap. 49. ℣. 23. ubi ait: Erunt Reges nutricii tui, & Reginæ nutrices tuæ) *canit, te tuas partes docet. Narro tibi Calvinum & hos principes* (ſcilicet Romanæ Eccleſiæ ſtudioſos) *unum* *Ratione 10. pag 173.*

 co-

cœlum capere non poteſt. His ergo te principibus adjunge, dignam majoribus, dignam ingenio, dignam literis, dignam laudibus, dignam fortuna tua. En ipſius Pontificiæ ſectæ de Eliſabetha Angla encomium, ipſam regno affirmans planè parem atque digniſſimam. Qui igitur à pietate Chriſtiana alienum, quod in dignam collatum? Et ecquâ re tandem uſque adeò erravit, ut officii oblita injuſtè feciſſe, ſeque pro Pontifice Maximo vẽditaſſe, Papiſtis ſit viſa? Nimirum nimiam religionis curam geſſit, atque Epiſcopos eligendi & declarandi poteſtatem immeritò ſumpſit, eaque temerè abſque Pontificis Romani auctoritate eſt abuſa. Hæc eſt Helena illa, ob quam tanta Pontificiorum querela, tanta cum Euangelicis dimicatio. Sic enim Giffordus in Calvino-Turciſmo Peputianam hæreſin noſtris objiciens: *Supremum*, ait, *Regina Eliſabetha in omnib. rebus & cauſſis, nõ minùs ſpiritualib. quàm temporalibus, principatũ tribuitis*, nempe vos Calviniſtæ. pag. 157. 158. 159.

3 *Officio ut olim omnes pii Reges & Principes functa.*

S*ed deinde* ELISABETHA per Dei benignitatẽ ſingularem legitima vocatione & electione ſolenniter ad regni Anglici gubernationem atque faſtigium elevata, nihil aliud fecit, niſi quod David, Ezechias, Joſias & alii omnes pii principes atque reges in regno Juda, ac in Imperio Romana Conſtantinus Magnus, Theodoſii, Juſtinianus, Gratianus, Valentinianus, Carolus Magnus Euangelio CHRISTI inſiſtentes fecerunt, quodque omnes Principes Reges & Reginæ etiam nũc ſemper facere debent. Hoc eſt, veram religionem ex præſcripto Verbi divini perdidicit, amavit, coluit, atq; in regno ſuo fovit, propagavit & defendit, falſam fugiendam intellexit, removit, impedivit, atque e medio ſuſtulit. In quo nullius Angli utar teſtimonio, ſed exteri & hominis non Anglici, qui tamen veritatis notitia, eruditionis copia, pietatis ſinceritate & zelo, animiq; conſtantia nulli Pontificiorum cedit, Religionis autem Euangelicæ in Anglia fortiſſimus propugnator fuit. Nempe STERINUS ait: *Nullum primatum Regina Angliæ exercet, quem non Jehoſaphat & Ezechia Deus tribuebat.* Huic ex ipſis Pontificiis advocatus pro Eliſabetha & Anglis accedit GEORGIUS CASSANDER Cæſaribus Ferdinando & Maximiliano à conſiliis qui, *Non minor*, inquit, *neque inferior eſſe debet auctoritas Principum Chriſtianorum, quàm olim in repub. Iſraelitarum fuit. Non modò ut legem divinam ex præſcripto Dei illis commendatam immaculatam conſervent, ſed ut ad eam vitam ſuam inſtituant exemplo piorum Regum, qui* LEVITIS ET SACERDOTIBUS MANDARUNT, *ut Dei cultum ad præſcriptum legis divinæ miniſtrarent. Illi ordinẽ Sacerdotum confuſum & diſſipatum compoſuerunt, officium quemq; exequi juſſerunt. Horũ piorũ Regũ præclara inſtituta pii Reges Chriſtiani ſeduloimitati ſunt. Conſtãtinus, Theodoſius, quorũ vigilantia in* CONSTITUENDIS REBUS ECCLESIASTICIS *ex hiſtoriis ſatis apparet. Principum officium olim jam habitum eſt, concilia Præſulum & Doctorum convocare, quæ ad conſtituendam Eccleſiæ pacem pertinerent diligenter inquirere: Officii ſui Eccleſiaſticos viros in tollendis falſis cultibus* COMMONEFACERE. *Nam ſeculares Principes Deo rationem reddi-*

In Apologia adverſus Coſter. Jeſuitam.

In conſultatione art. 16.

1. *Sam.* 6. 2. 1. *Par.* 13. 2. 3. & 15. 2. 3. & 16. 37. & 21 & 23. 2 *cap* & 2. *Par c.* 3. 4. 5. 6. *cap.* 19. 8. *cap.* 24. *Cap.* 26. *Cap.* 29. 30. 31. *Cap* 34. 35. 4. *Reg* 18. & 23.

reddituri ſunt propter ECCLESIAM, *quam à Chriſto tuendam ſuſceperunt. Neque huic principum officio detrahit exemplum Uziæ, qui Sacerdotum officium de adolendo incenſo uſurpabat, & ob eam rem lepra percuſſus diminutus erat. Neque enim id agitur, ut ipſi Principes & Magiſtratus propria Miniſtrorum officia, quæ ſunt prædicandi & Sacramēta adminiſtrandi invadāt: ſed ut eos in ſuo officio contineant. Nec ad rem pertinet, quod Principes ovium numero collocentur, qui ſe totos paſtorum curæ committere debeant. Nam in divinis literis Reges non modò oves, verùm etiam Patres & nutritii Eccleſiæ appellantur, qui ut ipſi nec oves paſcent, nec de pabulo de ſe judicare debent, tamen ovibus de idoneis Paſtoribus proſpicere, & ut illis idoneum pabulum ſuppetat providere tenentur.* Quis Anglus potuit pro Principis ac Reginæ ſuæ auctoritate judicare rectiùs & reſpondere diſertiùs. Et quam, quæſo, agnoverunt Angli, qui eam Reginam crearunt, aliam in regno poteſtatem, quám quæ in regibus Iſrael & Judæ olim fuit, quamque Imperatoribus Chriſtianis datam fuiſſe accepimus?

1 Par. 13. 9. & 2. Par 26. 16. 17.

4. Meliore jure & gubernatione quàm Pontificia ſoror Maria eſt uſa.

Adhæc, quod Pontificii ſibi fas duxerunt in regno Anglico, qui Euangelicis potuiſſet nefas eſſe? Illi Mariam Henrici VIII. Regis Anglici filiam, Eduardi VI. qui Henrico ſurrogatus fuerat defuncti, atque Eliſabethæ ſororem, in regium ſolium extulerunt. Annon ergo mulierem? Hi Eliſabetham ejuſdem Hērici filiam, & Eduardi atque Mariæ, quibus mors jam vitam eripuerat, ſororem in thronum regiū ſubvexerunt. Itaq; itidem quidem fœminam. Illi vacillantibus & diſſentientibus plerisque ſuffragiis, imò Anna Graia Suffolcia jam Regina in locum Eduardi ſuffecta per vim oppreſſa, Mariam regni hæredem Reginam fecerunt, cui regiam dignitatem deberi exiſtimabant: Hi conſentientibus & ovantibus plerorumque ſuffragiis Eliſabetham, perinde regni hæredem, cui ejus gubernandi facultatem & poteſtatem deberi cenſebāt, Reginam conſtituerunt. Illi legibus & inſtitutis regni permittentibus Mariam Reginam creaverunt: hi Eliſabetham iiſdem minimè repugnantibus. Illis Maria Regina placuit, quæ Epiſcopos plerunque Eccleſiis moleſtos, & doctrina morumque ratione feros creavit: his non diſplicuit Eliſabetha, quæ eruditos, utiles, gratos in Epiſcopatus gradu locavit. Illi Mariam tolerarunt reginam, quæ ſubverſo puriore cultu divino, religionem Romanæ Eccleſiæ antea acriter confutatam & abdicatam reſtituebat, cumque rebus politicis omni cura atque opera regebat, augebat, provehebat, defendebat: hi Eliſabetham ſuſtinuerunt, quæ reducto ſinceriore cultu divino, religionem Chriſti è ſacris Scripturis probatam reſtituebat, ac cum rebus civilibus gubernabat, locupletabat, propagabat, tutabatur. Illis pro Regina fuit Maria, cujus & juſſu & nutu per univerſum regnum Angliæ in viros & fœminas, ſenes & adoleſcentes, pueros ac virgines, conjuges & cœlibes, laicos ac presbyteros, Epiſcopos & Archiepiſcopos æquè ac Diaconos, nobiles atque ignobiles, magiſtratum gerentes & privatos, doctos & indoctos, denique vivos ac mortuos inaudita & ſingularis ſævitia agitata, infinita carnificina

cina exercitata, exquiſitaque ſupplicia uſurpata ſunt. His fuit pro regina Eliſabetha, cujus moderatione & prudẽtia cum pietate juncta iſtis malis omnibus finis impoſitus, diſciplina ſancta ac gravis recuperata, totique regno pax & tranquillitas reddita eſt. Sub Maria immerẽtibus & inſontibus diſcrimen capitis fortunarúmque ſubinde fuit ſubeundum: ſub Eliſabetha nullis niſi conjurationum, ſeditionum reis, & maleficiorum convictis, ſontibus, merentibus & nocentibus pœna juſta irrogata. Mariæ Acta publica gubernationis feræ, turbulentæ & exitioſæ toti regno teſtimonium ferunt: Eliſabetham eadem humanæ, placidæ tranquillæ, & diſciplina, pace, rerumque optimarum copia florentis per univerſum regnum adminiſtrationis, teſtimonio atque laudẽ exornant. Maria ſicarios, latrones, carnifices Pontificis Romani aſtu atque inſidiis in regnum Britannicum immiſſos excepit, amplexata eſt & fovit: Eliſabetha eos ſingulari Dei protectione indagavit, cavit, effugit, proſcripſit, ſedavit, repreſſit & oppreſſit. Ac quod nam Mariæ dictum, inſtitutum, factúmque cõmemorari poteſt, quod bonitate, pietate, ſinceritate, dexteritate, utilitate ſimile ſit Eliſabethæ dictis, inſtitutis atque factis? Quare ſi quid culpæ in eo eſt, quod Angli Eliſabetham reginam fecere, Pontificii majore ſe culpa in Maria creanda teneri agnoſcant.

5. Defenditur exemplo ipſorum Adverſariorum. Poſtremò, defenditur Eliſabetha Angla tam in gubernatione regni, quàm cura religionis & auctoritate eligendi deſignandique Epiſcopos, inſtitutis ac moribus ipſorum Pontificiorum, qui utramque abſque verecundia & intermiſſione tum aliis regibus, tum fœminis permittunt. Nam ipſe Bellarminus: *Nos,* inquit, *negamus, quin populus aliquando Epiſcopos elegerit, ſicut nunc in pleriſque locis per Pontificis auctoritatem Epiſcopi à* REGIBUS *eligũtur.* *Lib de Clericis c. 7.* Quod ergo olim licuit populo, & nunc licet Pontificiis Regibus & Principibus auctoritate Pontificis Romani, jus alienis in regnis ſibi vendicantis, cur non licuiſſet etiam Eliſabethæ Angliæ Reginæ legitimo atque proprio in regno?

Et quid dicam de Monachis ac Prælatis, qui cum licentia Papæ dominium in Eccleſias exercent, ut cum decimis etiam jus Patronatus (ut ipſi loquuntur) ad ſe traxerint, hocque jure adeò ſuperbiant, ac ſi feuda ſecularia conferrent? Quid de eorundem jurisdictione in plebem politicam atque Eccleſiaſticos ſimul dicam?

Mulierculæ Pontificiis ſacræ, quas Nonnas & Abbatiſſas vocant, annõn contra Apoſtoli præceptum 1. Cor. 14. 34. & 1. Timoth 2. 12. ſpiritualem ſimul ac civilem jurisdictionem uſurpant. Annõn partes aliquot divini miniſterii in Eccleſia peragunt? Annõn cantillãdo, & preces ad globulos & roſaria affigendo, peregrinationes religionis ergo obeundo, imagines colendo, funera plangendo, aliaque ſacra Eccleſiæ Romanæ tractando, primas ſibi vendicant? Annõn ad ſe rapuerunt multarum Eccleſiarum inveſtituras, ut vocant, ſeu præfecturas, quarum curam pro ſuo arbitrio cui libet committunt? Eaſdem jus dicere, leges condere, & in iis, quæ ad hoc ſeculum ſpectant

Digitized by Google

ſtant; viris inſolenter dominari, quem latet?

Johannes VIII pp. mulier ſexum mentita virilem Pontificatum tenuit.

Omnium denique teterrimum eſt, quòd ut Eliſabetha Anglica falsò in Anglia Euangelicis fuit ſummus Pontifex: ita verè Pontifex Maximus, ſive Papa, fuit GILBERTA vel AGNES, puella Moguntina vel Anglica (nam pro loco & re, ne dinoſceretur, & ſuum nomen & patriæ mutare ſolita videtur) virilem ſexum mentita. Ea namque poſtquam Athenis in omnibus diſciplinis & artibus multum profeciſſet, & Romam profecta ob acutum ingeniū, promptam linguam ac ſingularem eruditionem omnes in ſui admirationem rapuiſſet, Pontificis dignitatem mortuo Leone IV. adepta, ſacerdotióque ſummo ſub nomine JOHANNIS octavi duos annos perfuncta, tandem in platea publica (quæ poſteris temporibus ſcelerata eſt nuncupata) ex partu meretricio ignominioſiſſimè concidit, atque obiit. Teſtes ſunt omni exceptione majores, Marianus Scotus, Bergomenſis, Guilielmus Polonus Monachus, Joh. Stella, Platina, Volaterranus, Nauclerus, Johannes Lucidus, Baptiſta Ignatius, Antonius Epiſcopus Florentinus, Antonius Sabellicus, Ranulphus, Frāciſcus Petrarcha, Boccatius, Mathæus Palmerius, Trithemius Abbas, Balæus, aliique Chronographi & Hiſtorici, ac Scriptores integerrimi & fide digniſſimi. Argumenta quibus Bellarminus hæc negat & eludit, Guilielmus Witakerus de Pontif. Rom. quæſt. 4. copioſè & doctè à pag. 552. uſque ad 554. refutat. CORNELIUS Agrippa: *Accepimus*, inquit, *fœminam Anglam Johannem octavam duos annos* REXISSE SEDEM ROMANAM. *Hæc quod* MULIERIBUS *negatum eſt, contulit ſacros ordines, promovit Epiſcopos, miniſtravit Sacramenta. Nec irrita ſunt ejus facta, communi errore faciente jus. Et credo Eccleſiam tum coactam fuiſſe multa diſſimulare, quæ religionis rigor aliter non tuliſſet.* Domi igitur ſuæ habēt Pontificii, quo aut Eliſabethæ Angliæ Reginæ dignitatem atque vitam boni conſulere edoceantur, aut in iis, quæ illi exprobrant, ſeipſos atq; ſuos vehementiùs carpant, & ſtudioſiùs emendare debeant. Nam ſacrorum adminiſtratio verè nulli illarum mulierum licet conſecratarum in Papatu convenit, ut loco Pauli 1. Cor. 14. 34. & 1. Tim. 2. 12. probatur. Similiter nec juriſdictio civilis & dominium ullum in viros externum iiſdem convenit, juxta eadem loca Apoſtoli, ac etiam Chriſti Luc. 22. ỽ. 25. *Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maximus eſt inter vos, ſit ſicut qui minimus eſt, & qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat.* Suam itaque in illis, quæ contra hæc præcepta deſignā: Pontificii, maculam priùs eluant & expient, quàm Euangelicis aliquam adſpergant, aut abſtergendam repurgandámque ducant atque dicant.

Lib. de vanitate ſcientiarum cap. de Secta Mon aſtica.

Et ſi ſurſùm & deorſùm, ac ultrò citróque cauſſa de Angliæ Regina ponderetur, eſto, *eam* (ut ait Giffordus ac innuunt cæteri Pontificii) *ſupremum in omnibus rebus ac cauſſis, non minùs ſpiritualibus quàm temporalibus, principatum tenuiſſe atque exercuiſſe*: tamen nihil aliud ei per hunc tributum eſt, quàm ut libera eſſet à tyrannide Pontificis Romani

Eccleſia univerſi regni Anglici, ut cuncta ſecundùm legem Dei per eos, ad quorum officium illa pertinent, ordinarentur: quod regii eſt muneris, & ab antiqui populi Dei regibus ſemper factitatum. Aliàs tum illa ab Eccleſiaſtico omni miniſterio manus continuit, & omnes principes noſtri ab eodem manus abſtineat.

Coronidis loco non omittere poſſum, quod Ruffinus lib. 1. cap. 10. ſcribit, paulò ante ſua tempora etiam *mulieres novas Eccleſias plantaſſe.* Quipropter etſi Angliæ Regina non idem ſtudium in plantandis Eccleſiis Chriſti impendit: tamen in inſtaurandis, conſervandis, amplificandis, propagandiſque jure ac cum laude inſumpſit. Si autem illæ non ſunt ob plantatas à ſe Eccleſias hæreticæ, tum neque hæc ob inſtauratas, conſervatas, amplificatas & propagatas hæretica eſt.

CAP. VI.

Procli & Meſſalianorum hæreſin, quoad peccatum in renatis remanens & concupiſcentiæ peccatum, non inhærere Euangelicis de Papiſtarum ſententia

QUid Adverſarii? *Quintam* hæreſin è vetuſtis, quæ ſit *Procli & Meſſalianorum*, Euangelicis reformatarum Eccleſiarum Chriſtianis inurunt. Sed quàm exiguo ſucceſſu, percipite.

Procli hæreſis qua fuerit.

Hæreſis quinta, inquit Bellarminus, *eſt* PROCLI. *Is docebat, peccatum in renatis ſemper vivere. Concupiſcentiam enim verè eſſe peccatum, nec radicitus tolli per Baptiſmum, ſed ſopiri per fidem, ut eſt apud Epiphanium hæreſi* 64. *ubi ponit refutationem hujus ex Methodio. Quod Proclus, hoc idem poſtea* MESSALIANI *hæretici docuerunt, ut eſt apud Theodoretum lib.* 4. *de hæreticis fabulis.*

Meſſalianorum hæreſis.

Hæc eſt *ipſiſſima ſententia Lutheri artic.* 2. *&* 31. *atque in aſſertionibus eorundem articulorum. Item Philippi in locis communibus cap. de peccato Originis, & Calvini lib.* 4. *Inſtitut. cap* 15. *ſect.* 10. Sic intonat Bellarminus lib. 4. de Eccleſia milit. cap. 9. & lib. 1. de Baptiſmo cap. 13. Item Henricus Peretius comment. in Rom. 5. num. 9.

Accuſatio Euangelicorum.

II. *Euangelici à Procli & Meſſalianorum hæreſi vindicantur.*

Nos primùm controverſiæ ſtatum apertiùs retegemus: deinde refutationem plenam, qua ab iſtorum hæreticorum opinionibus hæreticis Euangelici vindicantur, apponemus. PRIMO enim, quia Bellarminus ad Methodiũ provocat, è quo Epiphanius Procli hæreſin refellat, liceat nobis ex eodem Methodio hujus cavilli, quo aſperguntur Euangelici, ſtatum quæſtionis rectè inveſtigando, refutationem petere. Methodius apud Epiphanium ordine hæc de Proclo prodit. *Proclus*, inquit, *reſurrectionem excutit, dicit animas ſine corpore ante mandatum vixiſſe, poſtea in corporis vinculum & carcerem & pedicas conjectas, & ſine corpore impoſſibile eſſe peccare.* Epiphan. hæreſ. 64. pag 12.

1. Status controverſia purgat Euangelicos.

Hoc fundamẽto jacto, quũ Proclus aſſeratur ab adverſariis dixiſſe, peccatũ vivere, Methodius exponit, id illum intellexiſſe, regnare peccatum & dominari etiam in renatis. Quod tum ex aſſertione Procli, tum ex reſponſione Methodii ſatis conſtat. Nam Methodius ei objicit pag. 162. Apoſtolum docere. *Ne haberet homo malum immortale peccatum prædominans,* &c. pag. 171. *Rom.* 5. 12.

Si

Digitized by Google

Si talis eſt natura carnis, ut Legi Dei SUBJICI *nequeat, quomodo Paulus hortatur:* NE REGNET PECCATUM? &c. Et probat toties carnem ſubjici, quoties actualibus peccatis non inſervit. Nam: *Non patet*, inquit, *ſcortationi, deliciis. Omne enim peccati ſtudium per carnem* (intelligit corpus) *conſummationem acquirit*, pag. 173. Denique pag. 175. *Lex*, inquit, *Spiritus vitæ per Chriſtum penitus peccatum* REGNANS *in carne vicit.* Hæc Methodius contra Proclum. An idem quæ Proclus Euangelici? Probabitur nunquam. Ex iſtis enim jam ſtatus controverſiæ elucet, qui eſt, quod Proclus peccatum regnare in regeneratis hæreticè docuit; Euangelici hodie orthodoxè negant, & prorſus contrarium defendunt, dicentes peccatum quidem in renatis eſſe, at non prædominari.

Similiter de Meſſalianorum hæreſi evenit. Nam Alphonſus de Caſtro lib. 3. de hæreſ. Tit. *Baptiſmi* ſcribit, *Meſſaliani tantam vim orationi tribuebant, ut Baptiſmo derogarent, dicentes,* NULLAM UTILITATEM *Baptiſatis ex Baptiſmo accedere, ſed ſolam orationem ſtudioſam* DÆMONEM INHABITANTEM EFFUGARE. Atqui Noſtri etiam hoc planè negant, ac pariter contrarium tradunt, nempe OMNIA PECCATA in Baptiſmo REMITTI, ut non imputentur.

2. Rationibus Scripturæ, Patrum & ipſorum Pontificiorum vindicantur Euangelici.

Cognito igitur controverſiæ ſtatu, nunc deinceps plenam refutationem hæreſeos iſtius Euangelicis intentatæ ſubjiciemus. NOSTRA enim ſententia prorſum non eſt, quæ vel Procli vel Meſſalianorum fuit. Concurrunt autem hic quinque, quæ probè ſunt notanda.

I. *Peccatum & concupiſcentia idē apud S. Paulum Rom. 6. 7. 8. junt.*

I. Obſervandum in hac quæſtione per peccatum intelligi CONCUPISCENTIAM. Nam hoc innuit ipſe Adverſarius, dum hæreſin Procli & Meſſalianorum Euangelicis objiciens dicit: *Proclus ait, peccatum in renatis ſemper vivere. Concupiſcentiā enim verè eſſe peccatum, &c.* Idem evincunt loca Apoſtolica Rom. 6. 12. & 7. 15. 17. 19. atque 8. 2. 3. Nec aliter interpretantur Adverſarii, ſed Bellarminus: *Nomine*, inquit, *Peccati omnium conſenſu* CONCUPISCENTIA *accipienda eſt, quæ quidem, tum Metaphoricè regnare & imperare dicitur, quum ardentius incitata* CONSENSUM *voluntatis extorquet.* F. RIBERA *Jeſuita Commēt. in Heb.* 12. ad verba ꝟ. primi: *Deponentes peccatum circumſtans*, ait, *Concupiſcentiam carnis adverſus Spiritum ſanctum intelligit, quam appellare* PECCATUM *Apoſtolus ſæpe ſolet, ut Rom.* 7. 12. 19 *&* 8 *&* 7. 15. 17. 19. ut tum ex caſtigationibus D. D. Parei librorum Bellarmini de Amiſſione Gratiæ & Statu Peccati in cap. 3. 8. 9. 10. 11. ac 12. liquet, tum ab omnibus interpretibus orthodoxis S. Pauli agnoſcitur.

De Eccl. l. 4. c. 9 de amiſs. gratiæ lib. 5 c. 3. 7. 8 9. 10. De Baptiſ. lib. 1. c. 13.

II. *Concupiſcentiam eſſe verè peccatum.*

II. Obſervandum, Concupiſcentiam eſſe verè peccatum. Quod Papiſtæ ingenuè noſtros docere fatentur. Nam lib. 1. de Baptiſ. cap. 9. Bellarminus; *Dicunt Proteſtantes*, inquit, *Concupiſcentiam in Renatis verè eſſe peccatum.* Et lib. 5. de amiſſione gratiæ ac ſtatu peccati, cap. 10. in principio: *Dicunt*, ait, *Proteſtantes, concupiſcentiam in renatis eſſe peccatum*, LICET NON SEMPER REGNET. Antea autem cap. 5. ſtatim in principio, Errorem, quem vocat tertium Euangelicorum, ſic proponit: *Corruptionem naturæ ſive concupiſcentiam*,

Digitized by Google

qualis remanet in hominibus poſt juſtificationem, eſſe peccatum ex natura ſua verè & propriè, quamvis credentibus non imputetur. Hæc, inquit, *ſententia communis eſt apud omnes ſectarios.* Id autem Adverſarii contra negant, ac propterea NOSTROS hæreſeos accuſant, quod id affirmare ſolẽt. Sed illi falluntur & alios fallunt, Euangelicis autem injuriam atque calumniam inferunt. Nam crimen ſectariorum negamus: ſententiam Euangelicorum orthodoxam agnoſcimus. Ut enim peccatum Originale eſt non ſolùm originalis juſtitiæ privatio, ſed tum naturæ humanæ pravitas & corruptio in omnes animæ partes diffuſa, atq; ab Adamo in ejus poſteros propagata, tum reatus iræ Dei & mortis æternæ obnoxios omnes homines faciens: ſic eſt defectus ſeu carentia juſtitiæ originalis prima pars, CONCUPISCENTIA verò altera pars peccati originalis, atque propenſio omnium viriũ ad cogitandum, faciendũ nve ea, quæ lege Dei proh bentur. Unde concupiſcentiam docemus peccatum eſſe, veluti peccati peccantis fœtum proximum, atque fomitem. Et peccatum eſt per ſe concupiſcentia, quia Deut. 10. 16. jubemur *circumcidere præputium cordis noſtri.* Et in lege dicitur. *Non concupiſces,* Exod. 20. 17. Ac Johannes Euangeliſta: *Concupiſcentia carnis non eſt ex patre.* 1. Joh. 2. 16. Jacobus cap. 1. ℣. 14. 15. 16. *Unuſquiſque tentetur, dum à propria cupiditate abſtrahitur & ineſcatur. Deinde cupiditas poſteaquam concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum, progignit mortem.* Chriſtus ipſe: *Qui viderit mulierem,* inquit Math. 5. 28. *ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.*

Concupiſcentia quid ſit.

Paulus disertè eam cum lege Dei pugnare, ac proinde peccatum eſſe affirmat, dicens: *Concupiſcentiam neſciebam peccatum eſſe, ni lex diceret, Non concupiſces.* Rom. 7. 7. Ac verſu 19. vocat concupiſcentiam malam, id eſt, quod non vult, id eſt, cui non præbet aſſenſum, dicens: *Non ago bonum, quod volo, ſed malum quod nolo.* Quare Auguſtinus lib. 3. contra Julianum Pelagianum tria cõcupiſcentiæ tribuit, *quod ſit peccatum, & pœna peccati, & cauſſa peccati.*

Neque me fugiunt argumenta, quibus Adverſarii freti ſibiipſis & aliis fucum faciunt, docendo ac credendo, concupiſcentiam verè non eſſe peccatum. Quorum etiam farraginem Bellarminus de Amiſſ. grat & ſtatu peccati lib. 5. cap. 1. 6. 15. 16. & alibi complectitur. Sed ex ipſis quoque Pontificiis Doctoribus proferam teſtimonia, quæ nobis aſſentiuntur.

THOMAS AQUINAS in 2. q. 82. art. 2. ait. *Concupiſcentiam eſſe peccatũ originis materialiter.* Quod verum eſt, intelligendo de potentia concupiſcibili ad malum prona.

Eſſe quoque propriè peccatum Bellarminus & Stapletonus imprudentes & nolentes ex conſequentia inſolubili evincunt. Ille enim lib. 4. de juſtif. cap. *Non quod eſt præter,* inquit, *ſed quicquid eſt contra Legem Dei, eſt* MORTALE *peccatum. Nec enim aliter peccatum intelligi poßit, quàm quod ſit Legis trangreßio.* Hic *verò aſſumens, ait: At* FATEMUR CONCUPISCENTIAM *eſſe quandam iniquitatem, & aliquando Obliquitatem, non modò contra dominatum mentis, verùm etiam contra* LEGEM. Staplet. lib. 3. de Concupiſ. in Renatis cap. 2. Quod idem

idem VEGA Concilii Tridentini Interpres approbatiſſimus de omni *veniali* peccato verum eſſe concedit non invitus, lib. 14. de juſtif. cap. 15.

Lib. conſultat. art. 2. GEORGIUS Caſſander: *Ex Auguſtino*, inquit, *& reliquis Eccleſiaſticis Scriptoribus convenit, eam concupiſcentiam, etiam poſt Baptiſmum reliquam, Apoſtolum & eum ſequutum Auguſtinum, PECCATUM nonnunquam appellare, non modò quia ex peccato facta eſt, ſed quia eſt fomes peccati, & dominationi mentis reſiſtit.*

Et quid Doctores Eccleſiaſticos conſecter, qui concupiſcentiam natura ſua & per ſe eſſe peccatum & materialiter peccatorum radicem manere ſcribunt ac docent? ipſe Bellarm. eos lib. 5. de Amiſſ. grat & ſtatu peccati cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. &c. ac alibi adducit. Quas verò illorum rationes infringit, aut cavillatur, aut inficiatur, eas D. D. Pareus confirmat vel explicat, vel tuetur, ut ne gry quidem Adverſarii contra mutire amplius queant.

III. Peccatum remittitur in Baptiſmo. III. Obſervandum, non modò peccatum concupiſcentiæ, ſed etiam omne peccatum in Baptiſmo remitti. Illud ſic noſtri, etiam referentibus Adverſariis, fatentur. *Lutherus art. 2. ait, omnia* PECCATA *in Baptiſmo remitti, ut fatetur Bellarminus* libro primo de Baptiſ. cap. 23. Et hic ſubjungit. *Calvinus, omnium peccatorum, inquit,* REATUS *per Baptiſmum* DELETUR. *Philippus ait peccatum in Baptiſmo* REMITTI, *ut non imputetur.* Ergo jam Euangelicos abſolvunt Adverſarii? Minimè: ſed de veniâ & condonatione peccatorum in novum certamen cum Euangelicis deſcendunt, dum ex opere operato vim purgandi & remittendi peccata Baptiſmo tribuunt. Nos igitur pleniùs primò docebimus, peccatum verè remitti in Baptiſmo: deinde per quem & quomodo id verè fiat, exponemus.

Peccata ut deleantur in Baptiſmo. Marc. 1. 4. *Primùm*, quod remittantur & abſtergantur peccata in baptiſmo, multis & claris ſacræ Scripturæ locis docetur. Nam Johannes Baptiſta dicitur, *prædicaviſſe baptiſmum reſipiſcentiæ in remiſſionē peccatorum.* Petrus Act. 2. 38. ait: *Reſipiſcite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Act. 22. ℣. 16. Ananias Paulum alloquens, inquit: *Surgens baptizator* ABLUITOR à PECCATIS TUIS. Eph. 5. ℣. 25. & 24. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, purgans lavacro aquæ per verbum. Ut ſiſteret eam ſibi glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & & inculpata.* Ad Titum 3. ℣. 5. Baptiſmus appellatur *lavacrum regenerationis, & renovatio Spiritus ſancti.* Hæc loca & teſtimonia omni ſtudio ex ſacris Scripturis recitamus, inculcamus.

Tropus in verbis baptiſmi latens. Simul tamen ne in barathrum falſi eorundem ſenſus prolabamur, aut ab aliis deturbemur, diligentiſſimè & fideliſſimè ex iisdem tropum Metonymiæ, qui in ejuſmodi locutionibus Sacramentalibus opera Dei propria ſigno externo aquæ baptiſmi tribuentibus, locum habet, eruimus, explicamus, inſtillamus. Nam ineſt illis locutionibus μετωνυμία effecti, qua ex effectu cauſſa ſignificatur, vel effectui aſſignatur, quod eſt cauſſæ proprium. Nam dicitur Baptiſmus remiſſio & ablutio peccatorum, tum quia cauſſa

Quomodo & per quē remiſſio peccatorum in Baptiſmo fiat.

eſt inſtrumentalis, qua purgatio, ablutio & remiſſio noſtri à peccatis ſignificatur, confirmatur, augetur: tum quia ad Chriſtum amandat & Spiritum ſanctum, quorum eſt proprium officium atque opus, nos purgare & abluere à peccatis, eaq; nobis remittere. Nam ſanguis Chriſti ſolus, virtute Spiritus ipſius nobis aſperſus, nos ab omni purgat atque abluit peccato. Agnovit hoc ſanctus Johannes Baptiſta, ac ideo di-
Math.3.11. Luc.3.19. cit: *Ego quidem baptizo vos aqua in reſipiſcentiam, ille verò* (Chriſtus) *qui poſt me venit, validior me eſt, cujus non ſum dignus, qui ſoleas portem. Is vos baptizabit Spiritu ſancto & igne.* Alter Johannes Apoſto-
1.Joh.1.7. & 2.2. Heb.1.3. lus: Sanguis Jeſu Chriſti, inquit, filii Dei, purgat nos ab omni peccato. Itē: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Apoſtolus ad Hebræos: *Chriſtus*
Ezech.36. ỳ.25.26. *purgatione* PECCATORUM NOSTRORUM PER SEIPSUM facta, *ſedit ad dextram majeſtatis illius excellentiſſimis.* Idē Heb.9.13.14.28. verſu 2. & 10.12.14. 15.16.17.18. aſſerit. Eodem ſenſu per tropum Metonymiæ effecti vocatur Baptiſmus lavacrum regenerationis & renovatio Spiritus ſancti: non certè quod Baptiſmus aquæ ſit ipſum regenerationis lavacrum, aut renovatio Spiritus ſancti: ſed quod ſit teſſera & inſtrumentum, quo regeneratio & renovatio noſtri, cujus cauſſa efficiens eſt principalis Chriſtus & Spiritus ſanctus, confirmatur, repræſentatur, augetur, obſignatur. Nam deducenda huc ad Baptiſmum eſt generalis doctrina de vi & efficacia Sacramentorum, quæ talis eſt. Sacramenta juſtificationem, ſeu gratiam & remiſſionem peccatorum nō conferre ex ſe & per ſe propria vi atque virtute, ſed aliena. 1. Quia ſunt ſigna, non cauſſa gratiæ. 2. Quia quod Dei proprium eſt, nō debet creaturæ tribui. 3. Quia ſubjectū gratiæ non eſt corpus, ſed ſpiritus. 4. Quia nihil corporale agit in ſpiritualibus. 5. Quia eadem eſt ratio Sacramentorum, quæ prædicationis verbi divini. At de hoc Apoſtolus affirmat: Rom.1.16.
Euangelium eſſe potentiam Dei ad ſalutem Joh.5.24.
omni credenti. Non quod magica quæ- 1.Tim.4.
dam, vel propria vis characteribus, ſyl- 16.
labis aut ſono verborū ſacræ Scripturæ prædicatorum vel lectorum & auditorum inhæreat (dicit enim Apoſtolus Heb. 4. 2. *non profuit illis ſermo auditus fidei non admixtus*) ſed quia his mediis, adminiculis & inſtrumentis ad ſalutem noſtram Deus utitur, fide autem verbum Dei percipitur. Hinc id Auguſtinus ad ipſum Baptiſmum transferens, dicit: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur.* In Joh. tractatu 80.

ET MAGISTER ſententiarum In 4. Sent.
Lombardus licet negarit Sacramenta diſt.1.
Veteris Teſtamenti juſtificaſſe etiam fide & charitate ſuſcepta: tamen refutatur ipſe Jure Canonico, in quo ſcri- De pœnit.
ptum: *Qui ſi charitatem Dei non habent,* diſt.2. Si
ante Dei oculos aqua tantùm regenerantur, enim.
non Spiritu ſancto. Opera enim ſeu Sacramentorum participatio, niſi ex charitate procedant, apud Deum nec juſtitiam, nec innocentiam præſtant. Ubi cum charitate fides conjungi debet. Ac communis eſt hæc regula, Sacramentorum tam veteris quàm novi Teſtamenti, & argumentum habēt à contrario. Si autem, ſcilicet, opera ſeu Sacramentorum

Digitized by Google

rum communicatio ex fide & charitate procedant, tum apud Deum juſtitiam & innocentiam, id eſt, juſticationem conferre.

Eſt ergo error ingens & nequiſſima impoſtura in Papiſtarum doctrina de virtute & fructu atque effectu Baptiſmi, de quo ajunt; *Suſceptus ritè Baptiſmus non hoc modò largitur ut plenè peccata omnia condonentur atque tollantur, ſed etiam ut baptiſatus plenè in ſe innovetur, ac verè innocens, juſtus, ſanctus, & cœleſti gloria dignus in Chriſto efficiatur.* Quæ Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8 9. 10. 11. & de Baptiſmo lib. 1. c. 12 13. 14. 15. 16. 17. 18. operoſe tuetur, & alii alibi non minori ſollicitudine ac ſtudio propugnant & tradunt. Sed fallunt 1. implicatione contradictionis. Nam pugnat inter ſe, quod *Baptiſmo & Chriſto* ſimul virtutem peccata omnia condonandi ac renovandi, & innocentem, juſtum, ſanctum, cœleſtique gloria dignum reddēdi tribuunt. Nam ſi Baptiſmi eſt ea vis, non eſt Chriſti Si Chriſti eſt, non eſt Baptiſmi. Quicquid enim Baptiſmo tribuitur, id Chriſto in ſolidum non debetur; contra, quicquid Chriſto tribuitur, id Baptiſmo non debetur. 2. Confundunt cauſſam efficientem principalem, & cauſſam efficientem inſtrumentalem. Etenim virtuti Baptiſmi & virtuti Chriſti eundem effectum aſſignant, quem per *opus operatum uno verbo* ſignificant. 3. Affectata vel innata inſcitia verbis & locutionibus ſacræ Scripturæ animum non ſatis applicant. Nam maniſeſtiſſimè & diſertiſſimè Apoſtolus inter Baptiſmum per ſe & Chriſtum Dominū ac Spiritum ſanctum diſtinguit.

Catecheſis Auſtriac. de Baptiſ.

Tribuit enim uni & ſoli Chriſto, *quod ſanctificet, & purget lavacro aquæ per verbum*, Epheſ. 5.26. Non dicit, Simul Chriſtum & lavacrum aquæ, id eſt, Baptiſmum purgare. Sic ad Titum 3. ℣. 5. *Chriſtus*, inquit, *ſervavit nos per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus ſancti.* Non dicit Baptiſmus largitur ſeu confert regenerationem & renovationem *in Chriſto* ſive *cum Chriſto*, ſicut illi. Quanquam enim *illud in Chriſto*, commodè exponi poteſt, tamen ambiguitatis & erroris vitandi cauſsâ Apoſtolus Dominum Chriſtum & Spiritum ſanctum diſertè nominat. Quēadmodum Joh. Baptiſta: *Ille* (nempe) Chriſtus) *baptiſabit vos ſpiritu & igne*, per quem idem Spiritus cum ſuis effectis intelligitur, ut ex Joh. 7. ℣. 39. colligimus. Quicquid his oggāniunt Adverſarii, ut ea erroris inſimulent & convellant, fusè à noſtris in Bell. librum 2. de Baptiſmo. 5. de Amiſſ. gratiæ, & libros de Juſticatione refellitur.

Ac plurimum prodeſt illa diligenter obſervare, ut evitentur duo devia ſibi invicem contraria, in quæ ignorantes aut reſpuentes tropum ac geminum ſenſum circa Sacramenta de virtute & effectu illorum in genere, ac de Baptiſ. in ſpecie miſerè abripiuntur. I. Devium eſt Pontificiorum, qui occaſione ea, quod virtus & efficacia Sacramētorum, inprimis Baptiſmi hyperbolicè extollitur, iis intolerabili ſacrilegio, quod Deus ſibi ſoli jure vēdicat, aſcribunt: dum Sacramentis vim quandā magicam & occultam tribuūt, & quod Dei eſt aſſignant. Qui error Ubiquitis hodie cum Pontificiis communis eſt, ut nos ab eo & abhorrere & lon-giſſimo

Neceſſaria ut ſit doctrina ſana de efficacia Baptiſmi.

Digitized by Google

giſſimo intervallo ab eſſe tibiis apertis proclamemus. Cavebitur itaque etiam ab illis & aliis, ſi virtutem & efficacitatem, vel efficientiam & effectum rerum cœleſtium non Sacramentis ipſis, tanquam rerum divinarum vehiculis, ſed ſoli Deo ejúsque ſpiritui tribuamus. II. Schuenckfeldianorum & Anabaptiſtarum, qui uſum & virtutem Sacramentorum extenuant, rident, ac pro nihilo dicunt, dum videlicet in nudam teſſeram, qua Chriſtiani agnoſcantur, & ab aliis populis ſecernantur, cōmutant. Quod devium ſanè periculoſum cavebitur omnino, ſi conſtet Sacramenta eſſe efficacia inſtrumenta, quibus Deus ad dona ſpiritualia in nobis obſignanda & augenda utitur.

IV. Peccatum etiam in baptiʃatis & renatis manere.

IV. Obſervandum, peccatum remanere nihilominus in Baptizatis & renatis, etiamſi remiſſū ſit in Baptiſmo, quod novum cum Adverſariis certamen movet. Nam quoniam Lutherus dicit articulo 2. *In puero poſt Baptiſmum negare* REMANENS *eſſe peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare*, unde non ſolum aſtruitur in ſpecie, cōcupiſcentiam ex natura ſua eſſe peccatum, ſed etiam in genere, IN BAPTIZATIS REMANERE PECCATUM acriter contra luctantur Adverſarii, contenduntque, *tolli in Baptiſmo omne peccatum, ac in renatis & Baptizatis nullum omnino remanere peccatum propriè dictum.* Annummerant verò nos propter hoc maximè Proclo & Meſſalianis hæreticis, quia non cum ipſis, negando remanſionem peccati in regeneratis ac Baptizatis, conſentiamus. Verum à noſtris partibus ſtant auxilia tum ſacrarum Scripturarum, tum aliquot eximiorum Pontificiorum, qui in hoc obedire Deo quàm hominibus malunt.

Bell de Amiſſ. gratia l. 5. c. 11.

Scriptura teſtimonia.

Inter loca ſacræ Scripturæ primus eſt Rom. 6 ℣. 12. ubi monet Apoſtolus, *ne peccatum in nobis regnet, non autem ſimpliciter, ne ſit*: uti notat ſanctus Auguſtinus Tract. 41. in Johannem. Ergo peccatum, propriè dictum, etiam in iis eſt, in quib. nō regnat, id eſt, in renatis. Alter eſt Epiſtolæ ad Rom. c. 7. à verſu 14. uſq; ad finem, qui inſtar multorum ſatis ſuperque probat, etiam in baptiſatis & regeneratis peccatum non eſſe prorſus ſublatum, ſed permanens ac vires ſuas exſerens. Nam pro confeſſo ſumimus, Apoſtolum toto eo in capite de ſua perſona loqui, querelámque inſtituere: quum Proſopopeiæ, quam fingunt nonnulli, nullum in toto contextu indicium aut veſtigium appareat. Loqui autem eum à verſu 7. uſque ad 14. *de ſe nondum converſo & renato*, ſed ſub lege ac Phariſaiſmo conſtituto ultrò largimur. Nam ea legis Dei effecta commemorat, quæ non niſi in hominem animalem convenire poſſunt: adeò ut hactenus nulla ſit inter orthodoxos & hæreticos, ſive priſcos illos ſive hodie repullulantes controverſia. Quocirca in quæſtione, eaque difficili jam ante multa ſecula verſatum eſt, & etiam num hodie verſatur, ánne Apoſtolus à verſu 14. uſque ad finem capitis illius *de ſe non converſo & regenerato loquatur?*

Lis de loco Rom 7. ℣. 14. uſque atque fini.

Pelagiani tempore Auguſtini priorē quæſtionis partem amplexi, contendebant, Apoſtolum loqui de ſe non con

Digitized by Google

verſo & renato, ſed ſub lege conſtituto. Quorum opinionem, ab Auguſtino debellatam & ſepultã, hodie multi magno conatu quaſi ab orco revocare moliuntur. Inprimis ſtrenuum ſeſe in hoc prębet Bellarminus cum ſuis complicibus, ut ex libro ejus 5. de amiſſione gratiæ, cap. 5. 6. 7 &c. Item libro 6. aliisque locis patet. Quæ ad hanc controverſiam cognoſcendam legere decet.

Opinionis verò hujus ſcopus eſt, ut homines lapſi, etiam ante inſtaurationem, liberum arbitrium boni ſupernaturalis, ab intellectu naturali monſtrati eligendi & perſequendi adſtruatur: Corruptio autem naturalis elevetur.

Orthodoxi & Euangelici noſtri contra ſtatuunt, Paulum loqui de ſe fide in totum juſtificato, ſub gratiâ, non ſub lege conſtituto, ac porrò *converſo & regenerato*. Cujus ſententiæ finis eſt, ut hominis in Adamo lapſi, nec dum inſtaurati liberum boni ſupernaturalis eligendi & perſequendi arbitrium deſtruatur: Originale peccatum, etiam IN RENATIS PERMANENS & vires ſuas exſerens in hac vita, mõſtretur: regenerati moneantur, ne aut ſenſu infirmitatum fide labaſcãt, aut præſumptione perfectionis ſecuri fiant.

Eam deinceps docendi cauſâ hoc ſyllogiſmo λογικῷ ſeu notionali demonſtramus & firmamus.

> *Poſitis & datis accidentibus perfectè propriis & effectis, neceſſe eſt dari eorundem ſuppoſitum & cauſſam proximam.*
>
> *At hoc loco Pauli ponuntur & dantur accidentia perfectè propria & effecta hominis converſi ac regenerati.*
>
> *Ergo ponitur & datur in textu Paulino homo converſus & regeneratus: ac porrò ſic Paulus de ſe converſo & regenerato loquitur.*

Major eſt extra controverſiam poſita & vera, niſi adverſarii probent, in ea ad veri naturam aliquid deſiderari.

Aſſumptionem, in qua τὸ κελευόμενον eſt, hac inductione è textu continuata, probamus. Tribuitur huic ſuppoſito: *Quod non probet, ſed odio habeat peccatum*, ℣.15. At non regenerati conſentiunt peccatoribus & peccatis, Rom. 1. ℣. 32. *Quod conſentiat legi Dei, quod bona ſit*, ℣. 16. At intelligentia carnis eſt inimicitia adverſus Deum Legiſlatorem, Rom. 8. ℣. 7. *Quod non ipſe, ſed peccatum in carne ejus habitans, malum perpetrat*, ℣. 17. At non regenerati omnes & toti in cupiditatibus carnis verſantur, & deſideria hujus faciunt, Epheſ. 2. ℣. 5. *Quod velit bonum, & nolit malum*, ℣. 21. At hoc ſolis renatis proprium dicitur, Philip. 2. ℣. 13. *Quod habeat interiorem bonitatem, ſecundùm quam delectetur lege Dei*, ℣. 22. At hoc quoque regeneratorum proprium eſt, Pſal. 1. 2. & 119. 77. Epheſ 3. ℣. 11. 2. Cor. 4. ℣. 16. *Quod habeat legem in membris rebellantem legi mentis ſuæ, quæ vel invitum & renitentem quaſi in captivitatem abripiat*, ℣. 23. quæ lucta renatorum propria eſt, Gal. 5. ℣. 17. *Quod ſummoperè cupiat iſta captivitate liberari*, ℣. 24. Id quod etiam regeneratorum eſt proprium, Rom. 8 ℣. 32. 2. Cor. 5. ℣. 2. & ſeqq. *Quod Deum, Chriſti gratia & merito, redemptorem ſuum agnoſcat*, ℣. 25 Quod quis tandem regeneratorum eſſe proprium negabit? *Quod denique mente ſerviat legi Dei*, ℣. 25. quum non renati legi Dei ſubjici non poſ-

ſint, Rom. 8. ꝟ. 7. Jam igitur Conclusio ſpontè prodit, & ſeipſam veram atque orthodoxam eſſe probat. Nimirum quod ponitur & datur in textu Paulino homo converſus atque renatus: & proinde Paulus de ſe converſo & renato loquitur: ἐπιδεῖξαι. Et Apoſtolum perſonam omnium renatorum hîc ſuſtinere, quis negabit?

In primis obſervandum, eo loco Rom. 7. à ꝟ. 14 Apoſtolũ aliquoties nominare peccatum, eam concupiſcentiam, cui homo interior, ſeu mens hominis non aſſentitur. Ergo quum locus ille de renato homine accipiendus ſit, ſequitur etiam renatos peccato propriè dicto adhuc aliquatenus obnoxios eſſe.

Rom. 8. ꝟ. 6. & 7. dicitur *affectus*, vel *ſenſus carnis, eſſe inimicitia adverſus Deum*. Atqui Gal. 5. ꝟ. 17. dicitur caro adverſus ſpiritum concupiſcere, &c. Id quod plerique ſani interpretes de lucta carnis & ſpiritus in eodem homine videlicet renato, intelligunt. Itaque extra hanc hypotheſin etiam ii, qui jam ſpiritum habent, reliquias carnis adhuc circumferunt, & tales quidem, quæ verè Deo diſpliceant, licet non imputentur ad damnationem.

Juſti ſemper ex præſcripto Chriſti Math. 6. & exemplo veterum ſanctorum orant *pro remiſſione continua peccatorum etiam occultorum*. Pſal. 19. 13. & 130. ac 143. ꝟ. 2. Job. 9. & 14 Adhæc ſe in multis identidẽ labi fatentur. 1. Reg. 8. Eccleſ. 7. Dan. 9. Jacob. 3 &c. Ergo agnoſcunt in ſe ejuſmodi fomitem, qui per ſe vitioſus ſit, & non modò ad peccata inclinet, ſed etiam peccati rationem habet veram.

Non malè igitur Lamb. Danæus dicit. *Concupiſcentiam docemus etiam in renatis eſſe peccatum. Hoc à Paulo didicimus Rom. 8. 7. & Rom. 7. 15. 6. 23 24. Rom. 8. 32. 2. Cor. 5. 2 non ab ullis Hæreticis, niſi ſi Paulum Pontificii hæreticum eſſe velint. Pontificii ſunt in hoc articulo hæreticiſſimi, qui tam manifeſto Pauli loco contradicunt in dedecus Legis Dei, Exod.* 20 ꝟ. 17.

Sophiſmata verò noſtræ huic δεῖξει oppoſita, in Explicatione & Caſtigatione ſua librorum Bellarmini de Amiſſione gratiæ & Statu peccati, præſertim lib. 5. 6. 7. &c. clariſſimus D. D. David Pareus diluit. Ac omnia & ſingula vel ad fallaciam, quæ eſt à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, vel ad eam quæ eſt à figura dictionis, & terminos Theologicos per Philoſophicos vitioſè explicat, referuntur. *Lib. 5. c. 10.*

Veruntamen ſi quæritur, maneat ne, an verò tollatur in Baptiſmo omne peccatum in renatis? verè quidem reſpondetur, *manet & viret ſemper*: ſed ut plenum ſit reſponſum, addi debet, *actu manere id, tolli autem reatu*. Etenim manet actu propter ſtatum naturæ, quoad morbum ſive radicem peccati, & materiam ipſam: ſed tollitur propter ſtatum perſonæ, quoad reatum ſive formam, quæ non imputatur fidelibus & renatis. *Peccatum manet actu, tollitur reatu in renatis.* Neque enim homo regeneratur omni ex parte: ſed manet etiam in ſanctis & renatis omnibus, quãdiu in hac vita mortali degunt, reliquiæ veteris hominis, carnis concupiſcentiæ. *Regeneratio hic eſt imperfecta.* Quæ eſt non fomes ſolummodò, ad peccatum incitans, & facilè tantùm concipiens atque inflammãs: ſed eſt horribilis ἀταξία, ſeu inordinatus motus, & impetus in omnibus viribus *Concupiſcentia.*

Digitized by Google

ribus hominis contra legem Dei. In mente cœcitas, in voluntate averſio à Deo, & in omnibus viribus atque facultatibus inferioribus contumacia, pugnans cum mente & lege divina. Denique, uno ut dicam verbo, permanent reliquiæ peccati, quæ perpetuò dum hic vivimus etiam renati & juſtificati, ſunt homini etiam renato moleſtæ. Quæque faciunt, ut non poſſint regenerati in hac vita legi Dei perfectè ſatisfacere, ſed omnia etiam bona illorum opera his peccatorum reliquiis contaminentur. Hinc lucta illa carnis & ſpiritus in ſanctis ac renatis, quâ jam ſuperiores evadunt, jam ſuccumbunt. Rom. 7. à verſu 14. uſque ad finem. Gal. 5. 17.

Iſa. 64. 6.

Patrum teſtimonia.

Hanc ſententiam docent & comprobant etiam vetuſti Patres, quibus in veritate ſacræ Scripturæ proferenda permagnum eſt auctoritatis pondus. Auguſtinus: *Si autem quæritur*, inquit, *quomodo iſta concupiſcentia carnis maneat in regenerato, in quo univerſorum facta eſt remiſſio peccatorum, quandoquidem per ipſam ſeminatur, cum ipſa carnalis gignitur proles etiam* BAPTISATI, *aut certè ſi in parente baptiſati poteſt & eſſe peccatum, & non eſſe, cur eadem ipſa in prole peccatum ſit?*
" *Ad hoc reſpondetur, dimitti concupiſcentiam*
" *carnis in Baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu ſuo jam ſoluta,* MANET *tamen, donec ſanetur omnis infirmitas noſtra, proficiẽte renovatione interioris hominis de die in diem, quum exterior induerit incorruptionem. Cujus vitioſis deſideriis ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, ne regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Quæ tamen concupiſcentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente etiam ſenectute maxima.*

Ad Valerium lib. 1. cap. 15.

2. Cor. 4. Epheſ. 4 5 Col 3. 6.

Quæ eò libentiùs hîc annotavi, quia Bellarminus Lutherum accuſat lib. 5. de amiſs. gratiæ, cap. 6. quod falsò imponat AUGUSTINO, quaſi is ſcripſerit. *Peccatum actu tranſire, reatu manere.* Item: *Peccatum remitti in Baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut non imputetur.* Addit: *Nondum potuiſſe adverſarios* (intelligit nos adverſarios) *unum locum notare, ubi Auguſtinus dicat, peccatum actu manere, non reatu: vel eſſe in homine, ſed non imputari.* Quæ audacia, quin vecordia inſignis eſt Bellarmini. Nam locum modò recitatum ad Valerium lib. 1. cap. 15. non legit. At in eo illa clarè habentur & ediſſeruntur. Si nondum ſatis, legat lib. 2. Auguſtini contra Julianum Pelagianum non procul ab initio, & inveniet: *Concupiſcentia remittitur in reatu, & manet in actu.*

Inſania Bellarmin.

Item de Nuptiis & Concupiſcentia cap. 25. *Concupiſcentia*, inquit *carnis dimititur in Baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur.*

Et cap. 6. *In eis qui regenerantur in Chriſto, quum remiſſionem accipiunt prorſus omnium peccatorum, utique neceſſe eſt, ut* REATUS *etiam hujus licet adhuc* MANENTIS CONCUPISCENTIÆ *remittatur, ut peccatum, ſicut dixi, non imputetur.*

Rurſus lib. 2. contra Julianum: *Lex iſta peccati*, inquit, *&* REMISSA *eſt regeneratione ſpiritali, &* MANET *in carne mortali. Remiſſa ſcilicet, quia* REATUS *ſolutus eſt ſacramento, quo renaſcuntur fideles, Manet autem quia operatur deſideria, contra quæ dimicant & fideles.* Item; Lex itaque peccati remittitur in Baptiſmate,

Digitized by Google

te, NON FINITUR, &c. An nondum igitur Euangelici attulerunt ex Auguſtino unum locum, quo dixerit illud, quod Bellarminus Luthero imponit pro mendacio? Si tergiverſatur in vocabulo *peccati*, pro quo Auguſtinus habet Concupiſcentiam carnis, infirmũ id eſt impudentiæ præſidium. Nam ſupra oſtenſum, ipſummet Bellarminum & alios Pontificios agnoviſſe in locis Paulinis Rom. 6. 12. & 7. 14. 15 17. 19. 20. nomine peccati accipiendam eſſe concupiſcentiam. Deinde, qui concupiſcentiam carnis à Scriptura in peccatis cenſeri neſcit, correptione, qui negat, anathemate dignus eſt. Nã Apoſtolus perſpicuè dicit de concupiſcentia carnis. *Non noviſſem concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex dixiſſet. Non concupiſces.* Et Caro *cõcupiſcit adverſus ſpiritũ.* Ac Johannes Apoſtolus: *Concupiſcentia carnis non eſt ex Patre, ſed ex mundo: mundus autem perit cum concupiſcentia ſua.* Et quænam quæſo eſſet conſequutio in verbis Auguſtini: In Baptiſmo regenerati accipiunt omnium prorſus peccatorum remiſſionem. Ergo etiam concupiſcentiæ reatus, ſiquidem concupiſcentia peccatum non eſſet. Quomodo etiam per gratiam non imputaretur in peccatum, ſi in ſe peccatum non eſſet? Sanè nobis plura teſtimonia, pluresque calculi pro noſtra ſententia ex Auguſtino, epiſtola ad Januarium 119. contra literas Petiliani lib. 2. cap. 7. Tract. in Joh. 13. & contra Fauſtum lib. 19. cap. 12. ſuppeditantur.

Rom. 7. 7. Gal. 5. 17.

1. Joh. 2. 16.

Pontificiorum teſtimonia.

Suffragantur iiſdem & noſtris quidam præſtantiſſimi judicii Papiſtæ, quorum verba ideò noſſe expedit. NICOLAUS LYRANUS in 1. Joh. 1. *Si dixerimus, quod peccatũ non habemus,* annotat: *Si de peccato* VENIALI *ſit ſermo, illud non poteſt in præſenti vita totaliter vitari. De illo enim dicitur Proverb. 24. ſepties in die cadit juſtus. Et ſic nullus poteſt veraciter affirmare ſe illo carere. Si de peccato* MORTALI *loquitur, nullus etiam poteſt ſcire, ſe peccato carere.*

Serm. de cœna Domini.

Gal. 3. 6. c. d.

S. BERNARDUS: Sed forte, inquit, quærat aliquis, & dicat: *Si deletum eſt in Baptiſmo, quod contraximus à parentibus, cur adhuc* MANET *cupiditatis fomes, & velut incendium quoddam peccati. Neque enim dubium, quin à primis parentibus in nos traducta ſit iſta lex. Omnes quippe in* PECCATRICE *voluptate generamur, propterea licet inviti, illicitos quoſdam motus concupiſcentiarum, & tanquam* BESTIALES (en peccatum non ſublatum) *ſentimus. Dixi vobis ſæpiùs, nec mente excidere debet, quoniam in caſu primi hominis decidimus omnes. Cecidimus autem ſuper acervum lapidum, & in luto, unde non ſolùm inquinati, ſed etiam vulnerati & graviter quaſſati ſumus. Lavari ſiquidem citò poſſumus, ad ſanãdũ verò opus eſt curatione multa.*

Lib. conſultat. art. 2.

GEORGIUS Caſſander iis, quæ paulo antè recenſuimus, ſubjungit: *Certè inſignis Theologus (Auguſtinus) apertè aſſerit* ETIAM IN RENATIS MANERE PECCATUM *etiamſi non imputetur.* Idem ibidem: *Si peccati rationem in vitio illo & iniquitate, languore & morbo conſtituas, cui ſpiritu reſiſtendum eſt, ne illicitos actu gignat, non ineptè* PECCATUM DICITUR; *ſin peccati rationem in ipſa* OFFENSA Dei & REATU, *cui ex adverſo pœna & damnatio reſpondet, ſitam intelligas,* NON *eſt* PECCATUM IN REGENERATIS, *quia niſi ei voluntas conſentiat, ad peccatum non deputatur.*

JOH.

Digitized by Google

In Auguſt. de civit. Dei lib. 1. cap. 9.

JOH. LUDOVICUS VIVES *Tam potentiſſimè ait viſceribus noſtris inhæret venerea rei cupiditas, ut ne cogitare quidem de explenda cupiditate poſſimus, quin voluptate neſcio qua occulta tangamur, quam plerique* NIMIUM VENIALE *peccatum eſſe volunt.*

Vide indicem controv. 3. generali in vocem concupiſcentia.

Sed & Bellarminus hæc teſtimonia ſingula copioſè ac paſſim ſuis libris poſterioris Tomi inſerit: *Concupiſcentia eſt fons tentationum, & lex membrorum repugnans legi mentis. Eſt peccati fomes, eſt potentia animi vitiata, aſſimilata canibus rabioſis, in carne materialiter peccatum, quod* NON TOLLITUR PER BAPTISMUM, SED REMANET IN RENATIS, *Contra ſpiritum uſque ad mortem pugnans, quæ adoleſcentes adigit ad inſaniam, & inſignes viros pervertit.* Ac vide, obſecro, Caſtigationem & Explicationem D. D. Parei lib. Bellarmini de Amiſſ. Gratiæ c. 9. 10. 11. lib. 5. ac invenies hũc ſæpe invitum fateri, Auguſtinum contra ſe & Pontificios pro nobis facere. Ubi autẽ abjecta Auguſtini & Orthodoxorum ſententia contrariam magis probat, quàm egregiè brevibus, ſed nervoſis ictibus à D. D. Pareo reprimitur & proſternitur? Et eſſe CONCUPISCENTIAM radicem peccatorum in Baptiſatis & Regeneratis quoque adhuc nimis palàm, nimiſque validè hærentem ac ſeſe exſerentem, utinam experientia noſtra non apertis tibiis, ut in proverbio eſt, vociferaretur & caneret. Sed ne plura: ex his ſatis ſuperque intelligitur & comprobatur, tam abhorrere, & abeſſe nos ab hæreſi hac in re, ut & ſacras Scripturas, & Patres ſanctiſſimos, & Pontificios doctiſſimos ac probatiſſimos nos ab ea purgantes habeamus.

Cur non toti regeneremur in Baptiſmo.

Cur verò, inquis, non omni ex parte nos Deus in Baptiſmo regenerat, ut verba Scripturæ præ ſe ferunt? Reſpondeo: *Imò verò, ô homo, tu quis es, qui ex adverſo reſpondes Deo? Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit à conſilio? Aut quis prior dedit ei, & reddetur ei?* Sed tamen hæc ratio eſt, quantum per infirmitatem & cæcitatem humanam ex Scripturis conjicere licet. Ideò nos Deus non ex omni parte regenerat, quia non vult. Sed reliquias peccatorum remanere permittit, ut peccati magnitudinem agnoſcamus: & materiam exercendi fidem, invocationẽ, obedientiam & reliquas virtutes habeamus, quæ in ipſa lucta creſcunt. Item, ne ſuperbiamus, ſed nos coram Deo humiliemus, pedes noſtros turpes & fœdos inſtar pavonum inſpicientes. Denique ut Dei bonitatem agnoſcamus, qui per Spiritum ſanctum inſtaurare hîc incipit vires in primo lapſu amiſſas, eaſque in altera vita ab omni infirmitatum ac peccatorum ſcoria repurgatas perficiet ac conſummabit, ut ipſius legi perfectiſſimè in felicitate ac lætitia inenarrabili obtemperent ad ſui nominis immenſam gloriam. *Rom. 9. 20. & 11. 34.*

V. *Non regn peccatum in renatis.*

V. Obſervandum hic id, quod S. Auguſtinus Serm. 6. de verbis Apoſtoli dicit de Peccato: *Regnum amittit in terra, perit in cœlo.* Sic remanet quidem peccatum viſceribus & viribus renatorum humanis adhærens, ac in iis ſemper vivens atque vireſcens, non autem regnat ſive dominatur. Quo Apoſtoli adhortatio ſpectat, ceu tuba alta clamans. NE *reguet igitur Peccatum in mortali veſtro corpore, ut obediatis Peccato in cupiditatibus corporis. Neque ſiſtite mem-* *Rom. 6. 12.*

Digitized by Google

bra veſtra arma injuſtitiæ peccato, ſed SISTITE VOS DEO, *ut ex mortuis vivos, & membra veſtra, arma juſtitiæ Deo.* PECCATUM *enim vobis* NON DOMINABITUR. *Non enim eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia.* Itaque licet reliquiæ peccati etiam in renatis ſeſe oſtendant, quæ per ſe legi divinæ obnituntur, & interdum quoque in ſcelera rapiunt ac trahunt: tamen non modò ſublatum eſt peccatum revera quoad *reatum*; verùm etiam quoad *regimen*. Enim verò non ipſum regit hominem renatum, ſed homo renatus regit peccatum, ut ſibi nequaquam dominetur. Neque inſitis à natura facultatibus & viribus id facere poteſt, aut facit renatus, ſed virtute ex alto à Spiritu divino ſuppeditata. Nam Spiritui ſancto tribuuntur in Scripturis effecta tum *deducendi electos ac renatos in omnem veritatem*, tum *regenerandi & renovandi* & corroborandi mentibus viribúſque ad vitæ novitatem atque ſanctitatem. Ezech. 36. 26. *Dabo vobis cor novum, ſpiritum novum ponam in medio veſtri.* Epheſ. 2. dicimur *Dei opus creati ad opera bona*, Et cap. 5. 9 *Fructus Spiritus ſitus eſt in omni bono, juſtitia & veritate.* Hac de cauſſa fidelem & renatum, cui peccatū non dominatur, non ſub lege, ſed ſub gratia eſſe, dicit Paulus, Rom. 6. 14.

Renati gratia Dei peccatum regnare non ſinunt.

[Jo]h. 15. 26.
[Jo]h. 16. 13.
[Ti]t. 3. 5.
[E]pheſ. 3. 16.

Cujus expoſitio neceſſaria & utilis eſt, propterea quod Bellarminus lib. 3. de amiſſ. gratiæ cap. 6. quærit: Quomodo nos concedamus, primos parētes in lapſu fidem amiſiſſe, gratiâ excidiſſe, quum negemus renatos in lapſibus totaliter fidem amittere, gratiâ excidere? RESPONDEMUS. Ratio diſcriminis eſt in diverſa gratia primi & ſecundi Adami, de qua prolixè Auguſtinus lib. de corr. & gratia cap. 11. *Prima*, inquit, *gratia eſt, quâ fit, ut homo habeat juſtitiam ſi velit. Secunda plus poteſt, quâ etiam fit ut velit, tantóque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate* SPIRITUS *vincat.* Et poſtea: *Adjutorium nunc tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrū, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verùm etiam tantùm ac tale ſit, ut velimus. Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & per ſe veraciter tenendo, non ſolùm poſſe, quod volumus, verum etiam velle, quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo. Unum enim horum in illo fuit: alterum non fuit.* Hæc ille.

Primus igitur homo ſua tranſgreſſione totaliter excidit fide & gratia, quia hanc mutabiliter habuit, non ſolùm quantum ad ſe, ſed etiam quantum ad conſilium Dei. Nam & hominis voluntas bona fuit ad malum flexibilis, & Deus ut ad malum flecteretur, ſuóque ſtatu excideret, decreverat permittere: id quod eventus oſtendit. Fideles verò Chriſti gratiâ regenerati, etſi eandem gratiam habent mutabiliter, quantum ad ſeſe: tamen nō habent eam mutabiliter quantum ad Dei conſilium, & Chriſti interceſſionem pro nobis. *Quos enim Deus prædeſtinavit, eoſdem etiam vocavit, juſtificavit & glorificavit.* Et Chriſtus perpetuò orat pro fidelibus, ne deficiat fides eorum. Etſi igitur quando labuntur in peccata, Deum graviter offendunt, Spiritum ſanctum contriſtant, fidem ſuam concutiunt, tamen Dei virtute cuſtodiuntur, ne penitus excidant, néve penitus Spiritum ſanctum & fidem excutiant,

Rom. 8. 29. 34.

ſed

Digitized by Google

ſed ſemper aliquod fidei ſemen in eis maneat, per quod ad reſipiſcentiam ex lapſibus reſurgant. Promiſſiones enim hæ illos certos reddunt. *Juſtus ſi ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum.* Item: *Oravi pro te, ne deficiat fides tua.* Item: *Oves meas nemo rapiet ex manibus meis.* Item: *Qui virtute Dei cuſtodimini per fidẽ in diẽ Jeſu Chriſti.* Item: *Qui natus eſt ex Deo, non peccat, quoniam ſemen ipſius in eo manet, nec poteſt peccare, eò quod ex Deo natus eſt.* Adhæc: *Poſteaquam credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu illo promiſſionis ſancto.* Epheſ. 1. 13.

Pſal. 34. 24. Luc. 28. 32. Joh. 10. 28. 1. Pet. 1. 6. 1 Joh. 3. 9.

Neceſſaria eſt etiam illa doctrina de Spiritu Sancto vires ad dominandum peccato ſubminiſtrãte, ne renati & pii ſibi nefario auſu arrogent, quod Dei unius proprium eſt. Nam etſi regenerati dicantur dominari peccato, bonũ & juſtitiam facere, tamen fit per metonymiam effecti Scripturis uſitatam, qua effectum pro cauſſa efficienti ponitur. Dominantur enim peccato renati, & benè operantur, quia hoc effectum eſt Spiritus divini ac gratiæ Dei, *qui efficit ut & velint & poſſint pro gratuitâ ſuâ benevolentia*, ſicut Apoſtolus Philip. 2. ℣. 13. affirmat.

Peccatum regnans & non regnãs.

Profluxit hinc apud Theologos diviſio illa peccati in *regnans* & *non regnans*, quia eam locus Apoſtoli Rom. 6. 12. & 14. ſuggerit. REGNANS, eſt concupiſcentia, in homine animali & nõdum per Baptiſmum regenerato ac per ſpiritum ſanctum gubernato, ita dominans, ut aſſentiat peccato concepto, hocque pariat & perpetuet, ut peccatum ipſius membra ſibi arma, ipſum verò totum ſervum injuſtitiæ ſiſtat, Rom. 6. ℣. 20. Talis homo dicitur *permanere in peccato ac non ſolùm facere peccatum, ſed etiam aſſenſum præbere & patrocinari iis, qui id faciunt*, Rom. 1. 21. 32. *Servus peccati*, Rom. 6. 20 *Secundum carnem incedere, & in carne eſſe*, Rom. 8. *In offenſis & peccatis mortuus eſſe*, Epheſ. 2. ℣. 1. 2. 3. NON REGNANS peccatum, eſt concupiſcentia reliqua in renato, Spiritui ſancto per Verbum divinum ac Sacramenta agenti obediens, ut malo ac peccato nec delectetur, nec aſſẽtiatur, nec patrocinetur, ſed dominetur atq; reſiſtat, quoad ejus fieri poteſt, de admiſſo autem peccato doleat, & pœnitentiam agat præditam fide in meritũ Chriſti, quo illud tegitur & non imputatur. Talis in Scripturis dicitur, *Non eſſe ſub Lege, ſed ſub gratia*, Rom. 6. 14. *Liberatus à peccato & mancipatus Deo*, Rom. 6. 22. *Secundùm Spiritum incedere.* Rom. 8. 1. *Non eſſe in carne, ſed in ſpiritu*, Rom. 8. 9. *Delectari Lege Dei quoad interiorem hominem*, Rom. 7. 22. *Carnem membraque ſua mortificare & crucifigere cum affectibus & concupiſcentiis*, Gal. 5. 24. Col. 3. 5. *In tali dicitur Spiritus concupiſcere adverſus carnem, & caro adverſus Spiritum*, Gal. 5. 17.

Huc facit illud Auguſtini, *juſtos in hac vita partim eſſe filios Dei, ratione gratiæ juſtificantis, partim filios hujus ſeculi, ratione carnalis concupiſcentiæ & non peccare quatenus ſunt filii Dei; labi autem aliquando, quatenus ſunt filii ſeculi. Quæ ſententia vera eſt*, & à noſtris ad locum Joh. 3. 9. ita explicatur. *Qui natus eſt ex Deo peccatum non facit*, toto corde, totus, *nec poteſt peccare*, quatenus renatus ex Deo eſt. Sancti enim quoties labuntur, non toto corde, ſed ex infirmitate carnis labuntur: nec labuntur toti, ſeu quatenus adhuc

Lib. 1 de peccatorum meritis & remiſſ. c. 7.

caro

Digitized by Google

caro ſunt. Quod Auguſtinus dicit, *non quatenus ſunt filii Dei, ſed quatenus ſunt filii ſeculi.*

Serm 1 de Septuageſ. Eodem ſpectat ſanctus BERNARDUS, qui ad illum locum Joh. dicit, *non poſſe peccare filios Dei, nempe ita, ut permaneant in peccato, & pereant, quia ſemen regenerationis cæleſtis manet in eis,* hoc eſt, quia electi ſunt. Quæ ſententia itidem eſt vera, & à noſtris Doctoribus in epiſt. 1. Joh. 3. 9. ita exponitur: *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non committit,* hoc eſt, peccatis non indulget, ſed lapſus reſurgit. *Nec poteſt peccare,* peccato ſcilicet, ad mortem, de quo 1. Joh. 5. 6. Quod quum ſit irremiſſibile, non poteſt cadere in electos, qui perire nequeunt, Math. 24. 24. Et Joh. 6. 39. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut quicquid mihi dederit,* NON PERDAM EX EO, *ſed ſuſcitem illud in ultimo illo die.*

Rom. 1. Plura addere quid opus? Sentimus concupiſcentiam eſſe verè peccatum, hujúsque dominatum quidem & reatum & condemnationem nobis per Chriſtum & in Chriſto eſſe abolitum, cujus ſigillum ſit Baptiſmus, dicente *Joh. 13. 10.* Ambroſio: *Gratia Dei in Baptiſmo gratis omnia condonat.* Sed hærere & manere in nobis adhuc labem ac ſordes, tanquam inquinatos pedes, quotidie verbi divini meditatione ac reſipiſcentia ſeria abluendos, donec vitâ æternâ potiti, totum peccatum penitus conficiatur & tollatur. Ita ſentimus quod Apoſtoli, Patres vetuſti, probatioresque Theologi cuncti, non quod Proclus & Meſſaliani. Vide infrà etiam cap. 23.

CAP. VII.

De Novatianorum, Montaniſtarum & Donatiſtarum hæreſi, tum reconciliationem cum Deo lapſis, tum inunctionem chriſmatis baptiſatis negante, & falsò Euangelicis aſcriptâ.

NIhil meliores & æquiores Euangelicis facti Papiſtæ, *ſextam* hæreſin bipartitam, quæ *Novatianorum* eſt, illis aſſignant: ſed ſimiliter nihil proficiunt aliud, quàm quòd impudentem ſuam λοιδορίαν, id eſt, conviciandi libidinem per contumelias, cum καινολογίᾳ, hoc eſt, varia dicendi ac garriendi procaciâ conjunctam produnt.

I. *Novatiani prima hæreſis. Lib. 4. de Eccl. milit. cap. 9.*

Sexta hæreſis, inquit Bellarminus, *Novatianorum error præcipuus erat, non eſſe in Eccleſia poteſtatem reconciliandi homines Deo, niſi per Baptiſmum. Poſtea etiam addiderunt, non debere baptizatos inungi chriſmate ab Epiſcopis:* ut Theodoretus de hæreticis fabulis, & Cornelius Papa apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 33. referunt. *Calvinus negat ullum eſſe Sacramentum pœnitentiæ præter Baptiſmum. Lutherus pœnitentiam rejicit. Auguſtana Confeſſio Confirmationem, Calvinus Chriſmatis unctionem.* Addit, *Novatianis, Donatiſtas & Montaniſtas,* Bellarm. lib. 1. de pœnit. Sacram. cap. 8. Duplici igitur crimine Novatiani laborabant, unde & duplici ab Adverſariis Papiſtis Euangelici accuſantur.

II. *Novatianâ hæreſ. non rectè exponi ab adverſariis. Bernard. Lucemburgius in Catalogo hæreticorum.*

Reſpondemus dupliciter. *Primò,* non ſatis perſpicuè ac planè hæreſin priorem Novatianâ à Bellarmino adduci, nec verè Euangelicis accomodati. *Novatus* enim cum ſuis diſcipulis pœnitentiæ poſt Baptiſmum nullum omnino

Digitized by Google

omnino locum reliquit, quin cum *Donatiſtis* veniam, ſeu remiſſionem peccatorum lapſis poſt Baptiſmum negavit. Quâ occaſione? Locis Apoſtoli ad Hebræos duobus abuſi ſunt. Prior eſt cap. 6. ℣. 4. 5. 6. ubi Apoſtolus: *Nam fieri non poteſt*, inquit, *ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintq́, donum cœleſte, & participes facti fuerint Spiritus ſancti, guſtaverintq́, bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi ſi prolabantur, ut denuò renoventur per reſipiſcentiam, ut qui rurſum crucifigant ſibimetipſis Filium Dei & ludibrio exponant.* Alter eſt cap. 10. ℣. 26. ubi ait Apoſtolus: *Nam ſi ultrò peccaverimus poſt acceptam cognitionem veritatis, non ultrà pro peccatis reliqua eſt hoſtia. Sed horrenda quadam expectatio judicii, & ignis fervor, qui devoraturus eſt adverſarios.*

Peccatum in Spiritum ſanctum intelligitur Heb. 6. 4. 5. 6. & cap. 10. 26.

Atqui eo loco Apoſtolus de illis apoſtatis verba facit, qui in Spiritũ ſanctum peccant. Quare quum hac diſputatione nulla major aut difficilior in ſacra Scriptura ſit, teſte Auguſtino in Mathæum Serm. 81. & Novatiani illa loca non rectè intellexerint, operæ pretium facturos nos & loci opportunitatis rationem habituros judicamus, ſi de PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM hîc paucis, Novatianæ hæreſeos refutandæ & Euangelicos eò commodiùs ab ea purgandi cauſſa, agamus.

1. Quid ſit.

Ex citatis enim locis Apoſtolicis cognoſcimus: Peccatum in Spiritum ſanctum eſſe παράπτωμα, ſeu lapſum voluntarium & ſpontaneum ab univerſa doctrina Euangelii manifeſtatâ, agnitâ, ac Spiritus ſancti teſtimonio in corde approbatâ, conjunctus cum odio ejus perpetuo, ac ita reſipiſcentiæ expers, & neque in hoc neque in futuro ſeculo remittendus.

Genus.

Hæc rationibus ſequentibus ex Epiſtola ad Hebræos probare promptũ eſt. I. Peccatum in Spiritum ſanctum genere eſt παράπτωμα ſeu *lapſus*, quando Apoſtolus apertè dicit, eos, qui hoc peccato ſeſe obſtringunt, παραπίπτειν, prolabi ſeu excidere. Quo malo & Petrus eoſdem relictâ viâ aberrare, & regredi à ſancta doctrina dicit, 2. Pet. 2. 15. 21.

Differentia.

Differentiæ loco, primùm ſubjicitur *voluntarius & ſpontaneus*: idque non modò quia verbum παραπίπτειν id aliqua ratione innuit, ſed etiam multò magis quòd Apoſtolus cap. 10. ℣. 26. ait, hos ἑκουσίως, ſponte atque ultrò, ſine ulla cauſſa aut ſaltem ſpecie cauſſæ, ſed deſtinata malitia & mera libidine peccare.

Materia & forma.

Additur, *à manifeſtata & agnita doctrina* EUANGELII. Nam Heb. 6. 4. eſt, eos qui inexpiabile hoc ſcelus concipiunt, ſemel *illuminatos* & illuſtratos, nempe doctrinâ Euangelii, & participes factos Spiritus ſancti, nempe *Spiritus cognitionis, ſapientiæ & ſcientiæ*: quo *veritatem* Heb. 10. 26. & *viam juſtitiæ* 2. Pet. 2. 21. *cognoverunt*. Unde & Servator de hoc peccato in eos diſſerit, qui & Chriſtum à Deo eſſe Joh. 3. ℣. 2 & quis eſſet Joh. 7. 28. notant. Nec tamen deſinebant ſcientes prudentes, repugnante conſcientiâ, Spiritui ſancto reſiſtere, Act. 7. 51.

Math. 12. 31. Marc. 3. 29. Luc. 12. 10.

Porrò additur, *à Spiritu ſancto in corde approbata*. Quum ad Heb. 6. qui hoc peccatum committunt, dicuntur *guſtaſſe prius bonũ Dei donum, bonum ejuſdem verbum, & virtutes futuri ſeculi.* Ut enim

Z horum

Digitized by Google

horum apoſtatarum intellectus à Spiritu ſancto hactenus illuminatur, ut Dei veritatem, ne ſi velint quidem, ignorare nō poſſint: ita & voluntas innovatur, ut veritati cognitæ aſſentiantur, id tamen ad tempus tantùm & ſine fiducia faciant. Nam idcirco *guſtare* tātùm, non verò edere dicuntur.

Præterea additur, *ab omni veritate*. Hæc enim apoſtaſia integra & totalis eſt non ab uno ſolùm aliquo Chriſtianæ fidei capite, ſed ab univerſa doctrina. Hoc enim modo iſti dicuntur *relinquere viam rectam, toto cœlo errare, à doctrinâ ſanctâ ſibi traditâ recedere, inſtar canis ad vomitum & ſuis lota ad volutabrum reverti*, 2. Pet. 2. ℣. 15. 21. 22.

Finis. Unde in definitione annectitur *lapſus cum odio veritatis conjunctus*. Quâ de cauſſa à ſervatore *blaſphemia in ſpiritum* dicitur Math. 12. 21. Et Heb. 6. 6 hi dicuntur *Filium Dei ſibi rurſus crucifigere, ac ad ignominiam exponere*. Et cap. 10. ℣. 29. *Filium Dei conculcare, & ſpiritum gratiæ contumelia afficere*.

Effectus. Poſtremum in definitione eſt, *reſipiſcentiæ expers, ac proinde nunquam remittendus*. Utrumque enim è Scripturis planum. Nam Heb. 6. ℣. 4. & 6. disertè dicitur: *Fieri non poteſt, ut denuo renoventur ad reſipiſcentiam*. Et Math. 12. 22. *Non remittetur neque in hoc ſeculo, neque in futuro*. Et Marc. 3. ℣. 29. *Non habet remiſſionem in æternum, ſed tenetur æterno judicio*. Heb. 10. 26. 27. *Non adhuc pro peccatis reliqua eſt hoſtia, ſed horrenda quædam expectatio judicis, & ignis fervor, qui devoraturus eſt adverſarios*.

Subjectum. Simul ſubjectum iſtius peccati inſeritur & exprimitur. Nempe non reprobi quivis, multò minùs ELECTI, qui quidem aliquando in peccata labuntur, at non eo modo, quo ſuprà recitatum, & Dei gratiâ juxta Euangelium reſurgunt, atque è manu Chriſti eripi nequeunt. *Joh. 10. 28.* Sed ſubjectum peccati in Spiritum ſanctum ſunt, qui Apoſtaſiâ tantâ laborāt, ut voluntariā & profligatam veritatis Euangelicæ cognitæ renunciationem, & rebelliōē ex odio veritatis natam, cum tyrannica, ſophiſtica & hypocritica oppugnatione, committant. *Heb. 6. 6. 7. & 10. 26. 27.* Exempla præbent tam Saul, Judas, Arius & Julianus apoſtata, quàm Phariſæi, adverſus quos DOMINUS de hoc peccato Math. 12. Mar. 3. Lucæ 8. diſſeruit.

Error Novatianorū. Ex hiſce ergo jam perſpicitur, quomodo & quantopere Novatus ac Donatus, & Novatiani atque Donatiſtæ errarint. Nimirum in eo, quod loca illa Apoſtoli de peccatis humana infirmitate, in primam aut ſecundam tabulam poſt acceptum Baptiſmum admiſſis, intellexerunt atque expoſuerunt. Deinde, quod inde quovis modo poſt acceptum Baptiſmum lapſis ſpem omnem veniæ & remiſſionis præcidendi anſam ſumſerunt. Adhæc veteribus præſertim Latinis, hanc Epiſtolā ad Hebræos tanquam Novatianis faventem, è Canone rejiciendi & expūgendi occaſionem præbuerunt. *Philaſtrius de hæreſib. p. 73. in hæreſi. eorum qui de Epiſt. ad Hebræos dubitabant.* At, ut dictum & probatum, non in genere de omni lapſu, ſeu peccato in primam vel ſecundam tabulam, ſed de blaſphemia in Spiritum ſanctum, ex mente Chriſti, hoc loco ſermo eſt.

Qua de cauſſa alii Papiſtæ τὸ κρινόμενον & ſtatum Novatianæ hæreſeos melius & planius Bellarmino exponunt. *Lib. 12. adverſ. hæreſ. Tit. Pœnitentia.* ALPHONSUS de Caſtro: Novatia-

vatiana hæreſis, inquit, *peccantibus* OMNEM *pœnitentiæ* VIRTUTEM *tollit, dicens eos qui ſemel poſt Baptiſmum lapſi ſunt*, NUNQUAM *poſtea conſequi* REMISSIONEM *peccatorum*, ETIAMSI PŒNITEAT. VEGA *Omne peccatum lethale poſt Baptiſmum commiſſum irremiſſibile cenſuerunt*. Quod ſumtum ex Euſebii lib. 6. qui Novati mentionem faciens; *Hic*, inquit, *lapſis ſpem veniæ negavit, quòd de peccatis, quæ homo committit poſt Baptiſmum, veniam conſequi non poſſit. Et* DION Alexandrinus ait; *Novatus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, elatione quadam tumidus*, SPEM PENITUS SALUTIS EIS ADIMEBAT, *etiamſi dignè pœnituiſſent. Ex quo & princeps extitit Novatianorum, qui ab Eccleſia ſeparati, ſuperbo nomine* CATHAROS, *id eſt, mundos ſe appellabant*. THEODORETUS: *Novatus*, inquit, *negabat lapſis pœnitentiam dicens non oportere eos, qui abnegaſſent, ſalutem conſequi*. *Hæret. fab. lib. 3.*

Euangelici contra ac Novatiani pœnitentib. veniam prædicant & concedunt.

Conferamus nunc cum iſtis doctrinam & ceremoniam Euangelicorum, quâ in pœnitentiæ vel reſipiſcentię negotio uti ſolent. Breviter, Euãgelici ſeveritatem & auſteritatem Novatianorum, qui lapſis poſt Baptiſmum vel in perſequutione vel aliàs & pœnitẽtiam & veniam negabant, apertè diligenterque reprehendunt & damnant. Statuunt enim & docent, delinquentibus poſt Baptiſmũ & pœnitentiæ & veniæ tam coram Deo quàm Eccleſiâ aditum patére. Sentiunt etiam & credunt, inter lapſum eorum, qui ſcientes vel imprudentes, ſed ad frugem per reſipiſcentiam veram ſeſe recipiunt, ac lapſum eorum, qui ex profeſſo in univerſum à Chriſto reſiliunt, impietate atque erroribus delectantur, bellúmque veritati indicunt, latiſſimum eſſe diſcrimen. Alioqui actum eſſet de Davide & Petro & Paulo, imò de nobis omnibus, de quibus Scriptura teſtatur: *Juſtus in die ſepties cadit*. Et Pſal. 19. 13 *Delicta quis intelligit?* Ac Jeremias: *Pravum eſt cor hominis*. Johannes Apoſtolus: *Si dixerimus nos peccatum non habere, met. timur, & veritas Dei non eſt in nobis*. Quare peccatores & lapſos ſic tractare & excipere docemur: *Septuagies ſepties remitte*. Et Ezechiel: *Quacunque hora ingemuerit peccator, non ampliùs recordabor peccatorum ejus*. Precari item jubemur Mathæi 6. *Et remitte nobis*, ô cœleſtis Pater! *debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris*. Et Deus: *Tu fornicata es cum amatoribus tuis, ſed tamen revertere ad me*. Hucque nos remittunt exempla Davidis, Ezechiæ, Manaſſis, Petri, Pauli, Peccatricis, aliorumque maximorum peccatorum, qui in gratiam per pœnitentiam cum Deo atq; Eccleſia redierunt, ut 2. Sam. 12. 13. 14 15. 2. Reg. 20. 19. 2. Paralip. ult. Math. 26. Joh. 21. Lucæ 7. 27. 30. Act. 9. &c.

Prov. 24. 16. *Jer 17. 9.* *1. Joh. 1. 8.* *Math. 18. 22.* *Ezech. 18. 21.* *Jer. 3. 1.*

Hanc noſtram & ſententiam & doctrinam eſſe, teſtimoniis ipſorummet Adverſariorum convincimus. Bellarminus, *Dicunt Proteſtãtes*, inquit, *in Chriſtianis poſt Baptiſmum requiri* FIDEM & PŒNITENTIAM, *ut juſtificentur, &* REMISSIONEM *conſequantur*. Lindanus dicit: *Calvinus non vult opus eſſe novo pœnitentiæ Sacramento, quo cœleſti Patri reconciliemur, cujus, inquit, vis in Baptiſmo viget, ideoq; Baptiſmi memoriam eſſe repetendam*. Argumentorum noſtrorum congeriem Bellarminus etiam complectitur lib. 1. de Baptiſmo, c. 18. qui-

Lib. 3. de juſtif. c. 6. & ſæpè aliàs.

bus Noſtri evincunt, quicunque poſt Baptiſmum peccavit, ſi incipiat credere & amplecti fœdus Baptiſmi ſui, certè de ſalute ſua & remiſſione certiſſimum eſſe. Quanquam verò ea redarguit: tamen ne hilum quidem proficit, quum à noſtris fortiſſimè defendantur, & ab ejus falſis interpretationibus vindicentur. Ac omnino, quòd Novatiani lapſis condonationem denegāt, nos non facimus, nec facienti conſentimus. Imò cum Adverſariis Novatianorum, quod confractum eſt, colligimus, & quod aberrat, reducimus, & quod cecidit, erigimus, & lapſis manū porrigimus. Claves etiam datas Apoſtolis & veris eorū ſucceſſoribus, quibus & ligent & abſolvāt, agnoſcimus.

Sacramentum pœnitentiæ negando. Euangelici maximè Novatianæ hæreſeos inſimulantur.

Quid igitur eſt de quo potiſſimùm controvertitur, ut Papiſtæ Euangelicos Novatianæ hæreſeos reos peragāt? Quod Euangelici non ipſam quidem pœnitentiam, quam Scriptura & Patres ſinceriores docent, ſed fictum Sacramenti pœnitentiæ nomen, imò ipſum confictum pœnitentiæ Sacramentum repudiant. Bellarmin. enim, *Calvinus,* inquit, *negat ullum eſſe Sacramentum pœnitentiæ præter Baptiſma.* Ac lib. 1. de pœnitentia cap. 8. Calvinum pariter accuſat & excuſat. *Non de quavis,* inquit, *pœnitentia inter nos & Proteſtantes cōtroverſia habetur. Pœnitentia vel in ſola mentis converſione, atque interna peccati deteſtatione conſiſtit, vel in externis ſignis, ut mærore, lachrymis, confeſſione, corporis afflictione, ſe prodit. Neque de hac re ulla controverſia eſt. Ipſi Adverſarii, Calvinus & Chemnitius, opera externa laborioſa, ut ſigna pœnitentiæ externæ, non rejiciunt. Deinde, abſolutionis ritum aliquem ferè omnes agnoſcunt. Sed* HIC EST SATIS *controverſia, utrum pœnitentia, ſignis externis manifeſtata, accedente ad eam verbo abſolutionis, ſit* SACRAMENTUM *propriè dictum?* Ac lib. 1. de Baptiſ. cap. 9. ait. ZUINGLIUS ET CALVINUS *negant abſolutè pœnitentiam eſſe Sacramentum.*

Adhæc adducit Hieronymi dictum in Comment. ad illud Iſaiæ 3. *Agnitio vultus eorum*, &c. Tomo 9. *Pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium.* Ac intelligit per ſecundam tabulā Sacramentū Pœnitentiæ, ad quod lapſi poſt baptiſmū ſe convertere debeāt. Calvinum verò hoc negantem perſtringit.

De Eccleſia milit. lib. 4. cap. 9.

Hæc quidem eſt cauſſa hujus calumniæ in Euangelicos, quòd ſint Novatiani & Donatiſtæ, hic ſtatus accuſationis, Euangelicos eſſe Novatiana hæreſi commaculatos, quod Pœnitentiam eſſe Sacramentum, à Baptiſmo lapſis neceſſarium, negant. Sed nos partim de Calvino ſpeciatim, de Sacramento pœnitentiæ generatim reſpondebimus.

Quoad Calvinum ſigillatim, ſi per *Secundam tabulam* Hieronymus & Papiſtæ ſecundum Sacramentum intelligunt, nempe Pœnitentiæ Sacramentum propriè ſic dictum poſt Baptiſmū neceſſarium, meritò Calvinus hunc ſenſum repudiat. Nam deinceps probabitur, pœnitentiam neque peculiare, neque diverſum à Baptiſmate Sacramentum eſſe. Si tantùm remediū quoddam pœnitentiæ competens per ſecundam tabulam accipitur, quo lapſi poſt Baptiſmum uti poſſunt, ut cum Deo in gratiam redeant, merito conceditur. Hieronymus enim quidem dixit, *pœnitentiam eſſe poſt naufragium ſecundam*

Pœnitentia ut ſit ſecunda tabula poſt naufragium.

tabu

Digitized by Google

tabulam,ſed ſolummodò intendit,pœnitentia reparari baptiſmum,quia baptiſmi efficacia in credentibus & ſincerè pœnitentiam agentibus per totum vitæ curriculum durat. Quemadmodum enim navi naufragio facto fractâ homo tabulam ex ea arripit,vel aliunde aliquam aliam accipit,qua ad portum venit,& periculo eruitur,vel è navi delapſus tabula ſumpta ad navim revertitur, ac ita ſervatur: ſic poſt lapſum in peccatum à baptiſmo lapſus pœnitentiam capeſſens,redit atq; pervenit ad fœdus gratię divinę,tanquam portum,in baptiſmo cum Deo ictum, atque ad ſalutem conſtitutum, & in gratiam recipitur, atque ad vitam æternam conſervatur. Hoc modo noſtri Calvini explicationem dicti Hieronymiani contra Bellarmini ſtrophas lib. 1. de pœnitentia,c. 14. defendunt. Nam omnino Baptiſmus eſt ſacrum & divinum ſignum totius gratuiti fœderis Dei,uti ab ambabus partibus cõſtat. Hujus autem fœderis virtus ad omnia totius vitæ peccata expianda pertinet. Ergo & Baptiſmi ſignificatio, ſive obſignatio, æquè latè patet. Non autem eſt, niſi unum æternum gratiæ fœdus, Jerem. 31.33. Heb. 8. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Idem Baptiſmus univerſam noſtri cum Chriſto communionem nobis obſignat. Sic enim ad Roman. 6. & Gal. 3. deſcribitur,ut ſignum & profeſſio ejus communionis,quam perpetuam cum Chriſto habemus. Ergo ſignificatio illius toties locum habet,quoties lapſi pœnitentiam ex animo agimus,& reipſa in Chriſtum credimus, cui per Baptiſmũ inſiti ſumus. Unde Auguſtinus de fide ad Petrum cap. 30. Baptiſmum vocat *Sacramentum fidei & pœnitentiæ*, ut & Tertullianus & Cyprianus,aliique veteres. Eſt autem pœnitendi & credendi ratio ferè unica, tam poſt, quàm ante Baptiſmũ: prout eſt unus Deus,unus Chriſtus,una ſpes,una fides,&c. ut & ſuprà cap. 19. diximus. Ergo rectè Baptiſmus ſacramentum fidei & pœnitentiæ appellatur atque creditur. Cal. Inſtit. cap. 19. diſt. 17.

Citatur decret. 15. q. 1. cap firmiſſimè

Epheſ. 4. 5.

Præterea nec verba Calvini, nec ſenſus eorum rectè à Bellarmino exprimuntur. Hæc enim Calvini verba ſunt: *Ementitum hoc Sacramentum* (ſcilicet, pœnitentiæ) *ornarunt, quo decebat, elogio, ſecundam eſſe tabulam poſt naufragiũ: quia ſi quis veſtem innocentiæ in Baptiſmo perceptam, peccando corruperit, per pœnitentiam reparare poteſt. Sed dictum eſt Hieronymi. Cujuſcunque ſit, quin planè impium ſit excuſari nequit, ſi ex eorum ſenſu exponitur. Quaſi verò per peccatum deleatur Baptiſmus: & non potiùs in memoriam revocandus ſit peccatori, quoties de peccati remiſſione cogitat, ut illinc ſeſe colligat, animúmque recipiat, & fidem confirmet peccatorum remiſſionem ſe impetraturum, quæ ſibi in Baptiſmo promiſſa ſit. Aptiſſimè itaque dixeris, ſi Baptiſmum vocaveris pœnitentiæ Sacramentum, quum in conſolationem iis datus ſit, qui pœnitentiam meditantur.* Et paulò poſt: *Quod autem durè & impropriè Hieronymus dixit, pœnitentiâ reparari Baptiſmum (à quo excidunt, qui excommunicari ab Eccleſia merentur) boni iſti interpretes ad ſuam impietatem trahunt, &c.*

Inſtitut. c. 19 §. 17. Lombard. 4 ſent. d. 14. cap. 1 de pœnitentia d. 1 cap. 2.

Ex quibus 1. amplius cognoſcitur, ne per ſomnium quidem Calvino in mentem veniſſe, negare cum Donatiſtis & Novatianis, quod non ſit in Eccleſia

Digitized by Google

ſia poteſtas homines reconciliandi cũ Deo niſi per Baptiſmum. Nam clarè pœnitentiam nominat, qua ad promiſſam & obſignatam in Baptiſmo remiſſionem peccatorum lapſus & peccator quiſque à Baptiſmo revertatur, & hanc adipiſcatur. 2. Animadvertitur duo eſſe, quæ Calvinus neget. *Unum*, quod pœnitentia ſit ſacramentũ: *alterum*, quòd verum ſit illud dictũ ex illorum ſenſu, ſcilicet Pontificiorum. Quam conditionem Bellarminus bellè intermittit, aut expungit, verámque Hieronymi interpretationem diſſimulat. Quàm dignus obeliſco teſtis? Et quàm indignum eo, impropriam tanti Patris phraſin, quæ commodè explicari poteſt ad incommodum ſenſum & ſacramenti alieni hypoſtaſin trahere?

Pœnitentiã non eſſe Sacramentũ.

Quoad generatim Sacramentum Pœnitentiæ, paucis quidem cap. 19. illud nullum eſſe indicavimus, ſed nunc pluribus probabimus. Non enim ſundamentum habet Sacramentum pœnitentiæ in Chriſti & præcurſoris ejus prædicatione de pœnitentia. Ergo non poteſt eſſe Sacramentum. Antecedens admittunt Adverſarii, negant conſequens, ut Bell. lib. 1. de Sacram. pœnit. cap. 9. teſtatur. Nam non ante, ſed demum poſt reſurrectionem Domini fuiſſe inſtitutum hiſce verbis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis; quorumcunque retinueritis, retenta ſunt.* Hic enim, inquiunt. 1. eſt manifeſta inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ cum mandato divino. 2. Actus externus tum Pœnitentis, tum Abſolventis ſunt materia, vel ſignum & ſymbolum externum. 3. Adeſt promiſſio gratiæ, nempe remiſſionis peccatorum & reconciliationis cum Deo, quæ non ſolùm in genere, ſed etiã in particulari ſingulis applicatur. Nam quemadmodum ex illis: *Docete omnes gentes, baptiſantes in nomine Patris,* &c. colligimus in particulari, ſingulis eſſe dictum, & dici debere; *Ego te baptizo*, &c. ſic etiam in iſtis: *Quorum remiſeritis peccata*; colligere debemus in particulari ſingulis à ſacerdote abſolvente dicendum eſſe: *Ego te abſolvo.* 4. Mandatur ritus perpetuus. Nec enim Dominus aſſignavit tempus, quo vellet non ampliùs in Eccleſia remitti peccata, quum perpetuò remiſſione egeat. Hæc illi.

Joh. 20.22. 23.

Reſpondemus. I. Chriſtum non de peculiari Sacramento ibi agere, ſed de toto miniſterio Eccleſiæ, quod in prædicatione Euangelii, adminiſtratione legitimorum Sacramentorum, Baptiſmi ac Cœnæ Dominicæ, & gubernatione diſciplinæ morum conſiſtit, ut Deus per id ſit efficax. Hoc enim inchoatum ante ſuam mortem, poſt reſurrectionem ſuam plenè inſtituit & confirmavit. Nam ſi tres miniſterii Eccleſiæ partes miniſtri obeunt, ac nimirum verbum Euangelii prædicant, Sacramenta adminiſtrant, diſciplinámque morum informant, tunc remittunt peccata credentibus & reſipiſcẽtibus, dum vice Dei vel Chriſti verbũ Euangelii de gratuita peccatorum remiſſione annuntiant, hánceque Sacramentis Baptiſmi & Cœnæ ſacræ repræſentant atque obſignant. Quod Apoſtolus docet, 2. Cor. 5. 17. 18. dicens: *Hæc omnia ſunt ex Deo, qui reconciliavit nos ſibi per* JESUM CHRISTUM, *dedítque nobis*

Math. 28. 19. Marc. 16. 5. 2. Tim. 3. 15. 1. Tim. 6. 3. 2. Tim. 2. 1. Tit. 1. 9. & 2. 1. 1. Cor. 4. 1. 1. Tim. 3. 4. Math. 16. 19. & 18. 15. Math. 5. & 6. 7.

Miniſterii Eccleſia inſtituis Chriſtus. Joh. 20. 23. non Sacramentum pœnitentiæ.

Digitized by Google

nobis miniſterium reconciliationis. Nempe, quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis lapſus ipſorum, poſuítque in nobis ſermonem illum reconciliationis. Itaque ſubeſt verbis Domini Joh. 20. 23. Metonymia effecti, quâ effectum pro cauſſa inſtrumentali ponitur. Etenim primò, propriè & efficaciter Deus ſolus eſt, qui peccata remittit, non imputans ea nobis propter reconciliationem inter ipſum & nos morte Chriſti factam, remittendóque auffert ac delet. Nam Deus diſertiſſimè: *Ego, ego,* inquit, *ſum, qui deleo prævaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* At Apoſtolis, eorumque in ſacro miniſterio ſucceſſoribus, hoc divinum opus non propriè, ſed metonymicè, & quidem per metonymiam effecti, qua effectū pro cauſſa organica (uti modò diximus) ponitur, à Scriptura, imò ipſo Dei filio tribui conſuevit. Nam illi remittunt peccata, annunciantes ſermonem reconciliationis & remiſſionis peccatorum, id eſt, ſermonem, quo Deus teſtificatur de ſui reconciliatione cum nobis, & de peccatorum remiſſione. Quo etiam fidem in nobis excitat & fovet, quâ fide remiſſionem peccatorū haurimus ac retinemus. Contra Apoſtoli & eorum ſucceſſores, qui dicuntur Eccleſiæ miniſtri, peccata retinent, quum immorigeris, infidelibus & pœnitere neſciis annunciant verbum condēnationis, quod eſt: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Quo pacto Petrus Simoni Mago peccata retinuit, his verbis: *Non eſt tibi pars, neque ſors in ratione hac.*

Remiſſio peccatorum Deo & miniſtris per tropum tribuitur.

Iſa. 43. 25. & 24. 21. *Marc.* 2. 7.

Marc 16. 15. *Act.* 8. 21.

Néve tergiverſari hic aut eludere iſthæc quis poſſit, ſimiles phraſes alibi in Scripturis exſtant, quæ æquipollentes ſunt, eadémque figura enuntiantur. nempe per effecti metonymiā. Num. 6. ỳ. 23. ſcriptum eſt: *Alloquere Aarō & filios ejus, dicēdo. Sic benedicetis filiis Iſrael, dicendo; Benedicat tibi* Jehova *& cuſtodiat te, Lucere faciat* Jehova *faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui; Attollat* Jehova *faciem ſuam ad te, & ponat in te pacem. Et ponent nomen meum ſuper filios Iſraelis &* EGO BENEDICAM EIS. His ergo verbis Sacerdotes & Levitæ dicuntur benedicere filiis Iſraël: Deus etiam iiſdem benedicere dicitur. Aliter tamen iſti, aliter hic benedicere dicitur. Iſti metonymicè, quatenus benedictionis inſtrumenta nempe benedicendi formulam à Deo præſcriptam ſuper filios Iſraëlis pronuntiant, ac ita nomen Jehovæ ſuper illos ponunt. Hic verò propriè, quòd reipſa benedictionem à ſacerdotibus populo exoptatam præſtat & largitur.

Benedictio & Deo & Sacerdotibus tribuitur.

Apoſtolus ad Timotheum Eccleſiæ & Euangelii miniſtrum ſcribit: *Id ſi feceris teipſum ſervabis, & eos qui te audierint.* Atqui Deus eſt, qui propriè ſervat & ſalute donat. Unde Iſaiæ 43. ỳ. 11. *Ego, ego* Jehovah, inquit, *& non eſt præter me* SERVATOR. Ac 1. Tim. 2. 3. Σωτὴρ, *Servator* dicitur. Timotheus autem & alii Miniſtri Eccleſiæ ſervare dicuntur non propriè, ſed metonymicè, quia auctoritate divina media & inſtrumenta, quibus Deus ſalutem hominum operatur, ſubminiſtrant & inculcant. Unde 1. Cor. 3. plantantibus & rigantibus in agro Domini cōparantur. Et 1. Cor. 4. 1. Oeconomi myſteriorum Dei vocantur. Ac ridiculum eſt, propterea putare Apoſtolos ſalvatores dici ex ſe

Servare tam Deus, quàm miniſtri dicuntur. 1. *Tim.* 4. 16. *Iacob.* 5. 20.

Digitized by Google

ſe, quum non per ſe ſed per Chriſti fidẽ & redẽptionẽ & merita ipſius homines docendo & inſtituẽdo ſalvos fecerint.

Convertere ut Deus ac Miniſtri dicantur *Luc.* 1 16. 17. 77. *Jacob.* 5. 19. 20

Eâdem loquendi ratione Johannes Baptiſta cum Miniſtris Eccleſiæ ac Deus convertere dicuntur. Nam de Johanne prædicatur: *Multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum*. Item: *Ut convertat corda patrum ad filios*. Item: *Ut det cognitionem populo ejus*. De miniſtris verò Eccleſiæ vel aliis, ait ſanctus Jacobus: FRATRES *ſi quis aberrarit à veritate, & CONVERTERIT eum quiſpiam, ſciat quod qui averterit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſervabit animam à morte, & obteget multitudinem peccatorum*. Verùm tamen Dei ſolius eſt proprium convertere, ſervare animam à morte, & ſalutari cognitione imbuere corda hominum. Nam Deut. 30. 6. dicitur. *Circumcidet Jehova cor tuum*. Item: *Converte me, precatur* Jeremias 31. 18. *& convertar*. Ac idem Jacobus *Deus*, inquit, *dat ſapientiam omnibus*, 1. cap. 1. 5. Et Chriſtus *Spiritus ille veritatis, introducet vos in omnem veritatem*, Joh. 16 33. Coloſſ. 2. ℣. 2. 3. *Conſolationem accipient corda eorum, quum fuerint compacti charitate, idque ad omnem opulentiam certo perſuaſæ intelligentiæ, ad cognitionem myſterii Dei Patriſque & Chriſti, in quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ ac cognitionis abſconditi*. Deut. 32. 39. 1. Sam. 2. 6. *Deus mortificat & vivificat*. Math. 9. 10. 26. *Deus poteſt animam & corpus ſervare vel perdere*. At idem opus tribuitur Johanni Baptiſtæ & aliis in Miniſterio eccleſiaſtico conſtitutis per metonymiam effecti. Joh. enim & miniſtri Euangelii convertere corda, cognitionẽ Dei largiri, ſervareq; animas dicuntur, quando Dei juſſu & mandato ſubminiſtrant cauſſas & inſtrumenta, per quæ Deus converſionem & agnitionem ſui ſalutemque animæ operari decrevit. Sententia ergo eſt, Johãnes ac Euangelii Miniſtri convertunt corda, dant cognitionem populo Dei animaſque ſervant à morte, id eſt, prædicando verbo de Pœnitentia & remiſſione peccatorum in nomine Chriſti, déque Fide in eundem adhibent atque ſubminiſtrant media ac cauſſas inſtrumentales, quibus Deus corda immutat in melius, ſui cognitione illuminat animaſque à damnatione vel morte æternâ liberat & ſervat.

Luc. 24. 47

Math. 3. 11.

Eodemque modo adminiſtrationẽ Sacramentorum intelligendam eſſe, innuit ipſe Johan. Chriſti prodromus dicens: *Ego vos baptizo aqua ad reſipiſcentiam. Is verò qui pone me venit* (Chriſtus) *baptizabit vos ſpiritu & igne*. Ergo Deus vel Chriſtus propriè in ſacramento Baptiſmi per Spiritum ſuum ſanctum à peccatis abluit, mentes regenerat, effectaque Baptiſmi, quæ per ignem adumbrantur, præſtat, dum carnis ſcoriam excoquit, deſideria illicita conſumit, mentes cognitione cœleſtium rerum illuſtrat, & eorundem amore accendit, adhæc procul pulſo torpore ac ſtupore nobis innato, induſtrios & agiles facit ad ea, quæ regni Dei & ſalutis æternæ hæredes decent. Similiter in Cœna ſacra, Chriſtus ipſe eſt qui traditi ſui corporis in mortem & fuſi ſui ſanguinis merito remiſſionem peccatorum impetravit, nobiſque accommodat & dat, ac ita corpore & ſanguine ſuo nos paſcit ad æternam vitam. Sed impropriè per metonymiam effecti idem opus aſcribitur Miniſtris Eccleſiæ,

Digitized by Google

cleſiæ, atque adeò ipſis ſacramentis (ut ex Act. 2. ℣. 38. & 22. 16. Tit. 3. 5. 1. Cor. 10. 16. & 11. 24. 25. patet) quia tum Miniſtri ea adminiſtrantes vel porrigentes, ſunt media atque inſtrumenta, quæ nobis juxta Dei inſtitutionem & mandatum abſolutionem noſtri à peccatis & cibum potumque animarum JESUM CHRISTUM afferunt, ſubminiſtrant, obſignant, confirmant & augent: de quo fuſiùs etiam cap. 20. dictum.

Uſus doctrinæ de metonymia effecti in loco Joh. 20. 23.

Hæc ritè obſervata & dextrè intellecta tribus nocētiſſimis errorib. mederi poſſunt. I. Occurrūt falſæ explicationi Papiſtarū in loco Joh. 20. ℣. 23. quâ ex hoc Sacramentum Pœnitentiæ fabricantur. Quicquid enim ad hanc ſuam fabricam tuendam afferunt, ut videre eſt lib. 1. Bellarmini de SACR. Pœnitentiæ, cap. 9. 10. & 11. id accurata iſtius tropi obſervatione illo in dicto Chriſti, Johan. 20. ℣. 23 evertitur & peſſundatur. II. Redarguunt Pontificios & Ubiquitarios, qui tropum jam dictum negligentes, haud dubitant ea ipſa propriè tribuere miniſtris, ac ſibi nefario auſu arrogare, quæ unius Dei propria ſunt. Qui ergo intelligit, probeque tenet, remittere peccata, convertere & illuminare corda, ſalutémq; dare hominibus, de Euangelii præconibus metonymicè in Scripturis prædicari, pudendum & exitioſum iſtum errorem, quo miſeri homines Deo omnipotenti æquantur, Deúſque ſua gloria ſpoliatur, facilè evitabit. Quin potiùs cum Paulo fatebitur: *Habemus theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis, ut ejus virtutis præſtantia ſit* DEI, *& non ex* NOBIS. III. Confutant Schuenkfeldianos & Enthuſiaſtas, qui quidem intolerabilem illam blaſphemiam & impietatem, qua quæ ſolius Dei ſunt propria, & quæ Deus ſibi tota vendicat, ſacrificulis & antiſtitibus Pontificiis tribuuntur, ſtrenuè devitant, at è contra miniſterium Eccleſiaſticum nimis extenuant, ac tanquam rem otioſam, mortuam & ſupervacaneam annihilant, negligunt & repudiant. Scriptura itaque ut pariter blaſphemo huic & pernitioſo errori, ac ſuperiori obviam procedat, miniſterio ſacro & miniſtris legitimè vocatis tribuit, tanquam συνέργοις & cooperariis Dei, operationem & efficientiam ſalutis noſtræ, id eſt, remiſſionem peccatorum & retentionem, ſalvationem vel ſalutem, cōverſionem, illuminationem, fidem, &c. ut oſtendat prædicationem Euangelii & adminiſtrationem Sacramentorum rem non otioſam, ſed efficacem, non mortuam, ſed vivam, non ſupervacaneam, ſed omnibus modis neceſſariā eſſe; utpote per quam Deus, tanquam per organum & inſtrumentum legitimum perficiat hominum ſalutem. Hinc 1. Cor. 3. ℣. 6. teſtatur Apoſtolus, Deum τῇ φυτεύσει & τῷ ποτισμῷ, hoc eſt, plātationi & rigationi dediſſe *αὔξησιν*, id eſt, augeſcendi & effloreſcendi virtutem.

1. Cor. 4. 7.

Enthuſiaſtarū error.

Elemento caret Pœnitentia Sacram.

Reſpondemus II. Ad materiam Sacramenti Pœnitentiæ, ſiquidem hæc Sacramentum eſſet, non requiri actus externos, ſed *elementum* tanquam ſignum & ſymbolum externum, verbo Chriſti expreſſo dictatum, uti eſt in Baptiſmo *aqua*, in Cœnâ Dominicâ *Panis & Vinum*. Nullum verò ejuſmodi elementum, vel ſymbolum & ſignum ex-

ternum, è Scripturis ſacris in Sacramento Pœnitentiæ oſtendere Pontificii, ut lib. 1. Bellarmini de Sacr. Pœnit. cap. 15. 16. 17. 18. eſt cernere. Quin Pontificii doctores materiam Sacramenti Pœnitentiæ mutuis conflictibus docent, nec tamen certam ac ſolidam inveniunt & probant: ſicut legitur apud Gabrielem Biel diſt. 14. q. 2. art. 1. & Bellarm. de Sacram. Pœnitentiæ, lib. 1. cap. 16. pag. 94. Tandem ſolummodò decretis conciliorum Florentini ac Tridentini eam definiunt, quandoquidem Scripturis divinis deſtituitur.

Pœnitentia eadem in V. qua in novo Teſtamẽto.

Reſpondemus III. In Veteri Teſtamento non minùs, quàm nunc in Novo Teſtamento vera & ſalutaris ſemper fuit pœnitentia; item vera Abſolutio, unà cum Dei mandato de pœnitentibus abſolvendis, & cum annexa gratiæ promiſſione, prout Deut. 4. 30. 31. & 30. 1. 2. 3. Iſa. 1. Jerem. 3. Ezech. 18. exſtat. Et 2. Sam. 12. exemplum hujus rei in Davide & Nathane habetur. Nec tamen iſta pœnitentia Sacramentum tunc fuit, fatentibus Adverſariis. Ergo neque nunc eſſe poteſt, quia eſſentia utrobique eadem eſt. Ac ideò magis, quod S. Petrus Act. 10. 43. affirmat ſe de pœnitentia vera, non aliter docuiſſe, quàm Prophetas, qui remiſſionem peccatorum acquirere unumquemque annunciarint per nomen Chriſti, quiſquis credat in eum. Idem S. Paulus Act. 20. 21. feciſſe ſe teſtatur.

Reſpondemus IV. Etſi tum pœnitentiæ tum abſolutionis ritus, propter cõtinuationem peccãdi perpetuus in Eccleſia eſſe debet: tamen non Sacramẽtum eſt, nec in illis rebus, quæ Papiſtæ conſtituunt, eſt ſitus. Fallunt enim tam ſeipſos quàm alios fallacia accidentis. Nam ſic arguunt. *Pœnitentia in Scriptura tũ ſacco, cinere, jejunio, lachrymis aliiſque externis actibus pœnitentiæ, tum abſolutione ſacerdotis fieri dicitur* Joſ. 7. 6. Joel 2. 12. Joh. 20. 23. *Ergo pœnitentia in iis rebus poſita, Sacramentum eſt.* Hanc enim argumentationem & rationem pœnitentiæ partim hypocritarum eſſe Chriſtus ipſe Math. 6. 2, teſtatur, qua transferunt, accipiúntque accidens pœnitentiæ, pro vera ejus naturâ, quũ contra fieri debeat: partim inſtitutione Miniſterii Eccleſiæ, quod non ſolùm in abſolutione, ſed prædicatione Euangelii de gratuita remiſſione peccatorum per Chriſtum conſiſtit, refutat. *1. Reg. 21. 27. Math. 27. 4. 5.*

Pœnitentiæ Sacramentum novũ inventum.

Reſpondemus V. Antiquiores ne veſtigium quidem appellationis Sacramenti in pœnitentiæ negotio oſtẽdunt, nedum quòd eam Sacramentũ eſſe doceant. Etenim mille & ampliùs annis poſt Chriſtum natum, inter Sacramenta nunquam fuit numerata. Fatetur hoc aliquatenus Bellarminus eo ipſo, quod lib. 1. de pœnitent. Sacram. cap. 8. refert, quomodo *Montaniſtæ & Novatiani negarint ab Eccleſia ſolvi, aut reconciliari poſſe lapſos poſt Baptiſmum.* Videtur autem proſſum PETRUS LOMBARDUS inter primos fuiſſe, qui ei titulum Sacramenti dederunt. Quem poſtea ſequuti *Mendicantes* MONACHI circa annum Domini 1112. non modò vocabulum Sacramenti pœnitentiæ in omnibus ſuis concionibus, ſcriptis, ſermonibusque acriter aſſignarunt, verùm etiam toti doctrinæ ejus *Lib. 4. ſent. diſt. 14. a.*

jus diſputationibus inextricabilibus denſiſſimas nebulas atque tenebras offuderunt, quæ horribiles conſcientiarum carnificinæ, illis autem ingenti quæſtui fuerunt. Unde ALBERTUS CRANZIUS tam illorum Ordines, quàm hunc pœnitentiæ uſum vehementer deploravit & improbavit lib. 7. Metropol. cap. 42. inter alia ſcribẽs: *Poſſent ſine illis Eccleſiarum Paſtores Dei populum gubernare. Nunc verò privilegiis ſuis quæ praferunt, mirabile faciunt Eccleſiis detrimentum, non contenti mendicitate, quam ſponte ſubierunt, in qua habentes nihil* OMNIA POSSIDENT, *magnis Eccleſiæ Prælatis non abſimiles & impares. Hoc illis praſtant Chriſti* SACRAMENTA, *& præſertim* PŒNITENTIÆ, *quæ ſunt illis aurifodina.*

Penterus lib. 3. c. 4. 5.

Reſpondemus VI. difficilius quidem in *Secunda*, quam in *Prima* converſione homines ordinariè inſtaurari, Deoque reconciliari; Ipſum tamen *Baptiſmum* ex mente Spiritus ſancti Sacramentum ſive ſignum Pœnitentiæ rectè ac propriè & dici & ſtatui. Nam ſignificationem ejus ad omnium totius vitæ peccatorum condonationem optima ratione extendi, contra Novatianos & Donatiſtas, & Montaniſtas planè Scriptura aſſerit, quandoquidem *Baptiſmus pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum* videlicet deſignandam appellatur. Adhæc quia documentũ eſt *mortificationis & renovationis noſtræ naturæ*, quam Chriſtus ſe in nobis per ſpiritum ſuum ac verbum efficere, & effectum eſſe teſtatur, in hac quidem vita imperfectam, veruntamen tantam, ut peccatum in nos habitans non dominetur ſeu regnet, ſed per gratiam Spiritus ſancti in dies magis ac magis mortificetur. *Internus homo*, ait Apoſtolus. 2. Cor. 4. 16 *renovatur indies.* Poſtremò, quia ſervit fidei noſtræ πληροφορίᾳ & confirmationi, ac conſolationi in tentationibus ob peccatorum recens admiſſorum conſcientiam. Nam nos eſſe filios Dei & Patrem nobis placatum Paulus ex eo probat, quod Chriſtum *in Baptiſmo induerimus*, Rom. 6. 3. 4. Gal. 3. 26. 27. hoc eſt, quia teſtimonio Baptiſmi cum Chriſto Filio Dei arctiſſimè conjuncti, & omnium ipſius meritorum participes facti ſimus. Quamobrem novo nunc pœnitentiæ ſacramento nihil opus eſſe conſtanter ſtatuimus, & antitheſin Papiſtarũ meritò damnamus.

Baptiſmus pœnitentiæ ſacramentum eſt. Marc. 1. 4. Act. 2. 38. & 22. 16.

Rom. 6. Tit 3. 5. 6. Epheſ. 5. 26.

Reſpondemus VII. Una eademque omnino forma ſeu ratio formalis eſt hominis cum Deo reconciliandi, ſive ante ſive poſt Baptiſmum: videlicet abſolutio à peccatis per FIDEM in Chriſtum: ſed per fidem vivam, quę ſine pœnitentia eſſe non poteſt, ut ante Baptiſmum, Act. 2. 37. 38. & 3. 19. ubi Apoſtolus ait: *Reſipiſcite & convertimini, ut deleantur peccata veſtra, poſtquam venerint tempora refrigerationis à conſpectu Domini.* Ac poſt Baptiſmum, cap. 8. 22. *Reſipiſce igitur ab iſta malitia tua, & deprecare Deum, ſi fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Rurſus, Act. 20. 21. *Teſtificans Judæis ſimul & Græcis eam, quæ erga Deum eſt,* RESIPISCENTIAM *ac* FIDEM *erga Dominum noſtrum Jeſum.* Imò poteſtas clavium non minùs ante, quàm poſt Baptiſmum legitimè exercetur, uti Joh. 20. 23. & 2. Cor. 5. videre eſt. Ergo ſi pœnitentia ante Baptiſmũ acta non eſt Sacramentum, nec erit ea,

Una via reconciliationis ante & poſt Baptiſmum.

Digitized by Google

quæ Baptiſmum ſequitur. At illud eſt verum. Ergo & hoc.

Abuſus Sacramenti pœnitentiæ. Reſpondemus VIII. Plurimi ſunt & graviſſimi pœnitentiæ Sacramenti apud Papiſtas abuſus, tam generales, ut in cauſſa efficiente, effectu & officiis, quàm ſpeciales, ut de perfectione contritionis & merito ejus, de confeſſione tam in alienos, quàm Deum directa, déque ſatisfactione. Ut nihil dicam de tyrannide expiſcandi omnium arcana, & perpetrandi fœdas libidines, quæ ſub prætextu ejus impunè ac impudicè fieri ſolent. Ac omnia iſta ita ſe habent, ut bona conſequentia argumentari & concludere inde poſſimus. *Si Judæ proditoris Chriſti, & Pontificiorum pœnitentia continetur contritione & attritione, oris confeſſione, & corporis atque operis ſatisfactione, tunc Judæ & Pontificiorum pœnitentia eſt eadem. Sed verum eſt prius,* id quod probatur, Math. 27. ℣. 34. 5. *Ergo & poſterius.* Quis igitur ſanæ mentis eam pro Sacramento agnoſceret?

Veteris & novi Teſtamenti pœnitentia, item privata ac publica ut differant. Reſpondemus IX. & ultimò, non negare nos quidem, majorem ſub Novo Teſtamento gratiam dari ad agendam pœnitentiam, quàm olim ſub Veteri Teſtamenti data fuit. Et fatemur apertè, inter *primam* illam ſeu *generalem* pœnitentiam, qua quis initio totum anteactæ vitæ ſtatum in melius immutat, & *ſecundam* ſeu *ſpecialem*, qua quis à peculiari aliquo peccato, in quod fortè iterùm incidit, per Dei gratiã reſurgit, non parum intereſſe. Denique pœnitentiam *externam & Eccleſiaſticam*, quæ coram hominibus fieri debet, ab *interna & ſpirituali pœnitentia*, quæ in foro conſcientiæ coram Deo debet fieri, non parum differre agnoſcimus. Imo in illa quoſdam ritus utiliter adhiberi poſſe concedimus, puta externam & publicam oris *confeſſionem*, item *jejunia, lachrymas*, & alia doloris atque emendationis ſigna, ex parte pœnitentis, nec non *manuum impoſitionem*, aut ſimilem aliquem ritum, ex parte Eccleſiæ, ſeu miniſtri abſolventis, &c. propter quorum myſticam ſignificationem iſta talis pœnitentia, in generali quodam & improprio ſenſu, *Sacramentum* appellari poſſit. Sed tamen ipſam veram pœnitentiam, quatenus ad internum conſcientiæ forum pertinet, verum & propriè dictum ſacramentum eſſe, idque in novo Teſtamenro demum à Chriſto inſtitutum, non immeritò, ſed tum ſuprà vocitatis, tum aliis rationibus adducti negamus.

Pœnitentia vera & orthodoxa. Ne autem ob Sacramentum pœnitentiæ negatum & exploſum, totam pœnitentiam repudiare, ac proinde certius Novatianæ hæreſeos rei videamur & proclamemur, è contra veram, orthodoxam atque ſalutarem pœnitentiam è ſacris literis diligenter inquirimus & docemus. Maximè igitur *propria pœnitentia vel Reſipiſcentia eſt* mutatio vel renovatio hominis in melius, divinitus excitata & ex ſincero Dei timore profecta, ut expaveſcat judicium Dei adverſus peccata, & receptâ per fidem Dei gratiâ in Chriſto præſtitáque nova obedientiâ, Deo gratum ac hominibus utilem ſeſe exhibeant, ad Dei honorem & ſuam ſalutem. *Definitio.*

Genus. *Genus* pœnitentiæ veræ ponitur mutatio vel renovatio, nempe qualitatum à contraria in contrariam tendendo. Non enim abjicit homo in pœnitentia animum

animum,neq; corpus, ſed fit alteratio quædam in qualitatibus,ab impuritate ad puritatem, à vita corrupta ad ſinceram.

Subjectum. *Subjectum in Quo eſt* totus homo, qui totus innovatur mente & voluntate, ut Epheſ. 4. 23. Apoſtolus ait: *Debetis deponere, quoad priſtinam converſationem attinet,veterem illum hominem,qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur: renovari verò ſpiritu mentis veſtra, & induere novum illum hominem,qui ſecundùm Deum conditus eſt,ad juſtitiam & ſanctimoniam verã.* Subjectum *Cui vel Quorum nam* eſt pœnitentia, variat. Nam *alia* Ethnicorum, *alia* impiorum vel reproborum, *alia* hypocritarum, *alia* Electorum: de qua hic propriè agimus. Hos Deus renovat, ne pereant, ſignum paterni ſui fœderis in iis oſtendens,contra obduratione percutit Reprobos, quorum irremiſſibilis eſt impietas,de qua Apoſtolus Heb.6 6.7.& 10.27.28.

Objecta. *Objecta* ſunt peccata, de quibus pœnitens dolet,& virtutes, ad quas contendit. Objectum enim circa quod pœnitentia verſatur, â termino *à quo* eſt peccatum,de quo corrigendo homo peccator cogitat. Nam boni operis pœnitentia nulla eſt ut Ecebolii, Juliani, Apoſtatarum: quæ licet dicatur pœnitentia,mala tamen eſt.Reſpectu autem termini *ad quem*, ſunt virtutes, quibus excolendis pœnitentia ſtudet.

Materia. *Materia* eſt voluntas in homine,quæ excitatur & movetur ad reſipiſcentiã, ac mutationem iſtam mentis à peccatis ad virtutes ſuſcipiendam. Petrus Martyr locorum commun. 8. claſſis tertiæ.

Forma vel differentia. *Forma vel Differentia* ſpecifica eſt, quod alia eſt *Legalis* reſipiſcentia,ex legis prædicatione, qua peccator minis Dei perterritus & terrore iræ divinæ compunctus,de peccatis ſuis dolet,& pœnam impendentem reformidat. Hanc accuſationem peccati vocant, quæ fit per legem,Rom. 3.20. Apoſtolus 2.Cor.7. 10.vocat *dolorem mundi ad mortem*. Et per ſe eſt via ad deſperationem,niſi Deus medeatur,ut in exemplo Caini,Saulis,Achitophelis & Judę liquet. In electis tamen præparatio eſt ad Euangelicam pœnitentiam. Nam alia eſt *Euangelica contritio*, qua peccator quidem graviter eſt apud ſe accuſatione legis & ſenſu iræ Dei perculſus ob peccati atrocitatem,ſed concipit ex Euangelii doctrina ſpem & fiduciam gratiæ Dei ac remiſſionis peccatorum per Chriſtum Mediatorem, ſuſcipitque ſtudium omne peccatum poſthac fugiendi, Deóque vitam omnem in ſanctitate approbandi,ut Petrus,Math. 26.15. & Hieroſolymitani, Act.2.37.Pſaltes 51.10.fecerunt. Hanc Apoſtolus vocat *dolorem ſecundùm Deũ*, 2.Cor.7.10.

Gen.4.13. 1.Sam.15.30 31.4 2.Sam.17.23. Math.27.4.5.

Quia autem voluntas & mens in homine eſt prava ac tarda propter inhærens originale peccatum, *cauſſa efficiens* pœnitentiæ ſumma & propria eſt Deus. Teſtatur hoc Jerem.31.18.dicens: *Converte me Domine, & convertar: Poſtquam enim convertiſti me,egi pœnitentiam.* Unde Act.11.18.Eccleſia Dei beneficium laudat, *quod gentibus dederit pœnitentiam ad ſalutem*. Adjuvans & cooperans eſt Spiritus ſanctus,qui corda afficit & movet, Tit.3.5. Adminiſtræ ſunt miniſtri verbi,ut Act.26.17. Deus ait: *Mitto te ad gentes,ut aperias oculos eo-* Cauſſa. 1.Cor.4.15.

Digitized by Google

rum, & convertas eos à tenebris ad lucem. Inſtrumentales ſunt verbum & Sacramenta, Jerem. 23. 29. Antecedens & proxima cauſſa eſt timor Dei & judicii divini, teſtante Apoſtolo, Act. 17. 30. *Annuntiat Deus hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eò quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate.* Præcipuè autem bonitatis Dei ſenſus & conſideratio, dolorem illum excitans, de quo Paulus, 2. Cor. 7. 10. dicit: *Qui ſecundùm Deum eſt dolor, is reſipiſcentiam efficit ad ſalutem, cujus nunquam pœniteat: at mundi dolor mortem efficit.* Provocantes ad pœnitentiam ſunt conſcientia mala, quâ nihil graviùs. Scandalum datum, Luc. 17. 1. Angelorum offenſio, Luc. 15. 7. 10. incertitudo vitæ noſtræ, ob quam maturanda, ne Dei judicio obruamur, Math. 25. 13. Periculoſa alienatio à Deo, & finalis induratio, privatio gaudii Spiritus ſancti, Pſal. 51. 12. 13. Cogitatio tragicorum exemplorũ in impœnitentes editorum Gubernatrix pœnitentiæ eſt FIDES, quæ menti pœnitentis prælucet. Nam mens per fidem illuſtrata, agnoſcit voluntatem Dei de ſuſcipienda neceſſariò pœnitentiâ. Deinde, eadem à deſperatione deterret, atque ad amplectendam Dei miſericordiam & remiſſionem per Chriſtum remittit & dirigit. *Act. 26. 18. & 16. 31.*

Partes. *Partes* ſunt MORTIFICATIO carnis ſeu peccati, quæ & contritio dicitur, & VIVIFICATIO, ſeu renovatio ſpiritus, mentis ac juſtitiæ, ut Rom. 6. 4. Iſa. 1. 16. Pſal. 34. 15. Epheſ. 4. 23. Col. 3. 6. habetur.

Effectus. *Effectus* ſunt confeſſio, Pſal. 32. 4. & 51. Dan. 9. 2. Joh. 1. Math. 5. 23 Luc. 18. 13. Satisfactio operis, nempe proponendo Deo ſatisfactionem Chriſti perfectam pro omnibus peccatis, & præſtando opera humiliationis, reſarciendóque proximis injurias illatas & damna data. Iſa. 53. 5. &c. Jerem. 31. 34. Iſa. 44. 22. Heb. 1. 3. 1. Joh. 1. 9. & 2. 2. Joel. 2. 13. Jac. 4. 8. Luc. 19. 8. Officia pietatis, juſtitiæ, charitatis & ſanctimoniæ erga Deum atque homines. Jer. 4. 4. Ezech. 18. 30. 31. Epheſ. 1. 4. & 4. 23. Col. 3. 6.

Finis. *Finis* pœnitentiæ eſt, tum gloria Dei, ut nova vita & fructibus pœnitentiæ Deus honoretur, tum via in regnum Dei teneatur, ſalusque provehatur, 1. Cor. 10. 31. Tit. 2. 10. 12. Rom. 2. 8. 1. Pet. 2. 9. 2. Pet. 1. 10. Math. 5. 10. 1. Pet. 2. 12. & 3. 10.

Pugnantia. *Pugnantia* ſunt *error* Novatianorum & Catharorum, Ματαιολογία Pontificiorum de Sacramento pœnitentiæ, ejusque adjunctis, *hypocriſis*, denique perſuaſio perfectionis & regenerationis abſolutæ, contra carnis & ſpiritus certamen, quod ſancti in hac vita ſentiunt. Gal. 5. 16.

Exhortatio ad pœnitentiam. Talis, igitur & tanta quum ſit vera pœnitentia, nihil ad eam docendam atque promovendam intermittimus. Approbamus & inculcamus aſſiduè hoc gloſſæ ordinariæ in 2. Prophetæ Joëlis caput: *Novatus & quidã alii heretici dicunt hominem poſt peccatum non poſſe per pœnitentiam reformari in priſtinũ ſtatum: Hic error planè deſtruitur, quum Dominus in tantum recipit pœnitentes, ut vocet populum ſuum. Et aſſerat, non confundendos, & ſe in medio eorum habitaturum & eos nullũ alium habituros Dominum.*

Ut omnibus peccantibus dicimus: *Niſi reſipiſcatis, omnes peribitis:* ita diligenter *Luc. 14. 3. 5.*

Digitized by Google

2. Par. 6. 26. 27. ter reducimus omnibus poſt Baptiſmũ in peccata prolapſis in memoriam orationem ſapientiſſimi Solomonis, qua precatus eſt, ut omnes ſeriò pœnitentiam agentes, Deum deprecantes, & dicentes *peccavimus, in qua fecimus, injuſtè egimus, peccatorum remiſſionem conſequantur.* Nec dubium eſt, quin Deus huic precationi annuat, præſertim *ſi in nomine Jeſu Chriſti fiat.* Joh. 14. 13. & 16. 34. 1. Joh. 2. 2. Heb. 3. 15.

Cohortamur omnes, qui poſt Batiſmum ullo modo peccarunt, ut per pœnitentiam veram ſe ad Chriſtum convertant, qui vocat & clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos.* Quò etiã nos Paulus relegat, dicens: *Juſtificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem etiam fide habuimus aditum ad gratiam hanc, per quam ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.* Rom. 5. 1. 2. 3. Math. 11. 28.

Infundimus ſingulis peccatorib. hoc Lactantii: *Deus purgari homines à peccatis maximè cupit. Ideo agere pœnitentiam jubet.* Inſtitut. lib. 6. c. 13.

Ambroſii item ſententiam inculcamus, qui ait, *Qui agit pœnitentiam, non ſolùm lachrymis diluere debet peccatum ſuum, ſed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta ſuperiora, ut non ei imputẽtur peccatum.* Idem alibi. *Paſcha noſtrum,* inquit, *immolatus eſt Chriſtus, hoc eſt, Paſſio Domini omnibus profuit, peccatoribus donavit redemptionem, quos flagitii pœnituit admiſſi.* Item rurſus: *Volo,* inquit, *Veniam reus ſperet, petat eam lachrymis, petat genutibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur obſecret, & quum ſecundò & tertio dilata fuerit ejus communio, credat remiſſius ſupplicaſſe, fletus augeat miſerabilior, poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculatur oſculis, lavet fletibus.* Lib. 2 de pœnit. c. 5. Lib. 1. c. 15. Cap. 16.

Inculcamus hoc Basilii, quios tendit, *tempus vitæ hujus pœnitentiæ tempus eſſe, & remiſſionis peccatorum.* Moral. Reg. 1. cap. 2.

Inſigimus quorumlibet peccatorum pectoribus hoc Auguſtini dictum: *Hic Chriſtus eſt omnis remiſſio peccatorum.* Et quod de fide ad Petrum cap. 3. dicit; *In hac vita pœnitentiam eſſe fructuoſam & in futuro ſeculo indulgentiam in conſpectu Dei non inveniri.* Utinam ergo Pontificios iſtarum calumniarum pœniteat, quib. Novatianã hæreſin in remiſſione & pœnitentia lapſis neganda Euangelicis tribuunt. Enchirid. ad Laurẽt. cap. 115.

II. Novatiana hæreſis ſecunda de ſchiſmate.

Transeamus ad ſecundam hæreſin Novatianorum, quæ à Bellarmino dicitur eſſe, quod docuerint, *non debere baptizatos inungi chriſmate ab Epiſcopis.* Ergo *Calvinus,* inquit, *qui* etiam *negat chriſmatis unctionem,* cum ſuis Euangelicis quoque eſt Novatianus & hæreticus. Ad quæ quis orthodoxus riſum contineat? Nam his aliud fictum Sacramentum, nempe *Cõfirmationem,* ſtabilire conantur, diſſentientes autem ab eo hæreſeos Novatianæ reos peragere moliuntur. Quare primum de veteri ritu Confirmationis, quatenus etiamnunc admittendus ſit, dicemus: deinde rationes Adverſariorum, quas pro Sacramenti Confirmationis inſtitutione, materia, forma, effectu & miniſtro proferunt, excutiemus. Quibus propoſitis & cognitis, Euangelicos ab hæreſeos nota hac in re liberos eſſe probabimus.

I. Ritus veteris confirmationis.

Non negari poteſt, olim in Eccleſia Chriſtiana conſuetudinem acceptam fuiſſe, ut qui recens *baptizati* eſſent, ſuáque

Digitized by Google

ſuáque nomina Chriſto & Eccleſię dediſſent, per Apoſtolos ipſos, aut alios horum ſimiles, *in ſuſcepta ſemel fide* piis hortationibus & precibus ampliùs *confirmarentur*. In qua CONFIRMATIONE non ſemper quidem, ſed tamen ſæpè adhibebatur *manuum impoſitio:* per quam & dona Spiritus S. viſibilia credentibus illo tempore ordinariè conferebãtur, prout Act. 8. 15. 17. & 10. 44. 45. & 11. 15. & 19. 6. His verò donis ſenſim deficientibus poſtea, impoſitio tamẽ manuum in ipſa *Catechumenorum* ſolenni inſtructione, atque ad ſacræ Cœnæ uſum præparatione, paſſim retenta atque uſurpata fuit: ſed tanquam *ritus adiaphorus*, ad decorum tantùm & eutaxiam Eccleſiaſticam nonnihil conducens, quemadmodum Apoſtolus mandat. 1. Cor. 14. 40. Adhæc ad doctrinæ Apoſtolicæ confirmationem multum momenti adferebat.

Confirmatio hodie licita.

In quo ſenſu etiam Euangelici Noſtri hodie facilè hunc ritum admittunt (imò quibuſdam in locis, nominatim in Angliâ, ut Agendæ Anglicanæ lib. à pagina 158. uſque ad 164. teſtatur, re ipſa adhuc uſurpant) quoties videlicet Catechumeni *publicam fidei exomologeſin* edentes, in doctrina Chriſtiana ſolenniter confirmantur, idque in facie totius Eccleſiæ, ſtatis anni temporibus, fieri ſolet.

Confirmatio vera nõ eſt Sacramentum.

Sed negamus hunc ritum olim fuiſſe, nedum hodie adhuc eſſe, *Sacramentum* propriè dictum, & perpetuò in Eccleſia ſervandum; quod videlicet ab ipſo Chriſto, ſive Apoſtolis nobis in perpetuum ſit præſcriptum, quodque adjunctam habeat gratiæ juſtificantis & ſalutis æternæ promiſſionem, per ſymbolum iſtud applicandam aut obſignandam. Quapropter ex ejuſmodi liberâ ceremonia Sacramentum Novi Teſtamenti verum & propriè dictum, & quidem ipſo Baptiſmo dignius, ut Adverſarii noſtri Papiſtæ ſentiunt, minimè procudere ſolemus: immò eos qui id faciunt, multipliciter & graviter errare non dubitamus.

Argumenta noſtrorum inter alia, hæc ferè præcipua ſunt. 1. Quia impoſitio manuum fuit olim quaſi generalis & antiquiſſimus ritus, in omni ferè ſolẽni hominum aut victimarum benedictione adhibitus: ſicut Gen. 47. 29. & 48. 14. 17. Levit. 3. 2. & 4. 4. Item Math. 19. 13. 15. Mar. 7. 32. & 10. 15. videre eſt. Ergo non eſt ritus Novi Teſtamenti proprius demum ab ipſo Chriſto inſtitutus. 2. Quia idem ritus etiam in ordinatione Miniſtrorum, item in curatione morborum, &c. uſurpatus legitur, Vide Marci. 16. 18. Act. 9. 12. 17. 1. Tim. 4. 14. 6. & 2. Tim. 1. 6. & 2. Ergo non eſt peculiariter ad certum quendam ſpiritualem effectum deſtinatus, ac proinde nec peculiare ſacramentum cenſeri debet. 3. Quia dona illa viſibilia Spiritus ſancti jam olim ceſſarunt, quæ potiſſimùm tunc per hunc ritum ſignificabantur: ut ex Act. 5. 12. & 8. 15. 17. & 19. 6. patet. Ergo non magis hoc ſignum, quàm unctio illa olei, de qua Marc. 6. 13. agitur, aut umbratio illa Petri, de qua Act. 5. 15. legitur, aut aliud quippiam ejuſmodi, pro ſacramento haberi debet. 4. Veteres quoque hunc ritum variè uſurparunt: tum *in reconciliatione pœnitentium, tum in confirmatione catechumenorum, tum in ordinatione miniſtrorum*. Unde etiam Auguſtinus

Digitized by Google

guſtinus lib. 3. de Baptiſmo, cap. 16. & lib. 5. cap. 23. ferè nihil aliud, quàm viſibilem quandam orationem, ſeu fauſtam precationem eſſe ſtatuit, per quã Spiritus ſanctus ſuo modo hominibus conferatur, &c. Ergo non fuit olim pro ſingulari quodam Sacramento habitus hic ritus.

II. Objectiones Pontificiorum pro cõfirmatione per chriſmatis inunctionem.

At Pontificii, inprimis Bellarminus, nobis ob neglectum chriſma in confirmatione catechumenorum Novatianam hæreſin impingens, integro libro ſecundo de Sacramentis Tomo tertio ſumma vi defendit, *Confirmationem* eſſe verum novi Teſtamenti Sacramentum, videlicet ab ipſo Chriſto inſtitutum, ad gratiam ſalvificam ordinatiè per ipſum diſpenſandam: & ſic quidẽ, ut major & efficacior gratia per *Confirmationem*, quàm per *Baptiſmum*, erogetur. Denique tale Sacramentum eſſe per quod Spiritus ſancti plenitudo fidelibus conferatur, &c.

1. Pro Sacramento Confirmat. rationes. Lib. de Cõfirmat. c. 1. 2. 3. 4. 5 6.

Affert autem has rationes. 1. Quod *Confirmatio* habeat omnia veri Sacramenti requiſita; puta inprimis *Promiſſionem* de dono Spiritus ſancti Joh. 14. 16. & 15. 26. Item Luc. 24 49. Act. 1. 8. Deinde habeat & *ſignum viſibile*, videlicet manuum impoſitionem, ab Apoſtolis uſurpatam, Act. 8. 15. 17. & 19. 6. denique habeat *divinum mandatum*; quippe ſine quo Apoſtoli nihil unquam publicè geſſerunt, &c. Ergo concurrere in ea omnes Sacramenti cauſſas, ſeu requiſita eſſentialia 2. Quia Heb. 6. 2. numeratur *Impoſitio manuum* inter ipſa elementa, ſeu prima principia Chriſtianæ doctrinæ, & proximè cum Baptiſmo conjungitur. Ergo fuit tunc temporis ordinarium medium, per quod baptiſatis Siritus ſanctus cõferebatur 3. Quia vetus Eccleſia ſemper habuit *Confirmationem* pro vero Sacramento ſicut ex vetuſtis Pontificibus *Clemente, Urbano, Innocẽtio*, &c. item antiquis conciliis, Elibertino, Arclatẽſi, &c. Item ex antiquis patribus apparet, præſertim ex *Dionyſio, Clemẽte Alexãd. Tertuliano*, de Reſurrect. *Cypriano* lib. 1. epiſtola ultima. *Ambroſio*, lib. 3. de Sacram. cap. 2. *Cyrillo* Catechel. 3. & aliis. Ergo haud dubiè eſt ſacramentum novi Teſtamenti propriè dictum.

Non eſſe ſacramentum.

Cæterùm Euangelici ſolidas ac firmas ſolutiones iſtorum argumentorum opponunt. Nam reſpondent, in 1. principium peti: præſertim quòd attinet ad *perpetuum Chriſti mandatum & promiſſionem* Euangelii propriam: imò etiam quod attinet ad ipſam Papiſticæ confirmationis eſſentiam, hoc eſt, unctionem chriſmatis, & præciſam formulam verborum, tanquam illius, ex ipſorum opinione, partes eſſentiales, uti mox videbimus. In 2. eſſe non unam Conſequentis fallaciam: præſertim quum illis ſpecialis aliqua manuum impoſitio, qualis hîc in cõtroverſiam venit, hoc eſt, Papalis nequaquam exprimatur. quibus adde, quæ ſuprà de impoſitione manuũ diximus. In 3. tum hanc ipſam, tum homonymiæ fallaciam latere: quum veteres (ut etiam ſupra dictum eſt) Sacramenti vocem ſæpius latè uſurpent, & ritum hunc variis rebus ſignificandis adhibuerint, ac proinde pro uno Sacramento habere non potuerint. Itaque convincitur his Confirmationem non verum, ſed putatitium eſſe Sacramentum. Quæ quum ita ſint, ſi No-

Digitized by Google

vatiani rejecerunt Sacramentum Confirmationis, ut Bellarminus ex Theodoreti 3. de Hæret. fabulis libro de cõfirmatione c. 1. queritur, nõ ſũt profectò propterea hæretici cenſendi. Et Euangelici hodiè, quandoquidem his rationibus argumenta Papiſtarum pro ſacramento Confirmationis ſolvunt atque evertunt, minimè hæretici ſunt vel dici merentur. Pontificii autem eos hæreticos ideo vocantes, & laterem lavant & ſtateram transgrediuntur.

2. Pro chriſmate ſeu materia & forma Confirmationis rationes Pontificia.

At accuſant Adverſarii maximè Novatianos & Euangelicos hæreſeos, quia *chriſmatis unctionem* in confirmatione rejiciant. In quo tam ipſorum rationes pro eo, quàm noſtras ſolutiones illarum atque refutationem ejuſdem noſſe conducit. Bellarm. lib. de confirmatione cap. 8. ac 9. veram propriamque *materiam* hujus Sacramenti Confirmationis docet eſſe *oleum olivarum, cum balſamo mixtum, & ſolenniter ab ipſo Epiſcopo aliquo conſecratum, ac denique fronti alicujus baptiſati forma crucis illitum.*

FORMAM verò ejuſdem Sacramenti præciſam eſſe aſſerit cap. 10. verba illa, inter ungendũ adhiberi ſolita; Conſigno te ſigno crucis & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii & ſpiritus ſancti. Hæcque ab ipſo hujus ſacramenti eſſentia aſſignatur.

Argumenta quæ profert? Mirum, ita ſunt futilia, quorum præcipua ſunt quatuor. 1. Quia utrumque illorum (puta chriſma & verborum formula) jam olim apud veteres uſitatum fuerit, quod inductione aliquot teſtimoniorum probare nititur. 2. Quia 2. Cor. 1. 21. & 1. Joh. 2. 27. unctionis ſimul & cõfirmationis mentio fit, idque haud dubiè reſpectu hujus Sacramenti. 3. Quia Exod. 30. ỷ. 23. unguentum ſacrum ex oleo olivarum & balſamo fieri jubetur &c. Quo typo Sacramentum hoc præfiguratum fuiſſe videatur. 4. Quia Clemens, Fabianus Papa, Gregorius Turonenſis, Prudentius, aliique cum Conciliis tã olei iſtius quàm formulæ mentionem faciant.

Refutatio.

Sed profectò hæc Bellarmini & Põtificiorum argumenta prorſus inepta ſunt: partim quia Judaica Veteris Teſtamenti unctio nihil ad nos pertinet; partim quia in reliquis locis, hic obiter recitatis, tantùm agitur de ſpirituali & interna, non de corporali & externa, eaque novi Teſtamenti propria unctione: partim denique, quia veteres non ſemper hujuſmodi *Chriſma* cum prædicta verborum formula uſurparunt: nec qui fortè uſurparunt, ut verum aliquod & peculiare Sacramentum, ſed ut adiaphorum ritum, Baptiſmo certis de cauſſis additum, adhibuerunt: ſicut ex ipſorummet ſcriptis apparet. Cui placet, inſpiciat Chemnitium in examine Concilii Tridentini part. 2.

Euangelici ne igitur ob ſpretam & exploſam chriſmatis unctionẽ hæretici ſunt? Minimè gentium: ſed orthodoxi & Catholici. Nam ex ſupra dictis ab initio & poſtmodum patet, antiquitus verè nullum ritum Confirmationi, quàm puram *manuum impoſitionem* fuiſſe adhibitam. In quo ritu certè nulla alia vel materia, vel forma dari poteſt, quàm quæ ſimilibus unctionibus ſacris aſſignari ſolet. Et tamen

Digitized by Google

tamen ſanctum Hieronymum de ficta & præciſa neceſſitate manuum impoſitionis Gregorius de Valentia hoc judicium ferre ſcribit? *Dicit Hieronymus, impoſitionem manuum multis in locis ad honorem ſacerdotii magis, quàm legis neceſſitatem facere, ſignificans eam non eſſe abſolutè neceſſariam.* *Lib. de numero Sacram. c. 3.*

Opinionem igitur Papiſtarum, qui *materiam* hujus confic̃ti Sacramenti in certo quodã fictitio chriſmate, ex miſtura olei & balſami facto; *formam* verò in præciſa quorundam verborum formula conſtituunt, quique hanc ipſam Sacramenti hujus eſſentiam, à Chriſto vel Apoſtolis inſtitutam eſſe affirmãt, &c. hanc, inquam, opinionem noſtri homines, ut falſam & abſurdã, omnino repudiant. Nituntur enim ampliùs noſtri inter alias his ſequentibus rationibus. 1. Quia hæc chriſmatis unctio ſimul ac formula illa verborũ, nec præceptum habet, nec exemplum ullum in novo Teſtamento. Id quod nõnulli etiam ex ipſis Doctoribus Scholaſticis, ut *Alenſis, Bonaventura*, &c. referẽte ipſo Bellarmino, agnoſcunt. Alphonſus de Caſtro: *Chriſtus, inquit, Baptiſmum inſtituens, nullum de chriſmate adhibendo dedit præceptum. Hoc igitur omiſſo, Baptiſmus nihilominus eſt perfectus. Per hanc rationem refellitur alter error Claudii Taurinenſis Epiſcopi, qui dixit, Baptiſma eſſe nullum, niſi ſignum crucis fronti Baptiſati infigeretur. Hic autem manifeſtus eſt error. Conſtat enim Chriſtum, quum inſtitueret Baptiſmũ, nunquam de ſigno crucis meminiſſe.* Quod verò in Baptiſmo non eſſe tradit, id etiam multo magis in Confirmationis ficto ſacramento non adeſſe colligitur. Ergo neutra, neque materia olei vel chriſmatis, neq; formula iſtorum verborum neceſſaria eſt. *Lib. 3. adverſus hæreſ. Tit Baptiſ. hæreſi 6.* 2. Umbræ legales, hoc eſt, corporales unctiones, &c. in uſum revocantur, idque contra diſertam Apoſtoli doctrinam, Coloſ. 2. 16. 17. Heb. 9. ubi de abrogatis veteris Teſtamenti ritibus agit. 3 Conſecratio ſimul & diſpenſatio unguenti ſive olei hujus, aut omnino magica vereque Ethnica, aut ſaltem Judaica eſt; eóque Chriſtianis non ferenda. *Vide lib. 2. infrà c. 11.* 4. Vera ejus origo prorſus humana eſt, puta vel ab hæretico Montano, vel à Papa Sylveſtro, vel ab aliis olim introducta. Videlicet ad imitationem Athleticæ unctionis, apud Ethnicos uſitatæ, ſicut ex *Polydoro Virgilio*, item ex *Tertulliano, Dionyſio Areopagita, Baſilio*, & aliis apud Chemnitium 2. parte examinis citatis abundè liquet. 5. Ineptum eſt, formam Sacramenti ſpecificam in præciſa verborum formula conſtituere. Nam ipſi Apoſtoli baptiſantes, aut ſacram Cœnam miniſtrantes, ſatis habuerunt ſigna divinitus inſtituta uſurpare, & ad finem ſuum accommodare. Atque interim nõ unâ verborum formulâ ſemper uſi ſunt. Nec per hoc tamen eſſentiam ſacramentorum unquam immutarunt. *Act. 2. 38. 41. 46. & 8. 12. 16. Act. 20. 7. 11. Math. 25. 26. & 28. 16. Már. 16. 15. 1 Cor. 11. 23.* Unde patet, eſſentiam iſtam non in præſcriptis aliquot verbis conſecratoriis, ſed in ipſa Sacramentali ſignificatione, ſive relatione ſigni ad rẽ ſignificatam conſiſtere. Et licet hæc ſignificatio per verba inſtitutionis exprimatur, atque ita ſigna per verbum Dei ritè conſecrentur, hoc eſt, ad ſacrum uſum aptentur: tamen ipſa verba propriè loquendo non ſunt forma, ſed potiùs adjunctum formæ, ſive informationis ſignum quoddam. Satis

Digitized by Google

itaque, ſi inſtitutionis ſumma recitetur, & juxta hanc ipſa ſigna ad ſuum proprium finem, hoc eſt, ad ſignatum illuſtrandum & obſignandum, in uſu legitimo referantur. Hoc autem in Confirmationis Sacramento multo magis conſiderandum & tenendum, quia nec chriſmatis & olei materia, nec præciſa verborum formula divinam inſtitutionem habet, ſed diſcordi Papiſticorum doctorum doctrina traditur, & mera eſſe humana traditio videtur.

3. Pro effectu Confirmationis argumenta Pontificiorum.

Nihilominus pingunt & oblinunt Pontificii Confirmationis Sacramentalis effectum quoque, ſeu virtutem & efficaciam, rationum ſtibiis. Nam Bellarminus lib. de Confirmationis Sacram. cap. 11. *effectum* hujus putativi Sacramenti ait eſſe *duplicem*. Primò, *augmentum gratiæ*, ſeu collationem multò majoris, quàm quæ in Baptiſmo cenſetur, ſpiritualis virtutis: hoc eſt, ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti, quâ contra diaboli impetus anima hominis jam baptiſati roboretur. Deinde *characterem* indelebilem, propter quem non liceat ipſum hoc Sacramentum iterare, &c.

Utrumque effectum dupliciter probat: *partim* ex Heb. 6. ubi *illuminati*, hoc eſt, baptiſati *dicuntur deinde Spiritus ſancti participes facti, &c. partim ex ſententiâ & praxi veteris Eccleſiæ*, de qua *Tertullianus*, in lib. de Baptiſ. *Cyprianus*, lib. 1. epiſt. 12. & lib. 2. epiſt. 1. *Cyrillus* Hieroſolymit. Catecheſ. 4. *Auguſtinus*, lib. 15. de Trinit. cap. 26 & alii diſſerunt.

Refutatio.

Noſtri verò cenſura æqua & accurata adhibita, abſurdum ſtatuunt eſſe unctioni externæ, & quidem ab hominibus inventæ, copioſiorem virtutem & ſpiritus ſancti gratiam attribuere, quàm Sacramento divinitùs inſtituto, videlicet Baptiſmo. Præterea ex locis Auguſtini ſupra citatis impoſitionem manuum aſſerunt olim pro generali ſymbolo fauſtæ precationis habitam, & non ſemel eidem homini adhibitam fuiſſe. Unde clariſſimè probant, rem cujus nulla divina inſtitutio oſtendi poteſt, vi & effectu impoſitionis manuum, nedum unctionis deſtitui, & ſaltē id, quod de *charactere* hic dicitur, apud veteres ignotum planè fuiſſe.

Prius autem Bellarmini argumentum varias habet fallacias. Etenim in loco citato Heb. 6.4. nō de hoc fictitio *Chriſmate*, ſed tantùm de interna Spiritus ſācti gratia & illuminatione agitur. Nec de charactere aliquo Sacramentali, ſed *de peccato in Spiritū ſanctum*, tāquā de vera cauſſa *impoſſibilis* ſeu valdè difficilis *Apoſtatarum inſtaurationis* & renovationis diſſeritur, ut capitis hujus prima parte expoſuimus.

Alterum quoque ineptum eſſe, ex eo ſatis convincitur, quod apud Veteres admodum diverſam in hac re ſententiam & praxin fuiſſe conſtat. Nā Milevitani concilii decretum eſt. *Qui dicit Baptiſmum in remiſſionem peccatorum dari tantum & non in adjutorium futuræ gratiæ, anathema ſit.* Deinde de *Montano* hæretico veteres ipſi narrant, quod unctionem hanc ferè primus uſurparit, idque ad paracletum ſuum meliùs cōmendandum, &c. Ex illo deinde *Tertullianus* (quem *Montaniſtam* demum fuiſſe conſtat) & ex hoc magiſtro *Cyprianus*, opinionem & praxin ſuam hauſerunt. Qui tamen unctionem

Vide infra 6.1.c.11.

ſuam

Digitized by Google

ſuam fere cum Baptiſmo conjungunt, tanquam aliquam ejus appendicem. Imò *Cyrillus* loco citato Baptizandos oleo ungit ante Baptiſmum. Et fatentur ipſi veteres, non à Chriſto, ejusque Apoſtolis, ſed à praxi veteris Teſtamẽti ritum hunc promanaſſe; quem proinde ut adiaphorum ſaltem plerique tunc obſervabant. Tantum abeſt, ut ſaniores etiam virtutem, quæ ne Baptiſmo quidem convenire queat, huic ritui adſcripſerint. Vide Chemnit. amplius parte 2. Exam. Concil. Trident, pag. 58. & ſequentibus. Ex quibus conficitur, non hæreticos eſſe, qui unctioni chriſmatis repudium miſerunt, ſed qui ei dediti ſunt, atque oſcula & fomenta præbent.

4. Pro Miniſtro & ceremoniis Sacramẽti Confirmationis rationes Papiſtarũ.

Colluctantur tamen Potificii ulterius in palæſtra hujus Sacramenti confirmationis ac de Miniſtro deque ritibus & ceremoniis in eo adhibendis etjam concertant. Nam Bellarm. cap. 12. & 13. libri de Sacram. Confirmat. cũ ſuis ex concilio Tridentino confidenter aſſerit, Miniſtrum hujus Sacramenti eſſe ſolum EPISCOPUM, aut vicarium hujus in Pontificialibus, hoc eſt, *ſuffraganeum*, ut vocant. Nempe quia Act. 8. 14. 15. 16. 17. & 19. 1. 6. *ſoli Apoſtoli*, non autem alii Preſbyteri, aut Diaconi, baptiſatos confirmaſſe dicũtur. Item, quia rationi conſentaneum eſt, ut ſignum hoc ſacroſanctum, tanquam Baptiſmi complementum, per quod ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam conſequimur, & ſolenniter ad pugnam inſtruimur, ſive ad militiam Chriſti aſcribimur, à primariis Eccleſię ducibus tantum conferatur, idq; adhibitis certis ritibus, vulgò ferè notis, fiat

Confutatio.

Hæc vero acriore cenſura & longa reſponſione vix ſunt digna. Nam ea laborant abſurditate, ut ipſe Bellarminus etiam inter ſuos partes de iis acriter inter ſe confligentes narret, ac ægrè tandem conciliare queat, nec tamen aliter quàm ut loquax talpa hoc præſtat. Noſtris igitur ſuas ineptias ridendi materiam præbet. Etenim nulla eſt jam ſub Novo Teſtamento miniſtrorum Eccleſiæ, ratione ſacri officii, inæqualitas, ut infrà pluribus docebimus. Deinde Act. 11. 19. 20. 21 22. 23. & 14. 3. 22. & 15. 36 &c. etiam *Barnabas*, *Silas*, & alii tales, qui veri Apoſtoli non erant, Chriſtianos ſolenniter ſæpe confirmaſſe leguntur, ſed tamen abſque peculiari aliquo ritu. Adhæc 9. 12. 17. *Ananias*, & 1. Tim 5. 22. &c. etiam vulgares preſbyteri imò & laici, manus aliis impoſuiſſe dicuntur, & Spiritum ſanctum iis contuliſſe. Præterea paſſim nunc in Papatu hujus ſui muneris ungendi ac Confirmandi voluptatum & politicarum ferè rerum gratia obliviſcuntur, unctio autem ut plurimum fit à ſuffraganeis, qui non ſunt veri Epiſcopi, ut pote propriam Eccleſiam non habentes. Ne jam dicamus, ab ipſo Papa *Gregorio* I. aliisq; *concedi Presbyteris, ut & ipſi baptiſatos Chriſmate inungant*, Vide diſt. 95. ac etiam concilium Toletan. can. 20.

Vide infra cap. 16.

Et quid cauſſæ tandem afferri poteſt, cur vulgares ſacerdotes hunc ritum (ſi alioqui divinus eſſet) adminiſtrare non debeant? An ceremoniæ forte graves & arduæ ſunt? Imò prorſus ineptæ, & frivolæ ſunt: nempe illæ duodecim, quas hîc Adverſarius recenſet.

Ceremoniarum in Cõfirmatione abſurditas.

Digitized by Google

Quarum quatuor in olei vel chriſma-
tis cõſecratione uſitatæ, nimirum *bene-
dictio olei & Balſami per orationes, deinde
benedictio per ſignum crucis*, tertiò *halitus
Epiſcopi aliquoties ſuper ampullam chriſma-
tis*, quartò *ſalutatio chriſmatis, per verba,
Ave ſanctum chriſma*. Octo autem in ipſa
Confirmatione & unctione adhiben-
tur, ut pote. 1. *ſuſceptor, vel ſuſceptrix*, à
quib. confirmandus Epiſcopo offera-
2. tur. Variæ preces ſuper confirman-
dum fundendæ, 3. *Illinitio frontis*
in formâ crucis. 4. *Largitio vel collatio
Pacis*, quæ confirmando ſignum ſit ac-
ceptæ gratiæ Spiritus ſancti. 5. *Alapæ
inflictio, ſeu* percuſſio maxillæ confir-
mati in ipſa facie 5. *Septiduana ligatio
frontis*, ne ad ſeptem dies faſcia aperia-
tur, & frons lavetur 7. Ut in *Sabatho
Paſcha & pentecoſtes* Confirmatio detur.
8. ut *à jejunis* & adminiſtretur & ſuſci-
piatur. De qb. meritò ſtatuẽdũ, eſſe in-
vẽtiones humanas, ludicros & inanes
ritus ab ocioſis hominib. ſenſim intro
ductos, & ſimplicitati Chriſtianæ cõ-
Col. 2. 8. trarios. Et annõ ſubcenſũ eorũ perti-
nent, de quibus Apoſtolus. *Videte, ne
quis vos deprædetur per philoſophiam, & in-
anem deceptionem, ſecundùm* ELEMEN-
TA *mundi, & non ſecundùm Chriſtum*?
Item: *Corporalis exercitatio paululum ha-
bet utilitatis*, &c. 1. 4 8.

At quia *pietas*, eodem Apoſtolo ibi-
dem teſte, *ad omnia utilis eſt, ut quæ pro-
miſſionem habeat vitæ præſentis ac futuræ*, i-
ſtis omnibus longiſſimè præſtat ſim-
plex & pura CATECHISATIO pue-
rorum, ut pote per quam vera fides in
ipſis efficaciter confirmatur, & dona
Spiritus Sancti verè augentur. Cui de-
inde in ipſa publica *Exomologeſi*, tãquam
adiaphorus ritus, impoſitio manuum
adhiberi poſſit, ne tamen, qui hanc
prætermittunt, contemnantur, & à
pietate magis alieni putentur.

Sic duobus articulis Novatianæ hæ-
reſeos ex perpendiculo ponderatis,
quorum *altero* reconciliationem cum
Deo per pœnitentiam deficientibus à
fide tempore perſequutionis, vel in
manifeſta ſcelera prolapſis negabant;
altero unctionem chriſmatis baptiſan-
dis adhiberi nolebant, in neutro Eu-
angelicos reos eſſe probavimus. Nam
cum probo paſtore Euangelici, relictis
99. ſanis oberrantem & laſſam ovem
quærendam, inventamque humeris
ſuis ad gregem reportandam cenſent.
In quo planè à Novatianorum, ut & Luc. 15.
Donatiſtarum rigore iac tyrrannide in
lapſis à communione Eccleſiæ arcen-
dis abſunt. Deinde, ut Novatiani in
removenda chriſmatis unctione à ba-
ptiſatis non hæretici fuerunt: ita nec
Euangelici in ea rejicienda hæretici
ſunt. Quia autem Montaniſtæ, Va-
lentiniani & Heracleonitæ propter
chriſmatis uſũ pro exploratis hæreticis
olim habiti fuere, nos jure Papiſtas
iis ſimiles eſſe alibi probabimus.

Ac licet Bellarminus acerbè con-
queratur, Calvinum ſcripſiſſe, *Chriſma* Lib. de Eccleſ. Milit.
noſtrum (nempe papale) *eſſe oleum diabo-* 4. c. 9.
li mendaciis pollutum, tamen illud ex an-
tecedentibus, quæ ibidem Inſtitut. c.
19. diſt. 8. attulit, merito ac juſtè con-
cludit Calvinus. Imò & ex iis quæ nos
antea breviter delibavimus, non malè
colligitur. Et enim vox eſt veritatis &
Dei. *Nos conſepultos eſſe Chriſto in Baptiſ-* Rom. 6. 4.
mo, & factos participes mortis ejus, ut etiam Gal. 3. 27.
reſurrectionis ſimus conſortes. Item: *Omnes*
qui

Digitized by Google

qui in Chriſto baptiſati ſunt, Chriſtum induiſſe cum donis ſuis. Ergo alteram, quam Papiſtæ de invento ab hominibus chriſmate, atque ejus virtute baptiſmi virtutem ſuperante dicunt, vocem mendacii & diaboli eſſe oportet.

Quæ poſtea Bellarminus adjicit de ocreis apud Euangelicos chriſmate inunctis, ex populari ſermone audiverit. Ludicri ſermones ſunt, factaque ludicra, & magis excuſanda (etſi non probamus) quam truculenta & impia eorum facinora, qui ſacra Biblia pectoribus noſtrorum impoſita cum hominibus ipſis globo miſſili transfixerunt.

Quicquid igitur de ſua externa chriſmatis unctione crepent Adverſarii, nos minimè admittere poſſumus, 1 *Joh.* 2. 27. qui à Scripturis ſacris Novi Teſtamenti ad internam ablegamur, & veterem Judaicam Veteris Teſtamenti hujus figuram ac typum antiquatam novimus. Ac ſi Scripturæ Novi Teſtamenti in hoc non ſunt hæreticæ, nec Euangelici ejus dictata obſervantes hæretici eſſe poſſunt, & ſic Papiſtarum calumniam à ſe repellunt.

In ſumma, quæ Novati fuerit ſentẽtia de chriſmate, parum laboramus, nec ullo modo curamus. Superſtitioſas Papiſtarum unctiones, velut à fide & moribus Chriſtianorum alieniſſimas, floccifacimus. Qua in re ſi nobis hæreſis labem aſpergere velint, aliis quàm hactenus ab illis factum rationibus & argumentis uti debent. Inprimis oſtendere oportet unctos illos & raſos Bacchi ſacrificos, unctionem hanc per chriſma magicè conſecratum à Chriſto aut Apoſtolis eſſe inſtitutã, quod ad Calendas Græcas poterunt.

CAP. VIII.

Sabellii hæreſin, unam duntaxat perſonam in Deo ſtatuentem, injuriâ à Papiſtis tribui Euangelicis, qui eam potiùs oppugnent.

QUia verò quem ſemel nullius puduit, is frontis omnino perfrictæ ſit, etiam Bellarminus fronte ſua quantũvis chriſmate delibuta, nullo hactenus pudore ab impingendis Euangelicis per fallacias, & mendacia hæreſibus abſterritus, magis magisque in hac ſua impudentia pergit. Ac eam quoque nobis ineſſe omnibus perſuadere vult, in qua & confutanda & opprimenda NOSTROS inprimis plurimum curę, ſtudii, laboris, ac ſumptus impendiſſe, nequaquam ipſemet neſcit, ac univerſo orbis Chriſtiani theatro conſtat. Ea eſt hæreſis *Sabellii* antiquiſſima, impietate refertiſſima, blaſphemiaque execranda inquinatiſſima, ordine ab ipſo in catalogo contra Euangelicos inſtituto *ſeptima*. De qua ſic ſcribit lib. 4. de Eccleſia militante, cap. 9.

Hæreſis ſeptima eſt Sabellii, unam tantùm eſſe perſonam in Deo docens, non tres, ut teſtatur Epiphanius hæreſi 57. Idem tenebat noſtro tempore Michael Servetus, lib. 1. de Trinitate, ſine ullis ambagibus, & nunc ea ſententia multis in locis regnat. I. *Sabellii hæreſis.* Intelligit autem maximè loca ea, ubi Euangelici hodie degunt. Veniunt ergo hîc conſiderandæ primò Sabellii hæreſis, deinde hæreſis Serveti, tertiò Euangelicorum doctrina, unde horum innocentia innoteſcet.

Nega-

verò in ſpecie columbæ apparuit, tres quidem diſtinctæ in una eſſentia divina, perſonæ.

Hæretici Trinitatis adverſarii antiqui.

Emerſerunt quidem ante Concilium Nicenũ, Praxeas, Noëtus & Sabellius, veteribus appellati Patripaſſiani, qui diſtinctionem perſonarum propter unitatem Dei conſervãdam confundebant, ſed doctè & irrefragabiliter à vigilibus Eccleſiæ præſidibus ſunt confutati, Scripturiſque propugnatum & in Eccleſia conſervatum adorandum TRINITATIS myſterium. Unde cernimus in concilio Niceno Eccleſiæ præſides, non aliud nobis ſymbolo condito tradidiſſe, quàm quod à temporibus Apoſtolorum, imò & Prophetarum, catholica & orthodoxa retinuerat Eccleſia.

Trinitatis inimici novi Servetus & Servetani.

Quod ergo Servetus Hiſpanus Trinitatem æternam Dei, triceps monſtrum & Cerberum quendam tripartitum, denique imaginarios Deos, illuſiones ac tres ſpiritus dæmoniorum appellitat, æternam Dei majeſtatem nefandè & horribiliter blaſphemat. Quod Athanaſiũ, Auguſtinum, & alios Dei ſervos eximios, illuſtriaque Eccleſiæ lumina, Trinitarios atq; adeò Atheos appellat (ita enim omnes Trinitatem agnoſcentes nuncupat) non illos tantùm, ſed totum chorum Sanctorum, adeòque totam Chriſti Eccleſiam, infandis & non ferendis convitiis proſcindit. Abominandum verò videtur illud eſſe in homine infelici, quod Judæorum quoque blaſphemias in Chriſtianam religionem effuſas excuſat, & fœda Mahometis verba, tres in Trinitate perſonas, vel, ut ipſe ait, tres Deos, Patribus fuiſſe incognitas & eſſe filios Beelzebub, approbat & extollit. Quid verò potuiſſet ab hoc homine magis impium in Deum, & indignius in intemeratam fidem Chriſtianam expui? Quæ obſecro aures Chriſtianæ iſta patienter audiant? De Filio Dei cõcorditer credidit & docuit Eccleſia Dei ab initio ſubſiſtere illum ab æterno in propria hypoſtaſi. Hoc enim docta fuerat ex verbo Dei Chriſto ipſo apertiſſimè in Euãgelico dicente: Antequam Abraham eſſet, ego ſum. Utique ſubſtantia, non carnis quidem, ſed Divinitatis, juxta quam Apoſtolus illum dixit eſſe expreſſam imaginem ſubſtantiæ paternæ. Ubi ſimul illud ex veteri Scriptura citat teſtimonium: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic filius gloriæ ab æterno Filius, Deus verus, in tempore factus eſt hominis filius, homo verus, natus non ex ſubſtantia Dei Patris, ſed ex ſubſtantia Mariæ virginis matris, quam Deus Spiritu ſuo fœcundam reddidit. Unde Filius ille & ſemen benedictum mulieris, & germen Davidis, & Filius hominis appellatur. Manet autem in una diviſa perſona, retinens tamen naturas duas impermixtas aut inconfuſas divinam & humanam. Id quod adeò perſpicuis & evidentibus Scripturæ teſtimoniis comprobatum jam olim & nunc eſſe conſtat, ut qui addubitet, cum ratione inſaniat. Nos igitur ſimpliciter & concorditer, ita ut jam expoſuimus, firmiter credimus, & in Eccleſia fidei noſtræ concredita prædicamus.

Joh. 8. 58. Heb. 1. 3.

In Filium Dei blaſphemia Serveti.

Rurſus ergo blaſphemus in Dei Filium deprehenditur Servetus, qui illã ab æterno Filii hypoſtaſin exiſtentẽ, & Patri coëſſentialẽ & coæqualem, diabolicam ideam & fabuloſam quandam chimærã eſſe convitiari nõ veretur. Inſuper aſſerere audet, corporalis Filii patrem aliam non eſſe ullum, quàm ipſum Deum Patrem, ex cujus ſubſtantia caro Filii nata ſit. Longè aliter docuit Paulus, Doctor Gentium qui dixit Filium Dei genitum fuiſſe ex ſemine Davidis ſecundùm carnem, & declaratum Dei Filium in potentia & Spiritu ſanctificationis, &c.

Rom. 1. 3.

Genevenſes hæreſes Serveti collectas redarguerunt.

Cæterum cur ſingula iſtius blaſphemi hominis recolligere pergeremus? Satis diligenter & fideliter enormes aliquot iſtius errores & apertas HÆRESES collegerunt Eccle-

Cc ſiæ

Digitized by Google

ſiæ veſtræ fidi Paſtores & docti eo ſcripto cui titulū præfixerunt, Sententia vel propoſitiones excerpta ex libro Michaelis Serveti. Eas nec per calumniam excerptas aut conſignatas invenimus, nec illas ulla ratione recipimus, aut approbamus: ſed execramur potiùs. Nam Servetus reſponſione ſua mox ſubjecta rem involvit, non explicavit, depravatis interim multis veterum de Unitate *& Trinitate Dei myſterio, ſententiis, id quod Miniſtri Eccleſiæ ſatis apertè oppoſita reſponſione evicerunt. Replica vel Scholia Serveti præter extremam impudentiam & convitia dira, parum aut nihil ſunt. Toties enim illud ſuum Mentiris Calvino impingit, toties magum & Simonem Magum criminatur, ut meminiſſe pigeat ac pudeat. Præſertim quum res ipſa clamet, & ſcripta Serveti diligenter expenſa teſtentur, nihil confinxiſſe Calvinum, Servetum potius ea quæ dixit, rurſus negare ac fuco aliquo tingere. Calvini Paſtoris veſtri & fratris noſtri fidem & diligentiam, denique egregia in exules & pios merita, illuſtriora eſſe ſperamus, quàm quæ iſtius criminationibus indigniſſimis, vel apud Amplitudinem veſtram, vel apud alios viros bonos obſcurari poſſint. Neque hoc diſſimulat Amplitudo veſtra, quæ (quod non ſine animi lætitia legimus) disertè ſcriptis literis ſignificat, ſe judicium à nobis non requirere, quod Eccleſiæ veſtræ Miniſtris diffidat, ſed potiùs ut noſtrum de his non neſciat judicium.*

Bernenſiū ſcriptum de Serveti hæreſibus, ex peſſimis veterum conſutis.

Suffragati ſunt huic Tigurinorum judicio Bernenſis Eccleſię miniſtri, qui epiſtolâ inter Calvini epiſtolas 163. itidem ad Genevenſium magiſtratum ita ſcribunt: *Quod ad præſentem Serveti cauſſam attinet, inſpeximus illius dogmata, quoad ejus fieri potuit, eo temporis ſpacio, quo tabellarius veſter hic apud nos ſubſtitit. Et quoniā ſententiam noſtram expoſcitis, ad ea quæ in ſcriptis Serveti deprehendimus, paucis viſum eſt ad petitionem veſtram reſpondere.* Ut *coram* DOMINO *loquamur, non poſſumus per conſcientias noſtras probare, quæ homo iſte de ſubſtantia ac forma Deitatis, de ſanctæ Trinitatis myſterio, de verbo Dei & illius incarnatione, de anima & carne* Chri*ſti, de Spiritu ſancto, de Angelis, de animabus & Spiritibus noſtris, de peccato mortali, de pædobaptiſmate, non ſolùm in corde ſuo ſentire, ſed editis ſcriptis non jam primùm ſed olim dogmatizare cœpit. Videmus hominem ſibi ipſi tribuere plurimum, & parum ſpirare modeſtiæ. Permittit enim ſibi liberū, quævis religionis noſtræ capita vocare in quæſtionem, & omnia vel novis expoſitionibus invertere, vel* RENOVATA VETERUM HÆRETICORUM LABE *prorſus corrumpere. Sic reſuſcitat nobis Sabellianos, Noetianos, Priſcillianiſtas, Anthropomorphitas, Apollinariſtas, Valentinianos. Et ne à fanaticis noſtrorum temporum ſectis abhorrere videatur, Baptiſmum infantium horrendis modis flagellat, & abominabilem reddere conatur, ut reliqua taceamus, quæ de ſuo in medium afferre non dubitat. Arbitramur autem pro vigilantia miniſtrorum veſtrorum omnia hæc ſatis eſſe in lucem producta, & reprehenſa, nec id à vobis agi, ut examinationem hujus cauſſæ exactiorem ab aliis divini verbi miniſtris, quàm à veſtris recipiatis. Quare abſque ullo tractatu ſententiam noſtram paucis aſſignare viſum eſt, ne de fratrum noſtrorum ſtudio & vigilantia quicquam addubitare videamur.*

Baſilienſis Eccleſiæ Miniſtrorū literæ de hæreſib. Serveti.

Aſtipulantur illis Paſtores & Profeſſores Eccleſiæ atque Academiæ Baſilienſis, quorum hoc eſt examen dogmatum Servetanorum, epiſtolâ ad eoſdem Genevenſes, inter epiſtolas Calvini 160. conſcriptum, poſt alia tali

li

Digitized by Google

li modi ſonans: *Probationis divinæ genus vobis Ampliſsimi viri, veſtræq; Eccleſiæ hoc tempore contigit, quo Servetus Hiſpanus veſtras in manus pervenit, multis jam annis horrendæ impietatis, & blaſphemiarum in ſacroſanctæ Trinitatis myſterium aſſertor & renovator. Quam etſi moleſtiam vobis datam demus; tamen quia intereſt plurimum gloriæ nominis Chriſti atque univerſæ Eccleſiæ, ut malo in exitium plurimorum graſſanti occurratur, gaudemus eo loco auctorem detineri, ubi nobis perſuademus, nec prudentiã Chriſtianam, nec Zelum ſanctis dignum defuturum eſſe. Quumque ſuper hoc ipſo negotio cenſuerit A.V. nos Eccleſiæ hujus Adminiſtros interpellandos eſſe, tranſmiſsis in hoc collationibus ſcripto à Paſtoribus veſtræ Eccleſiæ, fratribus noſtris in Domino obſervandis, & Serveto exhibitis: tum libro ejuſdem, quo ſparſa eſſe ſua dogmata cernimus, haud gravatim mentem noſtram pro charitatis lege, noſtráque in eos promptitudine, ſicut ea poſtulat, hiſce aperimus: Utcunque & veſter ordo ampliſsimus conſilio polleat, & doctrina excellente, judicióque præditis viris proviſum ſit Eccleſiæ veſtræ, quorum judicio & ſancto & exquiſito vobis ſatisfieri nihil dubitamus.*

Cæterùm, quantum ex inſpectione libri, Serveti confeſsionibus, refutationibúsque perſpicere licuit, deprehendimus planè in redẽptionis noſtræ myſterium ſtrictum eſſe ſtylum: capútque fidei de Filio Dei vero ab æterno veróq; homine facto ex muliere, ſicut Apoſtolus inquit, juxta promiſsiones factas Patribus, ſtupenda temeritate hunc impetere: Perſonarum trium diſtinctionem in eſſentia unitate ſimpliciter tollere: Chriſti gloriam, quã habet à patre ab æterno, evacuare: idq; contra aperta Scripturæ oracula, atque orthodoxæ Eccleſiæ confeſsionem: quam quum fratres noſtri Tigurini perſpicuè doctéque expreſſerint, nos & ei penitus conſentientes, repetere ſuperſedemus.

Quales autem habiti ſint, qui eos articulis unquam tentare auſi ſunt, notius eſt, quàm ut egeat explicatione noſtra. Cancro morbo Paulus ejuſmodi peſtem aſsimulavit & HÆRESIN definierunt veteres, adeoque & ipſe Apoſtolus, crimen multo levius, quam ab hoc deſignatur. Et pro hæreticis damnati ſunt, proclamatiq; qui una aliqua in parte impegiſſent, ſi errorem pertinacius tueri pergerent. Atqui Servetus non ſimplicem, ſed ex multis impietatibus conflatam hæreticorum larvã profitetur, puta Arrii, Marcionis, Sabellii, Fotini, Manichæi, Pelagii, & cæterorum: & quod in pluribus, hiſque diverſis impugnatũ eſt à melioris notæ Eccleſiæ Doctoribus, Patribuſque, id ab hoc uno ore impudentiſsimo atque blaſphemo evomitur, ut vere illi Chriſtus ſignum ſit contradictionis, Luc. 2. *cui nec eſſentiam divinitatis, neque hypoſtaſin, nec carnis noſtræ veritatem, nec animam humanam relinquat, jungenda in ſacroſancta hac perſona diſcerpat, & diſtincta confundat, redẽptionis virtutem enervet, præter alios prophanos errores quam plurimos, atque deliria omnia, ut veſtri Paſtores, confratreſque noſtri inquiunt, à verbo Dei & orthodoxa Eccleſiæ conſenſu aliena. Atque hæc quidem tanta confidentia, præſumptione & pertinacia, ut appareat illud ſapientis in eo verum. Impius quum in profundum venerit, contemnit.* Prov. 18 5. & 27.22. *Et illud item; Si contuderis piſtillo in mortario, non recedet ab eo ſtultitia ejus. Nam neque captivitate humiliatur ad modeſtiam, neque tam luculentis, veris & evidentib. fratrum noſtrorum inſtitutionibus, quibus errorum luce clarius evincitur, vel cedit, vel acquieſcit, ſed ſerpentis inſtar incitati, maledicos atque cõtumelioſos in Calvinum ſinceriſsimum Dei ſervum, & blaſphemos in Dominum ſubinde*

ſibilos edit, & lubricus nonnunquam elabi conatur. In hoc enim Deum unum eumq́; ſimplicem inculcat toties, quaſi trium hypoſtaſeon vera diverſitas naturæ ſimplicitati ullo modo repugnet: atque inſaniat proinde Eccleſia Trinitatem in unitate & unitatem in Trinitate venerãdam commendans. Sicut & Chriſto Dei Filio multa quum præ ſe ferat tribuere, manifeſtè tamen duabus naturis conſtantem perſonam negat, quæ juxta illam quidem ab æterno & ante ſecula, nedum ante incarnationem à Patre genitum (ſcriptura teſtante) ut cujus egreſſus à diebus æternitatis eſt, & perquam facta ſunt ſecula gignentis naturam per omnia referat: juxta hanc verò in ſeculo natum carnem de carne noſtra, ex ſubſtantia Virginis, per omnia fratribus ſimilem.

Scaphuſianæ Eccleſiæ miniſtrorũ de hæreſib. Serveti ſententia.

Subſcripſerunt iiſdem Scaphuſianæ Eccleſiæ miniſtri, qui epiſtola 158. inter Epiſtolas Calvini ſic ſcribunt: *Quia Amplitudini Veſtræ viſum eſt, etiam noſtrã hac in re audire ſententiam quantum brevitas temporis admiſit, contulimus concertationes Serveti, quas cum veſtræ Eccleſiæ miniſtris habuit. Libros item ipſius blaſphemiis in ſanctiſſimam Trinitatem, univerſam itẽ Chriſti Eccleſiam refertos, quibus hæreſes multis jam annis ſopitas, unaque cum hæreticis oppreſſas revocare, magnóque cum ſimplicium ſcandalo evomere, obtruderéq́; Eccleſiæ Chriſti conatur, percurrimus. Neque aliter pro dono nobis collato judicare poſſumus, quàm diverſos à ſana doctrina, neque tolerandos ut vel proponantur, vel legãtur in cœtu piorum. Neque dubitamus, quin vos pro inſigni prudentia veſtra ipſius conatus repreſſuri ſitis, ne blaſphemiæ ipſius tanquam cancer depaſcantur Chriſti membra. Nam longis rationibus evertere ipſius deliramenta, quid aliud eſſet quàm cum inſaniente inſanire?*

Quibus non modò impia conſpiratio Serveti cum Sabelliana hæreſi, verùm etiam conjuratio cum aliis variis priſcorum hæreticorũ hæreſibus diligenter expoſita eſt, ne eam nos vel nõ obſervaſſe unquam, vel leviter attendiſſe Adverſarii putent, aut dicãt. Imò argumento ſunt hæc evidentiſſimo, noſtros & ſagaciùs & diligentiùs inveſtigaſſe, deprehendiſſe, atque in lucem protraxiſſe Serveti Sabellianiſmum, Arrianiſmũ, Marcioniſmum, Fotinianiſmum, Manichæiſmum, Pelagianiſmum, Valentinianiſmum, denique cæteras & veteres & novas hæreſes, ſupra modum impias, blaſphemas & execrandas, quàm Pontificii Doctores ſeveriſſimi & impigerrimi aliorum Ariſtarchi atque Critici, pluſquam lynceis oculis & emunctis naribus ſua opinione inſtructiſſimi.

III. *Quibus in locis regnet hodie Servetaniſmus & Sabellianiſmus.*

Quod autem Bellarminus dicit, ſententiam Sabellianæ & Servetanæ hæreſeos contra Trinitatem perſonarum, nunc hodie multis in locis regnare, pervelim liberiùs & diſertiùs ab eo expreſſum, ubinam gentium? quibus in locis? Nam ita facilior ad hanc objectionem reſponſio fuiſſet. Si intelligit loca, ubi Romanæ Eccleſiæ doctrina retinetur, veriſimile eſt, ibi eam regnare. Nam Michael Servetus Hiſpanus fuit, & à Pontificiis educatus ad Euangelicos venerat, noſtraſque Eccleſias tanquam vulpes vineam Domini apud nos vaſtatura ſubintrarat. Veſtras autem, quum fuerit, ô Papicolæ, non eſt mirum, ſi aliqua apud vos loca infecit, aut diſcipulos atque ſectatores in iis reliquit. Nam & hæreſes ſuas nuſpiam gentium & locorum facilius

Digitized by Google

ciliùs, quàm apud ſuos diſcere potuit: & partus ſuos vel ſimiæ diligunt. Adhæc traditiones qualeſcunque, quæ ſub Apoſtolorum nomine oſtentantur, aut partim ex libris apocryphis atque adulterinis, partim ex depravatis Patrum atq; veterum quorumcunque ſcriptis conſutæ ſunt, aut ex vetuſtate conſuetudinem tranſſumptæ religionis quidlibet præ ſe ferunt, paſſim impunè in locis Papiſticis ferri, modò ſimul nihil Romanæ ſedis auctoritati detrahant, annon certum eſt? Num non Concilii Tridentini Seſſ. 6. cap. 15. Chimera fidei probatur? Nam ibi FIDELES & in fide eſſe appellantur, quotquot Sodomitæ, fornicarii, adulteri, molles, maſculorum concubitores, fures, avari, ebrioſi, maledici, rapaces, denique tales ſunt, qui vel mortalia peccata commiſerunt. Ubi fides carbonaria, quam Valentianus in ſua Analyſi docet, pag. 207. theſi 9. locum habet, præterquàm in Papatu? Etannon Eccleſiæ Catholicæ membra eſſe etiam reprobos, ſceleſtos, infideles, impios, HÆRETICOS, docent Driedo de Eccleſia dogmat. lib. 4. c. 2. Bellarminus de Eccleſia milit. cap. 2. & 12. Thomas Waldenſis Tom. 1. lib. 2. c. 9. Alphonſus de Caſtro lib. 2. de juſta hæreticorum punitione, cap. 24.?

Si in locis Euangelicarum & reformatarum Eccleſiarum aliquos Sabellii & Serveti hæreſin tenere, intelligit atque innuit Bellarminus, oſtendat ea loca. Nam in quibus iſtiuſmodi homines verſentur, nedum tolerentur & foveantur, nos ſcimus. Quin ubique locorum in Eccleſiis Euangelicorum ea eſt Confeſſionum & Catechiſmorum puritas & ὀρθοδοξία, eáque catechiſandi, & inquirendi circa religionis veram cognitionem in omnes, omnis generis, ordinis, ſexus, conditionis, loci homines, ut nulli prorſus hæreſi per Dei gratiam, nedum Sabellianę & Servetanæ ſit locus, imò ne ſuſpicio quidem, quanquam aliqua eſſe vel leviter tinctum.

IV. *Sabelliana & Servetana hæreſis ab Euangelicis potiſſimùm rejecta, oppugnata, damnata.*

Servetus nihil ad nos: cujus hæreſes & blaſphemias quantopere in Eccleſiis, Scholis, Rebuſpub. familiis, lociſque omnibus noſtris Euangelicis oderimus, Deus novit, & noſtri facto magis oſtenderunt, quàm Pontificii. Et non pudet tantum athletam Pontificiorum, Bellarminum, nobis Servetum & Servetanos objicere, quorum non doctrina ſolùm à nobis improbatur, verùm etiam ipſi rejiciuntur & damnantur? Noſtri enim fuerunt, qui ſtatim ſubingreſſo Serveto in noſtras Eccleſias reſtiterunt, eum ad orthodoxam fidem atque doctrinam adducere ſtuduerunt, tandem verò pertinacem damnarunt, & morte mulctarunt. Quod illum bellatorem & ſuos fugere haud poteſt, quum hiſtoria vitæ, doctrinæ & mortis Serveti à Genevenſibus publicè edita ſit.

Satis tamen hanc rem literæ, à quatuor Euangelicarum Eccleſiarum atq; Civitatum in Helvetia Doctoribus & Theologis de toto Serveti negotio ſcriptæ, & ſupra à nobis ex parte recitatæ, teſtatam faciunt. Ex quibus majoris fidei faciendæ cauſſa hæc ampliùs addimus. TIGURINI in ſua Epiſtola ſuperioribus hæc ſubjiciunt. *Porro quomodo Amplitudo veſtra coërceat hunc hominem, qui olim ab Eccleſia per Scripturas*

Tigurinorũ Theologorũ ſententia in Servetũ.

cōvictas & dānatas hæreſes renovat, ac prima fidei noſtræ firma capita oppugnat, oppugnandoq; Deo & ſanctis ejus cōviciatur, veſtræ prudentiæ relinquimus æſtimandum. Si non fallit nos ſimilitudo nominis, movit hic Servetus hoc ingens malum ante annos viginti, conãte tum beatæ memoriæ. D. J Oecolampadio ipſũ reducere in viam, ac tum quoque doctrina Serveti ab iis, qui primi hiſce regionibus Euangelium Chriſti prædicarunt, condemnata fuit. Ille verò ſui ſenſus tenax, nihilominus anno 1531. curavit in Germania 7. libros de Trinitatis erroribus, & alios dialogos excudi, quibus dubium non eſt, complures parum exercitatos in Scripturis & infirmiores in fide præcipites actos in grave tum animarum tum corporum diſcrimen. Quo tamen adeò ſatiatus non fuit, ut modo recitis peſtilentiſſ mis erroribus & blaſphemiis non ferendis, ſemet ipſum in impietate & blaſphemia ſuperare, & corruptiſſimam doctrinam ſub ſpecie reſtitu-
" *tionis Chriſtianiſmi Eccleſiæ obtrudere per-*
" *gat. Multa ergo fide & diligentia contra hoc*
" *opus eſſe judicamus, præſertim quum Eccleſiæ noſtræ apud externos malè audiant, quaſi hæreticæ ſint, & hæreticis faveant. Obtulit verò in præſenti ſancta Dei providentia occaſionem, repurgandi* Vos *ſimul ac* Nos *à pravæ mali hujus ſuſpicione, ſi vigilantes fueritis, diligentérque caveritis, ne veneni hujus contagio per hunc ſerpat latiùs, id quod facturos A. V. nihil dubitamus. Dominus Jeſus Chriſtus conferat pietati veſtræ ſapientiam & fortitudinem, viam, rationem & modum juſtum, faciendi voluntatem ejus, ad gloriam nominis ipſius, & ad fidei ſinceræ Eccleſiæq; fidelẽ conſervationem. Simul offerimus Amplitudini Veſtræ noſtra obſequia, commendamúſque eidem nos omnes. Caterùm per tres integros dies tabellarium hunc veſtrum detinuimus, quod non potuerimus nos citius explicare. Datum Tiguri* 11. *Octob. Anno* 1553.

Bernenſes ſuperioribus hæc ſubnectunt: *Oramus Dominum, ut det vobis ſpiritum prudentiæ, conſilii, & fortitudinis, ut & peſtem hanc ab Eccleſiis cum veſtra tum aliis avertatis & ſimul nihil remittatis, quod Magiſtratui Chriſtiano inconveniens cenſeri poſſit. Dominus Eccleſiam & Rempub. veſtrã in vera pietate & pace jugiter ſervet immotam. Bernæ, Veſtri in Domino,* 1553.

Bernenſis Theologorum ſententia in Servetum.

Baſilienſes ſubjungunt. *Meminimus verò nos, ante annos viginti tres in hac civitate domino Oecolampadio præſtantiſſimo hujus Eccleſiæ præſidi negotium ab hoc homine exhibitũ, & verbis ſcriptiſque ſerio interpellatum, nihilo factum emendatiorem: ut jam tum vir Dei ſagaciſſimus (Oecolampadius) ſententiam tulerit, daturum religioni Chriſtianæ grave diſpendium, niſi manu Domini frangeretur. Quæ quum ita ſint, Viri præſtantiſſimi, primum omnium merito gratias Deo æterno Patri Jeſu Chriſti agitis, cujus benignitate ſincerã lucem veritatis inconcuſſe adepti eſtis, Spirituſque ſancti judicium, ut prava & adulterina à verâ germanaq; vitæ doctrina queatis diſcernere: eundemque precibus ardentibus interpellare debetis, ut nos conſervet in ſinceritate fidei, confirmetq; ut hactenus, ſtabiles & immotos contra ſcandala tam horribilia, ſatanæque aſſultus. Poſtremo, quod Servetum attinet, hortamur, ut quod facere vos apparet, omne ſtudium in ipſo ſanando adhibeatis, modò quæ excitavit offendicula, & ipſa ſanari queant. Verùm ſi inſanabilis in concepta ſemel perverſitate perſtat, ſic pro officio veſtro, poteſtateq; à Domino conceſſa coerceatur, ne dare incommodum queat deinceps Eccleſiæ Chriſti, ne re fiant noviſſima primis deteriora, quâ in re ſuppeditabit Dominus ipſe Spiritum, robur & ſapientiam:* quam

Baſilienſis ſententia in Servetũ.

Digitized by Google

quam unà vobiſcum cum Eccleſia noſtra pro vobis ſeriò aßidueq́ orabimus. Viciſſim nos noſtrámq́ Eccleſiã Amplitudinis veſtræ favori, & ſacris orationibus commendantes. Valete. Ex Baſilea, die decima octava Octob. 1553.

Scaphuſianorum ſententia in Servetum.

Scaphuſiani hæc ſuperib. ſubſternũt: *Subſcribimus igitur univerſi judicio Tigurinæ Eccleſiæ miniſtrorum, fratrum noſtrorum in Chriſto chariß:morum, commendantes interim Veſtram Amplitudinem unà cum Eccleſia veſtra gratiæ divinæ. Data Scaphuſii, 6. Octob.* 1553.

Sententia Helveticarum Eccleſiarum in Servetum ut Genevæ accepta ſit & expedita Epiſtolar. Calvini 161.

His literis Genevam perlatis, Johannes Calvinus ad Gulielmum Farellum Neocomenſis Eccleſiæ Paſtorem mox ſcripſit, quomodo Magiſtratus ibi eas acceperit, ſententiámque in Servetũ exequutus ſit. *Ecce tibi,* ſcribit, *morem aliqua ex parte gero. Epiſtolæ loco breviculum habebis, quod multum temporis non auferet. Rediit ab Helvetiis nuncius. Uno conſenſu pronuntiant omnes, Servetum impios errores, quibus olim turbavit Satan Eccleſiam, nunc renovaſſe, & monſtrum eſſe non ferendum. Cordati Baſilienſes. Tigurini omnium vehementißimi. Nam & impietatum atrocitas graviter ab illis exprimitur, & hortãtur Senatum noſtrum ad ſeveritatem. Subſcribunt Scaphuſiani. Bernenſium literis etiam appoſitis, accedunt & Senatus literæ, quibus non parum ſtimulati ſunt noſtri. Cæſar comicus, ſimulato per triduum morbo, in curiam tandem aſcendit, ut ſceleratum iſtum pœnâ eximeret. Neque enim erubuit petere, ut cognitio ad ducentos veniret: ſine controverſia tamen damnatus eſt. Cras ad ſupplicium ducetur. Genus mortis conati ſumus mutare, ſed fruſtrà. Cur nihil profecerimus, coràm narrandum differo. Vale integerrime frater, & Chriſti miniſter eximie. Deus te conſervet ac regat ſemper. Amicis omnibus plurimam ſalutem; noſtri te reſalutant. Genevæ 26. Octob.* 1553.

Genus ſupplicii Serveti & epitome rerum ipſius.

Genus ſupplicii, cum epitome rerum Serveti, exprimit & deſcribit Theodorus Beza in vita Joh. Calvini, his verbis. *Occaſionem turbarum* (nempe in urbe Geneva anno 1553. excitatarum) *alteram quoque Satan tunc objecit. Vetus enim ille ſacræ Triadis, id eſt, omnis veræ Deitatis hoſtis, adeóque monſtrum ex omnibus quantumvis rancidis & portentoſis hæreſibus conflatum, Michaël Servetus poſtquam aliquot annis huc & illuc medicinam faciens oberraſſet, tectúq́ Michaëlis Villanovani nomine illas blaſphemias ſparſiſſet, edito tandem Viennæ Allobrogum ſpiſſo volumine (cujus excuſor fuit Arnolletus quidã Lugdunẽſis typographus, Corrector autem, ut in illis officinis vocant, Gulielmus quidam Guerolius, factioſis Genevenſibus pridem deditus, ſed paucis ante menſibus, ut ſcortationis & aliorum flagitiorum pœnas vitaret, Geneva Lugdunum profectus) Eo, inquam, edito blaſphemiarum pleno volumine Servetus, eóque nomine Viennæ in carcerem conjectus, ac inde mox neſcio quibus artibus elapſus, Genevam fato quodam venerat, alio procul dubio trãſiturus, niſi Dei providentia factũ eſſet, ut mox agnitus, Calvino, cui ille jam pridem bene notus erat, Magiſtratum admonente, carceri fuiſſet mancipatus. Quæ certamina tum, quantiſque de rebus ſuſcepta fuerint, ex edito libro percipi pleniß:mè poteſt.* Fuit au*tem horum omnium iſte exitus, ut tandem perditus ille (cui etiam factioſorum unus, tum Prætoris Aſſeſſor, in aurem inſuſurraſſe quiddam credebatur, quo malum perdito homini animum obfirmaret) à vana illa ſua cõfidentia proditus, impietatis & infinitarum blaſphemiarum, ex omnibus etiam Helveticarum*

ſarum Eccleſiarum ſententia damnatus. 27. *Octobr. nullo edito pœnitentiæ ſigno, infelix* VIVUS CREMARETUR. Hactenus Beza.

Quatuor in rebus Serveti notanda.

Ex quibus omnibus quatuor hæc luce clarius colliguntur. *Primò*, quamprimùm Michaël Servetus ſeſe Euangelicis Eccleſiis inſinuarit (quod ſub annum Domini 1530. Baſileæ accidiſſe, Henricus Bullingerus in Præfatione ad Jacobi Andreę Schmidelini Reſponſionem, contra Confutationem Teſtamenti Johannis Brentii à Bullingero editam Anno 1575. tradit) noſtris & ipſum & doctrinam ejus minime arriſiſſe, neque ullo modo placuiſſe.

Deinde, à noſtris humaniter & fraternè errorum atque hæreſum admonitum & convictum, Eccleſias noſtras diu fugiſſe, ſua ſponte autem in eas reverſum atque obſtinatè diſſeminationem & propagationem earum tentare auſum, quin & pertinaciter eas tutatum, tandem publicè confutatum & damnatum fuiſſe. Nam initio florentiſſimum pietate & omni optimarum doctrinarum genere D. Johannem Oecolampadium diligenter cum eo contuliſſe, hæreſes atque ſententias ejus impias & blaſphemas detexiſſe & refelliſſe, ipſumque ad orthodoxam fidem traducere ſtuduiſſe. Bullingerus in dicta modò Præfatione addit, quodam in privato conventu quinque clariſſimorum virorum Zuinglii, Oecolampadii, Buceri, Capitonis & Bullingeri Oecolāpadium conqueſtū eſſe de Serveti Hiſpani quæſtionibus ſpinoſis & blaſphemis atque deteſtandis, quas ſibi ſubinde objiciat, ut metuendum ſit, ne eaſdē inter alios diſſeminet. Tū Oecolampadium à Zuinglio graviter admonitum, ut iis ſolidis ſolutionibus atq; ſinceris orthodoxæ doctrinæ ſententiis naviter occurrat, reſpondiſſe hoc à ſe omni ſtudio factum ſed nihil proficere. Inde Servetum (qui potiùs dicendus eſſet Perdetus) Baſilea exceſſiſſe, ac anno 1531. libros ſuos de erroribus (ita enim blaſphemus homo eos inſcripſerat) Trinitatis alibi excudendos curaſſe, typographo tamen morte repentina & horrēda non multum poſt ſublato. Servetum autem in Turciam uſque progreſſum, etiam Mahometiſmi & Judæiſmi fœtidas ſalivas imbibiſſe, ac annis 25. hinc oberrantem tandem in Galliam, Viennam Allobrogum, reverſum eſſe. Quum verò infauſto ſucceſſu ſub annum 1553. ibi farraginem hæreſum ſuarum imprimi curaſſet, ſub titulo falſo reſtitutionis Chriſtianiſmi, captum aſtu quodam Vienna erupiſſe, ac Genevam veniſſe. Ubi poſt multa colloquia in vinculis amicè cum Theologis habita cauſſaque ejus ad Eccleſias Euangelicas & orthodoxas in Helvetiis delata matura deliberatione ignis ſupplicio ob pertinaciam ſit affectus. Jam igitur ut illa mulier à Rege ebrio ad ſobrium provocans, ita ego à præjudicio anticipatis Papiſtis ad ſano judicio præditos provoco, quæroque num non Euangelici Servetum & hæreſes ejus nequaquam tulerint & foverint, ſed digna Chriſtianis induſtria ac fortitudine arguerint, refutarint è locis Euangelicarum Eccleſiarum expulerint, profligarint, tandemque oppreſſerint?

Tertiò, Miniſtros & Theologos Euangelicarum Eccleſiarum propter hoc

ipſu m

Digitized by Google

Servetus ſublatus ne ſuſpitio hæreſeos ipſius Euangelicis inhæreret.

ipſum ſeſe erroribus & hæreſibus Serveti ſtrenuè oppoſuiſſe, quod falſis criminibus & calumniis, ac ſi Eccleſiæ noſtræ hæreticæ eſſent & noſtri hæreſes alerent ac tenerent, ab exteris hominibus, inter quos præcipui ſunt Papiſtæ, gravarentur. Ut igitur facto, & re ipſa has calumnias refellerent, declararentque ſibi nec cum Serveti, nec cum aliorum hæreſibus quicquam commune eſſe, mirabili ac ſumma concordia, rem Dei providentia ſic gubernante, centonem hæreſum multiplicium, quo palliatus erat, ei detraxiſſe, palam ac liberè Magiſtratibus detexiſſe & monſtraſſe, utque ab ovili Chriſti arceatur Magiſtratus auctoritate, ne longiùs & latiùs earum virus ſerpat, aut ſpargatur, ſedulò operam dediſſe. Qua in re Eccleſiis noſtris per ſingularem Dei benignitatem optimè proſpectum & cautum eſt. Si enim nunc noſtri homines qui Euangelium Jeſu Chriſti ſimplex atque purũ amplexi ſunt & profitentur, tanta importunitate & impudentia Papiſtis de hæreſi Servetana ſuſpecti ſunt, ejuſque inſimulantur, quando eam primi & præcipui totam oppugnarunt, confutarunt, damnarunt, atque è noſtrarum Eccleſiarum ſeptis profligarunt, quid facturi eſſent Adverſarii, ſi noſtri ei induliſſent, eamque ullo modo ferri ac ſpargi paſſi fuiſſent? Annon tum maximè circum aures omnium ſtreperent, omneſque ſuorum pagellas ſcriptorũ complerent, nos S. Trinitatem tollere, Chriſtum abnegare, & Sabellii atque Serveti hæreſes colere? Laus igitur & gratia ſit Deo in ſacroſancta Trinitate uno & adoranda Unitate tribus perſonis diſtincto, quod Nobis & noſtris Eccleſiis hoc largitus eſt, ut has Papiſtarum calumnias non ſolùm publicæ noſtræ Confeſſiones, conciones ac ſcripta refellerint, ſed etiam ſtudium confutandi, oppugnandi & comprimendi eos ipſos, qui veteres hæreſes contra Trinitatem ex orco retraxerunt, eaſdem redarguerint.

Mathæus Gribaldus Servetanus ab Euangelicis compreſſus.

Quóve magis ne reliquias quidem Serveti à Noſtris ſuſtentatas cernatur, narrat Theodorus Beza in vita Calvini, de Mathæo Gribaldo Serveti diſcipulo talem hiſtoriam. *Anno*, inquit, 1555 *domi Serveti cineres pullulare cœperũt, cujus blaſphemiis favere deprehenſus Mathæus* " *Gribaldus non incelebris* Juriſconſultus, *quũ* " *Genevam forte veniſſet (erat enim Fargiarum* " *dominus, qui pagus eſt in Geneva vicinia* " *deductus ad Calvinum à quibuſdam Italis,* " *apud quos ille Patavii docuerat, recuſante* " *Calvino dexteram illi porrigere, niſi prius de* " *primario Chriſtianæ fidei articulo, id eſt, de* " *ſacra Triade & Deitate Chriſti inter eos conveniret, nullum poſtea locum ullis admonitionibus vel argumentis reliquit. Itaque quod ei jam tum prædixit Calvinus, grave nimirũ Dei judicium pertinaci ipſius impietati imminere, hoc reipſa poſtea expertus eſt. Tubinga primùm profugus, quo fuerat Vergerii favore introductus, Berna poſtea captus ſimulataque abnegatione liberatus ad ingenium poſtea rediens, Gentilis, de quo mox dicemus, fautor & hoſpes, ſuperveniente demũ peſte correptus, paratum ſibi ſupplicium prævenit.*

Valentinus Gentilis Servetanus.

Quæ num non teſtantur, Euangelicos adeo nihil commercii cum Servetana hæreſi habere, ut potius eã à radice extirpare ſemper annixi ſint, atque etiam nunc annitantur, ne eadẽ ipſis à malevolis atque adverſariis im-

Digitized by Google

Quatum quatuor in olei vel chriſmatis cõſecratione uſitatæ, nimirum *benedictio olei & Balſami per orationes, deinde benedictio per ſignum crucis*, tertiò *halitus Epiſcopi aliquoties ſuper ampullam chriſmatis*, quartò *ſalutatio chriſmatis, per verba, Ave ſanctum chriſma*. Octo autem in ipſa Confirmatione & unctione adhibentur, ut pote. 1. *ſuſceptor, vel ſuſceptrix*, à quib. confirmandus Epiſcopo offeratur. 2. Variæ preces ſuper confirmandum fundendæ, 3. *Illinitio frontis* in formâ crucis. 4. *Largitio vel collatio Pacis*, quæ confirmando ſignum ſit acceptæ gratiæ Spiritus ſancti. 5. *Alapa inflictio, ſeu* percuſſio maxillæ confirmati in ipſa facie 5. *Septiduana ligatio frontis*, ne ad ſeptem dies faſcia aperiatur, & frons lavetur 7. Ut in *Sabatho Paſcha & pentecoſtes* Confirmatio detur. 8. ut *à jejunis* & adminiſtretur & ſuſcipiatur. De qb. meritò ſtatuẽdũ, eſſe invẽtiones humanas, ludicros & inanes ritus ab ocioſis hominib. ſenſim introductos, & ſimplicitati Chriſtianæ cõtrarios. Col. 2. 8. Et annõ ſubcenſũ eorũ pertinent, de quibus Apoſtolus. *Videte, ne quis vos deprædetur per philoſophiam, & inanem deceptionem, ſecundùm* ELEMENTA *mundi, & non ſecundùm Chriſtum*? Item: *Corporalis exercitatio paululum habet utilitatis*, &c. 1. 4 8.

At quia *pietas*, eodem Apoſtolo ibidem teſte, *ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſſionem habeat vitæ præſentis ac futuræ*, iſtis omnibus longiſſimè præſtat ſimplex & pura CATECHISATIO puerorum, ut pote per quam vera fides in ipſis efficaciter confirmatur, & dona Spiritus Sancti verè augentur. Cui deinde in ipſa publica *Exomologeſi*, tãquam adiaphorus ritus, impoſitio manuum adhiberi poſſit, ne tamen, qui hanc prætermittunt, contemnantur, & à pietate magis alieni putentur.

Sic duobus articulis Novatianæ hæreſeos ex perpendiculo ponderatis, quorum *altero* reconciliationem cum Deo per pœnitentiam deficientibus à fide tempore perſequutionis, vel in manifeſta ſcelera prolapſis negabant; *altero* unctionem chriſmatis baptiſandis adhiberi nolebant, in neutro Euangelicos reos eſſe probavimus. Nam cum probo paſtore Euangelici, relictis 99. ſanis oberrantem & laſſam ovem quærendam, inventamque humeris ſuis ad gregem reportandam cenſent. In quo planè à Novatianorum, ut & Luc. 15. Donatiſtarum rigore ac tyrannide in lapſis à communione Eccleſiæ arcendis abſunt. Deinde, ut Novatiani in removenda chriſmatis unctione à baptiſatis non hæretici fuerunt: ita nec Euangelici in ea rejicienda hæretici ſunt. Quia autem Montaniſtæ, Valentiniani & Heracleonitæ propter chriſmatis uſũ pro exploratis hæreticis olim habiti fuere, nos jure Papiſtas iis ſimiles eſſe alibi probabimus.

Ac licet Bellarminus acerbè conqueratur, Calvinum ſcripſiſſe, *Chriſma* Lib. de Eccleſ. Milit. 4. c. 9. *noſtrum* (nempe papale) *eſſe oleum diaboli mendacijs pollutum*, tamen illud ex antecedentibus, quæ ibidem Inſtitut. c. 19. diſt. 8. attulit, merito ac juſtè concludit Calvinus. Imò & ex iis quæ nos antea breviter delibavimus, non malè colligitur. Etenim vox eſt veritatis & Dei. *Nos conſepultos eſſe Chriſto in Baptiſmo, & factos participes mortis ejus, ut etiam* Rom. 6. 4. Gal. 3. 27. *reſurrectionis ſimus conſortes*. Item: *Omnes*

qui

Digitized by Google

qui in Chriſto baptiſati ſunt, Chriſtum induiſſe cum donis ſuis. Ergo alteram, quam Papiſtæ de invento ab hominibus chriſmate, atque ejus virtute baptiſmi virtutem ſuperante dicunt, vocem mendacii & diaboli eſſe oportet.

Quæ poſtea Bellarminus adjicit de ocreis apud Euangelicos chriſmate inunctis, ex populari ſermone audiverit. Ludicri ſermones ſunt, factaque ludicra, & magis excuſanda (etſi non probamus) quam truculenta & impia eorum facinora, qui ſacra Biblia pectoribus noſtrorum impoſita cum hominibus ipſis globo miſſili transfixerunt.

Quicquid igitur de ſua externa chriſmatis unctione crepent Adverſarii, nos minimè admittere poſſumus, 1 Joh. 2. 27. qui à Scripturis ſacris Novi Teſtamenti ad internam ablegamur, & veterem Judaicam Veteris Teſtamenti hujus figuram ac typum antiquatam novimus. Ac ſi Scripturæ Novi Teſtamenti in hoc non ſunt hæreticæ, nec Euangelici ejus dictata obſervantes hæretici eſſe poſſunt, & ſic Papiſtarum calumniam à ſe repellunt.

In ſumma, quæ Novati fuerit ſententia de chriſmate, parum laboramus, nec ullo modo curamus. Superſtitioſas Papiſtarum unctiones, velut à fide & moribus Chriſtianorum alieniſſimas, floccifacimus. Qua in re ſi nobis hæreſis labem aſpergere velint, aliis quàm hactenus ab illis factum rationibus & argumentis uti debent. Inprimis oſtendere oportet unctos illos & raſos Bacchi ſacrificos, unctionem hanc per chriſma magicè conſecratum à Chriſto aut Apoſtolis eſſe inſtitutã, quod ad Calendas Græcas poterunt.

CAP. VIII.

Sabellii hæreſin, unam duntaxat perſonam in Deo ſtatuentem, injuriâ à Papiſtis tribui Euangelicis, qui eam potiùs oppugnent.

QUia verò quem ſemel nullius puduit, is frontis omnino perfrictæ ſit, etiam Bellarminus fronte ſua quantũvis chriſmate delibuta, nullo hactenus pudore ab impingendis Euangelicis per fallacias, & mendacia hæreſibus abſterritus, magis magisque in hac ſua impudentia pergit. Ac eam quoque nobis ineſſe omnibus perſuadere vult, in qua & confutanda & opprimenda NOSTROS inprimis plurimum curę, ſtudii, laboris, ac ſumptus impendiſſe, nequaquam ipſemet neſcit, ac univerſo orbis Chriſtiani theatro conſtat. Ea eſt hæreſis *Sabellii* antiquiſſima, impietate refertiſſima, blaſphemiaque execranda inquinatiſſima, ordine ab ipſo in catalogo contra Euangelicos inſtituto *ſeptima*. De qua ſic ſcribit lib. 4. de Eccleſia militante, cap. 9.

Hæreſis ſeptima eſt Sabellii, unam tantùm eſſe perſonam in Deo docens, non tres, ut teſtatur Epiphanius hæreſi 57. Idem tenebat noſtro tempore Michael Servetus, lib. 1. de Trinitate, ſine ullis ambagibus, & nunc ea ſententia multis in locis regnat. I. Sabellii hæreſis. Intelligit autem maximè loca ea, ubi Euangelici hodie degunt. Veniunt ergo hîc conſiderandæ primò Sabellii hæreſis, deinde hęreſis Serveti, tertiò Euangelicorum doctrina, unde horum innocentia innoteſcet.

Nega-

verò in ſpecie columbæ apparuit, tres quidem diſtinctæ in una eſſentia divina, perſonæ.

Hæretici Trinitatis adverſarii antiqui.

Emerſerunt quidem ante Concilium Nicenũ, Praxeas, Noëtus & Sabellius, veteribus appellati Patripaſſiani, qui diſtinctionem perſonarum propter unitatem Dei conſervãdam confundebant, ſed doctè & irrefragabiliter à vigilibus Eccleſiæ præſidibus ſunt confutati, Scripturisque propugnatum & in Eccleſia conſervatum adorandum TRINITATIS *myſterium. Unde cernimus in concilio Niceno Eccleſiæ præſides, non aliud nobis ſymbolo condito tradidiſſe, quàm quod à temporibus Apoſtolorum, imò & Prophetarum, catholica & orthodoxa retinuerat Eccleſia.*

Trinitatis inimici novi Servetus & Servetani.

Quod ergo Servetus Hiſpanus Trinitatem æternam Dei, triceps monſtrum & Cerberum quendam tripartitum, denique imaginarios Deos, illuſiones ac tres ſpiritus dæmoniorum appellitat, æternam Dei majeſtatem nefandè & horribiliter blaſphemat. Quod Athanaſiũ, Auguſtinum, & alios Dei ſervos eximios, illuſtriáque Eccleſiæ lumina, Trinitarios atq; adeò Atheos appellat (ita enim omnes Trinitatem agnoſcentes nuncupat) non illos tantùm, ſed totum chorum Sanctorum, adeóque totam Chriſti Eccleſiam, infandis & non ferendis convitiis proſcindit. Abominandum verò videtur illud eſſe in homine infelici, quod Judæorum quoque blaſphemias in Chriſtianam religionem effuſas excuſat, & fœda Mahometis verba, tres in Trinitate perſonas, vel, ut ipſe ait, tres Deos, Patribus fuiſſe incognitas & eſſe filios Beelzebub, approbat & extollit. Quid verò potuiſſet ab hoc homine magis impium in Deum, & indignius in intemeratam fidem Chriſtianam expui? Quæ obſecro aures Chriſtianæ iſta patienter audiant? De Filio Dei cõcorditer credidit & docuit Eccleſia Dei ab initio ſubſiſtere illum ab æterno in propria hypoſtaſi. Hoc enim docta fuerat ex verbo Dei Chriſto ipſo apertiſſimè in Evãgelico dicente: Antequam Abraham eſſet, ego ſum. Utique ſubſtantia, non carnis quidem, ſed Divinitatis, juxta quam Apoſtolus illum dixit eſſe expreſſam imaginem ſubſtantiæ paternæ. Ubi ſimul illud ex veteri Scriptura citat teſtimonium: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic filius gloriæ ab æterno Filius, Deus verus, in tempore factus eſt hominis filius, homo verus, natus non ex ſubſtantia Dei Patris, ſed ex ſubſtantia Mariæ virginis matris, quam Deus Spiritu ſuo fœcundam reddidit. Unde Filius ille & ſemen benedictum mulieris, & germen Davidis, & Filius hominis appellatur. Manet autem in una diviſa perſona, retinens tamen naturas duas impermixtas aut inconfuſas divinam & humanam. Id quod adeò perſpicuis & evidentibus Scripturæ teſtimoniis comprobatum jam olim & nunc eſſe conſtat, ut qui addubitet, cum ratione inſaniat. Nos igitur ſimpliciter & concorditer, ita ut jam expoſuimus, firmiter credimus, & in Eccleſia fidei noſtræ concredita prædicamus.

Joh. 8. 58. Heb. 1. 3.

In Filium Dei blaſphemia Serveti.

Rurſus ergo blaſphemus in Dei Filium deprehenditur Servetus, qui illũ ab æterno Filii hypoſtaſin exiſtentẽ, & Patri coëſſentialẽ & coæqualem, diabolicam ideam & fabuloſam quandam chimærã eſſe convitiari nõ veretur. Inſuper aſſerere audet, corporalis Filii patrem aliam non eſſe ullum, quàm ipſum Deum Patrem, ex cujus ſubſtantia caro Filii nata ſit. Longè aliter docuit Paulus, Doctor Gentium qui dixit Filium Dei genitum fuiſſe ex ſemine Davidis ſecundùm carnem, & declaratum Dei Filium in potentia & Spiritu ſanctificationis, &c.

Rom. 1. 3.

Genevenſes hæreſes Serveti collectas redarguerunt.

Cæterum cur ſingula iſtius blaſphemi hominis recolligere pergeremus? Satis diligenter & fideliter enormes aliquot iſtius errores & apertas HÆRESES *collegerunt Eccle-*

Digitized by Google

ſiæ veſtræ fidi Paſtores & docti eo ſcripto cui titulũ præfixerunt, Sententiæ vel propoſitiones excerptæ ex libro Michaelis Serveti. Eas nec per calumniam excerptas aut conſignatas invenimus, nec illas ulla ratione recipimus, aut approbamus: ſed execramur potiùs. Nam Servetus reſponſione ſua mox ſubjecta rem involvit, non explicavit, depravatis interim multis veterum de Unitate & Trinitate Dei myſterio, ſententiis, id quod Miniſtri Eccleſiæ ſatis apertè oppoſita reſponſione evicerunt. Replica vel Scholia Serveti præter extremam impudentiam & convitia dira, parum aut nihil ſunt. Toties enim illud ſuum Mentiris Calvino impingit, toties magum & Simonem Magum criminatur, ut meminiſſe pigeat ac pudeat. Præſertim quum res ipſa clamet, & ſcripta Serveti diligenter expenſa teſtentur, nihil confinxiſſe Calvinum, Servetum potius ea quæ dixit, rurſus negare ac fuco aliquo tingere. Calvini Paſtoris veſtri & fratris noſtri fidem & diligentiam, denique egregia in exules & pios merita, illuſtriora eſſe ſperamus, quàm quæ iſtius criminationibus indigniſſimis, vel apud Amplitudinem veſtram, vel apud alios viros bonos obſcurari poſſint. Neque hoc diſſimulat Amplitudo veſtra, quæ (quod non ſine animi lætitia legimus) diſertè ſcriptis literis ſignificat, ſe judicium à nobis non requirere, quod Eccleſiæ veſtræ Miniſtris diffidat, ſed potiùs ut noſtrum de his non neſciat judicium.

Bernenſiũ ſcriptum de Serveti hæreſibus, ex peſſimis veterum conſutis.

Suffragati ſunt huic Tigurinorum judicio Bernenſis Eccleſię miniſtri, qui epiſtolâ inter Calvini epiſtolas 163. itidem ad Genevenſium magiſtratum ita ſcribunt: *Quod ad præſentem Serveti cauſſam attinet, inſpeximus illius dogmata, quoad ejus fieri potuit, eo temporis ſpacio, quo tabellarius veſter hic apud nos ſubſtitit. Et quoniã ſententiam noſtram expoſcitis, ad ea quæ in ſcriptis Serveti deprehendimus, paucis viſum eſt ad petitionem veſtram reſpondere. Ut coram* DOMINO *loquamur, non poſſumus per conſcientias noſtras probare, quæ homo iſte de ſubſtantia ac forma Deitatis, de ſancta Trinitatis myſterio, de verbo Dei & illius incarnatione, de anima & carne Chriſti, de Spiritu ſancto, de Angelis, de animabus & Spiritibus noſtris, de peccato mortali, de pædobaptiſmate, non ſolùm in corde ſuo ſentire, ſed editis ſcriptis non jam primùm ſed olim dogmatizare cœpit. Videmus hominem ſibi ipſi tribuere plurimum, & parum ſpirare modeſtiæ. Permittit enim ſibi liberũ, quævis religionis noſtræ capita vocare in quæſtionem, & omnia vel novis expoſitionibus invertere, vel* RENOVATA VETERUM HÆRETICORUM LABE *prorſus corrumpere. Sic reſuſcitat nobis Sabellianos, Noetianos, Priſcillianiſtas, Anthropomorphitas, Apollinariſtas, Valentinianos. Et ne à fanaticis noſtrorum temporum ſectis abhorrere videatur, Baptiſmum infantium horrendis modis flagellat, & abominabilem reddere conatur, ut reliqua taceamus, quæ de ſuo in medium afferre non dubitat. Arbitramur autem pro vigilantia miniſtrorum veſtrorum omnia hæc ſatis eſſe in lucem producta, & reprehenſa, nec id à vobis agi, ut examinationem hujus cauſſæ exactiorem ab aliis divini verbi miniſtris, quàm à veſtris recipiatis. Quare abſque ullo tractatu ſententiam noſtram paucis aſſignare viſum eſt, ne de fratrum noſtrorum ſtudio & vigilantia quicquam addubitare videamur.*

Baſilienſis Eccleſiæ Miniſtrorũ literæ de hæreſib. Serveti.

Aſtipulantur illis Paſtores & Profeſſores Eccleſiæ atque Academiæ Baſilienſis, quorum hoc eſt examen dogmatum Servetanorum, epiſtolâ ad eoſdem Genevenſes, inter epiſtolas Calvini 160. conſcriptum, poſt alia tali

Digitized by Google

li modi ſonans: *Probationis divinæ genus vobis Ampliſsimi viri, veſtræq́ Eccleſiæ hoc tempore contigit, quo Servetus Hiſpanus veſtras in manus pervenit, multis jam annis horrendæ impietatis, & blaſphemiarum in ſacroſanctæ Trinitatis myſterium aſſertor & renovator. Quam etſi moleſtiam vobis datam demus; tamen quia intereſt plurimum gloriæ nominis Chriſti atque univerſæ Eccleſiæ, ut malo in exitium plurimorum graſſanti occurratur, gaudemus eo loco auctorem detineri, ubi nobis perſuademus, nec prudentiã Chriſtianam, nec Zelum ſanctis dignum defuturum eſſe. Quumque ſuper hoc ipſo negotio cenſuerit A. V. nos Eccleſiæ hujus Adminiſtros interpellandos eſſe, tranſmiſsis in hoc collationibus ſcripto à Paſtoribus veſtræ Eccleſiæ, fratribus noſtris in Domino obſervandis, & Serveto exhibitis: tum libro ejuſdem, quo ſparſa eſſe ſua dogmata cernimus, haud gravatim mentem noſtram pro charitatis lege, noſtráque in eos promptitudine, ſicut ea poſtulat, hiſce aperimus: Utcunque & veſter ordo ampliſſimus conſilio polleat, & doctrina excellente, judicióque præditis viris proviſum ſit Eccleſiæ veſtræ, quorum judicio & ſancto & exquiſito vobis ſatisfieri nihil dubitamus.*

Cæterùm, quantum ex inſpectione libri,
" *Serveti confeſſionibus, refutationibúsque per*
" *ſpicere licuit, deprehendimus planè in redẽ-*
" *ptionis noſtræ myſterium ſtrictum eſſe ſtylum:*
" *capútque fidei de Filio Dei vero ab æterno ve-*
" *req́ homine facto ex muliere, ſicut Apoſtolus*
" *inquit, juxta promiſsiones factas Patribus,*
" *ſtupenda temeritate hunc impetere: Perſo-*
" *narum trium diſtinctionem in eſſentiæ uni*
" *tate ſimpliciter tollere: Chriſti gloriam, quã*
" *habet à patre ab æterno, evacuare: idq́ con*
" *tra aperta Scripturæ oracula, atque orthodo-*
" *xæ Eccleſiæ confeſsionem: quam quum fra-*
tres noſtri Tigurini perſpicuè doctéque expreſ-
ſerint, nos & ei penitus conſentientes, repetere "
ſuperſedemus. "

Quales autem habiti ſint, qui eos articulis "
unquam tentare auſi ſunt, notius eſt, quàm "
ut egeat explicatione noſtra. Cancro morbo "
Paulus ejuſmodi peſtem aſsimulavit & HÆ- "
RESIN *definierunt veteres, adeoque & ipſe* "
Apoſtolus, crimen multo levius, quam ab hoc "
deſignatur. Et pro hæreticis damnati ſunt, "
proclamatiq́, qui una aliqua in parte impegiſſent, ſi errorem pertinacius tueri pergerent. "
Atqui Servetus non ſimplicem, ſed ex multis "
impietatibus conflatam hæreticorum larvã "
profitetur, puta Arrii, Marcionis, Sabellii, "
Fotini, Manichæi, Pelagii, & cæterorum: & "
quod in pluribus, hiſque diverſis impugnatũ "
eſt à melioris notæ Eccleſiæ Doctoribus, Patribuſque, id ab hoc uno ore impudentiſsimo atque blaſphemo evomitur, ut vere illi Chriſtus ſignum ſit contractionis, cui nec eſſentiam Luc. 2.
divinitatis, neque hypoſtaſin, nec carnis noſtræ veritatem, nec animam humanam relinquat, jungenda in ſacroſancta hac perſona diſcerpat, & diſtincta confundat, redẽptionis virtutem enervet, præter alios prophanos errores quam plurimos, atque deliria omnia, ut veſtri Paſtores, confratreſque noſtri inquiunt, à verbo Dei & orthodoxæ Eccleſiæ conſenſu aliena. Atque hæc quidem tanta confidentia, præſumptione & pertinacia, ut appareat illud ſapientis in eo verum. Impius quum Prov. 18 3.
in profundum venerit, contemnit. Et illud i & 27. 22.
tem; Si contuderis piſtillo in mortario, non recedet ab eo ſtultitia ejus. Nam neque captivitate humiliatur ad modeſtiam, neque tam luculentis, veris & evidentib. fratrum noſtrorum inſtitutionibus, quibus errorum luce clarius evincitur, vel cedit, vel acquieſcit, ſed ſerpentis inſtar incitati, maledicos atque cõtumelioſos in Calvinum ſinceriſsimum Dei ſervum, & blaſphemos in Dominum ſubinde

Digitized by Google

ſibilos edit, & lubricus nonnunquam elabi conatur. In hoc enim Deum unum eumq; ſimplicem inculcat toties, quaſi trium hypoſtaſeon vera diverſitas naturæ ſimplicitati ullo modo repugnet: atque inſaniat proinde Eccleſia Trinitatem in unitate & unitatem in Trinitate venerādam commendans. Sicut & Chriſto Dei Filio multa quum præ ſe ferat tribuere, manifeſtè tamen duabus naturis conſtantem perſonam negat, quæ juxta illam quidem ab æterno & ante ſecula, nedum ante incarnationem à Patre genitum (ſcriptura teſtante) ut cujus egreſſus à diebus æternitatis eſt, & per quam facta ſunt ſecula gignentis naturam per omnia referat: juxta hanc verò in ſeculo natum carnem de carne noſtra, ex ſubſtantia Virginis, per omnia fratribus ſimilem.

Scaphuſianæ Eccleſiæ miniſtrorū de hæreſib. Serveti ſententia.

Subſcripſerunt iiſdem Scaphuſianæ Eccleſiæ miniſtri, qui epiſtola 158. inter Epiſtolas Calvini ſic ſcribunt: *Quia Amplitudini Veſtræ viſum eſt, etiam noſtrā hac in re audire ſententiam quantum brevitas temporis admiſit, contulimus concertationes Serveti, quas cum veſtræ Eccleſiæ miniſtris habuit. Libros item ipſius blaſphemiis in ſanctiſſimam Trinitatem, univerſam itē Chriſti Eccleſiam refertos, quibus hæreſes multis jam annis ſopitas, unaque cum hæreticis oppreſſas revocare, magnóque cum ſimplicium ſcandalo evomere, obtruderéq; Eccleſiæ Chriſti conatur, percurrimus. Neque aliter pro dono nobis collato judicare poſſumus, quàm diverſos à ſana doctrina, neque tolerandos ut vel proponantur, vel legātur in cœtu piorum. Neque dubitamus, quin vos pro inſigni prudentia veſtra ipſius conatus repreſſuri ſitis, ne blaſphemia ipſius tanquam cancer depaſcantur Chriſti membra. Nam longis rationibus evertere ipſius deliramenta, quid aliud eſſet quàm cum inſaniente inſanire?*

Quibus non modò impia conſpiratio Serveti cum Sabelliana hæreſi, verùm etiam conjuratio cum aliis variis priſcorum hæreticorū hæreſibus diligenter expoſita eſt, ne eam nos vel nō obſervaſſe unquam, vel leviter attendiſſe Adverſarii putent, aut dicāt. In ò argumento ſunt hæc evidentiſſimo, noſtros & ſagaciùs & diligentiùs inveſtigaſſe, deprehendiſſe, atque in lucem protraxiſſe Serveti Sabellianiſmum, Arrianiſmū, Marcioniſmum, Fotinianiſmum, Manichæiſmum, Pelagianiſmum, Valentinianiſmum, denique cæteras & veteres & novas hæreſes, ſupra modum impias, blaſphemas & execrandas, quàm Pontificii Doctores ſeveriſſimi & impigerrimi aliorum Ariſtarchi atque Critici, pluſquam lynceis oculis & emunctis naribus ſua opinione inſtructiſſimi.

III. *Quibus in locis regnet hodie Servetaniſmus & Sabellianiſmus.*

Quod autem Bellarminus dicit, ſententiam Sabellianæ & Servetanæ hæreſeos contra Trinitatem perſonarum, nunc hodie multis in locis regnare, pervelim liberiùs & diſertius ab eo expreſſum, ubinam gentium? quibus in locis? Nam ita facilior ad hanc objectionem reſponſio fuiſſet. Si intelligit loca, ubi Romanæ Eccleſiæ doctrina retinetur, veriſimile eſt, ibi eam regnare. Nam Michael Servetus Hiſpanus fuit, & à Pontificiis educatus ad Euangelicos venerat, noſtraſque Eccleſias tanquam vulpes vineam Domini apud nos vaſtatura ſubintrarat. Veſtras autem, quum fuerit, ô Papicolæ, non eſt mirum, ſi aliqua apud vos loca infecit, aut diſcipulos atque ſectatores in iis reliquit. Nam & hæreſes ſuas nuſpiam gentium & locorum facilius

cilius

Digitized by Google

ciliùs, quàm apud ſuos diſcere potuit: & partus ſuos vel ſimiæ diligunt. Adhæc traditiones qualeſcunque, quæ ſub Apoſtolorum nomine oſtentantur, aut partim ex libris apocryphis atque adulterinis, partim ex depravatis Patrum atq; veterum quorumcunque ſcriptis conſutæ ſunt, aut ex vetuſtate conſuetudinem tranſſumptæ religionis quidlibet præ ſe ferunt, paſſim impunè in locis Papiſticis ferri, modò ſimul nihil Romanæ ſedis auctoritati detrahant, annon certum eſt? Num non Concilii Tridentini Seſſ. 6. cap. 15. Chimera fidei probatur? Nam ibi FIDELES & in fide eſſe appellantur, quotquot Sodomitæ, fornicarii, adulteri, molles, maſculorum concubitores, fures, avari, ebrioſi, maledici, rapaces, denique tales ſunt, qui vel mortalia peccata commiſerunt. Ubi fides carbonaria, quam Valentianus in ſua Analyſi docet, pag. 207. theſi 9. locum habet, præterquàm in Papatu? Et annon Eccleſiæ Catholicæ membra eſſe etiam reprobos, ſceleſtos, infideles, impios, HÆRETICOS, docent Driedo de Eccleſia dogmat. lib. 4. c. 2. Bellarminus de Eccleſia milit. cap. 2. & 12. Thomas Waldenſis Tom. 1. lib. 2. c. 9. Alphonſus de Caſtro lib. 2. de juſta hæreticorum punitione, cap. 24.?

Si in locis Euangelicarum & reformatarum Eccleſiarum aliquos Sabellii & Serveti hæreſin tenere, intelligit atque innuit Bellarminus, oſtendat ea loca. Nam in quibus iſtiuſmodi homines verſentur, nedum tolerentur & foveantur, nos ſcimus. Quin ubique locorum in Eccleſiis Euangelicorum ea eſt Confeſſionum & Catechiſmorum puritas & ὀρθοδοξία, eáque catechiſandi, & inquirendi circa religionis veram cognitionem in omnes, omnis generis, ordinis, ſexus, conditionis, loci homines, ut nulli prorſus hæreſi per Dei gratiam, nedum Sabellianę & Servetanæ ſit locus, imò ne ſuſpicio quidem, quanquam aliqua eſſe vel leviter tinctum.

IV. *Sabelliana & Servetana hæreſis ab Euangelicis potiſſimùm rejecta, oppugnata, damnata.*

Servetus nihil ad nos: cujus hæreſes & blaſphemias quantopere in Eccleſiis, Scholis, Rebuſpub. familiis, locisque omnibus noſtris Euangelicis oderimus, Deus novit, & noſtri facto magis oſtenderunt, quàm Pontificii. Et non pudet tantum athletam Pontificiorum, Bellarminum, nobis Servetum & Servetanos objicere, quorum non doctrina ſolùm à nobis improbatur, verùm etiam ipſi rejiciuntur & damnantur? Noſtri enim fuerunt, qui ſtatim ſubingreſſo Serveto in noſtras Eccleſias reſtiterunt, eum ad orthodoxam fidem atque doctrinam adducere ſtuduerunt, tandem verò pertinacem damnarunt, & morte mulctarunt. Quod illum bellatorem & ſuos fugere haud poteſt, quum hiſtoria vitæ, doctrinæ & mortis Serveti à Genevenſibus publicè edita ſit.

Satis tamen hanc rem literæ, à quatuor Euangelicarum Eccleſiarum atq; Civitatum in Helvetia Doctoribus & Theologis de toto Serveti negotio ſcriptæ, & ſupra à nobis ex parte recitatæ, teſtatam faciunt. Ex quibus majoris fidei faciendæ cauſſa hæc ampliùs addimus. TIGURINI in ſua Epiſtola ſuperioribus hæc ſubjiciunt. *Porro quomodo Amplitudo veſtra coërceat hunc hominem, qui olim ab Eccleſia per Scripturas*

Tigurinorũ Theologorũ ſententia in Servetũ.

cõvictas & dãnatas hæreſes renovat, ac prima fidei noſtræ firma capita oppugnat, oppugnandoq; Deo & ſanctis ejus cõviciatur, veſtræ prudentiæ relinquimus æſtimandum. Si non fallit nos ſimilitudo nominis, movit hic Servetus hoc ingens malum ante annos viginti, conãte tum beatæ memoriæ D. J. Oecolampadio ipſũ reducere in viam, ac tum quoque doctrina Serveti ab iis, qui primi hiſce regionibus Euangelium Chriſti prædicarunt, condemnata fuit. Ille verò ſui ſenſus tenax, nihilominus anno 1531. curavit in Germania 7. libros de Trinitatis erroribus, & alios dialogos excudi, quibus dubium non eſt, complures parum exercitatos in Scripturis & infirmiores in fide præcipites actos in grave tum animarum tum corporum diſcrimen. Quo tamen adeò ſatiatus non fuit, ut modo reciſis peſtilentiſſ mis erroribus & blaſphemiis non ferendis, ſemet ipſum in impietate & blaſphemia ſuperare, & corruptiſſimam doctrinam ſub ſpecie reſtitu-
„ tionis Chriſtianiſmi Eccleſiæ obtrudere per-
„ gat. Multa ergo fide & diligentia contra hoc
„ opus eſſe judicamus, præſertim quum Eccleſiæ noſtræ apud externos malè audiant, quaſi hæreticæ ſint, & hæreticis faveant. Obtulit verò in præſenti ſancta Dei providentia occaſionem, repurgandi Vos ſimul ac Nos à prava mali hujus ſuſpicione, ſi vigilantes fueritis, diligentérque caveritis, ne veneni hujus contagio per hunc ſerpat latiùs, id quod facturos A. V. nihil dubitamus. Dominus Jeſus Chriſtus conferat pietati veſtræ ſapientiam & fortitudinem, viam, rationem & modum juſtum, faciendi voluntatem ejus, ad gloriam nominis ipſius, & ad fidei ſinceræ Eccleſiæq; fidelẽ conſervationem. Simul offerimus Amplitudini Veſtræ noſtra obſequia, commendamúſque eidem nos omnes. Cæterùm per tres integros dies tabellarium hunc veſtrum detinuimus, quod non potuerimus nos citius explicare. Datum Tiguri 11. Octob. Anno 1553.

Bernenſiũ Theologorum ſentẽtia in Servetum.

Bernenſes ſuperioribus hæc ſubnectunt: Oramus Dominum, ut det vobis ſpiritum prudentiæ, conſilii, & fortitudinis, ut & peſtem hanc ab Eccleſiis cum veſtra tum aliis avertatis & ſimul nihil remittatis, quod Magiſtratui Chriſtiano inconveniens cenſeri poſſit. Dominus Eccleſiam & Rempub. veſtrã in vera pietate & pace jugiter ſervet immotam. Bernæ, Veſtri in Domino, 1553.

Baſilienſiũ ſententia in Servetũ.

Baſilienſes ſubjungunt. Meminimus verò nos, ante annos viginti tres in hac civitate domino Oecolampadio præſtantiſſimo hujus Eccleſiæ præſidi negotium ab hoc homine exhibitũ, & verbis ſcriptiſque ſerio interpellatum, nihilo factum emendatiorem: ut jam tum vir Dei ſagaciſſimus (Oecolampadius) ſententiam tulerit, daturum religioni Chriſtianæ grave diſpendium, niſi manu Domini frangeretur. Quæ quum ita ſint, Viri præſtantiſſimi, primum omnium merito gratias Deo æterno Patri Jeſu Chriſti agitis, cujus benignitate ſincerã lucem veritatis inconcuſſe adepti eſtis, Spiritúſque ſancti judicium, ut prava & adulterina à verâ germanaq; vitæ doctrina queatis diſcernere: eundemque precibus ardentibus interpellare debetis, ut nos conſervet in ſinceritate fidei, confirmetq; ut hactenus, ſtabiles & immotos contra ſcandala tam horribilia, ſatanæque aſſultus. Poſtremo, quod Servetum attinet, hortamur, ut quod facere vos apparet, omne ſtudium in ipſo ſanando adhibeatis, modò quæ excitavit offendicula, & ipſa ſanari queant. Verùm ſi inſanabilis in concepta ſemel perverſitate perſtat, ſic pro officio veſtro, poteſtateq; à Domino conceſſa coerceatur, ne dare incommodum queat deinceps Eccleſiæ Chriſti, ne ve fiant noviſſima primis deteriora, quâ in re ſuppeditabit Dominus ipſe Spiritum, robur & ſapientiam: quam

Digitized by Google

quam unà vobiſcum cum Eccleſia noſtra pro vobis ſeriò aſſidueq; orabimus. Viciſſim nos noſtrámq; Eccleſiã Amplitudinis veſtræ favori,& ſacris orationibus commendantes. Valete. Ex Baſilea, die decima octava Octob. 1553.

Scaphuſianorum ſententia in Servetum.

Scaphuſiani hæc ſuperib.ſubſternũt: *Subſcribimus igitur univerſi judicio Tigurinæ Eccleſiæ miniſtrorum, fratrum noſtrorum in Chriſto chariſſimorum, commendantes interim Veſtram Amplitudinem unà cum Eccleſia veſtra gratia divina. Data Scaphuſii,* 6.*Octob.*1553.

Sententia Helveticarum Eccleſiarum in Servetum ut Geneva accepta ſit & expedita Epiſtolar. Calvini 161.

His literis Genevam perlatis, Johannes Calvinus ad Gulielmum Farellum Neocomenſis Eccleſiæ Paſtorem mox ſcripſit, quomodo Magiſtratus ibi eas acceperit, ſententiámque in Servetũ exequutus ſit. *Ecce tibi,* ſcribit, *morem aliqua ex parte gero. Epiſtolæ loco breviculum habebis, quod multum temporis non auferet. Rediit ab Helvetiis nuncius. Uno conſenſu pronuntiant omnes, Servetum impios errores, quibus olim turbavit Satan Eccleſiam, nunc renovaſſe, & monſtrum eſſe non ferendum. Cordati Baſilienſes. Tigurini omnium vehementiſſimi. Nam & impietatum atrocitas graviter ab illis exprimitur, & hortãtur Senatum noſtrum ad ſeveritatem. Subſcribunt Scaphuſiani. Bernenſium literis etiam appoſitis, accedunt & Senatus literæ, quibus non parum ſtimulati ſunt noſtri. Cæſar comicus, ſimulato per triduum morbo, in curiam tandem aſcendit, ut ſceleratum iſtum pœnâ eximeret. Neque enim erubuit petere, ut cognitio ad ducentos veniret: ſine controverſia tamen damnatus eſt. Cras ad ſupplicium ducetur. Genus mortis conati ſumus mutare, ſed fruſtrà. Cur nihil profecerimus, coràm narrandum differo. Vale integerrime frater, & Chriſti miniſter eximie. Deus te conſervet ac regat ſemper. Amicis omnibus plurimam ſalutem; noſtri te reſalutant. Genevæ* 26. *Octob.*1553.

Genus ſupplicii Serveti & epitome rerum ipſius.

Genus ſupplicii, cum epitome rerum Serveti, exprimit & deſcribit Theodorus Beza in vita Joh. Calvini, his verbis. *Occaſionem turbarum* (nempe in urbe Geneva anno 1553. excitatarum) *alteram quoque Satan tunc objecit. Vetus enim ille ſacræ Triadis, id eſt, omnis veræ Deitatis hoſtis, adeóque monſtrum ex omnibus quantumvis rancidis & portentoſis hæreſibus conflatum, Michaël Servetus poſtquam aliquot annis huc & illuc medicinam faciens oberraſſet, tectúq; Michaëlis Villanovani nomine illas blaſphemias ſparſiſſet, edito tandem Viennæ Allobrogum ſp ſſo volumine (cujus excuſor fuit Arnolletus quidã Lugdunẽſis typographus, Corrector autem, ut in illis officinis vocant, Gulielmus quidam Guerolius, factioſis Genevenſibus pridem deditus, ſed paucis ante menſibus, ut ſcortationis & aliorum flagitiorum pœnas vitaret, Geneva Lugdunum profectus) Eo, inquam, edito blaſphemiarum pleno volumine Servetus, eóque nomine Viennæ in carcerem conjectus, ac inde mox neſcio quibus artibus elapſus, Genevam fato quodam venerat, alio procul dubio trãſiturus, niſi Dei providentia factũ eſſet, ut mox agnitus, Calvino, cui ille jam pridem bene notus erat, Magiſtratum admonente, carceri fuiſſet mancipatus. Quæ certamina tum, quantiſque de rebus ſuſcepta fuerint, ex edito libro percipi pleniſſimè poteſt. Fuit autem horum omnium iſte exitus, ut tandem perditus ille (cui etiam factioſorum unus, tum Prætoris Aſſeſſor, in aurem inſuſurraſſe quiddam credebatur, quo malum perdito homini animum obfirmaret) à vana illa ſua cõfidentia proditus, impietatis & infinitarum blaſphemiarum, ex omnibus etiam Helveticarum*

Servetus ſublatus ne ſuſpitio hæreſeos ipſius Euangelicis inhæreret.

ipſum ſeſe erroribus & hæreſibus Serveti ſtrenuè oppoſuiſſe, quod falſis criminibus & calumniis, ac ſi Eccleſiæ noſtræ hæreticæ eſſent & noſtri hæreſes alerent ac tenerent, ab exteris hominibus, inter quos præcipui ſunt Papiſtæ, gravarentur. Ut igitur facto, & re ipſa has calumnias refellerent, declararentque ſibi nec cum Serveti, nec cum aliorum hæreſibus quicquam commune eſſe, mirabili ac ſumma concordia, rem Dei providentia ſic gubernante, centonem hæreſum multiplicium, quo palliatus erat, ei detraxiſſe, palam ac liberè Magiſtratibus detexiſſe & monſtraſſe, utque ab ovili Chriſti arceatur Magiſtratus auctoritate, ne longiùs & latiùs earum virus ſerpat, aut ſpargatur, ſedulò operam dediſſe. Qua in re Eccleſiis noſtris per ſingularem Dei benignitatem optimè proſpectum & cautum eſt. Si enim nunc noſtri homines qui Euangelium Jeſu Chriſti ſimplex atque purũ amplexi ſunt & profitentur, tanta importunitate & impudentia Papiſtis de hæreſi Servetana ſuſpecti ſunt, ejuſque inſimulantur, quando eam primi & præcipui totam oppugnarunt, confutarunt, damnarunt, atque è noſtrarum Eccleſiarum ſeptis profligarunt, quid facturi eſſent Adverſarii, ſi noſtri ei indulſiſſent, eamque ullo modo ferri ac ſpargi paſſi fuiſſent? Annon tum maximè circum aures omnium ſtreperent, omneſque ſuorum pagellas ſcriptorũ complerent, nos S. Trinitatem tollere, Chriſtum abnegare, & Sabellii atque Serveti hæreſes colere? Laus igitur & gratia ſit Deo in ſacroſancta Trinitate uno & adoranda Unitate tribus perſonis diſtincto, quod Nobis & noſtris Eccleſiis hoc largitus eſt, ut has Papiſtarum calumnias non ſolùm publicæ noſtræ Confeſſiones, conciones ac ſcripta refellerint, ſed etiam ſtudium confutandi, oppugnandi & comprimendi eos ipſos, qui veteres hæreſes contra Trinitatem ex orco retraxerunt, eaſdem redarguerint.

Mathæus Gribaldus Servetanus ab Euangelicis compreſſus.

Quóve magis ne reliquias quidem Serveti à Noſtris ſuſtentatas cernatur, narrat Theodorus Beza in vita Calvini, de Mathæo Gribaldo Serveti diſcipulo talem hiſtoriam. *Anno,* inquit, 1555 *domi Serveti cineres pullulare cœperũt, cujus blaſphemiis favere deprehenſus Mathæus Gribaldus non incelebris* Juriſconſultus, *quũ Genevam forte veniſſet (erat enim Fargiarum dominus, qui pagus eſt in Geneva vicinia deductus ad Calvinum à quibuſdam Italis, apud quos ille Patavii docuerat, recuſante Calvino dexteram illi porrigere, niſi prius de primario Chriſtianæ fidei articulo, id eſt, de ſacra Triade & Deitate Chriſti inter eos conveniret, nullum poſtea locum ullis admonitionibus vel argumentis reliquit. Itaque quod ei jam tum prædixit Calvinus, grave nimirũ Dei judicium pertinaci ipſius impietati imminere, hoc reipſa poſtea expertus eſt. Tubingã primùm profugus, quo fuerat Vergerii favore introductus, Berna poſtea captus ſimulataque abnegatione liberatus ad ingenium poſtea rediens, Gentilis, de quo mox dicemus, fautor & hoſpes, ſuperveniente demũ peſte correptus, paratum ſibi ſupplicium, prævenit.*

Valentinus Gentilis Servetanus.

Quæ num non teſtantur, Euangelicos adeo nihil commercii cum Servetana hæreſi habere, ut potius eã à radice extirpare ſemper annixi ſint, atque etiam nunc annitantur, ne eadẽ ipſis à malevolis atque adverſariis im-

Digitized by Google

» piſta, ut atrociter ſæviant ad fundendum in-
» noxium ſanguinem, pudeat Chriſtianos ma-
» giſtratus IN TUENDA CERTA VERITATE nihil prorſus habere animi. Fateor equidem nihil minus eſſe conſentaneum, quàm ut furioſam eorum intemperiem imitemur. Verùm eſt aliqua moderationis ratio, NE impiis liceat quasvis in Deum blaſphemias IMPUNE evomere, ubi eſt impediendi facultas.

1. IN hoc homine tria ſunt conſideranda. Quàm prodigioſis erroribus totam religionẽ corruperit: imò, quàm deteſtandis ludibriis conatus ſit evertere omnem pietatem: quàm fœdis deliriis involverit Chriſtianiſmum, & omnia religionis noſtræ principia funditus e-
2. verterit. Secundò, quàm ſe obſtinatè geſſerit, quàm diabolico faſtu contempſerit omnes monitiones, quàm deſperata pervicacia præceps actus fuerit ad virus ſuum ſpargendum.
3. Tertiò, quanto hodie faſtu ſuas abominationes afferat. Tantum enim abeſt à ſpe reſipiſcentiæ, ut non dubitet ſanctis viris Capitoni & Oecolampadio aſpergere hanc maculam, quaſi ſocii fuerint. Quum oſtenſa eſſent Oecolampadii epiſtola, dixit ſe mirari, quo ſpiritu abductus foret à priore ſenſu. Sed quia tibi curæ fore ſpero, ut hominis impietas, quibus meretur elogiis, pingatur, plura non addam. Tantùm unius rei te admonitum volo, quæſtorem urbis, qui tibi has literas reddet, in hac cauſſa recto eſſe animo, ut ſaltem exitum, quem optamus, non fugiat. Utinam veteres tui diſcipuli eodem modo animati forent, &c. Genevæ 5. Idus Septemb. Anno 1553.

Altera epiſtola idem declarans, eſt Henrici Bullingeri, ad Joh. Calvinum numero 157. inter Calvini epiſtolas, quâ ſic ait: *Obtulit quidem Dominus materiam per occaſionem accommodatiſſimam Ampliſſimo Senatui Genevenſi,* SE & ECCLESIAM EXPURGANDI à LABE *ſeu fœtiditate* HÆRESEOS, *dum Servetum illum Hiſpanum in manus ejus dedit. Novit hunc bona pars orbis Chriſtiani vel ex blaſphemis libris editis de erroribus Trinitatis, & iis, quæ edidit merè Judaica pro juſtificatione operum. Audis illum nunc alio edito libro ſemetipſum ſuperaſſe impietate. Si ergo huic rependeret Ampliſſ. Senatus, quod blaſphemo nebuloni debetur, totus orbis cerneret, Genevenſes blaſphemos odiſſe hæreticos, qui verè ſunt pertinaces hæretici gladio juſtitiæ perſequi, & gloriam majeſtatis divinæ vindicare. Verùm ſi hoc non fecerint, tuum tamen non fuerit deſertâ illâ Eccleſiâ aliis quoque malis occaſionem præbere. Pugna intrepidè, Deo confide per Chriſtũ, implora ejus conſilium & auxilium, ut te eripiat. Juvamus te certatim orationibus noſtris. Vive & vale. XIV. Septemb. 1553. Tiguri.*

Tertia eſt Guil. Farelli, inter Epiſtolas Calvini 155. quâ ſic ad eundem Joh. Calvinum, ab illo ſcribitur: *Mira eſt Dei diſpẽſatio in Serveto, quod iſtuc venerit. Utinam vel ſerò ſapiat, magnum ſanè miraculum erit, ſi mortem præferat ſeriò ad Dominum converſus, & occumbens una morte (qui multas myriades commeritus eſt) ſi omnes cõtendat ædificare præſentes, qui multis jam ſublatis, & qui ſuperſunt, adde etiam venturis, nocere ſtuduit. Valdè crudeles erunt, & admodum injurii Chriſto, & doctrinæ pietatis, & veri Eccleſiæ hoſtes judices ſi non moveantur blaſphemiis horrendis* TAM NEFANDI HÆRETICI, *quibus divinam majeſtatem impetiit, & Chriſti Euangelium conatus eſt labefactare, omnesq́; corrumpere Eccleſias. Sed ſpero Dominum facturum, ut qui laudantur ob juſtas inflictas furibus & ſacrilegis pœnas, ita ſe gerant, ut in hac parte*

merito bene audiant,ſublato eo, qui tamdiu obſtinatiſſimè in hæreſibus perſeveravit,quíque tam multos perdidit. Ex quibus luce clarius, initio miniſtros Eccleſiæ Euãgelicæ ſuum feciſſe officium contra Servetanas hæreſes, poſtea ab iis admonitos magiſtratus & alios politicos,ſuo quoque muneri adverſus eaſdem haud defuiſſe.

Calumnia in Euangelicos ob ſublatum Servetum.

Deinde his occurritur tribus adverſariorum duplicis generis calumniis, quas orthodoxis intentant. *Una* eſt, quod * Pontificii *nos hæreticos inter Eccleſiæ membra numerare* criminantur. Revincunt igitur & confutant hæc ipſa Acta Genevenſis civitatis,ac miniſtrorum verbi divini apud Eccleſias noſtras orthodoxas, ubi Servetus iſte cũ impiis ſuis hæreſibus omnibus disertè condemnatus, & ab Eccleſiæ gremio excluſus eſt, neque ab ullo viro bono dignus judicatus, ut toleretur, poſtquam hæreſes ejus à præconibus verbi patefactæ ſunt. Si autem admittere & ferre in Eccleſia hæreticos eſt argumentum falſæ Eccleſiæ & hæreticæ (ut Stapletonus loco ad marginem notato innuere vult) tum eſt de Synagoga Romana in univerſum actum. Nam Bellarminus contendit *hæreticos occultos eſſe membra Eccleſiæ,* & hoc reliqui omnes defendere conantur: ut paulò ante ſcripta,in quibus hoc fiat,oſtendimus. Alphonſus autem de Caſtro apertè aſſerit hæreticos eſſe Eccleſiæ membra,dicens: *Ego fateor & meo judicio negari non poteſt,hæreticum eſſe partem Eccleſiæ,& membrum illius.* Noſtra igitur cauſſa expedita eſt. At Papiſtici doctores cum ſuis ſeipſos ac ſuos hîc jugulãt, & falſæ Eccleſiæ arguunt.

a Staphet. Relect. princ. doct. controv. 1. q. 5. art. 2.

Lib. 1 de hæreſ. c. 24.

Pœna hæreticis ſtatuitur ab Euãgelicis certo modo. Staplet. ib.

Altera calumnia rurſus Pontificiorum eſt, qui *nolle nos hæreticos puniri, vel ad fidem veræ Eccleſiæ cogi,ac propterea eſſe hæreticorum amicos & fratres dicunt.* Sed nónne hoc dicendo,ipſi ſunt ſycophãtæ & ſycophantarum fratres? Nam hæreticos cum limitatione & ratione certa, ſi ſint ſummè impii, blaſphemi & obfirmati,hocque & ſcripta noſtra,& leges publicæ,& acta Rerũpub. noſtrarum oſtendunt, & præcipuè praxi contra Servetum ac Servetanos ſummè blaſphemos hæreticos eſt declaratum. Cur ergo nos Papiſtæ accuſant,ac ſi pœna hæreticos eſſe afficiendos & compeſcendos negemus? Quia ſummam Synagogæ Romanæ truculentiam non probamus,eorúmque crudelitatem vituperamus,qui pariter ſenes,pueros,fœminas,hominesque indoctos & agreſtes, ac ipſos doctores propter religionem veram & orthodoxam, qualis noſtra Euangelicorum eſt, quolibet ſupplicii genere affligunt & tollunt. At num propterea ſequitur, nos hæreticorum eſſe amicos & fratres? Nihil ſanè minùs. Nam Chriſtus caput Eccleſiæ noſtræ inſtar agni mitis erat & manſuetus,& Apoſtoli & priſci Patres,hæreticos veros pro ratione rei modò non armis, ſed verbo Dei,interficiebant & interficiendos cenſebant,modò autem armis pœniſque tollendos ac perdomandos judicabant. Hoc colligitur ex Auguſtino,qui Tractatu in Johannem 11.ſcribit: *Talia facere volunt, & ſaltem talia pati nolunt. Sempiternas mortes faciunt,& temporales ſe perpeti conqueruntur.* Item: *Etſi paſſa es,ô pars Donati, corporalem afflictionem ab Eccleſia Catholica,à Sa-*

Digitized by Google

ra paſſa es Agar. Redi ad dominam tuam, &c. Verè autem pios Catholicos & orthodoxos potiùs fovebant, amabãt, obſervabant, defendebant, quando ſacris Scripturis adhærentes videbant. Verùm ſynagoga Romana homines pios, fideles, vereque Catholicos & orthodoxos trucidat, ſuppliciisque exagitat, & ſic Eccleſiã Dei perſequitur, tanquam Agar Saram. Eſt ergo ipſa meretrix purpurata, cujus veſtes ſanguine tinctæ ſunt, cujus meminit Johannes Apocalyp. 17. & eſt mater hæreticorum (ut lib 2. ac 3. infra docebitur) & hoſtis Dei cultorum ſincerorum.

Regerit Stapletonus loco ſuprâ citato: *Lutherum docere, notam eſſe Eccleſia, ut habeantur pro hæreticis ejus membra: & propterea nos talem eſſe Eccleſiam, in qua ſunt hæretici.* Reſpondemus. Non loquitur Lutherus de notis Eccleſiæ inſeparabilibus, ſed de iis, quæ nunc Eccleſiam demonſtrant. Deinde, ut aliquid non rectè dixiſſet de notis Eccleſiæ Lutherus, quid hoc ad nos? Imò quid obſit ejus ſententia toti Eccleſiæ. Hoc vulnus eſt ſynagogæ Romanæ, quæ omnes Pontificis Romani impietates, & hæreſes, quas infrà lib. 2. & 3. recenſemus, defendere tenetur. Noſtri autem homines hanc reverentiam tantùm debent ſcriptis Apoſtolicis & Propheticis, & eorum ſcriptoribus, ut omnia illa tueantur. Præterea longè aliud eſt hæreticum eſſe, & hæreticum haberi. Nos à Papiſtis juratis noſtris atque Euangelii hoſtibus, hominibúſque imperitis hæretici habemur, minimè autem eſſe præſenti libro comprobamur. At Papiſtæ revera ſunt hæretici (ut lib. 2. & 3. præſentis Tractatus demonſtramus) & ita à viris bonis appellantur.

Ideo quòd poſtremò Stapletonus aſſerit, *nos varias hæreſes tenere, & inde propria peti poſſe argumenta*, unde ſcilicet cõcludatur, *nos non pertinere ad Eccleſiam Catholicam*, ineptiſſimum pariter ac falſiſſimum eſt. Nam niſi fortius ſe cum Bellarmino & reliquis ſuorum in aliis quàm in iſtis geſſerit, nihil eſt, quod vel communia & impropria argumenta jactet. Hæreſes ſanè nobis, niſi impudentiſſimus fuiſſet, nunquam objeciſſet, quum neque ipſe, neque alii ſuorum ullo modo nos ullius hæreſeos convincere poſſint, ipſi verò Papiſtæ fons & ſentina hæreſum ſint, ut ſuis locis comprobabitur.

Tertia calumnia eſt *Ubiquiſtarum* quorundam, qui invertendo calumniã Papiſtarum, NOS in orthodoxis Helvetiæ atque aliorum locorum Eccleſiis *ſpiritum homicidii habere* vociferantur, *eò quòd ſupplicium ſumi de Serveto* (de quo hactenus dictum) *& de Gentile* (de quo infra agemus) *curaverimus*. Cæterum PRIMO à noſtris Theologis & Eccleſiæ miniſtris genus ſupplicii illis non eſt definitum & præſcriptum, ſed potiùs mitigatum, ſi obtineri potuiſſet mitigatio. Teſtatur hoc de ſe Calvinus, teſtantur reliqui verbis ſuprà adſcriptis. Iis accedit Farelli teſtimoniũ qui ad Calvinum ſcribens, hunc genus ſupplicii leniri voluiſſe per Magiſtratum affirmat. Scribit enim poſt ſuperiora. *Quod pœna atrocitatem leniri cupis, facis amici officium in inimiciſſ mum tibi hominem.* Idem tamen mox reprehendens hanc Calvini bonam voluntatem cauſ-

Ubiquiſtica calumnia.

Jacobus Schmidlinus in defenſione Brentii Teſtamenti.

cauſſas affert pergraves & bonas, ob quas nulla ſupplicii lenitas in Serveto probari queat. Nam ſcribit: *Sed te, quaſo, ita geras: ne temerè quivis audeat nova inſerre in publicum dogmata, & tamdiu omnia turbare impunè, ut iſte fecit. Vides arrogantem hæreticũ*[b] *Hieronymum, qui toties convictus nondum in ordinem cogi potuit. & judicum indulgentia potiùs quàm æquitas, dum officium non facit, non modò illi nocet, & tantùm non perdit, verum etiam multis. Verùm hæc te non fugiunt, neque ideo dicuntur, ut opus tibi ſit: ſed & de aliis non paucis querimur, ita & hic licet.*

b *Bolſecum forſan, qui & ipſe poſtea pulſus eſt è noſtris Eccleſiis.*

Deinde, numnon optimæ, juſtiſſimæ & æquiſſimæ ſunt cauſſæ ac rationes, ob quas decebat atque oportebat noſtros tali ſupplicio, quo effectus eſt, in Servetum (ut & poſtea in Gentilem animadvertere? De utroque enim ſupplicium ſumptum eſt ob nimis impias & horrendas blaſphemias, quas in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum evomuerunt. Numnon enim ſuprà recitatum à Calvino & cæteris noſtris, Servetum affirmaviſſe, *ex propria Dei ſubſtantia & quidem ex traduce omnes creaturas eſſe? Diabolum ipſum ſubſtantialiter eſſe Deum?* Annon idem *ſacroſanctam Trinitatem nominavit tricipitẽ Cerberũ?* Item *tria phantaſmata, tres Deos imaginarios & illuſionis dæmoniorum?* Hæc quũ pertinaciter affirmarit, & tanquã cancer circumvorans aliis inſtillarit, numnon ſunt ſupplicio quovis diriſſimo digna? numnon pœnis quibuſlibet coërcenda & opprimenda? Similiter Valẽtinus Gentilis, annõ fuit *reus tũ execrandarum blaſphemiarum, quibus inſtar Serveti ſacroſanctam Trinitatem paſſim in ſuis ſcriptis contaminavit, tum perjurii,* quo ſummè peccavit & pœnam ſibi accerſivit, ut ſuo loco fuſius demonſtrabitur? Hæc qui ſupplicio indigna judicat, neque coërcenda cenſet, poteſt certè amicus & frater & ſocius Serveti atque Gentilis eſſe: nos verò procul ab eo ſegregati eſſe volumus.

Tertiò talibus in caſibus hæreticum quemcunque non poſſe jure foveri ac ferri, ſed è medio ſumma ſeveritate tolli debere, non obſtante vetuſtæ Eccleſiæ ac Patrum nonnullorum mitiore ſententia, hæreticum verbi divini, non magiſtratus gladio arcendum atque puniendum cenſente, paucis Guil. Farellus in eadem Epiſtola ad Calvinum probat. *Plerique*, inquit, *nonnihil accedentes ad hæreſin Catabaptiſtarum, qui facinoroſi, ut plurimum nolunt improbos è medio tolli, quo liceat eis impunè ſua tradere & ſequi flagitia: volunt non aliter agi cum hæreticis, quàm ut ſinantur, quaſi nihil interſit inter munus Paſtoris & magiſtratus. Si Pontifex pios damnet hæreſeos & furentes judices iniquè exequuntur in innocentes, id quod debetur hæreticis, quæ amentia eſt inde colligere, non perdendos hæreticos, ut piis ſuccurratur? Sanè ejuſmodi inaudita priùs ratione ſibi & aliis conſulere voluerunt, præter viam, quam tenuerunt omnes ſervi Dei, & veluti ſeſe adjungentes hæreticis. Ego quum legerem Paulum dixiſſe ſe non refugere mortem, ſi quid commeruiſſet, planè me obtuli ſæpiùs paratum ferre mortis judicium,* Act. 25. 11. *ſi quicquam contra pietatis doctrinam docuiſſem. Et addidi, me quàm digniſſimum eſſe quovis ſupplicio, ſi à fide & doctrina Chriſti quenquam avocarem. Sanè non poſſum de aliis aliud ſentire, quàm quod de me ſtatuo.* Hæc Farellus: quæ mordebit aliquis Sophiſtarum, at non refutabit.

Quarto

Digitized by Google

Quartò, nemini mirum debet videri, Ubiquiſtas de ſupplicio mortis, quod Serveto & Gentili magiſtratuum noſtrorum ſententia atque auctoritate luendum fuit, vehementer conqueri. Nam matæologias Ubiquiſticas non procul abeſſe à Serveti aliquot blaſphemiis, Rodolphus Hoſpinianus parte 2. hiſtoriæ Sacramentariæ pag. 351. in anno 1575 probat.

Quintò iniquitatem ſuam Ubiquiſtæ hîc, tanquam ſorices ſeipſos, produnt. Nam ut pium zelum in magiſtratibus Saxonicis laudant, qui Theologos Witebergenſes, ac quoſdam Eccleſiæ miniſtros per Saxoniam atque alias regiones, verè pios, orthodoxos atque eruditos viros, carcere & exilio, aliiſque modis indignè puniverunt: ſic in noſtris Theologis, Magiſtratibus atque civibus Eccleſiarum orthodoxarum & Euangelicarum per Helvetiam, Galliam, & alias regiones, ut perverſum atque impium zelum carpunt, damnantque, quod verè impios, blaſphemos, horrendóſque hæreticos, Servetum & Gentilé, ex multis hæreſibus conſutos, quales à multis ſeculis Chriſtianus orbis vix ſenſit, juſta animadverſione atque pœna mortis dignâ mulctarunt. O iniquum & præpoſterum judicium!

Sed Sextò & ultimò nos recreat & ſuſtentat, quod à viris dexteritate & æquitate judicii cũ ſumma prudẽtia & eruditione conjuncta excellẽtioribus, noſtrorum zelus in negotio Serveti ac Gentilis agendo, morteque illis inferenda, verè pius, neceſſarius atque utilis cenſetur, quum & commendatur. Ex iis enim Philippus Melanchthon Epiſtola ad Calvinũ 187. ſcribit: *Reverende vir & chariſſimè frater, legi ſcriptum tuum, in quo refutaſti luculenter horrendas Serveti blaſphemias, ac Filio Dei gratias ago, qui fuit βραβευτὴς hujus tui agonis. Tibi quoque Eccleſia & nunc & ad poſteros gratitudinem debet, & debebit. Tuo judicio prorſus aſſentior. Affirmo etiam veſtros magiſtratus juſtè feciſſe, quod hominem blaſphemum, re ordine judicatâ, interfecerunt.* Hæc ille.

Ex iiſdem Theodorus Beza Wezelius & Genevenſis epiſtola 1. ad D. Andream Dudithium, Ungarũ de Horehoviza, Epiſcopum quinque Eccleſiẽſem, Oratoré & Conſiliarium Cæſaris Maximiliani II. cujus quædam opera per Quirinum Reuterum, Francofurti apud Petrum Kopfium, Anno 1610. edita ſunt, ita ſcribit: *Venio ad ultimam epiſtolæ tuæ partem, quæ me profectò graviſſimè commovit, ut erumpere me in hãc vocem cogat benevolentia, quâ te complector. Quis te faſcinavit, mi frater? Servetúmne quæſo, qui Dei ſubſtantiam & mutabilem fecit, & rerum omnium partem eſſe docuit: qui Filii Dei æternitatem negavit: qui naturarum unionem hypoſtaticam ſuſtulit: qui ſancti Spiritus hypoſtaſin ac divinitatem eſt inficiatus: Qui Patrem, Filium, Spiritum ſanctum, Cerberum tricipitem (horreſco referens) toties appellavit: qui animæ mortalitatem aſſeruit: qui veterem Iſraëliticam Eccleſiam in haram porcorum transformavit: qui Moſem ridiculum fuiſſe impoſtorem ſcripſit: qui Catabaptiſmum defendit: qui denique totos annos triginta & ampliùs Deo viventi maledixit; quemquam Chriſtianum dicere ob religionem exuſtum, ac non potiùs ob impietatem indomitam, ob blaſphemias innumerabiles, ad quas vel ipſi diaboli cohorreſcant*

reſcant, juſtis tandem pœnis affectum? Exuſtus eſt ſanè, ſed nimium ſerò, qui utinam nũquam natus fuiſſet, éſtque ob eam rem & à vicinis & à longiſſimè remotis Eccleſiis NOSTER MAGISTRATUS *optimo jure collaudatus. Gentilem ne verò illum verè gentilem, tres Deos ſtatuentem, naturarum idiomata tollentem, perjurii duplicis convictum, ſola denique pervicacia veritatem tot annos ſubvertentem, itidem ob religionem ſupplicio capitis affectum, quo tandem jure exiſtimabimus?* Hæc Beza.

His itaque fide digniſſimis viris fidem temerè & arroganter derogabimus? Horum doctrinæ copia ac ſapientiæ laude celeberrimorum virorum judicio non ſtabimus?

Nunc tandem certè ego omnes homines Chriſtianos moneo, ne furioſorum Pontificiæ ſectæ rabularum clamoribus & accuſationibus, quâ Euangelicis Sabellii & Serveti hæreſes affricare conantur, moveri ſe ſinant. Nam Euangelici ab iis puriſſimi, ac in tanta cauſſa innocentiſſimi ſunt. Scurrarum verò & hæreticorum eſt, de bonis & orthodoxis malè & ſentire & loqui. Crimina verò non clamoribus, ſed argumentis probantur & convincuntur, quorum illi nullum attulerunt. Nos verò plurimis & ſolidiſſimis Euangelicos purgavimus atque defendimus per Dei benignitatem, qui & poſthac nos idonea purgatione atque defenſione nequaquam deſtituet.

Bellarm. ipſe nos purgat.

Sed & ipſe accuſator noſter Bellarminus, etſi in libro de Eccleſia militante cap. 9. nos Euangelicos hæreſeos Servetanæ arceſſat: tamen alibi noſtros non ſocios, ſed ultores ejus fuiſſe fatetur. Nam: *Servetus*, inquit, *Hiſpanus in Geneva, authore* CALVINO, *dignum ſcelere ſuo ſupplicium pertulit*. Præfat. in Controv. de Chriſto. Et merito quidem noſtris, præſertim Calvino, curantibus Servetus ſupplicium capitis luit. Nam in corpore, ſi quid ejuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, id uri ac ſecari patimur, ut mẽbrorum aliquod potiùs, quàm totum corpus intereat: ſic in Eccleſiæ & Reipub. corpore, ut totum ſalvum ſit, quiquid fuit peſtiferum & hæretico veneno contagioſum in Serveto & Servetanis, Sabellii diſcipulis, id amputarunt noſtri. Et ab eo quidem totum Eccleſiæ atque Reipub. corpus ſervari inter noſtros egregiè, Deus hactenus benigniſſimè præſtitit, ut ne veſtigia quidem Servetanæ aut Sabellianę ullius hæreſeos hîc impreſſa cernantur. Cæterum Sabellianæ hæreſeos argumenta ipſa ſingillatim inferiùs capite 25. confutantur à nobis, ut nos ejus prorſum expertes eſſe planiùs conſtet.

CAP. IX.

Quàm longè abſint Euangelici ab hæreſi Manichæorum, qui facultatem liberi arbitrii omnem ſuſtulerunt, Deum cauſſam peccati fecerunt, & Patriarcharum dignitati detraxerunt.

IMPINGIT tamen nobis Bellarm. etiam *octavam* hæreſin, *Manichæorum* videlicet, quæ bipartita eſt: ſed nihil loci apud Euangelicos hodie habet, ſicut Dei gratiâ à nobis re utrinque inſpecta ac ponderata probabitur. *Lib. de Eccl. Milit. & notis Eccl. cap. 9. Diſ. Manich.*

I. HÆRESIS MANICHÆORUM.

Dicit: *Hæreſis 8. Manichæorum in duobus*

Digitized by Google

I. *Hæreſis Manichæorũ de facultate liberi arbitrii.*

bus fuit. I. *Eorum erat (ut teſtatur Hieronymus in præfatione Dialogorum contra Pelagianos) damnare naturam & liberum auferre arbitrium. Nec peccatorum originem (inquit Auguſtinus lib. de hæreſ. ad Quod vult Deum, c. 46.) libero arbitrio tribuebãt. Idem omnino Lutherus, qui librum ſcripſit de ſervo arbitrio. Idem Calvinus, qui non permittit homini liberam electionem* ULLA IN RE, *nec nomen liberi arbitrii poſſit tolerare.*

Et diſt. *Ac primùm*, &c. *notandum autem* &c. ſcribit: *Calvinus fatetur ſe repugnare toti antiquitati. Semper, inquit, apud Latinos vox liberi arbitrii extitit, apud Græcos αὐτεξούσιον, vocabulum arrogantius, à quo ego abſtinendum cenſeo. Dicit etiam omnes veteres, excepto Auguſtino, plus æquo humanas vires extuliſſe, & de libero arbitrio variaſſe, aut vacillaſſe.*

Inde infert; *In hoc eſt Calvinus magis impius Manichæo, quod Manichæus Deo malo tribuit mali initium, Calvinus Deo bono, qui nullam libertatem poſſit tollerare.*

Ac Poſſevinus lib. 3. de notis verbi divini pag. 92. ait; *Hic eſt Proteſtantium Atheiſmus.*

Et Campianus Rat. 8. ſub initiũ dicit; *Deus inquit, Calvinus, eſt author & cauſſa peccati, volens, ſuggerens, efficiens, jubens, operans, & in hoc impiorum ſcelerata conſilia gubernans.*

Reſponſum Euangelicorum.

Nos Euangelici reſpondebimus, *primùm* ad antecedens, quod eſt accuſatio Papiſtica de contempto à nobis libero arbitrio juxta Manichæorum hæreſin; *deinde* ad conſequens, quaſi propterea Deum peccati auctorem faciamus.

Euangelici à Manichæorũ hæreſi de libero arbitrio liberi.

Quantum ad *Primum*, negatur prorſus, quæ de nobis adverſarii dicunt. Nã omnino de nobis falſum eſt. Nemo enim noſtrum adeò deſipit, ut hominũ naturam damnet. neque ſuper ea re Bellarminus ad probationem quicquã adfert. Ac agnoſcimus non modò *Manichæum*, ſed etiam *Simonem Magum & Valentinum*, liberum arbitrium negaſſe, quia Deum auctorem mali crediderunt, ut *Florinus*, de quo cap. 17. actum. Verùm nos illis anathema dicimus, totique ab illorum opinionibus & abhorremus & omnes dehortamur.

Manichæi omnem arbitrii humani libertatem ſuſtulerunt. Non ſic Lutherus & Calvinus, neque quiſquam noſtrum. Nam hi concedunt, liberrimam eſſe hominis voluntatem ad peccandum, & malè agendum, ſed in bonis & ad bene agendum non item: ut facit Apoſtolus Rom. 7. & 8. ac Auguſtinus paſſim.

I. *Lutherus inſons.*

Adjicit Bellarminus, Lutherum dixiſſe, *Liberum arbitrium eſſe titulum ſine re & omnia ex neceſſitate abſoluta evenire.* Sed *prius* ſimpliciter Lutherus non dixit. Nam arbitrium hominis ad malum eſſe liberũ profitetur, ut Auguſtinus facit; ad bonum verò, quod quidem ſimpliciter ſit bonum, & ad res ſpirituales, negat eſſe liberum, ſed affirmat eſſe ſervum, ut facit Apoſtolus locis modò dictis. *Poſterius* non invenire licuit in Adſertionibus Lutheri Latinè Germanicéque ſcriptis. Facta eſt criminatio in eum.

Siſtamus ipſos reos loquentes.

LUTHERUS edidit ante annum 1520. Aſſertiones, quas Parriſienſes Theologi anno 1521. (ut J. Sleidanus lib. 3. Comment. de ſtatu Religionis &

Reipub. Carolo. 5. Impp. refert) condemnarũt, unde Bellarm. hãc ſuã accuſationẽ deſipit. In iis Lutherus 4. propoſitiones de Libero arbitrio proponit, quibus totidem condemnationes Pariſienſium oppoſitæ ſunt. Nos Confutationem condemnationis apponemus.

1. Thesis de natura lib. arbitrii.

1. Lutheri Theſis.

Liberum arbitrium nõ eſt dominus actuũ ſuorum.

Condemnatio Pariſienſium.

Hæc propoſitio eſt falſa, ſacris doctoribus, ac omni doctrinæ morali adverſa, cũ Manichæorum errore conveniens ac hæretica.

Arbitrii dominus eſt Deus.

Confutamus condemnationem & defendimus Lutherum hunc in modum. Si Adam, cui erat liberum arbitrium necdum vulneratum, per quod actibus dominabatur, eodẽ dominio nihil promovit, adeò ut à recta via nihil etiam cunctatus ſeſe præcipitarit, quid obſecro miſelli, quibus liberum arbitrium eſt miſerè labefactum, hoc præſide aggrediemur? quod non impurum, non vitioſum, non irâ dignum Deo videatur? Auguſtinus reſpondet huic quæſtioni: *Quod homo per malum velle, perdidit poſſe bene.*

Tertia Hypognoſtiкῶν 3. Reſp.

Item & Ambroſius de vocatione gentium, lib. 1. *Licet*, inquit, *inſit homini bonum nolle, tamen niſi donatum non habet bonum velle, & illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.* Bonorum ergo actuum liberum arbitriũ non eſt dominus, quia non bonum.

Sed cui debeatur bonum, quod agimus, Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſerm. 15. indicat, dicens: *Spiritus regit, caro regitur. Nec ſpiritus bene regit, ſi non regatur.* Unde Pſal. 22. 1. *Dominus regit me*, &c. non liberum arbitrium. Unde & Paulus Rom. 8. 14. *Quicunque Spiritu Dei reguntur, ii ſunt filii Dei.* Pſal. 44. 5. 6. *Tu ipſe Rex meus, ô Deus; præcipe ſalutes Jacobi. In te hoſtes noſtros cornupetemus, in nomine tuo conculcabimus inimicos noſtros, ſcilicet, non tam carnales, quàm ſpirituales.* Pſal. 143. 7. *Defecit ſpiritus meus*, &c. ac verſu 10. *Doce me facere voluntatem tuã, quia tu es Deus meus: Spiritus tuus bonus deducet me in recta via.* Non ergo liberum hominis arbitrium. Pſal. 73. 22. *Ego inſipiens eram, nec cognoſcebam: ut jumenta eram apud te. Tantùm ego ſemper tecum Dominus, tenuiſti manum dexteram meam. Conſilio tuo deduxiſti me, & poſtea cum gloria excepiſti me.* Ergo non voluntate mea, & conſilio meo. Jeremiæ 10. 23. *Novi Jehovah, quod non eſt hominis via ejus, nec eſt viri ambulantis, ut præparet congreſſus ſuos.*

Auguſtin. de verbis Apoſtoli ſerm. 1. *Ergo ſecundùm Deum debet vivere, ſi ſecundùm ſeipſam vivit, deficit. Tunc autem rectè vivit caro ſecundùm animam, ſi anima vivat ſecundùm Deum. Unde Epicurei viventes ſecundùm carnem, & Stoici ſecundùm animam, nec hi nec illi ſecundùm Deum viventes defecerunt. Deficit ergo, qui vivit ſecundùm liberum arbitrium, etiam dum videtur in bonum ferri, qui non vivit ſecundùm Deum.*

Idem epiſt. 89. ad Hilarium: *Libertas*, inquit, *ſine gratia nihil eſt, niſi contumacia, non eſt libertas. Verè enim liberi eritis, ſi vos filius liberaverit.* In libero arbitrio ergo nulla libertas, ſed vera ſervitus. Joh. 8. 36

Breviter, hæretica eſt ſententia Apoſtoli, ſi hæc Lutheri eſt hæretica. Nã, ait

Digitized by Google

Rom. 9. 16. 1. Cor. 3. ait Apoſtolus: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis* DEI. *Neque qui plãtat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat* DEUS. *Nihil enim liberat niſi gratia*, ut ait Auguſtinus ep. 102.

2. Theſis de actu lib. arb.

2. Lutheri Theſis.

Fruſtra garriunt ſophiſtæ, actum bonum eſſe totum à Deo, ſed non totaliter.

Condemnatio Parriſienſium:

Hæc propoſitio eſt ſanctis doctoribus eam ponentibus injuria, Ambroſio potiſſimùm, Auguſtino & Bernardo, quos hic ſophiſtas appellat, Et quantum ad id, quod prætendit actum bonum eſſe totaliter à Deo, & nullo modo à libero arbitrio, eſt hæretica.

Actus bonus totaliter à Deo, non libero arbitrio. Joh. 1. 3. Confutamus condemnationem & tuemur Lutherum hoc modo: Annon totus homo & totaliter eſt à Deo? Annon voluntas hominis etiam tota & totaliter à Deo eſt? ita credo. *Nam ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum ſit.* Si totus homo eſt à Deo, eſt totaliter. Si voluntas eſt à Deo tota & totaliter, quomodo non actus hominis eſt à Deo & totus & totaliter? Apoſtolus hoc ita eſſe declarat, dicens: *Deus enim is eſt, qui efficit in vobis, & ut velitis, & ut efficiatis, pro gratuita* ſua *benevolentia.* (Phil. 2. 13.)

De Verbis Apoſtol. Ser. 11. Item Auguſtinus. *Eſt enim*, inquit, *liberum arbitrium, ſed nihil valet ſine Dei gratia. Quum enim dico, liberum hominis arbitrium, vide, quia hominis dico. Quid deinde homo eſt, quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, & homini Deus liberum arbitrium donavit, quicquid poteſt homo de libero arbitrio, cujus gratia debetur, niſi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio?* Hæc ille.

Nec liberum arbitrium negamus, id quod vos Pontificii conſectaneum judicatis: ſed in Deo magis firmamus. Quanquam enim in Angelis ſola voluntas Dei perficitur: eis tamen liberum arbitrium non aufertur, quum ſe liberè Deo ſubjiciant. Quâ libertate ſe Deo ſubjectum Pſaltes gratulatur, dicens: *Tantùm Deo tace, id eſt, ſubjecta eſto, anima mea: quoniam ab ipſo eſt, quod præſtoler. Tantùm ipſe eſt petra mea, & ſalus mea: elevatio mea, non nutabo. In Deo eſt ſalus mea, & gloria mea, robur fortitudinis mea, & ſpes mea in* DEO *eſt.* (*Liberum arbitrium non negatur à nobis ſed in Deo firmatur.* Pſal. 61. 6. 7.)

Auguſtinum hîc operæ precium fuerit audire. *Qui putant*, inquit, *ſibi auferri liberum arbitrium, ſi nec ipſam voluntatem ſine adjutorio Dei hominem habere conſenſerit, non intelligunt, non ſe firmare liberum arbitrium, ſed impellere, ut per inania feratur. Non in Domino tanquam in petra ſtabili collocetur.* Quo loco Auguſtinus docet, liberum arbitrium ſeſe firmare non poſſe, ſed ad inania impelli, niſi Deo ceu petræ adhæreat. (Epiſt. 102.)

Et Athanaſio ſcribens: *Sine Dei gratia*, inquit, *voluntas implet humana, quia nec libera dicenda eſt, quamdiu eſt vincendis & vincentibus cupiditatibus ſubdita. A quo enim quis devictus eſt, huic eſt & ſervus addictus.* Hæc ille. Unde colligitur: A cõcupiſcenta devictum eſt liberum arbitrium: ergo ipſius eſt ſervum effectum. (Epiſt. 144.)

Ambroſius in ſententiam Auguſtini it lib. 1. lib. 1. de vocatione Gentium, cap. 9. Nã per totum docet nihil aliud, quàm *à Deo omnia virtutum dona dirigi ac diſponi, omniáque in ejus manu eſſe.*

Totaliter adverbium ἄγραφον. Sed quid obſecro hoc vocabuli eſt *totaliter*? Scriptura iſtud (quod ſciam) neſcit. Qui fit ergo, ut tanta ſit hæc diſceptatio, tam acer conflictus apud

Digitized by Google

Theologos, de hujus verbi efficacia? Num aliis verbis, quàm quibus prodita ſunt, tractāda ſunt divina eloquia ſi re alias in Scriptura apertè tradita, nec neceſſitas, nec res urget? Quod ſi bonus actus totus ſic à Deo proficiſcitur, ut non nihil etiam à noſtra voluntate derivetur, mentitur Apoſtolus, *Scio*, in-
Rom.7.18. quiens, *quòd non habitet in me, id eſt, in carne mea, bonum. Nam velle adeſt mihi, ſed ut, quod bonum eſt, perficiam, nō aſſequor*.
2.Cor.3.5. Et *Non quòd idonei ſimus ex nobis ipſis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipſis; ſed quod idonei ſumus*, id *ex Deo eſt*.

Quibus verbis, aut quibus lineis nobis adum bratis, imò quibus indiciis perſpicuū mihi eſſe poteſt, quod libero arbitrio debeo acceptum ferre, ſi actus bonus totus non negetur à Deo eſſe? Non ſumus tam ſtupidi, ut velimus ſine libero arbitrio aliquid agi à nobis, ſine libero arbitrio, inquam, non tanquā auctore, ſed tanquā in quo agat au-
Moralium 22.cap.10. ctor gratia Dei? Hanc nos ſententiam docuit GREGORIUS MAGNUS, qui apertiſſimis verbis totam hujus rei controverſiā eſt cōplexus, ubi hæc verba pronūciat; *Sciūt ſancti viri ſe poſt primi parentis lapſum de corruptibili ſtirpe editos, & non virtute propria, ſed præveniente gratiâ ſuperna, ad meliora ſe vel vota (nota vota) vel opera commutatos. Et quicquid ſibi mali ineſſe cognoſcunt de mortali propagine ſentiunt meritū: Quicquid verò boni in ſe inſpiciunt, immortalis gratiæ cognoſcunt donū*.

Et audite quæ ſequuntur *Eique*, ait, *de accepto munere debitores fiunt, qui & præveniendo dedit eis bonum velle, quod noluerunt, & ſubſequendo cōceſſit bonum poſſe, quod volunt*. Intelligitis opinor, quod dixit, noluerunt & volunt.

Item homilia 9. in Ezechielem. *Ipſe* inquit, *nos prævenit, ut velimus, & ad juvando ſubſequitur, ne fruſtra velimus*.

Sed quid plura; *Ipſe Servator: Quicquid* Joh.6.37. & 44.
dat mihi Pater, inquit, *ad me veniet*. Item: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum*. Trahimus autem nolentes, ducimus volentes.

Ac quòd accuſatur Lutherus, temerè ſanctos viros ſophiſtas appellare, leve eſt & nō mala mēte fit. Nā ſincerioris Theologiæ vindices atq; aſſertores non vocat ſophiſtas, ſed Scholaſticos theologaſtros. Auguſtin. n. & Ambroſ. ſeipſos jā à tā probroſo nomine egregiis ſuis dictis de libero arbitrio vindicarūt. Bernardus.

Bernardus tenebris Scholaſticæ Theologiæ jam oriri incipientibus ſcripſit, ut mirum non ſit, ſi ſacræ Scripturæ & puriorum Patrum ſententiā non eſſet aſſequutus. Sed aſtipulatur manifeſtè Luthero & noſtræ ſentētiæ, quæ ſacris Scripturis conſona eſt, dicens: *Quid igitur? Hoc ergo totum liberi arbitrii opus? Hoc ſolum eſt ejus meritum, quod conſentit? Eſt prorſus: non quidem, quod vel ipſe conſenſus, in quo omne meritum* 2.Cor.3.5.
conſiſtit, ab ipſo DEO *non ſit, cum nec cogitare (quod minus eſt, quàm conſentire) aliquid à nobis, quod ex nobis ſufficientes ſumus. Verba non ſunt mea, ſed Apoſtoli: quia omne quod bonum eſſe poteſt, id eſt, & cogitare & velle, & patefacere pro bona voluntate* Phil.2.13.
attribuit Deo, non ſuo arbitrio. Similiter ergo è Sophiſtarum numero ſeipſum aſſerit, & Lutherus tantùm pro ſophiſtis habet, qui libero arbitrio id tribuunt, quod Dei eſt, atq; à ſacræ Scripturæ luce deflectentes, tenebris ſeipſos immergunt & alios.

3. Lutheri Theſis eſt:

Liberum

Digitized by Google

3. Theſis de viribus lib. arbitrii. *Liberum arbitrium dum facit, quod in ſe eſt, peccat mortaliter.*

Condemnatio Pariſienſium.

Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, impia, in fide & moribus erronea.

Refellimus condemnationem & aſſerimus Lutherum ita: Opus liberi arbitrii tanquam privatum & propriũ eſt peccatum. Quare *ſicut palmes non poteſt edere fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite*: ita nec nos, niſi manſerimus in Chriſto, id quod Euangelium docet. (Joh. 15. 2. 4. 5.) Quisquis eſt extra Chriſtum, mala eſt arbor, & extra vitam, qui aut nullos, aut acerbos, aut noxios fert fructus. Palmites autem, qui manent in vite, id eſt, in Chriſto, purgantur ab agricola cœleſti, Deo Patre, qui niſi purget, computreſcunt in ſtercore ſuo palmites, hoc eſt, homines liberi arbitrii ſordibus volutati.

In Joh. tract. 49. Auguſtinus ille optimus liberi arbitrii virium explorator, eandem Lutheri ſententiam effert, inquiens: *Nemo ſibi palpet, de ſuo Satan eſt. Satan autem non valet, niſi ad peccandum.* Quid his verbis clarius?

Tract in Joh. 21. Idem: *Vita noſtra*, inquit, *tanquam noſtra, id eſt, de voluntate propria, non erit niſi mala, peccatrix, iniqua. Vita verò bona, de Deo in nobis eſt, non à nobis, à Deo nobis datur, non à nobis. Qui malè vivebat, in vita ſua erat, qui bene vivit, ad vitã Chriſti trãſiit, particeps factus vitæ. Fuiſtis, inquit Apoſtolus, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. In te ergo tenebræ, in Domino lux.* (Epheſ. 5. 8.)

Enchiridio cap. 29. Idem: *Quid boni*, inquit, *operari poteſt perditus, niſi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid liberum voluntatis arbitrium? Et hoc abſit. Nam libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non vivit, nec ſeipſum poteſt reſuſcitare, quum ſe occiderit: ita quũ libero peccamus arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt, & liberum arbitrium. A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Petri certè Apoſtoli eſt iſta ſententia, 2. Pet. 2. 19. Quæ quum vera ſit, qualis, quæſo, poteſt eſſe ſervi addicti libertas, niſi quando eum peccare delectat?*

Idem: *Nemo malus facit bonum*, inquit. *Si nemo malus bonum facit, homo malus, quomodo facit ſe bonum; Facit de malo bonum, qui ſemper eſt bonus. Sana me Domine, inquit, & ſervabor. Salvum me fac, & ſalvus ero. Quid mihi dicunt vani vana? Tu te ſalvum facis, ſi volueris? Sana me Domine, & ſanabor? Et quia, qui videntur bona agere libero arbitrio, non Deo hoc tribuunt, nec Deum in actibus ſuis glorificant. Propterea dabit illos Deus in ſenſum reprobum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, & evaneſcant in cogitationibus ſuis, & obſcuretur inſipiens cor eorum, dicentes, ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Sic* Jeremias: *Converte me Domine, & cõvertar, quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim converſiſti me, egi pœnitentiam. Et poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi fœmur.* (De verbis Domini in Math. ſerm. 50. Jerem. 17. 14. Rom. 1. Jerem. 31. 18.)

De vocat. Gent. Lib. 1. cap. 2. Ambroſius: *Ita humana natura*, inqt, *in prima hominis prævaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, ſemper in deteriorem eſt proclivior voluntatem, cui committi non eſt aliud, quã dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, inſtabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloria quàm cupiditatum avidior, fama quàm conſtantia diligentior, & per omnem ſui experientiam miſerior, fruendo ha*

Digitized by Google

qua concupiverat, quàm carendo nihil in SUIS HABET VIRIBUS, *quàm periculi facilitatem. Quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citiùs propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. Quamdiu ergo homini ea placent, quæ Deo diſplicent, voluntas ejus animalis eſt. Qui etiamſi in bonis moribus agat, malè adhuc vivit, ſi non in Dei gloriam vivit.*

Cap. 9. Idem: *Licet ineſt homini nolle bonum, tamen niſi donatum non habet bonum velle: illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam.* Et lib. 2. c. 9. *Quòd gratia, ait, à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ, quod autem à multis ſuſcipitur, eſt voluntatis hnmanæ: Nulla enim ſpecies cujuſque virtutis occurret, quæ vel ſine dono divinæ gratiæ, vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur. Quod ſic explicat: Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi & auxiliandi agit, ut in eo quam vocat, optimam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem.*

In 7. Pſal. Albinus: *Nihil boni in nobis eſſe poteſt,* inquit, *niſi tua operante gratia fiat, qui nos feciſti.*

Quid hæc verboſius diſputo? Tota Scriptura ſacra & Patrum ſinceriorum corona Papiſtis reclamat, noſtram doctrinam confirmat.

4. Theſis de gratia in libero arbitrio.

4. Lutheri Theſis.

Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet niſi ad peccandum, non autem ad pœnitendum. Ex Auguſtino de Spiritu & Litera.

Condemnatio Parriſienſium.

Hæc propoſitio accipiendo gratiam pro gratia gratum faciente, de qua loquitur ſcriptor, eſt erronea, errori Manichæorum conformis, à ſacris eloquiis aliena, perverſe & truncatè ex Auguſtino allegata.

Redarguimus condemnationem & vindicamus Lutherum genuit â explicatione & diſtinctione GRATIÆ tã ſecundùm ſacræ Scripturæ quàm Patrum ſententias. Nam propoſitio quidem Lutheri eſt ſuperioribus agnata & affinis: ſed *gratiæ* vocabulum in ea poſitum explicatione & diſtinctione eget, unde ratio vindicandi illum à condemnatione elici poterit.

Gratia vox homonyma.

Gratia Dei in Scripturis divinis lata ſignificatione dicitur tota ſalutis noſtræ diſpenſatio, quæ univerſa principio, medio & fine eſt gratuita.

TRIA ſignificat. I. *Propriè* gratuitam Dei in Chriſto miſericordiam, benevolentiam, amorem & favorem ſeu acceptationem & reconciliationem ob Chriſtum in homines, præſertim electos. Hæc gratia eſt immanens Deo, qua juſtificamur & ſervamur.

II. Itidem propriè *miſericordiæ & benevolentiæ Dei ἐνέργειαν*, id eſt, *motum* ac vim effectricem *miſericordiæ*, ut Auguſtinus lib. 3. Hypognoſticῶν vocat. Hęc à ſophiſtis vocatur *auxilium* Dei.

De priore dicitur Epheſ. 2. 8. *Gratia Dei ſervati eſtis.* Et Rom. 3. 4. 11. *Si ex gratia, ergo non ex operibus. Si ex operibus, ergo non ex gratia. Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Gal. 2. 21. *Non abrogo gratiam Dei. Si enim per legem eſt juſtitia igitur Chriſtus ſine cauſſa mortuus eſt.* Et 5. 4. *Si per legem juſtificamini, excidiſtis à gratia.* Heb. 4. ult. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut accipiamus miſericordiam, & inveniamus gratiam ad auxilium opportunũ.* Vide 2 Tim. 1. 9. Act. 20. 24.

De *poſteriore* dicitur, 1. Cor. 15. 10. *Gratia*

Digitized by Google

Gratia Dei,quæ mecum eſt. Gal.1.6. *Miror quod ita citò, deſerto eo, qui vocavit vos in gratiam Chriſti,transferamini in aliud Euangelium.* Ac ✝.15. *Deus vocavit me per ſuã gratiam.* Atqui vocatio eſt divinæ miſericordiæ opus.

De utraque dicitur 2. Cor.12 9. *Sufficit tibi gratia mea.* Et 1.Cor. 15.10. *Gratia Dei ſum quod ſum.* Illam vocat Scriptura χάριν τοῦ θεοῦ, ubique.

III. *Metaleptice* ſignificat *effecta ſeu dona gratiæ divinæ* in nobis habitualia. Imò omne Dei donum gratis datum, naturale vel ſupernaturale,ad ſalutem vel nõ ad ſalutem,commune vel proprium electorum. Hanc gratiam Scriptura non vocat χάριν *gratiam*,ſed χάρισμα,δώρημα,δωρεὰν τῆς χάριτος,*donũ, dona gratiæ.* 1.Cor.12.31.Rom.5.17. Ac Scriptura diligenter diſtinguit inter *gratiam Dei*, quâ juſtificamur, & inter *dona per gratiam collata*, quæ conſequũtur juſtificationem. Non igitur confundi debet cauſſa cum effectu ſuo. Utrumque eſt quidem Chriſti beneficium, ſed tamen diſtinctum. De diſtinctis autem diſtinctè loquendum eſſe monent ſapientes. Nam hoc etiam eſt ὀρθοτομεῖν,*rectè ſecare Scripturas,* 2.Tim.2 15.

Gratia ſophiſtica interpretatio.

Verùm quia vetus verſio latina impropriè donum vel dona gratiæ reddidit *gratiam & gratias*,inde in ſcholis Papiſticis ſenſim orta eſt ὁμωνυμία & æquivocatio gratiæ.

Inde Sophiſtæ in juſtificationis & » ſalutis negotiis pro gratia Dei *miſerente,* » *benevolente,favente, movente,* dona,habitus,actus,opera hominum ſuppoſuerunt: viribus liberi arbitrii *gratiæ* larvã induerunt: Eccleſiæ turpiter impoſuerunt. Lomb. 2. d. 24. Thomas 1. q. 92.

Hinc Pariſienſes contra Lutherum, Bellarminus in libris de gratia primi hominis, de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati,de recuperatione gratiæ & libero arbitrio, deque juſtificatione, aliique ex ſophiſtis Pontificiis,χάριν & χάρισμα,*gratiam & donum gratiæ*,cauſſam & effectum, ſophiſticè confundunt.

Gratia Papiſtis varia.

Quando igitur Pariſienſes propoſitionem Lutheri,*Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet,niſi ad peccandum,non autem ad pœnitendum*, condemnant,ac dicunt: *Hæc propoſitio accipiendo gratiam pro gratia gratum faciente*, eſt hæretica, &c. committunt fallaciam homonymiæ in voce *gratiæ.*

Nam Scholaſtici,& inprimis hodierni Romanæ Eccleſiæ doctores *gratiam* dividunt,primò,*In gratiam gratum facientem.* Deinde,*in gratiam gratis datam.* Tertiò,in gratiam tantùm *præparantem aut ſubvenientem.* Quartò in *prævenientem & operantem*, item *ſubſequentẽ & cooperantem.*

Atqui gratia per ſe eſt una tantùm: diſtinguitur autem ratione & effectis.

Gratia gratis data.

Gratia gratis data definitur à Joh. Fero in Examine ordinandorum p. 119. & 121. *quæ detur ſine ullis meritis,prout eſt fides, prophetia, & prima gratia, quam homo non mereatur.* Ita Papiſtæ ſentiunt. Sed *nulla eſt Gratia gratis data ſingularis* ac peculiaris, & ſeparata ab aliis. Nam omnis gratia eſt *gratis data*: ſiquidem (ut Auguſtinus in Pſal.34.ait)*gratia nõ eſt ullo modo,ſi non eſt gratuita omni modo.*

Gratia gratum faciens eſt vera.

Gratia gratum faciens deſcribitur à Fero, *quæ non ſolùm gratis præſtetur à Deo ſed*

ſed & juſtificet, atque hominem gratum faciat Deo, ex peccatore juſtum, ex impio pium & amicum Dei conſtituat. Hæc eſt ſola gratia propriè dicta. Nam eſt benevolentia Dei erga homines, præcipuè electos, propter Chriſtum, ac tum condonat nobis peccata, dat Spiritum ſanctos, regenerat & renovat, tum juſtificat & acceptat ad ſalutem vitamq́ue æternam, gratis, abſque operibus aut meritis noſtris. Epheſ.1.6. Rom.3.24. Epheſ.2 8.

Nec habet cauſſam aliam, niſi *εὐδοκίαν*, bene placitum ſeu bonam volũtatem Dei, Epheſ.1.5. quæ benevolentia dicitur.

Effecta gratiæ gratum facientis *externa* ſunt Chriſti miſſio, & meritum: Euangelium, vocatio: *interna* fides, regeneratio (ſub qua animæ ſanatio, bona voluntas, liberi arbitrii correctio & gubernatio dextra, bona operatio & perſeverantia continentur) juſtificatio & glorificatio.

Gratia hæc eſt *univerſalis*, Concione vel doctrina & oblatione, quia omnibus verbo offertur, *fidelium* verò eſt *propria* & particularis applicatione atque fructu, quia *ſine fide placere Deo nemo poteſt*. Heb.16. *& quicquid non ex fide eſt, peccatum eſt*, Rom.14.23.

Gratia præparans.

Gratia *præparans* vel *ſubveniẽs*, aut *ſuccurrens* nulla rectè dicitur: nec ulla eſt ex nobis ad gratiam præparatio vel applicatio.

Gratia præveniens & operans.

Gratia *præveniens* & *operans* eſt ac dicitur in actu regenerationis, correctionis liberi arbitrii, ſanationis animę. Eſt Dei propria. Nam Dei eſt prævenire & operari in nobis gratiâ vel per gratiam ſuam.

Gratiâ ſubſequens & cooperans.

Gratia *ſubſequens & cooperans* eſt ac dicitur in regeneratis & juſtificatis. Noſtrum enim eſt gratiam Dei prævenientem ſubſequi, & gratiæ divinæ cooperari.

Gratia à Papiſtis in lib. arbit. perperam accipitur.

NUNC igitur in cauſſa liberi arbitrii adverſus Lutherum Gratia bifariam à Papiſtis perperam accipitur. *Primò* Pariſiẽſes calumniam ſtruunt, imò inferunt tam gratiæ divinæ, quàm Luthero, quum dicente Luthero: *Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet, niſi ad peccandum, non autem ad reſipiſcendum*, exponunt eum gratiam accipiendo *pro gratia gratum faciente*, hallucinari ac Manichæiſmum ſapere. Nam calumnia & blaſphemia eſt GRATIAM VERAM, quæ dicitur *gratia gratum faciẽs*, & eſt Dei propria, nos præveniens, in nobis operans, noſtrum liberum arbitrium duntaxat ad malum proclive corrigens, animam ſanans noſtram, bonamq́ue nobis voluntatem ad bonum concedens, arguere erroris & hæreſeos, nominatim *Manichaiſmi*, omne liberum arbitrium tollentis, accuſare. Proh pudor, hos ne tolerat Eccleſia porcos, uſque adeò gratiam Dei conculcantes?

Luherus enim rectè accipit *gratiam*, & intelligit *Gratiam Dei* nos prævenientem, in nobis animam ſanantem, correctionem liberi arbitrii noſtri tãtùm ad malum proni operantem, bonamque nobis voluntatem ad bonum largientem. Et quod dicit *Liberum arbitrium ante gratiam nihil valere niſi ad peccandum*, intelligit & innuit, hominem non renatum, in actionibus internis, ſpiritualibus, divinis, cœleſtibuſque rebus, non ſolùm non poſſe

aliquid

Digitized by Google

aliquid ſuis viribus præſtare, verùm etiam nec intellectu percipere, nec voluntate eligere; ac proinde nihil niſi peccare. *Quicquid enim abſque fide*, quæ Gratiæ divinæ effectum & liberi arbitrii gubernatrix eſt, *fit*, id (ut Apoſtolus clarè & diſertè dicit), *eſt peccatũ*, Rom. 14.23. Heb. 6. Econtrà Lutherus colligi ac ſequi innuit. Quum verò homo regeneretur gratia vel *per gratiam Dei gratum facientem*, virtute Spiritus ſancti tum eum libero ſuo arbitrio antea tantùm ad peccatum prono ſic emendari & inſtrui, ut quæ Dei ſunt atque ad ſalutem æternam faciunt, cognoſcere & velit, & poſſit perficere, atque ad bonas actiones alacriter feratur. Hæccine ſunt hæreſis? hæcne ſunt Manichæiſmus? Apage.

Ante gratiam lib. arbitrium peccare tãtùm.

Prius membrum propoſitionis Lutheri, *ante gratiam liberum arbitrium tantum peccare*, è centum ſacræ Scripturæ locis duobus his in præſenti maximè probamus. Paulus 1. Cor. 2. 14. ait; *Animalis homo non eſt capax eorum, quæ ſunt Spiritus Dei*, id eſt, ſpiritualium & divinarum rerum; *ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere; quia ſpiritualiter dijudicantur*. Quod hanc nobis argumentationẽ ſuppeditat. Si homo non poteſt capere ſpiritualia ſuo arbritio animali, id eſt, naturali & libero, peccat & hallucinatur in iis. At conſtat primum ex Paulo 1. Cor. 2. 14. Conſtat igitur & ſecundum. Deinde, idem Rom. 8. 7. ait, *Intelligentia carnis*, ſub. liberum arbitrium, *inimicitia adverſus Deum, Legi enim Dei non ſubjicitur, nam ne poteſt quidẽ.* Ex quo ſic concludimus: Si intelligentia hominis ac liberum arbitrium per ſe eſt inimicitia adverſus Deum, & Legi Dei ſubjici non poteſt, certè hallucinatur & peccat per ſe contra Deum & Legem ejus. Verum prius. Verum igitur & poſterius. Δύνασθαι enim & οὐ δύνασθαι, poſſe & non poſſe pugnant. *Joh. 3. 4.* Et qui legem non facit, peccatum cõmittit. At intelligentia carnis, id eſt, liberum hominis arbitrium legem nõ facere poteſt. Ergo liberum hominis arbitrium peccatum committit. Quæ confirmari poſſunt dictis Gen. 6. 3. *Non diſceptabit ſpiritus meus cum homine in ſeculum, eò quod ſit etiam caro.* Math. 7. 18. *Non poteſt arbor putris fructus bonos ferre.* Joa. 15. 6. *Niſi quis in me manſerit, ejectus extra vineam ſtatim ut palmes areſcet; deinde coguntur iſti palmites & in ignem conjiciuntur & ardent.* Rom. 7. 14. *Scimus, quod Lex ſpiritualis eſt, at ego carnalis ſum venditus ſub peccatum. Quod enim perpetro, non agnoſco: non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi, hoc facio.* Gal. 5. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem. Hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque volueritis, eadẽ faciatis.*

Poſt gratiã liberum arbitrium bonum intelligere, velle & perficere poteſt.

Poſterius membrum propoſitionis Lutheri, nempe *poſt gratiam gratum facientem* divinitus acceptam Liberum hominis arbitrium in regeneratis à peccatis averti, ſpiritualia & bona intellectu cognoſcere, voluntate amplecti, viribusque perficere, præter locum Apoſtoli Philip. 2. 13. probat Chriſti hoc dictum, *Amen, Amen dico tibi, niſi quis fuerit genitus denuo, non poteſt videre regnum Dei.* *Joh. 3. 3.* Ergo renatus poteſt videre poſt gratiam datam. Et paulo poſt. *Homo non poteſt recipere quicquam, niſi fuerit ei datum è cœlo. Item, Si vos filius vindicaverit, verè liberi eritis.* *Joh. 3. 27. & 8. 36.* Pſal. 80. ℣. 4. *Deus*

Digitized by Google

converte NOS, *& lucere fac faciem tuam, & SERVABIMUR.* Per Ezechielem dicit Dominus: *Et ſpargam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab omnibus idolis veſtris mundabo vos. Dabóque vobis cor novum, & ſpiritum meum dabo in medio veſtri, & auferam cor lapideum è carne veſtra, dabóque vobis cor carneum. Et Spiritum meum dabo in medio veſtri, efficiámque ut in præceptis meis ambuletis, & juſta mea cuſtodiatis, & faciatis illa.* Hoc Chriſtus Petro ait: *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis.* Et Apoſto- 1.Cor.3.10.dicit: *Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut peritus architectus fundamentum poſui.*

Ezech. 36. 26.27.

Math.16. 17.

Ubi inprimis obſervanda eſt Apoſtoli diligentia, qui licet de opere ſuo non taceat: tamen gratiæ Dei ſic meminit, ut huic tribuat omnia, faciens eam libentiùs operatricem quàm cooperatricem, imò Deum per ſuam gratiam faciens operantem, ſeſe verò cooperantem. Nec tamen damnandum, ſi quis hac in re verbo cooperandi utatur, quo uſus eſt Marcus Euangeliſta, dicens: *Illi verò egreſſi, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, vel unà operante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia.* Nam externam prædicationis Euangelicæ operationem ad Apoſtolos & miniſtros gratiæ Dei adjutos, ejus verò vim & effectum ad Deum refert, qui ſolus in animos noſtros jus habet & imperium, ſolusque interna Spiritus ſui virtute & operatione eos flectit ad converſionem, fidem, aliáq; bona; ſicut Ezechiel.36.27.promittit. Malim tamen imitari Apoſtoli modeſtiam & induſtriam, qui maluit dicere: *Secundùm gratiam, quæ data eſt mihi, fundamentum poſui:* Item: *Sumus cooperarii Dei,* vel Dei ſumus adminiſtri, quàm Deus eſt cooperarius & adminiſter noſter. Id quod nuſquam dixit, quod ſciam: ſed ubicunque operis Dei meminit, facit eum operantem in nobis potiùs quàm cooperantem. Exempli gratiâ. 1.Cor.15.10.11. *Gratia Dei,* inquit, *ſum id, quod ſum, & gratia Dei in me profecta non fuit inanis, ſed ampliùs quàm illi omnes,* ſcilicet reliqui Apoſtoli, *laboravi, non ego tamen, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.* Hîc videtur utrumque opus divinæ gratiæ ita complexus, ut quod dicit, *gratia Dei ſum, quod ſum*, ad prævenientem & operantem: & quod ſubjungit; *Et gratia ejus in me non fuit inanis, ſed ampliùs vel abundantiùs quàm illi laboravi,* ad ſubſequentem & cooperantem gratiam pertineat. Unde & addit: *Non ego tamen, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.* Laboravi, ait: Verùm ne hoc ſibi dare videatur, certè ſubjungit: *Non ego.* Rurſus ne fruſtrà & mendaciter dixiſſe videatur, *quod laboraverit plus omnibus,* non dicit ſimpliciter; *Sed gratia Dei,* verùm addit, *quæ mecum eſt:* ut innuat, ſe per gratiam Dei cooperantem adjutum, ampliùs cæteris eſſe operatum. Nec facit hoc præter rationem. Convenientius ſiquidem eſt, ut vocetur operans quàm cooperans, cujus eſt operis conſilium, ſapientia, virtus, gubernatio, effectus, perfectio, adeóque totum opus. At hæc omnia ſunt non noſtræ voluntatis, & noſtri arbitrii, ſed divinæ gratiæ. Hæc operatur in nobis omnia, nos ſumus loco organorum. Præter Metonymiam effecti, quâ ex effectu cauſſa ſignificatur, ſubeſt hîc Epa-

Marc 16. 20.

Epanorthoſis & correctio, quæ ſimpliciter tollit & corrigit id, quod dictum erat, & ejus loco commodius, magis proprium & ſignificantius ponit.

Luthero Patres opitulantur in gratia circa liberum arbitrium.

Succurrit Luthero conſenſus Patrũ. Auguſtinus in Pſal. 142. *Noli putare*, inquit, *aliquid te operari, niſi in quantum malus es & averte te ab opere tuo, ad opus illius, qui fecit te, ipſe format, & ipſe quod formaverat, & quod tu exterminaſti, reformat*. Idem de verbis Apoſtolis, ſermone 13. *Hoc poteſt voluntas mea*, ait, *hoc poteſt liberum arbitrium meum, quod liberum arbitrium niſi ille regat cadis, niſi ille regat jaces*. Et paulo poſt: *Prorſus ſi defuerit Dei adjutorium, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non juvante libera voluntate, ſed malè. Ad hoc idonea eſt voluntas tua*, q̃ *vocatur libera, ut male agendo fit damnabilis ancilla*. Ubi hic libertas in bonum? Et Epiſtola 107. *Non eſt gratia Dei in natura liberi arbitrii, in Lege atque doctrina, ſicut Pelagiana perverſitas deſipit, ſed ante ſingulos actus datur illius voluntate, de quo ſcriptum eſt: Animam voluntariam ſegregabis Deus hereditati tua, quia & liberum arbitrium ad diligendũ Deum primi peccati gravitate perdidimus. Et lex Dei atque doctrina quamvis & ſancta, & juſta & bona ſit, tamen occidit, ſi non vivificat ſpiritus, per quem fit, ut non audiendo, ſed ut obediendo, non lectione ſed dilectione teneatur*. Ac cõtra duas Epiſtolas Pelagii lib. 2. cap. 10. *Nihil*, inquit, *in Scripturis ſanctis homini à Deo video juberi propter probandum liberũ arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel poſci propter adjutorium gratia demonſtrandum.* *Pſal. 67.*

De prædeſtinatione & gratia cap. 11. *Exeat nunc*, inquit, *liberi contra Dei gratiã defenſor arbitrii, audiat dicentem Apoſtolũ, quum de bonis ſuis laboribus loqueretur*; Nõ ego autem, ſed gratia Dei mecum. *Audiat Dei vocem in Pſalmo de his, quos deſeruerat, dicentem*: Et dimiſi eos ſecundũ deſideria cordis eorum; ibunt in volũtatibus ſuis. *Audiat unum eundémque Apoſtolum de vita ſua variis temporibus ſibi tantùm mala, gratia autem Dei bona omnia tribuentem. Qui prius fui* blaſphemus & perſequutor. Et alias: Gratia Dei ſum id quod ſum. *Quum diceret Qui prius fui blaſphemus & pſequutor, nulla gratia mẽtio iniquo operi copulabatur, quia ſuffecit ſibi, ſicut dictum eſt ad nequitiam natura libertatis humana. Quum verò de præſentis vita beatitudine loqueretur, Gratia, inquit, Dei ſum id, quod ſum.* Vide oro, quàm Auguſtinus totus Luthero ſuffragetur? *1. Cor. 15. 10. 11.* *Pſal. 80.* *1. Tim. in. 13.*

Haymo in 1. Cor. 15. ſcribit: *Per liberum arbitrium Paulus cooperatus eſt gratia Dei. Ipſa tamen Gratia prævenit eum, ut vellet, & ſubſequuta eſt ut poſſet implere, quod volebat.* Item ſuper 91 Pſalmum: *Nullus bene agit, niſi te Deo, non ipſo, operante.* Et in 2. Cor. 3. *Non ſolùm non valemus bonum aliquod perficere ſine Dei miſericordia & gratia præcedente & ſubſequente, ſed nec cogitare. Dei enim gratia nos prævenit ut velimus, & ipſa nos ſubſequitur, ut poſſimus.*

Hieronymus adverſus Pelagianos: *Nos*, inquit, *ex eo differimus à brutis animalibus, quod liberi arbitrii conditi ſumus. Sed ipſum liberum Arbitrium* DEI NITITUR AUXILIO, *illiusq; per ſingula ope indiget.*

Gratia pro infuſo habitu & qualitate inhærente perperam à Papiſtis ſumitur.

Deinde, ſiniſtrè gratia à Romanæ Eccleſiæ doctoribus accipitur pro habitu charitatis, vel dono infuſo & qualitate in homine inhærente. Diſputat Bellarminus lib. 1. de gratia & Lib. Arbit. c. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *prolixè* de eo; *an ſit revera aliqua*

Digitized by Google

aliqua habitualis gratia gratum faciens, ſeu juſtificans. Ac *duo* de ea tradit.

1. *Unum* eſt, eam eſſe *charitatem Dei paſſivam*, qua is à nobis diligitur, hoc eſt, qualitatem nobis ſubjectivè in hærentem, ſeu per modum habitus in homine permanentem; *nō* autem *eſſe charitatem Dei activam erga nos*, ſeu favorem & benevolentiam divinam, extra hominem in Deo ipſo conſideratam.

Argumenta ejus præcipua ferè hæc ſunt. 1. Rom. 1. dicimur ſic *juſti* conſtitui per obedientiam *Chriſti*, uti *peccatores* conſtituimur per inobedientiā *Adami*. At formaliter injuſti ſumus, per injuſtitiam nobis in hærentem, licet ex Adami inobedientia ortam. Ergo ſimiliter juſti & Deo grati ſumus per juſtitiam & gratiam in nobis inhærentem, licet ex Chriſti juſtitia ortam.

2. Johan. 4. 14. & 7. 38. confertur gratia Spiritus ſancti, quatenus ad ſalutem in Chriſto nobis data eſt, *fonti aquæ ſalientis ad vitam æternam*, &c. Ergo illa gratia ſubjectivè nobis inhæret, inſtar habitus.

3. Rom. 5. 5. & Tit. 3. 5 6. dicitur *charitas* Dei, item *Spiritus ſanctus in corda noſtra effuſus*, &c. Ergo hæc gratia verè & ſubjectivè in ipſis animis hæret, & non eſt extrinſecus Dei favor, &c.

4. Eadem Dei gratia, ſeu ſpiritus ſanctus confertur, *pignori, ſigillo, unctioni, ſemini*, &c. rebus videlicet creatis & permanentibus 1. Cor. 1. 22 & 5. 5. item 1. Joh. 2: 27. & 3. 9. &c. Ergo gratia ipſa eſt qualitas nobis inhærens.

5. Patres etiam docent, *animam nobis* non modò à Deo *infundi*, ſed etiam ab eodem *ornari*, pingi, veſtiri & ſic domū Deo gratam atque amabilem effici. Atque hoc totum de gratia juſtificante intelligunt. Vide loca apud ipſum Bellarminum citata.

6. Deus quum ſit immutabilis, & per naturam diligat tantùm juſtos, oderit autem injuſtos, non poteſt hominem priùs verè diligere, quàm revera is in animo ſuo mutatus ſit. Ergo gratia illa, propter quam homo à Deo diligitur eſt, ſanctitas homini inhærens, non autem favor aut benevolentia Dei.

7. Nec poteſt homo opera ſupernaturalia exercere, quibus ad finem ſupernaturalem perveniat, quin priùs ex Dei domo habeat formam, ſeu habitum ſupernaturalem, per quem ſupernaturaliter operari queat.

8. Denique *Sacramenta*, præſertim Baptiſmus, gratiam revera conferunt, nō quidem actualem ſed habitualem, præſertim quum etiam infantibus, amentibus, dormientibus proſint, &c. Atque hoc de primo ſufficiat.

Alterum eſt, gratiam illam reipſa nō differre ab habitu charitatis, qua nos Deum diligimus. Nec eſſe ipſum Spiritum ſanctum, ſed virtutem ſeu donum ejus creatum, licet alioqui ſpiritus ſanctus nomine ſæpè appelletur. 2.

Rationes pro *priore membro* theſeos, hæ ſunt illius.

1. Patres & concilia quædam ita ſtatuunt, præſertim Auguſt. in pſal. 118. & alibi paſſim. Ergo res ita eſt.

2. Sacræ literæ docent, per charitatem illam, ſeu per fidem vivam ex charitate operantem, dari nobis eſſe ſpirituale, hoc eſt fieri nos Dei filios & amicos, &c. Gal. 3. 7. 26. & 5. & 6. 1. Joh. 3. 1.

Digitized by Google

3.1. & 4.16. Ergo charitas hæc eſt Gratia juſtificans.

3. Docent etiam, per eandem charitatem Deum adduci, ut nos diligat, &c. Prov. 8. 17. *Diligentes me diligo*, &c. Joh. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Sic 1. Joh. 5. & 4. Item Luc. 7. & paſſim. Ergo eſt ipſa gratia juſtificans.

4. Denique charitas hæc fundamentum eſt amicitiæ noſtræ, quam cũ Deo habemus (prout ſimile diligit ſimile) & proprium divini erga nos amoris effectum; & formaliter per eam juſtificamur, &c. Ergo eſt ipſa habitualis gratia gratum faciens.

Pro altero membro ſunt hæ illius rationes. 1. Rom. 5. 5. *Diffuſa* dicitur *charitas in cordibus noſtris*, &c. Quod propriè in ipſam Spiritus ſancti perſonam non cadit, ut qui nonniſi ratione donorum effundi dicitur, Act. 2. Ergo de effecto ejus intelligendum eſt.

2. Auguſtinus de Spiritu & litera, c. 32. Chryſoſt. homil. 32. in prior. Cor. & alii veteres idem docent. Ergo res certa eſt.

3. Secus vel involuntaria, vel ſaltem minùs prompta & expedita eſſet noſtra erga Deum dilectio, ſi immediatè ab ipſo Spiritu ſancto in nobis habitante, & non ex habitu proprio nobis inhærente, prodiret: & Spiritus ſanctus nõ rectè in infantibus habitare diceretur, quippe in quibus actualem charitatem nullam producit, &c. Ergo eſt donum Spiritus ſancti, & non ipſe Spiritus ſanctus eſſentialiter.

Solutio Euangelicorum.

RESPONDEMUS: *Primò*, argumenta Bellarmini *duplicem* inprimis ſophiſticam continẽt. Nam & *juſtificationem* cum *ſanctificatione*, ſeu converſione, temerè commiſcent, & *diverſos* charitatis divinæ *gradus* (reſpectu vel omnium hominum, vel electorum tantùm; item vel jam converſorum, vel adhuc averſorum à Deo) imò *diverſas* ejuſdem vocis *ſignificationes* inter ſe cõfundunt. Etenim locus ille Rom. 5. 5. item. 1. Joh. 2. 3. nequaquam agunt de *charitate Dei paſſiva*, quâ videlicet ipſe à nobis diligitur; ſed de *activâ*, quâ ipſe nos diligit, ſicut ex omnibus utriuſque loci circumſtantiis apparet. Nec refert, quòd in *priore* loco dicitur, *illam charitatem in cordibus noſtris diffuſam eſſe*: quia de ſenſu & cognitione illius agitur, quæ certè in animis noſtris exiſtere ſolet, ac debet. Atque hæc etiam *homonymia* in aliis locis citandis admittitur.

Quæ autẽ loca de *Spiritu ſancto* Metonymicè pro donis ſuis accepto, ſeu de gratia Dei habitualiter in nobis hærente, differunt: ea quidem oſtendunt (quod extra controverſiam eſt) veram pietatem inſtar habitus in Chriſtianis reſidere, quæ Deo revera placeat, quæque ipſos in oculis Dei gratos & ampliùs amabiles reddat, idque ſine ulla Dei mutatione: non tamen ex iis ullo modo efficitur, habitualem hanc ſanctitatem eſſe ipſam *formalem* rationem noſtræ coram Deo juſtificationis, ſive eſſe ipſam formalem juſtitiam, cujus propria vi, ſeu precio & dignitate coram Deo conſiſtere poſſimus, excluſâ interim priori illâ & principali gratiâ Dei, quam ſuprà deſcripſimus.

Deinde reſpondemus, imperitè ab Adverſariis hîc habitualem in renatis Dei gratiam & gratuitam benevolentiam commiſceri, quæ plurimum inter ſe differunt. Fatentur enim noſtri qui-

Digitized by Google

dem, in renatis, ſeu fidelibus eſſe *gratiam* quandam *Dei habitualem*, ab ipſa Spiritus ſancti eſſentia verè diſtinctã, quæ per activam noſtram charitatem, ſeu fidem vivam, ſeu novam creaturã, &c. rectè deſcribatur. Cujus reſpectu etiã fideles aliquatenus Deo placeant, ſive chari & accepti ſint, quippe cui non poteſt nõ ſuum in nobis opus placere. Sed tamen principale fundamentum noſtræ cum Deo amicitiæ, non in aliquo ejuſmodi habitu noſtro, ſed *in ipſa Dei miſericordia & gratuita benevolentia* (prout ipſe Bellarminus tandem capite 7. videtur agnoſcere) diſertè conſtituunt. In ſumma aſſerimus, *præcipuam* gratiæ juſtificantis ſive ſalvantis *ſignificationem*, ac ipſam Dei activam erga nos charitatem & miſericordiam, non autem ad noſtrã erga Deum charitatem, aut qualitatem aliquam nobis inhærentem, referri debere.

Itaq; pro Euangelicis hęc argumenta ſtant. 1. Joh. 3. 16. dicitur: *Deum mundum dilexiſſe, & Filium ſuum dediſſe*, & quidem in eum finem, ut per ipſum ad fidem, & porrò ad ſalutem perveniremus. Ergo gratia Dei ſalutaris, quæ per dilectionem hanc ſignificatur, nobis contigit, antequam nos ullo modo Deum diligeremus, hoc eſt, ante fidem & converſionem noſtram. Et proinde gratia illa non eſt charitas noſtra.

2. Rom. 5 8. 9. 10. dicitur: *Deus ſuam erga nos charitatem in eo commendare, quòd Chriſtus pro nobis mortuus eſt, quum adhuc inimici ipſius eſſemus*. Ergo gratia illa Dei minimè fundata fuit in aliqua noſtra qualitate, aut habitu. Confer Roman. 3. 24. *Juſtificantur gratis per gratiam ipſius, per redemptionem factam per* Jeſum *Chriſtum*.

3. Epheſ. 1. 4. & 2. Timoth. 1. 9. dicitur: *Gratia Dei nobis data in Chriſto ante tempora ſecularia*, &c. Item, *Ad hoc data, ut eſſemus ſancti & inculpati*, &c. Atqui non fuit, nec eſſe potuit ab æterno habitualiter in nobis aliqua talis qualitas: nec iſta ſanctitatem verè in nobis efficit, quum ſit ipſa ſanctitas, &c. Ergo nec fundamentum illius in noſtro aliquo habitu quæri debet, ſed tantùm in ipſa Dei miſericordia.

4. Sic 1. Johan. 4. 9. & 19. dicitur: *Nos diligimus eum, quia ipſe prior nos dilexit*. Ergo charitas ejus antecedit omnẽ gratiam nobis inhærentem: nec proinde poteſt illa in iſta fundari. Et conſequenter gratia juſtificans præcipuè eſt charitas Dei erga nos.

5. Denique, ſi gratia illa Dei, per quam principaliter juſtificamur, eſſet charitas nobis inhærens, vel in ea fundaretur: jam nec liberrima, nec purè gratuita eſſet, hoc eſt, non à mera Dei bonitate & libera voluntate, ſed à noſtra diſpoſitione & qualitate penderet. Aut ſaltem juſtitiæ potiùs, quàm liberalitatis & miſericordiæ rationem haberet; contra quam paſſim Rom. 3. & 4. & 5. de gratia Dei juſtificante traditur. Et tribuendo noſtræ charitati habituali gratiam gratum facientem, Dei liberalitas reſpueretur & conculcaretur, nec Apoſtoli admonitio obſervaretur, quâ inquit: *Quid habes, quod nõ acceperis. Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* 1. Cor. 4. 7. Et ſic hactenus Lutherum vindicavimus tam à furioſa Adverſariorum condemnatione, quàm ab hæreſeos Manichææ ſuſpicione.

Sistatur nunc, etiam Calvinus reus

reus,& num is ſimiliter defendi queat necne, videatur. Scribit igitur Calvinus: *Dicimus naturali hominem vitioſitate corruptum, ſed quæ à natura non fluxerit. A natura fluxiſſe negamus, ut ſignificemus adventitiam magis eſſe qualitatem, quæ homini acciderit, quàm ſubſtantialem proprietatem, quæ ab initio indita fuerit. Vocamus tamen naturalem, ne quis ab unoquoque prava conſuetudine comparari putet, quum hæreditario jure univerſos comprehenſos teneat. Neque id ſine authore facimus. Eâdem enim cauſsâ nos omnes eſſe naturâ filios iræ, docet Apoſtolus. Quomodo creaturæ omnium nobiliſsimæ infenſus eſſet Deus, cui placent infima quæque opera ſua? Sed operis ſui corruptioni magis infenſus eſt, quàm operi ſuo. Ergo ſi ob vitiatam humanam naturam non inſcitè dicitur homo naturaliter eſſe Deo abominabilis, non etiam ineptè dicetur naturaliter pravus & vitioſus. Quemadmodum non veretur Auguſtinus, ratione corruptæ naturæ, naturalia dicere peccata, quæ in carne noſtra neceſſariò regnant, ubi abeſt* DEI GRATIA.

2. Calvinus inſons. Inſtitut. c 2. diſt. 15.

Epheſ. 2. 3.

Ex quibus ſanè liquidò conſtat, Calvinum minimè facultatem liberi arbitrii omnem tollere more Manichæorum, ſed tantùm aſſerere, vitioſum eſſe redditum è hæreditaria culpa primorum parentum, unde peccatum naturaliter nullâ gratiâ Dei id corrigente perpetratur: at peccatum evitari aut condonari, gratiâ Dei libero arbitrio aſſiſtente. Et quum Adverſarii inde colligant, Calvinum Deo tribuere mali initium, ſi vitioſitatem in libero arbitrio & totâ humanâ naturâ ſtatuat, nullam verò libertatem tolleret, refellit id ipſe eo, quòd vitioſitas humanæ naturæ magis ſit adventitia qualitas, quàm ſubſtantialis proprietas, quæ ab initio ei indita fuerit. Ac tandem ideò ſe manifeſtè à Manichæiſmo longiſſimè abeſſe dicit, inquiens: *Ita evaneſcit ſtultum Manichæorum nugamentum, qui quum ſubſtantialem in homine malitiam imaginarentur, alterum illi conditorem affingebant, ne juſto Deo viderentur mali cauſſam & principium aſsignare.*

Idem rurſus Inſtit. cap. 6. ſect. 7. ait: *Deum eſſe Numen æternæ, infinitæ ſpiritualis eſſentiæ, apertiùs Scriptura paſsim pronunciat, quàm ut in probatione diutiùs immorandum. Nam quòd abuti teſtimoniis quibuſdam* MANICHÆI *adſtatuenda duo principia auſi ſunt, mera fuit inſania.* Ita Calvinus.

Quapropter, quòd Bellarminus capite 9. de notis Eccleſiæ Calvino intendit: *In hoc Calvinus magis impius Manichæo, quòd Manichæus Deo malo tribuit mali initium, Calvinus Deo bono, qui nullam libertatem poſſit tolerare*, impia calumnia eſt. Et quis malus Dæmon Jeſuitam illum ad hanc calumniam in Calvinum impulit? Si enim penitiùs verba ipſius Calvini inſpexiſſet, hunc liberum arbitrium in primo peccatore non negaviſſe, neque Deum mali auctorem facere vidiſſet.

Calumnia in Calvinum jacta ab ipſis Adverſariis abſtergitur.

Ea de cauſſa Calvinus ab aliis ipſorummet Papiſtarum defenditur. Primùm ab ipſo Bellarmino, alibi dicente: *Calvinus* CONCEDIT *hominem præditum fuiſſe libero arbitrio ante lapſum, ſed nunc eo carere.* Hinc quòd Calvinus vocabulum liberi arbitrii intermitti vellet, excuſatur ab ipſo quoque Bellarmino lib. de lib. arbit. cap. 5. inquiente: *Dicit eſſe vocabulum ambiguum, in altero ſenſu bonum, in altero falſum. Ergo eſſe* VITANDUM *&* VALLA *etiam optabat nomen è medio tolli de contrario.*

Bellarm. lib. 4. de grat. & lib. arb. c 7. de grat. primi hominis c. 1. 5. In eodē.

Et

Digitized by Google

Et F. TOLLETUS comment. in Johan. 6. ſcribit: *In hoc* (nempe vocabulo αὐτεξουσίου uſurpãdo) *Chryſoſtomus, Cyrillus, aliique Doctores Græci* NON PROBANTUR.

Ac Maldonatus comment. in Johannis 6. cap. *Eſt eorum doctrina*, inquit, *nimis* AFFINIS *Pelagianorum* HÆRESI. Idem in Math. 7. *Manichæi*, inquit, *Arbitrium in utramque partem liberum tollunt. Calviniſtæ liberum tantum* IN BONUM *non in malum.*

Lib. 1. de imbecill. natura, cap. 12. Andreas Vega: Concedunt quidem Proteſtantes, inquit, libertatem ad juſtitiam Philoſophicam atque civilem, ſed NON AD SPIRITUALEM, atque divinam, hoc eſt, quoad legis externa, non interna.

Quamvis igitur *quatuor* inſignes adverſarii Calvini prudentiam & ſententiam orthodoxam approbaſſe videantur: operæ precium tamen erit audire amplius, quid ipſe dicat Reus. Nam in inſtitutione Chriſtianæ religionis *Inſtitut. c. 6. §. 28.* Symbolum Apoſtolicum explicans, ad primum articulum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ*, ſcribit: *Sub cœli & terræ nominibus cœleſtia omnia & terrena hic comprehendũtur: ac ſi Deus ſine exceptione diceretur rerũ omnium creator. Quod explicatius in ſymbolo Niceno habetur, ubi omnium viſibilium „ & inviſibilium vocatur conditor. Idq́ue factum eſſe propter* MANICHÆOS *verſimile eſt, qui duo principia ſomniabant, Deum „ & diabolum: ac Deo quidem tribuebant bonarum rerum creationem: malas autem naturas ad diabolum authorem referebant. „ Hunc errorem, quum & ubique in Scriptura „ damnetur, & Dei gloriæ palàm deroget, oportuit in commum confeſſionis formula repudiari ac confutari. Nam quod* UNICUM *habent* FUNDAMENTUM *Manichæi, „ nefas eſſe aſcribi Deo ullius rei malam creationem, id cum orthodoxa religione nimium „ pugnat: qua non admittit reliquam eſſe in „ mundi univerſitate malam naturam. Nam „ nec malitia tum hominis, tum diaboli, aut „ quæ inde naſcuntur peccata, ex natura ſunt, „* SED EX NATURÆ CORRUPTIONE: *nec ulla omnino creatura ab initio extitit, in qua non & ſapientia, & juſtitia ſua „ ſpecimen ediderit Deus. Jam verò quum nihil magis proprium Dei ſit, quàm æternitas „ & αὐτουσία, id eſt, à ſeipſo exiſtẽtia, ut ita loquar: qui diabolo hoc tribuunt, nonne quodammodo eum divinitatis ornant titulo? „ Deinde ubi erit omnipotentia Dei, ſi diabolo „ tale conceditur imperium, ut illo invito ac „ repugnante, quicquid voluerit exequatur? „ Merito igitur ea* INSANIA, *à qua pii omnes abhorrere debent, ſtatim in principio „ Symboli refellitur.* Tantum igitur abeſt, „ Calvinum Manichæorum hæreſin tenere, ut potiùs eam luculentiſſimè refutet.

Inter Manichæum & Calvinum quid ergo diſtat? Ille in natura creata liberum arbitrium negat: hîc tantùm in corrupta. Ille libertatem ad omne bonum, hic tantum ad bonum ſpirituale. *Diſcrimen inter Manichæi & Calvini doctrinam.*

LIBERI ARBITRII RATIO orthodoxè.

Refert autem plurimum orthodoxè totam liberi arbitrii rationem, quoad vocabulum & rem, hîc compendio complecti, ut Euangelicos omnes ab hæreſi Manichæa longiſſimè abeſſe, palàm eluceat & conſtet.

Vox liberi arbitrii qualis. Vocabulum liberi arbitrii in ſacris Scripturis nõ reperitur, ſicut nec Græcorum

corum

corum illud τὸ αὐτεξούσιον. Res tamen vocibus illis expreſſa habetur in ſacris literis, in quibus pro iis vox voluntatis ſolet uſurpari.

Nam τὸ αὐτεξούσιον, ſignificat *poteſtatem ſuiipſius*, vel τὸ ἀδέσποτον, quod nullius imperio ſubeſt, à nemine prohiberi vel impediri poteſt. Hoc autem nulli creaturæ convenit. Quare Græci Patres arrogantiùs & minùs propriè τὸ αὐτεξούσιον pro libero arbitrio in homine quovis ſumpſerunt: quum id vocabuli propriè ad ſolum Deum, non modò poteſtatem ſuiipſius ſolum habentem, verùm etiam ſolum omnipotētia præditum atqui omnipotentem, referri poſſit.

Liberi verò *arbitrii* vox tribui poteſt tum D E O *Creatori*, tum *rationali creaturæ*, hoc eſt, vel ſpiritibus, vel homini.

Ac nomine liberi arbitrii ſunt, qui intelligant liberam facultatem quidvis tam bonum, quàm malum agendi, propterea quod apud idoneos auctores P O T E S T A T E M ſignificat. Exempli gratiâ in hoc Ovidii verſu.

Te penes arbitrium noſtræ vitaq́ue necisq́ue.

Scholaſtici Doctores per *arbitrium* intelligunt *judicium mentis*: per *liberum* ipſam voluntatem. Quaſi liberum arbitrium ſignificet judicium, quod à mente factum voluntas vel eligit, vel reſpuit. Atqui nomen *liberum* adjectum eſt, non ſubjectum, eſtque epithetum additum arbitrio.

Itaque propriè liberum arbitrium non ſignificat facultatem vel bonum vel malum agendi, vel etiam judicii libertatem, vel potiùs facultatem volendi aut nolendi aliquid. Sed liberum voluntatis placitum, quod rationis ſeu mentis deliberationem ſequitur, & conſultationem. Seu liberam voluntatem, quâ quæ à mente vel intellectu objecta ſunt, voluntas vult aut non vult, eligit aut reſpuit. Eſtque non ſolum finium, ſed etiam mediorũ.

Definiri, aut deſcribi ſic poteſt. Liberum arbitrium eſt facultas mentis & voluntatis volendi aut nolendi, hoc eſt, eligendi vel repudiandi ſuo proprio motu ſine coactione id, quod intellectui ſeu mens eligendum aut repudiandum eſſe dictat. *Definitio liberi arbitrii.*

Sic A R B I T R I I voce intelligimus, M E N T I S ſeu I N T E L L E C T U S, tum *facultatem*, quâ mens de aliqua re ſibi propoſita judicare poteſt, tum ipſum *judicium* à mente ſecundùm iſtam facultatem peractum. *Arbitrii vox.*

L I B E R T A S, quam arbitrio tribuimus, propriè effectus eſt voluntatis quanquam radicem ſuam habeat I N T E L L E C T U & R A T I O N E. Illa generatim conſiderata, varia eſt. 1. Eſt ab imperio præcipientis, & obligatione obedientiæ præſtante, qua quis nemini ex debito eſt obnoxius, ſed ſui juris exiſtens in neminem peccat, quicquid faciat. 2. Eſt ab inſpectione, cura & gubernatione ſuperiore. 3. Eſt ab omni coactione. 4. Eſt à peccato & dominio illius. 5. Eſt à miſeria. *Libertatis vox.*

Ex iſtis L I B E R T A T I S modis *duo priores* ſoli Deo competunt, cui inde αὐτεξουσία tribuitur. Tantùm verò ad B O N U M Deo tribuitur liberum arbitrium: quia hæc eſt vera libertas, ut etiam dicit Paulus 2. Cor. 3. 17. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Eſt autem Deus ipſe Spiritus, & in beatos cœleſtes Spiritus maximè dominatur ac re- *Deo ut liberum arbitrium tribuatur.*

Digitized by Google

gnat. Ideo & *affectus* Deo tribuitur, quatenus omnes affectus ei tributi in Scripturis, ſunt effectus.

Creaturis ut tribuantur lib. arbitrium.

CREATURIS *autem duo prioris modi libertatis* non tribuuntur, nec conveniunt, utpote quarum liberũ arbitriũ à decreto Dei pendet, ita ut nec ſine decreto Dei, nec contra aut præter illud quicquam eligant, aut eligere poſſint. Ideo illis nullo modo poſſunt competere.

Reliqui autem modi HOMINI certo reſpectu conveniunt. Et ille quidem qui eſt libertas *ab omni coactione*, id eſt, à neceſſitate, competit homini, quia ne eſſet quidem voluntas futura, niſi libera ac ſpontanea, & à neceſſitate coactioneque ſoluta eſſet. Quæ *à miſeria* eſt libertas, competebat homini integro, & rurſus conveniet, quum corpore & anima in cœleſte gaudium tranſportatus fuerit.

Quæſtio in libero arbitrio eſt de libertate à peccato.

Sed de iſtis duabus etiam nulla eſt quęſtio, verùm de libertate *à peccato* vel malo & dominió ejus potiſſima eſt cõtroverſia. Eâ quæritur, An & quouſq; homini inſit libertas à malo vel peccato, & dominio illius; vel quæ ſint hominis vires ad bonum intelligendum, volendum, faciendum?

Ut autem commodiùs ad hanc quæſtionem reſpondere queamus, neceſſario *tum* boni objecti diſtinctio, *tũ* ſtatuum hominis diverſitas nobis conſideranda eſt.

Bona homini objecta triplicia.

Bona homini objecta *triplicia* ſunt, naturalia, humana, ſpiritualia. 1. *Naturalia* ſunt, circa quæ actiones illæ verſantur, quas homo cum brutis habet communes, quales ſunt comedere bibere, guſtare, dormire, & reliqua, quæ naturam animantis conſequuntur. 2. *Humana* ſunt, circa quæ actiones humanæ occupantur. Hujus generis ſunt loqui, ratiocinari, omnis generis artes exercere & reliquæ actiones, quæ ſoli quidem, attamen omni homini competunt. Et de hiſce duobus objectis nulla nobis eſt cum adverſariis cõtroverſia. 3. Bona *ſpiritualia* ſunt, quæ Deum ac regnum cœleſte concernunt, unde cœleſtia & divina dicuntur, hominique tantùm & bonis ſpiritibus, ut naturæ divinæ participibus, ſunt conſentanea.

Status hominis quadruplex.

Status item hominis *quadruplex* eſt: *Status* nempe primæ *integritatis*, in quo à Deo per creationem eſt conſtitutus; *ſtatus* inſequutæ *corruptionis*, in quem per peccatum præcipitatus, à priore integritatis eſt deturbatus; *ſtatus renovationis* & reſtauratę juſtitiæ, in quem per gratiam à Chriſto eſt reſtitutus: *ſtatus* denique *glorificationis*, in quem ex miſericordia Dei ſuo tempore transferetur.

Hîc ad cognoſcendum, quas vires Liberi arbitrii homo ſecundùm quatuor prædictos ſtatus habeat ad bona ſpiritualia (quia diſquiſitionem propoſitam reliquorum objectorum conſideratio non eſt magni momenti) quæ ſola verè bona ſunt & Deo placẽtia, intelligendum, volendum, faciendum, HOMO *tripliciter* conſiderari debet. Nempe 1. quoad primum hominem Adamum. 2. Quoad hominem non renatum. 3. Quoad hominem renatum.

1 Status integritatis.

I. In ſtatu igitur primævæ *integritatis* ante lapſum primo homini Adamo tribuitur liberũ arbitrium *flexibile*, tam

ad

ad bonum quàm ad malum, quod diſcrimen omnino notandum eſt. Aſſerimus enim 1. *de libertate ad bonum, mentem* hominis, clarâ lucis & veritatis cœleſtis, de Deo ejusque voluntate, quantum ad ſalutẽ hominis & gloriam Dei ſufficiebat, intelligentiâ præditam; *cor* juſtitiâ & ſanctitate verâ, ſalutarique boni amore imbutum: *vires* denique ad legem ſibi à Deo poſitam, perfectè præſtandam, abundè inſtructas fuiſſe. Imò VIRES liberi arbitrii extendiſſe ſe in Adamo ante lapſum ad prętanda ea omnia, quæ ipſius naturę conveniebant. Nam & *opera naturalia*, ut edere, bibere, quieſcere, dormire, ambulare: & *opera politica*, ut pacem colere, familiam adminiſtrare: & *opera religioſa* ſive pietatis, vel interna, ut Deum amare, Deo fidere, Deum invocare: vel externa, ut religionis exercitia, docendo, ſacrificando, &c. præſtare potuit.

Verùm 2. *quoad libertatem ad malum*, in hoc integritatis ſtatu non exiſtimandus eſt homo ita confirmatus fuiſſe, quin *tum* objecta boni alicujus ſpecie ad inordinatum deſiderium accendi, *tum* ab illa obedientia ad inobedientiam impelli, adeoque à Deo deficere poſſet.

Prius, nempe liberum arbitrium *ad bonum*, liquet 1. ex perfectione imaginis Dei, ad quam homo erat conditus, Geneſ. 1. 26. 27. Geneſ. 2. 17. Epheſ. 4. 24. Coloſſ. 3. 10. 2. Ex lege ipſi divinitus latâ, & promiſſionis comminationisque appendice additâ. 3. Ex analoga ejuſdem imaginis in Chriſto reſtitutione.

Poſterius, nempe liberum arbitrium *ad malum*, liquet evidẽter tum ex eventu, tum ex Scripturæ teſtimoniis, quibus apoſtaſia primi hominis nobis proponitur, Geneſ. 3. 6. Hinc Eccleſiaſtes cap. 7. 30. *Hoc inveni*, inquit, *quod Deus creavit hominem rectum, ipſi autem* (Adamus & Eva ſcilicet) *ſequuti ſunt vel inquiſierunt cogitationes multas.* Et Siracides cap. 15. 14. *Deus creavit hominem ab initio, & permiſit illum* ARBITRIO *conſilii ſui.* Unde S. Auguſtinus locum illum Eccleſiaſtæ explicat lib. 14. de civitate Dei cap. 11. in quo agit de lapſu primi hominis, in quo bene condita eſt natura, nec poteſt niſi à ſuo auctore reparari.

Inde Adamus præter vires illas integras etiam opus habuit Dei gratia: per quam videlicet conſervaretur in illa ſuę naturæ integritate, & ad illas actiones promoveretur. Nam non ſecus natura ejus fuit ac vitis, quæ viva & vera prædita eſt quidem ſuis viribus naturalibus ad producẽdum vinum, at etiam opus habet auxilio externo, tum pluviæ, tum Solis, naturales vires conſervante & movente, & ad effectionem operis naturalis promovente. Nam æterna eſt Chriſti propoſitio Johan. 15. 5. *Sine me nihil poteſtis facere.* Et Coloſſ. 1. 17. *Chriſtus eſt ante omnia, & per ipſum omnia conſiſtunt.* Item Apoſtolus Act. 17. 28. *In ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Qualis verò fuerit illa gratia, ex circumſtantiis vitæ ejus ante & poſt lapſum actæ colligitur. Nimirum tali gratia, quâ ſi vellet, poſſet ſanctè vivere, non tamen, quâ perpetuò & conſtanter vellet Deo adhærere. Si enim hanc gratiam perſeverandi in integritate prima accepiſſet, omnino perſeveraſſet, neque eâ excidiſſet. Sic Auguſtinus: *Acceperat poſſe, ſi*

Gratia primo homini neceſſaria.

Lib. de corrept. & gratiâ. c. 11.

Digitized by Google

ſi vellet, ſed non habuit velle, quod poſſet. Id eſt, Adamus acceperat gratiam, quâ poſſet, ſi vellet, non peccare: ſed non acceperat gratiam, quâ nollet, nec poſſet peccare.

Hinc igitur homo rectè dicitur, in ſtatu integritatis habuiſſe liberum arbitrium ad bonum & ad malum, ita ut vel illud vel hoc liberè ac ſponte eligere, & vel ſtare & perſeverare, vel labi ac peccare viribus liberi arbitrii poſſet.

Flexibilis cur homo primus. *Rom. 9. 20.* Si objicitur, cur Deus Adamum flexibilem fecit, & non potiùs talem, qui non poſſet, nec vellet unquam peccare? RESPONDEMUS, quis tu es, qui expoſtulas cum Deo? Sed tamen rationes etiam ſunt, ob quas talem condidit. I. Quia immutabilem eſſe, ſolius Dei proprium eſt, Numer. 23. 19. II. Quia ut peccare non poſſet homo, ſervabatur in cœlis, Math. 3. 6. III. Quia decretum Dei fuit, quemadmodum Auguſtinus ait. *De corrept. & gratia cap. 11.* Nimirum, *prius voluit oſtendere, quid poſſet liberum hominis arbitrium. Deinde, quid poſſet ſua gratia beneficium, & juſtitia judicium. Nam ſi talem creaſſet hominem, qui non poſſet peccare, nemo certè peccaſſet, & nemo opus habuiſſet gratiâ Chriſti, quâ liberaretur: nec etiam ob peccatum punitus fuiſſet homo, quod nõ commiſiſſet. Sic nec gratia, nec juſtitia locus fuiſſet; Nullo autem modo decebat, ut nos lateret, & quanta* GRATIA *Dei in Chriſto, & quàm* JUSTUS *ſit* JUDEX DEUS *in mundo.* Hæc ille.

Nec propterea excuſari debet primus homo à peccato, & Deus accuſari. Abſit enim hoc. Nam liberè homo peccavit, quum poſſet non peccare, & ſic ſponte ſibiipſi interitum accerſivit. At quòd non dederit illi Deus GRATIAM non poſſe peccare, factum eſt in majus hominis bonum, & illuſtriorem Dei gloriam. Unde, *primum noviſſimum erit, non poſſe peccare:* inquit Auguſtinus. Et hæc de primo hominis ſtatu dixiſſe ſufficiat.

II. In ſtatu autem *corruptionis* inſequutæ liberum hominis arbitrium ad verum bonum non modò eſt vulneratum & ſauciatum, ſed & perditum, amiſſum, & in ſervitutem peccati ac Satanæ præcipitatum: vireſque ejus non modò debilitatæ & languidæ, NISI ADJUVENTUR à GRATIA, ſed & nullæ ac emortuæ, niſi AB EADEM reſtituantur & vivificentur. Atque ita homo, ſicut & mali ſpiritus, ante regenerationem LIBERUM ARBITRIUM habet tantùm AD MALUM, quod etiam ſolum appetit & vult, NON ETIAM AD BONUM. Ad omne enim bonum, quod Deo placeat verè, ineptus eſt planè, neque illud ſuis viribus inchoare aut perficere poteſt. Imò non ſolùm nihil boni agere, ſed ne cogitare quidem poteſt. *2. Status corruptionis.*

Demonſtratur hoc *primò* ex miſerâda illa corruptione, quæ lapſum primi hominis conſequuta, juſtitiæ & ſanctimoniæ originalis decus ab eodem ſuſtulit, veram Dei cognitionem obſcuravit, amorem ac timorem erga Deum ſtudiúmque obedientiæ extinxit, vires ſpiritualia opera præſtandi enecavit, ècontra autem omnium vitiorum cumulum in ipſum invexerit: Gen. 3. & 4. Quamobrem liberum hoc arbitrium potius dici debet *ſervum arbitrium* (ut & Lutherus rectè toti libro de libero arbitrio titulum de ſervo arbitrio indidit) quia Chriſtus Joh. 8. 34. inquit *Liberum arbitrium potius ſervum in non renatis.*

inquit: *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Dicitur tamen liberum arbitrium ad malum: quia peccatum omne voluntarium eſt; & voluntas niſi liberè agat, voluntas non eſt, ſed noluntas.

Deinde, probatur idem conſideratione ſingularum hominis non regenerati facultatum. Nam 1. *intellectus ſpoliatus eſt* eximia illa *ſapientia* ſpirituali & ſalutari Dei, ejusque voluntatis cognitione, & obiutus eſt tenebris ignorantiæ ac cœcitatis, ita ut ſuis viribus res ſpirituales, etiam quum docẽtur, percipere non poſſit. Gen. 6. 5. 1. Cor. 2. & 3. 5. Rom. 1. 21. 22. Epheſ. 2. 1. & 4. 17. 18. &c. & 5. 8. Tit. 33. 1. Cor. 1. 18. Rom. 6. 17. 2. Pet. 2. 19. Job. 15. 16. Hanc mentis cœcitatem ſequitur 2. *cordis ac voluntatis pravitas*, qua id quod verè bonum eſt & Deo gratum, non ampliùs poteſt appetere, ſed odit & adverſatur; malum autem tantùm appetit atque vult. Quam perverſitatem Apoſtolus compendioſè depingit Rom. 7. & 8. Et hac de cauſsâ tot epithetis ipſum cor hominis in Scriptura inſignitur, Jerem. 13. 10. & 17. 9. Ezech. 36. 26. Gen. 6. 5, Math. 15. 19. Mentis cæcitati & cordis perverſitati 3. ex æquo reſpondet *Virium omnium impotentia*, ad id quod verè bonum eſt præſtandum, & malum quo decet modo omittẽdum. Hanc impotentiam manifeſtè Scriptura Math. 7. 18. & 12. 34. Joh. 6. 44. 2, Cor. 3. 6. & alibi depingit.

Intellectus corruptio.

Cordis & voluntatis pravitas.

Virium impotentia.

Hinc duo ſequuntur. I. Totũ hominem ante regenerationem in ſervitutem peccati redactum laqueis diaboli captivum teneri, & à vita Dei abalienatum tantummodò ad peccandum inclinare, imò in peccatis mortuũ eſſe, ut Scriptura Rom. 6. 16. Epheſ. 2. 1. 2. 3. docet. Quæ ſervitus tamen, quia homo concupiſcentiis carnis, & voluntati Satanæ non invitus, ſed ſpontè obſequitur, & ſtudio mali ac ſervitute peccati delectatur, libertatem voluntatis non tollit. Libero enim arbitrio præditus eſt ille in malo, qui & concupiſcit, & ſtudioſe ſectatur, & cum delectatione perficit quod malum eſt. Libera ſiquidem & non coacta eſt volũtas in concupiſcentia præcedente, in ſtudio ſubſequente, & tandem in operis delectatione. II. Sequitur, etiam hominem non renatum ſuis viribus ſe ad Deum convertere, hoc eſt, craſſæ illius ignorantiæ tenebras diſpellere, pravorumq; motuum & cupiditatum impetus propulſare non poſſe, ac proinde Dei Gratia ſingulari opus habere, quæ ſit activa quoad Deum, qua ipſius ope convertatur & juſtificetur, ut deinde ex ea ceu fonte omnis generis quoque gratuita dona in hominem promanent. Quod Scripturæ paſſim inculcant, tum converſionis opus humanis viribus prorſus adimendo, Jerẽ. 13. 23. Eccleſ. 17. Math. 12. 34. Joh. 6. 44. Rom. 8. 7. 1. Cor. 2. 14. 1. Cor. 3. 5. tum etiam idem Deo vel Gratiæ Dei ut cauſſæ ſolitariæ attribuẽdo. Iſa. 65. 1. Ez. 11. 19. Jerm. 17. 24. Threni. 5. 12. Math. 16. 17. & 20. 11. Luc. 8. 10. & 24. 45. Johan. 15 5. 11. Act. 16. 14. Rom. 19 30. 2. Cor. 3. 5. Epheſ. 2. 5. Philip. 16. & 2. 13.

III. In tertio autem ſtatu, *reſtaurationis* nempe & juſtitiæ reſtitutæ, Liberum Arbitrium eſt partim ad bonum, partim ad malum, hoc eſt, partim ad benè, partim ad malè operandum. *Ad bene*

3. Status reſtaurationis.

Digitized by Google

Joh.1.16. 17. Act.15.9. 11. Tit.3.5. 1.Pet.1.3. 23.

Regenerationis modus.

bene operandum fertur liberum arbitriũ, quia à Spiritu ſancto per Dei gratiam & per verbum renovatur natura hominis. Accenditur in mente nova lux & agnitio Dei ac voluntatis ejus ingenerantur in voluntate hominis novæ inclinationes,& motus cum Lege Dei congruentes. Suppeditantur vires ut jam Deo renatus homo cooperetur, ab ipſo tamen excitatus & actus Deut. 30.6.Ezech.36.26.1. Cor.3.17. 1. Joh. 39. Philip.2. 13. Heb.13. 21. Iſa. 55. 1.2.

Hinc homini renato tribuitur rectè Liberum Arbitrium ad bonum, ſed *ex parte tantùm*. Nam conſtat adhuc partim ſpiritu, partim carne peccatrice,& nondum habet plenam, perfectamque liberam voluntatem ad bonum, quam demum in futura gloria habiturus eſt.Rom.7.15.16.17.18.19. Gal.5.17.1.Cor.13.12.Joh 3.2 2.Cor.5. 1.2 3.4. *Ad malum*,ſeu ad malè operandum fertur liberum etiam renati hominis arbitrium, quia regeneratio in hac vita nec eſt momentanea, nec perfecta. *Momentanea non eſt*, quia uno momento non perficitur, ſed per quotidiana incrementa indies provehitur, ac promovetur. *Perfecta non eſt*, ob concupiſcentię originalis labem perpetuò etiam in ipſis renatis in hac vita remanentem, ut ſupra cap. 20. copioſe expoſitum. Hæc enim ut homini eſt ὁμόγενος ſeu ὁμόχρονος, ſic etiam eidem eſt σύγχρονος, ita ut vires ejus in hac vita nunquam penitus extinguantur, domeſticúſque ille tyrannus, dum mortale hoc corpus geſtamus, pelli prorſus à nobis non poſſit. Rationes & argumenta vide apud Chemnitium in examine Concilii Trid. de reliq. peccati Origin. item Pareum contra lib. Bell. de Statu peccati & repar. gratiæ, ubi ex multiplici illa deſcriptione, Rom. 7. concupiſcentiam veri peccati ream contra Pontificios illi peragunt.

Opera renatorum imperfecta.

Quia autem in hoc ſtatu reparationis duplex eſt in homine potentia, principium agendi internum, *ſanctitatis* nimirum,& *corruptionis*, primitiæ ſpiritus ac novi hominis,& reliquiæ carnis, veteriſque hominis, ſequitur *primò* opera renatorum etiam optima, eſſe *imperfecta*,& multis peccatorum ſordibus inquinata. Nam concupiſcentia etiam penitiſſimis animorum affectibus infixa manet, ipſamque cordis arcem occupat, adeò ut nihil vel cogitari, vel fieri poſſit, quod peſtilente illo contagio non inficiatur, Rom.7. à ℣. 13. uſque ad finem, 2.Cor.3.5.6. Sequitur *deinde*, etiam neminem in hac vita, quantumvis ſanctum, perfectam obedientiam lege requiſitam Deo præſtare poſſe. Demonſtratur hoc tum ex Scripturis, Pſal.130.3.& 143.2. Math. 6.12. Gal.5.17. 2.Cor.4 16. tum quia lex tantam perfectionem requirit, quanta in naturam poſt lapſum non cadit. Nimirum ut nulla non modo in nobis ſint vitia, ſed nec igniculi aut ſemina vitiorum, veraque ac perfecta ſanctitate & juſtitia præditi ſimus.

Obedientiam legi nemo perfectè præſtat.

IV. *Status gloriæ vel perfectionis.*

IV. In quarto autem ſtatu, qui *perfectionis & gloriæ eſt*, homo habet liberum arbitrium ad Bonum Tantum, non autem ad malum eligendũ. Hocque ita, ut non ſolùm non peccet, vel malum eligat, ſed ne peccare quidem, aut malum eligere ampliùs poſſit. Nam regeneratio & illuminatio vel

Digitized by Google

vel renovatio, quæ ſecundùm partes tantùm hîc inchoatur, tunc ſecundùm omnes gradus perficietur. Tunc enim quod nunc ex parte eſt abolebitur. Noſque non amplius per ſpeculum & ænigma, ſed coràm cernemus, 1. Cor. 13. 10. 12. Chriſtóque & Angelis ſimiles futuri ſumus, 1. Joh. 3. 2. Math. 22. 30.

Usus Doctrinæ De libero arbitrio.

Uſus hujus doctrinæ eſt, ut non hæreticè, ſed orthodoxè nos de libero arbitrio ſentire inde diſcatur. Ac nominatim cognoſcitur hinc, nos nomen liberi arbitrii quidem ferre, ſed diligenter diſtinctum, ſicut volumen veteris & novi Teſtamenti doceat. In quo licet antiquitas, excepto Auguſtino, & hodie plerique Pontificii nobis adverſari videantur, tamen veritas nobis favet.

Deinde perſpicitur clariùs, quanto intervallo à Manichæiſmo diſtemus & abſimus ab utraque parte, tam quoad Manichæi liberum arbitrium profligarunt, quàm quoad duo rerum, atque etiam peccati & mali principia ſtatuerunt. Nam nos affirmamus pia cum diſtinctione & explicatione, quæ ſacris Scripturis conſentanea eſt, liberum arbitrium. Illi id totum negarunt & expunxerunt. Neq; enim quiſquam noſtrûm docet aut ſentit, arbitrium in utramque partem liberum, nempe *tam in bonum, quàm malum*, eſſe nullum, ſic ut Manichæi fecerunt: ſed omnes docemus & ſentimus cum Scriptura, arbitrium liberum tantùm in Bonum nihil valere, in malum nimis ferax, incitatũ, & liberum ferri. Nos velis remiſque in Deo cauſſam peccati docentibus & ſentientibus obluctamur, & anathema denunciamus: *Manichæus cum Florino, Valentino & Simone Mago* ideo liberum arbitrium in bonum ſimul ac malum negarunt, quòd Deum auctorem mali & peccati crediderunt & docuerunt. Nam Deus corruptionis cauſſa non eſt, quia *concupiſcentia non eſt ex Patre, ſed ex mundo.* Et: *Nemo, quum tentatur, dicat ſe à Deo tentari.* Et probamus Bellarminum, qui lib. de gratiâ primi hominis cap. 6. Auguſtinum prolixè allegat, à Deo cauſſam peccati removentem.

Deum nullatenus peccati auctorem eſſe.

1. Joh. 2. 16. Jac. 1. 13.

Et quàm omnes nos Euangelium Jesu Christi amplexi ab ea opinione abhorreamus, quæ Deum auctorem peccati facit, ſuprà quidem cap. 17. contra Florini hæreſin multis probavimus. Jam verò ex hac noſtra doctrina de libero arbitrio idem ampliùs & luculentiùs conſtat. Nam ex ea diſcimus, *Deum nullatenus peccati fuiſſe auctorem* vel cauſſam efficientem, ſed quòd peccaverit Adam, hoc ex ipſius Adami libero arbitrio profectum eſſe, (quippe qui potuiſſet non peccare, ſi voluiſſet, quum nemo eum coëgerit, vel ulla neceſſitate conſtrinxerit, ut malè vellet) ac proinde eum eſſe inexcuſabilem.

Impia ergo in nos etiam Campiani eſt calumnia, qui Ratione 8. poſtulatæ à ſe diſputationis publicæ in Anglia ſtatim ab initio dicit: *Faxo, nôrint*, Euangelici ſcilicet, *iſta ſuorum axiomata. Deus eſt auctor & cauſſa peccati, volens, ſuggerens, efficiens, jubens, operans, & in hoc impiorum ſcelerata conſilia gubernans*, &c. Ac in margine notat, Calvin. Inſtit. lib. 1. cap.

Calumnia Campiani.

Digitized by Google

cap. 18. lib. 2. cap. 4. lib. 3. cap. 13. Petrus Martyr in 1. Sam. 2. Melanchthon in cap. Rom. 8. Witemb. 1554. Sic docet Luther. in aſſert. 36. & in reſponſ. 36. & in lib. de ſervo arbitrio. præfat. in annotat. Philippi in apolog. Eccleſ. Auguſt. &c.

Ad quæ cum Witakero ampliùs reſpondemus: Tertium eſt, quod dicis, & infandum Campiane, Deum ut quiſquam peccati auctorem faciat: dignus ſit, quem Dominus ſtatim fulmine ad imum inferorum barathrum dejiciat. Id ſi Calvinus, aut Martyr, aut Philippus, aut Lutherus, aut quiſquam noſtrum affirmet, non repugno, quin omnes ſimus horrendæ blaſphemiæ ſceleriſque rei. At innocentes planè nos hîc eſſe, numnon jam anteà ſatis magnâ copiâ eſt à nobis evictum? Si velim omnem iſtam cauſſam fuſiùs & latiùs perſequi, nullum finem faciam. Sed tamen, ut fortiùs profligetur Adverſariorum calumnia, denuo quid & nos doceamus, & illi calumnientur ac mentiantur, paucis exponemus.

Deum non tantũ bonum, ſed ipſam eſſe BONITATEM profitemur, per ſe, ſuamque eſſentiam bonum, in quo mali nihil inſit, á quo nihil, niſi bonum proficiſci poſſit; qui ſic bonus ſit, ut ejus facta omnia ſint valdè bona, nec vel cogitata ulla poſſint eſſe mala, affirmamus. Hæc dicimus, hæc docecemus, hæc corde credimus, & voce teſtamur. *Gen. 1. 31.*

Quæſtio antiquiſſima de mali origine.

Quum ergo Deus ita ſit perfectè bonus, ut ejus omnia excellenti quodam modo bona ſint, quæſitum olim eſt, & graviſſimè diſputatum, UNDE ILLUD MALUM NATUM SIT, quod tam latè manaverit, & quænam hujus mali cauſſa extiterit? Hanc quæſtionem tractavit Auguſtinus propter *Manichæos*, & in ea etiam Thomas Aquinas multum ac diligenter verſatus eſt. *Inſtit. 12.9. 79. art. 1. & 2.*

Hoc malum nos à Diabolo invectũ eſſe dicimus, qui etſi erat bonus à Domino factus initio, tamẽ libera voluntate à Domino defecit, & peccavit, & homini ut peccaret, perſuaſit, authórque fuit. Hinc quicquid eſt peccati vel in dæmonibus, vel in hominibus, totum fluxit, ejuſque à Deo nulla particula exſtitit. Quem nos nullius peccati auctorem eſſe infinitis Scripturæ teſtimoniis evincimus, atque in Scholis omnibus Eccleſiæ quæ proponimus. Peccatum enim odit, juſtitiam diligit; qui judex eſt totius terræ, eum eſſe omnium juſtiſſimum oportet. Deus lux eſt & non ſunt in eo tenebræ. Atq; huiuſmodi ſunt, quæ populum de Deo docemus, ut eum omnium peccatorũ ſeveriſſimum fore vindicem intelligant. *Gen. 3. Pſal. 5. 5. Zach. 8. 17. Gen. 18. 25. 1. Joh. 1. 5.*

Jam ergo qua fronte auſus es Campiane, quum hæc noſtra eſſe ſcires, nobis tam infandum convitium facere, ut planè contraria dicere ac ſentire affirmares? At Calvinus, inquit, & Martyr hoc ipſum docuerunt. Imò toti in eo ſunt, ut id fieri nullo modo poſſe confirment. Longum ſit veba deſcribere. Lectorem obteſtor, ut hæc ipſa loca, quibus ad calumniam abuſus eſt Cãpianus attento & ſedato animo perlegat. Niſi & negent illi apertiſſimè Deũ eſſe peccati auctorem, ac cauſſam, & quod negant, veriſſimè ſe negare probent, ſupplicium nullum recuſem.

Atta-

Digitized by Google

Attamen aliquid eſt procul dubio, quod iſti dicunt, quódque eis Campianus tribuit. Id cujuſmodi ſit, conſideremus.

Opinio Deũ eſſe peccati cauſam, unde ſit orta.

Inveteraverat quædã in animis hominũ opinio, quicquid peccati à quoquam fieret, id totũ permittente duntaxat, non autem volente Deo fieri: permiſſionem autem hanc ab omni prorſus Dei voluntate ſeparabant, ut Deum iſta, quæ permiſerat, NULLO TAMEN MODO VOLUISSE dicerent. Quum autem Dominus, quæ fiunt, ea non tantùm, ut fieri poſſint, permittere ſit exiſtimandus, quaſi ſe illis rebus omnino nõ intermiſceat, nec ibi quicquam habeat, quod agat, ſed etiam ſingulari ſua providentia ſic omnia moderetur, ut nihil in toto mundo contra, ac ipſe voluit, & decrevit, eveniat; velle Deum aliquo modo ea, quæ impii faciant, fieri, atq; hanc Dei voluntatem ſic eſſe efficacem, ut in impiis hominum actionibus ſuum Dominus decretum exequatur, negari profectò non poteſt.

In peccato duo conſideranda.

Nam in peccato duæ res ſunt conſiderãdæ, *ipſa actio & actionis vitium*: quod te tuus Aquinas quæſt. diſputat. part. 1. quæſt. 6. artic. 6. docere potuit, quódque ille didicit ab Auguſtino. ACTIO quatenus res eſt & opus, bona eſt: eam enim Deus efficit. At quatenus hæc ipſa actio VITIOSA eſt, non à Deo, ſed ab ipſa hominis corrupta natura proficiſcitur. Quanquam ergo Deus, qui omnia in omnibus operatur, & quo invito fieri nihil poteſt, ſuũ quoddam opus in malis hominum actionibus efficit: tamen ipſe, quæ juſta ſunt, facit, nec ipſorum hominum vitiis affinis ullo modo cenſendus eſt. Ergo quod homo impius facit, id, ut eſt peccatum & peccati propriam rationem habet, NEC vult, NEC ſuggerit, NEC jubet, NEC efficit Dominus; imò averſatur, atque ulciſcitur, & pœnâ ſempiternâ dignum judicat. Verùm quod de reipſa dicitur, id tu ad rei qualitatem malitioſè atque imperitè accommodas, ut Deum, quia actionis auctor eſt & cauſſa, vitii quoque quicquid in illa actione reperitur, auctorem eſſe cauſſamque concludas. Nolo longa diverticula perſequi, nec te illâ Scripturarum multitudine obruere, quam hîc potui adhibere. Non enim Schola mihi fuit aliqua explicanda: ſed tua putidiſſima calumnia breviter refutanda.

Reſponde nunc mihi, Campiane, cenſéſne, quod quiſquam facit, quantumvis ſceleratus, id invito ac nolente Deo fieri? Si ſtatuis INVITO & NOLENTE Deo quicquam fieri, quam illi providentiam atq; omnipotentiam relinquis? Nam, qui fieri permittit, quod nullo modo factum velit, eum conſtat non eſſe tanta poteſtate præditum, ut quod factum nolit, prohibere poſſit. Quare quæ fiunt omnia, ea fieri VOLENTE DEO neceſſe eſt fatearis, NON quod HOMINUM PECCATA VELIT, hoc eſt, probet, ſed quia hoc modo judicium ſuum exercet, & DECRETUM exſequitur, quod ille & VULT & PROBAT.

Deus malis inſtrumentis rectè uti poteſt, & per improbos homines ea perficere, quæ ipſius voluntati ſententiæque conveniunt. Quæcunque autem Dominus per inſtrumenta mala facit, ea nec agit, nec probat, ut ſunt

Digitized by Google

mala: ſed ut ſunt ipſius bona ac ſancta judicia. Ita quanquam & vult, quę fiũt, & hominum voluntates movet, & in malis inſtrumentis vim efficacem, ipſis licet inſtrumentis occultam, exercet, & impiorum hominum ſcelerata conſilia gubernat, ne quid efficere poſſint, quod ipſe nolit: tamen & homines impii ſunt, quanquam ea faciunt, quæ Dominus vult, & Dominus ſanctus eſt, etiamſi ea vult, quæ impii faciunt. Id exemplis poteſt fieri manifeſtum: ſed malo Auguſtinum audias quàm me.

Epiſt. 48. ad Vincent. *Quum Pater*, inquit, *tradiderit Filium & Dominus corpus ſuum, & Judas Dominum, cur in hac traditione Deus eſt juſtus, & homo reus, niſi quia in re una, quam fecerunt, cauſſa non eſt una, ob quam fecerunt?* Deinde: *Quod mali peccant*, inquit, *eorum eſt: quod peccando hoc vel illud agunt, ex virtute Dei eſt, tenebras prout viſum eſt dividentis.*

Atque alio in loco: *Multum*, inquit, *intereſt, quid* VELLE HOMINI, QUID DEO CONGRUAT, *& ad quem finem quiſque ſuam referat voluntatem, ut aut approbetur, aut improbetur. Nam Deus quaſdam voluntates ſuas utique bonas implet per malorum hominum voluntates malas, ſicut per Judæos malevolos bona volũtate Patris Chriſtus occiſus eſt, quod tantum bonum fuit, ut Apoſtolus Petrus, quando id fieri nolebat, Satanas ab ipſo, qui occidi volebat, diceretur.* Marci 8.33.

Et alibi: *Deus*, inquit, *induravit per juſtum judicium Pharaonẽ, & Pharao ſeipſum induravit per liberum arbitrium.* Teſtimoniis in hac cauſſa uti poſſem infinitis, ſed contentus erit pius tum ſupra capite 17. citatis, tum nunc in præſentiarum adductis.

Satiſne aliquando, Campiane, nullum novum in noſtris Eccleſiis paradoxum defendi, quod non & diu in Chriſti Eccleſiis receptum eſt, & illuſtrem habet veritatis defenſionem? Nam quod adjungit: *Proprium Dei opus fuit, ut vocatio Pauli, ſic adulteriũ Davidis, Judæq; proditio*, unde iſta hauſeris ignoro. Hæc Dei opera noſtrum nemo ſic inter ſe comparat, ut perinde in Davide, Judaque Deum operatum eſſe dicamus, ad ſcelera perpetranda, atque eſt in Paulo ad efficacem converſionẽ. Egit quidem Dominus & in hoc & in illis, ſed non uno ſimilique modo. Pauli cor intus ſuo Spiritu afflavit, ejuſque mentem vera fide imbuit, qua ille ante caruit. Davidi verò ac Judæ non novam aliquam impietatem, ac voluntatis inclinationem injecit, nec novos admovit ſtimulos ad peccandum (abſit, ut id quiſquam Chriſtianus vel cogitarit) ſed currentes ſua ſpõte & per ſe incitatos ſic tenuit atque inflexit, ut ignari, nihilque tale ſuſpicantes, Dei decretum exſequerentur. Iſto enim Davidis adulterio Dominus & ipſum Davidem ultus eſt, dum peccatum peccato vindicavit, ut ſolet, & viam ſuis conſiliis in poſterum patefecit. Simile illud eſt de Abſalomo. Is Davidis concubinas cõſtupravit, quod ſcelus infandum fuit. Sed tamen iſto modo Dominus ſumere de Davide ſupplicium decreverat. Judæ verò proditio, ſi hominis ipſius avaritiam perfidiamque ſpectes, Deo ſic diſplicuit, ut ipſum nihil unquam magis offenderit: tamen & Judæ proditionem, Pontificum crudelitatem ad perficiendum illud ſalutis noſtræ negotium Dominus adhibuit, & his inſtrumentis peſſi-

2. Sam. 12. 12.

Act. 4. 28.

peſſimis opus efficere longè diviniſſimum voluit. Itaque hos omnes Apoſtoli nihil aliud feciſſe teſtantur, quàm quæ manus & conſilium Domini decreverat facienda. Neque hîc monſtri aliquid, cujus aut Philippum aut quenquam pudere oporteat, niſi tibi fortè ſacræ Scripturæ doctrina monſtroſa videatur. Ita etſi nihil contingit in mundo ſine ſapientia & juſtiſſima Dei providentia: non tamen peccati auctor & cauſſa dici poteſt, ſed id à diabolo & homine ex libero arbitrio proficiſcitur, ut hîc noſtra doctrina ſana ſit.

Adhæc in negotio liberi arbitrii nos *gratiam Dei* meritò & rectè *prævenientem & ſubſequentem* ad bonum atque adeò totam juſtificationem, agnoſcere & prædicare, ex iſta doctrina elucet. Caſſander lib. conſult. art. 18. Ubi BONAVENTURAM & CASSANDRUM ipſos Pontificios ſuffragatores habemus. Hic enim ſcribit: *Hoc*, inquit, *Bonaventura, piarum mentiū eſt, ut* NIHIL SIBI *tribuant, ſed* TOTUM GRATIÆ DEI. *Unde quantumcunque aliquis det gratia Dei, etiam* SUBTRAHAT *poteſtati naturæ, aut* LIBERI ARBITRII, *à pietate non recedit. Quum verò aliquid* GRATIÆ DEI *ſubtrahitur, & naturæ tribuitur, quod gratiæ eſt, ibi poteſt periculum intervenire.* Erroris igitur maximè reos facit Bellarminus ſecum alios Pontificios, lib. de gratia primi hominis, cap. 4. & de gratia ac libero arbitrio libro 5. & 6. fingens *liberum arbitrium intus operans, foris auxilium Dei homini accedens, cooperans in bono opere,* ut quum equo ægrè currum trahenti equus alius accedit, cooperans: nimirum ut gloriam BONITATIS inter hominem & Deum ex æquo dividat. Scriptura verò hanc ſacrilegam cooperationem & boni diviſionem refellit: quoties totum noſtrum VELLE & PERFICERE IN BONIS, uni gratiæ Dei aſcribit.

Poſtremò obſervandum eſt noſtra illa doctrina de libero arbitrio, ut ſciamus multò tutiorem & perfectiorem & excellentiorem fore conditionem noſtram in cœlis, quàm fuerit Adami in Paradiſo, eoque multò plus recuperaſſe nos in CHRISTO, quàm in Adamo perdiderimus. Nam per illud liberum arbitrium, quod primus homo habuit, ſe & ſuos perdidit: per hoc tandem, quod ex CHRISTO homo plenè adipiſcetur, vivet in æternum, & ſe ſoli Dei voluntati perfectè ſubjiciet atque conformabit. Et hæc de priore Manichæorum hæreſi, noſtraque circa eam innocentiâ dixiſſe ſufficiat. Etſi enim eam arbitrii humani libertatem, quæ eſt ad bonum & malum ultrò & ex ſe æqualiter eligendum, negamus ex Dei verbo & Paulo, Phil. 2. 13. propterea tamen Deum nequaquam facimus peccati authorem, quemadmodum & nunc paulò ante, & ſuprà cap. 17. demonſtravimus.

II. MANICHÆORUM hæreſis.

II. *Hæreſis Manichæorum in rebus veteris Teſtamēti.*

Altera Manichæorum hæreſis hæc fuit, inquit Bellarminus de notis Eccleſiæ, cap. 9. *quod accuſabant veteris Teſtamenti Patres, ut Abrahamum, Samſonem, Saram, Rebeccam: ut docet Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum Manichæum, & duobus libris contra Adverſarios legis & Prophetarum. Calvinus Saræ fraudes & impias impoſturas, Abrahæ idololatriam, Sephoræ ſtultitiam tri-*

Digitized by Google

buit,lib.3.inſtitut.cap.2 ſect.31.& lib. 3.c.5. ſect 8. & lib. 3.cap.14.ſect. 11.& lib.3.cap. 20.ſect.15 Item lib.4.cap.15 ſect.22.

1 Manichæi legem & Prophetas veteris Teſtamenti rejicientes ſunt hæretici.

Reſpondemus: Falſiſſima & impudentiſſima hæc in Calvinum calumnia eſt: præſertim quæ nos Euangelicos etiã omnes attingit. Ut enim Calvinus,ſic nos Manichæorum furores, tam cõtra ipſum vetus Teſtamentum, quàm contra Patres in eo deſcriptos, abominamur.

Euangelici à hæreſi vetus Teſtamentum rejiciente alieni.

Primò,*Impii Manichæi*,inquit Calvinus,cap. 3 adverſus Libertinos, *rejecto veteri Teſtamento,legem & Prophetas ludibrio habuerunt.* Ergo ſtatim in limine offendunt Pontificii, quum Calvinus impios vocet Manichæos in conatu repudiandi vetus Teſtamentum,ac adeò nihil conſortii cum iis habeat,ut potiùs hanc eorum inſaniam confutet, quemadmodum & ſuperiorem in articulo liberi arbitrii & cauſſa peccati.

Harmonia Euangelica pag.122.

Quare alibi ſub lege & Prophetis totus vetus Teſtamentum contineri ſcribens,ac reſponſum Abrahami ad divitem epulonem explicans,ait: *Satanæ faſcinis mederi volens Chriſtus ad Legem & Prophetas nos revocat, ſecundùm illud Moſis teſtimonium.Ne poſt hæc dixeris,quis aſcendet in cœlum?vel,quis deſcendet in abyſſum? quis mare trajiciet? Prope eſt verbum in ore tuo & in corde.Ergo qui pro fabulis derident,quæ de futuro judicio teſtatur Scriptura,olim ſentient,quàm non tolerabilis ſit iſta impietas,fidem abrogare ſanctis Dei oraculis.* Ac paulo poſt, *Huc tendit reſponſum Abrahæ:quia Deus per Moſem & Prophetas ſatis ſuperq́, populo ſuo tradiderat ſalutis doctrinam, nihil aliud reſtare,niſi ut in ea omnes acquieſcant.* Poſtea autem: *Quòd Dei Verbum*,inquit, *Abraham in Legem & Prophetas diſtribuit,ad tẽpus veteris Teſtamẽti refertur. Nunc quum acceſſerit plenior Euangelii interpretatio, minus ferenda eſt noſtra impietas,ſi doctrina illius faſtidio huc vel illuc rapimur, ac breviter,ſi non patimur nos à verbo Dei regi.* Hujuſmodi loca plura è ſcriptis Calvini proferri poſſent, quibus parem auctoritatem Veteris Teſtamenti libris ac Novi tribuit,contra Manichæorum conſuetudinem.

Luc.16 27.

Deut. 30. 12.

Rom.10.

Similiter Euangelici omnes, quum in Sacris & canonicis viginti,Hebraicè ſcriptis,æquè omnia,quæ ad pietatem & ſalutem ſunt neceſſaria, exactè plenéque ſint expoſita, ac viginti ſeptem libris Novi Teſtamenti Græcè ſcriptis, ideo eos non minus atque hos recipiũt omniq́ue reverentia ſequuntur & obſervant. Quapropter Euangelici omnem non ſolùm Manichæiſmi, verũ etiam omnis hæreſeos labem omnino effugiunt. Nam quicunque principia fidei, pietatis & ſalutis certa extra omnem controverſiam poſita, indubitata, & vera & divina ample&cuntur,ii non ſunt ullo modo hæretici,ſed verè Catholici atque orthodoxi Chriſtiani. At Euangelici in reformatis Eccleſiis ample&cuntur principia fidei, pietatis atque ſalutis certa, extra controverſiã poſita, indubitata, vera & divina, quæ viginti duobus libris Veteris Teſtamẽti Hebraicè ſcriptis, & viginti ſeptem libris Novi Teſtamenti ſunt comprehenſa. Ergo Euangelici in reformatis Eccleſiis non ſunt ullo modo hæretici, ſed verè Catholici & orthodoxi Chriſtiani.

Quòd ait Bellarminus, Manichæorum hæreſin quoque fuiſſe, *quòd Patres veteris Teſtamenti accuſarint*, verum quidem

2. Manichæi in accuſandis Patrib. hæretici ſunt.

Digitized by Google

dem eſt, at quòd idem facere *Calvinum & Calviniſtas atque Euangelicos* blaterat eſt à veritate alieniſſimum. Etenim quantum ad Manichæorum in accuſandis & vellicandis Veteris Teſtamẽti Patribus hæreſin, Sixtus Senensis Bibliothecæ lib. 7. cap. 8. ſcribit: *Manichæi Scripturas veteris legis averſati erant, idcirco in patriarcharum mores contumelioſiùs invehebantur.*

Numquid ſimile facit Calvinus? Affirmat Bellarminus. Quomodo? Aperto mendacio. Nam Calvinus tantùm docet, *Patres veteris Teſtamenti interdum ut homines peccaviſſe*, quod ex ſcripturis Veteris Teſtamenti facilè confirmari poteſt. Colligit igitur Calvinus: *Nec eſſe itaque Patres in omni re imitandos quia omnes peccatores fuerunt.* Num falsò & hæreticè? Imò verè & orthodoxè, quum hoc quoque Scripturis exponentibus & conſentientibus de Patribus omnibus poſſit dici, ac comprobari.

Euangelici ab hæreſi Manichæa in accuſandis Patribus puri.

Sed Manichæi illos damnabant, ut homines malos. Contra Calvinus & nos Euangelici Patres nihilominus ſanctos appellamus. Manichæi Patriarcharum vitiis ſeducti præ ignorãtia & cæcitate, veteris Teſtamenti fidem perfectiſſimè oppugnabant. Calvinus & nos Euangelici omnes, ex iiſdem vitiis Patriarcharum hiſtoriæ fidem confirmamus, & ex fide hiſtoriæ Patriarcharum crimina confitemur, at nõ imitanda, ſed ad utilem inſtitutionem ac conſolationem noſtram accõmodanda cenſemus & docemus. Totos igitur inter ſe differre Manichæos & Euangelicos, quis non videt? Illos quidem verè hæreticos eſſe, hos verò minimè, ſed verè Catholicos & orthodoxos, quis non cernit? Ergo quod Bellarminus Calvinum & nos item, quod Manichæos de patribus veteris Teſtamenti ſentire dicit, mendacium eſt. Et quis non iſtam calumniandi Euangelicos libidinem in Bellarmino atque Papiſtis oderit?

Pontificii quidam Euangelicorum ſententiam de Patribus Veteris Teſtam. tuentur.

Cæterùm quò magis eluceſcat, quãtum χάσμα inter Manichæorum hæreſin & Euangelicorum doctrinam ac ſententiam de patribus veteris Teſtamenti interſit, ipſorummet etiam Põtificiorum doctorum quorundam defenſionem noſtræ doctrinæ atque ſententiæ in medium afferemus. Senensis paulo antè dictis ſubjungit: *Quanquam verò Patriarcharum in veteri Teſtamento gravia crimina concedantur, non propterea Scriptura minuitur authoritas. Imò nobis* Magis Commendatur, *ut fidem conſequamur, quia Scriptura excipit nullius adulandam perſonam, quadam in vituperabilibus laudanda, quadam in laudabilibus vituperanda, non tacens.* Hæc ex Auguſtino Sixtus Senenſis Papiſta, ut quẽadmodũ Calvinus ac nos, Patriarcharum vitia notari ſine crimine poſſe judicet. Imò juxta cum Calvino non modò concedat, inſignia fuiſſe Patriarcharum crimina, verum etiam concedi oportere eruditè probet.

Comment. in Geneſ 9 & in 37. 6

Eidem par eſt Henricus Pererius, qui ſcribit: *Cur Moſes narravit ebrietatem Noah? Primò, ut ex hoc appareat ſimplicitas & ſinceritas hiſtoriæ, omnia incorruptè narrantis*, &c. Et rurſus: *Sed inquiunt Manichæi, ille Judas, qui cum nuru ſua concubuit, inter Patriarchas computatur, quaſi verò iſte Judas, qui Dominum Chriſtum prodidit, non inter duodecim Apoſtolos numeraretur. Sic Au-*

guſtinus. Defenſio non modò veritatis, ſed etiam utilitatis pleniſſima.

Utilitas è vitiis ſanctorum capienda.

Nam Sixtus Senenſis loco ſuprà citato ſcribit: *Secundo quædam crimina Patriarcharum ſcriptis produntur (inquit Auguſtinus) ut quatuor hæc, videlicet fidem, eruditionem, timorem, ſpem conſequamur.* FIDEM *hiſtoriæ, quæ nemini adulatur*: ERUDITIONEM, *ut ea vitia effugiamus, quæ Scriptura vituperat*: TIMOREM, *ut caſus majorum ſit timor minorum*: SPEM, *ut in talibus lapſibus non deſperemus ſalutem.*

Comment. in Daniel 3. Gen. 9.

His non indoctiora Pererius ſuperior tradit: *De veris piis*, inquit, *& ſingulari Dei gratiâ excellentibus, ut de Davide, Salomone, Petro,* LAPSUS TRADUNTUR. *Nimirum ut hujuſmodi exemplis doceamur, qualis ſit homo præſente Dei gratiâ, qualis item abſente: ſcilicet qualis eſt aër præſente vel abſente lumine; quale corpus præditum vel privatum animâ; aut homo compos mentis, aut uſu rationis captus. Vel, ut qui lecturi erant, documentum ex aliis facerent, quod ſibi uſui ſit.*

Comment. in Gen. 19.

Idem: *Patriarcharum vitia Scriptura expoſuit, ut qui fortis tibi videris, inquit Ambroſius, videas, ne cadas.*

Comment. in Math. 16.

MALDONATUS ſcribit: *Etiam* SANCTORUM LAPSUS *utilis eſt, inquit Ambroſius, nihil mihi nocuit, quod negavit Petrus, profuit, quod emendavit.*

Si ergo tanti tamque docti & graves viri inter ipſos Pontificios, vitia & flagitia Patrum veteris Teſtamenti commemorantes, at nec calumniam illis facientes, nec imitationem illorum in vitiis ſceleribusque ſuadentes, ſed & inſtitutionem & conſolationem noſtram inde nobis percipiẽdam docentes, non hæretici ac Manichæi ſunt, equidem nec Calvinus & nos Evangelici ad eandem utilitatem eadem referentes, minimè hæretici & Manichæi eſſe poſſumus. At oſtendat Pontificiorum aliquis, nos aliter Patrum veteris Teſtamenti crimina exponere, & in alium finem referre, quàm ab illis Romanæ nunc Eccleſiæ doctoribus eſt factum.

Uſus lapſus ſanctorum.

Quod enim Manichæi fecerunt, nihil ad nos. Nam illi uno impetu omnia veterum exẽpla damnabant, tanquam ſi à *Deo malo* eſſent, quem Deum veteris Teſtamenti eſſe affirmabant. Nos verò unum Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum agnoſcimus, principium naturæ, & omnis boni in natura, & juſtitiæ immutabilis, qui & hominum tam Sanctorum, quàm non Sanctorum in veteri Teſtamento Deus fuit. Agnoſcimus hunc Deum non ſolùm egregia Sanctorum facta, ſed etiam vitia narrare in Scripturis ſacris Teſtamenti veteris æquè ac novi, non ut eorum exiſtimationi aliquid detrahat, ſed ut Scripturarum ſacrarum veritas confirmetur, & quod ejuſmodi exempla plurimum noſtræ & inſtitutioni & conſolationi ſerviunt. Primò enim noſtræ nos infirmitatis ac corruptionis admonent, quæ etiam verè regeneratis & Sanctis inhæreat, ut eò diligentiùs vigilemus, verbo Dei ſtudeamus, & gratiam ejus adverſus concupiſcentiam adhuc inſitam nobis imploremus. Deinde ſolantur adverſus conſcientię tentationes, ne quando lapſi inſtar Caini, Saulis, Achitophelis & Judæ de ſalute deſperemus, ſed meminerimus nobis non aliud accidiſſe, quã quod ſanctiſſimi quiq; paſſi ſunt, quos Deus in gratiam recepit. Adhæc pœ-

Gen. 3. 15. & 9. 21 & 12. 11. & 16. 31. &c & 30. 3. 14. 15. & 35. &c. Jac. 3. Pſal. 116. Epheſ. 2.

nitentiæ

nitentię verę exempla & formulas tradunt, quas tutò ſequamur, 2.Sam.12. Math.26. Act.9. 1.Timoth.1. Docent item, nos nulli hominum fidere debere, nec quenquam in tanta exiſtimatione habẽdum, quaſi errare aut labi non poſſet. In multis enim labimur omnes, & omnis homo mendax eſt: ac ideo maledictus & infelix, qui fidit homini, & facit carnem brachium ſuum, Jeremiæ 17.5. Admonent item, ut ad Chriſtum eò impenſiùs confugiamus, in quo ſolo eſt veritas ſtabilis atque æterna, & qui idem fundamẽtum Prophetarum & Apoſtolorum, quo tutò niti poſſunt, quicunque ſervari volunt. Hunc uſum è Sanctorum utriuſque Teſtamenti vitiis capimus, non ut illorum auctoritati & exiſtimationi derogemus, eoſque inſtar Manichæorum mordeamus.

Hunc in uſum Deus verus veteris pariter ac novi Teſtamenti exempla bene ac malè factorum in Scripturis extare voluit, ut hominum infirmitate & gratia illius in alienis, præſertim piorum Dei cultorum exemplis obſervatâ, quod bonum eſt, teneamus, & caveamus à malo: prout omnes Patres Eccleſię priſcæ, quamvis allegoriis plus ſatis tribuentes, tradiderunt. *Ad hoc enim*, ait Auguſtinus, *etiam peccata illorum* ſcilicet Sanctorum *hominum ſcripta ſunt, ut Apoſtolica illa ſententia ubique tremenda ſit, quâ ait: Quapropter qui videtur ſtare, videat, ne cadat*, & quæ ſequuntur.

1.Theſſ. 5. 21.

De doct. Chriſt. lib. 3. cap. 23. 1. Cor. 10. 12.

In hunc itaque modum Calvinus ſanctos illos viros & ſanctas mulieres non traducit animo obloquendi Teſtamento veteri & Deo illius, ut impuri illi Manichæi: nec Patrum ſanctorum nævos & malefacta probavit atque adoravit, ut ſimiæ faciunt, ſed veritatem colens (quam ſciebat immotam & immutabilem) docuit virorum & fœminarum illarum exemplo, quarum fidem & pietatem laudat iiſdem locis, errores & imbecillitates plurimum noſtræ fidei, dum in hac vita ſumus, permiſtas eſſe. Inprimis ita rem exponit fretus auctoritate divini verbi, quo docemur; *Quæ ante ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe, ut per patientiam & conſolationẽ Scripturarum ſpem habeamus.* Item: *Exempla veterum* veteris Teſtamenti *typos noſtros fuiſſe.* Hæc Bellarminus & ſui ſimiles Momi ſuo more calumniatur, diſſimulatis bonis, malorum (quod eſt iniquiſſimum) enumerationem exaggerans. Hæc adhuc in genere.

Rom. 15. 4.

1. Cor. 10. 6.

Inſtantia Bellarm.

Occurrendum in ſpecie Bellarmini inſtantiis, quibus pervehemens eſt, ut nos Manichæorum pares reddat: ſed à ſcopo ſuo totus aberrat. Lib. 4. de Eccleſ. milit. cap. 9. Accuſationi ſuperius poſitæ ſubdit; *Calvinus, Dominus, inquit, imputabat fidem Abrahæ, non quum adhuc Idolis ſerviebat, ſed quum multis jam annis vita ſanctitate excelluiſſet. En Abrahamum idolorum cultorem facit.* Grandis ſcilicet res.

Abraham an olim idololatra fuerit. Gen. 11. & 12.

Sed Calvinus primum à noſtris facilè defendi poteſt. Nam id dicit de Abrahamo, referẽs ad prius tempus, antequam ad fœdus Dei promiſſioneſque vocatus eſſet. Et in Meſopotamia idololatriam tum altas radices egiſſe ex hiſtoria Rachelis liquet, quæ patri Labano idola ſurripuit ibi; nimirum à majorum idololatria profecta & huc uſque ſervata. Hocque Joſua cap. 24.

℣. 2.

Digitized by Google

℣. 2. confirmat, dicens ad univerſum populum: *Trans flumen habitaverunt Patres veſtri à ſeculo, ut Therah pater Abrahami & pater Nahoris*, SERVIERUNTQUE DIIS ALIENIS. An hæc non fuit idololatria? num Abraham Therah filius ab ea immunis fuit? Ea de cauſſa illum Deus *excitaviſſe* dicitur, ſine dubio jacentem in idololatriæ cœno. Iſaiæ 41. 2. Quòd ergo Bellarminus negat Abrahamum fuiſſe prius ù n & ante vocationem Idololatram, ſeſe ſacræ Scripturæ ignariſſimum eſſe, aut malignum depravatorem oſtendit.

Comment. in Gen. 11. lib. 6. num. 255.

Ab ipſis Adverſariis defenditur, quorum permulti ipſius ſentētiam tenent. PERERIUS: *Fuiſſe quidem*, inquit, *Abrahamum aliquando ſuperſtitione infectum, docet Genebrardus ex ſententia duorum nobiliſſimorum Rabinorum. Cujus ego viri ob ſingularem fidei Catholicæ ardorem, memoriam, nomḗnque libenter uſurpo. In hanc ſententiam videtur impenſior fuiſſe Johannes Mazius, qui in hoc noſtro tempore commentarios edidit in libros* Joſuæ, *non minus Catholicos, quàm eruditus atque diſertus, his verbis: Non poſſum eos audire, qui magno conamine Abrahamum in hoc* IDOLOLATRIÆ SCELERE *impuriſſimo vidicare, neſcio quibus argutiis, ſtudent. Quaſi verò non tanto illuſtrior ſit gratia Dei, quā illum eſt complexus quanto erat ille ſceleratior, minúſque dignus favore. Hanc ſententiam aperti ſſimis verbis confirmare videtur Philo. Confirmatur ex eo, quòd Deus dicitur apparuiſſe Abrahæ.* Hæc ingenuè Pererius. Quanquam addit: *Verùm contraria ſententia mihi magis placet, & à me ſtat* Joſephus & *Suidas*. Sed fallitur, nî fallor, quum Suidas ad priorem ſententiam inclinet, ut ſequitur, & alii ex ipſis Adverſariis teſtantur.

Panop. lib. 1. cap. 11.

Advocatus enim eſt Calvino & noſtris etiam LINDANUS, qui *Abrahæ vocatio, inquit, & inſtitutio erat nobis Ethnicis & veris Abrahæ filiis ſymbolum, & typus. Nā quemadmodum ille quum Chaldæus eſſet, &* IDOLOLATRA VESTÆ CULTOR, *ab Idololatria ad veram Dei latriam eſt converſus: ſic nos, &c. Quod ſi hoc cuiquam inſolens & paradoxon videtur, is ſi hominis Græci, & diligentiſſimi probatiſſimíque teſtimonio* (SUIDAM *dico*) *non eſt contentus, certè non poteſt nobis non conſentire, Latini hominis teſtimonio inſtructus, nimirum Auguſtini lib. 10. de Civitate Dei, cap. ult.* Ita Philo & Suidas viri nequaquam hæretici, Genebrardus, Mazius & Lindanus Adverſarii Calvini, Abrahamum idololatram fuiſſe cum Calvino defendunt. Ac etſi auctores non reſpiciamus, re tamen ipſa accuratè expenſa, Calvini opinio, ut Mazius obſervat, DEI GRATIAM magis commendat, ut Lindanus, etiam mirabilem Gentium vocationem magis illuſtrat.

Rebecca an dolo freta benedictionem præripuerit.

Inſtat Bellarm. ſecundo, dicens ibidem: REBECCA *variis impoſturis, inquit Calvinus, Dei veritatem corrupit, cum malo artificio filii* BENEDICTIONEM *procurabat, maritum decepit, filium mentiri coëgit.* Sic mendacium Calvinus taxat ipſe nihil mentiens, acrem totam orthodoxè explicans.

Pererius in Gen. 27.

Nec deſtituitur advocato, ſed à priori Pererio adjuvatur atque excuſatur, ſcribente. *Eſt quidem opinio nec paucorū nec ignobilium doctorum, Jacobum in præripiendo benedictionem* MENDACIUM *officioſum dixiſſe.* Sic ille de aliis, quamvis ipſe in aliam ſententiam propendeat.

At ſubtiliſſimo Doctori fraus iſta ſubo-

Digitized by Google

Scotus in 3. ſent. diſt. 38. ſubolevit. Ideo dicit: *Aliqui conantur Patriarchas Dei defendere; mentitos non fuiſſe.* SED NON EST RATIONABILE Idem Abulenſis, Lyranus, & alii. Ego verò non perſonas, ſed rationum momenta depoſco.

Comment. in Gen. 27. Adeſt Cardinalis Cajetanus tali utens: *Si dixiſſet Jacob: Ego ſum primo genitus tuus, & non addidiſſet Eſau, excuſari potuit. Nunc* NON *poſſit, quia pater repetens, dixit: Tu es filius meus Eſau? de induſtria reſtringens interrogationem ad perſonam Eſau. Reſpendit Jacob; Sum.* INEXCUSABILIS à MENDACIO. Et quid ſi in Jacobo agnoſcamus nos, quod vos in aliis Patriarchis facilè conceditis.

Comment. in Gen. 37. & 12. Pererius enim rediens, dicit: *Sine ulla dubitatione dixerim, filios Jacob, Simonē & Levi, graviſſimè peccaſſe. Primò ante cædem in tribus. Quia patre inſcio, impietatis crimen habent, quia eo animo paciſcuntur mendacii, quod per Sacramentum circumciſionis, ſacrilegii. Secundò, circa cadē. Quia inermes invadunt, quia ultra meritum ulciſcentur quia in innocentes ſæviunt, idque cum totius familiæ paternæ periculo, prorſus inhumani exiſtimandi ſunt.*

Erat factum Ruben probroſiſſimum, quādo patris ſui uxorem vitiabat. Joſeph fratres ſuos accuſabat, inquit Theodoretus, non de uno crimine, ſed in univerſum judicavit eos FLAGITIOSA VITA *fuiſſe.*

Pręterea Canus in locis Theologicis lib. 11. c. 4. *Hieronymus,* inquit, *ſimulationē Abrahæ* FŒDAM *neceſſitatem vocat.* Et Hieronymo Canus ſuffragatur.

De Samſone ait Bellarminus: *Vitioſa cupiditas, inquit Calvinus, vindicta dominata eſt,* Sed & hic conjunctæ res iniquè dividuntur, & truncatur locus. Hæc Calvini verba: *Talis etiam fervor Samſonem rapuit, quum diceret, robora me Deus, ut ſumam ultionem de incircumciſis. Etſi enim aliquid fuit probi zeli admixtum: fervida tamen atque adeò vitioſa cupiditas vindicta illic dominata eſt.* Laudat ergo factum, & motum ex parte reprehendit, quum in eo motum fuiſſe dicit conjunctum fidei & privatæ vindictæ ſimul.

Nec minùs de omnibus exemplis, quæ Adverſarius adducit, dici poteſt, Calvinum bona in ſanctis laudare, mala ita vituperare, ut ad cautionem noſtram adhibenda, inprimis ad infirmitatem communem diſcendum, aut aliud aliquid boni inde animadvertendum applicanda ſint.

Summatim ergo, ut aliquando bona fide diſcat Adverſarius agere, hanc rem expedire præſtat. Nónne enim frontem eum oportet amiſiſſe, qui affirmare auſit, contra quàm vulgò Ethica præcepta docent, quod res ſuo genere malæ interdum bonæ eſſe poſſint? Malum eſt ſcortari, malum eſt ſcortum ſubjicere: hoc nunquam ne in Sara quidem, bonum eſſe poteſt. Malum eſt patrem à filio, virum ab uxore circumveniri, mentiri, &c. quod Rebecca fecit. Hoc Calvinus piè reprehendit bono noſtro: Manichæus reprehendit malo ſuo. Bellarm. confundit arte ſua, nullóque Calvini aut ullius noſtrûm merito. Iniquè factum. Unde hac etiam viâ, intentatio hæreſeos in Euangelicos Bellarmino ac ſuis Papicolis non ſucceſſit.

Digitized by Google

CAP. X.

Male Papiſtas Donatiſtarum hæreſin de Eccleſia viſibili atque ex ſolis juſtis conſtante, deque odio in Epiſcopos & Monachos, Euangelicis impingere.

AGGREDITUR itaq; aliam, ac *nonam* hæreſin, cujus nos reos facit, aſſeverat eſſe aliam quandam, præter eam, quam antea (ut c. 21. expoſitum) inter Novatianam habuimus, *Donatiſtarum*, itidem *geminam*.

I. *Hæreſis Donatiſtarum de Eccleſia viſibili.*

De altera dicit, lib. 4. de Eccleſ. milit. cap. nono: *Nona hæreſis eſt Donatiſtarum, qui Eccleſiam ex ſolis juſtis conſtare volebant, & inde deducebant, Eccleſiam viſibilem periiſſe ex orbe terrarum, & in ſola Africa remanſiſſe: ut perhibet Auguſtinus in lib. de unitate Eccleſiæ cap. 12.* Et addit: *Eandem eſſe doctrinam Calviniſtarum certum eſt. Idem docet articulus 7. Confeſſionis Auguſtanæ. Nam Eccleſiam conſtare ex ſolis bonis volunt. Etiam Eccleſiam viſibilem nunc ſolùm eſſe in partibus Septentrionalibus, ubi ipſi ſunt, docent omnes.* Hæc Bellarmin.

Euangelici ab hæreſi Donatiſtica, quoad Eccleſiam viſibilem immunes ſunt.

RESPONDEMUS: Neganda Bellarmini calumnia, res diſtinguenda. Nam ut Eccleſia in perfectione ſua ex ſolis bonis, ſanctis & electis conſtat: ſic in cœlis eſt, æternùmque futura eſt. Eccleſia verò in fieri, ut loquuntur, ex bonis ſimul & malis conſtat.

Ecclеſ. Dei in duas ſpecies diſtincta.

Hæc adeò planè Calvinus diſtinguit Inſtitut. cap. 8. ſect. 8. quam Bellarminus adducit, ut, non putemus hunc locum iſtum conſuluiſſe, quum iſta ſcriberet in Calvinum. Verba Calvini ſunt: *Enimverò de Eccleſia viſibili, & quæ ſub cognitionẽ noſtram cadit, quale judicium eſſe debeat, nunc eſt dicendi locus. Bifariam enim de Eccleſia ſacræ literæ loquuntur. INTERDUM enim quum Eccleſiam nominãt, eam intelligunt, quæ revera eſt cum Deo, in quam nulli recipiuntur, niſi qui & adoptionis gratia filii Dei ſunt, & Spiritus ſanctificatione vera Chriſti membra. Ac tunc quidem non tantùm ſanctos, qui in terra habitant, comprehendit, ſed ELECTOS omnes qui ab origine mundi fuerunt. SÆPE autem Eccleſiæ nomine, univerſam hominum multitudinem in orbe diffuſam deſignat, quæ unum ſe Deum & Chriſtum colere profitetur. Baptiſmo initiatur in ejus fidem: Cœnæ participatione unitatem in vera doctrina & charitate teſtatur, conſenſionem habet in verbo Domini, atque ad ejus prædicationem miniſterium conſervat à Chriſto inſtitutum. In hac autem plurimi ſunt pexmixti hypocritæ, qui nihil Chriſti habent præter titulum & ſpeciem: plurimi ambitioſi, avari, invidi, maledici, aliqui impurioris vitæ; qui ad tempus tolerantur, vel quia legitimo judicio convinci nequeunt, vel quia non ſemper ea viget diſciplinæ ſeveritas, quæ debebat. Quemadmodum ergo nobis inviſibilem, ſolius Dei oculis conſpicuam Eccleſiam credere neceſſe eſt: ita hanc, quæ reſpectu hominum Eccleſia dicitur, obſervare, ejúſque communionem colere jubemur.*

Non minus aptè & prudenter confeſſio Auguſtana Eccleſiam diſtinguit eo ipſo loco, quem Bellarminus in ejus calumniam citat. Ait enim illa: *Docent, quod una ſit ſancta Eccleſia perpetuò manſura. Eſt autem Eccleſia congregatio Sanctorum, in qua Euangelium rectè docetur & rectè adminiſtrantur Sacramenta, & ad veram unitatem Eccleſiæ, ſatis eſt conſentire de doctrina Euangelii & adminiſtratione Sacramentorum.* Ac paulò poſt artic. 8. *Quan-*

Digitized by Google

Quanquam, inquit, *Eccleſia propriè ſit congregatio Sanctorum & verè credentium: tamen in hac vita multi hypocritæ & mali admixti ſunt*, &c.

Quibus convincitur, noſtros nihil eorum ſentire & docere, quæ olim Donatiſtæ hæretici tenuerunt. Nam 1. Donatiſtę ſentiebant, Eccleſiam ex ſolis juſtis conſtare: Noſtri ex juſtis in cœlo, in terra ex juſtis & injuſtis ſimul. 2. Illi periiſſe Eccleſiam de orbe terrarum ſomniabant: Noſtri eam perpetuò manere & manſuram ſtatuunt. 3. Iſti Eccleſiam in Africæ angulo remãſiſſe ſibi fingebant: Noſtri eam per totum mundum diffuſam credunt.

Adde, quòd idem Sophiſta Bellarminus ſententiam eandem diverſè & prorſus contrariè tribuit Donatiſtis & Euangelicis. Nam [a] alibi ait: *Donatiſta Eccleſiam* VISIBILEM *conſtare volunt de ſolis electis.* Alibi dicit: [b] *At Calvinus & Proteſtantes quum dicunt Eccleſiam non poſſe deficere aut perire, de Eccleſia* INVISIBILI *loquuntur, quam definiunt eſſe congregationem electorum.* Ergo jam inter Donatiſtas & Euangelicos non minùs quam inter Viſibile & Inviſibile diſcriminis intereſt. Et Papiſtæ, quando Euangelicos Donatiſtis conferunt, non modò illis indignum atque injuſtum convitium faciunt, verùm etiam aquilas noctuis comparant. Et quantum ſçelus, quòd calumnioſè ſententiam & Calvini & Confeſſionis Auguſtanæ pervertit? Cum bonis bene agi oportet: imò etiam cum malis bene, ſiquidem nos malè pro malis habent.

a *Loco citato.*

b *Lib. 3. de Eccleſ. milit. cap. 13.*

Eccleſia diſcrimen.

Perſpicua igitur ut in hac tanta re omnibus ſit noſtra ſententia planè orthodoxa, & à Donatiſtarũ hæreſi longiſſimo intervallo diſſita, dicimus quidem, Eccleſiam catholicam, quæ eſt Electorum tantùm, ex ſolis juſtis conſtare: & viſibiles quaſque Eccleſias ex bonis ſimul ac malis conſtitui: nec periiſſe omnes, ſed ſemper aliquam eſſe in mundo Eccleſiam viſibilem, etſi non omnibus viſibilem: at non è ſomniis noſtris aut commentis Donatiſtarum, verùm Scripturis ſacris ac Patribus ſanctis ita dicimus. Nam *in Scripturis*, inquit Auguſtinus epiſt. 166. *didicimus Chriſtum, in Scripturis didicimus Eccleſiam.*

Catholica & inviſibilis Eccl.

Catholica autem, id eſt, *univerſalis* dicitur, vel abſolutè, vel *κατά τι*, hoc eſt, ſecundùm quid. *Eccleſia abſolutè Catholica & univerſalis* eſt totus ille populus Dei, hoc eſt, omnes omnino verè fideles, ſancti, juſti & electi ab origine mũdi uſque ad finem ſeculi: ſive jam in cœlo cum Chriſto viventes, & de peccato, carne, mundo & Satana devictis triumphantes (quæ ideò Eccleſia *triumphans* dicitur) ſive carne adhuc circumdati in hac terra adverſus peccatũ, carnem, mundum & Satanam decertantes: quæ Eccleſia *militans* vocatur. *Eccleſia Catholica & univerſalis κατά τι*, eſt univerſus ille cœtus fidelium atq; electorum, ubivis locorum degentium in his terris.

Hæc tam triumphans quàm militans *inviſibilis* & eſt & appellatur. Ratio inviſibilitatis paulò poſt indicabitur. Iſta Bellarminus lib. 1. de Eccleſia militante cap. 2. vellicat: proinde pleniùs ea explanabimus & confirmabimus, ut illius morſibus medeamur.

De *Catholica*, hoc eſt, univerſali Eccleſia *& inviſibili* ſanctus Paulus: Solidum, inquit, ſtat fundamentum vel

2. Tim. 2. 19.

Digitized by Google

firmamentum Dei, habens hoc ſignaculum, Dominus novit, qui ſint ſui. Ipſeque præſcivit & prædeſtinavit atque elegit jam (ut Pet. 1. Epiſt. 1. ✝. 20. teſtatur) ante jacta mundi fundamenta omnes, quos ad eam vocaturus erat. Apud ipſum ergo omnes prædeſtinati & electi ſemper in corpore myſtico Chriſti, id eſt, Eccleſia Catholica cenſebãtur & cenſentur, qui certiſſimè novit, quæ ſint vera Eccleſię membra. Reſpondet Bellarminus: *Apoſtolum loqui de illis, qui ſunt Dei per prædeſtinationem, & non de tota Eccleſia.* Sed hoc pro nobis facit. Inde enim ſequitur tales eſſe Dei filios & membra Eccleſiæ: licet contendat adverſarius etiam alios præter electos ad Eccleſiam Catholicam pertinere.

Lib. de Eccleſia milit. cap. 7.

Ad hæc diſertè dicit Apoſtolus omnes prædeſtinatos & electos vocari & juſtificari. *Quos*, inquit, *prædeſtinavit, eos vocavit, & quos vocavit, eos juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Unde colligimus prædeſtinatos omnes eſſe membra Eccleſię catholicæ, & ad hanc inprimis pertinere. Nam quaſi de rebus certiſſimus, loquitur de præteritis, tanquam de futuris, & de futuris, tanquam de præteritis, & de univerſo Eccleſiæ corpore, quod Dei prædeſtinatione maximè continetur.

Rom. 8. 29. 30.

Idem de Eccleſiæ catholicæ membris loquitur, ut in viſibilibus: *Non enim is, qui* ſolùm *in propatulo* Judæus ſit, *Judæus eſt: nec ea, quæ* ſolùm *in propatulo* ſit circumciſio *carnis, circumciſio eſt: ſed qui in occulto Judæus* fuerit, *& circumciſio cordis, id eſt, in ſpiritu, non literâ: cujus* Judæi *laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo.*

Rom. 2. 28. 29.

Præterea Chriſtus inter oves ſuas computat omnes, qui aliquando in ovile congregandi ſunt, etiãſi adhuc nõ in ovile, quod in Eccleſiis particularib. cernitur, cõgregẽtur. *Alias*, inquit, *oves habeo, quæ nõ ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.* Unde certũ eſt, omnes electos ad hoc ovile ſive ad Eccleſiam catholicam ſpectare.

Joh. 10. 16.

Idem evincitur ex ſermone ſummi Pontificis Cajaphæ, qui prophetavit, fore, *ut Jeſus moreatur pro ea gente, & non tantùm pro ea gente, ſed ut etiam filios Dei diſperſos cogeret in unum.* Unde colligitur, omnes electos, licet nondum intra Eccleſiæ nunc militantis terminos contineantur, tamen ad Eccleſiæ catholicæ membra pertinere, quum ſint filii Dei, & pro eis æquè ac pro aliis Chriſtus mortuus ſit. At quomodo dicuntur extranei ab Adverſariis, ſi filii? Et ſi in unam ſint congregandi Eccleſiam, cur non ſint ejus membra? Reſpondet Bellarminus: *Iſtos dici oves & filios ſecundùm prædeſtinationem ſolùm, & membra eſſe Eccleſiæ potentiâ, non actu.* At ſi ſecundum præſcientiam & prædeſtinationem ſint membra Eccleſiæ, tum apud Deum, apud quem omnia præſentia ſunt, verè ſunt & actu membra Eccleſiæ, licet nobis ante vocationem & ſanctificationem non ita videantur. Præterea ſi corpus myſticum omnia ſua membra actu complectatur, tum electi licet adhuc nec nati ſint, nec vocati, membra ſunt corporis myſtici.

Joh. 11. 51. 52.

De Eccleſ. milit. 1. lib. cap. 7.

De hac Eccleſia electorum & inviſibilium intelligitur articulus Symboli Apoſtolici nonus, quo dicimus: *Credo ſanctam Eccleſiam catholicam.*

Hanc ſententiam Patres confirmant. Cle-

Patrum conſenſus. Clemens Alexandrinus in catalogum Eccleſiæ catholicæ refert omnes eos, *qui ſecundùm Dei propoſitum electi ſunt ante mundi conſtitutionem.* Lib. 7. Stromat. ſub fin.

in Epheſ.1. Ambroſius: *Apoſtolus,* inquit, *omnem Eccleſiam dicens, ſummatim totum comprehendit, quod in cœlo eſt & in terra.* Idem aſſerit, *Eccleſiam eſſe populum, quem ſibi Deus adoptare dignatus eſt.* In Epheſ.3.

Hieronymus dicit: *Eccleſiam ſtare à dextris, & nihil in ſe ſiniſtrum habere.* Epiſt. 140. At illi qui à dextris ſtant, prædeſtinati tãtum & electi ſunt ad ſalutem, ut ipſe Dominus Math.25 ℣.33.34.

In Pſal. 62. Auguſtinus: *Non modò* FIDELES, *qui modò ſunt,* inquit, *ſed & qui fuerunt ante nos, & qui poſt futuri ſunt uſq; ad finem ſeculi, omnes ad corpus ejus pertinent, cujus corporis ipſe caput eſt, qui aſcendit in cœlum.* Epheſ..122. 23.

Similiter in libro de catechizandis rudibus cap.20.inquit: *Cœleſtis Hieruſalem cives ſunt omnes ſanctificati homines qui fuerunt, & qui ſunt, & qui futuri ſunt.* Et in Pſal. 58. *Chriſtus*, inquit, *eſt totum corpus Chriſti, & quicunque nunc Chriſtiani boni, & qui ante nos, & qui poſt nos futuri ſunt. Totus Chriſtus eruitur à viris ſanguinum.*

In Job.l.24. cap.9. Gregorius I. *Omnes electi,* ait, *intra menſuras ejus Eccleſia continentur, foris ſtant omnes reprobi.*

BERNARDUS: *Secundùm prædeſtinationem,* inquit, *nunquam Eccleſia electorum penes Deum non fuit.* Et ibidem: *Omnes electos eſſe Eccleſiam,* ait. Serm.78.ſuper Cantica Cantic.

Poſtremò, probatur noſtra ſententia ratione. Nam ſi ad Eccleſiam Catholicam non pertinerent ſolùm omnes electi, licet nondum vocati, nec adhuc nati: tum ad aliam Eccleſiam ptinerẽt, & ſic duæ eſſent Eccleſiæ. Una, ad quã præſentes & pteriti & alia ad quã futuri electi pertinerent. Præterea nõ eſſent omnes electi partes corporis Chriſti, niſi membra eſſent Eccleſiæ Catholicæ, & poſſent aliqui ſalvari, qui nunc non pertinent ad Eccleſiam catholicam. Tertiò niſi catholica Eccleſia æquè complecteretur futuros ac præteritos & præſentes fideles, tum nõ eſſet Catholica ratione temporum. Quartò, non eſſent Pontifices Rom. eiſque colligati & connexi Sacrifici ac monachi, qui poſtea futuri ſunt, membra Eccleſiæ quod Bellarmino & ipſis maximè cavendum eſt: Cardinales enim futuri ejicerentur ex Eccleſia una cum Pontifice & turba eum ſenquente. Adhæc extra jocum deficeret Eccleſia Catholica, ſi ad illam tantùm pertinerent; qui nunc ſunt (omnes enim, qui nunc vivunt, non ita multo poſt morientur, & deficient) & una Eccleſia Catholica extingueretur, alia ſuboriretur, & in locum prioris ſuccederet.

At inquit Bellarminus: *Si Paulus ratione prædeſtinationis erat membrum Eccleſiæ, etiam quando non eſſet vocatus, tum mẽbrum Eccleſiæ Eccleſiã perſequebatur*: quod ipſi valdè abſurdum videtur: Sed cogitare debet, ſuos Pontifices ſæpe ſe invicem, & principes Chriſtianos, & fratrũ & monachorum ſocietates perſequi: & tamen Pontifices Rom. velut capita, Eccleſia veneratur; & non dubitat, quin principes, & populi, & monachi, quo Pontifices Romani perſequuntur, pertineant ad Eccleſiam. Sed extra jocum dicimus præterea, in iis, *Objectiones Adverſariorum De Eccleſ. mil lib. 1. cap.7.*

 qui

qui prædeſtinati ſunt non ſpectari, quæ contra fidem & Eccleſiaſticam geſſerunt diſciplinam, quando numerantur inter Eccleſiæ membra: ſed potiùs quæ ſecundum fidem & mores Eccleſiæ fecerunt. Et ideo Paulus dicitur membrum Eccleſiæ, quia aliquando vocandus erat, & in Chriſtum crediturus, & pro Chriſti fide moriturus: quæ omnia Deo præſentia erant & nota. Dicimus adhæc, Paulum quamdiu Eccleſiam perſequebatur, fuiſſe *lupum*, ut Auguſtinus,* & *vas fictile*, ut Chryſoſtomus ait: & non fuiſſe Eccleſiæ militantis partem ante vocationem & converſionem. Nihil tamen hoc impedit, quo minus potuerit illo tempore eſſe membrum Eccleſiæ Catholicæ, quæ non tantùm complectitur eos, qui nunc ſunt, ſed etiam poſt futuros.

Serm 1. in converſione Pauli. Hom. 6 in epiſt. 1. ad Timoth.

Teſtẽ etiam adducit Auguſtinum, qui aſſerit, *ſecundùm praſcientiam & prædeſtinationem multas eſſe oves foris, & multos lupos intus.* Sed loquitur ille de parte Eccleſiæ Catholicæ, quæ militat in terris, & non de Catholica, quæ univerſum Chriſti corpus conplectitur. Extra illam ſunt electi & prædeſtinati, donec inſerantur Chriſto per fidem & Sacramenta. Extra hanc eſſe non poſſunt, niſi ex libro viventium eos expungere cogitet Bellarminus. Præterea noſtram ſententiam confirmat Auguſtinus, ubi prædeſtinatos non vocatos appellat *oves*.

Tract 45. in Joh.

Ratio abſurda adverſariorũ.

Pugnat poſtremò contra noſtram ſententiam ratione. *Nam ſi ſola prædeſtinatio*, inquit *facit hominem eſſe de Eccleſia, ſequitur Turcas, Judæos, hæreticos & quoſlibet impios ſi prædeſtinati ſint, eſſe de Eccleſia, & pios baptizatos, ſi non ſint prædeſtinati non eſſe de Eccleſia.* Sed quod res pugnãtes conjungit, & dicit Turcas, Judæos, hæreticos & impios prædeſtinari, & pios baptizatos non prædeſtinari, nullâ ratione inductus feciſſe videtur. Nã ad ſalutem eliguntur & prædeſtinantur non impii & increduli: ſed qui pii futuri erant & fideles. Et ſi qui tales ſunt, de iis bene ſperamus, eos eſſe de prædeſtinatorum numero. Dicimus præterea, licet abſurdum videri poſſit, Turcas & hujuſmodi homines impios inter Eccleſiæ Catholicæ, quæ hîc militat, membra recenſeri: tamen ſiqui ex eo numero ad vitã prædiſtinati ſint, eos illam feritatem & impietatem depoſituros. Et propterea inter mẽbra Eccleſiæ Catholicæ, quæ omnes in Eccleſiã congregandos complectitur, tales recenſendos eſſe, ſed non ut tales, ſed ut mites & pios Chriſtianos. Nec obſtat quòd tales non ſint adhuc baptiſati. Nam in Catholica Eccleſia, quæ tam futuros quàm præſentes complectitur, recenſentur, qui baptiſmo poſtea initiandi, vel alia ratione Chriſto inſerẽdi ſunt, ut anteà diximus. Quod autem omnes baptiſati non continuò pertineant ad Chriſti corpus myſticum, Eccleſiam Catholicam, mox dicemus.

Electionis & prædeſtinationis ratio.

Inviſibilis cur dicatur.

Nunc de Catholica Eccleſia agentes, quæ inviſibilis ſit, & ex ſolis juſtis ac prædeſtinatis conſtans, notandum dici *Inviſibilem*, ſcilicet, *hominibus*, quum ſit in oculis ſolius Dei maximè viſibilis. *Inviſibilis* & eſt & dicitur, I. *propter formam ſuam interiorem, id eſt, fidem & electionem*, quæ humanis oculis perſpici non poteſt. Nam 1. Reg. 8.39. de

Deo

Digitized by Google

Deo ſcriptum eſt: *Tu ſolus noſti cor omniũ filiorum hominum.* Et cap. 19. ℣. 18. *Reliqui mihi,* inquit Deus, *ſeptẽ millia virorũ, qui non flexerunt genu imagini Baal,* Luc. 17. 20. *Regnũ Dei non venit cum obſervatione.* Joh. 3. ℣. 8. *Spiritus, ubi vult, ſpirat.* Sic ex loco Pauli Rom. 2. ℣. 28. 29. Chriſtiani veri definiũtur, qui *in occulto* ſunt. Idem 2. Tim. 2. 19. ait: *Dominus novit, qui ſunt ſui.* Col. 3. 3. *vita ſanctorum dicitur abſcondita eſſe cum Chriſto in Deo.* Denique Pſalmo 45. 14. Ornatus ſponſæ Chriſti, id eſt, Eccleſiæ Catholicæ, *internus* deſcribitur, nempe *occultus homo cordis,* Quomodo S. Petrus. 1. Epiſt. 3 ℣. 4. dicit: *Occultus ille,* id eſt, *cordis homo,* ſitus *in incorrupto ornatu lenis ac quieti ſpiritus, qui eſt coram Deo pretioſus.* II. Dicitur *Inviſibilis* ex accidente, quoties illa, quæ viſibilis eſt, ob perſequutiones in latebris deſinit eſſe viſibilis, Math. 26. 56. Apoc. 12. 6. Hæc Eccleſia eſt corpus Chriſti & complementum, de quo Apoſtolus Epheſ. 1. 22 23. & 5. ℣. 5. Col. 1. 18.

Particularis & viſibilis Eccleſia.

Quoad particularem & viſibilẽ Eccleſiam, dicitur ea *particularis*, quia habet cœtus certos, certis locis per divinum ſermonem collectos. Ut particularis olim fuit *Romana, Carinthiaca, Galatica, Epheſina, Philippenſis, Coloſſenſis, Theſſalonicẽſis, Hebræa, Laodicena, Sardicenſis* & aliæ, de quibus Apocalyp. 2. & 3. agitur. Ad particularem etiam referri debet Eccleſia *domeſtica,* qualẽ Paulus Rom. 16. 3. & 5. itemque 1. Cor. 16. ℣. 19. ſcribit fuiſſe in domo Priſcillæ & Aquilæ.

Viſibilis Eccleſia dicitur propter prædicationem verbi & Sacramentorum adminiſtrationem, ac homines eam amplectentes & profitentes, quæ in oculos & aures incurrunt, ſunt aſpectabilia hominibus, ſicut & alia externa Eccleſiæ officia ac membra. Eſt igitur *Eccleſia viſibilis,* cœtus hominum ubicunque ſit gentium, doctrinam divinã ſacræ Scripturæ profitentium & Sacramentis divinitus juſtitutis utentiũ: in quo cœtu ſunt promiſcuè tam ſancti & juſti, hoc eſt, verè credentes & electi, quàm non ſancti, injuſti, infideles, increduli atque reprobi, ſed tamẽ in doctrina & Sacramentorum exercitio conſſentientes.

Eſt ergo & dicitur viſibilis, qui ſuis notis apparet, & verbi divini doctrinã atque Sacramentorum adminiſtrationem habet, unde ab hominibus agnoſci poteſt, in tali cœtu eſſe Eccleſiam; licet ei hypocritæ & mali admixti ſint, qui fidem profitentur, ſerioque ſe Sacramentis & Verbo communicare ſimulant, quum tamen non verè credãt nec ex animo Verbo & Sacramentis participent. Ideo dicuntur eſſe in Eccleſia, quamvis non ſint de Eccleſia, quippe quam ſoli electi conſtituunt.

Ad hanc referuntur à Chriſto *parabolæ* Math. 13. & alibi paſſim, quibus bonos & malos in Eccleſia permixtos eſſe declarat.

Quemadmodum verò multi reprobi ſunt in Eccleſia viſibili, qui ad verã inviſibilem Eccleſiam neutiquam pertinent: ſic contra multi ſunt electi pertinentes ad Eccleſiam verè inviſibilem, qui nondum externè vocati ſunt ad Eccleſiam inviſibilem. Unde Auguſtinus id, quod ſuprà adductum, dicit: *Multi ſunt intus lupi, multa ſunt foris oves.* Tract. 45. in Joh. Idem com-

commixtionem juſtorum cum injuſtis nobiſcum contra Donatiſtas confirmans, ait: *Credo aream Dei eſſe* ECCLESIAM *& intra eam uſque ad finem ſeculi frumento mixtas paleas contineri, id eſt, bonis malos Sacramentorum communione miſceri.*

De fide ad Pet. cap 43.

Viſibilis Eccleſia duplex.

Viſibilis Eccleſia duplex eſt, vetus & nova. *Vetus* fuit, ante Chriſtum exhibitum, ubi excellit Eccleſia Iſraëlitica, ſive Judaica, quæ erat aſtricta ad cathedram terreſtrem, ſub externo pontifice ſummo miniſteriali. *Nova*, quæ cœpit poſt Chriſti exhibitionem, ac inprimis poſt aſcenſionem ejus in cœlos, quæ eſt abſoluta & libera, ſublata materiæ, ſub uno paſtore principe & capite ſpirituali æterno, D. N. Jeſu Chriſto, in omni loco, omnes particulares Eccleſias ex æquo attingens.

Epheſ. 4. 4. 5. 6.

Quantumvis verò *plures* ſint Eccleſiæ particulares & viſibiles; tamen omnes ad Catholicam & univerſalem pertinent, quæ *unica* eſt: ſicut *unus eſt Deus, una fides, unum baptiſma, & una ſpes vocationis noſtræ.*

Unitas hæc potiſſimùm conſiſtit, tum in cultu ac reverentia vel obſervantia unius capitis, nempe Chriſti, tũ in unitate fidei & doctrinæ Apoſtolicæ, licet Eccleſia Catholica ad omnia tẽpora & ad omnes locos, atq; omnes vocatos homines ſit extenſa. Utrumq; ſanctus Auguſtinus confirmat. Etenim ait: *Corpus hujus capitis* (nempe Chriſti) *Eccleſia eſt, non quæ hoc loco eſt, ſed quæ hoc loco & per totum terrarum orbem, nec illa quæ hoc tempore, ſed quæ ab Abel uſque ad eos, qui naſcituri ſunt uſque ad finem, & credituri ſunt in Chriſtum, totus populus ſanctorum, ad unam civitatem pertinentium,*

In Pſal. 92.

quæ civitas corpus Chriſti eſt, hujus caput eſt Chriſtus. Et alibi: *Sancta Eccleſia nos ſumus. Sed non ſic dico nos, quaſi ecce, qui hîc ſumus, qui me modò auditis, ſed quotquot ſumus Chriſtiani fideles in hac Eccleſia, id eſt, in hac civitate, quotquot ſunt in iſta regione, quotquot ſunt trans mare, quotquot ſunt in univerſo orbe.* Ac de unitate fidei & doctrinæ Eccleſiam conſtituente, ait: *Ego vocem paſtoris inquiro. Lege hoc mihi de Propheta, lege mihi de Pſalmo, recita de Euangelio, recita de Apoſtolo, Inde ego recito Eccleſiam toto orbe diffuſam, & Dominum dicentem: Quæ ſunt oves meæ, vocem meam audiunt & ſequuntur me. Quæ eſt vox paſtoris? Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Ecce vox paſtoris, agnoſce eam, & ſequere, ſi ovis es.*

Serm. 99.

Lib. de correct. Donatiſt. ad Boniſac. c. 3.

Cui aſſentitur Clemens Alexand. qui: *Una eſt Eccleſia*, inquit, *ſicut unus Deus, & unus Dominus, in unitate* UNIUS FIDEI, *quæ eſt ex propriis teſtamentis, vel potiùs ex Teſtamento, quod eſt unum diverſis temporibus*,

Lib. 7. Stromat.

Tertullianus: *Licet*, inquit, *nonnullæ Eccleſiæ, ut poſteriores, nullum ex Aopoſtolis vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferunt: tamen in eadem fide conſpirantes, Apoſtolicæ & ipſæ deputantur ex conſangninitate doctrinæ.*

De præſcript. hæret.

Hîc quæritur: An Eccleſia, quæ aliàs actu viſibilis eſt, SEMPER ita ſit CONSPICUA, ut à quibuſvis poſſit agnoſci, & quaſi digito monſtrari? Pontificii affirmant: Nos Euangelici negamus. Negativam noſtram ſic probamus. Tametſi verum eſt, ubicunque Eccleſia viſibilis in ſuos cœtus collecta ſuis notis eſt conſpicua, ibidem etiam Eccleſiæ inviſibilis electa ac fidelia eſſe membra: nihilominus tamen non

Viſibilis Eccleſia an ſemper ſit conſpicua.

eſt

Digitized by Google

eſt conſequens, ut ubicunque ſint inviſibilis Eccleſiæ electa ac fidelia mēbra, ibidem continuò & ſemper cœtus poſſunt eſſe publici & viſibiles. Accidit enim plerumque, ut Deus pro ſua incomprehenſibili ſapientia vindicans hominum peccata, lucis ſuæ radios quodammodò occultet, adeò ut nonnunquam Eccleſia funditus periiſſe videatur, ſicut evenit eo potiſſimùm tēpore, quo Filius Dei incarnatus, & in hunc mundum ingreſſus eſt. Quæ enim fuit tunc temporis Doctorum ignorantia? quæ doctrinæ corruptio? quæ hominum improbitas? Et tamen certum eſt, veram religionem tunc fuiſſe in Judæa tanquam in extremo quodam angulo concluſam, & Eccleſiam Dei extra Judæam nō fuiſſe quærendam.

Quoties item mali prævalēt bonis, & cultum quidem eorum publicè abolent, falſum verò erigunt, Eccleſia viſibilis ſplendorem & vigorem ſuum habere nequit, quia membra diſperſioni ſubjiciuntur, & perſequutione infeſtantur. Tali modo ſe habebat Eccleſia in Iſraële, temporib. Heliæ Prophetę, quem locum Paulus totius gentis Judaicæ rejectioni comparat, & generaliter ad Eccleſiam applicat. Ubi tamen Dominus ſeptem ſua millia ſibi facit reliqua eorum, qui genu ſuum nō flexerunt coram Baal, id eſt, qui falſos cultus non amplectuntur, licet cultum verum in viſibiles cœtus collecti unà exercere nequeant, ſed cum Propheta diſperſi exclamare cogantur; *Domine, ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.*

1. Reg. 19. 10 18. Rom. 9 & 11.

Sic tempore Antiochi Eccleſia in Judæa eſt in ſimiles latebras compulſa, ut ſcriptum ſit: Congregati ſunt itaque ad eos multi, quiſquis dereliquit legem, & *perſecerunt mala in terra, facientes, ut Iſraël lateret in abditis locis, & omni perfugio ipſarum. Die autem decimo quinto menſis Ciſlevi anno centeſimo quadrageſimo quinto, extruxerunt abominationem deſolationis ſuper altare, & in civitatibus Juda circumquaque extruxerunt aras, & in foribus domorum, & in plateis ſecerunt ſuffitum.* Et libros legis, quos invenerunt conſcindentes uſſerunt igne. Et ubicunque inveniebatur apud aliquem liber fœderis, aut ſi quis acquieſcebat legi, edicto Regis afficiebatur morte. Plura vide 1. Math 22.8. & 2. Macch. 6. ✝. 11.

1. Macch. 1. 55. & ſeq.

Talis Eccleſiæ facies deſcribitur Heb. 11. 36. eorum, *quibus indignus erat mundus, qui in deſertis oberrarunt, & montibus, ac ſpeluncis & cavernis terræ.*

Eccleſia item novi Teſtamenti dicitur *fugitura in deſertum, & ibi paſcenda diebus mille ducentis ſexaginta, ut ibi lateat,* & Antichriſti manus effugiat. Et cap. 13. ✝. 7. *datum beſtiæ dicitur bellum gerere cum* SANCTIS *& eos vincere.* *Apoc. 12. 6. & c. 13. 7.*

Sic tempore Arrii, Eccleſiam ſimul fermè obliteratam & extinctam fuiſſe teſtatur Auguſtinus. Et Ambroſius Oratione contra Arrianos, quiritando id quoque fatetur, dicens: *Qua nunc Eccleſia liberè Chriſtum adorat, ſi alicubi pii ut Propheta, abſcondendi?* Item Hieronymus in Pſal. 133. *Eccleſia vera illic erat, quum hæretici omnes has Eccleſias poſſidebāt.*

Hinc Patres Eccleſiam Lunæ comparant, quæ ſuos interdum defectus patitur. Ambroſius: *Eccleſia,* inquit, *tēpora ſua habet perſequutionis & pacis. Nā videtur* *Hexam. lib. 6. c. 21*

Digitized by Google

detur ſicut Luna deficere, ſed NON DEFICIT. *Obumbrari poteſt, ſed deficere non poteſt* Et cap.8. *Proſpiciens ergo Eccleſia ſicut luna defectus habet & ortus frequentes: ſed defectibus ſuis* CREVIT *& his meruit ampliari, Dum perſequutionibus minuitur, & Confeſſorum martyriis coronatur.* Auguſtinus Epiſt. 49. *Ipſa Eccleſia aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur.*

Sub Papatu an fuerit Eccleſia viſibilis ſemper.

Ejuſmodi erat Eccleſiæ ſtatus, durãte & dominante Papatu. Etſi enim Papiſtis Eccleſiæ titulum minimè concedimus: tamen Eccleſiam apud eos fuiſſe non inficiamur, ſed ultro fatemur. Non enim tam ſtupidi ſumus, ut Eccleſiam tot ſeculis interiiſſe credamus: quemadmodum horrendi & execrandi hæretici Donatiſtæ ſua ſibi amentia finxerunt. Nam viſibilis Eccleſia dicitur ꝑpter viſibile miniſteriũ in prædicatione Euangelii & adminiſtratione Sacramentorum ſitum. Nam Eccleſiæ viſibilis propria nota eſt illa, quę immediatè fluit ex forma illius, vocatione nempe Dei & illi convenientiſſimè reſpondet, nimirum doctrina verbi Dei revelata & comunicata, Sacramentorumque adminiſtratio legitima, qua vocationem illam operatur & efficit in Eccleſia ſuâ Dominus. Atq; hæc nota ita eſt Eccleſiæ propria, ut cũ illa neceſſario reciprocetur. Hocque à contrario veritatis, nempe errore cõfirmatur. Quid enim eſt error? Annon eſt dogma veritati Scripturæ ſacræ ſeu verbi Dei contrarium? Error igitur judicatur ex Scripturâ, ſeu verbi divini doctrina. Atqui ſi errores agnoſcuntur & judicantur ex Verbo Dei, ſanè verbum Dei erroris cognitionem & depulſionem adferens, arguit & notat Eccleſiam, id quod nos conſtanter contra Papicolas affirmamus. Si itaque ex hypotheſi Eccleſia conſpicua eſt & pura veraque eſt Eccleſia, non errans ideo id erit, quia & quatenus Eccleſia Verbum Dei & vocem Chriſti habet, audit, atque ſequitur. Ergo Verbum Dei & vox Chriſti eſt vera Eccleſiæ viſibilis ut & puræ nota: quæ eſt noſtra ſententia.

Math. 28. 19. Marc. 16. 15. 16. Joh. 3. 5. & 10. 27. & 17. 20. 1. Pet. 1. 23. Rom. 10. 17. 1. Cor. 1. 21. & 3. 5.

Hoc modo Eccleſia Euangelica ſemper fuit tum conſpicua & viſibilis, tum pura atque non errans in medio quoq; Papatu. Nimirũ quia ſemper fuit prædicatum, vel lectum & conſideratũ ac cieditum Verbum Dei ſeu Euangelium, & Sacramenta adminiſtrata, quibus ipſa vocata, & ex quibus enata eſt, & per quæ adhuc conſervatur utpote legitima inſtrumenta & media colligendi ſeu vocandi Eccleſiam. Simul ex iiſdem mediis ſemper aliqui extiterunt, qui fermento errorum, quib. pura doctrina verbi & adminiſtratio Sacramentorum inquinata, ipſiuſque Eccleſiæ fulgor obſcuratus fuit fortiter contradixerunt & reſtiterunt. Ac impletum hoc Pauli 1. Cor. 11. 19. *Oportet autem hæreſes eſſe inter vos, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos.*

Nec enim Eccleſiæ viſibili promiſſum & conceſſum, ut tum planè & ſimpliciter non erret, ac nunquam impura ſit, tum penitus atque abſolutè non obſcuretur, & nunquam inconſpicua ſit. Ita enim eſſet Deus, & jam adhuc in terris militans triumpharet. Simul igitur Eccleſia viſibilis & pura interdum deliquium paſſa eſt, tam in puritate quàm luce ſua. Nimirum quoties neglecta Chriſti voce mercenarii vocẽ

eſt

Digitized by Google

eſt ſequuta, Joh. 10. & luce ſuâ non firmiter retenta, tenebris ab Antichriſto inductis implicita fuit: 2. Teſſ. 2. Sic & Apoſtoli atque diſcipuli Chriſti errabant, ſeducti cogitationibus de regno Meſſiæ mundano, ac Gentibus ab Eccleſia ſecludendis. Et eò rem Eccleſiæ aliquando deventuram, Chriſti atque Apoſtolorum ſeriæ admonitiones de cavendis ſeductoribus innuunt Math. 7. 15. & 24. 4. 23. 25. Act. 20. 28. 29. 30. 31. 1. Tim. 4. 24. 1. 2. 3. Tit. 1. 9. 10 11.

Act 1. 6 & 10. 14. & 11, 3.

Ubi ſub Papatu fuerit Eccleſia viſibilis & pura.

Cavillantibus igitur & perludibriũ quærentibus, ubinam illa viſibilis & pura Eccleſia ſemper fuerit tempore Papatus? Reſpondemus: Ibi, ubi Deus eam novit: juxta Apoſtoli 2. Tim. 2. 19. teſtimonium. Per ſe autem à Papatu perſequutionem tam per doctrinæ corruptelas, quam per vim paſſa, fuit in membris ſuis, id eſt, verè fidelibus, qui ſeipſos & viderunt & cognoverũt inter ſeſe, atque ab iis etiam videri & cognoſci potuerunt, à quibus perſequutionem ſuſtinuerunt. Eorundem aliqui in genere Papatus errores utcunque agnoſcentes, ex animo reformationem ſæpiùs deſiderarunt: alii Papatui animosè contradixerunt, ut videre eſt in Catalogo teſtium veritatis: plerique autem modò latuerunt, vi oppreſſi, ut & hodie fit multis in locis ſub Papatu nondum repurgato, modò clam convenerunt, modo diſperſi fuerunt.

Ac licet variis etiam errorib. & hæreſibus fuerint involuti: præter volũtatem tamen ipſorum ex accidente, temporum & præſulum vitio id illis evenit. Interim fundamentum puriori doctrinæ & veritatis præſertim Chriſtum vel in agone mortis per ignis probationem & examen conſcientiarum retinuerunt. Adigente enim huc ipſos tandem conſcientiæ vi & neceſſitate, quum non aliud auxilium & ſolatium animabus reperirent, unico Christo & ejus paſſionis merito inhæſerunt. Eundem ſolum nec divos & ſanctos invocarunt. Ac ita à fundamento nec per inferorum portas divelli, neque ad interitum ſeduci potuerunt.

1 Cor. 3. 11. 12. 13.

Reformatio viſibilem Eccleſiam Dei gratia reſtituit penitus.

Quum verò poſteris temporibus Deus ex ſingulari ſua bonitate Henochum & Heliam, ſecundùm vaticinia vetera, Mal. 4. Eccleſ. 44. & 48. Math. 17. 12. Marc. 3. Apoc. 11. 3. Math. 11. 14. id eſt, fidos veritatis teſtes & Euangelii præcones, ſcientiâ ac virtute Henochi & Heliæ præditos excitaſſet, alacriter ac fortiter il veritatis lumen per conſtitutiones & traditiones humanas ſub ſcamnum & lectum detruſum, nobis in apertum retulerunt. Unde viſibilitate & puritate majore reſtituta, merito ac jure à Babylone occidentali verã ad Eccleſiam trãſivimus, hac Angeli voce moti: *Exite ex ea, ſcilicet*, Babylone occidentali, *populus mi, ne participes ſitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.*

Apoc. 18. 4.

Notas oſtendunt Euãgelici Eccleſiæ veræ.

Veræ & genuinæ & propriæ Eccleſiæ Catholicæ atque ordoxæ notæ, quibus eam conſpicuam & viſibilem publicè ac privatim, domi foriſque reddimus, ſunt pura verbi divini ac ſacroſancti Euangelii ex libris canonicis utriuſque Teſtamenti Dei juxta analogiam fidei, ut Apoſtolus Rom. 12. 6. monet, explicatio & prædicatio, cui le-

Digitized by Google

legitimam Sacramentorum adminiſtrationem conjungimus. Has enim eſſe veras, germanas & proprias Eccleſiæ Catholicæ & orthodoxæ notas, tã ſacra Scriptura quàm vetuſti Patres docent.

Joh. 8. 31. ubi Chriſtus ait: *Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.* Et cap. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.* Idem Apoſtoli 2. Joh. 9. & 10. Act. 2. à verſu 17. uſque ad 36. & ℣. 42. ubi prima Eccleſia Chriſtiana *perſeveraſſe in doctrina* Apoſtolorum ſcribitur: Et 2. Pet. 1. 19. Epheſ. 2. 20. docent. Adhæc Math. 28. 19. ubi Chriſtus mandat: *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia, quæ præcepi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Item, 1. Cor. 11. 25. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis,* nempe Cœnæ Dominicæ celebrationem. Ac eadem Sacramenta Math. 3. 12. Marc. 16. 16. Act. 2. 38. & 42. Epheſ. 5. 20. 1. Cor. 6. 11. Math. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc 22. 17. 1. Cor. 10. 2. 3. 4. 16. 17. & 12. 13. aliiſque locis, quæ habent eandem vim & conſequentiã commendantur.

In Math. hom. 49. Patres; ut Chryſoſtomus, qui: *Nunc,* inquit, *nullo modo agnoſcitur, quod ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per Scripturas.* Item: *Qui ſunt in Chriſtianitate volentes accipere firmitatem fidei veræ, ad nullam rem confugiant, niſi ad Scripturas. Alioqui ſi ad alia reſpexerint ſcandalizabũtur & peribunt, non intelligentes quæ ſit vera Eccleſia.*

De unitate Eccleſiæ, cap. 2. Auguſtinus: *Sunt,* inquit, *libri Dominici, quibus utrique credimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſſam noſtram.* Item: *Nolo humanis documentis, ſed divinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari.*

De Sacramentis autem idem: *Primò* inquit, *tenere te volo, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſicut ipſe in Euangelio loquitur, levi jugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcina levi. Unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facilimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi Salvator colligavit. Sicut eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſiquid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* *Epiſtol. 118. ad Laurẽt.*

Item: *Hoc tempore, inquit, poſtquam reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti maniſeſtiſſimum noſtræ libertatis indicium illuxit, ne eorum quidem ſignorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati ſumus: ſed quædam pauca pro multis, eademq́; facilima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima,* IPSE DOMINUS *& Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt* BAPTISMI SACRAMENTUM, & CELEBRATIO CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI. *Quæ unuſquiſque quum percipit, quo referantur imbutus agnoſcit, ut ea non ſervitute carnali, ſed ſpirituali libertate uteretur.* *De doctrina Chriſtiana, lib. 3. cap. 9.*

Hæc, inquam, quum recuperaverimus, annon jure meritoq́ue à Papatu iis puris carente, ad eadem reverſi ſumus? ſicut Deus præcipit: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, ſed revertere ad me.* Hæc quum dies noctesq́; exerceamus & uſurpemus, iis ſumma cum libertate per immenſam Dei beneficentiam fruentes, annon propriis & infallibilibus verè Catholicæ atque orthodoxæ Eccleſiæ viſibilis exornati, vera Dei Eccleſia ſumus? *Ierem. 3. 1.*

Pu-

Digitized by Google

Calumnia de juſtis ſolis in Euangelicis Eccleſiis bona.

Pudeat ergo Bellarminum nos Donatiſtis ſimiles dicere. Pudeat omnes Papiſtas, nos ullo modo Donatiſtis ſimiles exiſtimare. Nam ut pro Dei clementia ſingulari noſtram Eccleſiam juſtos multos habere, qui & fidei in Chriſtum, & doctrinæ Sacramentorumque ſinceritati toti ex animo ſtudent, negare non poſſumus, & ſi negaremus, exemplis juſtorum revinceremur: ita ſimul admixtos eſſe ſecundũ parabolas S. Johannis *de paleis*, & Chriſti *de zizaniis, grano ſynapis, fermento, ſagenâ*, malos atque injuſtos, minùs inficiari quimus, aut ſi inficiaremur, exemplis ipſis injuſtorum redargueremur. Nihilominus tamen eam eſſe veram Eccleſiam, exercitium publicum fidei, prædicationis Euangelicæ, adminiſtrationiſque Sacramentorum Chriſti, cum diſciplinæ gravitate & ſanctitate conjunctæ, numeruſque diligenter his deditorum arguit & demonſtrat.

Math. 3.12. & 13. per totum.

Calumnia de interitu Eccleſia bona.

Adhæc, adeò longè abeſt, nos defectum & interitum Eccleſiæ inſtar Donatiſtarum ſomniare, ut Deum reliquias ejus ſingulari atque incredibili ope ſemper inter ſæviſſimos apros ac lupos, ejus devaſtationi & oppreſſioni cupidiſſimè & crudeliſſimè inhiantes, conſervaſſe, agnoſcamus & prædicemus. Fatemur quidem, Pontificum Romanorum tyrannide Eccleſiam in maximas anguſtias nõ rarò redactam, quandoq; privatis ſe quaſi parietibus incluſiſſe, & in locis deſertis hîc & illic ad tempus delituiſſe. Nemo autem noſtrûm tam delirat, ut putaret, nedum diceret ritu Donatiſtico, eam periiſſe. Quin ut Phœnix avis exuſta de cinere renaſcitur, atque ad antiquã redit naturam, & ad ſua loca revertitur: ſic Eccleſia Papatum inſidiis atque ingnibus furoris & immanitatis ceu conſumpta & combuſta, è favillis & cineribus vento Spiritus divini denuò excitata eſt, ut exurgere potuerit redíviva, paulatim vires reſumpſerit, & proceſſu temporis vigore, orthodoxæ, fidei & doctrinæ, Sacramentorũq; legitimorum reparata, in juſtæ Eccleſiæ formam redacta ſit. Hocque tam certò & largiter eſt cõſequuta, ut ipſas etiam Papatus hæreſes & furores, à quibus antea penè oppreſſa fuit, nunc vincat, reprimat, confundat. Nam particulares Eccleſiæ ſæpiſſimè totæ everſæ ſunt, & vix ullo modo vel membrum earum reſervatum eſſe eſt viſum. At Deus ſemper radicem ac ſemẽ aliquod ejus reſervavit, unde aliæ enatæ ſunt. Multæ item Eccleſiæ novæ in aliis regionibus conſtitutæ ſunt, vel ex illarum everſarum reliquiis, vel ex doctrina verbi divini & adminiſtratione Sacramentorum, quæ media ſunt Eccleſiæ conſtituendæ, & ſemen ex quo illa procreari ſolet.

Calumnia de vigente tantùm Eccleſia in locis Septentrionalibus falſa.

Nec quiſquam eſt tam delirus apud nos, ut Eccleſiam ſolùm in Septentrionalibus noſtris regionibus vigere putet, quemadmodum Donatiſtæ eam intra anguſtos tantum Africæ limites ſervatam verſari opinati ſunt. Nam Eccleſia Euangelica & orthodoxa apud nos reſuſcitata pedetẽtim inadolevit, & lõgè lateque ſeſe dilatavit, licet Paparum & Papiſtarum rabies eam ſummè odio habuerit, & oppreſſam voluerit. Quin etſi ex Papiſtis non modò homines privati, ſed ſummi etiam duces templa noſtra ſubverterunt, codices

Digitized by Google

ces ſacros conſcripſerunt, ſordibus conſpurcarunt, concremarunt, menſas Domini ac ſanctiſſima Sacramenta dictis factisque profanarunt, pariterque ſenes & pueros, viros & fœminas, cives ac ruſticos mactarunt, idque ex juſſu Concilii Tridentini & Pontificis ſui maximi ad omne ſcelus ac maleficium eos exhortantis & incitantis egerunt paſſim in Eccleſiis noſtris particularibus: tamen Eccleſia noſtra Euangelii prædicatione & explicatione orthodoxâ, magis magisque diffuſa eſt etiam in Aquilonares, Orientales & Occidentales regiones. Quin per univerſum orbem terrarum gentes immaniſſimas ſubegit, & efficaciſſimam habuit doctrinam, quæ pluribus in locis extra Septentrionem recepta eſt, commentitiis Romanæ Eccleſiæ traditionibus & ſuperſtitionibus antiquatis, quam Pontificii putabant & cupiebant. Hucusque admirabili Dei benignitate ac Spiritus ſancti virtute, vera Eccleſiæ noſtræ orthodoxæ & Euangelicæ membra licet magnis ſpaciis diſſita & diviſa, fidei tamen unius conſenſu & charitatis glutine arctiſſimè conjuncta ſunt, ut ea res Pontificiis ringentibus propterea inaudito miraculo ſit. Audéſne hæc negare quiſquam Adverſariorum? Convincitur reipsâ, & teſtimoniis plurimarum gentium veritas horum demonſtratur. Ceſſent igitur, quæſo, à putidis & pellucidis iſtis calumniis Pontificii, quib. nobis Donatiſtarum hæreſin, qua illi Eccleſiam ex juſtis duntaxat conſtare & alibi ubique, præterquam apud ſuos interiiſſe commenti fuerant. Ceſſent de nobis ſpargere, quaſi Eccleſiam ſolummodo in ſeptentrionalibus oris degere doceamus. Aut ſi non ceſſabũt, ſed è Scriptis ſpargere & de pulpitis ſuis declamitare talia pergent, ſciant Deum ſceleratiſſimè confictas iſtas criminationes in nos minimè inultam paſſurum progredi, ac nobis quoque viam acrius eam retundendi monſtraturum, rationemque ſubminiſtraturum.

Quovè minus ſubſidii poſt hac Papiſtis in tantis calumniis ſupereſſe poſſe ſentiatur, in præſenti præcipuas eorum objectiones, quibus ſe non calumnias ſed veritates in tribuendo nobis tres illas Donatiſticæ hæreſis opiniones proponere contendunt, paucis ipſorũmet verbis recitabimus, & cenſurâ noſtra per ſolidas, ut ſpero, ſolutiones diluemus. Stapletonus fingẽs cũ reliqua Põtificiorum turba, Eccleſiæ notam eſſe egreſſum ex Hieroſolymâ, regerit in nos: *Noſtram Eccleſiam non cœpiſſe à Hieruſalem.* Ergo nõ eſſe veram Eccleſiam. Sed nullum nec ipſe, nec alii Papiſtæ dogma noſtrum proferre poſſunt, quod non inde profectum ſit. Tantum dicit: *Nullos nos prædicatores legitimè miſſos oſtendere poſſe.* Sed valde falſus eſt. Nam & Apoſtoli & omnes eorum legitimi ſucceſſores noſtra dogmata, quæ nos habemus in noſtra Eccleſia, prædicarunt: nec ullo in ſeculo veri prædicatores veritatem hanc noſtrorum dogmatum prædicare deſierunt. Imó ex ſynagogæ Romanæ paſtoribus nonnulli noſtra dogmata è Hieroſolyma egreſſa, atque ad poſteros volumine Veteris ac Novi Teſtamenti tranſmiſſa propugnarunt. Ipſáque prima Eccleſia Romana noſtra

Objectiones Adverſariorum.

Relect. princ doctr. controv. 1. q. 5. art. 2.

Eccleſia Euangelica è Hieroſolymitana propagata.

dogmata

dogmata tenuit, defendit, ad nos propagavit, ut Epiſtola ad Romanos evincit. Nec ea unquam Eccleſia Romana improbare cœpit, antequam fermento ſuo Pontifices Romani & eorum aſſeclæ veram illorum doctrinam corruperunt. *At*, inquit ille, *Proteſtantium ſocietas incepit Wittenbergæ, & hoc omnes hiſtorici teſtantur ibi Lutherum prædicare cæpiſſe.* Quaſi verò quæ corrupta aliquo in loco Chriſti doctrina, eam ad primam inſtitionem more Apoſtoli revocare conatur, novam Eccleſiam inſtituat, & non ridiculum ſit ſynagogæ Romanæ tempora à ſynodo Tridentina computare, licet poſtea magna in doctrina Eccleſiæ Romanæ facta eſſet mutatio; & non conſiſtat Eccleſia in dogmatum veritate potius, quàm in hominum ſucceſſione. Hoc ſanè exploratum habemus, eos qui Apoſtolicam doctrinam prædicant, eam prædicare quæ Hieroſolimis fuit prædicata, teſtante toto libro Actorum Apoſtolicorum, & inde ex iis in orbem terrarum, ac ideo non novam Eccleſiam fundare, ſed ad antiquã redire. Et ſi hęc nota Eccleſiæ eſt natam eſſe ex Hieroſolymitana Eccleſia, certè hanc Eccleſiæ notam ſeu conditionem noſtris reformatis Eccleſiis optimè convenire piis dubium eſſe non poteſt. Nam doctrinæ conſanguinitate (ut Tertulliani verbis utamur) Apoſtolicæ illi veréque primitivæ Eccleſiæ, Hieroſolymis olim ſemel inchoatæ, atque inde in univerſum orbem velut derivatæ, & ab illa paulatim, tanquam ſoboles à matre, propagatæ ſunt, arctiſſimæ cohærent. Etenim ne apicem quidem doctrinæ tenemus, quàm qui è Hieroſolymitanę Eccleſię doctrinâ decerptus, atque è tyrannidis Pontificiæ rictu liberatus eſt.

1. Cor. 11. 23.

Dicit ſecundò: *Nos docere Eccleſiam eſſe inviſibilem, & idcirco non pertinere nos ad Eccleſiam, quæ ſemper eſt viſibilis.* Argumentum ſanè ridiculum. Nam Adverſarii nunquam probabunt, Eccleſiam eſſe ita conſpicuam, ut ſemper videri queat, nec demonſtrabunt, quatenus Catholica eſt & omnes complectitur, ab aliquo videri poſſe. Etenim verã Eccleſiã Catholicã, in ſe ſuaq; natura cõſideratam, nullis mortaliũ oculis aſpectabilẽ eſſe, ſatis evidẽter ſuprà probavimus. Externam verò ejus congregationem ſive gubernationẽ ac publicã fidei profeſſionẽ, in particularibus ac viſibilibus quoque Eccleſiis, aliquando ſaltem adeò obſcurari, ut ipſa vel nulla prorſus, vel admodum ignobilis & exigua in oculis hominum, appareat, non modò ex hiſtoria Eccleſiæ veteris Teſtamenti (qualis Gen. 6. & 12. item 1. Reg. 19. & 2. Reg 16. ac deinceps deſcribitur) verum etiam iis locis novi Teſtamẽti, quæ de generali quadam externæ Eccleſiæ defectione & obſcuratione vaticinantur, addiſci poteſt. Unde perſpicuum, Eccleſiam verè Chriſtianam Judaicæ parem eſſe, quatenus utramque, reſpectu externorum cœtuum & rerum earum, quæ palàm ac publicè in iis tractari debent, interdum miro Dei judicio (ſed Eccleſiæ ferè ipſius peccantis & caſtigationem Dei acceſſentis vitio) obſcurari, & velut in latebris ac tenebris occultari contingit. Interim ſemen quoddã piorum, ſive reliquias quaſdam electas, ut Apoſtolus vocat, tunc quoque divinitus

Viſibilis & inviſibilis, ut ſit Eccleſia Evangelicorum.

Math. 24. Luc. 18. Apoc. 12 & 13. 2. Theſſ. 2. 1. Tim. 4. & 2. 3.

Rom. 9. & 10. & 11.

divinitus extraordinaria quadam ratione conſervari dicimus : quemadmodum Iſa.1.& 10.Rom.9.& 10.promittitur. Atque has etiam reliquias, quantumvis miſerè diſſipatas, officiũ ſuum in vero Dei cultu continuando, fide Chriſtiana profitenda,& charitate juſtitiaque erga omnes exercenda, tunc quoque facere aſſerimus: licet interim mundo minùs conſpicuæ, aut vulgo non admodum notæ ſint. Nam ut ipſe Deus & Chriſtus : ſic vera in Chriſtum fides,& univerſus ſpiritualis Dei cultus,res ſunt hominibus mũdanis omnino incognitæ,ut 1.Joh.3.& 4.2.Cor.5.& 6.docetur. Præterea nemo noſtrum aſſerit ſimpliciter,Eccleſiam eſſe inviſibilem. Nam & homines videmus,qui pertinent ad Eccleſiam,& multa peragi videmus nomine Eccleſiæ in Eccleſiis viſibilibus,quę ad veram Eccleſiam ſpectãt. At tũ illo modo tum hoc noſtrã Eccleſiã ſeſe habere,lippis & tõſorib. notũ eſſe poteſt.

Catholica ut ſit Eccleſia Evangelicorum.

Dicit tertiò,*Eccleſiam noſtram non eſſe Catholicam vel univerſalem,tum quia non crevit per omnes gentes, tum non communicat cum Eccleſia majorum, tum denique quia non communicat hodie cum omnibus gentibus Chriſtianis.* Sed ſi per Catholicam & univerſalem intelligit eam, quæ omnes ſimul fideles omniũ gentium comprehendit, particulares Eccleſiæ quales noſtræ ſunt, ad eam pertinere nulla ratione poteſt negari. Si autem per Catholicam & univerſalem intelligit illam, quæ Catholicam & univerſalem verorum fidelium fidẽ profitetur,tunc fides noſtra per omnes gentes propagata eſt,& eſt noſtra Eccleſia Catholica, & communicat cum Phophetarum atque Apoſtolorum & ſanctorum Patrum & omnium majorum verè credentium Eccleſiis. Nec relinquit Eccleſiam Romanam, niſi ubi ipſa Catholicam fidem & majorum communionem deſerens,novam ſibi ſynagogam, tanquam Antichriſti ſacellum, ex Eccleſiæ ruderibus ædificavit,eaq; docet & tenet potiſſimũ, quæ inſulſiſſimi aliquot Pontifices Pontificiis credenda obtrudunt. *At* inquit ille,*Concilia generalia,ſanctorum Patrum & doctorum auctoritatem, & conſenſum veteris Eccleſiæ rejicitis.* Verùm hoc non verbis proloquendum, ſed probandum erat. Et ut omnes hujuſmodi ſycophantias Papiſticas cernere atque odiſſe diſcant, teſtantur omnes noſtri libri nos cum Conciliis generalibus, ſanctis Patribus & doctoribus, conſenſuique veteris Eccleſiæ in omnibus aſtipulari, quæ veritati ſacrarum literarum congruunt.Hocque palam profitemur, vehementer nobis Conciliorum & Eccleſiæ veteris antiquorumque doctorum omnium conſenſum in probatis & veris probari,ac nullis niſi Apoſtolorum & Prophetarum & his conſentientium Patrum atque doctorum teſtimoniis niti. At adverſarii niſi in ſinum ſui Pontificis confugiant, ubi conſenſum Apoſtolorum, Patrum & doctorum veterum,atque antiquæ Eccleſiæ fidei Romanæ Eccleſiæ adverſari vident,nuſquam ſtare poſſunt. Noſq; ie eos rectè deſerimus,quia ipſi cum Prophetis, Apoſtolis, Patribus, doctoribusque probis ac ſanis & vetuſtæ Eccleſiæ in veritate minimè conſentiunt.

Aſſerit quartò,*doctrinam noſtram novam*

Nova ut non ſit Eccleſia atque doctrina Evangelicorum.

vam eſſe, & multitudini credentium incognitam, idq́; ex confeßione noſtra probari. Sed ſi mendacium dicit, more ſuo facit. Noſtri ſanè nonnunquam, hoc faſſi ſunt: at ſic ſeſe habet. Ut labes & maculæ doctrinæ apud nos abſterſæ ſint: doctrina tamen eadem retenta eſt, quæ in utroque Teſtamento à Prophetis & Apoſtolis, atque antiquitus à ſanctis Patribus & probis doctoribus ſecundùm utrumque Teſtamentum tradita eſt. Et licet hæc doctrina cæcis atque imperitis hominibus nova viſa ſit: eſt tamen antiquiſſima. *At*, inquit ille, *proferte nobis doctores pios.* Inſulsè profectò & ridiculè. Quaſi non poſſit veritas conſtare, niſi de doctoribus conſtaret: & non fuiſſet Eccleſia inter decem tribus poſt defectionem Jeroboami, etiamſi nemo doctores ejus nominare poſſit. Præterea nominamus & proferimus Prophetas & Apoſtolos, & vetuſtiſſimos Patres. Nominamus & producimus aliquot pios Epiſcopos & Paſtores, in media Eccleſia Romana impietates atque hæreſes veras deteſtantes, & pro veritate Evāgelii ſinceri pugnantes. Nec obſtat, quod Papæ Romani & eis adhærentes ſacrifici, ſectatoreſque Romanæ Eccleſiæ iſtos hæreticos pronunciarunt. Nam illi Chriſtum JESUM, & Prophetas atque Apoſtolos, ſi nunc in terris verſarentur, & contra Pontificum Romanorum Romanæque Eccleſiæ impietates & hæreſes loquerentur, condemnarent ac hæreticos vocarent. Si enim nos, qui Chriſti & Prophetarum atque Apoſtolorum doctrinam ſequimur, hæreticos nuncupant, certè illos hæreticos vocare, ſi nunc nobiſcum in terris agerent, haud vererentur. Quum autem doctrina noſtra ſit verè antiquiſſima, licet nova videatur, profectò etiam Eccleſia noſtra, etſi videatur nova, eſt vetuſtiſſima.

Relect. princ. doct. pag. 1. 138.

Succeſſionem legitimam, ut Eccleſia Evangelica habeat.

Aſſerit quintò, *nos ſucceßione carere.* Atque hoc argumento *nos graviter torqueri* putat: ſed falsò & inani ſpe atque opinione. Nam in externa ſucceſſione, quam & hæretici ſæpe habent, & orthodoxi non habent, nihil eſt momenti. Ne ipſi quidē adverſarii de ſua ſucceſſione, quā tantopere jactāt, certi ſunt. At nos certi ſumus, doctores noſtros Apoſtolis, & Prophetis, & Patrib. antiquiſſimis ſucceſſiſſe. Iidem etiam, ſi quid ſit in externa ſucceſſione ponderis, Epiſcopis & Presbyteris per Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Suediam, Daniam, Ungariam, Bohemiam, Helvetiam, aliaſque regiones ſucceſſerunt, & ab eis ordinati, poſt ſe alios ordinarunt. Succeſſerunt etiam quoad doctrinam piis viris, qui in tenebris ſynagogæ Romanæ & Pontificiæ lucem aſpexerunt, & contra ejus corruptelas fortiter prædicarunt.

Aſſerit ſextò, *nos ſucceßionis ordinem & neceßitatem negare, & proinde nullam habere.* Quaſi verò non habeant Orientales Eccleſiæ ſucceſſionem Epiſcoporum, qui tamen non ſolent eam paſſim venditare: & non habeantur multa in Eccleſiis, quæ tamē non ſunt omnino neceſſaria. Præterea, „ *nec verum eſt, nos ſucceßionis ordinem & neceßitatem quoad doctrinam negare.* HANC enim maximè urgemus: hanc neceſſariam putamus: hanc adverſarii oſtendere non poſſunt.

Fert igitur animus, Deo favente,

Digitized by Google

Succeſſio doctrinæ neceſſaria maximè in Eccleſia.

hanc quæſtionem paulò exquiſitiùs tractare ad Adverſariorum accuſationem. PONTIFICII ingraviſſimum præjudicium Eccleſiarum orthodoxarum, magnis verborum ampullis clamitant: Etſi eæ doctrinam ſuam multis teſtimoniorum Scripturę Propheticæ & Apoſtolicæ plauſtris confirment, veras tamen Eccleſias Chriſti non eſſe, nec doctrinam ipſarum veram, niſi CONTINUAM SUCCESSIONEM EPISCOPORUM ET DOCTORUM SUORUM, & originem ſuam è proximè antegreſſâ Eccleſiâ, ac ita retrorſum ab Eccleſia ad Eccleſiam uſq; ad Apoſtolos probent & demonſtrent.

Duo igitur in hac quæſtione Theologica demõſtrabimus ad eam ſolvendam, ut ſpero, & diluẽdam, ut Lectori ſatisfacturi videamur. PRIMUM, ſucceſſione doctrinæ & fidei, abſq; *viſibili & perſonali* ſucceſſione, verã Eccleſiam conſtitui & demonſtrari. DEINDE, ſucceſſione *viſibili & perſonali*, abſque ſucceſſione doctrinæ & fide Eccleſiam veram nec conſtitui, nec demonſtrari.

PRIORI demonſtrationi ſubſternimus ſequentia Scripturæ loca. *Ephe.2.20.* *Superſtructi eſtis ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, quum imus lapis angularis ſit ipſe Jeſus Chriſtus.* Et Chriſtus: *Johan 9.31.32.* *Si manſeritis,* inquit, *in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & veritatem cognoſcetis.* *Joh 10.27.* Item: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur eam.* *1.Pet.1.23.* Ac S. Petrus: *Regeniti eſtis,* ait, *non ex ſemine intereunte, ſed non intereunte, per ſermonem Dei vivi.* Rurſus Paulus 1.Tim 3.15. *Eccleſia Dei eſt, columna & ſtabilimentum veritatis.* Et Johannes Apoſtolus: *Joh.1.12.13.* *Quotquot eum acceperunt, dedit eis hoc jus, ut filii Dei fierent, iis qui credunt in nomen ejus. Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neq; ex volũtate viri, ſed ex Deo geniti ſunt.* Iterũ Apoſtolus Paulus: *Sicut Abraham credidit Deo, & imputatũ eſt ei ad juſtitiam: ita noſtis nempe eos, qui ex fide ſunt eſſe filios Abrahami.* Rõ.4. Gal.3.6.7.

Hic oritur nobis talis demonſtratio: Ejus rei ſucceſio, ſuperquam tanquam ædificium ſuper fundamentum ſuperſtruimur, quâ diſcipuli Chriſti efficimur, quæ oves Chriſti demõſtrat, è qua regeneramur ceu ſemine ἀφθάρτῳ & incorruptibili, & qua ceu fulcro à fundamento ſuſtentamur, quâ deniq; ſimus Dei & Abrahami filii, Eccleſiã veram conſtituit & demonſtrat. At iſta omnia & ſingula tribuũtur à locis ſupra poſitis ſucceſſioni doctrinæ Propheticę & Apoſtolicę & fidei Chriſtianę. Ergo ſucceſſio doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ & fidei Chriſtianæ, Eccleſiam veram conſtituit & demonſtrat.

Suffragantur & conſentiunt vetuſtiſſimi quique & doctiſſimi Patres. TERTULLIANUS de præſcr. hæret. *Etiam illa Eccleſiæ,* inquit, *quæ licet nullam ex Apoſtolis vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferant: tamen in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ.*

NAZIANZIANUS orat.31. *Apoſtolicè & ſpiritualiter ad Marci thronum evehitur* (Athanaſius) *non minùs pietatis, quàm primariæ ſedis ſucceſſor. Ut enim ſi hunc ſpectes, remotiſſimus ab eo futurus eſt: ita ſi illius rationem habeas, ſtatim illi proximus invenietur. Quæ quidem* PROPRIE *ſucceſſio exiſtimanda eſt. Nam qui eandem* „ *fidei doctrinam profitetur, ejuſdem quoque* „ *throni particeps eſt.* „

AUGUST. de civ. Dei, lib.6.c.3. *Vera religio*

Digitized by Google

religio, inquit, non à terrena aliqua civitate inſtituta eſt, ſed planè cœleſtẽ ipſa inſtituit civitatẽ. Eã verò inſpirat & docet verus Deus.

ALTERI demonſtrationi ſubſternimus ſequentia Scripturæ teſtimonia: Math 3 7. 9. *Progenies viperarum, quis vobis præmonſtravit, ut fugeretis à futura ira, &c. Et neputate dicendum apud vos ipſos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, Deum poſſe etiam ex lapidibus hiſce excitare liberos Abrahamo.* Ac poſtea: Cap. 23. 1. *In Cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi, &c. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, duces cæci, &c.* Idem Joh. 8. 39. 41. 44. *Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis, &c. Vos facitis opera patris veſtri. Vos ex patre Diabolo eſtis, &c.* Ac Paulus Apoſtolus: Rom. 9. 6. 7. 8. *Non omnes, qui ſunt ex Iſraële, ſunt Iſraël. Nec, qui ſunt ſemen Abrahæ, omnes ſunt filii, &c. Hoc eſt, non qui filii carnis, ii filii Dei, ſed qui ſunt filii promiſſionis, cenſentur in ſemine.* Et alibi: *Scio ex vobis ipſis exorituros, qui loquantur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant.*

Unde talis extruitur demonſtratio κατασκευαστικὴ & aſtruens. Quod progeniei viperarum, hypocritis & cœcis ducibus, filiis Diaboli & carnis, loquẽtibus perverſa, & diſcipulos ſeducentibus tribuitur, id Eccleſiam veram conſtituere & demõſtrare non poteſt. Atqui carnalis, viſibilis, localis & perſonalis ſucceſſio abſque ſucceſſione doctrinæ & fidei, tribuitur progeniei viperarum, hypocritis, cœcis ducibus, filiis Diaboli & carnis, loquentibus perverſa, & ſeducentibus diſcipulos. Ergo carnalis, viſibilis, localis & perſonalis ſucceſſio, abſque ſucceſſione doctrinæ & fidei veram Eccleſiam conſtituere & demonſtrare non poteſt.

In ſententiam concluſionis noſtræ diſcedunt antiquiſſimi & eruditiſſimi Patres. E quibus TERTULLIANUS de præſcript. hæreticorum: *Confingant,* inquit, *tale aliquid* (ſucceſſionem nimirum perſonalem) *hæretici. Sed etſi confinxerint, nihil promovebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diverſitate & contrarietate ſua pronuntiabit, neque Apoſtoli alicujus auctores eſſe, neque Apoſtolici. Quia ſicut Apoſtoli non diverſa inter ſe docuiſſent: ita Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent, niſi illi, qui ab Apoſtolis deſciverunt.*

Idem ibidem: *Ex fide probamus perſonas, non fidem ex perſonis.*

Irenæus nos jubet: *Omnes in Eccleſia presbyteros, qui à principali ſucceſſione* (quã chariſma veritatis vocat) *abſiſtunt, ſuſpectos vel quaſi hæreticos habere.* Et cap. 45. *Iis adhærere, qui doctrinã Apoſtolorũ cuſtodiũt.* Lib. 4 adverſ. hæret. cap. 43.

Huic ſuccinit AMBROSIUS, lib. de Pœnit. c. 6. dicens: *Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent.*

NAZIANZENUS orat. 3'. *Succeſſio* inquit, *ſedis nomen, ſucceſſio pietatis rem & ipſam veritatem habet ſucceſſionis. Neque enim qui per vim irrupit, ſucceſſor habẽdus eſt, ſed qui vim perpeſſus eſt: nec qui contrariam ſentẽtiam tuetur, ſed qui eadem fide præditus eſt. Niſi quis fortè ſe ita ſucceſſorem dicat, quemadmodũ morbum ſanitati, & tenebras luci & tempeſtatem tranquillitati, & dementiam prudentiæ ſuccedere dicimus.*

HIERONYMUS apud Gratianum diſtinct. 40. c. *Non eſt facile: Non ſanctorum filii ſunt, inquit, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui exercent opera ſanctorum.*

Non ergo ſucceſſio ſedis, ſed doctrinæ & fidei eſt cauſſa Eccleſiæ procreãs. Nec ſucceſſio carnalis ꝑpria & perpetua eſt Eccleſiæ nota, ſed ſola doctrinæ

Propheticæ & Apoſtolicæ profeſſio, ac Sacramentorum legitima adminiſtratio. Ideo tamen nec Pontificii veritatem fidei à ſucceſſione Epiſcoporum ſejungunt. Ac ſtatuunt, certum illud eſſe, Epiſcoporum ſucceſſionem & Paſtorum ad veræ Eccleſiæ conſtitutionem requiri, etſi ſola non ſufficiat. Sed longè certius eſt, Eccleſiam complectentem & profitentem puram Propheticam & Apoſtolicam doctrinam, eſſe verã Chriſti Eccleſiã, etſi deſtituta ſit ſucceſſione viſibili, locali & perſonali, inde ab Apoſtolorum temporibus continuatâ. Et talis eſt per Dei gratiam noſtra Euangelica.

Unitas fidei ut in Euangelicis ſit Eccleſiis.

Negat ſextò, *nos habere unitatem fidei*: & hoc probat teſtimonio Lindani, Staphili, Roſſæi & Cromeri. Sed JCti oſtẽdunt, nulli credendum eſſe in cauſſa propria deponẽti, præſertim ſi inimicitiis incitatus teſtimonium dicat. Ipſos mẽtitos eſſe, HARMONIA Confeſſionũ noſtrarũ docet. Inde n. videre licet, Eccleſias Ungaricas, Bohemicas, Germanicas, Gallicas, Anglicas, Danicas, Scoticas, aliasque Euangelium Chriſti profitentes, conſenſum perpulchrũ & permagnum alere ac fovere. Nec ad rem facit, quòd homines privati ſe mutuò literis & ſcriptis mutuò publicis oppugnarint. Nam privatæ diſſenſiones non ſunt publicæ Reipubl. vel Eccleſiæ luendæ. Apud Pontificios verò major & acrior eſt diſſenſio, etiam ſub maximo unitatis vel conſenſionis titulo, ut 1. exempla *Thomiſtarum, Occaniſtarum & Scotiſtarum* oſtendunt, 2. ipſorum *Pontificum*, qui non ſolùm ſcriptis, ſed etiam armis inter ſe contenderunt, 3. *aliorum* præcipuorum Eccleſiæ Romanæ membrorum, quæ non tantùm de finibus regionum, ſed etiam de Eccleſiæ jure pugnarũt, 4. *hodiernorũ quoque Theologorum* ac Pontificiorum, quorum de præcipuis religionis quoq; capitibus non minus ac rerum civilium negotiis diſſidia maxima comperiuntur. Unitas autem vel concordia & pax, quæ inter eos eſt, octo modis non niſi malam & perverſam ſe eſſe ipſa prodit. PRIMA enim eſt *Satanica*, de qua rectè dicitur, *ſerpens ſerpentem non lædit*. Hæc enim conſenſio inter Satanæ miniſtros eſſe ſolet, ob metum amittendæ potentiæ & auctoritatis, hactenus in Eccleſia uſurpatæ. Nam & Diaboli pacem inter ſe colunt, metu diſſipandi Pontificis regni, Math. 12. 25. SECUNDA eſt *Ethnica*, quum ſcilicet idcirco homines conſentiunt, ne inquieti & rixoſi videantur, licet alioquin errores graviſſimos inter ſe vigere agnoſcant. TERTIA eſt *Belluina*, qualis inter eos eſt, qui nihil omnino de religione intelligũt, ſed pecudum more aliorum opiniones ſequuntur. QUARTA eſt *Iſcariotica*, quum homines muneribus, ſeu præmiis corrupti, qualemcunque conſenſum inter ſe colunt, ne lucrum amittant. QUINTA eſt *Tyrannica*, quum minis & terroribus homines aliter ſentire prohibentur, qualem unitatem *Inquiſitio Hiſpanica* hactenus in Papatu fovit. SEXTA eſt *Herodiana*, quum ii, qui alioqui graviter inter ſe diſſident, tamen ob communes hoſtes è medio tollendos aliqua concordia utuntur. SEPTIMA eſt *culinaria*, ſive illa, quæ ventris cauſſa ſuſcipitur, qualis etiam inter Monachos, alioſq; Pontificios hactenus viget. Harum omnium

Digitized by Google

mnium vinculum eſt ſervilis unius capitis viſibilis veneratio & obſervatio, nempe Pontificis Romani, cui ſe partim ex hypocriſi, partim ex tyrannidis ipſius metu tanquam membra ſubmittunt. Huncque non in doctrinæ ſinceritate, ſed meris corruptelis ac præcipuis hęreſibus ſequuntur, quemadmodum Apocalypſ. 13. ℣. 16. omnis orbis incolæ parvi pariter & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi Antichriſtum ſequi dicuntur.

Hilarius in Auxent. ſub initio. Nazianz. orat. 1 de pace. Auguſtin. ſerm. 26. de verb. Dom.

Nos verò tum ex ſacra *Scriptura* Johan. 17. 11. 19. 20. Philip. 2. 3. 4. 5. 1. Johan. 3. 14 & 4. 7. tum ex ſanctis *Patribus*, diſcimus, *eam demū veram Eccleſia eſſe unitatē, qua in Chriſto fundata eſt*, hoc eſt, cū veritate verbi divini fidē in Chriſtū juſtificantem docentis conjuncta. Ac licet de *Cœna Domini, de perſona Chriſti, deq; Prædeſtinatione* aliquæ inter nos diſſenſiones ſunt: tamen ex *publicis* potiùs *Eccleſiarum Confeſſionibus*, uti paulò ſuprà monuimus, quàm ex *privatis* quorūdam *ſcriptis* ſtatum Eccleſiarum noſtrarum reformatarum æſtimare debemus. Ubi omnino luculentum & ſolidū conſenſum, maximè in fundamentali doctrina apud omnes Euangelicos eſſe deprehēditur. Quā de re locuples teſtimonium perhibere poteſt Harmonia Confessionum, nomine præcipuarum Eccleſiarum ante aliquot annos evulgata. Atque hæc conſenſio non *ſimulata*, nec *coacta* ſeu per tyrannidem extorta, ſed ultrò & ſponte ſuſcepta, atque *in uno Dei verbo fundata eſſe* reperitur, ut privatorum ſimultates publicæ tranquillitati poſtponantur. Quare etſi viſibile illud Eccleſiæ Pontificiæ caput reſpuimus: tamē cum vero Eccleſiæ Catholicæ capite, Jesu Christo, unitatem arctiſſimam retinemus. Ad hæc omnes ad ſacram Scripturam, tanquam ſupremum κριτήριον, ſeu unicam judicandi normam, atque adeo tanquam ad infallibilem Judicem confugientes, certam & minimè fallacem dirimendarum controverſiarum regulam habemus. Neque enim unquam firma & fida in Religione concordia ſperari poterit, quādiu ſacra Scriptura pro unico Controverſiarum Judice non agnoſcitur. Etſi enim externa quædam conſenſio, ſeu qualiſcunque conſpiratio, fortaſſis alia quapiam via obtineri; contraque diſſenſio publica fortaſſis aliter vitari poteſt: nulla tamen *interna* pax animorum, nulla etiam conſcientiæ tranquillitas, nulla denique vera concordia erit, niſi ſinguli id, quod de Religione tenent, in Scripturis fundatum eſſe noverint.

Quòd ergo aſſerit Stapletonus ultrà, nos *negare unitatem fidei eſſe neceſſariam*, falſiſſimum eſt. Et tam gravis accuſationis, niſi ſe Sycophātam demonſtrare vellet, firmas afferre debuit rationes. Quid autem ille? Profert ridiculè quorundam teſtimonium, qui *inter antiquos Patres diſſ dia fuiſſe dicunt*. At nos etiam ipſos Apoſtolos & Apoſtolicos viros inter ſe diſſenſiſſe, ex Gal. 2. 14. & Act. 11. 2. & 15. 38. fatemur. Sed poſſunt de rebus levioribus interdum pii quoque contēdere ſalvâ Chriſtianâ fide & doctrinæ ſumma: & nobis vel ſingulorum dicta vel Patrum facta nō ſunt præſtanda.

Objectiones plures & acriores Papiſtarum de viſibili Eccleſia.

Poſtremò, Bellarminus lib. de Eccleſia milit. cap. 11. 12 & 13. plures & acriores objectiones de viſibili Eccleſia in medium

Digitized by Google

detur ſicut Luna deficere,ſed NON DEFICIT. *Obumbrari poteſt, ſed deficere non poteſt.* Et cap.8. *Proſpiciens ergo Eccleſia ſicut luna defectus habet & ortus frequentes: ſed defectibus ſuis* CREVIT *& his meruit ampliari, Dum perſequutionibus minuitur, & Confeſſorum martyriis coronatur.* Auguſtinus Epiſt. 49. *Ipſa Eccleſia aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur.*

Sub Papatu an fuerit Eccleſia viſibilis ſemper.

Ejuſmodi erat Eccleſiæ ſtatus, durãte & dominante Papatu. Etſi enim Papiſtis Eccleſiæ titulum minimè concedimus: tamen Eccleſiam apud eos fuiſſe non inficiamur, ſed ultro fatemur. Non enim tam ſtupidi ſumus, ut Eccleſiam tot ſeculis interiiſſe credamus: quemadmodum horrendi & execrandi hæretici Donatiſtæ ſua ſibi amentia finxerunt. Nam viſibilis Eccleſia dicitur ꝓpter viſibile miniſteriũ in prædicatione Euangelii & adminiſtratione Sacramentorum ſitum. Nam Eccleſiæ viſibilis propria nota eſt illa, quę immediatè fluit ex forma illius, vocatione nempe Dei & illi convenientiſſimè reſpondet, nimirum doctrina verbi Dei revelata & comunicata, Sacramentorumque adminiſtratio legitima, qua vocationem illam operatur & efficit in Eccleſia ſuâ Dominus. Atq; hæc nota ita eſt Eccleſiæ propria, ut cũ illa neceſſario reciprocetur. Hocque à contrario veritatis, nempe errore cõfirmatur. Quid enim eſt error? Annon eſt dogma veritati Scripturæ ſacræ ſeu verbi Dei contrarium? Error igitur judicatur ex Scripturâ, ſeu verbi divini doctrina. Atqui ſi errores agnoſcuntur & judicantur ex Verbo Dei, ſanè verbum Dei erroris cognitionem & depulſionem adferens, arguit & notat Eccleſiam, id quod nos conſtanter contra Papicolas affirmamus. Si itaque ex hypotheſi Eccleſia conſpicua eſt & pura veraque eſt Eccleſia, non errans ideo id erit, quia & quatenus Eccleſia Verbum Dei & vocem Chriſti habet, audit, atque ſequitur. Ergo Verbum Dei & vox Chriſti eſt vera Eccleſiæ viſibilis ut & puræ nota: quæ eſt noſtra ſententia.

Math. 28. 19. Marc. 16. 15. 16. Joh. 3. 5. & 10. 27. & 17. 20. 1. Pet. 1. 23. Rom. 10. 17. 1. Cor. 1. 21. & 3. 5.

Hoc modo Eccleſia Euangelica ſemper fuit tum conſpicua & viſibilis, tum pura atque non errans in medio quoq; Papatu. Nimirũ quia ſemper fuit prædicatum, vel lectum & conſideratũ accreditum Verbum Dei ſeu Euangelium, & Sacramenta adminiſtrata, quibus ipſa vocata, & ex quibus enata eſt, & per quæ adhuc conſervatur utpote legitima inſtrumenta & media colligendi ſeu vocandi Eccleſiam. Simul ex iiſdem mediis ſemper aliqui extiterunt, qui fermento errorum, quib. pura doctrina verbi & adminiſtratio Sacramentorum inquinata, ipſiusque Eccleſiæ fulgor obſcuratus fuit fortiter contradixerunt & reſtiterunt. Ac impletum hoc Pauli 1. Cor. 11. 19. *Oportet autem hæreſes eſſe inter vos, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos.*

Nec enim Eccleſiæ viſibili promiſſum & conceſſum, ut tum planè & ſimpliciter non erret, ac nunquam impura ſit, tum penitus atque abſolutè non obſcuretur, & nunquam inconſpicua ſit. Ita enim eſſet Deus, & jam adhuc in terris militans triumpharet. Simul igitur Eccleſia viſibilis & pura interdum deliquium paſſa eſt, tam in puritate quàm luce ſua. Nimirum quoties neglecta Chriſti voce mercenarii vocẽ

eſt

Digitized by Google

eſt ſequuta, Joh. 10. & luce ſuâ non firmiter retenta, tenebris ab Antichriſto inductis implicita fuit: 2. Teſſ. 2. Sic & Apoſtoli atque diſcipuli Chriſti errabant, ſeducti cogitationibus de regno Meſſiæ mundano, ac Gentibus ab Eccleſia ſecludendis. Et eò rem Eccleſiæ aliquando deventuram, Chriſti atque Apoſtolorum ſeriæ admonitiones de cavendis ſeductoribus innuunt Math. 7. 15. & 24. 4. 23. 25. Act. 20. 28. 29. 30. 31. 1. Tim. 4. 24. 1. 2. 3. Tit. 1. 9. 10 11.

Act. 1. 6 & 10. 14. & 11, 3.

Ubi ſub Papatu fuerit Eccleſia viſibilis & pura.

Cavillantibus igitur & perludibriū quærentibus, ubinam illa viſibilis & pura Eccleſia ſemper fuerit tempore Papatus? Reſpondemus: Ibi, ubi Deus eam novit: juxta Apoſtoli 2. Tim. 2. 19. teſtimonium. Per ſe autem à Papatu perſequutionem tam per doctrinæ corruptelas, quam per vim paſſa, fuit in membris ſuis, id eſt, verè fidelibus, qui ſeipſos & viderunt & cognoverūt inter ſeſe, atque ab iis etiam videri & cognoſci potuerunt, à quibus perſequutionem ſuſtinuerunt. Eorundem aliqui in genere Papatus errores utcunque agnoſcentes, ex animo reformationem ſæpiùs deſiderarunt: alii Papatui animoſè contradixerunt, ut videre eſt in Catalogo teſtium veritatis: plerique autem modò latuerunt, vi oppreſſi, ut & hodie fit multis in locis ſub Papatu nondum repurgato, modò clam convenerunt, modo diſperſi fuerunt.

Ac licet variis etiam errorib. & hæreſibus fuerint involuti: præter volūtatem tamen ipſorum ex accidente, temporum & præſulum vitio id illis evenit. Interim fundamentum purioris doctrinæ & veritatis præſertim Chriſtum vel in agone mortis per ignis probationem & examen conſcientiarum retinuerunt. Adigente enim huc ipſos tandem conſcientiæ vi & neceſſitate, quum non aliud auxilium & ſolatium animabus reperirent, unico CHRISTO & ejus paſſionis merito inhæſerunt. Eundem ſolum nec divos & ſanctos invocarunt. Ac ita à fundamento nec per inferorum portas divelli, neque ad interitum ſeduci potuerunt.

1 Cor. 5. 11. 12. 13.

Reformatio viſibilem Eccleſiam Dei gratia reſtituit penitus.

Quum verò poſteris temporibus Deus ex ſingulari ſua bonitate Henochum & Heliam, ſecundùm vaticinia vetera, Mal. 4. Eccleſ. 44. & 48. Math. 17. 12. Marc. 3. Apoc. 11. 3. Math. 11. 14. id eſt, fidos veritatis teſtes & Euangelii præcones, ſcientiâ ac virtute Henochi & Heliæ præditos excitaſſet, alacriter ac fortiter ii veritatis lumen per conſtitutiones & traditiones humanas ſub ſcamnum & lectum detruſum, nobis in apertum retulerunt. Unde viſibilitate & puritate majore reſtituta, meritò ac jure à Babylone occidentali verā ad Eccleſiam trāſivimus, hac Angeli voce moti: *Exite ex ea, ſcilicet*, Babylone occidentali, *popule mi, ne participes ſitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.*

Apoc. 18. 4.

Notas oſtēdunt Euāgelici Eccleſia veras.

Veræ & genuinæ & propriæ Eccleſiæ Catholicæ atque ordoxæ notæ, quibus eam conſpicuam & viſibilem publicè ac privatim, domi foriſque reddimus, ſunt pura verbi divini ac ſacroſancti Euangelii ex libris canonicis utriuſque Teſtamenti Dei juxta analogiam fidei, ut Apoſtolus Rom. 12. 6. monet, explicatio & prædicatio, cui

Digitized by Google

legitimam Sacramentorum adminiſtrationem conjungimus. Has enim eſſe veras, germanas & proprias Eccleſiæ Catholicæ & orthodoxæ notas, tã ſacra Scriptura quàm vetuſti Patres docent.

Joh. 8.31. ubi Chriſtus ait: *Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.* Et cap. 10.27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.* Idem Apoſtoli 2. Joh. 9. & 10. Act. 2. à verſu 17. uſque ad 36. & ℣. 42. ubi prima Eccleſia Chriſtiana *perſeveraſſe in doctrina* Apoſtolorum ſcribitur: Et 2. Pet. 1.19. Epheſ. 2.20. docent. Adhæc Math. 28. 19. ubi Chriſtus mandat: *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia, quæ præcepi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.* Item, 1. Cor. 11.25. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis,* nempe Cœnæ Dominicæ celebrationem. Ac eadem Sacramenta Math. 3. 12. Marc. 16.16. Act. 2 38. & 42. Epheſ. 5.20. 1. Cor. 6.11. Math. 26. 26. Marc. 14.22. Luc 22.17. 1. Cor. 10.2. 3.4.16.17. & 12.13. aliiſque locis, quæ habent eandem vim & conſequentiã commendantur.

In Math. hom. 49. Patres; ut Chryſoſtomus, qui: *Nunc,* inquit, *nullo modo agnoſcitur, quod ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per Scripturas.* Item: *Qui ſunt in Chriſtianitate volentes accipere firmitatem fidei veræ, ad nullam rem confugiant, niſi ad Scripturas. Alioqui ſi ad alia reſpexerint ſcandalizabũtur & peribunt, non intelligentes quæ ſit vera Eccleſia.*

De unitate Eccleſiæ, cap. 2. Auguſtinus: *Sunt,* inquit, *libri Dominici, quibus utrique credimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſſam noſtram.* Item: *Nolo humanis documentis, ſed divinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari.*

Epiſtol. 118. ad Laurẽt. De Sacramentis autem idem: *Primò* inquit, *tenere te volo, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſicut ipſe in Euangelio loquitur, levi jugo ſuo nos ſubdidiſſe, & ſarcina levi. Unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facilimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi Salvator colligavit. Sicut eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſiquid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.*

De doctrina Chriſtiana, lib. 3 cap. 9. Item: *Hoc tempore, inquit, poſtquam reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti manifeſtiſſimum noſtræ libertatis indicium illuxit, ne eorum quidem ſignorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati ſumus: ſed quædam pauca pro multis, eademq́ facilima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima,* IPSE DOMINUS *& Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt* BAPTISMI SACRAMENTUM, & CELEBRATIO CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI. *Quæ unuſquiſque quum percipit, quo referantur imbutus agnoſcit, ut ea non ſervitute carnali, ſed ſpirituali libertate uteretur.*

Hæc, inquam, quum recuperaverimus, annon jure meritoq́ue à Papatu iis puris carente, ad eadem reverſi ſumus? ſicut Deus præcipit: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, ſed revertere ad me.* *Ierem. 3.1.* Hæc quum dies noctesq́; exerceamus & uſurpemus, iis ſumma cum libertate per immenſam Dei beneficentiam fruentes, annon propriis & infallibilibus verè Catholicæ atque orthodoxæ Eccleſiæ viſibilis exornati, vera Dei Eccleſia ſumus?

Pu-

Digitized by Google

Calumnia de juſtis ſolis in Euangelicis Eccleſiis bona.

Pudeat ergo Bellarminum nos Donatiſtis ſimiles dicere. Pudeat omnes Papiſtas, nos ullo modo Donatiſtis ſimiles exiſtimare. Nam ut pro Dei clementia ſingulari noſtram Eccleſiam juſtos multos habere, qui & fidei in Chriſtum, & doctrinæ Sacramentorumque ſinceritati toti ex animo ſtudent, negare non poſſumus, & ſi negaremus, exemplis juſtorum revinceremur: ita ſimul admixtos eſſe ſecundũ parabolas S. Johannis *de paleis*, & Chriſti *de zizaniis, grano ſynapis, fermento, ſageнâ*, malos atque injuſtos, minùs inficiari quimus, aut ſi inficiaremur, exemplis ipſis injuſtorum redargueremur. Nihilominus tamen eam eſſe veram Eccleſiam, exercitium publicum fidei, prædicationis Euangelicæ, adminiſtrationiſque Sacramentorum Chriſti, cum diſciplinæ gravitate & ſanctitate conjunctæ, numeruſque diligenter his deditorum arguit & demonſtrat.

Math. 3.12. & 13. per totum.

Calumnia de interitu Eccleſia bona.

Adhæc, adeò longè abeſt, nos defectum & interitum Eccleſiæ inſtar Donatiſtarum ſomniare, ut Deum reliquias ejus ſingulari atque incredibili ope ſemper inter ſæviſſimos apros ac lupos, ejus devaſtationi & oppreſſioni cupidiſſimè & crudeliſſimè inhiantes, conſervaſſe, agnoſcamus & prædicemus. Fatemur quidem, Pontificum Romanorum tyrannide Eccleſiam in maximas anguſtias nõ rarò redactam, quandoq; privatis ſe quaſi parietibus incluſiſſe, & in locis deſertis hîc & illic ad tempus delituiſſe. Nemo autem noſtrûm tam delirat, ut putaret, nedum diceret ritu Donatiſtico, eam periiſſe. Quin ut Phœnix avis exuſta de cinere renaſcitur, atque ad antiquã redit naturam, & ad ſua loca revertitur: ſic Eccleſia Paparum inſidiis atque ignibus furoris & immanitatis ceu conſumpta & combuſta, è favillis & cineribus vento Spiritus divini denuò excitata eſt, ut exurgere potuerit rediviva, paulatim vires reſumpſerit, & proceſſu temporis vigore, orthodoxæ, fidei & doctrinæ, Sacramentorũq; legitimorum reparata, in juſtæ Eccleſiæ formam redacta ſit. Hocque tam certò & largiter eſt cõſequuta, ut ipſas etiam Papatus hæreſes & furores, à quibus antea penè oppreſſa fuit, nunc vincat, reprimat, confundat. Nam particulares Eccleſiæ ſæpiſſimè totæ everſæ ſunt, & vix ullo modo vel membrum earum reſervatum eſſe eſt viſum. At Deus ſemper radicem ac ſemẽ aliquod ejus reſervavit, unde aliæ enatæ ſunt. Multæ item Eccleſiæ novæ in aliis regionibus conſtitutæ ſunt, vel ex illarum everſarum reliquiis, vel ex doctrina verbi divini & adminiſtratione Sacramentorum, quæ media ſunt Eccleſiæ conſtituendæ, & ſemen ex quo illa procreari ſolet.

Calumnia de vigente tantùm Eccleſia in locis Septentrionalibus falſa.

Nec quiſquam eſt tam delirus apud nos, ut Eccleſiam ſolùm in Septentrionalibus noſtris regionibus vigere putet, quemadmodum Donatiſtæ eam intra anguſtos tantum Africæ limites ſervatam verſari opinati ſunt. Nam Eccleſia Euangelica & orthodoxa apud nos reſuſcitata pedetẽtim inadolevit, & lõgè lateque ſeſe dilatavit, licet Paparum & Papiſtarum rabies eam ſummè odio habuerit, & oppreſſam voluerit. Quin etſi ex Papiſtis non modò homines privati, ſed ſummi etiam duces templa noſtra ſubverterunt, codi-

ces ſacros conſcripſerunt, ſordibus conſpurcarunt, concremarunt, menſas Domini ac ſanctiſſima Sacramenta dictis factiſque profanarunt, pariterque ſenes & pueros, viros & fœminas, cives ac ruſticos mactarunt, idque ex juſſu Concilii Tridentini & Pontificis ſui maximi ad omne ſcelus ac maleficium eos exhortantis & incitantis egerunt paſſim in Eccleſiis noſtris particularibus: tamen Eccleſia noſtra Euangelii prædicatione & explicatione orthodoxâ, magis magiſque diffuſa eſt etiam in Aquilonares, Orientales & Occidentales regiones. Quin per univerſum orbem terrarum gentes immaniſſimas ſubegit, & efficaciſſimam habuit doctrinam, quæ pluribus in locis extra Septentrionem recepta eſt, commentitiis Romanæ Eccleſiæ traditionibus & ſuperſtitionibus antiquatis, quam Pontificii putabant & cupiebant. Hucuſque admirabili Dei benignitate ac Spiritus ſancti virtute, vera Eccleſiæ noſtræ orthodoxæ & Euangelicæ membra licet magnis ſpaciis diſſita & diviſa, fidei tamen unius conſenſu & charitatis glutine arctiſſimè conjuncta ſunt, ut ea res Pontificiis ringentibus propterea inaudito miraculo ſit. Audéſne hæc negare quiſquam Adverſariorum? Convincitur reipsâ, & teſtimoniis plurimarum gentium veritas horum demonſtratur. Ceſſent igitur, quæſo, à putidis & pellucidis iſtis calumniis Pontificii, quib. nobis Donatiſtarum hæreſin, qua illi Eccleſiam ex juſtis duntaxat conſtare & alibi ubique, præterquam apud ſuos interiiſſe commenti fuerant. Ceſſent de nobis ſpargere, quaſi Eccleſiam ſolummodo in ſeptentrionalibus oris degere doceamus. Aut ſi non ceſſabũt, ſed è Scriptis ſpargere & de pulpitis ſuis declamitare talia pergent, ſciant Deum ſceleratiſſimè confictas iſtas criminationes in nos minimè inultam paſſurum progredi, ac nobis quoque viam acrius eam retundendi monſtraturum, rationemque ſubminiſtraturum.

Quovè minus ſubſidii poſt hac Papiſtis in tantis calumniis ſupereſſe poſſe ſentiatur, in præſenti præcipuas eorum objectiones, quibus ſe non calumnias ſed veritates in tribuendo nobis tres illas Donatiſticæ hæreſis opiniones proponere contendunt, paucis ipſorúmet verbis recitabimus, & cenſurâ noſtra per ſolidas, ut ſpero, ſolutiones diluemus. *Objectiones Adverſariorum.* Stapletonus fingẽs cũ reliqua Põtificiorum turba, Eccleſiæ notam eſſe egreſſum ex Hieroſolymâ, regerit in nos: *Noſtram Eccleſiam non cœpiſſe à Hieruſalem.* Ergo nõ eſſe veram Eccleſiam. *Relect. princ doctr. controv. 1. q. 5. art. 2.* Sed nullum nec ipſe, nec alii Papiſtæ dogma noſtrum proferre poſſunt, quod non inde profectum ſit. Tantum dicit: *Nullos nos prædicatores legitimè miſſos oſtendere poſſe.* Sed valde falſus eſt. Nam & Apoſtoli & omnes eorum legitimi ſucceſſores noſtra dogmata, quæ nos habemus in noſtra Eccleſia, prædicarunt: nec ullo in ſeculo veri prædicatores veritatem hanc noſtrorum dogmatum prædicare deſierunt. *Eccleſia Euangelica è Hieroſolymitana propagata.* Imó ex ſynagogæ Romanæ paſtoribus nonnulli noſtra dogmata è Hieroſolyma egreſſa, atque ad poſteros volumine Veteris ac Novi Teſtamenti tranſmiſſa propugnarunt. Ipſáque prima Eccleſia Romana noſtra

dogmata

Digitized by Google

dogmata tenuit, defendit, ad nos propagavit, ut Epiſtola ad Romanos evincit. Nec ea unquam Eccleſia Romana improbare cœpit, antequam fermento ſuo Pontifices Romani & eorum aſſeclæ veram illorum doctrinam corruperunt. *At*, inquit ille, *Proteſtantium ſocietas incepit Wittenbergæ, & hoc omnes hiſtorici teſtantur ibi Lutherum prædicare cœpiſſe.* Quaſi verò quæ corrupta aliquo in loco Chriſti doctrina, eam ad primam inſtitionem more Apoſtoli revocare conatur, novam Eccleſiam inſtituat, & non ridiculum ſit ſynagogæ Romanæ tempora à ſynodo, Tridentina computare, licet poſtea magna in doctrina Eccleſiæ Romanæ facta eſſet mutatio; & non conſiſtat Eccleſia in dogmatum veritate potius, quàm in hominum ſucceſſione. Hoc ſanè exploratum habemus, eos qui Apoſtolicam doctrinam prædicant, eam prædicare quæ Hieroſolimis fuit prædicata, teſtante toto libro Actorum Apoſtolicorum, & inde ex iis in orbem terrarum, ac ideo non novam Eccleſiam fundare, ſed ad antiquã redire. Et ſi hęc nota Eccleſiæ eſt natam eſſe ex Hieroſolymitana Eccleſia, certè hanc Eccleſiæ notam ſeu conditionem noſtris reformatis Eccleſiis optimè convenire piis dubium eſſe non poteſt. Nam doctrinæ conſanguinitate (ut Tertulliani verbis utamur) Apoſtolicæ illi veréque primitivæ Eccleſiæ, Hieroſolymis olim ſemel inchoatæ, atque inde in univerſum orbem velut derivatæ, & ab illa paulatim, tanquam ſoboles à matre, propagatæ ſunt, arctiſſimæ cohærent. Etenim ne apicem quidem doctrinæ tenemus, quàm qui è Hieroſolymitanę Eccleſię doctrinâ decerptus, atque è tyrannidis Pontificiæ rictu liberatus eſt.

1.Cor.11.23.

Dicit ſecundò: *Nos docere Eccleſiam eſſe inviſibilem, & idcircò non pertinere nos ad Eccleſiam, quæ ſemper eſt viſibilis.* Argumentum ſanè ridiculum. Nam Adverſarii nunquam probabunt, Eccleſiam eſſe ita conſpicuam, ut ſemper videri queat, nec demonſtrabunt, quatenus Catholica eſt & omnes complectitur, ab aliquo videri poſſe. Etenim verã Eccleſiã Catholicã, in ſe ſuaq; natura cõſideratam, nullis mortaliũ oculis aſpectabilẽ eſſe, ſatis evidẽter ſuprà probavimus. Externam verò ejus congregationem ſive gubernationẽ ac publicã fidei profeſſionẽ, in particularibus ac viſibilibus quoque Eccleſiis, aliquando ſaltem adeò obſcurari, ut ipſa vel nulla prorſus, vel admodum ignobilis & exigua in oculis hominum, appareat, non modò ex hiſtoria Eccleſiæ veteris Teſtamenti (qualis Gen. 6. & 12. item 1. Reg. 19. & 2. Reg 16. ac deinceps deſcribitur) verum etiam iis locis novi Teſtamẽti, quæ de generali quadam externæ Eccleſiæ defectione & obſcuratione vaticinantur, addiſci poteſt. Unde perſpicuum, Eccleſiam verè Chriſtianam Judaicæ parem eſſe, quatenus utramque, reſpectu externorum cœtuum & rerum earum, quæ palàm ac publicè in iis tractari debent, interdum miro Dei judicio (ſed Eccleſiæ ferè ipſius peccantis & caſtigationem Dei accerſentis vitio) obſcurari, & velut in latebris ac tenebris occultari contingit. Interim ſemen quoddã piorum, ſive reliquias quaſdam electas, ut Apoſtolus vocat, tunc quoque divinitus

Viſibilis & inviſibilis, ut ſit Eccleſia Euangelicorum.

Math. 24. Luc. 18. Apoc. 12 & 13. 2. Teſſ 2. 1. Tim. 4. & 2. 3.

Rom. 9. & 10. & 11.

diuinitus extraordinaria quadam ratione conſervari dicimus: quemadmodum Iſa.1.& 10. Rom.9.& 10. promittitur. Atque has etiam reliquias, quantumvis miſerè diſſipatas, officiū ſuum in vero Dei cultu continuando, fide Chriſtiana profitenda,& charitate juſtitiaque erga omnes exercenda, tunc quoque facere aſſerimus: licet interim mundo minùs conſpicuæ, aut vulgo non admodum notæ ſint. Nam ut ipſe Deus & Chriſtus: ſic vera in Chriſtum fides, & univerſus ſpiritualis Dei cultus, res ſunt hominibus mūdanis omnino incognitæ, ut 1. Joh.3.& 4. 2. Cor.5.& 6. docetur. Præterea nemo noſtrum aſſerit ſimpliciter, Eccleſiam eſſe inviſibilem. Nam & homines videmus, qui pertinent ad Eccleſiam, & multa peragi videmus nomine Eccleſiæ in Eccleſiis viſibilibus, quę ad veram Eccleſiam ſpectāt. At tū illo modo tum hoc noſtrā Eccleſiā ſeſe habere, lippis & tōſorib. notū eſſe poteſt.

Catholica ut ſit Eccleſia Euangelicorum.

Dicit tertiò, *Eccleſiam noſtram non eſſe Catholicam vel univerſalem, tum quia non crevit per omnes gentes, tum non communicat cum Eccleſia majorum, tum denique quia non communicat hodie cum omnibus gentibus Chriſtianis.* Sed ſi per Catholicam & univerſalem intelligit eam, quæ omnes ſimul fideles omniū gentium comprehendit, particulares Eccleſiæ quales noſtræ ſunt, ad eam pertinere nulla ratione poteſt negari. Si autem per Catholicam & univerſalem intelligit illam, quæ Catholicam & univerſalem verorum fidelium fidē profitetur, tunc fides noſtra per omnes gentes propagata eſt, & eſt noſtra Eccleſia Catholica, & communicat cum Phophetarum atque Apoſtolorum & ſanctorum Patrum & omnium majorum verè credentium Eccleſiis. Nec relinquit Eccleſiam Romanam, niſi ubi ipſa Catholicam fidem & majorum communionem deſerens, novam ſibi ſynagogam, tanquam Antichriſti ſacellum, ex Eccleſiæ ruderibus ædificavit, eaq; docet & tenet potiſſimū, quæ inſulſiſſimi aliquot Pontifices Pontificiis credenda obtrudunt. *At inquit ille, Concilia generalia, ſanctorum Patrum & doctorum auctoritatem, & conſenſum veteris Eccleſia rejicitis.* Verùm hoc non verbis proloquendum, ſed probandum erat. Et ut omnes hujuſmodi ſycophantias Papiſticas cernere atque odiſſe diſcant, teſtantur omnes noſtri libri nos cum Conciliis generalibus, ſanctis Patribus & doctoribus, conſenſuique veteris Eccleſiæ in omnibus aſtipulari, quæ veritati ſacrarum literarum congruunt. Hocque palam profitemur, vehementer nobis Conciliorum & Eccleſiæ veteris antiquorúmque doctorum omnium conſenſum in probatis & veris probari, ac nullis niſi Apoſtolorum & Prophetarum & his conſentientium Patrum atque doctorum teſtimoniis niti. At adverſarii niſi in ſinum ſui Pontificis confugiant, ubi conſenſum Apoſtolorum, Patrum & doctorum veterum, atque antiquæ Eccleſiæ fidei Romanæ Eccleſiæ adverſari vident, nuſquam ſtare poſſunt. Noſq; eos rectè deſerimus, quia ipſi cum Prophetis, Apoſtolis, Patribus, doctoribusque probis ac ſanis & vetuſtæ Eccleſiæ in veritate minimè conſentiunt.

Aſſerit quartò, *doctrinam noſtram novam*

Nova ut non ſit Ecclesia atque doctrina Euangelicorum.

vam eſſe, & multitudini credentium incognitam, idq́, ex confeſſione noſtra probari. Sed ſi mendacium dicit, more ſuo facit. Noſtri ſanè nonnunquam, hoc faſſi ſunt: at ſic ſeſe habet. Ut labes & maculæ doctrinæ apud nos abſterſæ ſint: doctrina tamen eadem retenta eſt, quæ in utroque Teſtamento à Prophetis & Apoſtolis, atque antiquitus à ſanctis Patribus & probis doctoribus ſecundùm utrumque Teſtamentum tradita eſt. Et licet hæc doctrina cæcis atque imperitis hominibus nova viſa ſit: eſt tamen antiquiſſima. *At,* inquit ille, *proferte nobis doctores pios.* Inſulſè profectò & ridiculè. Quaſi non poſſit veritas conſtare, niſi de doctoribus conſtaret: & non fuiſſet Eccleſia inter decem tribus poſt defectionem Jeroboami, etiamſi nemo doctores ejus nominare poſſit. Præterea nominamus & proferimus Prophetas & Apoſtolos, & vetuſtiſſimos Patres. Nominamus & producimus aliquot pios Epiſcopos & Paſtores, in media Eccleſia Romana impietates atque hæreſes veras deteſtantes, & pro veritate Euãgelii ſinceri pugnantes. Nec obſtat, quod Papæ Romani & eis adhærentes ſacrifici, ſectatoreſque Romanæ Eccleſiæ iſtos hæreticos pronunciarunt. Nam illi Chriſtum JESUM, & Prophetas atque Apoſtolos, ſi nunc in terris verſarentur, & contra Pontificum Romanorum Romanæque Eccleſiæ impietates & hæreſes loquerentur, condemnarent ac hæreticos vocarent. Si enim nos, qui Chriſti & Prophetarum atque Apoſtolorum doctrinam ſequimur, hæreticos nuncupant, certè illos hæreticos vocare, ſi nunc nobiſcum in terris agerent, haud vererentur. Quum autem doctrina noſtra ſit verè antiquiſſima, licet nova videatur, profectò etiam Eccleſia noſtra, etſi videatur nova, eſt vetuſtiſſima.

Relect. princ. doct. pag. l. 138.

Succeſſionem legitimam, ut Eccleſia Euangelica habeat.

Aſſerit quintò, *nos ſucceſſione carere.* Atque hoc argumento *nos graviter torqueri* putat: ſed falsò & inani ſpe atque opinione. Nam in externa ſucceſſione, quam & hæretici ſæpe habent, & orthodoxi non habent, nihil eſt momenti. Ne ipſi quidẽ adverſarii de ſua ſucceſſione, quã tantopere jactãt, certi ſunt. At nos certi ſumus, doctores noſtros Apoſtolis, & Prophetis, & Patrib. antiquiſſimis ſucceſſiſſe. Iidem etiam, ſi quid ſit in externa ſucceſſione ponderis, Epiſcopis & Preſbyteris per Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Suediam, Daniam, Ungariam, Bohemiam, Helvetiam, aliaſque regiones ſucceſſerunt, & ab eis ordinati, poſt ſe alios ordinarunt. Succeſſerunt etiam quoad doctrinam piis viris, qui in tenebris ſynagogæ Romanæ & Pontificiæ lucem aſpexerunt, & contra ejus corruptelas fortiter prædicarunt.

Aſſerit ſextò, *nos ſucceſſionis ordinem & neceſſitatem negare, & proinde nullam habere.* Quaſi verò non habeant Orientales Eccleſiæ ſucceſſionem Epiſcoporum, qui tamen non ſolent eam paſſim venditare: & non habeantur multa in Eccleſiis, quæ tamẽ non ſunt omnino neceſſaria. Præterea, *nec verum eſt, nos ſucceſſionis ordinem & neceſſitatem quoad doctrinam negare.* HANC enim maximè urgemus: hanc neceſſariam putamus: hanc adverſarii oſtendere non poſſunt.

Fert igitur animus, Deo favente,

Digitized by Google

Succeſſio doctrinæ neceſſaria maximè in Eccleſia. hanc quæſtionem paulò exquiſitiùs tractare ad Adverſariorum accuſationem. PONTIFICII ingraviſſimum præjudicium Eccleſiarum orthodoxarum, magnis verborum ampullis clamitant: Etſi eæ doctrinam ſuam multis teſtimoniorum Scripturę Propheticæ & Apoſtolicæ plauſtris confirment, veras tamen Eccleſias Chriſti non eſſe, nec doctrinam ipſarum veram, niſi CONTINUAM SUCCESSIONEM EPISCOPORUM ET DOCTORUM SUORUM, & originem ſuam è proximè antegreſſâ Eccleſiâ, ac ita retrorſum ab Eccleſia ad Eccleſiam uſq; ad Apoſtolos probent & demonſtrent.

Duo igitur in hac quæſtione Theologica demõſtrabimus ad eam ſolvendam, ut ſpero, & diluẽdam, ut Lectori ſatisfacturi videamur. PRIMUM, ſucceſſione doctrinæ & fidei, abſq; *viſibili & perſonali* ſucceſſione, verã Eccleſiam conſtitui & demonſtrari. DEINDE, ſucceſſione *viſibili & perſonali*, abſque ſucceſſione doctrinæ & fide Eccleſiam veram nec conſtitui, nec demonſtrari.

PRIORI demonſtrationi ſubſternimus ſequentia Scripturæ loca. Eph.2.20. *Superſtructi eſtis ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, quum imus lapis angularis ſit ipſe Jeſus Chriſtus.* Et Chriſtus: Johan 9.31.32. *Si manſeritis*, inquit, *in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & veritatem cognoſcetis.* Joh 10.27. Item: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur eam.* 1.Pet.1.23. Ac S.Petrus: *Regeniti eſtis*, ait, *non ex ſemine intereunte, ſed non intereunte, per ſermonem Dei vivi.* Rurſus Paulus 1.Tim 3 15. *Eccleſia Dei eſt, columna & ſtabilimentum veritatis.* Et Johannes Apoſtolus: Joh.1.12.13. *Quotquot eum acceperunt, dedit iis hoc jus, ut filii Dei fierent, iis qui credunt in nomen ejus. Qui non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neq; ex volũtate viri, ſed ex Deo geniti ſunt.* Iterũ Apoſtolus Paulus: *Sicut Abraham credidit Deo, & imputatũ eſt ei ad juſtitiam: ita noſtis nempe eos, qui ex fide ſunt eſſe filios Abrahami.* Rõ.4. Gal.3.6.7.

Hic oritur nobis talis demonſtratio: Ejus rei ſucceſſio, ſuper quam tanquam ædificium ſuper fundamentum ſuperſtruimur, quâ diſcipuli Chriſti efficimur, quæ oves Chriſti demõſtrat, è qua regeneramur ceu ſemine ἀφθάρτῳ & incorruptibili, & qua ceu fulcro à fundamento ſuſtentamur, quâ deniq; ſimus Dei & Abrahami filii, Eccleſiã veram conſtituit & demonſtrat. At iſta omnia & ſingula tribuũtur à locis ſupra poſitis ſucceſſioni doctrinæ Propheticę & Apoſtolicę & fidei Chriſtianę. Ergo ſucceſſio doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ & fidei Chriſtianæ, Eccleſiam veram conſtituit & demonſtrat.

Suffragantur & conſentiunt vetuſtiſſimi quique & doctiſſimi Patres. TERTULLIANUS de præſcr. hæret. *Etiam illæ Eccleſiæ*, inquit, *quæ licet nullam ex Apoſtolis vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferant: tamen in eadem fide conſpirantes, non minus Apoſtolicæ deputantur, pro conſanguinitate doctrinæ.*

NAZIANZIANUS orat.31. *Apoſtolicè & ſpiritualiter ad Marci thronum evehitur* (Athanaſius) *non minùs pietatis, quàm primariæ ſedis ſucceſſor. Ut enim ſi hunc ſpectes, remotiſſimus ab eo futurus eſt: ita ſi illius rationem habeas, ſtatim illi proximus invenietur. Quæ quidem* PROPRIE *ſucceſſio exiſtimanda eſt. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejuſdem quoque throni particeps eſt.*

AUGUST. de civ. Dei, lib.6.c.3. *Vera religio*

religio, inquit, *non à terrena aliqua civitate inſtituta eſt, ſed planè cœleſtẽ ipſa inſtituit civitatẽ. Eã verò inſpirat & docet verum Deum.*

Alteri demonſtrationi ſubſternimus ſequentia Scripturæ teſtimonia: Math. 3. 7. 9. *Progenies viperarum, quis vobis præmonſtravit, ut fugeretis à futura ira, &c. Et ne putate dicendum apud vos ipſos, Patrem habemus Abrabam. Dico enim vobis, Deum poſſe etiam ex lapidibus hiſce excitare liberos Abrahamo.* Cap. 23. 1. Ac poſtea: *In Cathedra Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi, &c. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, duces cœci, &c.* Idem Joh. 8. 39. 41. 44. *Si filii Abrahami eſſetis, opera Abrahami faceretis, &c. Vos facitis opera patris veſtri. Vos ex patre Diabolo eſtis, &c.* Rom. 9. 6. 7. 8. Ac Paulus Apoſtolus: *Non omnes, qui ſunt ex Iſraële, ſunt Iſraël. Nec, qui ſunt ſemen Abrahæ, omnes ſunt filii, &c. Hoc eſt, non qui filii carnis, ii filii Dei, ſed qui ſunt filii promiſſionis, cenſentur in ſemine.* Et alibi: *Scio ex vobis ipſis exorituros, qui loquantur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant.*

Unde talis extruitur demonſtratio κατασκευαστικὴ & aſtruens. Quod progeniei viperarum, hypocritis & cœcis ducibus, filiis Diaboli & carnis, loquẽtibus perverſa, & diſcipulos ſeducentibus tribuitur, id Eccleſiam veram conſtituere & demõſtrare non poteſt. Atqui carnalis, viſibilis, localis & perſonalis ſucceſſio abſque ſucceſſione doctrinæ & fidei, tribuitur progeniei viperarum, hypocritis, cœcis ducibus, filiis Diaboli & carnis, loquentibus perverſa, & ſeducentibus diſcipulos. Ergo carnalis, viſibilis, localis & perſonalis ſucceſſio, abſque ſucceſſione doctrinæ & fidei veram Eccleſiam conſtituere & demonſtrare non poteſt.

In ſententiam concluſionis noſtræ diſcedunt antiquiſſimi & eruditiſſimi Patres. E quibus Tertullianus de præſcript. hæreticorum: *Confingant,* inquit, *tale aliquid* (ſucceſſionem nimirum perſonalem) *hæretici. Sed etſi confinxerint, nihil promovebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diverſitate & contrarietate ſua pronuntiabit, neque Apoſtoli alicujus auctores eſſe, neque Apoſtolici. Quia ſicut Apoſtoli non diverſa inter ſe docuiſſent: ita Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent, niſi illi, qui ab Apoſtolis deſciverunt.*

Idem ibidem: *Ex fide probamus perſonas, non fidem ex perſonis.*

Irenæus nos jubet: *Omnes in Eccleſia presbyteros, qui à principali ſucceſſione* (quã chariſma veritatis vocat) *abſiſtunt, ſuſpectos vel quaſi hæreticos habere.* Et cap. 45. *Iis adhærere, qui doctrinã Apoſtolorũ cuſtodiũt.* Lib. 4 adverſ. hæret. cap. 43.

Huic ſuccinit Ambroſius, lib. de Pœnit. c. 6. dicens: *Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent.*

Nazianzenus orat. 3'. *Succeſſio* inquit, *ſedis nomen, ſucceſſio pietatis rem & ipſam veritatem habet ſucceſſionis. Neque enim qui per vim irrupit, ſucceſſor habẽdus eſt, ſed qui vim perpeſſus eſt: nec qui contrariam ſentẽtiam tuetur, ſed qui eadem fide præditus eſt. Niſi quis fortè ſe ita ſucceſſorem dicat, quemadmodũ morbum ſanitati, & tenebras luci & tempeſtatem tranquillitati, & dementiam prudentiæ ſuccedere dicimus.*

Hieronymus apud Gratianum diſtinct. 40. c. *Non eſt facile: Non ſanctorum filii ſunt, inquit, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui exercent opera ſanctorum.*

Non ergo ſucceſſio ſedis, ſed doctrinæ & fidei eſt cauſſa Eccleſiæ procreãs. Nec ſucceſſio carnalis ꝑpria & perpetua eſt Eccleſiæ nota, ſed ſola doctrinæ

Digitized by Google

mnium vinculum eſt ſervilis unius capitis viſibilis veneratio & obſervatio, nempe Pontificis Romani, cui ſe partim ex hypocriſi, partim ex tyrannidis ipſius metu tanquam membra ſubmittunt. Huncque non in doctrinæ ſinceritate, ſed meris corruptelis ac præcipuis hæreſibus ſequuntur, quemadmodum Apocalypſ. 13. ℣. 16. omnis orbis incolæ parvi pariter & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi Antichriſtum ſequi dicuntur.

Hilarius in Auxent. ſub initio. Nazianz. orat. 1 de pace. Auguſtin. ſerm. 16 de verb. Dom.

Nos verò tum ex ſacra *Scriptura* Johan. 17. 11. 19. 20. Philip. 2. 3. 4. 5. 1. Johan. 3. 14 & 4. 7. tum ex ſanctis *Patribus*, diſcimus, *eam demũ veram Eccleſiã eſſe unitatẽ, quæ in Chriſto fundata eſt*, hoc eſt, cũ veritate verbi divini fidẽ in Chriſtũ juſtificantem docentis conjuncta. Ac licet de *Cœna Domini, de perſona Chriſti, deq; Prædeſtinatione* aliquæ inter nos diſſenſiones ſunt: tamen ex *publicis* potiùs *Eccleſiarum Confeſſionibus*, uti paulò ſuprà monuimus, quàm ex *privatis* quorũdam *ſcriptis* ſtatum Eccleſiarum noſtrarum reformatarum æſtimare debemus. Ubi omnino luculentum & ſolidũ conſenſum, maximè in fundamentali doctrina apud omnes Euangelicos eſſe deprehẽditur. Quâ de re locuples teſtimonium perhibere poteſt HARMONIA CONFESSIONUM, nomine præcipuarum Eccleſiarum ante aliquot annos evulgata. Atque hæc conſenſio non *ſimulata*, nec *coacta* ſeu per tyrannidem extorta, ſed ultrò & ſponte ſuſcepta, atque *in uno Dei verbo fundata eſſe* reperitur, ut privatorum ſimultates publicæ tranquillitati poſtponantur. Quare etſi viſibile illud Eccleſiæ Pontificiæ caput reſpuimus: tamẽ cum vero Eccleſiæ Catholicæ capite, JESU CHRISTO, unitatem arctiſſimam retinemus. Ad hæc omnes ad ſacram Scripturam, tanquam ſupremum κριτήριον, ſeu unicam judicandi normam, atque adeo tanquam ad infallibilem JUDICEM confugientes, certam & minimè fallacem dirimendarum controverſiarum regulam habemus. Neque enim unquam firma & fida in Religione concordia ſperari poterit, quãdiu ſacra Scriptura pro unico Controverſiarum Judice non agnoſcitur. Etſi enim externa quædam conſenſio, ſeu qualiſcunque conſpiratio, fortaſſis alia quapiam via obtineri; contraque diſſenſio publica fortaſſis aliter vitari poteſt: nulla tamen *interna* pax animorum, nulla etiam conſcientiæ tranquillitas, nulla denique vera concordia erit, niſi ſinguli id, quod de Religione tenent, in Scripturis fundatum eſſe noverint.

Quòd ergo aſſerit STAPLETONUS ultrà, nos *negare unitatem fidei eſſe neceſſariam*, falſiſſimum eſt. Et tam gravis accuſationis, niſi ſe Sycophãtam demonſtrare vellet, firmas afferre debuit rationes. Quid autem ille? Profert ridiculè quorundam teſtimonium, qui *inter antiquos Patres diſſidia fuiſſe dicunt*. At nos etiam ipſos Apoſtolos & Apoſtolicos viros inter ſe diſſenſiſſe, ex Gal. 2. 14. & Act. 11. 2. & 15. 38. fatemur. Sed poſſunt de rebus levioribus interdum pii quoque contẽdere ſalvâ Chriſtianâ fide & doctrinæ ſumma: & nobis vel ſingulorum dicta vel Patrum facta nõ ſunt præſtanda.

Objectiones plures & acriores Papiſtarum de viſibili Eccleſia.

Poſtremò, Bellarminus lib. de Eccleſia milit. cap. 11. 12 & 13. plures & acriores objectiones de viſibili Eccleſia in medium

Digitized by Google

tia divina eſt eorum, qui verbo Dei & gubernationi Eccleſiæ præſunt. Probatur ex Paulo Philip.1.1. ubi ait: *Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconis.* Et 1.Timoth.3. docens quæ ratio in eligendis Eccleſiæ miniſtris ſervanda ſit, quique ſint digni, & quod eorum officium, incipit ſtatim: *Si quis Epiſcopatum appetit, præclarum opus deſiderat.* Ac ſubdit: *Oportet igitur Epiſcopum eſſe irreprehenſum, unius uxoris virum, vigilantem, ſobrium, compoſitum, hoſpitalem, aptum ad docendum, non vinoſum, non percuſſorem, non turpiter lucri cupidum, ſed moderatum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia. Qui ſua domui bene præſit, qui liberos contineat in ſubjectione, cum omni honeſtate, &c.* Et inſtituens miniſtros Eccleſiæ Epheſinæ ad ſe Miletum vocatos, dicit: *Attendite ergo vobis ipſis & toti gregi, in quo vos Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendum Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſuo illo ſanguine.* Act.20.28.

Tit.1.5.7. Quum ergo uni civitati, adeoque uni Eccleſiæ particulari plures attribuantur à Spiritu ſancto Epiſcopi, & cujusque Epiſcopi munus non aliter deſcribatur, quàm cujusque presbyteri & Eccleſiæ ac verbi divini miniſtri, colligitur perſpicuè & certiſſimè Epiſcopum eſſe, qui ſimpliciter Miniſter Eccleſiæ vel verbi divini, ac concionator dicitur.

Epiſcopi & Epiſcopatus etymon. Nam Ἐπισκοπὴ, *Epiſcopatus* & Ἐπίσκοπος, *Epiſcopus* (quibus nominibus S. Paulus 1.Timoth.3. 1. ac 2. utitur) nomen ſecundùm etymon habet ab *inſpiciendo & obſervando*; ut ſit Ἐπισκοπὴ vel Epiſcopatus munus, præfecturaque inſpectionis, ſeu cuſtodia ad inſpiciendum atq; obſervādum quid vel aliquos inſtituta. Et Ἐπίσκοπος, inſpector, obſervatorq; rerum ſeu perſonarum. Aliter Græcè ἔφορος, inſpector, præſes, præfectus. Nam apud Arrianum lib.8. Ἐπισκόπων munus apud Indos erat videre, quid in quaque regione fieret, ut cognitâ ad Reges vel Magiſtratus referrent. PLUTARCHUS in Camillo: Θεοὶ, inquit, χρηστῶν ἐπίσκοποι καὶ πονηρῶν ἔργων, id eſt, *Dii ſunt bonorum & malorum operum inſpectores* vel obſervatores. Idem in Pericle: Πάντα δὲ εἶχε καὶ πάντων ἐπίσκοπος ἦν αὐτῷ Φειδίας, hoc eſt, *In omnibus diſponendis moderator & inſpector erat Phidias.*

Hinc traductis iis vocabulis ad munus Eccleſiaſticum apud Chriſtianos, Epiſcopatus nomen etiam eſt muneris ſeu officii ac præfecturæ, & nomen Epiſcopi, præſidis atque præfecti. Sed non imperii auctoritatis, nec dignitatis, ſed diligentiæ, laboris, curæ ac vigilantiæ ſingularis ac continuæ, pro Eccleſiæ alicujus hominumque ad eam pertinentium utilitate & ſalute excubans inſpiciendo, obſervando, explorandoq; tam res, quàm perſonas. Nam attendere debet, quomodo res divinæ ad verbi divini præſcriptū & normam fiant, quidve ſinguli credant, doceant, ſentiant, agant, & ut ſinguli ordines vivant in Eccleſia.

Teſtatur hoc Canon ille, qui dicit: *Epiſcopus vel Presbyter qui ſortem ſibi commiſſam aut populum negligit, non docendo eos pietatem, excludatur: perſeverans autem in iſta officii negligentia, deponatur.* Can 58. Et S. CHRYSOSTOMUS locum Apoſtoli explicans, ait: *Si quis Epiſcopatum appetit, non principatus aut dominationis faſtu,* 1 Tim.3.

ſed

Digitized by Google

ſed cura regiminis & charitatis affectu non improbo, bonum quippe deſiderat opus. Et libro 3. de Sacerdotio, quum δεινὸν, id eſt, *grave*, difficile, arduum ac durum hoc appellaſſet, addit: Ἐγὼ δ᾽ οὐ τοῦ ἔργου, ἀλλὰ τῆς δ᾽ αὐθεντίας καὶ δυναστείας ἐπιθυμεῖν, εἶπον εἶναι δεινὸν, hoc eſt, *ego verò nō ipſum opus appetere, ſed auctoritatē atq; potētiam* ſcil. appetere *grave eſſe dicebā*. Quare hîc non ſomniemus præbendas, auctoritatem & poteſtatem dicendi juris, aut gubernationem populi ac rerum Politicarum & Eccleſiaſticarum.

Epiſcopi deſcriptio. Eſtque Epiſcopus aliud nihil, quàm perſona legitimè vocata auctoritate divinâ, ut curam animarum ſibi commiſſi gregis gerat, hancque docendo verbum Dei purum, Sacramenta vera adminiſtrãdo, & diſciplinam ſanctam informando juxta Chriſti inſtitutionem paſcat, ad Dei gloriam, & Eccleſiæ ſalutem.

Legitimè igitur Epiſcopus vocari debet quoad alios, & ſeipſum. Quoad
Act. 1. 24. *alios*, ut in Actis Apoſtolorum paſſim
25. c. 6. 6. legitur, Deum tum immediatè Apo
c. 11. 20. c. ſtolos vocaſſe, tum per Apoſtolos
17. 2. 3. c. 14. mediatè cum Eccleſia, vel Presbyteris
23. c. 20 28. & Senioribus, vel delectis ab Eccleſia
c. 24. 23. vocaviſſe & ordinaſſe Epiſcopos, Pa
2. *Cor.* 8. 19. ſtores, Presbyteros & Diaconos, quos
Tit. 1. 4. 5. initio Eccleſiis præfecerunt: ita etiamnum fieri debet, quemadmodum diſertè exprimit & docet Paulus, dicens: *Hujus rei cauſſa reliqui te, ut conſtituas oppidatim Presbyteros*, quos mox ℣. 7. vocat *Epiſcopos, ſicut tibi mandavi.*

Legitimè autem vocãtur quoad *ſeipſos*, ſi non obtrudunt ſemetipſos muneribus, pollicitationibus, aliiſque viis illicitis, ſed ab aliis legitimè electioni ac vocationi præfectis, vocantur & eliguntur. Ne illis exprobrandum ſit id, *Currebant, & ego non non miſi eos.* Jerem. 5. 21. Rom. 10. 14. Heb. 5. 4. 5. Deinde, ſi quemadmodum pium eſt ad alios honeſtos labores ſeſe offerre, quibus & par ſis, & neceſſitas poſtulet officiū tuum: ſic quis appetit Epiſcopi munus afferendo mediocris induſtriæ & doctrinæ conſcientiam, vitæ integræ teſtimonium & ſubmittendo ſe accurato doctrinæ ac vitæ examini atque explorationi, relinquat judicium de ſe, ſuiſq; ad Epiſcopatum electionem ſuffragiis piorum & prudentum, qui juri vel officio vocandi & eligendi deputati atque præfecti ſunt, 1. Tim. 3. 9. 10.

Partes Epiſcopi Eccleſiaſtici, quoad materiam muneris ſui ſunt *quatuor*. 1. *Tim.* 3. 7. 9.

I. Ut ſit rectè inſtitutus in verbo Dei, tenens formam ſanorum verborum, 1. Tim. 6. 3. 2. Tim. 2. 1. 1. Tim. 4. 6. 2. *Tim.* 3. 13.

II. Ut ſit διδακτικὸς, qui propriè & perſpicuè ſanam doctrinā poſſit proponere, rectè verbum Dei ſecare, ac contradicẽtes etiam convincere. Hinc Tit. 1. 9. & 2. 1. 1. Timoth. 4. 14. 2. Timoth. 2. 15.

III. Ut legitimorum Sacramentorum adminiſtrationem obeat, ut de *Baptiſmo* manifeſtus eſt locus Math. 28. 19. Marci 16. 15. ac de *Cœna* 1. Corinth. 11. 24. Hinc 1. Corinth. 4. 1. diſpenſatores myſteriorum Dei dicuntur.

IV. Ut diſciplinam morum graviter ac ſanctè regat & informet. *Primùm*, ſeipſum typum fidelium ſiſtendo in ſermone, in converſatione, in charitate, in Spiritu, in fide, in puritate: familiamque bene gubernando, ne auditoribus ſit occaſio diffidentiæ, vel

ſcandali.

Digitized by Google

ſcandali. 1. Tim.4.12.& 3.2.4. *Deinde*, publicam morum corruptelam caſtigando verbo Dei, ſine vi corporali. Math.16.19.& 18.15.16.17.18. 1.Tim. 5.24.25. 2. Tim.2.24.25.& 4.2.3. Tit. 2.15.

Finis Epiſcopi eſt, ut *gloriam Dei* vel Chriſti vindicet, ac provehat. Math. 3.4.5. Joh.1.20.23.26.&c. Joh.3.28. 29. Act.2.12.13 14.c.14.15.1. Cor.1.26. 29.30.31.& 3.c.6.7.9. 2.Cor.5.19.20. 21. 2.Pet.1.16. 1.Cor.11.24. 2. Ut dirigat omnia ad *inſtaurationem ſanctorum, ad ædificationem corporis Chriſti*, id eſt Eccleſiæ.

Effectus eſt, *ſalus æterna hominis*, quâ Deus non, ſicut poterat, vult immediatè operari, ſed per verbi miniſterium ordinariè, quod ad id inſtituit, eoque pro organo & inſtrumento utitur. Unde convertere corda patrum, Luc.1.16.17.77. remittere aut retinere peccata, Joh.20.23.& ſalvos reddere, 1.Tim.4.16. Epiſcopi, vel Eccleſiæ miniſtri & concionatores dicuntur. Sed per metonymiam effecti, quâ effectus cauſſæ efficientis proprius inſtrumento aſſignatur, ut ex Deut.30.6. Jer.31. 18. Jac.1.5. Math.3.11. Iſa.43.25.& 44. 22. 2.Cor.5.17.18. perſpicitur, ſi hæc loca cùm illis conferantur. Hæc ſi Epiſcopus fideliter exequitur, verè eſt Epiſcopus, id eſt, inſpector, obſervator & ſpeculator in Dei Eccleſia ſecũdùm ſacram Scripturam. Ac obit ita munus officii & laboris, non dignitatis vel auctoritatis & imperii plenum.

Eminentia Epiſcopi ſupra alios origo. At poſteris temporibus demum ab ætate Apoſtolorum mutatus eſt Epiſcopi ſtatus. Quum enim in collegio Paſtorum ſeu Preſbyterorum & miniſtrorum Eccleſiæ propter ordinem & politiam unus aliquis præiret, aut deligeretur, qui collegas convocaret, & ſententias rogaret, talem peculiariter vetuſti Patres contempta nonnihil Spiritus ſancti linguâ & inſtitutione, *Epiſcopum* vocarunt, id eſt, *primum ordine paſtorem*, non tamen gradu, reſpectu collegarum ſuorum. Eum Hieronymus SUPERATTENDENTEM, Ambroſius SUPERINSPECTOREM, Juſtinus Προεστῶτα, Antiſtitem vocat. Hinc non tam ob curam & ſollicitudinem in Eccleſias, & ob inſpectionem rerum perſonarumque Eccleſiæ, ac inprimis miniſtrorum verbi divini, quã ob delegatum officium convocandi ac ſententias rogandi pronunciandique, Epiſcopi aliis præferri paulatim cœperunt, ac prælati ſunt. Hoc modo Baſilius *Doctor fuit orbis*, teſtante Theodoreto lib.4. cap.19. Et Polycarpus *Apoſtolicus & Propheticus* illorum temporũ *Doctor*, perhibente Euſeb. lib.4. cap.15. Et Cyprianus dicitur in omnibus ferè Eccleſiis præſidere. Sic enim de eo Nazianzenus in ſerm. de Cypriano: *Neque enim Carthaſienſi tantùm Eccleſia*, inquit, *nec Africa ab eo, & propter eum etiam nunc illuſtri celebrique præficitur: verùm etiam Occiduis omnibus regionibus, ac propè etiam ipſi Orienti, nec non Auſtrali & Septẽtrionali ora quocunque illius fama & admiratio pervagata eſt.* Baſilius epiſt.50. ait: *Miletium præfuiſſe toti corpori Eccleſiæ.* Et 55. epiſtolâ, *Ambroſio magni navigii*, id eſt, *Eccleſia commiſſa gubernacula.* Nicephorus lib.14. cap.34. dicit, Epiſcopũ Alexandrinum poſt Concilium Epheſinum ſolitum vocari: *Papam & univerſi orbis judicem.* Hujus *cura* reſpectu

vicarios ſive legatos habuit Pontifex Romanus in alienis provinciis, ut ex Leonis epiſt. 84. colligitur. Vicarios autem *poteſtatis* nullos habuit, niſi poſterioribus ſeculis.

Inde prima tyrannidis in Ecclesiam fundamenta jacta ſunt. *Ab Epiſcopis* enim peculiariter ſic dictis ad *Metropolitanos*, quos *Archiepiſcopos* vocāt ſpecioſo hoc titulo, ut Synodi per ſingulas provincias faciliùs cogerentur, à *Metropolitanis* ad quatuor *Patriarchas* ſeu *Primates*, Alexandrinum, Antiochenum, Hieroſolymitanum, Romanum, quibus acceſſit Cōſtantinopolitanus, ab his de primatu inter ſe digladiantibus ad *Papam* œcumenicum perventum eſt.

Epiſcopos quales hodie Euangelici damnent, & cur id fiat.

Quod igitur diximus, nos non veros & legitimos Epiſcopos damnare, intelligimus de illis, qui officio ſuo ſecundùm ſacram Scripturam tam nomine quàm re diligenter ac fideliter reſpondent. Quod autem ſubjunximus, nos damnare è contra Pſeudoepiſcopos, id de iis accipimus & intelligimus, qui receſſerunt & etiam nunc recedunt ab officii ſui divinitus in ſacra Scriptura præſcripti ratione & norma, tantumque nomine non re ſunt Epiſcopi, ac Epiſcopatum in dignitatem, auctoritatem, poteſtatemque civilem atque Eccleſiaſticam converterunt, & non miniſterio, ſed imperio ac dominio in Eccleſiis populiſque ſibi concreditis utuntur.

Sum. de Eccleſia lib. 3. cap. 23.

Nam *in* Papa vel *Epiſcopo Romano*, Primatum Dominii ut (Turrecremata ait) auctoritativus, per annos 600. poſt Apoſtolorum tempora fuit ignotus, & manifeſta demū ac publicè cœpit in Bonifacio III. ſub annū DOMINI CHRISTI 607. teſtante ſic Sigeberto in eo anno. *Bonifacius obtinuit apud Phocam Imperatorem, ut Eccleſia Romana caput eſſet omnium Eccleſiarum.* Ubi ſub Eccleſiæ nomine Epiſcopus Romanus Eccleſiæ Romanæ præfectus intelligitur per Metonymiam adjuncti, ut & caput pro dominio vel imperio ſumitur.

Lib. 6. epiſt. & Regiſt. cap. 194.

Damnavit autem illum Primatum GREGORIUS I. ipſe Epiſcopus Romanus paulò ante, proteſtans: *Ego autē fidenter dico, quia quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtum præcurrit.* Quæ contra Johannē Epiſcopum Conſtantinopolitanum, titulum Epiſcopi œcumenici & univerſalis ambientem ſcripſit.

Ideo quia Romanus Epiſcopus eū obtinuit, Conſtantinopolitani Epiſcopi *malè tulerunt*, teſte Sabellico, lib. 6. Ennead. 8. & Ænea Sylvio epiſt. lib. 1. epiſt. 188.

Et quia excuſant Papiſtæ, quaſi Johannes ille Conſtantinopolitanus voluerit ſolus Epiſcopus haberi, ita ut alii nulli ſint Epiſcopi, ſed vicarii tantùm illius, quomodo Pontifex vel Epiſcopus Romanus non ſoleat facere, explicat Gregorius, imò quicunque inter pares eminere vult, & præeſſe cæteris, eum cæteris poteſtatem abrogare, & quod cæteri ſunt, velle ſolum eſſe ait. Sic enim Gregorius epiſt. lib. 4. cap. 36. dicit: *Si unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcha nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à Chriſtiana mente, id ſibi velle quenquam arripere, unde fratrum ſuorum honorem imminuere ex quantacunque parte videatur.*

Adhæc progreſſu temporum Papæ Do-

Dominium temporale partim vi, partim fraude, partim aliorum donationibus, à quamplurimis reprehenſum ac damnatum eſt, ut *Epiſcopis Germaniæ*, quos Johannes Aventinus recenſet, *Ottone Friſingenſi*, lib. 7. *Urſpergenſi* in Anno 753. Valla, Franciſco Petrarcha, aliiſque, quorum verba in libris noſtris de Bello Papiſtico circa religionem adducimus. Et Bellarminus licet illud alibi propugnet: tamen lib. 5. de Romano Pontifice oppugnat, dicens 4. capite: *Chriſtus ut homo, dum in terris vixit, non accepit, nec voluit ullum temporale dominium. Summus autem Pontifex Chriſti vicarius eſt, & Chriſtum nobis repræſentat, qualis erat dum hîc inter homines viveret. Igitur ſummus Pontifex, ut Chriſti vicarius, atque adeò ut ſummus Pontifex eſt, nullum habet temporale dominium.* Quam ſententiam Bellarminus videtur in poſtrema editione revocare, aut ſaltē mitigare, dum ſic eam corrigit: *Item ſummus Pontifex, ut Chriſti vicarius, atque adeò, ut ſummus Pontifex, nullum habet ullius provinciæ aut oppidi merè temporale dominium.* Sed utut fucum facere moliatur, hoc ex ipſiuſmet verbis ſequitur: Qui Chriſti vicarius eſt, non debet accipere id, quod Chriſtus reſpuit. At Chriſtus reſpuit omne temporale dominium. Ergo nec Chriſti vicarius debet accipere, ſed reſpuere omne tēporale imperium. Ac per conſequens Papa vel Epiſcopus Romanus, ſiquidem Chriſti vicarius eſt aut eſſe vult, nullum temporale dominium accipere & tenere debet.

Joh. 6. 15.

Quoad reliquos Epiſcopos poſt Papam Epiſcopum Romanum illis præpoſitum, meritò damnamus in illis, quæ adverſus Scripturam divinam perpetrant. Primo, quod non intelliguntur in Papatu nomine *Epiſcoporum* etiam preſbyteri & alii qui Epiſcopis ſunt adjuncti, ac ſub eorum voce in Scripturis denotantur. Nam etſi hoc Bellarminus negat ex concilii Toletani 4. can. 3. tamen conſtat, ibi per Synecdochen & breviloquentiam ſub nomine Epiſcopi comprehendi eos omnes, qui Eccleſiæ miniſtri ſunt & dicuntur Epheſ. 4. 11. Tit 1. 4. 5.

Bellarm. de Concil lib. 1. cap. 15.

Secundo damnamus, quod Epiſcopi à Papa creati vel probati ſoli in Concilium generale recipiendi cenſentur, ut vocem in eo deciſivam ſeu definitivam habeant. Nam hoc apertè pugnat cum Apoſtoli doctrina, de quovis homine Chriſtiano Spiritus ſancti luce & mediocri S. Scripturarum notita imbuto, affirmat, *Spiritualis dejudicat omnia.* Deinde, refutatur à Synodo Nicena 1. in qua nō modò Epiſcopi, ſed & *Presbyteri* multi interſuerūt, diſputarūt, judicarunt: & *Laici* quoq; viri pii & eruditi, & in ſacris Scripturis exercitati, teſte Euſebio lib. 3. de vita Conſtantini, & Socrate lib. 1. c. 8. Nicephro lib. 8. cap. 14. Sed & Philoſophus quidam Ethnicus ab homine ſimplici Chriſtiano penè ruſtico, qui neque Epiſcopus erat, neque clericus publicè in illa ſynodo diſputante, & victus & ad fidem Chriſti converſus eſt, auctore Ruffino lib. 1. cap. 3. hiſtoriæ.

Ibidem. *1. Cor. 2. 15.* *2. Cor. 14. 26.*

Tertiò damnamus, quod omnes & ſinguli Pontificii Epiſcopi judices fidei ac doctrinæ Chriſtianæ conſtituuntur, quos tamen ipſi fatentur pleroſque eſſe rudes & indoctos, allato

Cap. 18.

etiam Ruffini lib. 10. cap. 3. hiſtoriæ teſtimonio. Imò nullam rationem doctrinæ & vitæ habentes, ſolummodò rudes aſinos aut decretis ac decretalibus Pontificiis imbutos, vitæque turpiſſimæ ac nequiſſimæ ad Epiſcopatus promovent. Adhæc ſinunt eos otioſos potiùs omni die helluari, commeſſari, ſcortari, ludere, equitare, opes corradere vel lucrari è ceremoniis per traditiones & inventiones humanas obtruſis, ac miſſificare tantùm, ſicut Palingenius ait:

Proh pudor hos tolerâtne Eccleſia porcos
Duntaxat ventri, Veneri, ſomnoq; vacantes,
Et Pluto?

quàm piè & honeſtè ſtudiis literarum vacare, in lectione & meditatione ſacræ Scripturæ verſari, officioque docendi, Sacramenta adminiſtrandi, & diſciplinam informandi defungi. Nã ex actis paſſim, & canonibus Apoſtolicis 1. Tim. 3. Tit. 1. liquet, iſta ex diametro cum munere Eccleſiaſtico vel Epiſcopali pugnare, hæc autem prorſus requiri.

QUARTÒ damnamus, quod relictis veris Epiſcopi partibus tum eas in merè ſuperbum faſtum, ludicram põpam, dominationem & juriſdictionẽ politicam, Principum ac Regum conſuetudine, quâ quivis Epiſcopus ſeſe oſtentat, convertunt, tum in ipſas animas ſibi imperium merum ac miſtũ uſurpant. Nam Chriſtum verosque Chriſti amicos, Euangelii ſiti ac famæ ardentes, per inquiſitionis Hiſpanicæ, uti vocant, proceſſum inquirendo, capiendo, examinando, torquendoque ad ſuperſtitiones redigunt, aut abnuẽtes & Chriſti Euangelium ſimplex ac purum præferentes in exilium relegant, aut concîdi & ad ſanguinem pro Chriſto profundendum trahi curant. Horum & ſimilium abuſuum cauſa, qui publicè in Papatu graſſantur, ab Epiſcopis Pontificiis alieno animo ſumus. Et Epiſcopis Reges, Principes Magiſtratusque dignitate, auctoritate, opibus, amplitudine, imperio, majeſtate ſuperiores eſſe, ut illos poſſint officii ſui admonere, ſique deliquerint, coërcere, exiſtimamus. Etenim hoc feciſſe Moſem, Gedeonem, & ſanctiſſimos Reges ac Principes, Aſam, Ezechiam, Joſiam, quin ipſum Dei Filium tanquam æternum Eccleſiæ Regem Pſal. 2. & 110. à Deo patre conſtitutum, legimus. Nec minùs huc incubuiſſe Conſtantinum Magnum, Theodoſios, Martianum Imperatorem, alióſque, ex hiſtoria Eccleſiaſtica accepimus. Quidnî enim refrenẽtur Epiſcopi, qui poteſtate clavium ad tyrannidem aut ſuperſtitionem atque idololatriam tantùm abutuntur?

Exod. 32. Jud. 6. 2. Reg. 15. 18. 22. 2. Par. 14. 29 30. 34. 35. Pſ. 72. 82. Mar. 11. 15.

II. *Monachorum ſtatus nullo jure divino expreſsè ſtabilitur.*

Quantum ad MONACHOS, de nominibus illorum quidem non multum laboramus, ſed quia Philoſophus de interpretatione lib. 1. inquit: Τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, id eſt, vocabula & nomina ſymbola ſunt, & indicia mentis, ab illo vocabulo ſeu nomine, quo ipſi ſe appellari gaudent, auſpicandum cenſemus. Bellarminus inde Monachos dictos putat, *quod à conjugiis abſtinerent, & à parentum ſe conſortio ac mundi hujus converſatione ſecernerent, ut nimirum ſoli Deo per contemplationem inhærerent.* Sed multis modis redarguitur.

1. Repugnat hoc nominis rationi. Mona-

Digitized by Google

Monachus unde dicatur. Monachus n. ἀπὸ τῦ μόνυ, hoc eſt, *ſolo* derivatur, quaſi ſolus & ſolitarius eſſet. Sic derivat Iſidorus, dicens: *Monachus* *Lib. 17. cap. 13.* *Græcâ etymologia vocatus, eò quod ſit ſingularis. Μονὰς enim Græcè ſingularitas dicitur. Ergo etſi ſolitarius interpretatur vocabulum Monachi, quid facit in turba, qui ſolus eſt?*

2. Repugnat priſcorum Monachorum inſtitutioni & moribus. Ipſi enim ab urbibus & populorum frequentiâ diſcedentes, ſe in eremum & ſolitudinem contulerunt, & inde ſe Monachos dixerunt. ANTONIUS Monachorum ferè parens primus, *ita eremum* *Sozom. lib. 1. cap. 12.* *Monachis, ut piſcibus aquas convenire cenſuit.* Neque enim extra aquas piſces, nec extra ſolitudinem vivere poſſe Monachos. Conjugia verò olim nec ſeparabant ob religionem, nec liberos *Can 6. 1 Tim 3. 2. 4.* relinquebant. Nam *Epiſcopos & Presbyteros, qui propter religionem uxores abjiciebant*, excommunicabantur Apoſtolorum canonibus: Eum verò, *qui domeſticorum curam non gerit*, Apoſtolus *infideli deteriorem* eſſe dicit. 1. Tim. 5. 8.

In epiſt. ad Paulinum. 3. Repugnat Patrum ſententiæ. *Si cupis*, inquit Hieronymus, *eſſe quod diceris Monachus, id eſt, ſolus, quid facis in urbibus, quæ utiq; nō ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum?* Et in epiſt. ad Ruſticū: *Quid deſideramus*, inquit, *urbium frequentiam, qui de ſingularitate cenſemur?*

Quare non immeritò, neque injuriâ alieni ab inſtituto Monachorum hodiernorum ſumus, qui & in urbes monaſteria invexerūt, & ubi extra urbes degūt, in magna frequentia hominū verſantur, aut eā quotidie attrahūt. Sic enim ipſi ſui nominis etymo haud reſpondent, ſed illud pudore afficiunt ac confundunt. Unde & ſanctus AMBROSIUS veluti rem novam & indignam memorat, *quod Euſebius Vercellenſis monaſteria in civitates introduxiſſet*, epiſt. 82.

Monachorum origo. Deinde, inſtitutum Monachorum intermittendum judicamus, quia nec ſacris literis à Deo fundatum docetur, nec exemplis primorum Monachorū reſpondet. Nam 1. nullam Prophetæ mentionem vitæ monaſticæ faciūt, qui, ſi Monachi pars eſſent Eccleſiæ, tam nobilem Eccleſiæ partem non reticuiſſent, quum aliàs omnia templi miniſteria, & cultus divini diſciplinæque Eccleſiaſticæ & politicæ partes diligentiſſimè perſcribant & conſtituāt. Nec ullus eorum, qui in eremo ac deſerto degebat poſt exitum ex Ægypto permanſit in ea, nec ex terra Canaan quiſquam in ſolitudines ſeceſſit, niſi neceſſariò coactus.

2. In actis & ſcriptis Euangeliſtarum atque Apoſtolorum nullum eſt Monachorum indicium, licet illi omnia membra & partes Eccleſiæ percenſeant, nec ullius Eccleſiaſtici miniſtri & religioſi hominis partes atque officia intacta relinquant.

3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ nullum veſtigium Monachorum in prima Eccleſia oſtendunt, ſed *Paulum Thebæū & Antonium* circa Annum Domini 256. aut 260. primos Eremitas & ſolitariæ vitæ cultores fuiſſe tradunt. Otho Friſingenſis. lib. 4. c. 5. *Hieron in Prologo ad Pauli eremitæ vitā. In vita Hilarionis.*

Monialium origo. Similiter nullæ fuiſſe leguntur ante 200. à Chriſto annos *Moniales*: ſed virgines contemnentes impietatem ſeculi, quæ ſolitariè vivebant, ſine voto ſolenni & perpetuo, velo notæ quando egrediebantur, non è Monaſterio, ſed

Digitized by Google

è ſuis vel paternis ædibus. Ejuſmodi virgines multæ fuerunt uſque ad Hieronymi ſeculum, quæ extra Monaſterium privatim & liberè vovebant continentiam. Imò tales aliquando fuerunt fœminæ NOBILES, quæ domi ſuæ vivebant, & multis ancillis comitatæ procedebant: teſte Hieronymo ad Demetriadem. MARCELLA Romæ inter primas fuit Moniales. Nam Hieronymus in epitaphio Marcellæ: *Nulla*, inquit, *eo tempore nobilium fœminarum noverat Roma propoſitum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominioſum (ut tum putabatur) & vile in populis nomen aſſumere*. Nauclerus generatione 41. *Quo*, inquit, *ferè tempore* (id eſt, Helenæ & Conſtantini) *ſacræ virgines ab Helena Conſtantini matre lectæ ſunt, quæ publico ſtipendio alerentur. Dei laudem vitæ puritate & frequentibus precibus prædicatura*, ad annum 125.

4. Priſcos & hodiernos Monachos ipſo fundaměto differre cognovimus. Nam eremitica & ſolitaria vita *primùm* orta fuit ex neceſſitate, ad vitandam perſequutionem & effugiendam fidei in Chriſtum abnegationem propter cruciatus: teſte Sozom. lib. 1. cap. 13. & Otthone Friſingenſi lib. 4. cap. 3. Hodierni Monachi delicias & otium ſectantur, nullaque neceſſitate quàm voluptatum aviditate, rerum neceſſariarum copia affluenti, & ſuperſtitione ſub prætextu religionis ac ſanctitatis illiciente Monaſteria ingrediuntur. *Adhæc* ceremoniis & dogmatibus à fide Chriſti alieni, fidē ejus ſincerum abnegant. *Præterea*, nō erant veteres aſtricti certæ regulæ & vitæ Monaſticæ voto ſolenni & perpetuo, ſed mutare genus vivendi potuerent, ſi commodum videretur. Nicephorus lib. 9. cap. 14. Auguſt. de moribus Eccleſiæ cap. 33. Sozomenus lib. 3. c. 15. Hodierni è diverſo alligati ſunt prorſus, nec ſine periculo vitæ mutare habitum ac conditionem poſſunt. *Inſuper* Monaſteria veterum ut plurimùm fuerunt Scholæ publicæ, id eſt, communitates docentium & diſcentium artes linguáſque ingenuas & pietatem ſacrarum Scripturarum. Hodiernorum Pontificiorum ſunt latibula ſuperſtitionum, voluptatibus indulgentium, pauperū domos ſub ſpecie orationis devorantium, omnis denique generis mala & libidines, præſertim idololatriam docentium & diſcentium atque exercentium. *Chryſoſt. lib. 3. contra vituperat. Monaſt.*

Poſtremò Monachatus, qui jam in uſu eſt, fuit à veteribus & multis hodiernis damnatus. AUGUSTINO enim de opere Monachorum c. 17. non placet, *quod non laborant*, & ſæpe eo in libro Monachorum otium reprehendit. *Monachatus ab antiquis & recentib. reprehenſus.*

IVO CARNOTENSIS epiſt. 258. *Vita ſolitaria*, inquit, *communi inferior eſt, quia importunis cogitationibus plena, quæ tanquam muſcæ minutiſſimæ de limo ſurgentes, volant in oculos cordis, & interrumpunt Sabbathum mentis.*

In Aſcitivè aſcriptis BASILIO tom. 2. cap. 7. docetur, *Solitariam vitā legi dilectionis repugnare.* Et illud Eccleſiaſtis citatur: *Væ homini ſoli, qui ſi ceciderit, non habet, qui erigat*, *Eccl. 4. 10.*

CRYSOSTOMUS homil. 8. in Math. 2. *Quid tu ergo*, inquit, *nos facere jubes? abire in montes remotos, & Monachos fieri? Et quid ego aliud ingemiſco, quàm quòd*

Digitized by Google

quòd illi vos ſolis putatis honeſtam vitam ornatamq; congruere.

De vanit. ſcient. c. 62. CORNELIUS AGRIPPA, *Sunt adhuc*, inquit, *diverſarum ſectarum populi Monachi & fratres anachoretæ, quibus vetus lex omnino caruit, caruit etiam Eccleſia eo tempore quo fuit optima, nec tot ceremoniarum ritibus implicita.*

Defenſio vitæ Monaſticæ apud Papiſtas. Tuentur tamen ſuum vitæ inſtitutum quàm accuratiſſimè & acerrimè Monachi ipſi, quorum tamen argumenta Bellarminus pro univerſo illorum ſodalitio, tum in præfatione ad librum ſecundùm de membris Eccleſiæ militantis, qui eſt de Monachis, tum in eo ipſo libro in unum locum contrahit. Nos ergo præfationem ejus continentem Epitomen defenſionis pro Monachatu paucis percurremus, ne rationum quibus hic defendatur, ignari ſimus.

1. *Sequitur*, inquit, *ut de altera parte Eccleſiæ diſſeramus, &* Monachos intelligit, de quibus deinceps acturus ſit. Verùm ſi Eccleſiæ Romanæ pars ſint Monachi: tum ea Chriſti non eſt Eccleſia. Ea enim nullos habuit, ante Pauli Thebæi & Antonii tempora, Monachos. Præterea hujuſmodi homines nec Apoſtoli inſtituerunt, nec veteres Chriſtiani inter partes Eccleſiæ recenſuerunt. Illi enim populum Chriſtianum in *Præpoſitos*, ſive *Doctores & auditores vel diſcipulos* diſtribuerunt. Et ubi inſigniores Eccleſiæ partes enumerantur, ne verbum quidem unum de hac parte faciunt. Primi autem Chriſtiani Apoſtolos ſequuti) duos tantùm ordines in Eccleſia poſuerunt, omneſque fideles vel CLERICOS, vel LAICOS eſſe dixerunt, ut paſſim

Heb 11. 7. Gal 6. 1 Cor. 11. 28. Epheſ. 4. 11.

ex actis Conciliorum & ſcriptis Patrũ colligere licet. Quare niſi Monachi aut Laici ſint aut Clerici, prorſus excluſi erunt ex Eccleſiæ numeris. At ſi ex iſtis ſint, cur illi receſſionem & ſchiſma in Eccleſia fecerunt? Cur Bellarminus Monachos, tanquam genus animalium ἀμφίβιον, medios inter Clericos & Laicos poſuit?

Aſſerit deinde, *eos Euangelica Chriſti ſequi conſilia.* Quaſi verò Chriſtus aliquid ſeorſim Monachis cõſuluerit vel præceperit, aut non omnes Chriſtiani ejus conſilia ſequi teneantur. Chriſti ſanè ad Apoſtolos verba longè aliud ſonant. Ipſe enim Apoſtolis mandata dans, juſſit eos docere omnes gentes, & ſervare OMNIA, quæcunque ipſe præceperat eis: nec conſilia ſingularia dedit, aut hæc excepit. Ad hæc regulæ Monachorum, quas illi ſequuntur, nuſquam à Chriſto inſtitutæ leguntur. Imò nec PAUPERTATEM, quam vovent, illi ſequuntur, nec *Euangelio* obediunt, ut Chriſtus mandat, nec *continentiam* cujus ſervandæ votum faciunt, ſervant. Qui enim dicantur pauperes, quorum Collegia maxima habent vectigalia? Quomodo ſervent obedientiam Euangelicam, qui Chriſti Euangelio non parent, & alias obedientiæ leges excogitarunt? Quis caſtos dixerit homines impuriſſimos & turpiſſimos, ſeque continere, à libidine non valentes propter nuptias abjuratas. 2.

Math. 28. 20.

At *vitæ genus arctioris inſtituunt*, quàm reliqui Chriſtiani. Sic quidem Bellarminus ait. Quaſi verò nõ omnes Chriſtiani incedere teneantur *per anguſtam portam & arctam viam, quæ ducit ad vitam.* 3.

Math. 7. 13.

Aut

Digitized by Google

Aut nõ ſit latiſſima via Monachorum, per quam tot homines perditi & profligati ruunt in exitium: aut denique magnum ſit vota profiteri monaſtica, & in gurguſtiis ſaginati.

4. Præterea tribuit eis Bellarminus *vitam ſublimem*. Eos enim fortaſſe ex *Dæmonum* genere eſſe ſignificat, qui ſecũdum Platonicorum ſententiam in aëre ſublimes degebant extra communem aliorum hominum ſortem, qui in terra ſubſidebant. Et ſanè quum Monachi Dæmones, & nõ tantùm homines flagitiis ſuis ſuperent, juxta hoc Æneæ Sylvii, qui poſtea Pius II. Papa eſt dictus:

August. de civit. Dei. lib. 8. c. 14.

Non audet Stygius Pluto tentare quod audet,
Effrenis Monachus, pleraque fraudis anus.

non eſt, quòd ægrè feramus, ſi ut vitæ genus ſublimè ſectantur, ita in aëre ſublimes pendeant. Quæ autem ſurſum ſunt non magis cogitãt, quàm homines terreni & carnales, qui ea, quæ carnis ſunt, ſapiunt.

5. Monachos denique *vitæ genus arctioris & ſublimioris inſtituiſſe* dicit, *quàm vel lex divina aut humana præſcripſerit, aut etiam multorum mortalium infirmitas patiatur.* Nos etiam illud facilè agnoſcimus. Nam præter leges divinas & humanas, & aliquando contra utraſque multa moliuntur. Novas enim Dei colendi rationes invenerunt, & alias ad cœlos, quàm Apoſtoli docuerunt, vias excogitarunt. Adhæc contra jura divina & humana Põtificis Romani placita defendunt, Magiſtratuum auctoritatem oppugnant, ſicarios ad Principum cædem ſubmittunt. Nam Henricum VII. hujus nominis, Lucemburgenſem Imperatorem Monachus Dominicanus veneno in hoſtiam conſecratam indito extinxit. Johannem Angliæ Regem Monachus ad fanum S. Suithuni veneno clàm propinato interemit. Henricum III. Galliæ Regem ex Dominici grege Monachus cultro confodit. Ex Monachorum etiam conſilio cæſus eſt Princeps Auraniẽſis à ſicario quodam nefario. Quot Monachi Jeſuitici, inſidiis ſuis necem Eliſabethæ Angliæ Reginæ & Henrico IV. Regi Galliæ intentarunt? At hæc non tam laudem, quàm pœnam merentur, illa non tam facilè laudanda videntur. Deus enim ad Legis Suæ obedientiam populum ſuum hortatur, omneſque additiones & mutationes vetat. *Non addetis*, inquit, *ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Chriſtus enim oſtendit, *Deum fruſtrà coli mãdatis hominum.* Quod etiam ratione probatur. Quis enim ſine ſumma arrogantia dixerit, ſe legem Dei ita perfectè implere poſſe, ut etiam plus oneris in ſe ſuſcipiat & opera ſupererogationis faciat? Quum ſervi ſimus omnes inutiles, quando etiam omnia fecimus, quæ præcepta ſunt, quæ inſipientia eſt, præmia propter res non mandatas & planè ingratas ſperare? Quum *charitas non inflatur, & non ſit ambitioſa*, annon ii ab ea ſunt alieni, qui de perfectione ſua gloriãtur, quã *Deum jubemur diligere ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus noſtris, proximumq́ ut nos ipſos*? Nam hi ſupra communem Sanctorum ſortem ſeſe extollunt, precantium; *ne venias Domine in judicium cum ſervis tuis, quia non juſtificabit ſe in conſpectu tuo omnis vivens.* Illud verò ſecundùm de fortitudine Monachorum eximia & ſingulari, nõ facilè concedendum

Deut. 4. 2. Math. 15. 9. Luc. 17. 10. 1 Cor. 13. 4. Math. 22. 37. Luc. 19. 27. Pſal. 143. 2. 1. Joh. 1. 8.

cedendum

cedendum eſt. Nam, quod illi faciunt, facillimum eſt eo modo, quo illi præſtant. Quis enim non poſſit caſtitatem vovere, aut abjurare nuptias, ſi nihil referat, ſervétne an non votum? Quis non poſſit paupertatem voto ſuſcipere, in qua omnium rerum abundantiam conſequatur? Quis non poſſit obedientiæ ſeſe obligare, quæ Dei præcepta impunè poteſt tranſgredi, humanis verò placitis inſervire? Deinde, quid præſtāt Monachi, quod alii Chriſtiani exequi nequeant? Cur denique illi cæteris fortiores & firmiores exiſtimentur? Hoc enim ſolùm intereſt, quòd Monachi contra votum multa facientes, laqueis arctioribus premuntur, reliqui ſolutiùs & liberiùs abſtinent. Illi ſcortationibus & aliis impuritatib. ſeſe polluunt, conjugati honeſtas probant nuptias. Illi divites ſunt licet paupertatem jurent, ex reliquis Chriſtianis multi verè inopes & egeni ſunt, interim verè pii.

Oppugnatio Monachorum ut neceſſaria.

Non ergo *defenſio vitæ Monaſticæ*, ut inquit Bellarminus, ſed oppugnatio ad omnes Chriſtianos pertinet. Sunt enim horum temporum Monachi & Fratres mendicantes Rerumpublicarū pernicies & clades, religionis Chriſtianæ labes & corruptela, bonorūmque & piorum peſtis ac calamitas, & veterum Monachorum, qui per Ægyptum & Orientales regiones olim vixerunt, diſſimilimi. Atque hoc & ſcripta veterum probāt, & omnes viri Catholici verum eſſe agnoſcunt ac prædicant. Perlege, quæ Euſebius, Hieronymus, Theodoretus, Palladius, aliiq; rerum Monaſticarum ſcriptores de *Antonio, Paulo Thebæo, Macbario, Hilarione, Simeone Stylita, Pambo, Acepſena, Hor, Pior, Ammone*, aliiſque vetuſtis Monachis narrant, & facilè videbis nihil habere noſtros Monachos eorum ſimile.

Ad Euſtachium de cuſtod. virginis.

Imò noſtri eis ſucceſſerunt, quos paſſim Patres vituperant. *Apud hos*, inquit Hieronymus de Manichæis verba faciens, *affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractio clericorum; & ſi quando dies feſtus venerit, ſaturantur ad vomitum.* Graphicè ſanè ille noſtri temporis Monachos deſcripſiſſe videtur.

Moniales Ibidem.

Similiter Moniales quales eſſent, oſtendit. Nam de caſtitate earum votiva: *Piget dicere*, inquit, *quot quotidie virgines ruant: quantas de ſuo gremio mater deperdat Eccleſia: ſuper quæ ſidera inimicus ponat thronum ſuum: quot petras excavet, & habitet coluber in foraminibus earum. Videas pleraſque viduas, antequam nuptas, infelicem conſcientiam mentitas tantùm veſte protegere: quas niſi uterum tumor & infantulum prodiderit vagitus, ſanctas & caſtas ſe eſſe gloriantur, & erecta cervice, & ludentibus pedibus incedunt. Aliæ verò ſterilitatem præbibunt, & necdum ſati homicidium faciunt nonnullæ, quum ſe ſenſerint concepiſſe, de ſcelere abortus venena meditantur.*

Et poſtea: *Unde in Eccleſiam Agapetarum peſtis introiit? Unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? Imò unde novum concubinarum genus? Plus inferam. Unde meretrices univiræ eâdem domo, uno cubiculo, ſæpe uno tenentur & lectulo? Et ſuſpitioſos nos vocant, ſi aliquid exiſtimemus. Frater ſororem virginem deſerit, cœlibem ſpernit virgo germanum: fratrem quærit extraneum. Et quum in eodem propoſito eſſe ſe ſimulent, quærunt alienorum ſpirituale ſola-*

 tium

Digitized by Google

tium, ut domi habeant carnale commercium.

Lib. 1. epiſt. 11. Cyprianus ad Pomponium: *Deſideras*, inquit, *ut tibi reſcriberemus, quid nobis de iis virginibus videretur, quæ quum ſemel ſtatum ſuum continentiæ, & firmiter tenere decreverint, detecta ſunt poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis.*

In ſerm. quòd regulares fœmina viris cohabitent. Eodem modo Chryſoſtomus Sanctimoniales depingit. Nam: *Uno hoc* inquit, *præcellenti dono ſemper Ethnicis præſtitiſſe, & admirationi fuiſſe Chriſtianos videmus. Virginitatis nempe dono, quod apud Gentes rar ſſimè fuerit. Quum non defuerint etiam apud Ethnicos, qui maximas opes contempſerint, iram vicerint: ingenuè autem faſſos eſſe, hanc unam virtutem eſſe quiddam ſublimius, quòdque ſupra naturam ſit prorſus. Nunc verò apud Chriſtianos, quæ virginitatis propoſitum elegiſſent, nomen tantùm & appellationem ſupereſſe, negotium autem totum in corpore ſublatum. Neque enim haberi rationem veſtitus, ſermonis, ſilentii, compunctionis, & hoc genus rerum illa profeſſione dignarum. Imò è contra ipſas nugari, ridere intempeſtivè magis, vivere in delitiis magis* QUAM MULIERES IN FORNICE, *& eadem illas facere, quæ obſcœna illa ſolent pharmaca terere, lethales ſuccos miſcere, eundémque parare pulverem.* Dicit præterea, *eas viros ſibi facere contubernales, & frequenter obſtetrices ad hujuſmodi ſacrarū virginum domos commeare.*

Hæreſ. 80. Ruſus Monachorum hypocriſin reprehendit Epiphanius, dicens: *Alienum eſt à Catholica Eccleſia ſaccus conſpicuus, & coma promiſſa à prædicatione Apoſtolorum.* Quod utinam Capucini & alii fraterculi ſaccis inſuti notarent.

De opere Monach. cap. 28. *Callidiſſimus hoſtis*, inquit Auguſtinus, *tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum uſquequaque diſperſit. Alii membra Martyrum (ſi tamen Martyrum) vendutant, alii fimbrias magnificant.* Idémque, *tam eſſe falſos Monachos, quàm falſos Clericos* agnoſcit, *& Agonoſticos & Circumcelliones, qui à cella ad cellam vagabantur*, licet ſe Monachos profiterentur, reprehendit. In Pſal. 132.

Synodi Chalcedonenſis quæ anno Domini 454. ſub Imp. Martiano celebrata eſt, Patres Monachos damnabant, *Qui vel Eccleſiaſticis negotiis ſe immiſcerent, vel res ſeculares affectarent.* Quod adverſus plurimos horum temporum Monachos valet, qui utrumque facere ſolent. Cap. 3.

Iſidorus è ſex generibus Monachorum tria reprehendit. *Anachoretarum vitam in deterius convaleſcere, tanquam lethale quoddam inteſtinum virus: & Circūcelliones uſquequaque vagari, venalem circūferentes hypocriſin* ſcribit. SARRABAITAS *denique liberos vivere ab imperiis ſeniorum, & omnia habere affectata* dicit. De Eccleſia offic lib. 2. cap. 15.

BEDA *& Monachos & Monaſteriorum conſtructores caſtigandos eſſe ſcribit, ſi hoc ſpecie otii potius, quàm virtutis fiat.* Et hoc nunc ſolum fere à Monachis ſpectatur, ut otiosè vivant. Nam ſacra quæ obeunt ſunt illis luſus, otium & voluptas, vitæ condimenta & deliciæ in omnes horas.

NILUS denique, quales eſſent ſui temporis Monachi deſcribens; *Vita*, inquit, *Monachorum, quæ olim deſiderabilis & valdè honorifica fuit; nunc abominabilis, ut vides, facta eſt.* Idem dicit, *gravari omnes urbes & pagos Monachis, & familias turbari,* & ſe pudore deterritum non omnia ſcribere. Bibliothec. ſanct pat. tom. 2.

Quòd ergo dicit Bellarminus, *Hæreticos*

ticos olim oppugnaſſe Monachos, & hoc teſtimonio Ruffini, Auguſt. & Hieron. confirmat, nihil ad Monachos recentiores attinet. Illi enim Monachos oppugnabant propter orthodoxam fidem, quam adhuc tunc tenebant. At RECENTIORES Monachi propter perfidiam & hæreſin oppugnantur à catholicis & orthodoxis. Patres ait, qui Monachorum, qui in locis deſertis divino cultui vacabant, cauſam agebant. At nos falſi nominis Monachos, qui divinum cultum ſuo fermento corruperunt, & urbes ingreſſi Rempub. turbant, inſectamur, nec niſi ab ipſis Patribus & ſacræ Scripturæ edocti & excitati.

AUGUSTINUS verò *non Monachos ſed clericos ordinaſſe & reformaſſe* dicitur, ut [a] ipſi adverſarii fatentur. Et res ipſa hoc docet. Neque enim certam illis regulam, aut vivendi formulam præſcripſit, aut voto aſtrinxit, aut eos à reliquis clericis habitu, cultu & more vivendi diſtinxit.

a *In margine ad lib. 3. adverſ. Petilian. c. 4 in lib. exnuſo. Venet.*

Narrat præterea Bellarminus, *Diabolum maximo odio proſequi Monachos & virgines ſacras, & dæmones ſolitos eſſe olim in eos graſſari*, atque hoc teſtimonio Athanaſii in vita Antonii & Abbatis Sereni, apud Caſſianum collat. 7. cap. 23. confirmat. Sed nihil hoc ad noſtros Monachos. Illis enim cum diabolo & ejus miniſtris rectè convenit. Nec jam ut olim, adverſus diabolum depugnare ſolent. Imò ex teſtimoniis diaboli [b] Franciſcani, ſui auctoris ſtigmata & ſanctitatem probant; & ejus opera ac conſilio Rempub. turbant, hoſtes ſuos ulciſcuntur, & maxima facinora deſignant. Idem & Dominicani aliquando non intermittunt, ut in legendis horum ordinum, ac libris Hoſpiniani de Monachatu reperitur, praxque confirmatur. Cum diabolo & Ignatius Jojola auctor Jeſuitarum, ac Xaverius ejus ſocius, & alii Monachi Jeſuitici familiariter verſari & colloqui ſolebant. Quin diaboli teſtimonio & Miſſæ ſuæ merita, & imaginum cultum, & aquæ conſecratæ valorem, & alias traditiones Papales ac Monachales nunc probare non dubitant. Vide Heliæ Haſenmülleri hiſtoriam Jeſuitici ordinis, cap. 3. pag. 64. 65 67. & alibi. Et Petri Molini miniſtri Eccleſiæ Euangelicæ Pariſiis reſponſiones ad quæſtiones Cotoni, quæſt. 8.

b *Lib. conformitat. Franciſci.*

In vita Ignatii & Xaverii.

Nihil etiam pro noſtris Monachis faciunt vel *Chryſoſtomi, vel Auguſtini, vel veterum Patrum aliorum teſtimonia*, quæ Bellarminus pro iſtis citat. Patres enim loquuntur de Eremitis & Monachis ſanctiſſimis, & ſtrenuis veræ fidei Catholicæ propugnatoribus, qui *Angelos & lucida ſydera morum ſanctitate referebant, & puris mentibus Deo adhærebant*. At noſtri Monachi non dicent (credo) ſe Angelis eſſe ſimiles. Ac quamvis dicant: tamen nec moribus, nec vitæ & religionis puritate illis comparandi ſunt. Et ſanè ſi ſe ullo modo impudenter Angelis aut veteribus Monachis comparare audent: nemo tamen illis fidem habere poteſt, ſi eos penitiùs intuetur. *Religioſi* (inquit Catharina Senenſis, 125. & onus Eccleſiæ. c. 22.) *collocati ſunt in religione velut Angeli, ſed quàm plurimi ſunt dæmonib. deteriores.*

Patres an Monachatui patrocinentur.

UBERTINUS: *Illi mendicantes perverſi*, inquit, *deſignantur per locuſtas de puteo abyſſi exeuntes, quia ipſi ſunt ſcurriles, le-*

Ibid.

Digitized by Google

ves, volatiles, carnales, rodentes ſacras literas virides, paganicæ Philoſophiæ ſequaces. Apocalypſ. 9.

Petrus Cluniacenſis dicit, *Monachos & Monaſteria provinciæ Lugdunenſis eſſe ſynagogam Satanæ.* Lib. 4. epiſt. 2. ad Archiepiſc. Lugdun.

In Dial. de prædeſt. & libero arbitrio. Honorius Auguſtodunenſis non Cleri tantùm, ſed etiam Monachorum & Monialium laudes his prædicat verbis: *Verte te ad* CLERUM, *& videbis Beſtiæ tentorium. Dei ſervitium negligunt, terrenis lucris inſerviunt, ſacerdotium vel immundiciam polluunt, populum per ſimulationem ſeducunt, Deum per mala opera abnegant, omnes Scripturas ad ſalutem pertinentes abdicant, omnibus modis laqueos ad ruinam populo ſubſternunt, quem cæcum ipſi cæci ad interitum præeunt.* (*Clerus.*) *Contemplare &* MONACHORUM *conciliabula, & videbis in eis Beſtiæ tabernacula. Per fictam profeſſionem Deum irridentes, iram ejus provocant, normam regularem moribus & vitâ calcant, per habitum ſeculum fallunt, multos deceptos decepti ipſi decipiunt, ſecularibus negotiis impliciti ſunt, in Dei negotio deſides exſiſtunt, plerique illorum gulæ & illecebris dediti ſunt, multi in immunditia ſorde computreſcunt.* (*Monachi.*) *Aſpice etiam habitacula* MONIALIUM, *& cernes in eis Beſtiæ præparatum thalamum. Hæ à tenera ætate impudicitiam diſcunt, complices ſibi plurimos ad cumulum ſuæ damnationis ſibi adſciſcunt, vel ſe operiri feſtinant, quo magis luxuriæ frena laxare queant. Omnibus fornicariis pejùs proſternuntur, & ut inſatiabilis charybdis nunquam ſtercore immunditiæ replebuntur. Hæ animas juvenum illaqueāt, & gaudēt ſi plures illaqueent. Et hæc vult palmam victoriæ, quæ aliis prævalet in ſcelere.* (*Moniales.*) Catalog. teſtium veritatis.

Nicolaus Clemangis dicit: MONACHOS *eſſe lupos rapaces in veſtimētis ovium, Satanas in Angelos lucis transformatos, Scribas, Phariſæos, hypocritas, ſepulchra dealbata. Monachorúmque Monaſteria nihil aliud eſſe, quàm Veneris execrandæ proſtibula. Et* VIRGINEM *velare, nihil aliud eſſe, quàm publicè eam ad ſcortandum exponere.* (*De corrupto Eccleſiæ ſtatu.*)

Petrus de Alliaco Cameracenſis Epiſcopus de reformatione religioſorum verba faciens; *Primò videtur*, inquit, *quòd tanta religioſorum numeroſitas & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam obſervationum & ſæpe ad ſingularitatem, & ad ſuperbiam & vanam extollentiam unius ſtatus ſuper alium. Et maximè videtur neceſſarium, quòd diminuerentur religiones ordinum mendicātium, quia tot ſunt & numero conventuum, & in numero ſuppoſitorum, ut eorum ſtatus ſit oneroſus hominibus, damnoſus leproſariis & hoſpitalibus, ac aliis verè pauperib. & miſerabilibus, præjudicialis omnib. Eccleſiæ ſtatibus.* IDEM etiā, *clauſtra Monialiū ultrà quā dicere auſus eſſet, dehoneſtata eſſe* affirmat. (*De reform. Eccleſiæ.*)

Arnoldus de Villa nova aſſerit: *Status illos, qui de altitudine perfectionis Euangelicæ gloriantur, ſubvertere Euangelicam veritatem, ac diruere ejus ædificium in populo, non ſolùm perverſis operibus & exemplis, ſed corruptione doctrinæ in ſuis prædicationibus & præconiis.*

Apud pleroſque religionis noſtræ primores, inquit PICUS MIRANDULANUS, *aut nullus eſt, aut certè exiguus religionis cultus.* Idem dicit: *Virginibus dicata ſepta in pleriſque orbibus in meretricios fornices, & obſcœna latibula fuiſſe converſa.* (*In orat. ad Leon. 10. apud Orthuinum Gratium.*)

Aretinus ſub hypocritarum perſona Monachorum graphicè depingit perſo- (*De hypoc. apud Orthuinum Gratium.*)

Digitized by Google

perſonas & mores: *Perſuade tibi*, inquit, *hoc eſſe nocentiſſimum genus hominum, & cunctis flagitiis ſceleribusq; coopertum, calamitatem perverſionemq; propinquorum, ſpoliatores viduarum pupillorumq;, omnium denique qui aliqua in re fidei ſe illorum permiſerint, everſores.* Idem ſcribit: *Vitia maxima & deformiſſima eis ineſſe, inter quæ ſuperbia, avaritia, ambitio obtinent principatum.* Nec dubitat denique eos *monſtra & portenta* appellare.

De vanit. ſcient c 62. de lenocinio. *In Monaſteria*, inquit Cornelius Agrippa, *tanquam in malorum omnium aſylum, confluunt quoſcunq; ſcelerum conſcientia terret, qui ob legum vindictam nuſquam alibi tuti ſunt, qui crimina commiſerunt ſupplicio expianda, quos vitæ turpitudo abſtraxit ad infamiam, quos rebus ſuis alea, ſcortis, ingluvie profuſis, æs alienum ac turpis egeſtas mendicare compellunt. Hic dicit haberi Stoicas ſimias, inſolentiſſima paſcinummia, palliata mendicabula, cucullata monſtra, barbigeros, funigeros, veſtigeros, ſaccogerulos, loripedes, lignipedes, atratos, nigritas, ac id genus hiſtrionum turbam, quorum vanitates & errores non caperent omnes pelles Madian.*

In Leone lib. 10. Rectè etiam de hoc hominum genere canit Palingenius:

Sed tua præcipuè non intret limina quiſquam
Frater, vel Monachus, vel quavis lege Sacerdos. (*ſunt*
Hos fuge. Peſtis enim nulla hac immanior. Hi
Fax hominum, fons ſtultitiæ, ſentina malorũ,
Agnorum ſub pelle lupi, mercede colentes
Non pietate Deum. Falſâ ſub imagine recti
Decipiunt ſtolidos, ac relligionis in umbra
Mille actus vetitos & mille piacula condunt.
Raptores, mœchi, ac puerorum corruptores;
Luxuriæ atque gulæ famuli.

Quum quidam Monachus Goodrici Eremitæ, cujus ſanctitatis fama celeberrima erat apud Anglos, vitam deſcribere vellet, atque ab eo edoceri poſtularet, quomodo vitam tranſegiſſet, & qualis eſſet. *Scribe*, inquit Goodricus, *quòd ruſticus pinguis, fornicator, immundus, deceptor, perjurus, adulator, diſcurrens, non eremita, ſed hypocrita.* *Mathæus Pariſius in Henric. II.*

In partibus denique Friſiæ, viginti duo Monaſteria ordinis S. Benedicti à religione & omni virtute defeciſſe, ſignificat Gregorius XII. Papa, non levis apud Adverſarios auctor. *Ab eis*, inquit, *religio & omnis Dei timor abſceſſerat, libido & corruptio carnis inter Monachos & Moniales dominabatur, vitiáque quæ pudet effari.* *Theod. à Niem nemor. union. lib. 6.*

Bernardus dicit: *Monachos eſſe mundo ipſo mundaniores, & vanitate ipſa vaniores*, Catal. teſt. verit. Nec poſſumus omnes hujuſmodi querelas hoc locò percenſere ob prolixitatem & multitudinem, quæ apud auctores non contemnendos exſtant.

Nihil ergo ad hodiernos iſtos Monachos pertinent priſcorum Monachorum laudes, ut nec veterum Romanorum gloria ac virtus ad hominum illam ſentinam, qui nunc ſe Romanos vocant.

Quantum à doctrina Apoſtolica & Prophetica deflectant, teſtantur Waldenſes, qui inquiunt: *In concionatoriis cathedris magna hominum multitudine aſſiſtente tum auctoritate divinarum vocum, tum validiſſimis rationibus, túmque argumentorum exemplis firmiſſimis, demum paternorum canonum aſtructionibus, & minacibus cenſuris ſe ſchiſmaticos, hæreticos ſacrilegos, Pſeudoprophetas, lupos rapaces, belluámque ac meretricem Apocalypticam pro-* *Confeſſio Waldenſium ad Uladiſlaum Regem.*

Digitized by Google

ſæo 2.Reg.1.& ſequentibus in Rechabitis Jerem. 35. In Johanne Baptiſta Mat.3.Marci 1.& alibi:denique in ipſis Apoſtolis Act.4. ubi inter alia dicitur, quod Apoſtoli omnia communia habuerint. Hocque modo & Caſſianus Collatione 18. cap. 5. ait. *Itaque cœnobitarum diſciplina,à tempore prædicationis Apoſtolicæ exordium ſumpſit.* Hoc autem falſum iiſdem teſtantibus, quos modò antè nominavi, & Chryſoſtomo homilia 25.in Epiſt.ad Heb.Neque veram Monetices originem hic aſſignavit Bellarminus, ſed falſam potiùs pro vera ſubſtituit: Quid enim noſtri Monachi cum ſanctiſſimis illis viris è ſcriptura prolatis,à quib.bis per omnia diſſident,commune habent? Nam neque de illorum *eſſentialibus votis* quicquam in ſacrâ Scripturâ legitur: neque ipſi de ſuis apud Deum meritis,perfectioniſque operibus aut ſtatibus, & quidem ſupererogatoriis operibus ac meritis, unquã gloriati ſunt, ſed ſumma & ſinceriſſimâ cum humilitate & ſubmiſſione Deo ſubjecti.Eſtque aperta principii petitio, & ignoratio elenchi, ac fallacia non conſequentis, & *κακοζηλίας* peſtis & inanis jactatio, quod ex qualicunque *externa ſeu victus ſeu veſtitus ſimilitudine*, quæ inter utroſq; fortaſsè reperiri poteſt,ipſa eſſentialis Monachatus identitas ab adverſariis noſtris cõcluditur.Et quomodo,quæſo,vel Heliæ,vel Johannis Baptiſtæ,vel Apoſtolorum diſcipuli atque imitatores fuêre priſci Monachi, nedum hodierni? Nec enim vel Helias Helianos vel Johannes Johannitas, vel Petrus Petrianos, vel aliqui Apoſtoli ſui nominis aliquos reliquerunt poſt ſe diſcipulos, ut poſteris temporibus fundatores Monachorum fecerunt. Præterea nullas ipſi præter Legem Dei & Euangelium ſuis diſcipulis regulas tradidêre. Nec eos votis ad conjugium damnandum vel abjurandum, & facultates ſuas in medium conferendas obligarunt.

8. Ideo,quod dicit Bellarminus, *Chriſtum hoc vitæ Monaſticæ genus conſuluiſſe*, prorſus & novum eſt, & planè incredibile. Nuſquam enim legimus, vel accepimus,Chriſtum conſuluiſſe cuiquã, ut vel in eremum,vel in monaſterium, rebus ſuis relictis ſecederet,& ibi novã regulam ſequeretur, & mandata hominum ſuo Euangelio anteferret. Quin potiùs Legis & Euangelii obedientiam unicè commendavit & opes non niſi perſequutione urgente relinquendas, & conjuges non niſi morte aut adulterio interveniente diſerendos docuit. Math.5.17.& 19.9. 17.29.

9. Poſtremò *nec ſignis* antiqui Monachi ſua potiùs inſtituta, quam Chriſtianã religionem confirmarunt. Nec ita erant ſancti, quin multi ex eis hæretici evaſerint,& urbes atque Eccleſias ſuis coitionibus & molitionibus turbarint. Temporibus quidem *Petri Alexandrini* Epiſcopi ſancti erant per Ægyptum Monachi, ſed non ſemper in fide perſtiterunt orthodoxa ac Catholica,verum hæreſibus ſeſe manifeſtis atque damnatis dediderunt. *Monachi hæretici facti.*

Audeus,à quo Audeani,ſive Anthropomorphitæ genus ducunt, Monachus erat,idemque adverſus Magiſtratum rebellis.*Iſte relegatus in Scythiam*,inquit,Epiphanius, *quod rebelles populos faceret* *Hæreſ.70.*

Digitized by Google

ceret, *ulterius progreſſus ad intima Gothia, monaſteria ibi multa ſua ſecta inſtituit:* Ejus autem diſcipuli ſecedentes contubernium fecerunt tum in ſolitudinibus, tum propè urbes & Epiſcopis Catholicis libenter detraxerunt. Hæreſin etiam hanc Audeanorum ex craſſa Scripturarum ignorantia plurimi per Ægyptum Monachi imbiberunt. *Haud multò anteà*, inquit Sozomenus, *exorta quaſtio per Ægyptum movebatur, oporteátne Deum humana forma praditum credere? Hujus autem ſententia plurimi erant ex Monachis iſtic commorantibus, qui pra ſimplicitate ſine examine Scripturã ſacram accipiebant.* At Exod. 25. 40. Hebr. 8. 5. Deut. 4. 16. Iſa. 40. 25. redarguũtur. Adhæc quũ *manus, brachia, pedes, oculi & alia* humani corporis mẽbra in ſacris literis Deo tribuuntur, nõ ſolũ *metaphorã*, quã Theologi ἀνθρωποπάθειαν apellunt, ſed etiam *Metonymiam* cauſæ inſtrumentalis facit. Nam *manus, brachia & pedes* inſtrumenta roboris, potentiæ, vindictæ, defenſionis pro ipſo robore, potentia, vindicta, defenſione: & *oculi* ꝓ providẽtia & cura rerum omnium accipiuntur: ſicut ex Num. 11. 23. Ruth. 1. 13. Pſal. 44. 7. Exod. 15. 16. Pſal. 33. 18. patet.

Lib. 2. c. 11.

Eutychianus parẽs eorum Monachorum, qui Olympum incoluerunt, *hæreſin Novati* amplexus eſt, qui & lapſis pœnitentiam negabat, & à Catholicis baptizatos iterùm baptizabat.

Euſtathius vitæ Monaſticæ magnus laudator & propagator, cum *Macedonio heretico* damnato ſenſit. Idem & nuptias & cibos quoſdam prohibuit. Multos etiam MONACHOS Macedonii inſaniam circa Conſtantinopolim promoviſſe ſignificat Ruffinus libro 1. cap. 25. hiſtor. *Plurimi*, inquit, *eorum, qui videbantur vitam attentiorem gerere, & Monaſteria apud Conſtantinopolim vicinâſque provincias, & Epiſcopi nobiles, Macedonii magis errorem ſunt ſequuti.*

Sozom. lib. 4 cap. 16. Socrat lib. 2. cap. 39. Et lib. 2. cap. 33.

Anno 373. ſub Liberio & Conſtãtino.

Hiſt. Eccl. cap. 31.

Marathonius etiam Monachus, & ſtudio & opibus hæreſin Macedonii plurimùm provexit.

Monachos per Ægyptum Theodoretus lib. 1. Hiſt. cap. 9. non ſolùm *Meletiano dogmati*, ſed etiam *Samaritanorum & Judæorum dementia*, ſeſe addixiſſe dicit. Sunt illis locis, inquit Monachorum turbæ, quæ non ſanæ aſſentiuntur doctrinæ, ſed vitæ rationem inanibus quibuſdam inſtitutis informatam ſequuntur, & inſanæ Samaritanorum & Judæorum dementiæ ſe addicunt.

Origenis etiam *hareſes*, ſi quæ fuerunt, à Monachis acerrimè defenſæ ſunt. *Ruffinus* ejus admirator & laudator ex monaſterio virus ſuũ hauſit. Inde etiã alii *Origenis ſtudioſi* emerſerunt. Narrat Theodoretus, fuiſſe trans lacum Mareę in Ægypto *Monachos, qui cum Gnoſticis ſentiebant.*

Euagrius, qui inter Monachos Ægypti diu verſatus eſt, & nominis ſui celebritate multos Monachos ſuperavit, varias hæreſes amplexus videtur. Eum Hieronymus cum *Manichao, Priſcilliano, Joviniano & Pelagianis* ſenſiſſe dicit, in Prologo adverſus Pelagianos.

Ptolomaus, qui negabat providẽtiam Dei, Monachus erat Ægypti ultra Sate, ut narrat Hiſto. Lauſ. c. 33. Palladius.

Enthuſiaſtarum errorem *Theodorus Palaſtina Monachus* primus amplexus videtur. Negavit enim *Monachis opus eſſe commentariis, quia mentis apertis oculis naturaliter Scripturarum Sacramenta percipiebant.* In

Caſſian. Collat. 5. cap. 1.

Digitized by Google

In Ægypto ex monaſterio enata eſt *Timotheanorum hæreſis*, qui duas in Chriſto naturas in utero virginis dixere eſſe confuſas. Ipſe enim ᵃ Monachus erat, & ex Monachorum luſtris in Synodũ Chalcedonenſem debachatus eſt. In Monaſteriis enim errores ipſius locum habuêre. ᵃ In appendice ad Auguſtinum de hæreſibus.

Ex Monachorum ſimiliter gurguſtiis prorepentes *Pelagius & Eutyches* hæretici, virus ſuum evomuerunt. Ille gratiam Dei & peccatum originale, hic duas in Chriſto natúras oppugnavit. Fuit ille Monachus collegii Banchorenſis, & per diſcipulum ſuum Leporium in Monaſterio ſecum enutritum venenum ſuum per Galliam ſparſit. Hic juxta Conſtantinopolim monaſticam vitam exercuit.

Synod. Chalced. Act. 4. Eutychis perfidiam *Braſuma* multorum Monachorum pater acriter tutatus eſt. Imò adverſus Synodum Chalcedonenſem, ubi Eutychis errores damnati ſunt, Monachi tumultum non levem excitarunt: teſte Euagrio lib. 2. cap. 5. Leo primus Papa pleroſque per Paleſtinam Monachos Neſtorii & Eutychis veneno contactos fuiſſe ſignificat. Epiſt. 81. ad Paleſt. Monach.

Meſſaliani non alia ex ſchola quàm Monachorum prodierunt. Utique enim orationes demurmurant, & ſe propter ſuas battologias debere exaudiri putant.

Ex *Sergii* denique Monachi impiiſſimi ludo ac conſilio conflatus eſt blaſphemus Mahometi *Alcoranus*, ne ulla eſſet impietas, cujus non Monachi participes eſſent.

Atqui hæc inſana & hæretica dogmata Monachi antiqui licet poſterioribus non paulò meliores, defenderunt. Recentiores verò non depoſuerunt, ſed (ut ſequentibus libris Deo favente exponemus) eadem mordicus tenent, omni ſtudio propugnant, pluribusque amplificant.

Non ergo ad hodiernos Monachos attinent *priſcorum Monachorum piorum laudes*, ſed errores ac hæreſes, ut nec veterum Romanorum gloria & virtus ad hominum illam ſentinam, qui nunc ſe Romanos vocant, & à veterum Romanorum virtute degenerantes, vitia tantùm eorum imitantur.

Nec hodiernis Monachis *ampliſſima promiſſones, Math. 19. 29. Marc. 10. 21. Luc. 18. 28. & 22. 30. Iſaia 56.* ſed minæ potius, & iræ divinæ ſeveritas, & legis maledictiones proponuntur. Nec *centuplum illis debetur in hoc ſeculo & ſedes honoraria in judicio, locúsque & nomen in regno cœlorum illuſtre*, ut contendit Bellarminus præf. in lib. de Monachis. Nam hæc piis & tam doctrinæ orthodoxæ quàm morum ſanctorum teſtimonio commendatis, atque ob Chriſtum & ſe & ſua relinquentibus, parata ſunt. Iis autem (quales ſunt Monachi) qui monſtra doctrinæ falſæ & opinionum perverſarum, portentaque turpitudinis morum alunt & tenent, propoſita eſt infamia in terris, & in futuro ſeculo confuſio ac pœnæ ſempiternæ, ut 1. Cor. 6. 9. Apocalyp. 18. 4. & 21. 8. habetur, niſi reſipiſcant.

Quũ ergo nec priſci illi Ægypti Monachi à Chriſto inſtituti ſint, nec ab Apoſtolis aut Johanne Baptiſta, aut Heliæ exemplum vitæ Monaſticæ acceperint, nec ullo mandato divino ornati

Digitized by Google

& muniti ſint, ſed potiùs ſacris Scripturis reprehendantur; nihil eſt quod quiſquam vir pius eorum inſtituta perſequatur. Neque enim putandum eſt, quenquam tanta eſſe ſapientia, ut vel Chriſti Euangelio quicquā rectè addere, vel perfectiorē regulam excogitare poſſit. At licet prima Monaſtica non adeò mala eſſet, tamē recentiores Monachorū religiones fugiēdæ ſunt. Idq; nō tātum quia ab hominib. ſunt confictę, ſed quia priſcis illis Monachorū inſtitutis longè ſunt deteriores. Recentioribus enim vitæ cœnobiticæ aut monaſticæ ſectatoribus nec nomen Monachi congruit, nec natura convenit, nec quicquam eorum, quæ priſci Patres in antiquis Monachis probarunt, adeſt. Præterea de Conſiliis, ut vocantur, perfectionis, & votis perperam exiſtimant. Multa denique habēt in moribus, & inſtitutis, & ſtudiis ſuis, aut iniqua, aut inepta, aut alioquin à ſacris literis aliena, & proinde nova, quæ homines pii & orthodoxi nec ſequi, nec probare, nec ferre debent.

Quæ omnia hîc ſatis eſt attigiſſe. Sed uberiore & ſolidiore explicatione cum refutatione pleniore ac firmiore omnium argumentorum ac rationum adverſæ partis, confirmantur in eruditiſſimis & pulcherrimis operibus *tum* Mathæi Sutlivii Angli de Monachorū inſtitutis & moribus, *tum* Rodolphi Hoſpiniani Tigurini de origine Monachorum ac ſactorum ordinum Papiſticorum omnium. In primis legi & menti infigi oportet caput 8. Sutlivii de Monachis adverſus Bellarminum. Nam in eo ex profeſſo ſolidis argumētis & rationibus evincit, *rectè feciſſe Principes Chriſtianos, qui Monaſteriis everſis, Monachorum è regnis ſuis & dominiis exturbarunt colluviem. Et hoc Eccleſiæ atque reipub. conſultiſſimum fore, ſi per univerſum orbem Chriſtianum Pſeudomonachorum ordines tolli poſſent.*

Errare non poſſe Epiſcopos & Monachos perſuaſi Papiſtæ ſeducuntur.

Attolleremus nunc nos manum de tabula, niſi objiceretur nobis à Papiſtis in primis admirandum, & inſolens, & vulgo ipſorū pernitioſum telum, quod putant & credūt & perſuadentur, Papā & Epiſcopos atque Monachos errare non poſſe. Quoties enim diſputant, errare non poſſe Eccleſiam, ſub hac illos intelligunt. Inde nobis ſecundùm locupletiſſimā ſacræ Scripturæ ac puræ vetuſtatis documenta à pravis Paparum, Epiſcoporum atque Monachorum dogmatibus, inſtitutis & moribus animos avertentibus, labem hæreſeos inurere non verentur.

Repellenda igitur à nobis eſt iſtius teli vis fucata: ut accuratè & liberè probemus, Pontifices Romanos, eorúmque Epiſcopos & adhærentem turbam Monachorum Monialium, Sacrificorumque errare poſſe, & peccare, ac proinde non tanti eſſe æſtimandos, quanti vulgo æſtimari ſolent. PRIMUM enim omnes errare poſſunt, quorum ſcientia non eſt perfecta. At hominum peritiſſimorum, ſapientiſſimorum, ſanctiſſimorumque ſcientia in hoc mundo imperfecta eſt. Nam *hîc*, ut inquit Apoſtolus, *ex parte tantùm cognoſcimus, & ex parte prophetamus*, Et ut Apoſtolus Jacobus ait: *In multis offendimus omnes.* Ipſe Propheta vir ad volūtatem Domini factus, orat hunc, *Ne ignoran-*

1. Cor. 13. 9.

Jac. 3. 2.

Pſal. 25. 7. Heb. 5. 12.

gnorantiarum & prævaricationum ſuarum meminiſſet. Dicit etiam Apoſtolus: *Omnem Pontificem ex hominibus aſſumptum fuiſſe, & pro hominibus conſtitutum in iis, quæ apud Deum agenda ſunt, ut poßit condolere ignorantibus & errantibus.* Quis autem non agnoſcat ſe errori obnoxiũ, quum Apoſtolus omnem hominem *mendacem* pronunciet? *Rom 3. 4.* Ac fateatur: *Non eſt qui intelligat, non eſt, qui exquirat Deum?*

Math. 5. & 15.

Deinde, ſynagoga Judæorum circa Chriſti tempora graviſſimè erravit. Nam non tantùm regnum Chriſti terrenum ſomniavit, ſed etiam legem Dei variis interpretationibus & traditionibus perverſis corrupit. Imò hæc ſynagoga & Chriſtum, & ejus doctrinam repudiavit ac damnavit. Atque hæc ex ipſis Papiſtis *Cæſar Baronius* fatetur. *Apparat. in Annales Eccleſia.* At neque ulla erat præter eam Eccleſia viſibilis, neque tam amplas habet promiſſiones ſynagoga Romana, ut Judæorum ſynagoga.

Adhæc, ut liquidiùs conſtet, nos Eccleſiæ nomine tam præſides ejus quàm populum errori involvi poſſe comprobare, hac re clarè convincitur, quod dicimus. Si omnes paſtores Eccleſiæ errare poſſunt, tum & univerſa illa Eccleſia errare & peccare poteſt. At illud certum eſt. *Iſa. 56. 10. 11.* Nam: *Speculatores ejus omnes cœci*, inquit Deus apud Eſaiam, *univerſi ipſi nihil ſciunt. Omnes declinaverunt in viam ſuam, unuſquiſque ad avaritiam.* Adverſus Prophetam Jeremiã non tantùm populus, ſed etiam ſacerdotes & Prophetæ conſpirarunt. *Apprehenderunt eum*, inquit Scriptura, *Sacerdotes & Propheta, & omnis populus dicens, morte moriatur.* Quod autem flagitium majus, quàm & Propheticam doctrinam, & ipſum Prophetam condemnare? Tandem verò Concilium Sacerdotum *Jeſum Chriſtum capitis damnavit*, & fidem Chriſti aſpernatum eſt. *Joh. 11. 47. 48 &c. Math. 26. 4 66.* Populus verò clamavit, *crucifige, crucifige eum*, Luc. 23. 21. *Math. 27. 22. 23.*

Præterea, poſtquam Epiſcoporum Chriſtianorum Concilia celebrari cœpta ſunt, non erant illa ab errore magis immunia, quàm ſuperiora. Gregorius Nazianzenus dicit: *Μηδεμιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρηστὸν, nullius concilii bonum & felicem exitum vidi.* *Epiſt. 42. ad Procopium.* Ipſi Adverſarii Papiſtæ fidem abrogant actis Concilii *Africani ſub Cypriano, Ariminenſis, Epheſini ſecundi, Chalcedonenſis*, quoad prærogativam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, aliorumque conciliorum multorum. At nihil afferre poſſunt, cur non par ſit omniũ Conciliorum ratio, ut Sibrãdus Lubertus, Mathæus Sutlivius & Guil. Witakerus in ſuis tractatibus contra Bellarminum lib. de Conciliis probant.

Objectiones Bellarm. de Eccl. milit. cap. 17.

Ad locum Iſaiæ 56. 10. 11. reſpondere conatur Bellarminus & dicit *Prophetam per omnes intelligere multos.* Sed ſi omnes illi, qui viſibilem Eccleſiam regebant, tales erant, tum certum eſt, illam erraſſe, velut cœcis circum actam ducibus. Præterea ſi aliquot eſſent ſacerdotes immunes ab errore, cur extra ordinem mittendi erant Prophetæ? Cur non Sacerdotes populum in officio continebant. Si Eccleſia illa viſibilis non potuit errare, nec peccare, cur olim dicta eſt civitas illa fidelis, *meretrix*. *Jerem. 2. 20.*

Item ad argumentum noſtrum, quod à ſententia Sacerdotum ac po-

 puli

puli Judaici contra Chriſtum ductum eſt, reſpondet Bellarminus: Veniente Chriſto, amiſiſſe Põtifices & Sacerdotes privilegium non errandi. Hoc enim prædixiſſe Jeremiam, quum ait: *Peribit Lex à Sacerdote, verbum à Propheta, conſiliũ à ſapiente.* Dicit etiam: *Non omnes Judæos clamaſſe, crucifige, ſed aliquos tantùm, & forte minorem partem.* Verùm dum ipſe Synagogæ Romanæ auctoritatem defendere, & eam ab errore immunem eſſe docere conatur, in graves incidit errores ac flagitia. Nam ſi Chriſto nato privilegium amiſerunt Pontifices & ſacerdotes non errandi: tum non erãt ſacerdotes & reliqua eis adhærẽs multitudo vera Eccleſia: ſed illo tẽpore latebat in paucis & obſcuris hominib. à cõſpectu hominũ remota. *Adhæc* falſum docerẽt reliq. hujus ſynagogæ patroni, q iſtos & veram eſſe Eccleſiam & rectè judicaſſe credunt. *Tertiò*, ſi iſti errarũt tum errare poſſunt & ſacerdotum cõcilia. *Quartò*, Non dicit Jeremias, *Legem* perituram à ſacerdote, & quæ ſequuntur, ut memorat Bellarminus: ſed ipſius inimici *planè negarunt* legem perituram à ſacerdote. Dicunt n. *Venite & excogitemus contra Jeremiam malas cogitationes,* ſcilicet noſtras. *Non enim peribit Lex à Sacerdote, & conſilium à ſapiente,* &c. *Quintò*, nõ loquitur Jeremias de Chriſti temporibus, ut ipſe fingit, ſed ipſius adverſarii de ſuis temporibus loquuntur. *Poſtremo*, impudenter excuſat populum Judæorum, qui una voce ut videtur in Chriſti necem conſenſit, & ejus rei poſtea graviſſimas pertulit pœnas. Et Scripturæ repugnare videtur, quæ ab univerſo populo clamorem hunc ſublatum ſignificat.

De Eccleſ. milit. c. 17.

Jerem. 18. 18.

Inſuper non repugnat naturæ Eccleſiæ, ut erret & peccet. Ideò enim quotidie orat: *Remitte nobis debita noſtra.* Et Chriſtus minatur ſe *candelabrum*, id eſt, Eccleſiam loco moturum, niſi pœnitentiam ageret. Et hoc factum conſtat. Nam omnes illæ Aſiæ urbes, ubi olim Apoſtolicæ erant Eccleſiæ, exempli gratiâ Hieroſolyma, Antiochia, Epheſus, Cæſarea & infinitæ aliæ à Chriſto ad Mahometum defecerunt. Erant tamen Apoſtolicæ Eccleſiæ non minùs ſupra petram fundatæ, quàm Romana. Nec minùs erant Epiſcopi illarum Eccleſiarum ſucceſſores Apoſtolorum, quàm Romani. Conſtat item ex omnium hominum natura, qui circumdati ſunt infirmitate ac mentis caligine, peccatiſque & erroribus expoſiti ac ſubjecti, Iſa. 53. 6.

Math. 6. 12. Apoc. 1. 20. & 2. 5.

Præterea, ſi non erraret Eccleſia Romana, quia Chriſtus pro Petro oravit, tum nulli fideles errarent, quia pro omnibus oravit. Omnes etiam ſupra petram ædificati ſunt, adverſus quam nec portæ inferorum prævalebunt. Nam fide ſuper Chriſtum ſunt extructi, & Scripturis ſacris innixi, Gal. 3. 26. Epheſ. 2. 20. Auguſt. contra Creſcent. lib. 2. cap. 29. Hieronymus in epiſt ad Gal. 4. Epheſ. 1. 10. & 3. 9.

Luc. 22. 32. Joh 17. 20. Math. 16. 18.

Poſtremò, convincitur erroris Eccleſia, id eſt, Epiſcoporum, Monachorũ, ſacrificorumque Pontificiorum turba, teſtimoniis hominum aliquot fide dignorum, qui ſuperioribus noſtris ſeculis vixerunt. Ex iis Bernhardus ad Chriſtum in ſerm. de converſione Pauli loquens: *Egreſſa eſt*, inquit, *iniquitas à ſenioribus judicibus vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum.* Idem ibidẽ dicit: *Univerſitatẽ populi Chriſtiani contra*

Errare Eccleſiam, hoc eſt, Epiſcopos & Monachos teſtantur ipſi Pontificii.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani contra Chriſtum conjuraſſe. Ac ſerm. 33. in Cantica ait, *Putidam labem univerſum corpus Eccleſiæ invaſiſſe.* At de nulla ille alia Eccleſia loquitur, quàm de Romana.

Receſſit Lex, inquit, Breidenbachius in hiſtoria peregrinationis ſuæ, *à ſacerdotibus, à principibus, juſtitia, conſilium à ſenioribus, à populo fides, amor à parentibus, à ſubditis reverentia, charitas à prælatis, religio à Monachis, à juvenibus diſciplina.* Quis autem non confitetur, graviſſimè illā Eccleſiam peccare, ubi iſta fiunt?

In carminibus. *In veritate comperi*, inquit Gualtherus Mapes, *quod ſceleri cleri ſtudet univerſitas, livor regnat, veritas datur funeri, hæredes Luciferi ſunt Prælati.*

Epiſt. 19. ſine nomine. *Quicquid uſpiam perfidiæ & doli*, inquit Petrarcha, *quicquid inclementiæ ſuperbiæque, quicquid impudicitiæ, effrenatæq; libidinis audiſti, aut legiſti: quicquid denique impietatis & morum peſſimorum ſparſim habet aut habuit orbis terræ, totum iſtic cumulatim videas, acervatimq; reperias.* Idem alibi: *Viſa loquor*, inquit, *non audita novi* *Epiſt. 14.* *expertus, quod nulla ibi fides, nulla pietas, nulla charitas, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil ſancti, nihil juſti Omnia ibi mendaciis plena penetralia templorum, judicum ſubſellia, Pontificum ſedes. Si Romæ fuiſti, vidiſti fictò & inaniter omnia fieri, non tantum hominibus, ſed* DEO. Et epiſt. 18. *Veritas*, inquit, *ibi dementia eſt abſtinentia ruſticitas, pudicitia probrum, ingens deniq; peccandi licentia, & quo pollutior, eò clarior vita.* At qui hæc ille contra Pontificis Romani aulam, & ſynagogam Romanam plenis faucibus evomit. Non ne ergo mirum eſt, Pontificios adeò frontem perfricuiſſe, ut hujus Babylonis ſanctitatem mirentur, eámque errare & peccare poſſe negent?

Novell. 11. Joh. Boccacius *non tantum aulicos, ſed etiam Papam & Cardinales & Prælatos ſui temporis dicit turpiſſimè vixiſſe, & peccaſſe non ſolum in luxuria naturali, ſed etiam Sodomitica, ſine freno, aut remorſu conſcientiæ ac pudore.* Eosdem etiam *& Chriſti & hominum ſanguinem vendidiſſe* narrat, *quaſi operam darent, ut extinguerent, vel è mundo exterminarent Chriſtianam fidem.* Atque iſti ſunt ſynagogæ Romanæ prælati, quos Adverſarii errare poſſe, præſertim in Decretis fidei & morum, negant.

Nicolaus de Bibrach ait: *Romæ fidem & pietatem eſſe aroma.* Et innuit in libro, quem occultum nominat: *Se Romæ à Papa veluti Ganymedem ad turpiora quadam expetitum.*

Et Helias Haſenmüllerus in hiſtoria Jeſuitica cap. 10. ait: *Verè teſtari poſſum, me Romæ vidiſſe Papam, Cardinales, Epiſcopos, Clericos, Monachos & Moniales præſertim in templo S. Petri talia perpetrare flagitia, qualia honeſtas & pietas, imò ipſa natura vel cogitare horret, nedum ut quis ſine piarum aurium offenſione recenſere ea poſſit.*

Huguetinus in libro trium virorum & trium virginum vehementer invectus eſt *in ſcelus ſodomiticum Cleri Romani.* Ipſe rem apertè narrat. Et ſumma ſynagogæ Romanæ turpitudo illum verum dixiſſe teſtatur.

Rectè ergo monuit ipſorum Mantuanus:

Vivere qui ſanctè cupitis, diſcedite Roma,
Omnia quum liceant, non licet eſſe pium.

Et alius quidam:

Roma vale, vidi, ſatis eſt vidiſſe, revertar
Quũ leno aut meretrix, ſcurra, cynædus ero.

ROBERTUS GALLUS in ſuprà dicto libro Huguetini *Heu*, inquit, *proh dolor, ſucceſſores eorum quibus in igneis ſpeciis*

miſſus eſt Paracletus frigefacti congelantur. Et poſtea: *Agno Eccleſia mea dic, in ſimplicitate tua nutris lupos, qui dilacerant gregem meum.* Et iterum: **Non regunt**, inquit, *ſed tyrannico more deſtruunt & diſſipant populum meum.* Vixit ille circa tempora Nicolai IV. & multa paſtorum ſeu mercenariorum potiùs, qui tunc vixerunt, ſcelera ac flagitia reprehendit. Quod ille ſanè non feciſſet, niſi ſynagogam Romanam & errare & peccare poſſe exiſtimaſſet.

Hugo de Sancto Victore: **Clerici**, inquit, *legem neſciunt, vanitates diſcunt, otio, comeſſationibus, & ebrietatibus ſtudent, terrena capiunt. Aſſiduè in plateis, raro in Eccleſiis, tardi ad inveſtigandum culpam peccatorum: parati ad inſequendum veſtigia leporum; velociores ad congregãdum canes, quàm ad convocandum pauperes: citiùs porrigunt panem canibus, quàm pauperibus: citiùs extendunt manum ad taxillum, quam ad Miſſa librum. Ii ſunt, quorum thalamus ornatior, quàm altaria, ſcyphus pulchrior calice, equus charior, quàm Miſſale, mappa pulchrior caſulâ, camiſia delicatior, quàm alba. In ipſo templo Dei laſcivè & luxurioſè cantant, ut amaſiis ſuis placeant.* Catalog. teſt. veritatis.

Comment. in Jerem. *De Sacerdotibus modernis*, inquit Vitalis, *dicit Hieremias, ſtupor & mirabilia facta ſunt in terra. Prophetæ prædicabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus, & populus meus dilexit talia.* Jerem. 5. 30.

Illi, qui modò præſunt in Eccleſiis, inquit
In Joh. c. 10. Albertus, *plurimi ſunt fures & latrones; plus exactores, quàm paſtores, plus ſpoliatores, quàm tutores; plus mactatores, quàm cuſtodes; plus perverſores, quàm doctores: iſti ſunt nuntii* ANTICHRISTI, *ſubverſores ovium Chriſti.* Quis autem tales à viis Domini erraſſe dubitet?

Sacerdotes moderni, inquit Holcot, *ſunt ſimiles Sacerdotibus Baal, ſunt Angeli apoſtatici, ſunt ſimiles Sacerdotibus Dagon, ſunt Sacerdotes Priapi, ſunt Angeli abyſſi.* *In Sapient. lect. 182.*

Menardus Tyrollius de prælatis Eccleſiæ Romanenſis in Synodo Juvarienſi, anno Chriſti 1292. habita: *Si Antichriſti non ſunt*, inquit, *quid aliud, obſecro, ſunt? Pejores Turcis, Tartaris, Saracenis, Judæis ſunt. Plus his omnibus ſimplicitati Chriſtianæ officiunt; libertatem Chriſti ſanguine partam excindere conantur: dominationem arripiunt. Quum noſtri ſervi ſint, ipſi dominari contra jus gentium, adverſus leges, auſpicia, & oracula divina, dominos ſibi ſervire volunt.*

Petrus de Aliaco Cameracenſis, qui *Lib. de reformat. Eccleſiæ.* tempore Concilii Conſtantienſis floruit *graviſſimè inſectatur Sacerdotum luxum, inſantiam, ignorantiam, incuriam, negligentiam & varias libidines.* Ex Chryſoſtomo probat, *omne malum ex templo prodire.* Et teſtimonio Hieronymi confirmat, *neminem ſeduxiſſe populum præter Sacerdotes.* Quid multa? Eccleſiam tam in capite, quàm in membris reformatione egere cenſet: quòd ſatis oſtendit, errores graviſſimos in Eccleſiam Romanam ſubrepſiſſe.

Omnes nos, inquit Adrianus VI. de *In inſtructione ad Cheregatum.* Prælatis ſynagogæ Romanæ, *declinavimus unuſquiſque in vias ſuas. Nec fuit jam diu, qui faceret bonum, non fuit uſque ad unum.*

Temporibus Henrici III. Regis An- *In Henrico III. p. 817.* gliæ, *Igniculum fidei cœpiſſe refrigeſcere, & religionem emarcuiſſe, & filiam Sionis factam eſſe quaſi meretricem*, dicit Mathæus Pariſius. Idem ſcribit: *Papæ mercatores & cambiatores obmurmurantibus Judæis palàm Londini fœnus exercuiſſe.* Hinc colligit,

ligit,

Digitized by Google

ligit, *Papam Antichriſtum eſſe, ejusq; miniſtros idololatrare, & veritati, qua Deus eſt, abrenunciare.* Idque teſtimonio Roberti Groſthed confirmat.

Cornelius Bitontinus publicè in conventu Tridentino ſignificabat: *Populum à Chriſto ad Antichriſtum, à Deo ad Epicurum defeciſſe, & Sacerdotes ei ad omnẽ nequitiam duces fuiſſe.* Et quamvis fortaſſe labem morum tantùm intellexerit: cur tamen non poſſint in doctrina errare, qui in hanc turpitudinem cadere poſſunt?

In Bulla ante Breviarium. Pius V. *officii Eccleſiaſtici formulam fatetur ab antiqua inſtitutione deflexiſſe, & ſummam fuiſſe in clero ignorationem ceremoniarum & rituum Eccleſiaſticorum.*

Omniũ deniq; clariſſimè & certiſſimè probantur errores Eccleſiæ Romanæ in ſequẽtib. noſtris libris, ubi hæreſes è vetuſtorũ Hæreticorum cloaca in eam derivatæ recitantur, ac cum fide, doctrina, religione, vitaque univerſa Papiſticorum præſulum, Monachorum doctorum atq; adeò Papiſtarum penè omnium comparantur. Objectionum autem farrago, quâ Pontifices Romanos, eisque adhærentes Epiſcopos, Monachos, Sacerdotes & univerſam ſimul ſynagogam Romanam errare ac peccare non poſſe, comprobare nituntur, ſolidè & fusè refutatur, tum à *Mathæo Sutlivio* de Eccleſiæ verè Catholicæ natura cap. 11. de Concil. libro 2. cap. 1. 2. 3. &c. & de Pontif. Romano lib. 4 cap. 1. pag 381. & cap. 2. 3. 4. 5. 6. ac lib. 5. toto: tum à *Guilielmo Witakero* de Romano Pontifice quæſt. 5. & 6. per totam, de Concil. quæſt. 6. item diſputat. de Eccleſia quæſt. 3. & 4. tum à *Sibrando Luberto* de Pontif. Romano lib. 7. cap. 15. lib. 8. cap. 5. 6. de Concil. lib. 4. cap. 7. tum denique *Balthaſare Menzero* diſputat. 4. de Eccleſia contra Johan. Piſtorium à pag. 167. ad finem.

Cùm ergo Euangelici, nõ niſi Pſeudoepiſcopos & Pſeudomonachos, atque adeò omnes Pſeudoeccleſiaſticos Romanæ Eccleſiæ averſentur ac deteſtentur, ideò nec hæretici ſunt, nec cẽſeri & dici jure poſſunt. Nam ſi ea de cauſſa quis hæreticus eſſet, & dici exiſtimarive deberet, quòd Pſeudoepiſcopos, Pſeudomonachos, & Pſeudoeccleſiaſticos averſatur & deteſtatur, ipſe etiam Chriſtus, Prophetæ, Apoſtoli, Patres ſancti, & pii quique Eccleſiæ Doctores non excipi poſſent.

At hoc abſurdum.

Ergo & illud.

DE

DE HODIERNIS HÆRESIBUS ET HÆRETICIS,

PARTIS PRIMÆ, LIBER TERTIUS.

HARTMANNO SPRINGLIO Auctore.

CAP. I.

Arianiſmi ſumma cum impudentia & vanitate Euangelicos in doctrina de ſacroſancta Trinitate, Filii Deitate, & Traditionum obſervatione, à Papiſtis inſimulari.

SUPERIORE Libro ex viginti hæreſibus antiquis, quas Papiſtæ Euangelicis tribuunt, novem ab illorũ cervicibus depulimus, nunc præſenti reliquas undecim ab iiſdem depellemus.

Ut enim non veritus eſt Bellarminus injuria nobis in fide de Trinitate ſacroſancta & adoranda impingere Sa-
Lib. 2. bellii Hæreſin abominandam, quemadmodum ſuprà lib. 2. cap. 8. explicatum: ita decimo loco *Arrianam* nobis quatuor modis aſſignat præter rem, ac præter fas & jus. *Primò*, quòd Euangelici Trinitatis nomen negent: *Secundò*, quòd tres in Divinitate perſonas perperam differre aſſerant: *Tertiò*, Filium Patri conſubſtantialem eſſe nolint: *Quartò*, Traditiones inſtar Arrianorum rejiciant. De his igitur, quum maximi momenti ſint, per Dei gratiam non modò diſtinctè, ſed etiam paulò copioſiùs diſſeramus, ut innocentia Euangelicorum in iis ſatis appareat.

Idem Guil. Giffordus noſtru tribuit in Calvino-Turciſmo lib. 3. cap. 9. 10.

Quoad PRIMUM, Bellarminus in Præfatione controverſiæ de Chriſto: *Luthero, inquit, etiam diſplicet nomen Trinitatis, & ex Germanorum precibus illam precandi formam ſubmovit:* SANCTA TRINITAS, UNUS DEUS, MISERERE NOSTRI. Inde & Edmundus Campianus, quum quatuor fallaciis diſputationes Euangelicorum plerunque conſui diceret, ait: *Aliud vitium,* LOGOMACHIA eſt, *quæ ſenſa deſerens, loquaciter cum verbo litigat.* 1. *Trinitatis nomen an Euangelici negent.*

Invenias mihi Miſſam, inquiunt, aut Purgatorium in Scripturis. Quid ergo? Trinitas, Homouſios, perſona nuſquam ſunt in Bibliis, quia voces iſtæ non ſunt. Et addit Bellarminus: *Quid aliud impius dixiſſet Arrius?* Nec aliud his volunt Adverſarii, quàm *Ratione 9.*

Digitized by Google

quàm non ſolùm Arrianiſmum Euangelicis impingere, ſed etiam rurſus Sabellianiſmum, Servetiſmum, Tritheiſmum, aliorumque hæreticorum blaſphemias, qui impias opiniones de Deo & Trinitate foverunt. Nam qui nomen ſacroſanctæ Trinitatis negat, eum rem ipſam, id eſt, Trinitatem atque adeò Deum ipſum negare, aut in dubium vocare, neceſſe eſt. Nos igitur Deo propitio docebimus, Euangelicos & nomen & rem Trinitatis maximè orthodoxè tenere ac credere, acerrimeque omnium hæreticos eam oppugnantes, refutare & profligare.

Trinitatem ut Euangelici rectè credant.

Nam quia Deus eſt ὑπερούσιος & ἀκατάληπτος, id eſt, infinitus, immenſus, imperceptibilis & incomprehenſibilis, non quidem definiri & comprehẽdi ullo modo perfectè poteſt. At quemadmodum credimus, docemus & profitemur, Deum eſſe eſſentiam ſpiritualem, intelligentem, ſimpliciſſimam, incomprehenſibilem, immutabilem, omnipotentem, omniſciam, liberrimam, immortalem, immenſam, ipſam charitatem, miſericordiam, juſtitiam, ſanctitatem, caſtitatem, bonitatem, ſapientiam, longanimitatem, beneficentiam, quæ eſt *Pater*, qui ab æterno genuit Filium ſibi coæternum & conſubſtantialem, & *Filius* à Patre nõ factus, nec creatus, ſed ab æterno genitus, & *Spiritus ſanctus* ab utroque Patre ac Filio procedens, creator & conſervator rerum omnium, ac redemptor & ſanctificator electorum: Ita hunc Deũ *unum* tantùm eſſe, non genere & ſpecie, ſed eſſentia & numero, ſeu ratione naturæ, ut una ſolummodò ſit atque individua rei eſſentia, tres autem non

Unus Deus.

confuſæ, nec ſeparatæ, ſed diſtinctæ perſonæ, itidem agnoſcimus, credimus, profiterique ſolemus. Unde in unitate, quoad Deum, eſt Trinitas, & in Trinitate Unitas: à qua divina Chriſti natura pendet, de qua inferiùs. Nunc ſingula de illis fuſiùs ordine perſtringemus.

Dictiones ſeu voces tres quoad Deum notandæ.

Primum dictiones ſeu voces *tres*, quæ Græcis Theologis verè orthodoxis olim uſitatæ fuerunt, in Deo diligentiſſimè obſervandæ ſunt. *Prima* eſt Οὐσία, Eſſentia: *Secunda*, ὑπόστασις, Hypoſtaſis: *Tertia*, πρόσωπον, perſona. Harum prior eſſentiam, poſteriores duæ ſubſiſtentiam vel ſubſtantiam Dei ſignificant. Ac duabus prioribus uſi ſunt priores Theologi Græci frequentiſſimè: poſterior, nempe πρόσωπον, perſona, à poſteriorib. Græcis uſurpata maximè in uſum venit etiam apud Latinos & Germanos. Nam tria πρόσωπα, id eſt, aſpectus & facies in Deitate ſtatuuntur, nempe Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Et προσώπων, perſonarum vocibus orthodoxi Theologi proprietatem hypoſtaſeon in Deo exprimere voluerunt, quòd per illas ſingulæ quaſi ſpectandæ & cognoſcendæ proponantur, ac certò ſiſtantur.

1. Eſſentia
2. Hypoſtaſis
3. Perſona.

Plurimum verò intereſt ſcire, quæ ſit harum vocum *Eſſentia*, *Hypoſtaſis & Perſona* differentia, & quomodo utriſque uſi ſint veteres, ne quis per errorem eadem ſignificatione utramque vocem accipiat & uſurpet, arbitreturque nihil eſſe inter eas diſcriminis: atque ideò ſicut unam eſſentiam in Deo dicimus, ita & hypoſtaſin vel perſonã unam in illo ſtatuat: vel ſicut trinam aſſerimus in divinitate hypoſtaſin ſeu

Digitized by Google

ſonam,ita & trinam eſſentiam ponat. Ad hoc cavendum ordine hæc omnia obſerventur.

Notitia Dei naturalis.

DEUM verè eſſe aliquem, notitia duplici percipitur,quarum alia eſt naturalis,alia ſupernaturalis.NATURALIS eſt, qua homo ſolius naturæ ductu intelligit divinum aliquod numen eſſe. Et hæc conſideratur bifariam 1.Subjectivè in mente hominum, cui divinitatis ſenſus natura inditus hæret. 2.Objectivè,qua toti naturæ divinitatis impreſſa ſunt veſtigia. In *nobis* igitur eſt Deum noſcendi facultas: in *mundo* ampliſſima cognitionis Dei materia.

Hæc naturalis Dei notitia confirmatur 1.ab EXEMPLO omnium gentium. Quod enim univerſis cujuſcunque nationis hominib. commune eſt, id non ex diſciplina,ſed à natura ipſis inditum eſt. At ſenſus divinitatis omnibus, quantumvis ab humanitate alienis,cõmunis eſt. Ergo naturalis eſt. 2. Ab EFFECTU mirabili. Quod enim hominis ſuperbiam, *φιλαυτίαν*, atque ambitionem frangit, ipſumque hominem ad rerum viliſſimarum & longè infra humanam conditionem poſitarum venerationem proſternit, id naturale eſt. At ſenſus divinitatis hominem eò dejicit,ut viliſſima quæque colat & coram iis ſeſe proſternat. Ergo ſenſus divinitatis homini eſt naturalis. 3. Tertiò à *ſtabilitate* hujus impreſſionis. Quod enim homines impii ac profani ne ſummo quidem conatu ex animis poſſunt evellere,id firmiter & naturaliter iis inhæret. At homines etiam profaniſſimi numinis divini ſenſum ac timorem nullo ſtudio ex animis evellere poſſunt. Teſtantur hoc animorum trepidationes etiam in illis, qui propter ſummam potentiam nihil ſibi metuendum exiſtimant, ſiquidem conſcientiæ morſus ſubinde recurrentes, quietem ac torporem ultrò acceſſitum noctu diuque interturbant. Sequitur ergo divini numinis ſenſum in ipſis animorum viſceribus radices egiſſe. 4. ab operum divinorum in mundi machina inſpectione. Illa enim in operibus hujus *Pſal.* 19.1.
mundi ampliſſima majeſtas, infinita *Job.* 12.7.8.
multitudo, admirabilis varietas, con- *Pſ.* 104.2.
ſtantiſſimus ordo, pulcherrima harmonia,indeſinens perpetuitas,jucundiſſima rerum alternantium viciſſitudo, & inprimis tam ſtupenda totius mundi creatio & gubernatio, adhæc divina beneficentia, quam omnes mortales ſentiunt ex infinitis commodis,quum ex cœlo deſuper,ex tellure infernè provenientibus, &c. Deum eſſe clarè docet, inculcat & evincit: ſicut illud 3. & hoc 4. argumentum ab experientia poſitum Apoſtolus, Rom. 2.14.17. & Act.14.17.confirmat. Nec obſtat huic ſententiæ, quod David Pſal. 14. inquit: *Dicere ſtultum in corde ſuo,non eſſe Deum.* Negant enim impii Deum, quoad conatum, & nefarium ſtudium omnem Dei notitiam ac memoriam perpetua oblivione delendi, licet illud effectum dare nunquam poſſint. Deinde non negant Deum quoad ESSENTIAM ſimpliciter,ſed quod ad *providentiam*, quâ judiciariâ poteſtate curâque ac gubernatione mundi,quum Deum ſpolient,pro vero Deo idolum ſibi fingunt, ideoque rectè Deum negare dicuntur. Hæc natu-

Stulti ut Deum negent.

Digitized by Google

naturalis Dei notitia, etſi hominum culpâ (noſtrorum enim primorum parentum lapſu naturales Dei notitiæ in homine obliteratæ ſunt, ac veſtigia divinitatis in mundo variè obſcurata. Terræ ſiquidem conditio ex maledictione divina facta eſt deterior, & teſte Paulo, Rom. 8. 20 mundus vanitati eſt obnoxius, & ſervituti corruptionis) non ſit plena & ſolida: utilis tamen eſt, nec ullo modo contemnenda. Uſus enim ejus in piis & electis eſt initium, ac præludium quoddam amplioris & perfectioris Dei notitiæ, ut faciliùs credant Prophetiæ, poſtquam diſcipuli fuerint naturæ. Quem uſum profitetur David tum toto, Pſal. 104. tum inprimis verſu 24. Improbis autem inſtinctus hic & naturalis numinis divini ſenſus, naturæq; ac hujus aſpectus omnem adimit ignorantiæ prætextum, Rom. 1. 19. 20. Iſtos autem Scriptura dicit inexcuſabiles, quos non latet veritas, & tamen in eis perſeverat iniquitas. Etſi enim Deus ſivit Gentes, ſuis ipſarum viis ingredi: non tamen planè fuit *ἀμάρτυρ@*, expers teſtimonii, ut ſuprà demonſtravimus.

Uſus naturalis notitia Dei.

Supernaturalis Dei notitia.

SUPERNATURALIS Dei notitia eſt ſacræ Scripturæ revelatio, per *oracula*, Gen. 1. 3. & per *teſtimonia* operum admirandorum creationis mundi, Gen. 1. 2. & 11. Miraculorum præilluſtrium, Geneſ. 11. Exod. 14. Joſ. 10. Deut. 8 3. Math 9 25. variarum apparitionum Dei, Gen. 1. 28. 29. & 2. 15. & 3. 8. 7. Gen. 6. 13. & 7. 1. &c. Propheticorum vaticiniorum & eventuum, promiſſionis atque exhibitionis Meſſiæ ſeu Chriſti, Joh. 1. 18. denique internæ Spiritus ſancti inſpirationis & illuſtrationis. Hæc dici poteſt CHRISTI, quia is (ut habetur, Joh. 1. 18.) Deum verè vidit, nobiſque enarravit, ac per verbum & Spiritum ſuum luce ſupernaturali nos illuminando, in Patris ſui agnitionem inducit, non quidem exactam & perfectam, nec talem quâ ipſe eum novit, ſed in tantam, quanta ad ſalutem nobis eſt neceſſaria.

Secundum hoc verbum nobis revelatum dicemus, Deum eſſe Spiritum eſſentiâ unum, ac trinum perſonis, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum: ut & ſuprà delineavimus, ac infrà copioſiùs explicabimus.

Unus Deus.

UNUS, inquimus, verus Deus eſt, non plures. Deut. 6. 4. *Jehova Deus noſter, Jehova unus eſt.* Rom 3. 30. *Siquidem Deus unus eſt, qui juſtificavit*, &c. Deinde quia præter hunc verum Jehovā plures eſſe, aut reperiri poſſe, ſacra Scriptura negat. Deut. 4. 35. *Tibi oſtenſum eſt, ut ſcires, quod Dominus eſt Deus, nec eſt ullus præter Deum*, &c. Et Deut. 32. 39. *Cognoſcite nunc, quod ego ſolus ſum, nec ullus ſit Deus præter me.* Quibus ea, quæ Iſa. 37. 16. & 44. 6. 1. Cor. 8. 4. habentur, addi oportet.

Deus unus eſſentia non ſpecie.

Intelligitur autem UNUS Deus nō ſpecie, ſed ESSENTIA. Si enim tantum ſpecie unus eſſet, non poſſet hæc ſpecies de illo ſolo excluſivè enunciari, quod videlicet ille ſolus ſit Deus. Non enim de uno aliquo homine rectè enunciari poſſet, quòd ſolus ſit homo, quia humana natura non eſt in uno tantùm individuo, ſed in multis communiter.

Natura ut Deo tribuatur.

Naturam etiam Deo attribuimus cum ſacra Scriptura Gal. 4. 8. 1. Pet. 1. 4 non

Digitized by Google

4. non quidem ſenſu communi, quo naturale dicitur id quod unicuique ex nativitate inhæret, illamque vel bonā, vel malam, vel aliam & aliam reddit, quæ omnia dictione naturæ ab illis diſtinguuntur, quæ ſtudio, labore exercitio, uſu ac diſciplinis acquiruntur. Hoc, inquam, ſenſu vocabulum naturæ Deo non tribuimus, quippe qui ſit ingenitus, ac proinde ea, quæ ipſi naturaliter inſunt, ex nativitate proficiſci non potuerunt. Verùm quatenus divinæ proprietates nec labore nec ſtudio acquiſitæ, nec accidentaliter aut mutabiliter ineſſe intelligũtur, eatenus dictione NATURÆ de Deo loquentes utimur.

Naturæ divinæ cognitio in conſideratione ejuſdem tum *eſſentiæ*, tum *Vitæ* conſiſtit: ut nunc probè eſſentia Dei conſideranda ſit, poſtea ejus hypoſtaſis.

Eſſentia Dei notitia.

Eſſentiam Dei ex ejus attributis ſic deſcribimus (definiri enim, aut perfectiſſimè qualis in ſe eſt, à nobis cognoſci non poteſt) ut ſit ſpiritualis, principii & cauſſæ expers, ideoque illi attribuatur Simplicitas, & infinitas, ex quibus Æternitas, Impatibilitas & Immutabilitas exſiſtunt.

SIMPLICITAS eſt proprietas & modus eſſentiæ, quo omnis compoſitionis partiumque componentium, ſive ſenſibilium ſive intelligibilium expers eſt. *Compoſitionis*, quia expers cauſſæ externæ. *Partium componentium*, quia cauſſæ internæ expers. Cauſſarum autem omnium expers eſt, quia omnia ex ipſo Rom. 11. 36. & per ipſum Heb. 2. 10. ideoque nihil ejus cauſſa dici poteſt. Non conſtat igitur Dei *Eſſentia* ex partibus materialibus, integralibus, non ex genere & differentia, non ex materia & forma, non ex ſubjecto & accidente, non ex forma & formato (eſt enim ipſa ſibi forma, per ſe exiſtens & ſeipſa individuans) non ex potentia & actu, non ex eſſentia. Unde Deus eſt ſua ipſus ESSENTIA, & ſuum ESSE, idemque ex eo quod eſt, & quo eſt, totus oculus & auris, manus, pes, quia totus videt, audit, operatur, ubique eſt Pſal. 119. ℣. 8. 9. 10. 11. 12.

INFINITAS ſeu IMMENSITAS eſt proprietas ſeu modus Eſſentiæ ea, qua illa omnis dimenſionis, circumſcriptionis à loco, incrementi, omniſque limitationis ac termini expers, in mundo & extra mundum ubique præſens eſt. Pſal. 139. 7. *Quo irem à ſpiritu tuo quò à facie tua fugerem?* verſu 8. *Si ſcanderem cœlos, illic es, aut ſtratum ponerem in ſepulchro, ecce ades.* verſu 9. *Si aſſumerem alas auroræ habitaturus in extremitate maris,* ℣. 10. *etiam illic deduceret me manus tua, dextra tua prehenderet me.* Vide etiam 1. Reg 8. 27. Joh 11. 8. Jer. 23. 24. Iſa. 6. 3. Quapropter Deus omnibus & locis & temporibus adeſt, omniaque perpetuâ virtute implet, nec uſquam, nec unquam impletur. Rectèque Philoſophus quidam dixit; Deum inſtar ſphæræ eſſe, cujus centrum eſſet ubique, peripheria nuſquam. Liquet hinc Deum eſſe καρδιαγνώστην. Nam ei naturæ nihil abſconditum eſſe poteſt, quæ eſt extra & intra omnia, nuſquam incluſa. Reg. 28. 9. *Quia omnia corda ſcrutatur Jehova, & omne figmentum cogitationum intelligit.* Pſal. 139 1. 2. *Tu cognoviſti ſedere meum & reſurgere meum,*

intellexiſti

Digitized by Google

intellexiſti cogitationem meam à longe. Itẽ, Gen.18.14. Deut.3.21.1.Reg.3.& 8.39. Act.1.24.

ÆTERNITAS eſt proprietas ſeu modus eſſentiæ Dei, quo illa temporis expers eſt, ſecundùm terminum & ſucceſſionem: *terminum* initii ac finis: quia eſt infinitæ entitatis: *ſucceſſionem*, prioris ac poſterioris, præteriti ac futuri, quia ſimplicis entitatis, quæ nunquam potentia, ſed ſemper actu eſt. Atque ita Deus omni tempore antiquior, omni fini poſterior, & abſolutè citra ſucceſſionem totus ſimul eſt. Pſal.90. 2. *Priuſquam montes naſcerentur, & formares terram, & orbem, & ab æterno & uſque in æternum tu es Deus.* Item Pſal.102.13. Iſa.44.6.&63.16.Dan 6.27.Apoc.4 8. Hinc eſt, quod quæcunque de Deo prædicantur abſolutè, illa ab æterno illi conveniunt, tota ſimul: quæque ab æterno illi non conveniunt, certum eſt non abſolutè, ſed per relationem ad creaturas de illo prædicari, ut Creatorem, Dominum, Judicem eſſe univerſorum.

IMPATIBILITAS eſt proprietas ſeu modus eſſentiæ Dei, ſecundùm quam illa paſſionis omnis expers eſt: tum quia nihil in eam agere poteſt (eſt enim entitatis infinitæ & cauſſæ externæ expers) tum quia nullius actionem recipere poteſt: eſt enim ſimplicis entitatis.

IMMUTABILITAS eſt proprietas ſeu modus eſſentiæ Dei, quo illa omnis mutationis, tranſlationis de loco in locum, generationis & corruptionis, alterationis, incrementi & decrementi expers eſt, imò ne motus quidem inde in Deum cadit, ex operatione: convenit enim illi & ſoli in operatione quietum eſſe.

Hi modi eſſentiæ Dei ita proprii ſunt Deo, ut omni alii rei ſint incommunicabiles, tum ſecundùm ipſos æquè ac ipſam Dei eſſentiam, cujuſmodi ſunt, & ſine qua communicari non poſſunt, niſi ipſam propriis eſſendi modis ſpoliatam deſtruere velimus: tum ſecundùm analogiam magis, quã eſſentiam: quia enim ſunt ſupereminentes, nihil illis analogum eſſe poteſt. Hæc autem attributa de Deo prædicamus ἀποφατικῶς, ſeu negativè, remotione videlicet contrariorum. Non valentes enim ſcire de Deo, quid ſit, quid non ſit conſideramus, removendo, quæ ei non convenire videntur.

VITA Dei eſt, primò, eſſentialis Dei proprietas, per quam eſſentia Dei actuosè vivere, & vi agitandi movendíque prædita eſſe, ac proinde aliis quoque vitam communicare ſignificatur, Joh.1.4. Deut.32.40. Ezech.33. 11. Deut. 4. 34. Deinde eſt vita Dei ipſamet Dei eſſentia, ipſúmque eſſe: quia eſſentia Dei ſimplex eſt omni modo & infinita. Et propter hanc ſummam unius cum altero identitatem, omnia attributa, quæ de eſſentia prædicantur, vitæ etiam attribuuntur. *Vita Dei.*

Vita Dei actuoſa eſt intellectu, voluntate & Potentia proprie dicta: INTELLECTUS Dei eſt eſſentialis Dei proprietas, qua omnia præterita, præſentia, futura, eorumque omnes reſpectus non ſucceſſivè & ratiocinando, ſed uno, æterno, ac immutabili actu, non per ſpecies intelligibiles, ſed per ſuam eſſentiam diſtinctè & perfectè, atque ab æterno novit. Intellectio hæc *Intellectus in vita Dei.*

Digitized by Google

ſive ſcientia Dei quantumvis ſit certa & infallibilis, non tamen eſt cauſſa rerum, nec rebus ullam neceſſitatem imponit, imo potiùs contingentiam in illis ſtabilit. Quum enim illa non ſit tantùm rei ipſius, ſed etiam modi rei, neceſſe eſt ut rem & modum rei, qualis eſt, cognoſcat, & propterea ſi modus rei ſit contingens, novit eſſe contingentem, quod nequit fieri, ſi rei iſte modus vel ſola ratione intellectionis divinæ in neceſſarium mutetur. Scientia hæc diſtinguitur in neceſſariam, liberam & mediam. *Neceſſaria* eſt, quæ Deo ſimpliciter eſt naturalis, omnem liberum voluntatis actum antecedens, qua videlicet Deus ſeipſum totum & adæquatè novit ab æterno. Hæc ſcientia prorſus abſoluta & neceſſaria eſt, quia nullam ſui objecti cauſſam liberam habet, Deoque ſimpliciter eſt naturalis. *Libera* Dei ſcientia eſt, q̃ liberum voluntatis actum ſequitur, per quam Deus, quicquid extra ſe facit, aut permittit, vel facere aut permittere decrevit, eodem ordine quo vel facit vel decrevit, perfectè ac diſtinctè novit. Hujus enim objectum eſt, quicquid extra Deum ſic exiſtit, ut abſolutè & natura ſua poſſit non exiſtere, ac proinde in quod divinus intellectus nulla neceſſitate propendeat: Quum ipſum ad eſſentiam, ſeu naturam Dei non pertineat, ſed à libera ipſius voluntate promanet. Si enim Deus noluiſſet talem rerum ordinem eſſe, qualis nunc eſt, non ſciviſſet eum reipſa futurum, ut nunc ſit. Etſi aliam rerũ ſeriẽ inſtituere voluiſſet, alia etiam hæc actualis (ut ſic dicam) ipſius ſcientia fuiſſet, quàm nunc eſt. Scientia enim hæc merè theoretica eſt, hoc eſt, res prout actu ſunt, nudè contemplatur, quas proinde non ita contemplari poſſet, niſi definitio voluntatis, unde ipſæ pẽdent, jam ante facta fuiſſet. Hæc ſcientia abſoluta quidem eſt, non tamen ſimpliciter neceſſaria, quia objectum ejus pendet à libera quidem, ſed tamẽ jam determinata Dei voluntate. *Media* ſcientia eſt, quæ cum utraque præcedente cognationem aliquam obtinet, per quam Deus ex hypotheſi novit tales eventus futuros, ſi tales cauſſæ ponantur. Hujus igitur objectum eſt quidem extra Deum, nuſquam tamen actu exiſtit, ſed potentia tantùm eſt in ſuis cauſſis, vel ſecundis, vel ſaltem in prima, videlicet OMNIPOTENTIA Dei, cum reſpectu ad voluntatem nõdum determinatam, ſive cum hac cõditione, ſi voluntas accederet. Hæc igitur ſcientia partim neceſſaria eſt, quia liberum voluntatis actum antecedit: partim libera, quia includit hypotheſin voluntatis non quidem determinatæ, ſed indeterminatæ, & velut adhuc pendentis: ac proinde neceſſaria quidem, non tamen abſoluta dicitur.

Voluntas Dei in ejus vita & eſſentia.

VOLUNTAS Dei, eſt eſſentialis Dei proprietas intellectum ſequens, quia Deus in objectum cognitum & intellectum tendit, bonum quidem approbando, malum verò averſando. Voluntas ad objectum ſuum ſe habet aut ſecundùm modum naturæ, aut ſecundùm modum libertatis. Secundùm modum *naturæ* tendit in objectũ primum, οἰκεῖον & naturæ adæquatum. Hinc Deus ſponte quidem & liberè ab omni coactione, attamen naturali ne-

ceſſitate

Digitized by Google

ceſſitate vult ſeipſum, ita ut ſeipſum nolle non poſſit, 2. Tim. 2. 13. Secundùm modum *libertatis* verò tendit liberè in reliqua indirecta & ſecundaria, quorum alia vult, ut finem, alia ut media ad finem, alia facere, alia impedire, alia à nobis fieri, alia non, alia permittere, alia antecedẽter, alia cõſequẽter.

Attributa Dei in voluntate.

In hoc divinæ naturæ momento conſideranda veniunt, illa Dei attributa, quæ ipſi in Scipturis ſive propriè, ſive figuratè tribuuntur ſecundũ quandam analogiam affectuum & virtutum moralium in nobis, qualia ſunt Amor, Odium, Bonitas, Miſericordia, Ira, Juſtitia, &c. ATTRIBUTA, *quæ* affectuum analogiam habent, duplicis ſunt generis, vel prima & præcipua, vel à primis derivata. *Primitiva* ſunt Amor, Odium & Bonitas, ac his annexæ, Gratia, Benignitas & Miſericordia.

AMOR eſt, quo Deus primariò ac neceſſariò ſe amat, & bonum ſuum: ſecundariò & gratuitò, quin & liberè libertate videlicet exercitii, creaturam & felicitatem illius. Amor Dei erga creaturas, partim ſignificat ipſarum apud Deum approbationem, quaſi cõplacentiam, partim verò ac præcipuè Dei erga ipſas favorem & benevolentiam, adeoque actualem beneficentiam.

ODIUM eſt actus Dei amori contrarius, quo partim improbatio, averſatio ac diſplicentia rei malæ, partim ejuſdem abjectio & deſtructio denotatur. Hoc autem intereſt inter Amorem ac Odium Dei, quod ille potiſſimùm fertur in ipſum Deum, tanquam ſummum & increatum bonum. Hujus verò nullum eſt ejuſmodi objectum ab æterno exiſtens, quod ſummum & increatum malum dici poſſit. Unde fit, ut ejus objectum extra Deum quærendum ſit, videlicet MALUM illud duplex CULPÆ ac POENÆ, quod utrumque in ſolis creaturis locum habet. *Primarium* igitur objectum odii divini eſt peccatum, ſive impietas & injuſtitia creaturæ: *ſecundarium* miſeria ejuſdem. Etſi enim illam volens permittit Deus, quippe quæ ab ipſo invito accidere nullo prorſus modo poſſit ſemper tamen improbat, averſatur & abominatur, & quidem tanto magis, quanto gravior ipſa fuerit, ac diuturnior. *Secundarium* objectum odii divini, eſt malum pœnæ, ſeu miſeria quævis ob peccatum immiſſa. Licet enim hoc mali genus ab ipſo Deo, tanquam juſto judice infligatur: ipſum tamen per ſe ei non placet, quippe cujus contrarium ei probatur, & per ſe gratum eſt.

BONITAS eſt, quâ Deus affectus eſt ad communicandum bonum ſuum. Hujus objectum primum ad extra eſt ipſum nihilum, & adeò neceſſariò primum, ut illo ſublato, nulla communicatio ad extra eſſe queat. *Benignitas* eſt primus bonitatis progreſſus in creaturam, tum quâ creatura eſt, tum quâ officium facit, ad communicandum bonum ſuum, ſecundùm vel ultra remunerationem promiſſam. *Miſericordia* Dei eſt ſecundus bonitatis Dei progreſſus, in creaturam, quæ peccavit, & eo ipſo miſeriæ obnoxia reddita eſt, effectus nempe ſubveniendi miſero nihil obſtante peccato. *Gratia* videtur bonitati & amori erga creaturas aſſiſtere tanquam proprium adjunctum,

Digitized by Google

junctum, ſecundùm quam Deus affectus eſt ad communicandum bonum ſuum, amandumque creaturas, non ex merito, aut debito illarum ullo, neque ut ipſi Deo aliquid accedat, ſed ut ſit illi, cui bonum tribuitur, & qui amatur.

ATTRIBUTA ex primis orta ſunt Gaudium, Spes, Deſiderium, Pœnitẽtia & Ira. GAUDIUM ſeu lætitia Dei eſt ipſius in efficiendo, aut contemplãdo aliquo opere oblectatio, ex eo orta quòd ejuſmodi opus voluntati ſuę planè conſentaneum, & illuſtrando gloriæ ſuæ accommodũ eſſe videt. Deut. 28.63. Iſa. 62.5. Jerm. 32.41. Pſal. 104.31. SPES Deo tribuitur, quoties noſtram pœnitentiam patienter expectare, & peccatores magna animi lenitate ferre, & ad frugem invitare dicitur. Inde Deus non quidem abſolutè, attamen ſeriò vult ut peccatores reſipiſcant, & magis ſalute ac converſione noſtra, quàm improbitate & exitio delectatur. Iſa. 52 4.7. Luc 13.6. Rom. 2 4. 1. Pet. 3.20. & 2. Pet. 3.9. DESIDERIUM eſt affectus obtinendi opera juſtitiæ creaturis intellectu præditis præſcripta & dandi remunerationis præmium, Iſa. 48.18.19. Huic oppoſitus eſt affectus, ſecundùm quem execratur opera injuſtitiæ, & remunerationis omiſſionem Pſal. 5.5. Jerem. 5.7.9. PŒNITENTIA eſt improbatio inauſpicati alicujus effectus, quẽ miſerabilis mutatio mox conſequitur Gen. 6.6. IRA eſt affectus in Deo, qua creaturæ legem totam tranſgreſſæ infert malũ pœnæ, & vindictam ſibi debitam ſumit tanquam indicem amoris erga juſtitiam, & odii adverſus peccatum. Tenendum eſt autem affectiones iſtas eatenus Deo competere, quatenus virtutem aut actionem aliquam Deo dignam, hoc eſt, ab omni imperfectione & defectu ſeparatam ſignificant, eique per metaphorã, quæ peculiari nomine ἀνθρωποπάθεια dicitur, non autem ſimpliciter, prout illæ in nobis exſiſtunt, tribuendas eſſe. Itaque rectè inquit Athanaſius, ταῦτα ἀνθρωποπαθῶς μὲν λέγονται, θεοπρεπῶς δὲ νοοῦνται: *hoc eſt, Iſta humano more de Deo dicũtur, at more Deo convenienti intelligũtur.*

ATTRIBUTUM, quod in Deo habet analogiam virtutis moralis eſt JUSTITIA, quæ eſt æterna & conſtans in Deo voluntas ſuum cuique tribuendi, Deo quod ipſius, & creaturæ quod illius eſt. Hanc in dictis & factis conſideramus. In *dictis* omnium veracitatem & conſtantiam, in promiſſis fidelitatem. Juſtitia *factorum* eſt duplex, diſpoſitiva & remunerativa. *Illa* eſt ſecundùm quam Deus omnia in actionibus ſuis ex ſapientia ſua ad æqualitatis ab illa vel præſcriptæ, vel monſtratæ normam diſponit. *Iſta* eſt, per quam Deus creaturæ ſecundùm opus ipſius ex pacto cum ipſa inito reddit, quod ipſius eſt. 2. Theſſ. 1.6. Apocal. 2.29.

Potentia Dei in ejus vita vel eſſentia.

POTENTIA Dei, eſt eſſentialis Dei proprietas, qua Deus ex libertate voluntatis ſuę extrinſecus operari poteſt, & operatur, quæ liberè vult. Ex horum omnium, cum modo ſupereminentiæ conſideratorum, ſimplici infinito complexa exiſtit PERFECTIO Dei, quâ omnia habet, quæ perfectionem aliquam notant perfectiſſimè. Eſtque interminabilis tota ſimul, & perfecta eſſentiæ ac vitæ poſſeſſio. Ex hac oriuntur Beatitudo & Gloria.

BEA-

Digitized by Google

Beatitudo Dei, eſt actus vitæ Dei, quo ille perfectione ſua per intellectum plenè cognitâ, & per voluntatem ſummè amatâ fruitur, cum acquieſcentia in eadem.

Gloria Dei, quæ à perfectione oritur cum reſpectu ad extra, eſt excellentia ejus ſupra omnia, quam Deus variis actibus externis manifeſtam facit.

Qualitates corporum in Deo non ſunt.

Ubi inprimis advertendum, Qualitates illas, quæ corporibus innaſcuntur, aut per occaſionem accidunt, utpote quòd certis ſunt formis figurata, ac membris diſpoſita & articulata, & vel frigida vel calida, vel nigra vel alba vel fuſca, &c. & quæ alia ſunt hujuſmodi, locum in Deo non habere, nec à nobis ei dari, quum ſit minimè corporeus, ſed Spiritus. Quare damnabilis eſt Anthropomorphitarum & ſimilium error, qui in Deo corpus humanum, formâ hominis ac membris compoſitum eſſe fingunt, imò credunt. Manifeſtiſſimum autem & per Spiritum revelationis in ſacra Scriptura expreſſiſſimum eſt, Deum eſſentia & hypotheſi ex iis, etſi non perfectè, tamen ad ſalutem ſatis cognoſci & credi poſſe, quæ hactenus ſuprà de eo recenſuimus, & in ſacra Scriptura ei tribui reperimus.

Joh. 4. 24.

2. Hypoſtaſeon & perſonarum in Deo conſideratio ac notitia.

Et quoniam hucuſque de Essentiæ Dei cognitione egimus, deinceps Hypoſtaſeon & Perſonarum divinarum notitiam, Dei Spiritu clemẽter benedicente, trademus. Eſt enim Deus quidem eſſentiâ unus, quemadmodum & naturâ & divinitate, habétque in unitate plurimas, quas commemoravimus, eſſentiales proprietates; At hypoſtaſi ac perſonis eſt Trinus. Quam Triadem etiam Philoſophorum aliquot literæ, & Sibyllina carmina non obſcurè tradunt. Ut Platonici agnoverunt in Deo νοῦν, λόγον & πνεῦμα, id eſt, mentem, verbum & Spiritum. Sed per Vates & Prophetas populi Iſraëlitici à Deo vero in peculium ſelecti paulatim clarius eſt traditum hoc myſterium, omnium autẽ clariſſimè tempore incarnati Verbi ab hoc ipſo, & ſingulari Spiritus ſancti revelatione atque operatione: ut ex Math. 3. & 28. Johan. 1. 1. Johan. 5. liquet. Ubi quoniam unitas quidem Dei ſatis anteà innotuerat populo, ſacra autem Trias non ita, apertiſſimè Deum nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti definivit. Quin ut manifeſtiſſima fieret hujus gratiæ atteſtatio, quâ tum myſterium ſacroſanctæ Trinitatis orbi dilucidiùs pateſieri cœperat, voluit, ut qui in Deũ verum initiarentur, ex profeſſo in nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti Sacramento initiationis conſecrarentur, quò ſcirent & agnoſcerẽt, credendum ſibi eſſe in eum, in cujus nomen eſſent baptizati, nempe in Deum unum tribus perſonis Patris, Filii & Spiritus ſancti diſtinctum, atque ſic ſacra Triade conſtantem, illúq; indivulsè tanquam unico vero Deo adhærendum. Quod Baſilius animadvertens, monet: Δεῖ γὰρ ὑμᾶς βαπτίζεσθαι μὲν ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ ὡς πεπιστεύκαμεν πατέρα, καὶ υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα.

Perſona in Deitate quid ſit.

Ac quũ Theologi orthodoxi unius eſſentiæ divinæ tres ὑποστάσεις & πρόσωπα, id eſt, ſubſiſtentias & perſonas eſſe ex ſacra Scriptura doceant, Perso-

NAM hîc intelligimus, non quâ vox illa *à perſonando* dicta eſt, & repræſentationis modum, habitum & officii diſtinctionem denotat, ut Servetus & alii commenti ſunt; ſed quâ definitur ac deſcribitur PER SE SUBSISTENS, individuum, incommunicabile, naturæ viventis, intelligentis, volentis, potentis & agentis.

Differre Eſſentiam à Perſona dicimus, quia *eſſentia* eſt abſoluta & communicabilis, *perſona* eſt relativa & incommunicabilis. Sicut enim aliud eſt hominem eſſe, & aliud patrem eſſe, & tamen unus idemque homo eſt & pater, ſed homo abſolutè & ſecundùm naturam ſuam; pater reſpectu alterius, nempe filii: ita aliud eſt Deum eſſe, aliud Patrem, Filium aut Spiritum ſanctum eſſe. Et tamē unus idēq; eſt Deus, & Pater, aut Filius, aut Spiritus ſanctus. Illud reſpectu ſui, hoc reſpectu alterius.

Perſonæ tres Divinitatis. Ejuſmodi PERSONAS DIVINAS, in quibus eſſentia Dei ſubſiſtit, tres agnoſcimus & credimus, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.

Harum item *perſonarum* propter unitatem, ſimplicitatem & immenſitatem eſſentiæ illius communis, *ſummam* credimus ac confitemur *communionem ſeu περιχώρησιν*, ita ut ſingulæ ſint in ſingulis, ideoq; ſingulæ & ament, & poſſideant, & glorificent ſingulas, idémque ſingulæ operentur, Johan. 15. 10. Proverb. 8. 22. & 30. Johan 5. 19.

Hæc autem perſonarum περιχώρησις ſeu communio, nec perſonas confundit ipſas, nec earundem diſtinctionem tollit. Quâ licet ſingulæ perſonæ ſint unus, idemque perfectus Deus: tamen *Pater* non eſt Filius, aut Spiritus ſanctus, ſed Pater duntaxat: & *Filius* non eſt Pater aut Spiritus ſanctus, ſed Filius duntaxat: & *Spiritus ſanctus* non eſt Pater aut Filius, ſed Spiritus ſanctus duntaxat. Hinc rectè dicitur in Deo alius & alius, non aliud & aliud.

Pater 1. perſona. Inter has ſacroſanctæ Trinitatis perſonas PATER eſt *prima*, quæ Verbum ſuum, id eſt Filium ex ſe genuit, divinitatem ſuam illi communicando.

Patris itaque nomen hîc non accipimus, prout aliquando in Scripturis ſumitur, reſpectu nempe adoptionis, ſecundùm quam Deus fideles in filios adoptavit. Neque reſpectu creationis rerum, ſecundùm quam ipſa etiam Gentilitas Deum Patrem novit, & appellavit: ſed hoc nomine ſignificamus Deum ſecundùm *relationem*, quam habet ad Filium ſuum unigenitum, qui eſt Dominus noſter JESUS CHRISTUS.

Patrem *primam* dicimus perſonam non temporis, ſed ordinis ratione, qui ordo fundamentum habet in eo, quòd Pater fons eſt & origo totius divinitatis, & Filii ipſius principium, quod ipſa Patris vox ſignificat.

Patri *generationem* tribuimus veram voce ipſa Patris comprehenſam. Cujus modum & rationem, quia ſacra Scriptura eum non explicavit, lubenter fatemur nos ignorare. Attamen quum omnis generatio propriè dicta, fiat per communicationem ejuſdem naturæ, quam habet, qui generat, rectè dicimus PATREM ex SE genuiſſe Filium communicando illi Deitatem ſuam, quæ natura ipſius eſt. Ita ut principium, quod generat, Pater ſit, principium

Digitized by Google

Pium, quo generatio peragitur, natura. Ac ita quum de Filio relativè loquimur, ac relationem, quæ illi cum Patre eſt, notamus, Patrem principium Filii meritò facimus, & Filium à Patre accepiſſe omnia dicimus, Johan. 3. 35. Aliud enim eſt ipſum Eſſe, quā ὑπάρξεως modus. Ideò dicunt Scholaſtici: Filium per ſe quidem eſſe. Ut eſſentia Filii principio caret: perſonæ verò principium eſt ipſe Pater. Hinc Hilarius: Datio paterna ſumtæ nativitatis eſt profeſſio. Item: Data à Patre non infirmant Divinitatem Chriſti, ſed affirmant. Et Auguſtinus: Chriſtus ad ſe Deus dicitur, ad Patrem Filius dicitur. Etenim quum de Filio ſine Patris reſpectu ſimpliciter loquimur, bene & propriè ipſum A SE ESSE aſſerimus, & Jehovam appellamus, eò quòd ex ſe ipſo ſuum eſſe habet, & omnia, & ideò unicum vocamus principium.

Filius 2. perſona.

FILIUS eſt *ſecunda perſona* ſacroſanctæ Trinitatis, ab æterno à Patre genitus Sermo, & egreſſus per communicationem ejuſdem Deitatis, quam Pater habet ſine origine. Ac Filium *perſonam* dicimus eâdem ſignificatione, quâ de Patre illam vocem prædicavimus anteà. *Perſonam* aſſerimus *divinam*, id eſt, verum Deum, non tantùm propter dignitatem officii, ob quam Deus nuncupandus ſit: ſed quia ejuſdem cùm Patre naturæ, ejuſdem denique Deitatis, majeſtatis & gloriæ particeps eſt.

Filium perſonam *ſecundam* dicimus, quia Filius à Patre eſt, utpote *à quo exiviſſe* dicitur Mich 5. 2. Filius *vivit propter Patrem, & Pater dedit ei vitam in ſeipſo*, Johan. 5. 26. & *Filius operatur à Patre, neque poteſt à ſeipſo operari, niſi viderit Patrem operantem*, Johan. 5. 9. Hæc eſt cauſſa, quòd Filius omnia ad Patrem, tanquā ad illum, à quo ipſe omnia, quæ habet, acceperit, deferat, Johan. 17. 7. Hinc etiam eſt, quòd Filius dicitur mitti à Patre, quæ miſſio tamen non tollit æqualitatem eſſentiæ, aut potentiæ, ſed ordinem tantùm & œconomiam inter perſonas oſtendit. Probationes horum in 2. & 3. articulo accuſationis Papiſtarum copioſiùs afferentur, ubi teſtimonia ſacrę Scripturæ & Patrum antiquorum recitabimus.

Spiritus ſanctus 3. perſona.

SPIRITUS SANCTUS eſt *tertia perſona* ſacroſanctæ Trinitatis ab æterno emanans, ſive procedens à Patre & Filio. Non igitur eſt creatura, neque aliud in Deo ſecundùm modum qualitatis exſiſtens, ſed ὑφιστάμενον ſubſiſtens vivum, intelligens, volens, potens & agens.

Dicimus Spiritum ſanctum *perſonā* eodem ſenſu & ſignificatione, quâ illam de Patre & Filio intelleximus. Aſſerimus etiam illum eſſe VERUM DEUM, Patri ac Filio ὁμοούσιον, coæternum & coæqualem, ejuſdemque naturæ, gloriæ, honoris & majeſtatis cum illis participem. Quod ita demonſtramus.

Primò, ex veteri Teſtamento. 2. Sam. 23. 1. *Hæc ſunt verba noviſſima, quæ dixit David: Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam, dixit Deus Iſraël mihi, locutus eſt fortis Iſraël, Dominator hominum.* Ubi Spiritus S. apertè dicitur Deus Iſraël. *Secundò*, ex novo Teſtamento, Math. 28. 19. Ubi ſi Spiritus ſanctus creatura eſſet, non æquè in ipſius ac Patris & Filii nomine bapti-

ptizaremur, cultumque ac obedientiam obligaremur. *Deinde*, cui mentitus eſt Ananias, ille Deus eſt, Act.5.4. Atqui Ananias mentitus eſt Spiritui ſancto, Act.5.3.

Tertiò, ex collatione veteris ac novi Teſtamenti, Iſa.6.9.& Act.ult. ℣.25.26. Deinde omnes Prophetæ, quum ſermones ad populum facerent, plerumque ita auſpicabantur: Hæc dicit Dominus. At 2.Pet.1.21.acti à Spiritu ſancto locuti ſunt olim ſancti Dei homines. Confer etiam Pſal. 85. 9. & 1.Pet.1.11. Exod. 4. 11. 12. & Math.10. 20. Luc.1.70.& 2.Sam.2.3.

Quartò ex attributis. 1. Qui immenſus eſt, ille eſt verus Deus, quia immenſitas eſt proprietas Dei eſſentialis, ac proinde ſine eſſentia ipſa nemini communicari poteſt. Atqui Spiritus ſanctus eſt immenſus, Pſal.139.7. Ergo Spiritus ſanctus eſt verus Deus. 2. Scrutari omnia profunda ſolius Dei proprium competit etiam Spiritui ſancto, 1. Cor. 2. 10. Ergo Spiritum ſanctum verum Deum eſſe neceſſe eſt. 3. Qui perfectè Deum cognoſcit, & cui debetur corpus noſtrum templum, is verus Deus eſt. At Spiritus ſanctus perfectè cognoſcit Deum, & ei debetur corpus noſtrum templum. 1. Cor. 6. 19. Ergo Spiritus ſanctus eſt verus Deus.

Quintò ab operibus. Qui eſt creator cœli & terræ & hominum, is eſt verus Deus, quique reddit nos naturæ divinæ participes, in eo naturam divinam, eumque Deum verum eſſe neceſſe eſt. Atqui ſpiritus ſanctus eſt creator cœli & terræ, Pſal.33.6.104.30. Hominis etiam, Job.33.4. reddit nos naturæ divinæ participes, 2.Pet.1.9. Ergo in Spiritu ſancto eſt natura divina, illeque adeò eſt verus Deus.

Spiritum ſanctum tertiam perſonā dicimus, quia à Patre & Filio procedit ſive emanat, ac proinde illos ordine ſequitur, tertiaque perſona rectè dicitur. Perſonam verò diſtinctam aſſerimus à Patre & Filio ſecundùm propriū ſubſiſtendi modum, licet unus ſit cum Patre ac Filio ſecundùm naturam & Deitatem.

Trinitatis nomen, etſi non extet in Scriptura: tamen rectè uſurpatur in negotio Deitatis.

Etſi igitur ipſa vox Trinitatis non eſt in ſacris Scripturis expreſſe poſita, tamen ipſa res & ſenſus, ut ſcribit Epiphanius contra Semiariam lib.3. omnibus in locis penè occurrit, facilè ubiq; reperitur, neceſſaria conſequutione colligitur. In primis Gen.1.1. ſcriptum eſt, *creavit Elohim, id eſt, Dii cœlum & terram*, quo loco *verbum ſingulare* ſimpliciſſimam Dei eſſentiam ſignat, nomen autem *plurale* deſignat tres perſonas. Sed & in creatione Hominis, Deus cum ſapientia ſua æterna, id eſt, Filio & Spiritu ſancto, quaſi deliberans ſic loquitur, verſu 26. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Ubi *faciamus* dicitur propter perſonarum pluralitatem, & *Noſtram*, ꝓpter unitatē Eſſentię. Gē.19. 24. Pluit Dominus à Domino ſulphur & ignem ſuper Sodomā & Gomorrā. Quo loco perſona pluēs à pſona, à qua pluit, id eſt, Filius à patre diſtinguitur. Adhæc in Baptiſmate Chriſti Math.3. 16. Joh.1.32. auditur Patris vox de cœlo: *Hic eſt Filius meus dilectus*: Ibi ad Jordanem *ſtat Filius*; deſcendit *forma columbæ Spiritus S.* & Chriſto inſidet. Idē vox in transfiguratione Chriſti Math.17. 5. & formula Baptiſmi Math.28.19. ac Apoſtoli verſus 13. 2.Cor.13. cōprobat.

Ac

Trinitas unitatem eſſentiæ divinæ non tollit.

Ac quamvis Tres, & quidem numero, & reipſa diſtinctæ perſonæ ſunt, Pater Filius & Spiritus ſanctus, qui in una eſſentia divina ſubſiſtunt: tamen non ſunt plures Dii, ſed Unus & idem æternus Deus, atq; immẽſus & omnipotens, qui in Scriptura *Jehova* nominatur, qui ſimpliciſſimus ratione Eſſentiæ, & trinus ratione Perſonarum.

Joh. 10.30.

Unus tantũ, q̃ Deut. 6.4. dicitur: *Audi Iſraël Dominus Deus tuus, Deus unus eſt.* Et 1. Cor. 8.4. *Scimus, q̃ idolũ nihil eſt in Mũdo, & quod nullus alius eſt Deus, niſi unus.*

Trinus, quia ſic Gen. 1.1.26. Math. 3.16. Joh. 1.32. Math. 17.5. & 28. 19. & 2. Cor. 13.13. deſcribitur. Non ut pluralitas Deorũ aſtruatur, aut eſſentia divina dividatur, ſed perſonæ deſignentur. Nam etſi alia perſona eſt Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti: tamen Pater non eſt aliud, ſeu alius Deus à Filio & Spiritu ſancto: Filius non aliud, ſeu alius Deus à Patre & ſpiritu ſancto: nec Spiritus ſanctus aliud ſive alius Deus à Patre & Filio. Nam una individua & divina eſt natura, licet alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus. Proinde non ἑτερούσιοι, alterius ſeu diverſæ ſubſtantiæ, non conjuncti ſeu συνούσιοι, (ſicut homines, qui habent unam communem eſſentiam) non tantùm ὁμοιούσιοι, ſed ὁμοούσιοι, eandem eſſentiam, æternitatem, voluntatem, operationem, potentiam, gloriam habentes.

Et ſicut Unitas eſſentiæ in divinis non introducit unitatem perſonæ, quemadmodum in creaturis propter materiæ compoſitionem & finitudinem fieri ſolet: ita Trinitas non diſcerpit aut ſeparat perſonas, ſed diſtinguuntur tres divinitatis perſonæ tum intrinſeco, tum extrinſeco diſcrimine.

Vide Bucanum in locis pag. 9.

Intrinsecum perſonarum diſcrimen eſt in ordine & modo ſubſiſtendi *ad intra*, ut loquuntur Theologi in ſcholis. Quod Pater eſt à nullo, non ab alio: Filius eſt à Patre, quia Pater genuit Filium, Filius genitus eſt à Patre: Spiritus ſanctus eſt à Patre & Filio, quia p̃cedit ab utroq;. Hæc Græci vocant ἴδια χαρακτηριστικά, ſeu ὑποστατικά.

Extrinsecum diſcrimen eſt in ordine & modo operandi *ad extra*, quia operationes, quæ in creatione, gubernatione & conſervatione univerſi, nec non in Eccleſia & electorum ſalute perficienda cernuntur, licet tribus perſonis ſint communes, diſcrimen tamen perſonarum in ordine agendi obſervatur. Nam Pater omnia à ſe nullius voluntate prævia per Filium & Spiritum ſanctum: Filius omnia à Patre per ſe & Spiritum S. Spiritus S. omnia à Patre & Filio p̃ ſeipſum operatur. Hæc ἴδια ἐνεργητικά vocantur.

Neque diſtinctio perſonarum pluralitatem eſſentiæ inducit, ut *Tritheitæ* falsò ſomniant. Non enim eſt eſſentialis, ſed τρόπῳ ὑπάρξεως καὶ ἐνεργείας eſt diſtinctio, quam aliqui modalem vocant: ut fuſiùs Bucanus in Locis pag. 10. declarat, & 11.

Nec eſt verbalis tantùm aut rationalis, ut *Sabellius* impiè in cœlo Patrẽ, in terris Filium, in viribus creaturarum Spiritum ſanctum vocari unam eandemque perſonam finxit: Sed Realis diſtinctio. Alia quippe eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti. Ut Filius apud Johannem dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit* *Joh.* 14.16.

 vobis.

Digitized by Google

vobis. Et: *Quem ego mittam vobis à Patre.* Unde in Deo datur alius & alius: Sed non aliud & aliud. Alius enim perſonæ, aliud eſſentiæ eſt ſignificativum. Hæc, inquam, eſt communis omnium Euangelicorum & reformatarum Eccleſiarum de ſacroſanctâ Trinitate, quoad nomen & rem, doctrina atque ſententia.

Trinitatis nomen ut Luthero non placuerit.

Quod autem Lutherus accuſatus dixiſſe, ſibi *diſplicere nomen Trinitatis*, nō negandæ ejus cauſſa dixit, ſed quod in Germanica lingua Trinitas per vocem Dreyfaltigkeit non propriè & rectè exprimatur. Si igitur Bellarminus & alii Adverſarii hoc Lutheri nobis amentes objiciunt, miſerandi, ſi ſcientes execrandi ſunt. Nam ſi veritas illis cordi eſt, linguam Germanicam conſulant, ac invenient, vocem Dreyfaltigkeit/ in ea lingua acceptam ad exprimendam Trinitatem, potiùs triplicitatem ſonare. Hanc ipſam formam (ut doctiſſimus Junius obſervat) Lutherus doctrinæ prioris de Trinitate amans uſque adeò jam probavit, *ut periculoſum eſſe diceret, hoc vocabulum*, nempe Dreyfaltigkeit / *uſurpare in hoc myſterio enunciando.*

Trinitatē rectè credidit & docuit Lutherus.

2. Invenient, Lutherum integras paginas, integra capita, atque adeò integra volumina vernacula Germanica de Trinitate inſcripta ediſſe, in quibus orthodoxè de eadem ſentit & docet. Hocque ex ipſis Adverſariis *Lindanus* celeberrimi nominis Doctor teſtatur. Nam Bellarminus in præfatione ad controverſiam de conciliis §. *Igitur*, ſcribit: LUTHERUS, *quum fama accepiſſet, indictum eſſe Concilium Tridentinum, &c. Lutherani Concilium Wittenbergenſe trecentûm Paſtorum convocant præſide Luthero.* In hoc itaque ait LINDANUS actum etiam de vocabulo & re Trinitatis. Ac ſcribit: *Sic ad verbum habet Wittenbergenſis Confeßio Tridentino Concilio* (ut ipſi jactant) *oblata. Credimus*, inquit, *tres eſſe perſonas ſicut docet Prophetica & Apoſtolica Scriptura. Et explicant* TRIA SYMBOLA: *Apoſtolicum, Nicenum*, ATHANASIANUM &c. Qui ergo Athanaſianum Symbolum amplectitur, is à vocabulo Trinitatis abhorreat? Etenim hoc Luthero non ingratum fuit per ſe, & quatenus rem ipſam attinet, ſed κατά τι, ut paulò ante explicatum. Ac Symbolum Athanaſii, quod Lutherus eſt complexus, ſic habet. FIDES *Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur.* Adverſarii ergo quidem ii maledici, Lutherus autem non in hæretici reprehenſionem juſtam incurrit.

In Panop. lib. 2. cap. 6.

1. Sabelliani refutantur.

Interim, ut fides S. S. Trinitatis neceſſaria eſt omnibus ad ſalutem, quia Johannes 1. epiſt. 2. 23. dicit: *Qui negat Filium, is nec Patrem habet*, & Paulus: *Nec Jeſum*, inquit, *Filium quiſquam dicere poteſt Dominum, niſi per Spiritum ſanctum*: Sic refutantur eâ *quinque* peſſima hæreticorum agmina. *1 Cor. 12. 3.*

1. Rurſus *Sabelliani*, qui docuerunt tantùm unam eſſe perſonam divinitatis. Sed alio atque alio reſpectu nunc Patrem, nunc Filium dici. Patrem reſpectu creationis: Filium, reſpectu incarnationis: Spiritum ſanctum reſpectu miſſionis in diſcipulos. Ac quinq; potiſſimùm argumentis utuntur ad id probandum: quæ ad orthodoxam doctrinam retinendam conducit obſervare & refellere.

1. Dicunt

Digitized by Google

1. Dicunt: *Qui me videt,* inquit Chriſtus, *videt Patrem.* Item: *Non credis me eſſe in Patre & Patrem in me,* Joh. 14. 9. 10. *Ergo Pater & Filius ſunt una perſona.* RESPONDEMUS: Viſo Filio videtur Pater, quia Filius eandem habet cum Patre eſſentiam, & manifeſtatus in carne totam Dei voluntatem nobis enarravit. Joh. 1. 18. Ac Pater interim à Filio non οὐσίᾳ, ſed τρόπῳ ὑπάρξεως differt.

2. Objiciunt. *Quod unum eſt numero, id trinum dici ſine contradictione non poteſt. Deus eſt unus numero, Deut. 6. 4. Ergo non trinus.* RESPONDEMUS: Unitas illa ſimplicem eſſentiam, non modos quibus eſſentia illa ſubſiſtit, ſignificat. Itaq; Deus abſolutè ſecundùm eſſentiam UNUS eſt, quia indiviſibilis, & tamen ſecundùm internam relationem, hoc eſt, ſubſiſtendi rationem, TRINUS eſt.

3. Objiciunt. *Si aliud eſt eſſe Patris, aliud eſſe Filii, aliud denique eſſe Spiritus ſancti, Sequitur in Deo eſſe tria entia diverſa, ac proinde tres diverſas eſſentias.* RESPONDEMUS: Eſſe Patris reſpectu Filii non ſignificat eſſentiam, quâ eſt abſolutè Deus, ſed qua Pater eſt, hoc eſt, quatenus aliter ſubſiſtit quàm Filius. Nam Pater fons eſt & origo totius divinitatis, & Filii ipſius principium, quod ipſa Patris vox ſignificat. Itaque aliud quidem eſt eſſe Filii, quã eſſe Patris, & tamen utriuſque eſſentia.

4. Objiciunt, dum Filium & Patrẽ eundem & unum eſſe, neque diſtingui poſſe contendunt: *Omnia quæ ſunt unum, diſtingui non poſſunt. Pater & Filius ſunt unum,* Joh. 10. 30. *Ergo Pater & Filius diſtingui non poſſunt.* RESPONDEMUS. Hîc in majori propoſitio ſive prima enunciatio falſa eſt: quia quæ ſunt unum, uti duo homines, etiam ſeparari poſſunt, nedum diſtingui. Quanto magis igitur Pater & Filius eſſentia unus, perſonis ac hypoſtaſibus diſtingui poſſunt.

5. Objiciunt: *Si ſunt tres perſonæ verè diſtinctæ, & tantùm una eſſentia: erit in Deo quaternitas.* RESPONDEMUS. Negatur. Eſſentia enim differt à perſonis, tantùm τῷ λόγῳ, ratione: Sed perſonæ inter ſe differunt τῷ λόγῳ, & τῷ εἶναι. Hoc reſponſum verò quum non modò ſcrupulum movere poſſit propter brevitatem, quæ obſcuritatem parit, ſed etiam efficere in dubiis, ut regerã: Si τῷ εἶναι differunt perſonæ inter ſe, quidni ex conjugatorum natura τῇ οὐσίᾳ, eſſentia? explicamus rem planiùs per oppoſitionem contrarii argumenti, quo orthodoxam ſententiam complectimur contra Sabellianos hunc in modum:

Quod in una eſſentia communi diſtinctè tria propria habet, id unum eſſentiâ & trinum proprietatibus eſt, non quaternum, aut quaternitatem habens.

Deus in una communi eſſentia tres hypoſtaſes, ſeu perſonas proprias diſtinctè habet.

Ergo Deus eſt unus eſſentia, & trinus perſonis, non quaternus, aut quaternitatem habens.

Majorem tam in Theologia quàm Philoſophia veram eſſe, & per ſe planam exiſtimamus. *Minorem* repetitione & expoſitione eorum confirmamus, quæ paſſim & ſuprà & infrà hoc

capite

Digitized by Google

capite adverſus Arianiſmum de eſſentia & hypoſtaſibus vel perſonis Deitatis adſerimus. Dicimus enim in negotio Dei vel Deitatis vocem ESSENTIÆ id ſignificare, quod *commune* eſt in ſacra Trinitate vel Triade: per HYPOSTASIN vel PERSONAM, quod unicuique perſonæ in ſacra Trinitate *proprium* eſt, exprimi. Et differre eſſentiam à perſona, quia eſſentia eſt abſoluta & communicabilis: Perſona eſt relativa & incõmunicabilis. Id enim eſt *commune* in Deo, quod non ſolùm Patri, ſed & Filio & Spiritui ſancto competit. Proprium, quod unicuiq; perſonæ ſic competit, ut reliquis duabus tribui ullo modo nequeat. Exempli gratiâ: *Cõmune* eſt homo, quia vox hæc de ſingulis hominibus ex æquo prædicatur, & communem omnium naturam atque eſſentiam exprimit, nullum verò certum hominem notat, qui hoc veluti proprio nomine determinetur. *Proprium* verò eſt Petrus, Andreas, Jacobus, &c. Nullum enim horum nominum ad cõmunem hominum eſſentiã, ac naturam exprimendam uſurpatur; ſed uſus earum eſt, ut aliquod humanæ naturæ individuum ſignificetur, quod illi quaſi ſubjectum ſit, ac determinatam ſubſtantiam habeat. Et eam ob cauſſam id, quod proprium in re aliqua eſt, *hypoſtaſis*: quod verò cum multis aliis numero differentibus commune, *ὀυσία*, id eſt, *eſſentia*, appellatur. Sic in Deo, quæcunque communia ſunt tribus illis ſacræ Trinitatis ſeu Triadis perſonis, *ad eſſentiæ communionem referuntur*, eò quod de ſingulis prædicari poſſunt: qualia ſunt qualitates eſſentiæ Dei, videlicet Unitas, unde Deus

Eſſentia, ut differat à perſonis ratione.

Perſonæ, ut inter ſe differant ratione.

unus tantummodò: & ſimplicitas, unde Deus ſimplex, nõ compoſitus, imò ſimpliciſſimum ens: & infinitas, æternitas, impatibilitas, immutabilitas, unde Deus infinitus, immenſus, æternus, impatibilis, immutabilis. Quæ autem communia non ſunt, ſed unicuique perſonæ propria ac peculiaria, illa *ad cujuſque hypoſtaſin vel perſonam referuntur*. Utpote eſſe *Patrem*, non poteſt tribui reliquis duabus perſonis, ſed ſoli Patri: eſſe *Filium*, nec Patri convenit, nec Spiritui ſancto: *Progredi* verò, nec Patri, nec Filio, ſed uni & ſoli Spiritui ſancto datur, qui à Patre & Filio procedit. Sic hypoſtaſis vel perſona, id eſt, proprium Patris eſt, quod *ingenitus eſt & Pater*. Hypoſtaſis vel perſona, id eſt, propriũ Filii eſt, quod *unigenitus Filius* eſt: Hypoſtaſis ſeu perſona, hoc eſt, proprium Spiritus ſancti ſub hac voce *Sanctus*.

Ubi obiter quaſi per tranſennam refellenda veniunt hæretica nonnulla Aëtianorum argumenta, qui Filium Deum ex Patre Deo genitum negabant, quia dicebant orthodoxi Patres Patrem Deum eſſe *ἀγέννητον*, ingenitũ, ut refert in Panario Epiphanius, Tom. 1. lib. 3. ubi de Aëtio agit. *Primum* in argumento eorum 19. & 23. eſt:

Aëtianorum refutatio, qui Filium Deum ex Patre Deo genitum negabant.

Ex privatione nihil fit, aut procedit.
Ingenitus Deus eſt privatio.
Igitur ex ingenito Deo nihil fit aut procedit.

Solutionem Epiphanius à vocis hujus, *Privatio & Ingenitus*, ambiguâ ſignificatione petit & demonſtrat. Nam privatio duobus modis dicitur, uti & *ἀγέννητος*. Sæpè privatio pro ſimplici negatione ſumitur, ſicuti quum Deus dicitur *ἀόργητος*, iræ expers, *ὡς διὰ τὸ ὀργίζεσθαι*,

Digitized by Google

ὀργίζεσθαι, id eſt, non quaſi iraſci poſſit: ἀλλὰ διὰ τὸ αὐτοαόργητον, id eſt, ſed quod ſuâ naturâ iraſci non poteſt Deus. Itaque & ἀόργητος in Deo ſimplex eſt negatio, non privatio. Eodem modo Pater dicitur ἀγέννητος, κατὰ τὸ ἰδιάζοντος καθ' ἑαυτὸ πρέπον τῇ ἑαυτοῦ οὐσίᾳ τε καὶ θεότητι, καὶ διὰ τὸ αὐτογέννητον εἶναι, hoc eſt, quod propriè & per ſe Patris eſſentiæ, Deitati & naturæ competit, ut ſit ingenitus. Itaque ſimplicis negationis ſignificatio eſt in Patre ἀγέννητος, non autem propriè privationis. Sæpè autem privatio eſt naturæ deſtructio, & habitus qualitatiſve, quam quis habere potuit, amiſſio: uti quum quis dicitur indoctus, ex hac privatione per ſe nihil fit.

Alterum Aëtianorum argumentum, ipſorum verò 25. eſt: *Ingeniti vox nullibi in Scriptura de Deo dicitur aut legitur. Ergo Deus non eſt dicendus appellandúſve ingenitus.* Sic illi argumentabantur, quum orthodoxorum diſtinctionem irriderent inter Deum Patrem & Deum Filium, quod Pater ἀγέννητος, ingenitus, Filius autem γεννητὸς, genitus ab iis nominaretur. Solutio itaque hujus ſophiſmatis eſt, quod cujus vocis ſignificatio rectè competit Deo, eidem vox ipſa competit. At rectè, Patri ἀγεννήτου, ingeniti ſignificatio, & Filio γεννήτου, geniti, ex mente ſacræ Scripturæ & analogia fidei competit. Ergo & voces ipſæ: Pſal. 2. 7. Heb. 1. 5.

Fuit item Aëtii hæretici argumentum, teſte eodem Epiphanio, olim quidem hoc, hodiè verò Servetiſtarum: *Deus Pater eſt Filii genitor. Filius habet ſubſtantiam & perſonam. Deus itaque Pater eſt ſubſtantia & perſona genitor, id eſt, eſſentiator.* Ubi per ſophiſticam compoſitionis fallaciâ componitur in perſona Filii ſubſtantia & perſona, quum tamē Pater ſit tantùm perſonæ ratione genitor, non autem eſſentiæ.

Adhæc Aëtius eodem argumento, quo Praxeas apud Tertullianum, eſt uſus teſte Epiphanio, ſic: *Si Filius non eſt Pater, ſed à Patre genitus: Ergo Filius eſt inferior patre.* Negatur ſequi; quia dignitas in divinis ex natura ſumitur, quæ in utroquê una eſt & eadem. Naturę enim diſſimilitudo (ut ait Epiphanius) affert dignitatis gradum diſſimilem, ex quo aliud ſuperius & majus, aliud & minus eſt & appellatur, veluti inter ipſum creatorem & creaturas. *In 10. argument. Aëtii.*

Præterea quando Aëtiani Filium genitum ab æterno audiebant, irridebant hoc ſcommate. Igitur eſſet aliquid impoſſibile huic Deo Filio, nimirum ſe facere ingenitum. Ajebant igitur ſic. *Deus eſt omnipotens. Filius Deus ſe non poteſt facere ingenitum. Ergo hic Deus Filius & omnipotens, & non omnipotens eſt.* Negat ſequi Epiphanius, & docet fallaciam committi ex ſenſus diverſitate. Nam quod dicitur, quædam Deum nō poſſe (uti factum non poteſt infectum reddere Deus, ut ajunt) illud dicitur, non quod omnia non poſſit Deus, ſed quod non omnia deceant ita fieri. Itaque illud: Non poteſt Deus montem ſine valle facere, *Chriſtus ſe ingenitum reddere,* non dicitur ratione imbecillitatis ullius, quæ ſit in Deo: ſed ratione hac, quod ſit Deo incompetens καὶ ἀπρεπὲς ita facere. Hæc contra Aëtii argumenta & ipſa poſſunt aliquod lucis afferre ad intelligendum apertiùs, quomodo differentiam eſſentiæ à per-

Digitized by Google

num conjunctæ, nõ conſtituunt duos homines, ſed unitatem retinent unius perſonæ, ut maneat unus homo, ex anima & corpore compoſitus: quomodo non intelligitur, tres illas hypoſtaſes in Deo non eſſentiâ, nec naturâ diverſas, ſed omnino pares, multò minùs impedire, quo minùs *unitas Dei* illibata maneat? Quis adeò deſipit, ut quoniam in ſole tria hæc reperiuntur, primùm *globus* ſolis ceu lucis fons, deinde *ſplendor* ex illo natus, tertiò *calor* ex utroque procedens ac ſpirans, tres ſoles eſſe dicat? Ac non potiùs unum ſolummodò agnoſcat & fateatur, quum non ſit niſi ſol unicus, ſed globo, luce, caloreque diſtinctus? Quis adeò demens eſt, ut homini propterea tres ſpiritus aſcribat, quod tres illius veluti diſtinctæ hypoſtaſes eſſe reperiuntur, videlicet ψυχὴν, νοῦν, θυμὸν, id eſt, animam, mentem, & animum? Anima enim hominis eſt, quâ vivit & movetur homo: Mens, quâ intelligit, judicat, diſcernit. Animus, quo vult, odit, diligit, triſtatur, lætatur, & vel bonus eſt, vel malus. Hæc reperiũtur in nobis ipſis, quibus quaſi manu duci poſſumus, ad agnoſcendam in uno ac vero Deo perſonarum Trinitatem ſeu Triadem, ac in Trinitate ſeu Triade illibatam Deitatis & Divinitatis unitatem. Ergo tres inde, vel quatuor Deos fingemus? Abſit. Potiùs ut in ſeſe tres diſtinctas hypoſtaſes agnoſcimus, unũ eſſe Deũ, & in homine tres diſtinctos ſpiritus, nempe animam, mentem & animum, ſentimus eſſe unum hominem: ita tres perſonas, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum credamus ac profiteamur unum & verum eſſe Deum.

6. Objiciũt: *Unum non ſunt duo, Pater & Filius ſunt unum.* Joh. 10. 30. *Ergo pater & Filius non ſunt duo.* Resp. In hoc argumento vox hæc Unum ambigua eſt & multiplex. Nam unum eſſe dicitur & de iis, quæ ſunt ejuſdem *generis*, uti Homo & Brutum ſunt ſub eodem genere, nempe Animali, & de iis quæ ſunt eadem & unum *ſpecie*, uti Petrus & Paulus ſunt ſub una & eadem ſpecie, nimirum ſub homine: & de iis, quæ ſunt eadem *numero*: quæ tamen omnia etiam duo eſſe aliâ quadam ratione poſſunt. Ergo Pater & Filius etiamſi ſunt unum οὐσίᾳ, eſſentia, duo tamen eſſe poſſunt ὑποστάσει. Nam ὑποστάσεως nomen adverſus Sabellii errorem inventum eſt, uti οὐσίας ad Arrianorum hæreſin jugulandam.

7. Objiciunt. *Pater genuit Filium aut exiſtentem, aut non exiſtentem. Utrumque abſurdum.* Respondemus. Rectè dicitur, quod Pater genuerit Filium jam exiſtentem. Nam Pater nunquam fuit abſque Filio, ut nec Sol ſine luce. Rurſus dici poteſt: quod genuerit non exiſtentem, quatenus generatio, licet æterna ſit, ordine tamen præcedit exiſtentiam: ut Sol prior eſt ſua luce. Adhæc Patrem, Filium & Spiritum ſanctum prorſus eſſe diſtinctas perſonas, teſtantur loca, Math. 3. 16. 17. Joh. 14. 16. 15. 26. Act. 13. 2. 1. Cor. 12. 11. 1. Joh. 5. 8.

II. *Stanckarus, Servetus & alii Antitrinitarii* in genere refutantur, qui non ſolùm negant vocabulum & nomen Trinitatis, verùm etiam rem ipſam, quæ eo continetur. *2. Antitrinitarii refutantur.*

Nam Respondemus: In Scriptura ſacra eſſe & haberi, *biſariam* dicitur *Vide Bucanum in locis pag. 8.*

Digitized by Google

ſtinctam ab aliis, incommunicabilem, & quæ non ſuſtentatur ab alio, eſt ordine PRIMA PERSONA divinitatis, æterna, immenſa, ingenita, & à nemine ſed à ſeipſo exiſtens, quæ genuit Filium coæternum conſubſtantialem ſibi, à qua & Filio Spiritus ſanctus procedit, per quam & in quo creavit & conſervat omnia. Dicitur autem *Pater* quadruplici ratione, I. Ratione Filii coæterni, ab ipſo ab æterno geniti. II. Ratione creationis & ſuſtentationis hominis, rerumque omnium. III. Ratione regenerationis & adoptionis noſtri in Filios. IV. Ratione affectus paterni erga nos, Pſal. 103. 13. Aliàs vocabulum Patris toti etiã Trinitati tribuitur, quæ nos creavit, regenerat, & affectu planè paterno proſequitur, regit, cuſtodit, ac conſervat. Sic etiam in oratione Dominica: *Pater noſter, qui es in cœlis.*

Mich. 5. 2. *Mal. 2. 10.* *Joh. 1. 12. 13.* *Epheſ. 1. 4.* *Rom. 8. 17.* *1. Pet. 1. 3.*

Similiter Deus *Filius* habens ſubſtantiam individuam, intelligentem, verè ac per ſe ſubſiſtentem, diſtinctam ab aliis, incommunicabilem, & quæ non ſuſtentatur ab alio, ſed ſuſtentat naturam humanam aſſumptam, eſt ordine SECUNDA PERSONA divinitatis, ac ſui ipſius reſpectu ex ſeipſa, reſpectu autem Patris, à Patre ab æterno genita, conſubſtantialis & coæterna Patri, quæ ſuo tempore ex Maria virgine humanam naturam aſſumpſit, & Chriſtus Mediator factus eſt, ut Deus & homo propter unionem perſonalem ſit unus Dei Filius, & Chriſtus, Iſa. 9. 6. Jerem. 23. 6. Jud. 6. 11. Math. 16. 16. Joh. 1. 1. Joh. 20. 28. Act. 20. 28. Rom. 9. 5. 1. Tim. 3. 16. 1. Joh. 5. 20. Iſa. 7. 14. Luc. 1. 31. Luc. 2. 7. 21. & 24. 39. Heb. 2. 14. Math. 26. 38. Gal. 3. 26. Rom. 5. 17. 18. 19. Heb. 2. 14. Joh. 17. 21 Col. 2. 9.

Nec ideò *unio perſonalis* eſt naturæ humanæ cum divina exæquatio, aut proprietatum naturæ divinæ in humanam effuſio, ut humana natura habeat eaſdem proprietates, quas habet divina: *ſed* eſt talis unio, qua natura humana ſubſiſtit in perſona τοῦ λόγου, ita ut ipſius quaſi pars ſit, nec per ſe ſive extra τὸν λόγον ſubſiſtat. Caro Chriſti habet Deitatem omnipotentem, ſeu Deitatem & omnipotentiam, ſeu particeps facta eſt omnipotentiæ unione Hypoſtatica, quæ hominem facit Deũ & omnipotentem. Itaque non habet in ſemet ipſa ut in ſubjecto (Non enim Deitatis etiam naturam habet in ſe, tanquam partem ſuæ ſubſtantiæ) ſed in perſona τοῦ λόγου, in cujus unitatem verè & realiter aſſumpta eſt, non autẽ reali κοινωνίᾳ, quæ carnem pariter & λόγον faciat Deum, & omnipotentem. Propriè igitur perſona τοῦ λόγου, ſeu Filius hominis eſt omnipotens proprietate divinæ ſuæ naturæ. Hominis enim Filius habet in ſubſtantia perſonæ ſuæ naturam divinam, ſeu proprietates omnes divinæ naturæ. Col. 2. 9. 1. Tim. 3. 16. Iſa. 7. 14. 9. 5. Luc. 1. 35. Joh. 1. 14. Joh. 2. 9. Math. 3. 17. Ephes. 4. 10. Gal. 4. 4. Heb. 2. 16.

Unio perſonalis. *Rodolphi Goclenii Miſcellan. pag. 146.*

Deus *Spiritus ſanctus* habens ſubſtantiam individuam, intelligentem, verè & per ſe exiſtentem ſeu ſubſiſtentem diſtinctam ab aliis & incommunicabilem, quæ non ſuſtentatur ab alio, eſt ordine *tertia perſona* Divinitatis, coëſſentialis Patri & Filio, æterna & ab utroque conjunctim ac inſeparabiliter

procedens, ſimul cum Patre, & Filio creatrix & conſervatrix omnium, regenerans, ſanctificans ac regens homines, præſertim Electos, ac pariter cum patre & Filio adoranda. Emiſſio autem hæc ſeu proceſſio eſt tota ἐνεργητικὴ: non ipſius eſſentiæ, quæ quia immenſa eſt, utpote vera Deitas, locum non mutat, nec uſquam eſt ut in loco, ſed ubique ut Deus. Gen.1.2. Pſal.139. 7. Sap.17. Iſa.6.9. Act.5.3. 28.25. 1. Cor. 3.16.17.18.19.20. 2 Cor.6.16. Heb. 9. 14. Job.33.4. Gal.4.6. Joh.15.26. Pſal. 33.6. Math. 10 20. Joh.14.26. 16.14. Rom.8 9.11. 1. Cor.3.6.8.16. Tit.3.5. 1. Cor. 12 45. Math. 28.19. Iſa. 6.3. Act. 13.3.

Unaquæque harum perſonarum eſt verus Deus omnipotens, infinitus, æternus: nec tamen tres Dii, aut tres omnipotentes, infiniti, æterni, &c. ſed ſingulæ & omnes ſunt unus omnipotens, infinitus & æternus Deus. Sunt enim omnes non modò æquales omnibus eſſentialibus proprietatibus, ſed etiam ὁμοούσιοι, hoc eſt, ejuſdem eſſentiæ. Et tamen diſtinctæ, tum internis ſubſiſtendi modis, tum ordine perficiendi opera externa tribus perſonis communia, ut ſunt creatio, redemptio, ſanctificatio, &c. Pater enim operatur omnia à ſe per Filium, & Spiritum ſanctum, Filius à Patre per Spiritum ſanctum: Spiritus ſanctus à Patre & Filio per ſe. Vide D.D. Davidis Paræi collegium 9. Diſputationum p. 751.

Cavemus igitur, imò procul ab Eccleſia arcemus & damnamus omnes profanas & impias opiniones hæreſiarcharum veterum ac recentium, *Photini, Noëti, Sabellii, Samoſateni, Arii, Macedonii, Serveti, Socini, &c.* qui ſentiunt quod perſonæ Patris, Filii & Spiritus ſancti vel non ſint, vel ſint diſtinctæ, vel ſint ἑτερούσιοι aut ἀνομοιούσιοι, diverſæ vel inæqualis eſſentiæ, &c.

IV. Refutantur hîc etiam *Tritheitæ*, qui tres perſonas in tres numero ESSENTIAS, transformant, & Filium Dei ſecundùm ὀυσίαν Patri ταυτούσιον, eundemque αὐτόθεον negant. Horum Anteſignanus ſeu hæreſiarcha fuit noſtra ætate, vel proximè elapſo ſeculo, VALENTINUS GENTILIS Italus, quem Bellarminus lib. de Notis Eccleſię cap. 9. & alii alibi Euangelicis nominatim objiciunt in hæreſi Ariana, quaſi cum eo in hac conſpirent. Quã obrem quæ de eo ſupra libro 1. cap. 22. narrare incepimus, nunc perſequemur. Ac *Primò* hæreſin Tritheitarum ac Gentilis confutabimus: *deinde*, quis fuerit exitus hujus Gentilis, unde inprimis Euangelicos ab ejus hæreſi longiſſimè abeſſe conſtat, referemus.

4. Tritheitæ refutantur.

Valentinus Gentilis.

THEODERETUS ſcribit lib. 2. hiſt. cap. 8. *Concilium Sardicenſe dixit, hæreticorum eſſe tres ὑποστάσεις aſſerere, Catholicorum unam tantùm. Nempe accipiendo ὑπόστασιν pro ὀυσία, quod hæretici faciebant.* Nam aliàs rectè & propriè ὑπόστασις, dicitur *natura ſubſiſtens, ſubſiſtentia.* Theologis autem in Trinitate divina ὑπόστασις, idẽ eſt, quod ἰδιότης & πρόσωπον ac ὑφιστάμενον, proprietas, perſona, ſubſiſtentia. Nazianzenus in orat. Τὸ ἀσύγχυτον τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν τῇ μιᾷ φύσει τε καὶ ἀξίᾳ τῆς θεότητος, *in una & natura & dignitate Deitatis inconfuſa trium perſonarum diſtinctio.* Quare accipiendo ὑπόστασιν non pro ὀυσία, eſſentia, ut hæretici faciunt, ſed pro πρόσωπα

Perſonæ tres ſunt ſacroſanctæ Trinitatis, non tres eſſentiæ.

καὶ

Digitized by Google

καὶ ὑφιςάμενον, id eſt, perſona & ſubſiſtentia, ſic Tritheitis, tres perſonas in tres numero eſſentias transformantibus, occurrimus.

Unius *eſſentia* divinæ ſicut ſunt tres τρόποι ὑπάρξεως: ita ſunt tres ὑποςάσεις, quas Græci ὑφιςάμενα καὶ πρόσωπα, Latini *ſubſiſtentias & perſonas* dixerunt, Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Quæ realiter ab invicem diſtinctæ ſunt, ut una non ſit alia, omnes verò coæquales & ὁμοούσιοι, ſeu ejuſdem eſſentiæ.

Eſſentia divina eſt Deus unus & trinus.

Nam quoad *eſſentiam* divinam, eſt & dicitur Deus rectiſſimè Unus & Trinus: ſui nempe reſpectu, dum *intra ſe* conſideratur divinitas. Reſpectu enim eſſentiæ, quæ una eſt, deinde creaturæ, Unus eſt & dicitur; Sicut etiam abſolutè conſideratus, indiviſè operari dicitur reſpectu creaturæ. Trinus autem dicitur & ratione ſeu reſpectu *perſonarum* trium: uti & ſuprà indicatum.

Diſtinctio perſonarum Trinitatis.

Jam unus Deus eſſentia, perſonis trinus, diſtinguitur tantùm, non in tres eſſentias transmutatur: & eſt duntaxat *diſtinctus* perſonis, non in tres eſſentias transmutatus.

Nam Patrem à Filio & Spiritu ſancto, Filium à Patre & Spiritu ſancto, Spiritum ſanctum à Patre & Filio eſſe perſonam ſubſiſtentem in Deo, realiter verò diſtinctam, ſcripturis ſacris probatur.

Math. 3. 16. 17.

1. In Baptiſmo Jeſu Chriſti, auditur *Patris* vox è cœlo: Christus *Filius* ſtat, qui baptizatur à Joh. Baptiſta: *Spiritus Sanctus* deſcendit forma columbæ, qui requieſcit ſuper Chriſtum. Adhæc 1. Johan. 5. 8. ſcriptum eſt; *Tres ſunt quis teſtantur in cœlo: Pater, Verbum & Spiritus ſanctus.* Ecce diſtinctionem trium perſonarum Deitatis. Et additur, *hi tres unus ſunt.* Ecce unitatem eſſentiæ trium Deitatis perſonarum. Præterea ipſe Chriſtus diſtinguit à ſe & à Patre Spiritum ſanctum, dum dicit; *Alium paracletum*, id eſt, Conſolatorē *dabit vobis*. Aliū τῇ ὑποςάσει dicit, non alium τῇ οὐσίᾳ. Et 15. 16. *Ego mittam vobis ſpiritum paracletum à Patre.*

Joh 14. 16.

Differentia eſſentia & perſona in Trinitate.

Differt ergo Eſſentia à Perſonâ in Divinitate Sacroſanctæ Trinitatis. *Eſſentia* enim eſt Natura, quæ tribus perſonis non anterior aut exterior, ſed communis, imò eadem & individua, & tota in ſingulis, non extra, per ſe ſubſiſtēs eſt, ipſa videlicet Divinitas. Quare unæ ſunt ad numerum proprietates eſſentiales, quæ ſunt in illis. *Perſona* verò eſt ſubſiſtentia in natura divina, quæ ad alios relata proprietate incommunicabili diſtinguitur. Diſtinguuntur enim, non ſeparantur perſonæ, ut tres homines reipſa ſeparantur, quamvis ſpecie unum ſint. Ratio eſt, quia divina eſſentia infinita eſt atque impartibilis, ideoque tota in ſingulis perſonis, quæ non ſunt ab invicem ſeparatæ, ſed tantùm diſtinctæ inter ſe. Humana verò vel Angelica eſſētia eſt finita, & partibilis, ita ut non ſit ſola in ſingulis individuis, ſed pars in hoc, pars in illo.

Proprietates perſonarum Deitatis, quibus diſtinguuntur.

Proprietates ſunt perſonarum, quibus diſcernuntur & diſtinguuntur, nō autem ſeparantur Trinitatis perſonæ. Ac nimirum *tres* ſunt præcipuè earum proprietates. Prima eſt ἀγεννησία, ſive paternitas, quæ proprietas eſt incommunicabilis primæ perſonæ Trinitatis, qua fit, ut pater à nullo fit, ſed à ſeipſo

ſeipſo, non factus, non genitus ſed gignens ab æterno Filium.

Secunda eſt γέννησις *Generatio* ſive *Filiatio*, paſſivè quidem ſumpta, qua Filius ſui quidem reſpectu ex ſe & per ſe exiſtens, tamen accipit & in ſe habet totam & integram ſuam eſſentiam à Patre. Tertia eſt ἐκπόρευσις, *Emanatio* ſeu *Proceſſio*, itidem paſſivè ſumpta, qua ſpiritus ſanctus ab æterno eandem illam integram eſſentiam à Patre & Filio accipit, & in ſe totam habet. Dicitur ergo à Patre & Filio procedere Spiritus ſanctus, non quum mittitur ſeu effunditur ſuper domum David, Zach. 12. 10. ſed reſpectu Eſſentiæ quam ab æterno accepit communicatam ſibi à Patre & Filio. Quapropter etiam eſt quidem differentia inter generationē & proceſſionē: ſed *ego* (inqt Auguſtinus) *diſtinguere neſcio, nō valeo, nō ſufficio*: propterea quia generatio, ita proceſſio inenarrabilis eſt. Hæc tamen dari poteſt, quod (ut idem dicit Auguſtinus) quicquid gignitur, etiam procedit: ſed non contrà, quicquid procedit, etiam gignitur.

Opera Trinitatis ad intra.

Hæ proprietates alio vocabulo dicuntur *opera Trinitatis ad intra*: quod intra ipſam eſſentiam fiant, abſque ullo creaturarum reſpectu, incomprehenſibili modo. Vocantur etiam *opera diviſa*, ſive diſtincta & incommunicabilia. Nam paternitas ſoli competit Patri, Filiatio ſoli Filio, proceſſio ſoli Spiritui ſancto.

Itaque hinc Internum Discrimen conſtat perſonarum divinarum. *Intrinſecus* enim diſcernuntur vel diſtinguuntur à proprietate interna & perſonali.

Ut *Patris proprietas* eſt, quod à nullo alio eſt, nec factus, nec creatus, nec genitus: ſed à ſeipſo eſt fons, origo & principium, non tamen temporale, hoc eſt, quod tempore præcedat reliquas perſonas, ſed originale & æternum totius Trinitatis, & quod ab æterno genuit Filium ſibi conſubſtantialem.

Filii proprietas, quâ à Patre & Spiritu ſancto diſcernitur ac diſtinguitur, eſt hæc, quod αὐτόθεος eſt à ſeipſo quidem ſui reſpectu ſimpliciter, unde Jehova dicitur, ſed Patris reſpectu non eſt à ſeipſo, ſed à Patre genitus, & quod ab ipſo, ſicut à Patre, Spiritus Sanctus procedit.

b *Calv. Inſtit* 13. §. 13. § 23. *Beza in Axiomat.* 14. *Joſ. Siml. in epiſt. ad Polonos.*

Spiritus ſancti proprietas eſt, quod nō eſt genitus, ſicut Filius, ſed quod ab utroque videlicet Patre & Filio ab æterno procedit. Objicitur quidem, 1. Chriſtus dicit, Joh. 14. 16. Spiritum à Patre procedere. Ergo non procedit à Filio. Sed Reſpondemus: Chriſtus non addit excluſivam particulam, ac proinde ex eo nihil colligi poteſt. Adhæc Spiritum ſanctum etiam à Filio procedere hæc teſtimonia evincunt. Joh. 15. 26. Ego mittam vobis Spiritum paracletum a Patre. Ac Joh. 16. 12. *Ille*, inquit, *de meo accipiet, & annunciabit vobis omnia*. Rom. 8. 9. dicitur, *& Patris & Filii Spiritus*. Gal. verò 4. 6. vocatur *Spiritus Filii*. Præterea *inſufflando* Chriſtus *dedit Spiritum ſanctum*, inquit Auguſtinus, ut oſtenderet, etiam à ſe eum procedere. Joh. 20. 22. Ergo Spiritus ſanctus verus unica illa Deitate Deus eſt, tum à Patre, tum à Filio promanās, ſed perſona à Patre & à Filio diſtincta.

Intrinſecum verò hoc diſcrimen perſonarum

Digitized by Google

ſonarum divinarum non eſt(uti & ſuprà paucis monuimus) eſſentiale, nec rationale, ſed *reale*.

Eſſentiale non eſt, quia una tantùm eſt eſſentia totius divinitatis. Non alia Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti, ſed una & eadem, ſicut etiam una & eadem natura, potentia & voluntas. Itaque Pater, Filius & Spiritus ſanctus, unius & ejuſdem prorſus ſunt eſſentiæ. Quod directè Tritheitas refutat.

Rationale non eſt, quia non tantùm vocabulis differunt, ut diverſa tantùm ſint officia, & inania ejuſdem ſubſtantiæ vocabula. Sicut unus & idem homo Pater & Filius eſſe, & dici poteſt, reſpectu diverſorum, quum adhuc Patre ſuo ſuperſtite generat filios, quorum reſpectu Pater, illius verò filius eſt & dicitur. Aut quũ idẽ eſt Doctor, paſtor, paterfamiliâs, ſcriba, pater, procurator. Ita Sabellius, Samoſatenus, Photinus, Marcellus, Montanus, atque alii hæretici, ut Servetani, Sozini, Tritheitæ, ac Antitrinitarii, de Trinitate ſenſerunt, & locuti ſunt, ac etiamnum ſentiunt, & loquuntur, quod unus & idem Deus pro diverſitate officiorum aliquando Patrem, interdum Filium, nonnunquam Spiritum ſanctum nominarit: ſed unam tantùm eſſe perſonam, quæ diverſa habeat vocabula, ſecundùm officiorum diverſitatem, aut tres conſtitui ac eſſe eſſentias. Hoc, inquam, doctrina illa, quod diſcrimen perſonarum divinarum nec ſit eſſentiale, nec rationale, hæretici iſti eorumque hæreſes prorſus confutantur.

Reale autem eſt hoc diſcrimẽ intrinſecum, quia revera alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti. Et ſingulæ perſonæ per ſe ſubſiſtunt, Propriam etiam quæque habet definitionem, Ac re ipſa differre perſonas atque diſtinctas eſſe, ex apparitionib. manifeſtum eſt, Math. 3. 16. 17. & 17. 5. ubi ſingulæ apparuerunt ſeorſim, ut reipſa diſtinctas eſſe, certũ eſt. Conſtat item ex Symbolo Apoſtolico. Nam quum initio dicimus; *Credo in Deũ*; mox ſubjicimus, 1. *in Patrem*, 2. *in Filium*, 3. *Spiritum ſanctum*. Itaque ut confitemur tres has perſonas eſſe eſſentia, majeſtate & voluntate Deum: ita agnoſcimus eundem eſſe Trinum, ſed ut Pater ſit prima, non gradu, ſed ordine perſona in Divinitate, Filius ſit ſecunda, non gradu, ſed ordine perſona, Spiritus ſanctus tertia non gradu, ſed ordine perſona in Deitate. Sic etiam diſtinctio hæc perſonarum comprobatur incarnatione Filii, quia nec pater nec Spiritus ſanctus incarnatus eſt, ſed ſolus Filius, qui in unitatẽ Perſonæ ſua aſſumſit ex virgine Maria naturam humanã, atque in hoc æterno Dei Patris decreto, imò etiam ipſiuſmet Filii ac Spiritus ſancti deſtinatus eſt, Act. 4. 28. ut genus humanum redimeretur. Gal. 3. 26. Jerem. 32. 8. Heb. 2. 10. Nam ut conſilium fuit Patri coæternum, de ſalvando per Filium genere humano propoſitum; *Heb. 2. 14.* ita nec Pater, nec Spiritus ſanctus eſt incarnatus, ſed Filius, quia incõveniẽs fuiſſet, duos eſſe filios, alium in Divinitate, alium in Humanitate. Ideo Apoſtolus hoc vocat *magnum pietatis myſterium*, 1. Tim. 3 16. Hæc de operibus Trinitatis ad intra, quæ internum Perſonarũ divinarum diſcrimen oſtendunt.

Opera verò *Divinitatis* etiam *ad Extra* *Opera Trinitatis ad extra.*

 ſunt

ſunt, quia extrinſecum quoque eſt Perſonarum divinitatis diſcrimen, quod à creationis omnium rerum, prę ſertim verò Redemtionis operibus, ac beneficiis præcipuis ſingularum perſonarum erga Eccleſiam, quibus ſe patefecerunt, ſumitur.

Extat illud in Symbolo Apoſtolorum, & clarè ex ſacra Scriptura habetur. Nam *ſunt opera divinitatis ad Extra*, quæ reſpectu creaturarum à tota divinitate fluunt & fiunt, ſeu quæ tres perſonæ ſimul in operibus creationis & redemptionis operantur. Et dicuntur *indiviſa*, quia tribus perſonis communia ſunt. Unde regula: *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa*. Ut Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram*. Et Joh. 5. 17. 18. 19. *Quæ pater facit, hæc ſimiliter & Filius facit*: ſed ſervata perſonarum proprietate, agendi ordine, & diſcrimine. Sic incarnatio activè ſumpta eſt opus totius Trinitatis, ratione βουλήσεως καὶ ἀποτελέσματος, hoc eſt, ſi conſilium atque effectum conſideres, etſi ſolus Filius eſt incarnatus, 1. Cor. 1. 15. Rom. 11. 36. Gal. 4. 4. Epheſ. 4. 10. Heb. 2. 10.

Hoc modo *Pater* à reliquis perſonis divinitatis diſcernitur & diſtinguitur, quod dicitur *Creator*. Ergóne pater abſque Filio & Spiritu ſancto res condidit? Nequaquam. De Filio enim
Joh. 1. 3. ſcribitur, *quod per ipſum omnia ſint facta*.
Pſal 33. 6. De Spiritu ſancto, *quod Spiritu oris ejus omnis exercitus cælorum firmatus ſit*. Item:
Gen. 1. 2. *Spiritus Domini incubabat aquis*. Et ſic opus creationis toti Trinitati commune eſt. Sed ut conſideretur diſcrimen perſonæ Patris, quo à perſona Filii & Spiritus ſancti intra ipſam ſimpliciſſimam unitatem divinitatis diſcernitur, quod videlicet pater fons & origo totius Trinitatis, à quo omnia ſunt creata, & ab ipſo eſt, & habent hoc ipſum reliquæ perſonæ, Filius & Spiritus ſanctus, quod ſunt Creator & Omnipotens, ideò pater CREATOR dicitur.

Eodem modo *Filius* diſcernitur à reliquis perſonis, quod *Redemptor & Mediator* eſt ac dicitur, vel propter *incarnationem & redemptionem*. Non quod ſine Patre & Spiritu ſancto nos redemerit, Joh. 3. 16. (*Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret.*) ſed quia ſola hæc perſona Filii naturam humanam aſſumpſit, in ea paſſus eſt, ac precium redemptionis noſtræ perſolvit. Interim incarnatio & redemptio eſt totius Trinitatis opus.

Hocque modo *Spiritus S.* diſtinguitur à reliquis perſonis, quod eſt *ſanctificator*, vel ob *ſanctificationem*. 1. Cor. 14. Tit. 3. 5. Joh. 3. 5. Math. 3. 11. Non quod abſque Patre & Filio id operetur: Sed 1. Cor. 6. 11. qui viſibili ſpecie linguarum & variorũ 2. Cor. 3. 16. donorum miſſus eſt Apoſtolis, & datur etiam omnibus ſalvandis, & per verbum ac Sacramenta efficax eſt. Accendit in eis novam lucem veræ Dei agnitionis, ut oblatum verbum accipiant, & aſſentiantur, regenerat & ſanctificat, regitque nos, ut piè & ſanctè vivamus in hoc ſeculo. Alias & de Filio dicitur, quod ſit noſtra *ſanctificatio*, 1. Cor. 1. 30. Gal. 4. 6. Sed ut diſcernatur & diſtinguatur Spiritus ſanctus à Patre & Joh. 14. 26. Rom. 8. 15. Filio, peculiariter illi tribuitur, quod Epheſ. 1. 13. ſanctificet omnia & vegetet, ſuſtineat, 2. Cor. 1. 22. regat, gubernet. 1. Cor. 6. 11. 2. Cor. 3. 16. Gen. 1. 2. Luc. 11. 20. Job. 33. 4. 2. Pet. 1. 9. Hinc (ut ad rem plenius inculca-

Digitized by Google

culcandam ſuperiora paucis repetam) opera Trinitatis ad extra, ab Auguſtino *indiviſa* dicuntur, id eſt, quæ extra divinitatem in creaturis ab uno Deo, ſeu eſſentiâ unâ divinâ, vel divinitate una fiũt, nulliq; creaturæ peculiariter aſcribẽda ſunt, ſed toti divinitati, quæ eſt Trinitas, ſunt cõmunia. Ut n. Deus Pater omniũ noſtrũ, ideoq; omniũ naturarũ & rerum conditarũ Deus, Pater conditor & creator eſt: ſic & Deus Filius λόγος, idem eſt omnium DEUS, & creator ac conditor. Iſa. 9 6 Jerem. 23. 6 Math. 16. 16. Joh. 1. 1. 2. 3. Joh. 20. 28. Act. 20. 28. Rom. 9. 5. 1. Tim. 3. 16. 1. Joh. 5. 20. Joh. 5. 17. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. 3. 1. Cor. 1. 30. 1. Theſſ. 1. 10. Joh. 14. 14. &c. Et Spiritus ſanctus idem Deus eſt, auctor & creator omnium. Act. 5. 3. 1. Cor. 3. 16. 17. c. 6. 19 20. 2. Cor. 6 16. Heb. 9. 14. Pſal. 139. 7. Sap. 1. 7. 1 Cor. 2. 10. Job. 16. 13. Joh. 33. 4. Pſal. 33 6. Rõ 8. 9 1. Cor. 3. 16. Joh. 3. 6. 8. 1. Cor. 6. 11. Act. 13. 33. 2. Cor. 13. 13. Apoc. 1. 4.

Nec tamen eſt, niſi unus Deus, & creator noſtrũ n omnium ac rerũ ſingularum. Nam eſſentia non eſt alia, aut diſtincta. Quare quamcunque trium perſonarum nomines, aut cogites, ſimul verum unicum Deum, ſeu totam divinitatem & nominatione & cogitatione complexus es. Nam unaquælibet perſonarum divinarum eſt idem ille unicus, æternus, & per omnia verus Deus, & non alius: licet alia ſit perſona, ſed non Deus alius, multò verò minùs aliud, id eſt, alia eſſentia, quæ una & eadem omnium & ſingularum eſt perſonarum. Omninò enim eſſentia divina una eſt, non genere, aut ſpecie, aut alia aliqua compoſitionis veritate, ſed numero & individuo. Unus enim eſt Jehova, ἀδιαίρετος καὶ ἀχώριστος, indiviſibilis & inſeparabilis.

Objectiones Valentini Gentilis contra eſſentiam divinam.

Quid contra Tritheitas clarius & melius afferri poteſt? Sed Anteſignanus eorũ *Valentinus Gentilis* in Protheſibus ſuis ſeptem objectiones potiſſimum opponit.

1. Si plures, inquit, ſunt Jehovæ, erunt & plures eſſentiæ. Prius verum Gen. 19. 24. *Pluit Jehova ignem è cœlo à Jehova*, hoc eſt, Filius à Patre. Ergo Filius à Patre eſſentia diſtinctus eſt. RESPONDEMUS: Phraſis eſt Hebraica, qua ſignificatur, Deum miraculoſo modo à ſeipſo ignem cœlitus pluiſſe. Deinde nomen Jehova aliquando ὑποστατικῶς accipitur. Itaque diſtinctio eſt in perſonis, non in eſſentia.

2. Alia eſt vita Filii, alia patris. Joh. 5. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic etiam dedit Filio habere vitam in ſeipſo.* Ergo eſt & alia eſſentia. RESPONDEMUS: Locus ille de communicata poteſtate Chriſto, ratione officii Mediatoris intelligitur. Deinde, tametſi Filii vita eſt à Patre, reſpectu originis perſonæ: eſt tamen à ſeipſa, ſi abſolutè ſpectetur, ut & ſuprà monuimus, ac proinde eadem cum Patris vita.

3. Quorum ſunt diſtinctæ operationes, eorum ſunt diſtinctæ eſſentiæ. At Patris, Filii & Spiritus ſancti operationes vel actiones ſunt diſtinctæ. Ergo eorũ etiam ſunt diſtinctæ eſſentiæ. RESPOND. *Major* vera eſt de naturalibus & externis operationibus atque actionibus: ſed hoc modo falſa eſt *Minor*. Alioqui ſi Major agit de perſonalibus & internis actionibus, vel operationibus, falſa eſt, quia illæ non tollunt uni-

tatem eſſentiæ: quum eadem numero eſſentia tota ſit in qualibet perſona.

4. Non eſt una Perſonarum potentia, quia Pater poteſt gignere, Filius nõ poteſt. Ergo nec eſt una eſſentia, RESPONDEMUS: Una eſt potentia naturalis, non autem perſonalis: ſicut una eſt NATURA, non autem Perſona.

5. Eſſentia Patris communicatur Filio per generationem. Ergo alia eſt in Patre, alia in Filio, quũ alia ſit eſſentia gignens, alia genita. RESPONDEMUS, Diſtinguendum eſt inter Generationẽ & communicationem. Nam perſona gignit & gignitur. Eſſentia verò nec gignit, nec gignitur, ſed communicatur.

6. Si una eſſet Patris & Filii eſſentia, ſequeretur & Patrem eſſe incarnatum. Sed hoc abſurdum. Ergo & illud. RESPONDEMUS. Non ipſa eſſentia Dei abſolutè conſiderata, ſed perſona Filii incarnata eſt. Et quanquam perſona Filii includit totam Dei eſſentiã, tamen propter modum ſubſiſtendi proprium à perſona Patris diſtinguitur.

7. Si una eſſet Eſſentia Patris & Filii, Filius apud ſe ipſum eſſet Mediator. RESPONDEMUS; Filius propriè Mediator eſt inter nos & Patrem, non abſolutè inter nos & divinam eſſentiam. Et pendet Mediatoris officium à liberrima Dei ordinatione. Sed de officio Mediatoris infrà diſſeremus plura, ubi Divinam nos naturam Chriſti in officio Mediatoris cum Eutychianis oppugnare, diluemus.

Num non mera igitur calumnia eſt, quòd Pontificii nos ejuſdem cum Gẽtili ac Tritheitis, Arianis, Antitrinitariisque quibuſvis ſententiæ vel hæreſeos eſſe putant, imò vociferantur? Nã ex iſtis, quæ hactenus in medium contra illos attulimus luce meridiana clarius patet, nos Arianos, Gentilem & Tritheitas omnes execrari, multoque & melius & acrius Pontificiis publicè ac privatim, tam in concionibus quàm ſcriptis confutare. *Valentini Gentilis interitus.*

Conſtat id etiam ex actis Noſtrorũ qui ſublato per meritum ac dignum ſupplicium Michaële Serveto, ſacræ Triadis, atque adeò omnis veræ Deitatis hoſte, ex omnibus ferè antiquis hæreſibus portenſosè conflato (ut ſuprà cap. 22. narravimus) non minùs progeniem ejus viperiam Valentinum Gentilem aggreſſi ſunt, ac digna pœna extinxerunt. Nam hic acuto quidem, ſed ſophiſtico & impio ingenio perverſus aliquanto poſt ſumptum de Serveto ſupplicium, nactus illius librum, itemque Calvini refutationem, facilè animadvertit, neque illius ſpectra & ideas, quibus Samoſateni hæreſin ille coloraverat, neque invectam à Sabellio perſonarum cum Eſſentia confuſionem, Deitatem deniq; Chriſti, qualem impurus Arrius ficticiam eſſe docuit, cum verbo Dei conciliari poſſe. Et quum rurſus, quæ in Scripturis de una Dei eſſentia & tribus inter ſe reipſa diſtinctis hypoſtaſibus vel perſonis traduntur, intelligentiæ noſtræ minimè quadrare videret, fecit quod ejuſmodi ingenia conſueverunt, id eſt, non ſeſe Dei ſapientiæ ſubmiſit, ſed id demum verum eſſe ſibi perſuaſit, quod cum humana ratione cõſentiret. Itaq; Monarchia ad unicã Patris pſonã tranſlata, *Anno 1555. 27. Octob.*

lata,

lata, quem ſolum illum & unicum *αὐτόθεον* eſſe voluit, ESSENTIATIONEM id eſt, Eſſentiæ propagationem, treſq; numero ut perſonas, ſic etiam eſſentias (uti diximus) id eſt, tres numero Deos, tres æternos, omnipotentes, immenſos apertè profiteri cœpit. Eoque non modo ſacrum Dei Verbum, ſed ipſius etiam Synodi Nicenæ (repudiato tamen Athanaſii Symbolo) & vetuſtiorum Scriptorum, videlicet Ignatii, Tertulliani, Irenæi & Lactantii auctoritatem inaudita quadam impudentia detorquere eſt auſus. Alios enim omnes orthodoxos Scriptores Nicenū concilium ſequutos, non tantùm repudiabat, verùm etiam ut impios ſuggillabat. Hanc autem blaſphemiam alia quoque de hypoſtatica unione ſequebatur. Atque hæc ab eo clanculum initio inter paucos quaſi diſputandi cauſa agitata (quorum præcipui fuerunt *Johan. Paulus Alciatus Mediolanenſis* Miles, & *Georgius Blandrata* Salucienſis profeſſione medicus) tandemque Italico presbyterio Genevæ nunciata, cauſſam cogendo extra ordinem cœtui præbuerunt. Ubi coram delectis Senatoribus, omnibuſque Miniſtris ac Preſbyteris, patienter auditis, ac ex verbo Dei per Calvinum refutatis, quæcunque illi proferre voluerunt, ita res eſt compoſita, ut ſcriptæ orthodoxæ fidei omnes Itali ſtatim ſubſcriberent, ſed duntaxat iis, quos paulo ante nominavimus, exceptis, qui tamen & ipſi poſtea ſeorſim vocati manu quidē at corde non idem, ut poſtea apparuit ſubſcripſerunt. Rediens igitur ad ingenium Gentilis, eandemque blaſphemiam rurſus ſpargere deprehenſus, capitur, captus nihil diſſimulat. auditus quandiu & quantum voluit. Tandem veluti victus (nec enim aliud habebat quàm pertinaciam, quod Calvino regereret) reſipiſcentiam incredibilem ſimulat, cujus etiam exemplum propria ipſius manu ſcriptum extat. Quid plura? Abnegatione per compita civitatis facta, dimittitur præſtito juramento ſeſe portas urbis non exceſſurum. Mox tamen violata fide ad *Matthaeum Gribaldum* (de quo, ut pote etiam Serveti diſcipulo cap. 22. diximus) in Sabaudiam fugit. Sequuti ſunt aliquāto poſt Alciatus & Blandrata Tranſylvaniæ & vicinarum regionum vaſtatores futuri. Gentilis autem jam tum imminenti illi Dei judicio apud Gribaldum manens (nam uterque illos alteros & imperitos & indoctos homines contemnebat) ibique libellum adverſus Athanaſium & Calvinum cudens, indeq; Lugdunum tranſiens, ubi excudendum illum (inſcripta *Gajenſi Præfecto* iſtorum ſcelerum prorſus inſcio Præfatione) curavit. Deinde Lugduni neſcio quomodo à Pontificiis captus, quum ſeſe in Calvinum ſcribere dixiſſet, tanquam bene de Eccleſia catholica meritus dimittitur. Inde in Moraviam ad Blandratam & Alciatū alioſque nihilo meliores diſcedit. Ubi quum ſatis inter eos convenire non poſſet, quòd à Tritheiſmo ad Samoſatenum plerique tranſiviſſent, veluti trahente ipſum ad pœnam ipſius Chriſti manu in Sabaudiam ad ſuum Gribaldum redit. Illam peſtem altera jam peſtis ſuſtulerat. Ereptus etiam nobis jam erat pia morte Calvinus, Anno Domini 1564. die 2. Aprilis. Tum Gentilis

Digitized by Google

tilis ſive penitus amens, ſive quod mortuo Calvino neminem ſuper eſſe confideret, à quo revinceretur, recta ad Gajéſem *ipſum Præfectum* ipſi merito infeſtum venit. A quo mox agnitus, & BERNAM HELVETIORUM juſto Dei judicio ex ſuperiori illa fluctuatione ad dicendum cauſſam miſſus, tum perjuriorũ, tum improbitatis maniſeſtè convictus, fruſtra tentatis omnibus, quibus in rectam viam revocaretur, capite mulctatus, dignas tandem tot ſcelerbus pœnas perſolvit. quod Anno 1566. accidit. Et tota hæc hiſtoria partim à Joh. CALVINO ex actis publicis, partem à BENEDICTO ARETIO Bernenſi Theologo paſtore fideliter deſcripta adjectaque blaſphemiarum illius refutatio. Quæ quidem omnia, aliaque eodem congeſta, quæ ad illud argumentum pertinent, edita ſunt Genevæ ANNO DOMINI 67. ſupra ſeſquimilleſimum.

Impudentiórne igitur eſt calumnia an atrocior injuria, quod audientes, legentes & ſcientes hæc Papiſtæ, nihilominus Euangelicis hæreſis Gentilis ac Tritheitarum, quæ Arrianiſmo affinis eſt, affricare audent? Pudeat ipſos tantæ vecordiæ, qua noſtris tribuere id ſine mente & fronte gaudent, quod ipſi potiùs alieniſſimum à veritate, & hæreſeos labe, imò Arianiſmi ſtercore contaminatiſſimum impunè tulerunt & dimiſerunt. Laus verò & gratiarum actio Deo verè uni eſſentia ac trino perſonis, quòd Noſtri tantam peſtem primi & ſoli ſtertentibus altum Adverſariis noſtris coarguerunt & puniverunt. Ac quod ipſo facto Adverſarios, à quib. tam falsò Arianiſmi, Gentiliſmi & Tritheiſmi inſimulantur, in ruborem dant.

II. *An diſcrimen perſonarũ juxta Tertullianum ſtatuendo, Arriana hæreſis cõmittatur.*

Nondum tamen ſatis calumniatũ, Pontificiarum, ſed quia Bullingerus diſcrimen perſonarum divinitatis ſecundùm Tertullianum expoſuit, Papiſtæ illum propterea Arrianiſmi inſimulant, ac ſub latere ejus Eccleſias Euangelicas ejuſdem hęreſeos notant. Bellarminus enim in eadem præfatione ad libros de Chriſto: *Henricum Bullingerum,* inquit, *non puduit ſcribere* (nẽpe in libro de duabus naturis in Chriſto) *tres in divinitate perſonas eſſe, non ſtatu, ſed gradu, non ſubſiſtẽtia, ſed forma, non poteſtate, ſed ſpecie differentes, quod vix Arriani dicere auſi eſſent.* Ac idem objiciens Bullingero Gregorius de Valentia, libro de Unitate & Trinitate, cap. 9. ait. *Quibus verbis Bullingerus ſanctæ Trinitatis myſterium evertit.*

Quid Bullingerus? Is verba ſua è Tertulliani libro adverſus Praxeam decerpta ſuo libro inſeruit. Quamobrem in hoc, quod Cyprianus de Tertulliano, dicere poteſt: Date mihi magiſtrum. Nam quæſtio nunc eſt, PRIMO, utrum Tertullianus Arrianâ aliquâ peſte laboraverit. SECUNDO, an hic liber Tertulliani adverſus Praxeã, illi hæreſi faveat? TERTIO, an hæc ſententia Tertulliani ac Bullingeri nõ orrhodoxum ſenſum admittat?

Controv. de Chriſto. c. 10 § Tertullianus.

In PRIMO ipſe Bellarminus Bullingero eſt advocatus, utpote qui alibi Tertullianum ſuo in libro adverſus Praxeam nihil hæretici atque Arriani dicere affirmat. Nam *Tertullianus,* inquit, *in libro adverſus Praxeam,* Unitas, *inquit, à ſeipſa derivans Trinitatem, non deſtruitur ab illa, ſed adminiſtratur, ubique teneo*

Digitized by Google

neo unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus. Tres unum ſunt, non unus. Ergo Tertullianus in hoc libro nihil minùs quã Arrianus fuit.

Lib. 1. de Chriſto cap. 6. §. ad locum.

In SECUNDO defenditur ipſe Tertullianus & Bullingerus itidem ab Accuſatore ipſo Bellarmino. Hic enim ſcribit: *Objiciunt nobis novi Arriani librũ, qui inſcribitur Tertulliani de Trinitate. Reſpondeo: Hunc librum non eſſe Tertulliani, ſed potiùs Novatiani heretici, ut ſcribit Hieronymus.* Optimè. Non igitur reſpondes Tertullianum in articulo Trinitatis, ſed librum illum non Tertulliani, de Trinitate fuiſſe hæreticum. At quoniam antea & librum Tertulliano aſcripſiſti, & ſententiam ejus de Trinitate orthodoxam recitaſti, ſequitur ex tua confeſſione, nec librum nec auctorem ejus, quiſquis ſit, hæreſin ſapere.

Sed nunc TERTIO loco, locus ipſe penſitandus erit. Is verò nihil dicit aliud, quàm quod Scholaſtici ipſi Pontificii ſolent: nec aliud ſentit, quã quod Catholici omnes debent. AUCTOR enim epiſtolæ ad Lectorem in libros Tertulliani præfixæ, ait: *Sic ſcribit Tertullianus in libro adverſus Praxeam. Tres autem ſunt, non ſtatu, ſed gradu, nec ſubſiſtẽtia, ſed forma, nec poteſtate, ſed ſpecie: Unius ſubſiſtentiæ, unius ſtatus, unius poteſtatis, quia unus Deus.* Et adjicit expoſitionis loco: *Quum ſic ſcribit Tertullianus. Tres ſunt, non ſtatu, ſed gradu, &c. Statum vocat, quod Scholaſtici ſubſtantiam, ille gradum, quod hi notionem ille formam, quod hi proprietates, ille ſpeciem, quod hi habendi modum, & ſigna.* Ergo Bullingeri locus agnoſcit, tres perſonas, non ſtatu & ſubſiſtentia, non poteſtate diſtinctas, ſed tamen notione, proprietatibus, modo differentes, ſicut etiam Scholaſtici agnoſcunt. Et tamen, *quid aliud*, inquitis, *Arriani*? Minimè ſic: ſed tres divinitatis vel trinitatis perſonas nec notione, nec proprietatibus, nec modo diſtinctas blaterant.

Auctor Epiſtolæ operibus Tertulliani præfixæ ἀνώνυμος eſt, fatemur. Sed quantum auguramur, fuit Deſiderius Eraſmus Roterodamus. Sed ſi ut nomine, ita fide careat, aut quia nomen illius non expreſsè opponitur, ſuſpectæ eſſe fidei, ac nullius momenti ipſius explicatio poſſit, conſulendus eſt iterùm ipſe Accuſator Bellarminus, qui eodem modo locum Tertulliani interpretatur. Nam ait: *Quum dixit Tertulianus in libro adverſus Praxeam, Filium diſtingui à Patre, nõ ſtatu, ſed* GRADU, &c. *per* GRADUM *intelligit ordinem Perſonarum.* En malitia quid non faciat! Hanc ſententiam Tertulliani Jeſuita in Bullingero narratore damnat hæreſeos & execratur; in Tertulliano auctore benignè interpretatur. Et quidem Tertullianus, quando dicit, *Tres ſunt gradu, forma, ſpecie,* nihil aliud docere vult, quã eſt *Deus unus eſſentia, ſubſiſtẽtia & poteſtate, ſed Trinus perſonis, vel in hac unitate eſſentiæ & poteſtatis, ſunt tamẽ tres ordine Perſonæ, Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* Nam Tertullianũ per *gradum* ordinem perſonarum diſtinctarum, & per *formam* ac *ſpeciem* nihil aliud, ſed idem intelligere, quod aliis vocabula ἰδιότητες χαρακτηρίζουσαι καὶ γνωστικαὶ, καὶ ἰδιώματα ἀφοριστικὰ καὶ προσωπικὰ ſignificant atque exprimunt, ex verbis ejus antecedentibus liquet, quibus dicit: *Unus eſt Deus, à quo hi gradus, formæ & ſpecies, &c. ſub nomi-*

Lib. 1. de Chriſto cap. 10. §. Secundò objiciunt.

nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti di manant.

Ac Bullingerus Eccleſiarum noſtrarum doctrinam & ſententiam de hoc myſterio ita explicat, ut Tertulliani quidem verba ac mentem approbet, ſicut à nemine piorum ac fidelium Chriſti cultorum unquam reprehenſa ſunt, ſed aliorum quoque Doctorum Eccleſiaſticorum phraſes, ac dicendi rationem circa Trinitatis myſterium retineat. Dicit enim: *Quare & nos confitemur, unum tantùm eſſe Deum. Hoc nomen autem Dei continet in ſe* TRES PERSONAS, *proprietatibus quidem hypoſtaticis diſtinctas, at eſſentia æquales.* Et paulò poſt: *Unum & idem eſt, ſive perſonas voces hypoſtaſes, ſive ſpecies, aut formas, modò credas & intelligas, unitatem divinitatis ac divina eſſentia conſtare Trinitate, & has tres perſonas habere ſuas proprietates.* Similiter noſtræ confeſſiones fidei ac doctrinæ Chriſtianæ docent. Verum enim Deum eſſentia unum, & quidē numerica unitate: perſonis autem trinum eſſe fatemur, agnoſcimus, tuemur, profitemur, & toto pectore liberaque oris confeſſione conſtanter, defendimus, docemus ac credimus.

Regeſtio criminis in Adverſarios.

Verùm quia Bellarminus in noſtrorum ſcriptis ad amuſſim examinandis tam oculatus & diligens eſt, aliquid ei beneficii loco rependamus. Et quod ipſe ſentit, cum ſuorum ſcriptis Magiſtrorum conferamus, & ibidem examinemus, ut in poſterum recordetur & obſervet ex Homeri præcepto, *Aedibus in propriis quæ prava & recta gerantur.* Ergo quod capite 3. lib. 1. de Chriſto col. 2. 13 L. B. ſcribit & probat, nempe *Quod patres ſæpe vocant Deum ſingularem,* conferat cū ſummo ſuæ Scholæ Magiſtro, nempe, Petro Lombardo lib. 1. ſent. Diſt. 23. cap. 1. col. 9. *Ecce,* ait Lombardus. *ex prædictis oſtenditur, quia nec ſingularis, nec diverſus, nec unicus, vel ſolitarius confitendus eſt Deus.* Quod eadem col. 2. cap. idem Bellarminus ait, *non ſemel negant Deum eſſe unum ſpecie,* & quidem veriſſimè & ſanctiſſimè Patres, conferat iſte tamen cum Gilberti Genebrardi ſuæ ſcholæ principis ac Coriphæi ſententia, qui in reſponſione ſua ad Jacobum Scheckium, pag. 1. fol. 146. apertè profitetur. *Dei eſſentiam, & divinas hypoſtaſes non differre à ſpecie infima, & individuis ſub ea contentis.* Sic ſeipſos iſti evertunt. Ac ſimilia multa Adverſariis rependere poſſemus, niſi ſatis eſſet in noſtris arguendis ipſummet antilogiæ, malitiæ ac falſitatis argui & convinci.

3. Utrum Euangelici Filium Dei conſubſtantialem Patri eſſe negent.

Tertium Arrianiſmi caput, cujus Papiſtæ Euangelicos reos agunt, eſt quod Filium Patri conſubſtantialem eſſe negent. Tribus autem præcipuè modis hoc evincere conantur. I. GILBERTUS GENEBRARDUS lib. 1. de Trinitate Calvino, ut hæreſin, attribuit, quod affirmarit *Filium Dei αὐτόθεον,* id eſt, *à ſeipſo Deum,* non à Patre.

CAMPIANUS ratione 8. §. *Mox ad,* dicit: *Calvinus docet, Filium Dei eſſe αὐτόθεον, Deum à ſeipſo. Et Beza: Eſt Deus,* inquit, *ex ſeſe nec genitus eſt ex Patris eſſentia. Hoc portentum eſt nobis expugnandum.*

Lib. 3 de notis verbi Dei, c. 74.

Ant. Poſſevinus: *Nova hæc* AUTOTHEANORUM *hæreſis eſt, & Calvini Atheiſmus,* inquit.

Stapletonus Prompt. Fer. 3. poſt Domin. paſſionis: *Quam nefariam hæreſin,* inquit, *Feuardentius doctè refutavit. Hanc hæreſin Genebrardus, Lindanus & Caniſius*

Digitized by Google

niſus noſter tribuunt Calvino & Bezæ. &c. Ac Bellarminus referens idem lib. 2. de Chriſto cap. 19. ait: Genebrardum ejus opinionis *Stancarum* præfat. in lib. de Trinit. facere auctorem. At in invidiam Calvini addit: *Quamvis in operibus, quæ de Trinitate & Mediatore ſcripſit, nihil tale habeat Stancarus.* Itaque primò Calvinum quoad ſenſum, non erraſſe affirmat Bellarminus. Ejuſdemque ſententiæ rectè eſſe *Bezam* in axiomatibus de Trinitate axiom. 14. & *Joſiam Simlerum* in epiſtola ad Polonos, dicentem; *Non negamus Filium habere eſſentiam à Deo Patre, ſed eſſentiam genitam negamus,* aſſerit. Atque ita Calvini ſententiam & veram eſſe, & à Catholicis nequaquam diſcrepantem, Col. 311. L. C. 312. L. A. D. fatetur.

Inſtit. 3. 5. 13. 5. 23.

Verba ipſamet Bellarmini ſunt: *Aſſerunt quidem Calvinus & Beza, durè dictum eſſe in Symbolo, Deum de Deo. Sed quanquam hoc ita ſe habeat: tamen dum rem ipſam excutio,* NON *facilè audeo pronunciare* ILLOS IN ERRORE *fuiſſe. Siquidem docent, Filium eſſe ex ſe reſpectu eſſentiæ, non reſpectu perſonæ, & videntur velle dicere,* ESSENTIAM *non eſſe genitam. Et ex hoc Calvini ſectator Simlerus, defendit αὐτοθεΐαν, & ſic explicat Calvini ſententiam: Non negamus,* inquit, *Filium habere* ESSENTIAM *à Patre, ſed* ESSENTIAM GENITAM *negamus. Quæ ſententia non video, cur* CATHOLICA *dicenda non ſit.* Vide Calvinum orthodoxum, p. 73.

§ Sed quãquam.

Quid igitur commiſit Calvinus tãdem tanta Adverſariorum ſuorum vociferatione dignum? Ibidem Bellarminus: *Calvini dicendi modus,* inquit, *qui dicit, Filium habere in ſe eſſentiam: repudiandus eſt.* Sic Jeſuita priùs Calvini ſententiam ut orthodoxam & Catholicam probavit.

Deinde autem, pauculis lineis interpoſitis eandem tanquam hæreticam, & cum Arrianis conſentientem colum. 313. L. A. oppugnat. ***Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?*** In toto igitur iſto cap. 19. & 20. controv. 2. de Chriſto Bellarminus & levitatem & maledicentiam ſuam oſtendit. ***Levitatem,*** quod in Calvino eandem ſententiam, ut orthodoxam laudat, & ut hæreticam vituperat. ***Maledicentiam,*** quod ut & ſe Dominum ſuum Papã ac Cœnobitas ſuos Romæ oblectaret, contra propriam conſcientiam viro piæ memoriæ Johanni illi Calvino maledicit.

1. Deum à ſeipſo eſſe Chriſtum.

Cæterùm & ſententia Calvini pia atque orthodoxa eſt, & modus loquẽdi pius & orthodoxus. Hoc probant tum noſtri omnes in noſtris confeſſionibus, & ſuis ſcriptis, ut Harm. conf. ſect. 2. & 6. Confeſſ. Zanch. cap. 2. 11. & 12. & in tract. de incar. Filii Dei. Item Calv. lib. 2. inſtit. cap. 12. & ſeqq. Beza in axiomat. de Trinit. Confeſſ. cap. 3. & 7. Item in quæſt. & reſp. part. 1. Bulling. in Decad. Melanchthon, Martyr, Muſculus in locis communibus, tit. de Deo, deque perſona & officio Chriſti: Aret. in prob. 1. & d. uſque ad 11. Urſinus in explicatione Catechet. & in tract. Theol. Sadeel de veritate naturę humanæ in Chriſto. Sohn. Tom. 2. ad tit. ſupra dictum, & paſſim alii. ***tum*** inprimis ex profeſſo Lambertus Danæus in reſponſione ſua contra Gilbertum Genebrardum luculenter comprobat, ad quam lectorem brevitatis cauſſa remittimus. Vide item Thomæ Mortoni

Digitized by Google

ni Apologiam partis 1. pagina 154.

Contradictio & logomachia Papiſtarum circa vocẽ αὐτόθεος. Nunc paucis hæc ad comprobandam noſtram ſententiam aſſerimus. PRIMO in Theſi Pontificia, quam Bellarminus lib.1.toto & lib.2.cap.19. de Chriſto ſic tradit. *Chriſtus, licet juxta naturam divinam Deo Patri ſit ὁμοούσιος, ſive eandem numero eſſentiam cum Patre habeat ab æterno, non rectè tamen αὐτόθεος appellari poteſt ratione eſſentiæ*: aut aperta *Contradictio* latet, aut ſaltem inanis *logomachia*. Reprehenduntur enim Calvinus & alii, qui Chriſtum, reſpectu abſolutæ Deitatis, ſeu Divinæ Naturæ αὐτόθεον, hoc eſt, Deum à ſeipſo exiſtẽtem, appellare ſolent: puta quatenus eandem cum Deo Patre eſſentiam (quę certè à ſeipſa exiſtit, ſive omnis originis expers eſt) & neceſſario, & ab æterno habere creditur, pro ut ipſi Pontificii eam ſe habere contendunt, & nominatim Bellarminus toto lib.1. de Chriſto ac lib.2.cap.19. copioſè aſſerit. *1 Contradictio.* Hæc, inquam, aſſertio Pontificiorum contra Calvinum & noſtros, ſi penitius inſpiciatur, ſeipſam prorſus evertit. Implicita enim *contradictio* eſt, eum non eſſe αὐτόθεον, hoc eſt, Deum à & ex ſeipſo, qui Deitatem æternam, ſeu divinam naturam, à ſeipſa exiſtentem, eámque non aliqua ex parte, ſed totam & quidem neceſſario ac naturaliter, ab omni æternitate poſſidet. 1. *Aut* enim æterna illa & incommunicabilis ſolius Dei eſſentia JESU CHRISTO denegãda eſt, quippe quam prorſus independentem, omniúque principii expertem eſſe, hoc eſt, à ſeipſa tantùm exiſtere, conſtat: 2. *aut*, ſi hæc illi tribui debet, omnino fatendum eſt, JESUM CHRISTUM reſpectu hujus eſſentiæ abſolutè conſideratæ, non immeritò αὐτόθεον, ſeu Deum à ſeipſo appellari poſſe. Quare *Bellarminus* ipſe tandem fatetur, reſpectu eſſentiæ divinæ, *abſolutè & per ſe conſiderata*, Chriſtum ſic aliquatenus appellari poſſe. Quum certiſſimum ſit, non niſi unum numero Deum eſſe, eumque ſimpliciter eſſe æternum, & à ſe ipſo, hoc eſt, nequaquã ab alio exiſtere. Interea tamen locutionem ipſam, veluti novam & prorſus incommodam, rejicit. *2. Logomachia.* Cur? Chriſtum omnino, propriè loquendo, hoc eſt, abſque omni tropo, juxta Symbolum Nicenum, *Deum de Deo & lumen de lumine*, &c. vocandum eſſe cenſet. Quæ jam inanis *logomachia* eſt, ex cõfuſione *perſonæ* & *eſſentiæ* enata. Nam & noſtri agnoſcunt, JESUM CHRISTUM, qua Dei Filius eſt, ſeu conſideratum relativè, hoc eſt, ratione perſonæ ac Patris, eſſe *Deum de Deo*, &c. Ad reſpectu vel ratione abſolutæ eſſentiæ, eundem αὐτόθεον, hoc eſt, ex ſeipſo *& à ſeipſo Deũ* eſſe affirmant, uti ſuprà accuſationis capite 1. oſtendimus. *Aut* enim plures æternos Deos eſſe oportet, id quod omnino abſurdum & falſum eſt; *aut* ſi unus tantum eſt, iſque reſpectu eſſentiæ, à ſeipſo exiſtit; & propterea JESUS CHRISTUS ille ipſe unicus æternúſque Deus eſt cum Patre & Spiritu ſancto: Omnino conſequitur, illum ratione eſſentiæ, abſolutè conſideratæ, non malè αὐτόθεον appellari & credi.

DEINDE Baſilius contra Eunomium ubique vocat Chriſtum (quâ Filius eſt Dei æternus, & Deus unáque cum Patre ac Spiritu ſancto eſſentia) vocat, inquam, αὐτοζωὴν, αὐτοαγαθὸν, αὐτο-σοφίαν.

Digitized by Google

ποιύσατων. Quid hæ voces; & hic modus loquendi à voce αὐτοθέου, quâ piè Calvinus uſus eſt, differt? Certè nihil. Quin Epiphanius, quem hic quoque citat Bellarminus, Filium vocat αὐτόθεον, & αὐτοτέλειον, verè perfectũ, hæreſi 69. Et ex Jeſuitis Franciſcus RIBERA comment. in Heb. 1. ait. *Eſſentia non gignit eſſentiam, ſed Pater generat Filium, ideò Filius eſt character Patris*, NON AUTEM ESSENTIA EJUS.

Ergo cur hanc vocem αὐτόθεον quaſi ab ore Patrum alienam, damnat Bellarminus, & velut exoticam atque incommodam, imò Arrianam & hæreticã rejicit? Nam quæ quatuor argumẽta profert, hic Bellarminus colum. 312. & Col. 313. contra NON SENTENTIAM Calvini, quam piam agnoſcit, ſed duntaxat CONTRA MOREM LOQUENDI, refutantur ex eo, quod iſte transfert ad rationem relationemque Perſonæ ea, quæ Calvinus ſcribit de Filio diſertè ratione divinæ eſſentiæ. Quod autem ad hanc Phraſin, *Deum de Deo*, &c. verè ſenſit ac ſcripſit Calvinus, impropriam eſſe, ac barbariem redolere, quemadmodum ſi dixero, *Mea humanitas ſalutat tuam humanitatem*, pro eo *ſaluto te*. Eſſentia enim pro perſona ponitur, quod loquendi genus & Græcis & latinis hominibus inuſitatum eſt. Nequitiam igitur cum inſcitia indigna maximam præterea deſignat Bellarminus, quod col. 313. miris modis ſophiſticatur & Calvini mortui oſſa arrodit. Et ipſemet non minus Auguſtinũ, qui ſic loquitur, *Eſſentia de eſſentia* hoc cap. 19 lib. 2. de Chriſto col. 314. L. A. carpit. Sibi igitur conſtet, & ſecum primùm conſentiat.

Refutatur autem à Gregorio quoque de Valentia, qui ait: *Filius ut eſt Perſona, eſt* EX ALIO: *ut ſimpliciſſimum* ENS, NON EST EX ALIO.

Lib. 1. de Trinitate, cap. 22. & lib. 2. c. 17.

An itaque loquendi modus parum uſitatus, quum de ſenſu vero conſtet, concitare Adverſarios in tantam rabiem debuit, ut mentiendi furendiq; in orthodoxum Doctorem Calvinum nec modum, nec modeſtiam tenerent ullam? *Regula juris eſt, ne fiat vis in verbis.* Quanquam vel modus, præſertim loquendi, in refutatione hæreſis Gentilis videtur, quodãmodo neceſſarius fuiſſe. Is enim negabat, Filium eſſe Deum, qui erat genitus à Patre. Calvinus Filium αὐτούσιον, à ſe genitum, imò αὐτόθεον eſſe defendit: ſed (ipſo Bellarmino & Ribera ac Valentiano rectè candideque fatente & exponente) intelligit, *quoad* ESSENTIAM, *non quoad perſonam*. At pluribus Adverſarii deinceps confutabuntur, ſi ad illud accuſationis caput, quod noſtri vocem ὁμοουσίου nolint, perventum fuerit.

Joh. Pineda in Job. 1.

SECUNDO, In præfatione controv. de Chriſto §. *Sed jam*, clamat Bellarm. Calvinus dicit, *Patrem per excellentiam eſſe Deum. Hoc Arianiſmum ſapit.* Ac Gregorius de Valentia lib. 1. de Unitate & Trinitate, cap. 9. *Jure*, inquit, *Calvinum ponimus in eorum hæreticorum numero, qui Filii divinitatem inficiati ſunt. Etenim ſenſit Calvinus nomen Dei καθ' ὑπεροχὴν*, id eſt, *per excellentiam ſoli Patri tribui.*

Et Ignatius Armandus Jeſuita epiſt. 2. ad Danielem Chamierum parte 2. pagina 25. ſcribit: Scitè admodum Bozius lib. 3. de notis, cap. 5. *Interrogo te*, inquit, *Calvine, quomodo aſſeres Filium*

2. Patrem per excellẽtiam eſſe Deum.

Patri æqualem? Non reſpectu NATURÆ *divinæ: Nam ſubjicis illam Patri, non perſonæ, quando illa impropriè creat, Patris autem propriè: non* VOLUNTATIS *paternæ, ais enim genitum, quia Pater voluit: poterat itaque nolle, atque ita Filius genitus non eſſet: neque igitur hoc reſpectu æqualis: non generationis; improprium nãque & durum dicis eſſe, Deus de Deo: & quid æqualius Deo quàm Deus? denique non nominis. Quid igitur æqualitatis Filio relinquis, à quo aufers æqualitatem reſpectu naturæ, perſonæ voluntatis paternæ, generationis, & ad extremum, quod leviſſimum videri poſſit, nominis?* Ac ad hæc Antonius Poſſevinus Jeſuita de notis divini verbi lib. 3. pag. 78. *Eſt hic*, inquit, *Calvini Atheiſmus.*

Pater major Filio ut ſit. Joh. 14. 28.

Sed quid tam rabioſè? Habetis reũ confitentem, ac dicentem? *Ingenuè fatemur, καθ' ὑπεροχὴν*, id eſt, *per excellentiam Dei nomen propriè Patri aſcribi.* Hócque intelligi verè poſſe, non reſpectu naturæ, ſed reſpectu perſonæ, idque non re, ſed relatione gignentis ad genitum, quis in Theologia tam tyro eſt, qui neſciat?

Defenditur Calvinus à Papiſtis ipſis.

Verùm ecquis Catholicus, uti ſe vocare lætantur, Pontificiorum jam auſit Calvini ſententiam aut probare, aut approbare? Non nemo. PRIMO Franciſcus TOLLETUS comment. in Joh. 14. 28. ad verba: *Pater major me eſt, quidam*, inquit, *ratione divinitatis hæc dicta eſſe cenſent, ut nomen* MAJORIS *non ſubſtantiæ inæqualitatem, ſed* ORIGINIS *dicant, quia ab ipſo Filius, non à Filio Pater.* HANC EXPOSITIONEM ILLUSTRES DOCTORES SEQUUNTUR. *Inter quos Athanaſius oratione 2. contra Arianos: Baſilius lib. 4. contra Eunomium: Gregor. Nazianzenus oratione 4. contra Arianos, Hilarius lib. 9. de Trinitate, Origenes, homil. 2 in Deut.*

Comment. in Joh. 14. 28.

JOH. MALDONATUS: *Pater eſt*, inquit, MAJOR FILIO *etiam quatenus Filius Deus erat, non quidem reipſa, ſed* HOC IPSO, *quod ille* PATER, *hic Filius. Patris enim nomen eſt* HONORIFICENTIUS *nomine Filii, quia principium ejus eſt: ut exponunt Athanaſius, Hilarius, Epiphanius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Leontius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius.*

SECUNDO, excellentia hæc etiam in officio Filii cerni poſſit, non neceſſario illo quidem, ſed voluntario. Nam MALDONATUS, ad locum Joh 6. 38. *Deſcendi è cœlo, ut faciam* NON *voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me*, ait: *Fecit quidem Chriſtus non ſuam, ſed Patris voluntatem, ſed idipſum* SPONTE, *& voluntate ſua fecit, nõ coactus. Itaque non ſequitur, eum eſſe* MINOREM *Patre.* Philip. 2. 6. 7. *Qui quum in forma Dei, &c. ſeipſum exinanivit, &c.* Non quod æqualitatem amiſit, ſed quod ſe ad munus redemptoris ſubmiſit.

Tandem ſenſum orthodoxum auctor præfationis ad opera Tertulliani, ERASMUS disertè affert, dicens: *Intelligit non* MINOREM *quoad naturam. Videlicet, quum dicitur à Tertulliano, Filius eſt minor Patre, non intelligi debet minor quoad Deitatem ſed quatenus à generante genitus, à mittente miſſus, à dante accipiens dicitur. Id quod Scholaſtici vocant in Patre authoritatem, in Filio* SUBAUTORITATEM.

Epiſt. Jeſuiticarum part. 2. epiſt. 1. Chamieri.

Ignatio autem Armando reſpondet DANIEL CHAMIERUS eruditiſſimus doctiſſimè, & *Jam*, inquit, *Filii natura tam divina quàm humana Patri ſubjicitur*, ais, *Hoc Calvinus? & citas c. 14. lib. 2. Inſtit. Nempe ut ſtatim argui poſſis. Eo enim*

enim toto capite nihil eſt prorſus, quod redoleat hanc blaſphemiam. Filius reſpectu perſonæ, non eſt niſi impropriè Creator cœli & terræ, Pater propriè: & notas locum ubi id aſſerverit Calvinus adverſus Gentilem in Reſut. 10. Proth. ubi tamen ne tenue quidem verbum invenias, quod huc pertineat. Ibidem, Deus Pater habuit vim generandi Filium, ac propagandi Spiritum ſanctum, quia voluit. Atqui ea verba ſunt Gentilis, non Calvini, in quibus tamen quid ſit impium, non facilè video. An vis enim invito Patre Filium genitum, Spiritum propagatum? Nam quòd tuus Bozius concludit, potuiſſe ergo Patrem nolle, non eſt niſi ex mera cæcitate. An enim tu quæcunque Deus vult, ea etiam poſſe nolle aſſerimus? Nempe ut dicamus, poſſe jam eum cedere ſua juſtitia, ut incipiat velle eſſe injuſtus. Impropriam ac duram eſſe locutionem illam, [a] *Deus de Deo, opinor alicubi dixiſſe Calvinum, etſi nunc locus non occurrat. Sed in eo quam in impietatem indicas? Nam quòd tuus Bozius inde arguit, non facere igitur Filium æqualem Patri, reſpectu generationis, quis facilè intelligat. aut quis unquam ita locutus eſt, reſpectu generationis eſſe æqualem Patri Filium. Imo hoc etiam durius eſt eâ ipſa Phraſi, quam Calvinus reprehendere videtur. Porro Deus eſſentiam ſignificat, non Perſonam. Quis neſcit autem in Trinitate, non eſſentiam de eſſentia, ſed Perſonam de perſona eſſe genitam? Nomen Dei* καθ' ὑπεροχὴν *Patri attribuitur. Quam tu enim aliam cauſſam poſſis reddere, quamobrem Scriptura ſic loquatur?* GRATIA SIT VOBIS à DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO JESU CHRISTO. ET, IN PRIMIS GRATIAS AGO DEO MEO, PER JESUM CHRISTUM. *Ineptè autem tuus Bozius inæqualitatem inde concludit. Nã hac* ὑπεροχὴ *ordinis eſt potius, quo Pater ſolet præferri Filio.* Hæc Chamierus.

a Epiſt. ad Polonos & libro contra Gentilem.

1. Cor. 1. 3. 4.

Alienum quoque non eſt à ſtudio in veſtigandi verum ſenſum illius dicti Joh. 14. 28. ſi explicationem ROD. GUALTHERI ſuperioribus conjungamus. Nam poſtquam is dixit, Chriſtũ eo loco diſcipulos ſuos in triſtitia propter diſceſſum ſuum conſolari, & præcipua conſolationis antea allatæ argumenta repetere, ſubjungit: *Altero argumento docet, quo nam abire velit, ut oſtendat ipſos ex illius abitu gaudium potiùs quàm dolorem debere concipere. Ait enim: Si diligeretis me, gauderetis utique quod dixerim, Abeo ad Patrem: quia Pater* MAJOR ME EST. *Quibus verbis hoc dicere videtur: Qui verè aliquos diligunt, ii illorum commoda propriis ante ponunt, & quamvis aliquid moleſtiæ ex illorum abſentia oriatur, hanc tamen longè ſuperat gaudium, quod ex illorum gloria & incolumitate capiunt. Atqui ego non in locum aliquam abibo, ubi quid adverſi patiar, ſed ex mundo hoc infelici tranſibo ad Patrem, ut ſemel exutus omni moleſtia æternum cum illo gaudeam, qui major me eſt, id eſt, qui in æterna & cœleſti gloria conſtitutus nullis hujus ſeculi miſeriis exercetur, quas ego nunc in mortali carne ſuſtineo. Si ergo me verè diligitis, & (quòd veræ dilectionis proprium eſt) mihi ex animo conſultum vultis, non dolere vos decet meo diſceſſu, ſed potius gaudere, quum & ego malis omnibus liberer, & vobis quoque ad cœleſtia viam aperturus ſim. Hic verborum Chriſti ſenſus eſt ſimpliciſſimus, & cum ſtatu hujus ſermonis probè convenit. Ex quo apparet,* ARIANOS *olim hoc loco turpiter abuſos fuiſſe adverſus veram & æternam Chriſti Deitatem, quaſi quoad hanc Patrem ſe majorem dixerit. Atqui nihil hîc de ſua Deitate diſputat, ſed diſcipulos, ob ſuum abitum dolentes conſolatur, ſe ad Patrem abire ait, & in mediatoris perſona loquens hunc*

Homil. in Joh. 136. fol. 305.

Digitized by Google

ſunt, quia extrinſecum quoque eſt Perſonarum divinitatis diſcrimen, quod à creationis omnium rerum, præſertim verò Redemtionis operibus, ac beneficiis præcipuis ſingularum perſonarum erga Eccleſiam, quibus ſe patefecerunt, ſumitur.

Extat illud in Symbolo Apoſtolorum, & clarè ex ſacra Scriptura habetur. Nam *ſunt opera divinitatis ad Extra*, quæ reſpectu creaturarum à tota divinitate fluunt & fiunt, ſeu quæ tres perſonæ ſimul in operibus creationis & redemptionis operantur. Et dicuntur *indiviſa*, quia tribus perſonis communia ſunt. Unde regula: *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.* Ut Gen.1.26. *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram.* Et Joh.5.17.18.19. *Quæ pater facit, hæc ſimiliter & Filius facit*: ſed ſervata perſonarum proprietate, agendi ordine, & diſcrimine. Sic incarnatio activè ſumpta eſt opus totius Trinitatis, ratione βουλήσεως καὶ ἀποτελέσματος, hoc eſt, ſi conſilium atque effectum conſideres, etſi ſolus Filius eſt incarnatus. 1.Cor.1.15. Rom.11.36. Gal.4.4. Epheſ.4.10. Heb.2.10.

Hoc modo *Pater* à reliquis perſonis divinitatis diſcernitur & diſtinguitur, quod dicitur *Creator*. Ergóne pater abſque Filio & Spiritu ſancto res condidit? Nequaquam. De Filio enim ſcribitur, *quod per ipſum omnia ſint facta.* De Spiritu ſancto, *quod Spiritu oris ejus omnis exercitus cœlorum firmatus ſit.* Item: *Spiritus Domini incubabat aquis.* Et ſic opus creationis toti Trinitati commune eſt. Sed ut conſideretur diſcrimen perſonæ Patris, quo à perſona Filii & Spiritus ſancti intra ipſam ſimpliciſſimam unitatem divinitatis diſcernitur: quod videlicet pater fons & origo totius Trinitatis, à quo omnia ſunt creata, & ab ipſo eſt, & habent hoc ipſum reliquæ perſonæ, Filius & Spiritus ſanctus, quod ſunt Creator & Omnipotens, ideò pater CREATOR dicitur.

Joh.1.3.
Pſal.33.6.
Gen.1.2.

Eodem modo *Filius* diſcernitur à reliquis perſonis, quod *Redemptor & Mediator* eſt ac dicitur, vel propter *incarnationem & redemptionem.* Non quod ſine Patre & Spiritu ſancto nos redemerit, (*Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum daret.*) ſed quia ſola hæc perſona Filii naturam humanam aſſumpſit, in ea paſſus eſt, ac precium redemptionis noſtræ perſolvit. Interim incarnatio & redemptio eſt totius Trinitatis opus.

Joh.3.16.

Hocque modo *Spiritus S.* diſtinguitur à reliquis perſonis, quod eſt *ſanctificator*, vel ob *ſanctificationem.* Non quod abſque Patre & Filio id operetur: Sed qui viſibili ſpecie linguarum & variorū donorum miſſus eſt Apoſtolis, & datur etiam omnibus ſalvandis, & per verbum ac Sacramenta efficax eſt. Accendit in eis novam lucem veræ Dei agnitionis, ut oblatum verbum accipiant, & aſſentiantur, regenerat & ſanctificat, regitque nos, ut piè & ſanctè vivamus in hoc ſeculo. Alias & de Filio dicitur, quod ſit noſtra *ſanctificatio*, 1.Cor.1.30. Sed ut diſcernatur & diſtinguatur Spiritus ſanctus à Patre & Filio, peculiariter illi tribuitur, quod ſanctificet omnia & vegetet, ſuſtineat, regat, gubernet. 1.Cor.6.11. 2.Cor.3.16. Gen.1.2. Luc.11.20. Job.33.4. 2.Pet.1.9. Hinc (ut ad rem pleniùs inculca-

1.Cor.14.
Tit.3.5.
Joh.3.5.
Math.3.11.
1.Cor.6.11.
2.Cor.3.16.
Gal.4.6.
Joh.14.26.
Rom.8.15.
Epheſ.1.13.
2.Cor.1.22.

Digitized by Google

culcandam ſuperiora paucis repetam) opera Trinitatis ad extra, ab Auguſtino *indiviſa* dicuntur, id eſt, quæ extra divinitatem in creaturis ab uno Deo, ſeu eſſentiâ unâ divinâ, vel divinitate una fiũt, nulliq; creaturæ peculiariter aſcribēda ſunt, ſed toti divinitati, quæ eſt Trinitas, ſunt cōmunia. Ut n. Deus Pater omniũ noſtrũ, ideoq; omniũ naturarũ & rerum conditarũ Deus, Pater conditor & creator eſt: ſic & Deus Filius λόγος, idem eſt omnium DEUS, & creator ac conditor. Iſa. 9. 6 Jerem. 23. 6 Math. 16. 16. Joh. 1. 1. 2. 3. Joh. 20. 28. Act. 20. 28. Rom. 9. 5. 1. Tim. 3. 16. 1. Joh. 5. 20. Joh. 5. 17. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. 3. 1. Cor. 1. 30. 1. Theſſ. 1. 10. Joh. 14. 14. &c. Et Spiritus ſanctus idem Deus eſt, auctor & creator omnium. Act. 5. 3. 1. Cor. 3. 16. 17. c. 6. 19 20. 2. Cor. 6 16. Heb. 9. 14. Pſal. 139. 7. Sap. 1. 7. 1 Cor. 2. 10. Job. 16. 13. Job. 33. 4. Pſal. 33. 6. Rō 8. 9 1. Cor. 3. 16. Joh. 3. 6. 8. 1. Cor. 6. 11. Act. 13. 33. 2. Cor. 13. 13. Apoc. 1. 4.

Nec tamen eſt, niſi unus Deus, & creator noſtrũ n omnium ac rerũ ſingularum. Nam eſſentia non eſt alia, aut diſtincta. Quare quamcunque trium perſonarum nomines, aut cogites, ſimul verum unicum Deum, ſeu totam divinitatem & nominatione & cogitatione complexus es. Nam unaquælibet perſonarum divinarum eſt idem ille unicus, æternus, & per omnia verus Deus, & non alius: licet alia ſit perſona, ſed non Deus alius, multò verò minùs aliud, id eſt, alia eſſentia, quæ una & eadem omnium & ſingularum eſt perſonarum. Omninò enim eſſentia divina una eſt, non genere, aut ſpecie, aut alia aliqua compoſitionis veritate, ſed numero & individuo. Unus enim eſt Jehova, ἀδιαίρετος καὶ ἀχώριστος, indiviſibilis & inſeparabilis.

Quid contra Tritheitas clarius & melius afferri poteſt? Sed Anteſignanus eorũ *Valentinus Gentilis* in Protheſibus ſuis ſeptem objectiones potiſſimum opponit.

Objectiones Valentini Gentilis contra eſſentiam divinam.

1. Si plures, inquit, ſunt Jehovæ, erunt & plures eſſentiæ. Prius verum Gen. 19. 24. *Pluit Jehova ignem è cœlo à Jehova*, hoc eſt, Filius à Patre. Ergo Filius à Patre eſſentia diſtinctus eſt. RESPONDEMUS: Phraſis eſt Hebraica, qua ſignificatur, Deum miraculoſo modo à ſeipſo ignem cœlitus pluiſſe. Deinde nomen Jehova aliquando ὑποστατικῶς accipitur. Itaque diſtinctio eſt in perſonis, non in eſſentia.

2. Alia eſt vita Filii, alia patris. Joh. 5. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic etiam dedit Filio habere vitam in ſeipſo.* Ergo eſt & alia eſſentia. RESPONDEMUS: Locus ille de communicata poteſtate Chriſto, ratione officii Mediatoris intelligitur. Deinde, tametſi Filii vita eſt à Patre, reſpectu originis perſonæ: eſt tamen à ſeipſa, ſi abſolutè ſpectetur, ut & ſuprà monuimus, ac proinde eadem cum Patris vita.

3. Quorum ſunt diſtinctæ operationes, eorum ſunt diſtinctæ eſſentiæ. At Patris, Filii & Spiritus ſancti operationes vel actiones ſunt diſtinctæ. Ergo eorũ etiam ſunt diſtinctæ eſſentiæ. RESPOND. *Major* vera eſt de naturalibus & externis operationibus atque actionibus: ſed hoc modo falſa eſt *Minor*. Alioqui ſi Major agit de perſonalibus & internis actionibus, vel operationibus, falſa eſt, quia illæ non tollunt unitatem

tatem eſſentiæ: quum eadem numero eſſentia tota ſit in qualibet perſona.

4. Non eſt una Perſonarum potentia, quia Pater poteſt gignere, Filius nō poteſt. Ergo nec eſt una eſſentia, RESPONDEMUS: Una eſt potentia naturalis, non autem perſonalis: ſicut una eſt NATURA, non autem Perſona.

5. Eſſentia Patris communicatur Filio per generationem. Ergo alia eſt in Patre, alia in Filio, quū alia ſit eſſentia gignens, alia genita. RESPONDEMUS, Diſtinguendum eſt inter Generationē & communicationem. Nam perſona gignit & gignitur. Eſſentia verò nec gignit, nec gignitur, ſed communicatur.

6. Si una eſſet Patris & Filii eſſentia, ſequeretur & Patrem eſſe incarnatum. Sed hoc abſurdum. Ergo & illud. RESPONDEMUS. Non ipſa eſſentia Dei abſolutè conſiderata, ſed perſona Filii incarnata eſt. Et quanquam perſona Filii includit totam Dei eſſentiā, tamen propter modum ſubſiſtendi proprium à perſona Patris diſtinguitur.

7. Si una eſſet Eſſentia Patris & Filii, Filius apud ſe ipſum eſſet Mediator. RESPONDEMUS; Filius propriè Mediator eſt inter nos & Patrem, non abſolutè inter nos & divinam eſſentiam. Et pendet Mediatoris officium à liberrima Dei ordinatione. Sed de officio Mediatoris infrà diſſeremus plura, ubi Divinam nos naturam Chriſti in officio Mediatoris cum Eutychianis oppugnare, diluemus.

Num non mera igitur calumnia eſt, quòd Pontificii nos ejuſdem cum Gentili ac Tritheitis, Arianis, Antitrinitariiſque quibuſvis ſententiæ vel hæreſeos eſſe putant, imò vociferantur? Nā ex iſtis, quæ hactenus in medium contra illos attulimus luce meridiana clarius patet, nos Arianos, Gentilem & Tritheitas omnes execrari, multoque & melius & acrius Pontificiis publicè ac privatim, tam in concionibus quàm ſcriptis confutare. *Valentini Gentilis exitus.*

Conſtat id etiam ex actis Noſtrorū qui ſublato per meritum ac dignum ſupplicium Michaële Serveto, ſacræ Triadis, atque adeò omnis veræ Deitatis hoſte, ex omnibus ferè antiquis hæreſibus portenſoſè conflato (ut ſuprà cap. 22. narravimus) non minùs progeniem ejus viperiam Valentinum Gentilem aggreſſi ſunt, ac digna pœna extinxerunt. Nam hic acuto quidem, ſed ſophiſtico & impio ingenio perverſus aliquanto poſt ſumptum de Serveto ſupplicium, nactus illius librum, itemque Calvini refutationem, facilè animadvertit, neque illius ſpectra & ideas, quibus Samoſateni hæreſin ille coloraverat, neque invectam à Sabellio perſonarum cum Eſſentia confuſionem, Deitatem deniq; Chriſti, qualem impurus Arrius fictitiam eſſe docuit, cum verbo Dei conciliari poſſe. Et quum rurſus, quæ in Scripturis de una Dei eſſentia & tribus inter ſe reipſa diſtinctis hypoſtaſibus vel perſonis traduntur, intelligentiæ noſtræ minimè quadrare videret, fecit quod ejuſmodi ingenia conſueverunt, id eſt, non ſeſe Dei ſapientiæ ſubmiſit, ſed id demum verum eſſe ſibi perſuaſit, quod cum humana ratione cōſentiret. Itaq; Monarchia ad unicā Patris pſonā tranſlata, *Anno 1553. 27. Octob.*

lata, quem ſolum illum & unicum *αὐτόθεον* eſſe voluit, Essentiationem id eſt, Eſſentiæ propagationem, treſq; numero ut perſonas, ſic etiam eſſentias (uti diximus) id eſt, tres numero Deos, tres æternos, omnipotentes, immenſos apertè profiteri cœpit. Eoque non modo ſacrum Dei Verbum, ſed ipſius etiam Synodi Nicenæ (repudiato tamen Athanaſii Symbolo) & vetuſtiorum Scriptorum, videlicet Ignatii, Tertulliani, Irenæi & Lactantii auctoritatem inaudita quadam impudentia detorquere eſt auſus. Alios enim omnes orthodoxos Scriptores Nicenũ concilium ſequutos, non tantùm repudiabat, verùm etiam ut impios ſuggillabat. Hanc autem blaſphemiam alia quoque de hypoſtatica unione ſequebatur. Atque hæc ab eo clanculum initio inter paucos quaſi diſputandi cauſa agitata (quorum præcipui fuerunt *Johan. Paulus Alciatus Mediolanenſis* Miles, & *Georgius Blandrata* Salucienſis profeſſione medicus) tandemq́ue Italico preſbyterio Genevæ nunciata, cauſſam cogendo extra ordinem cœtui præbuerunt. Ubi coram delectis Senatoribus, omnibusq́ue Miniſtris ac Preſbyteris, patienter auditis, ac ex verbo Dei per Calvinum refutatis, quæcunque illi proferre voluerunt, ita res eſt compoſita, ut ſcriptæ orthodoxæ fidei omnes Itali ſtatim ſubſcriberent, ſed duntaxat iis, quos paulo ante nominavimus, exceptis, qui tamen & ipſi poſtea ſeorſim vocati manu quidẽ at corde non idem, ut poſtea apparuit ſubſcripſerunt. Rediens igitur ad ingenium Gentilis, eandemq́ue blaſphemiam rurſus ſpargere deprehenſus, capitur, captus nihil diſſimulat. auditus quandiu & quantum voluit. Tandem veluti victus (nec enim aliud habebat quàm pertinaciam, quod Calvino regereret) reſipiſcentiam incredibilem ſimulat, cujus etiam exemplum propria ipſius manu ſcriptum extat. Quid plura? Abnegatione per compita civitatis facta, dimittitur præſtito juramento ſeſe portas urbis non exceſſurum. Mox tamen violata fide ad *Matthæum Gribaldum* (de quo, ut pote etiam Serveti diſcipulo cap. 22. diximus) in Sabaudiam fugit. Sequuti ſunt aliquãto poſt Alciatus & Blandrata Tranſylvaniæ & vicinarum regionum vaſtatores futuri. Gentilis autem jam tum imminenti illi Dei judicio apud Gribaldum manens (nam uterque illos alteros & imperitos & indoctos homines contemnebat) ibiq́ue libellum adverſus Athanaſium & Calvinum cudens, indeq; Lugdunum tranſiens, ubi excudendum illum (inſcripta *Gajenſi Præfecto* iſtorum ſcelerum prorſus inſcio Præfatione) curavit. Deinde Lugduni neſcio quomodo à Pontificiis captus, quum ſeſe in Calvinum ſcribere dixiſſet, tanquam bene de Eccleſia catholica meritus dimittitur. Inde in Moraviam ad Blandratam & Alciatũ alioſq́ue nihilo meliores diſcedit. Ubi quum ſatis inter eos convenire non poſſet, quòd à Tritheiſmo ad Samoſatenum plerique tranſiviſſent, veluti trahente ipſum ad pœnam ipſius Chriſti manu in Sabaudiam ad ſuum Gribaldum redit. Illam peſtem altera jam peſtis ſuſtulerat. Ereptus etiam nobis jam erat pia morte Calvinus, Anno Domini 1564. die 2. Aprilis. Tum Gentilis

Digitized by Google

tilis ſive penitus amens, ſive quod mortuo Calvino neminem ſuper eſſe confideret, à quo revinceretur, recta ad Gajēſem *ipſum Præfectum* ipſi merito infeſtum venit. A quo mox agnitus, & BERNAM HELVETIORUM juſto Dei judicio ex ſuperiori illa fluctuatione ad dicendum cauſſam miſſus, tum perjuriorū, tum improbitatis manifeſtè convictus, fruſtra tentatis omnibus, quibus in rectam viam revocaretur, capite mulctatus, dignas tandem tot ſceleribus pœnas perſolvit. quod Anno 1566. accidit. Et tota hæc hiſtoria partim à Joh. CALVINO ex actis publicis, partem à BENEDICTO ARETIO Bernenſi Theologo paſtore fideliter deſcripta adjectaque blaſphemiarum illius refutatio. Quæ quidem omnia, aliaque eodem congeſta, quæ ad illud argumentum pertinent, edita ſunt Genevæ ANNO DOMINI 67. ſupra ſeſquimilleſimum.

Impudentiórne igitur eſt calumnia an atrocior injuria, quod audientes, legentes & ſcientes hæc Papiſtæ, nihilominus Euangelicis hæreſis Gentilis ac Tritheitarum, quæ Arrianiſmo affinis eſt, affricare audent? Pudeat ipſos tantæ vecordiæ, qua noſtris tribuere id ſine mente & fronte gaudent, quod ipſi potiùs alieniſſimum à veritate, & hæreſeos labe, imò Arianiſmi ſtercore contaminatiſſimum impunè tulerunt & dimiſerunt. Laus verò & gratiarum actio Deo verè uni eſſentia ac trino perſonis, quòd Noſtri tantam peſtem primi & ſoli ſtertentibus altum Adverſariis noſtris coarguerunt & punivetunt. Ac quod ipſo facto Adverſarios, à quib. tam falsò Arianiſmi, Gentiliſmi & Tritheiſmi inſimulantur, in ruborem dant.

II. *An diſcrimen perſonarū juxta Tertullianum ſtatuendo, Arriana hæreſis cōmittatur.*

Nondum tamen ſatis calumniarū, Pontificiarum, ſed quia Bullingerus diſcrimen perſonarum divinitatis ſecundùm Tertullianum expoſuit, Papiſtæ illum propterea Arrianiſmi inſimulant, ac ſub latere ejus Eccleſias Euangelicas ejuſdem hęreſeos notant. Bellarminus enim in eadem præfatione ad libros de Chriſto: *Henricum Bullingerum,* inquit, *non puduit ſcribere* (nēpe in libro de duabus naturis in Chriſto) *tres in divinitate perſonas eſſe, non ſtatu, ſed gradu, non ſubſiſtētia, ſed forma, non poteſtate, ſed ſpecie d fferentes, quod vix Arriani dicere auſi eſſent.* Ac idem objiciens Bullingero Gregorius de Valentia, libro de Unitate & Trinitate, cap. 9. ait. *Quibus verbis Bullingerus ſancta Trinitatis myſterium evertit.*

Quid Bullingerus? Is verba ſua è Tertulliani libro adverſus Praxeam decerpta ſuo libro inſeruit. Quamobrem in hoc, quod Cyprianus de Tertulliano, dicere poteſt: Date mihi magiſtrum. Nam quæſtio nunc eſt, PRIMO, utrum Tertullianus Arrianâ aliquâ peſte laboraverit. SECUNDO, an hic liber Tertulliani adverſus Praxeā, illi hæreſi faveat? TERTIO, an hæc ſententia Tertulliani ac Bullingeri nō orrhodoxum ſenſum admittat?

Controv. de Chriſto. c. 10. §. Tertullianus.

In PRIMO ipſe Bellarminus Bullingero eſt advocatus, utpote qui alibi Tertullianum ſuo in libro adverſus Praxeam nihil hæretici atque Arriani dicere affirmat. Nam *Tertullianus,* inquit, *in libro adverſus Praxeam, Unitas,* inquit, *à ſeipſa derivans Trinitatem, non deſtruitur ab illa, ſed adminiſtratur, ubique te-*

Digitized by Google

nec unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus. Tres unum ſunt, non unus. Ergo Tertullianus in hoc libro nihil minùs quã Arrianus fuit.

Lib. 1. de Chriſto cap. 6. §. ad locum.

In SECUNDO defenditur ipſe Tertullianus & Bullingerus itidem ab Accuſatore ipſo Bellarmino. Hic enim ſcribit: *Objiciunt nobis novi Arriani librũ, qui inſcribitur Tertulliani de Trinitate. Reſpondeo: Hunc librum non eſſe Tertulliani, ſed potiùs Novatiani hæretici, ut ſcribit Hieronymus.* Optimè. Non igitur reſpondes Tertullianum in articulo Trinitatis, ſed librum illum non Tertulliani, de Trinitate fuiſſe hæreticum. At quoniam antea & librum Tertulliano aſcripſiſti, & ſententiam ejus de Trinitate orthodoxam recitaſti, ſequitur ex tua confeſſione, nec librum nec auctorem ejus, quiſquis ſit, hæreſin ſapere.

Sed nunc TERTIO loco, locus ipſe penſitandus erit. Is verò nihil dicit aliud, quàm quod Scholaſtici ipſi Pontificii ſolent: nec aliud ſentit, quã quod Catholici omnes debent. AUCTOR enim epiſtolæ ad Lectorem in libros Tertulliani præfixæ, ait: *Sic ſcribit Tertullianus in libro adverſus Praxeam. Tres autem ſunt, non ſtatu, ſed gradu, nec ſubſiſtẽtia, ſed forma, nec poteſtate, ſed ſpecie: Unius ſubſiſtentiæ, unius ſtatus, unius poteſtatis, quia unus Deus.* Et adjicit expoſitionis loco: *Quum ſic ſcribit Tertullianus. Tres ſunt, non ſtatu, ſed gradu, &c. Statum vocat, quod Scholaſtici ſubſtantiam, illi gradum, quod hi notionem, ille formam, quod hi proprietates, ille ſpeciem, quod hi habendi modum, & ſigna.* Ergo Bullingeri locus agnoſcit, tres perſonas, non ſtatu & ſubſiſtentia, non poteſtate diſtinctas, ſed tamen notione, proprietatibus, modo differentes, ſicut etiam Scholaſtici agnoſcunt. Et tamen, *quid aliud*, inquitis, *Arriani?* Minimè ſic: ſed tres divinitatis vel trinitatis perſonas nec notione, nec proprietatibus, nec modo diſtinctas blaterant.

Auctor Epiſtolæ operibus Tertulliani præfixæ ἀνώνυμος eſt, fatemur. Sed quantum auguramur, fuit Deſiderius Eraſmus Roterodamus. Sed ſi ut nomine, ita fide careat, aut quia nomen illius non expreſsè opponitur, ſuſpectæ eſſe fidei, ac nullius momenti ipſius explicatio poſſit, conſulendus eſt iterùm ipſe Accuſator Bellarminus, qui eodem modo locum Tertulliani interpretatur. Nam ait: *Quum dixit Tertulianus in libro adverſus Praxeam, Filium diſtingui à Patre, nõ ſtatu, ſed* GRADU, &c. *per* GRADUM *intelligit ordinem Perſonarum.* En malitia quid non faciat! Hanc ſententiam Tertulliani Jeſuita in Bullingero narratore damnat hæreſeos & execratur; in Tertulliano auctore benignè interpretatur. Et quidem Tertullianus, quando dicit, *Tres ſunt gradu, forma, ſpecie,* nihil aliud docere vult, quã eſt *Deus unus eſſentia, ſubſiſtẽtia & poteſtate, ſed Trinus perſonis, vel in hac unitate eſſentiæ & poteſtatis, ſunt tamẽ tres ordine Perſonæ, Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* Nam Tertullianũ per *gradum* ordinem perſonarum diſtinctarum, & per *formam* ac *ſpeciem* nihil aliud, ſed idem intelligere, quod aliis vocabula *ἰδιότητες χαρακτηριστικαὶ καὶ γνωστικαὶ, καὶ ἰδιώματα ἀφοριστικὰ καὶ προσωπικὰ* ſignificant atque exprimunt, ex verbis ejus antecedentibus liquet, quibus dicit: *Unus eſt Deus, à quo hi gradus, forma & ſpecies, &c. ſub nomi-*

Lib. 1. de Chriſto cap. 10. §. Secundò objiciunt.

nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti di manant.

Ac Bullingerus Eccleſiarum noſtrarum doctrinam & ſententiam de hoc myſterio ita explicat, ut Tertulliani quidem verba ac mentem approbet, ſicut à nemine piorum ac fidelium Chriſti cultorum unquam reprehenſa ſunt, ſed aliorum quoque Doctorum Eccleſiaſticorum phraſes, ac dicendi rationem circa Trinitatis myſterium retineat. Dicit enim: *Quare & nos confitemur, unum tantùm eſſe Deum. Hoc nomen autem Dei continet in ſe* TRES PERSONAS, *proprietatibus quidem hypoſtaticis diſtinctas, at eſſentia æquales.* Et paulò poſt: *Unum & idem eſt, ſive perſonas voces hypoſtaſes, ſive ſpecies, aut formas, modò credas & intelligas, unitatem divinitatis ac divinæ eſſentiæ conſtare Trinitate, & has tres perſonas habere ſuas proprietates.* Similiter noſtræ confeſſiones fidei ac doctrinæ Chriſtianæ docent. Verum enim Deum eſſentia unum, & quidẽ numerica unitate: perſonis antem trinum eſſe fatemur, agnoſcimus, tuemur, profitemur, & toto pectore liberaque oris confeſſione conſtanter, defendimus, docemus ac credimus.

Regeſtio criminis in Adverſarios. Verùm quia Bellarminus in noſtrorum ſcriptis ad amuſſim examinandis tam oculatus & diligens eſt, aliquid ei beneficii loco rependamus. Et quod ipſe ſentit, cum ſuorum ſcriptis Magiſtrorum conferamus, & ibidem examinemus, ut in poſterum recordetur & obſervet ex Homeri præcepto, *Ædibus in propriis quæ prava & recta gerantur.* Ergo quod capite 3. lib. 1. de Chriſto col. 2. 13 L. B. ſcribit & probat, nempe *Quod patres ſæpe vocant Deum ſingularem,* conferat cũ ſummo ſuæ Scholæ Magiſtro, nempe, Petro Lombardo lib. 1. ſent. Diſt. 23. cap. 1. col. 9. *Ecce*, ait Lombardus, *ex prædictis oſtenditur, quia nec ſingularis, nec diverſus, nec unicus, vel ſolitarius confitendus eſt Deus.* Quod eadem col. 2. cap. idem Bellarminus ait, *non ſemel negant Deum eſſe unum ſpecie,* & quidem veriſſimè & ſanctiſſimè Patres, conferat iſte tamen cum Gilberti Genebrardi ſuæ ſcholæ principis ac Coriphæi ſententia, qui in reſponſione ſua ad Jacobum Scheckium, pag. 1. fol. 146. apertè profitetur. *Dei eſſentiam, & divinas hypoſtaſes non differre à ſpecie infima, & individuis ſub ea contentis.* Sic ſeipſos iſti evertunt. Ac ſimilia multa Adverſariis rependere poſſemus, niſi ſatis eſſet in noſtris arguendis ipſummet antilogiæ, malitiæ ac falſitatis argui & convinci.

Tertium Arrianiſmi caput, cujus Papiſtæ Euangelicos reos agunt, eſt quod Filium Patri conſubſtantialem eſſe negent. Tribus autem præcipuè modis hoc evincere conantur. I. GILBERTUS GENEBRARDUS lib. 1. de Trinitate Calvino, ut hæreſin, attribuit, quod affirmatit *Filium Dei αὐτόθεον*, id eſt, *à ſeipſo Deum*, non à Patre. *3. Vtrum Euangelici Filium Dei conſubſtantialem Patri eſſe negent.*

CAMPIANUS ratione 8. §. *Mox ad*, dicit: *Calvinus docet, Filium Dei eſſe αὐτόθεον, Deum à ſeipſo. Et Beza: Eſt Deus,* inquit, *ex ſeſe nec genitus eſt ex Patris eſſentia. Hoc portentum eſt nobis expugnandum.*

Ant. Poſſevinus: *Nova hæc* AUTOTHEANORUM *hæreſis eſt, & Calvini Atheiſmus*, inquit. *Lib. 3 de notis verbi Dei, c. 74.*

Stapletonus Prompt. Fer. 3. poſt Domin. paſſionis: *Quam neſariam hæreſin*, inquit, *Feuardentius doctè refutavit. Hanc hæreſin Genebrardus, Lindanus & Caniſius*

Digitized by Google

niſus noſter tribuunt Calvino & Bezæ. &c. Ac Bellarminus referens idem lib. 2. de Chriſto cap. 19. ait: Genebrardum ejus opinionis *Stancarum* præfat. in lib. de Trinit. facere auctorem. At in invidiam Calvini addit: *Quamvis in operibus, quæ de Trinitate & Mediatore ſcripſit, nihil tale habeat Stancarus.* Itaque primò Calvinum quoad ſenſum, non erraſſe affirmat Bellarminus. Ejuſdemque ſententiæ rectè eſſe *Bezam* in axiomatibus de Trinitate axiom. 14. & *Joſiam Simlerum* in epiſtola ad Polonos, dicentem; *Non negamus Filium habere eſſentiam à Deo Patre, ſed eſſentiam genitam negamus,* aſſerit. Atque ita Calvini ſententiam & veram eſſe, & à Catholicis nequaquam diſcrepantem, Col. 311. L. C. 312. L. A. D. fatetur.

Inſtit. 3. §. 13. §. 23.

§ Sed quanquam.

Verba ipſamet Bellarmini ſunt: *Aſſerunt quidem Calvinus & Beza, durè dictum eſſe in Symbolo, Deum de Deo. Sed quanquam hoc ita ſe habeat: tamen dum rem ipſam excutio,* NON *facilè audeo pronunciare* ILLOS IN ERRORE *fuiſſe. Siquidem docent, Filium eſſe ex ſe reſpectu eſſentiæ, non reſpectu perſonæ, & videntur velle dicere,* ESSENTIAM *non eſſe genitam. Et ex hoc Calvini ſectator Simlerus, defendit* αὐτουσίαν, *& ſic explicat Calvini ſententiam: Non negamus*, inquit, *Filium habere* ESSENTIAM *à Patre, ſed* ESSENTIAM GENITAM *negamus. Quæ ſententia non video, cur* CATHOLICA *dicenda non ſit.* Vide Calvinum orthodoxum, p. 73.

Quid igitur commiſit Calvinus tādem tanta Adverſariorum ſuorum vociferatione dignum? Ibidem Bellarminus: *Calvini dicendi modus,* inquit, *qui dicit, Filium habere in ſe eſſentiam: repudiandus eſt.* Sic Jeſuita priùs Calvini ſententiam ut orthodoxam & Catholicam probavit.

Deinde autem, pauculis lineis interpoſitis eandem tanquam hæreticam, & cum Arrianis conſentientem colum. 313. L. A. oppugnat. *Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?* In toto igitur iſto cap. 19. & 20. controv. 2. de Chriſto Bellarminus & levitatem & maledicentiam ſuam oſtendit. *Levitatem,* quod in Calvino eandem ſententiam, ut orthodoxam laudat, & ut hæreticam vituperat. *Maledicentiam,* quod ut & ſe Dominum ſuum Papā ac Cœnobitas ſuos Romæ oblectaret, contra propriam conſcientiam viro piæ memoriæ Johanni illi Calvino maledicit.

1. Deum à ſeipſo eſſe Chriſtum.

Cæterùm & ſententia Calvini pia atque orthodoxa eſt, & modus loquēdi pius & orthodoxus. Hoc probant tum noſtri omnes in noſtris confeſſionibus, & ſuis ſcriptis, ut Harm. conf. ſect. 2. & 6. Confeſſ. Zanch. cap. 2. 11. & 12. & in tract. de incar. Filii Dei. Item Calv. lib. 2. inſtit. cap. 12. & ſeqq. Beza in axiomat. de Trinit. Confeſſ. cap. 3. & 7. Item in quæſt. & reſp. part. 1. Bulling. in Decad. Melanchthon, Martyr, Muſculus in locis communibus, tit. de Deo, deque perſona & officio Chriſti: Aret. in prob. 1. & d. uſque ad 11. Urſinus in explicatione Catechet. & in tract. Theol. Sadeel de veritate naturę humanæ in Chriſto. Sohn. Tom. 2. ad tit. ſupra dictum, & paſſim alii. *tum* inprimis ex profeſſo Lambertus Danæus in reſponſione ſua contra Gilbertum Genebrardum luculenter comprobat, ad quam lectorem brevitatis cauſſa remittimus. Vide item Thomæ Morto-

Tt ni

ni Apologiam partis 1. pagina 154.

Contradictio & logomachia Papiſtarum circa vocē αὐτόθε@.

Nunc paucis hæc ad comprobandam noſtram ſententiam aſſerimus. PRIMO in Theſi Pontificia, quam Bellarminus lib. 1. toto & lib. 2. cap. 19. de Chriſto ſic tradit. *Chriſtus, licet juxta naturam divinam Deo Patri ſit ὁμοούσιος, ſive eandem numero eſſentiam cum Patre habeat ab æterno. non rectè tamen αὐτόθε@ appellari poteſt ratione eſſentiæ*: aut aperta *Contradictio* latet, aut ſaltem inanis *logomachia*. Reprehenduntur enim Calvinus & alii, qui Chriſtum, reſpectu abſolutæ Deitatis, ſeu Divinæ Naturæ αὐτόθεον, hoc eſt, Deum à ſeipſo exiſtētem, appellare ſolent: puta quatenus eandem cum Deo Patre eſſentiam (quę certè à ſeipſa exiſtit, ſive omnis originis expers eſt) & neceſſario, & ab æterno habere creditur, pro ut ipſi Pontificii eam ſe habere contendunt, & nominatim Bellarminus toto lib. 1. de Chri-

1 Contradictio.

ſto ac lib. 2. cap. 19. copioſè aſſerit. Hæc, inquam, aſſertio Pontificiorum contra Calvinum & noſtros, ſi penitius inſpiciatur, ſeipſam prorſus evertit. Implicita enim *contradictio* eſt, eum non eſſe αὐτόθεον, hoc eſt, Deum à & ex ſeipſo, qui Deitatem æternam, ſeu divinam naturam, à ſeipſa exiſtentem, eamque non aliqua ex parte, ſed totam & quidem neceſſario ac naturaliter, ab

1\. omni æternitate poſſidet. *Aut* enim æterna illa & incommunicabilis ſolius Dei eſſentia JESU CHRISTO denegãda eſt, quippe quam prorſus independentem, omnisque principii expertem eſſe, hoc eſt, à ſeipſa tantùm ex-

2\. iſtere, conſtat: *aut*, ſi hæc illi tribui debet, omnino fatendum eſt, JESUM CHRISTUM reſpectu hujus eſſentiæ abſolutè conſideratæ, non immeritò αὐτόθεον, ſeu Deum à ſeipſo appellari poſſe. Quare *Bellarminus* ipſe tandem fatetur, reſpectu eſſentiæ divinæ, *abſolutè & per ſe conſiderata*, Chriſtum ſic aliquatenus appellari poſſe. Quum certiſſimum ſit, non niſi unum numero Deum eſſe, eumque ſimpliciter eſſe æternum, & à ſe ipſo, hoc eſt, nequaquã ab alio exiſtere. Interea tamen locutionem ipſam, veluti novam & prorſus incommodam, rejicit. Cur? Chriſtum omnino, propriè loquendo, hoc eſt, abſque omni tropo, juxta Symbolum Nicenum, *Deum de Deo & lumen de lumine*, &c. vocandum eſſe cenſet. Quæ jam inanis *logomachia* eſt, ex cõfuſione *perſonæ* & *eſſentiæ* enata. Nam & noſtri agnoſcunt, JESUM CHRISTUM, qua Dei Filius eſt, ſeu conſideratum relativè, hoc eſt, ratione perſonæ ac Patris, eſſe *Deum de Deo*, &c. Ad reſpectu vel ratione abſolutæ eſſentiæ, eundem αὐτόθεον, hoc eſt, ex ſeipſo & *à ſeipſo Deũ* eſſe affirmant, uti ſuprà accuſationis capite 1. oſtendimus. *Aut* enim plures æternos Deos eſſe oportet, id quod omnino abſurdum & falſum eſt; *aut* ſi unus tantum eſt, iſque reſpectu eſſentiæ, à ſeipſo exiſtit; & propterea JESUS CHRISTUS ille ipſe unicus æternúsque Deus eſt cum Patre & Spiritu ſancto: Omnino conſequitur, illum ratione eſſentiæ, abſolutè conſideratæ, non malè αὐτόθεον appellari & credi.

2. Logomachia.

DEINDE Baſilius contra Eunomium ubique vocat Chriſtum (quâ Filius eſt Dei æternus, & Deus unáque cum Patre ac Spiritu ſancto eſſentia) vocat, inquam, αὐτοζωὴν, αὐτοαγαθὸν, αὐ-τονούμιν.

πούϛατον. Quid hæ voces; & hic modus loquendi à voce αὐτοθέη, quâ piè Calvinus uſus eſt, differt? Certè nihil. Quin Epiphanius, quem hic quoque citat Bellarminus, Filium vocat αὐτόθεον, & αὐτοτέλειθον, verè perfectũ, hæreſi 69. Et ex Jeſuitis Franciſcus RIBERA comment. in Heb. 1. ait. *Eſſentia non gignit eſſentiam, ſed Pater generat Filium, ideò Filius eſt character Patris*, NON AUTEM ESSENTIA EJUS.

Ergo cur hanc vocem αὐτόθεον quaſi ab ore Patrum alienam, damnat Bellarminus, & velut exoticam atque incommodam, imò Arrianam & hæreticã rejicit? Nam quæ quatuor argumẽta profert, hic Bellarminus colum. 312. & Col. 313. contra NON SENTENTIAM Calvini, quam piam agnoſcit, ſed duntaxat CONTRA MOREM LOQUENDI, refutantur ex eo, quod iſte transfert ad rationem relationemque Perſonæ ea, quæ Calvinus ſcribit de Filio diſertè ratione divinæ eſſentiæ. Quod autem ad hanc Phraſin, *Deum de Deo*, &c. verè ſenſit ac ſcripſit Calvinus, impropriam eſſe, ac barbariem redolere, quemadmodum ſi dixero, *Mea humanitas ſalutat tuam humanitatem*, pro eo *ſaluto te*. Eſſentia enim pro perſona ponitur, quod loquendi genus & Græcis & latinis hominibus inuſitatum eſt. Nequitiam igitur cum inſcitia indigna maximam præterea deſignat Bellarminus, quod col. 313. miris modis ſophiſticatur & Calvini mortui oſſa arrodit. Et ipſemet non minus Auguſtinũ, qui ſic loquitur, *Eſſentia de eſſentia* hoc cap. 19 lib. 2. de Chriſto col. 314. L. A. carpit. Sibi igitur conſtet, & ſecum primùm conſentiat.

Refutatur autem à Gregorio quoque de Valentia, qui ait: *Filius ut eſt Perſona, eſt* EX ALIO: *ut ſimpliciſſimum* ENS, NON EST EX ALIO. *Lib. 1. de Trinitate, cap. 22. & lib. 2. c. 17.*

An itaque loquendi modus parum uſitatus, quum de ſenſu vero conſtet, concitare Adverſarios in tantam rabiem debuit, ut mentiendi furendiq́; in orthodoxum Doctorem Calvinum nec modum, nec modeſtiam tenerent ullam? *Regula juris eſt, ne fiat vis in verbis.* *Joh. Pineda in Job. 2.* Quanquam vel modus, præſertim loquendi, in refutatione hæreſis Gentilis videtur, quodãmodo neceſſarius fuiſſe. Is enim negabat, Filium eſſe Deum, qui erat genitus à Patre. Calvinus Filium αὐτόθεον, à ſe genitum, imò αὐτόθεον eſſe defendit: ſed (ipſo Bellarmino & Ribera ac Valentiano rectè candideque fatente & exponente) intelligit, *quoad* ESSENTIAM, *non quoad perſonam*. At pluribus Adverſarii deinceps confutabuntur, ſi ad illud accuſationis caput, quod noſtri vocem ὁμοουσίου nolint, perventum fuerit.

SECUNDO, In præfatione controv. de Chriſto §. *Sed jam*, clamat Bellarm. Calvinus dicit, *Patrem per excellentiam eſſe Deum. Hoc Arianiſmum ſapit.* Ac Gregorius de Valentia lib. 1. de Unitate & Trinitate, cap. 9. *Jure*, inquit, *Calvinum ponimus in eorum hæreticorum numero, qui Filii divinitatem inficiati ſunt. Etenim ſenſit Calvinus nomen Dei καθ' ὑπεροχὴν, id eſt, per excellentiam ſoli Patri tribui.*

Et Ignatius Armandus Jeſuita epiſt. 2. ad Danielem Chamierum parte 2. pagina 25. ſcribit: Scitè admodum Bozius lib. 3. de notis, cap. 5. *Interrogo te*, inquit, *Calvine, quomodo aſſeres Filium* *2. Patrem per excellẽtiam eſſe Deum.*

 Patri

Digitized by Google

enim toto capite nihil eſt prorſus, quod redoleat hanc blaſphemiam. Filius reſpectu perſonæ, non eſt niſi impropriè Creator cœli & terræ, Pater propriè: & notas locum ubi id aſſernerit Calvinus adverſus Gentilem in Refut. 10. Proth. ubi tamen ne tenue quidem verbum invenias, quod huc pertineat. Ibidem, Deus Pater habuit vim generandi Filium, ac propagandi Spiritum ſanctum, quia voluit. Atqui ea verba ſunt Gentilis, non Calvini, in quibus tamen quid ſit impium, non facilè video. An vis enim invito Patre Filium genitum, Spiritum propagatum? Nam quòd tuus Bozius concludit, potuiſſe ergo Patrem nolle, non eſt niſi ex mera cæcitate. An enim tu quæcunque Deus vult, ea etiam poſſe nolle aſſerimus? Nempe ut dicamus, poſſe jam eum cedere ſua juſtitia, ut incipiat velle eſſe injuſtus. Impropriam ac duram eſſe locutionem illam, [a] Deus de Deo, opinor alicubi dixiſſe Calvinum, etſi nunc locus non occurrat. Sed in eo quam in impietatem indicas? Nam quòd tuus Bozius inde arguit, non facere igitur Filium æqualem Patri, reſpectu generationis, quis facile intelligat. aut quis unquam ita locutus eſt, reſpectu generationis eſſe æqualem Patri Filium. Imo hoc etiam durius eſt ea ipſa Phraſi, quam Calvinus reprehendere videtur. Porro Deus eſſentiam ſignificat, non Perſonam. Quis neſcit autem in Trinitate, non eſſentiam de eſſentia, ſed Perſonam de perſona eſſe genitam? Nomen Dei καθ' ὑπεροχὴν Patri attribuitur. Quam tu enim aliam cauſſam poſſis reddere, quamobrem Scriptura ſic loquatur? GRATIA SIT VOBIS à DEO PATRE NOSTRO ET DOMINO JESU CHRISTO. ET, IN PRIMIS GRATIAS AGO DEO MEO, PER JESUM CHRISTUM. Ineptè autem tuus Bozius inæqualitatem inde concludit. Nã hæc ὑπεροχὴ ordinis eſt potius, quo Pater ſolet præferri Filio. Hæc Chamierus.

a Epiſt. ad Polonos & libro contra Gentilem.

1. Cor. 1. 3. 4.

Alienum quoque non eſt à ſtudio in veſtigandi verum ſenſum illius dicti Joh. 14. 28. ſi explicationem ROD. GUALTHERI ſuperioribus conjungamus. Nam poſtquam is dixit, Chriſtũ eo loco diſcipulos ſuos in triſtitia propter diſceſſum ſuum conſolari, & præcipua conſolationis antea allatæ argumenta repetere, ſubjungit: Altero argumento docet, quo nam abire velit, ut oſtendat ipſos ex illius abitu gaudium potiùs quàm dolorem debere concipere. Ait enim: Si diligeretis me, gauderetis utique quod dixerim, Abeo ad Patrem: quia Pater MAJOR ME EST. Quibus verbis hoc dicere videtur: Qui verè aliquos diligunt, ii illorum commodo propriis ante ponunt, & quamvis aliquid moleſtiæ ex illorum abſentia oriatur, hanc tamen longè ſuperat gaudium, quod ex illorum gloria & incolumitate capiunt. Atqui ego non in locum aliquam abibo, ubi quid adverſi patiar, ſed ex mundo hoc infelici tranſibo ad Patrem, ut ſemel exutus omni moleſtia æternum cum illo gaudeam, qui major me eſt, id eſt, qui in æterna & cœleſti gloria conſtitutus nullis hujus ſeculi miſeriis exercetur, quas ego nunc in mortali carne ſuſtineo. Si ergo me verè diligitis, & (quòd veræ dilectionis proprium eſt) mihi ex animo conſultum vultis, non dolere vos decet meo diſceſſu, ſed potius gaudere, quum & ego malis omnibus liberer, & vobis quoque ad cœleſtia viam aperturus ſim. Hic verborum Chriſti ſenſus eſt ſimpliciſſimus, & cum ſtatu hujus ſermonis probè convenit. Ex quo apparet, ARIANOS olim hoc ‹‹
loco turpiter abuſos fuiſſe adverſus veram & ‹‹
æternam Chriſti Deitatem, quaſi quoad hanc ‹‹
Patrem ſe majorem dixerit. Atqui nihil hic ‹‹
de ſua Deitate diſputat, ſed diſcipulos, ob ſuum ‹‹
abitum dolentes conſolatur, ſe ad Patrem abire ‹‹
ait, & in mediatoris perſona loquens hunc ‹‹

Homil. in Joh. 136. fol. 305.

Digitized by Google

Filius,non à Filio Pater,quum ratione ſubſtãtiæ Filius ſit αὐτόθε☉,*&c* Unde Iſa.9.6.vocatur *Deus fortis*. Ac licet ſit Filius, tamen dicitur ibi etiam *Pater* futuri ſeculi vel *æternitatis,&c.* Et Jeremiæ 23.6.dicitur *Jehova*,ipſum eſſe & fons ac principium eſſendi,*juſtitia noſtra*.Rom.9 5. *Chriſtus Deus ſupra omnia benedictus in ſecula.* 1.Joh.5.20. *Et ſumus in Filio ejus* JESU CHRISTO,*qui eſt* VERUS DEUS,*& vita æterna.* Quibus illa Math.16.16. Joh.20.28. Act.20.28. 1.Tim.3.16. congruunt: quæ Arrianos in totum proſternunt ac profligant.

2. An vox ὁμοουσίυ conſubſtantialis Patri negetur ab Euãgelicis.

Apertius tamen TERTIO Euangelicos Pontificii Arrianæ hæreſeos ac Tritheiſmi accuſant,quia nomen ὁμοουσίυ, id eſt, Conſubſtantialis in Filio Dei Chriſto negent,ac ferre nequeant. Campianus Ratione 8. dicit. *Calvinus ſcribit, locus apud Johannem* 10. 30. *Ego & Pater unum ſumus; Non oſtendit Chriſtum Deum homouſion Deo Patri,ſed & Lutherus odit*, inquit, *anima mea hoc vocabulum* ὁμοούσιος. Et Bellarminus in Præfat.ad controverſiam de Chriſto ſimiliter inquit: *Dixit Lutherus ſe odiſſe vocem* ὁμοούσι☉. Ac addit: *Quid quæſo aliud diceret Arrius,ſi ab inferis nunc exiſteret?*

Fontem verò litis de voce Homouſii,mõſtrat idem lib.3. de Laicis c.9. dicens. *Quum olim Arriani peterent à Catholicis, ut ſaltem unam vocem omitterent* ὁμοουσίυ, *vel unam literam immutarent* ὁμοιούσιον,*& ſi hoc fieret,pacẽ pollicerentur, ac ſimpliciores Catholici ab Arrianis decepti nomen* ὁμούσι☉ *tollendum eſſe decreviſſent, mox Arriani toto orbe terrarum prædicarunt ſe viciſſe; nomen* ὁμούσιον *ſuſtulerunt,* ὁμοιούσιον *verò ſubſtituerunt, & poſtea hoc in* ἑτερούσιον *transformarunt, ut refert Theodoretus l.2. Hiſt.c.21.*

Hac de cauſſa, quoniam Eraſmus non veritatis,ſed politioris literaturæ palmam Hæreticis Arrianis concedit, vellicat Bellarminus eum,ac dicit: *En egregium patronum Arrianorum Eraſmum, qui Arrianos ab hæreſi vindicat, & eos Catholicis doctrina & eloquentia ſuperiores facit.*

In præf. lib. de Chriſto.

Reſponſum Euangelicorum.

Diluimus igitur hanc calumniam in Lutherum, Eraſmum, Calvinum, Melanchthonem, Bullingerũ, Bezam & alios (quos omnes Bellarminus in dicta Præfatione hoc nomine accuſat) conjectam, verbis Gulielmi Witakeri, ob ſummam & doctrinæ & eloquentiæ & prudentiæ exiſtimationẽ ipſis adverſariis admirandi ac ſuſpiciendi. Is enim ad accuſationem Campiani περὶ αὐτοθέυ καὶ ὁμουσίου, Ratione ejus 8. fol.121. pro Luthero, Eraſmo cæteriſque noſtris ita reſpondet; *Mox ad Chriſti perſonã progrederis Campiane, quæriſq; quid iſta ſibi velint Calvini*, Chriſtus Dei Filius, Deus de Deo, Deus ex ſeſe? *Quid hîc reprehendis Campiane? Quod Chriſtum Dei Filium dixerit: An quod Deum ex Deo appellarit? An verò quod ex ſeſe Deum eſſe pronunciarit? At quid iſtorum non ſanctum, non conceſſum, non fidei Catholicæ conſentaneum eſt? Quæ ſi negas, non noſtrum aliquod* παράδοξον *revincis, ſed* TUAM HÆRESIN *prodis. Sed illud eſt, ni fallor, in quo nodum tanquã in ſcirpo, neſcio quem, inveniſti.* CHRISTUM *Patres Niceni Deum de Deo profitentur, ut Patri Filium* ὁμούσιον *eſſe doceant. Hoc dictum deinceps nonnulli arripuerunt ut Chriſtum non per ſe, atque ex ſe Deum eſſe, ſed hoc à Patre accepiſſe contenderent: in quo Chriſti divinitatem penitus ſuſtulerunt. Niſi enim ex ſeſe Deus eſt, omnino Deus eſſe non poteſt. Nam ut Deus ſit, id Deo ex ſeſe inſitum*

Chriſtum αὐτόθεον eſſe rurſus probatur.

tum

tum eſt. Quare utrumque Patres illi Chriſtum eſſe dixerunt Deum de Deo: tamen firmiſſimè tenendum eſſe confirmat Calvinus, Chriſtum & ſeſe habere, ut Deus ſit, niſi Chriſtum volumus ſua divinitate ſpoliare. Ut ſit Filius, id quidem à Patre accepit: eſt enim Patris Filius: ut Deus ſit, id ex ſe habet, quia per ſe Deus eſt. Quid tu nunc Campiane? Deus de Deo, Calvino eſt Deus ex ſeſe. Siccine verò ais? Nónne id te Calvinus monuit, Dei nomen pro Patre ſumendum eſſe, quando Dei Filius Chriſtus appellatur? Quod ergo tradunt Niceni Patres, Chriſtum eſſe Deum ex Deo, id ita intelligendum eſt, ut Filium de Patre genitum eſſe fateamur, nō ut Dei nomen uni Patri tribuamus. Videndum enim eſt, ne ita eſſe ex Patre Filium ſtatuamus, ut ex ſe Deum eſſe negemus. Atque hæc Calvinus diligentiſſimè ſanctiſſiméque expoſuit, nec omnino verbum ullum edidit à Scripturarum Eccleſiæq; Catholicæ fide alienum. Recordare illam Auguſtini vocem homil. de temp. 38. Chriſtus ad ſe Deus dicitur, ad Patrem Filius dicitur. In qua potes veteris Eccleſiæ ſententiam agnoſcere.

Chriſtus an genitus de Patris eſſentia.

Nunc Bezam aggrederis. Ut enim canes ſolent rabioſi loco non conſiſtis, ſed huc illucque volitas, ac in quemcunque incidis, eum peſtifero morſu, dentéque illo tuo venenato perſtringis. Bezæ, inquis, non eſt genitus Chriſtus de Patris eſſentia. Quid tu e Bezà ſuccenſes, ſi ea dicit, quæ dici à vobis ipſis & defendi ſolent Neque enim potes neſcire, quid Lombardus tuus de eſſentia divina doceat, quam & ille & qui illum ſequuti ſunt Scholaſtici, nec generare affirmant, nec generari. Non enim eſſentiam ab eſſentia, ſed perſonam à perſonâ gigni. Si iſtos Beza voluit imitari, ut Chriſtum non de eſſentia, ſed Perſona Patris genitum dixerit, quid reprehendis? Neque tamen fingendum eſt, ſeparatā eſſe à perſona eſſentiā, quaſi filii eſſentia ſit aliena ab eſſentia Patris, ſed quādo quidem perſona, etſi non re tamen relatione diſtinguitur ab eſſentia, ſolitíque ſunt veteres iſto modo loqui ut Chriſtum de perſona Patris potiùs, quàm eſſentia genitum dixerint, mirum non eſt, eam etiam loquendi formam Bezæ maximè placuiſſe, qui de ſummis myſteriis cautè ſemper & conſideratè ſtatuendum eſſe judicavit. Eſſentiam verò minimè generari tota tenuit vetus Eccleſia, quemadmodum Baſilius diſertè ſcribit, τὸ τὸν θεὸν μήτε παρ᾽ ἑαυτοῦ μήτε παρ᾽ ἑτέρου γεννᾶσθαι. Quanquā an iſta Bezæ verba ſint, quæ recitas, non ſatis ſcio, ea certe non memini me uſquam in Beza legiſſe, nec in hoc loco quem profers poſſum reperire. Illa verò, quæ ſequuntur, prorſus ſunt malitioſa. Dixerat aliquando Beza, in Chriſto duas eſſe uniones hypoſtaticas, quemadmodum tu ais, alteram animæ cum carne, divinitatis cum humanitate alteram. Quod ejus dictum Jacobus Andreæ reprehendit quidem non immerito, quanquam id ex eo dicto non conſequitur, duas eſſe in Chriſto perſonas, etiamſi duæ ſint hypoſtaticæ uniones. Verùm id, quia fuit ambiguè ſcriptum, velle ſe libenter emendare Beza profitetur. Quid verò potes ampliùs poſtulare? Si erravit, at non perſtitit in errore, ſuumq; erratum emendavit. Qua ergo fronte potes ei exprobrare, quod ſemel incautius exciderat, quando illud ipſum poſtea correxerit? Et de Chriſti perſona ubique Beza ea docet, quibus nihil eſſe verius ac ſincerius poteſt. Neque hoc, quod de duabus hypoſtaticis unionibus objicis, noſtrum quiſquam affirmare aut defendere ſolet. Unam enim hypoſtaſin è duabus naturis conſtitutam in Chriſto confitemur, & unionem hypoſtaticam non niſi unam agnoſcimus. Quamquam enim Chriſtus corpus ſimul animámque humanam aſſumpſit, tamen hæ partes

Contra Eunom. l. 1.

Digitized by Google

tes non ita ſunt in Chriſto ὑποστατικῶς *conjuncta, ut perſonam quandam efficiant à divinitate ſeparatam: ne Chriſtum è duabus perſonis conſiſtere exiſtimemus.*

Locus Joh. 10.30. an probet Chriſtum Patri homouſion.

Jam iterùm ad Calvinum recurris, quem ego priùs à te dimiſſum putaram. Locum apud Johannem: Ego & Pater unum ſumus, Calvinus negat oſtendere, Chriſtum Deum eſſe homouſion Deo Patri. *Quid tum, Campiane? Tantúmne ſcelus erat, in unius loci interpretatione, ab antiquis Patribus diſſentire? An ille unquam eſſe Chriſtum Patri* ὁμοούσιον *negavit?* Non *potes id dicere, ſemper enim hoc conſtantiſſimè docuit, & Arrianos aliis innumeris Scripturæ ſententiis refutavit. Quid enim? An eſſe Patri Filium* ὁμοούσιον *non poſſe arbitraris, niſi id iſte locus oſtendat? Qui illam Chriſti cum Judæis concertationem attentè perlegerit, quam in illo capite Johannis expoſuit, is* VOLUNTATIS POTIUS ET POTENTIÆ UNITATEM, QUAM ESSENTIÆ SIGNIFICARI, *facilè perſpexerit. Affirmat Chriſtus, neminem poſſe oves ipſius è manibus ſuis eripere. Atque ut id plenè perſuadeat, adjungit: Ego & Pater unum ſumus. Non video, quemadmodum ex eo poſſis ſubſtantiæ unitatem concludere: niſi ſemper illud* UNUM *de ſubſtantia intelligas. Quid ergo eſt, quod Chriſtus ait, non de ſe tantùm & Patre, ſed univerſis fidelibus:* Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, ego in te? *Illum locum in epiſtola Johannis:* Hi tres unum ſunt, *Gloſſa ordinaria ſic exponit,* id eſt, *de re eadem teſtantes.*

Joh. 7. 21. 1. Joh. 5. 8.

Eraſmus in annotat. in 1. Joh. 5.

Eraſmus verò multò adhuc vehementiùs antiquos Patres exagitat, quia his verbis abuſi ſunt contra Arrianos: Ego & Pater unum ſumus. *Non quod ipſe, opinor, admodum faverit Arrianis, ſed quod id à Patribus non magna ratione fieri ſenſerit.*

Sed illud etiam homouſion Luthero dicis fuiſſe odioſum. Is enim ait: Anima mea odit hoc verbum homouſion. *Nunquam id Lutherus dixit. Sic modò ait: Si verbum hoc homouſion odiſſet, tamen hæreticum non fore, dummodò rem ipſam teneat. Hæc Lutheri verba ſunt:* Quod ſi odit anima mea vocem homouſion, & nolim ea uti, non ero hæreticus. Quis enim me coget uti, modò rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita eſt? *Atque ut nomen oderit Lutherus, rem ipſam tamen amavit, ut animam ſuam. Hoc verò nomine conſtat multos, eóſque præſtantiſſimos viros vehementer offenſos, ut quidem auditum fuiſſe nunquam, exoptarint. Ita enim iſto nomine ſemel introducto Eccleſiæ mutuis odiis ac contentionibus conflixerunt, ut ipſos ſanctos Patres ejus nominis non mediocriter pœniteret. Nec ſi quis nomen fortè ſublatum voluit, quod multis diſſidiis occaſionem præbuit, is ſtatim rem ipſam illo nomine declaratam improbare exiſtimandus eſt.* Tres hypoſtaſes *Hieronymus adduci non potuit, ut ſuſciperet, quia nomen illud hypoſtaſis, nomen ſuſpectum habuit. Veritus enim eſt, ne quid ſub eo nomine veneni lateret: Perſonas tamen tres agnovit & prædicavit.* Utrum*que nunc vocabulum receptum eſt, nec eo quiſquam offendi debet.*

Contra Latomum.

Theod. hiſt. lib. 2. c. 21.

In epiſt. ad Damaſ.

Num non hic Theologus celebertimus & peritiſſimus à Calvino, Beza, Eraſmo, Luthero, cæteriſque noſtrorum, probè calumniam Papiſtarum in voce Homouſii repulit? Etenim THOMAS AQUINAS rectè & prudenter indicat: *Quum quis ad probandam fidem Chriſtianam inducit rationes, quæ non ſunt cogentes: cedit in irriſionem infidelium. Credunt enim, quod hujuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.* Meritò

Summa Th. p. 1 q. 32. a. 1. ibid. q. 46. a. 2.

Digitized by Google

igitur Calvinus & Eraſmus ea Scripturæ loca ad probandam divinitatem Chriſti contra Arrianos non adduci oportere, nec valere poſſe exiſtimarunt, quæ non ſunt cogentes, ſed à re, de qua quæſtio, alienæ ſuis circumſtantiis, ſuoque ſenſu ac ſcopo.

Lutherus verò quum dicat: *Quod ſi odit anima mea nomen homouſios*, &c. eſſe ne poteſt hæreticum? At non proinde ponimus, ſi forte aliquid ſupponimus. Verbi gratia Cajetanus in locum Gal. 8. ℣. 8. *Si vel Angelus de cælo aliquid Euangelizaverit præter id, quod Euangelizavimus vobis, anathema ſit*, dicit: *Non quod facere Angeli hæc aut velint aut poßint, ſed ſi vellent.* Qui igitur more adverſariorum hypotheticas enũciationes cũ cathegoricis, confundit, dignus is eſt categoria, ut inquit ille. Lutherus rē amplectitur, de vocabulo quęrit: nō quod eo uti nollet, ſed ꝙ eo uti nemo neceſſario tenetur.

Ipſe Bellarminus lib. 3 de Euchariſtia cap. 23. in princip. ait: *Stultum eſt, quum de ſenſu conſtet, de verbo litigare.* Et Campianus ratione 9. *Logomachia eſt*, inquit, *quũ de ſenſu conſtat, de verbo litigare.* Cur ergo ipſi de hoc homouſii nomine litem tantum movent?

Præfat. in Controv. de Chriſto.

Hallucinatur præterea Bellarmin. quod ὁμοιούσιον & ὁμοούσιον imperitiſſimè vocem eandem eſſe putat. Patres enim orthodoxi Filium Patri planè ὁμοούσιον, id eſt, *ejuſdem ad numerum eſſentiæ eſſe dixerunt*: Arriani autem hæretici ὁμοιούσιον tantùm, hoc eſt *ſimilis duntaxat eſſentiæ*, vel *ſimilem eſſentiâ* eſſe contenderunt. Bellarminus iſta diverſa & tam diſſimilia, magno & ſolo calumniandi Lutherum animo, turpiſſimè confundit. Nam idem iſte pag. 208. ὁμοούσιον, non ὁμοιούσιον, Trinitatem eſſe agnoſcit: de quo & Baſilius in oratione & Athanaſius, & Nicenum Concilium primum conſuli debent.

Eraſmus etiam Arrianiſmi à Papiſtis damnatur, ipſe Arrianos diſertè damnans. Nam in annotat. in Joh 1. ad locum, & Deus erat verbum, dicit: *Illud idem verbum, quod erat apud Deum, erat Deus*: hoc eſt *particeps divinæ eſſentiæ, ſeu ut meliùs Græcè dicam* ὁμοούσιος τῷ πατρὶ. *Et per Filium intelligimus facta eſſe omnia, non tanquam per inſtrumentum, ut Arriani ſomniabant, ſed ita Pater condidit omnia per Filium, ut Filius nihilo ſecius cum Patre condiderit omnia.*

Invectiva juſta & modeſta in Adverſariorum proterviam contra Euangelicos in negotio Trinitatis ſanos.

Quicquid igitur vel Bellarminus in libris de Chriſto & Eccleſia, ac alibi paſſim, vel alii Pontificii ſuis in ſcriptis aut ſermonibus, de Euangelicorum conſortio cum Arrianis antiquis aut novis ullo modo garriunt ac ſpargunt, meræ ſunt calumniæ & putidiſſima mendacia, in quibus effundendis in innocentes atque vere catholicos & orthodoxos reformatarum Eccleſiarũ Euangelicos pudorem & verecundiã omnem exuerũt. Quin quum Eccleſia Romana Pontifex & Pontificii homines, adhæc Scholę Papiſticę omnes iſta hominũ monſtra Servetum, Blandratã, Stancarũ, Gentilem, alioſq; Antitrinitariorũ & Tritheitarũ duces in ſuo ſinu mediaque Italia ipſa, Hiſpania & Gallia, aliiſque in locis tenerrimè & diutiſſimè aluiſſent ac foviſſent: propria hæc pietas, virtus & conſtantia, propriaque laus Johannis Calvini, civitatis Genevenſis ac Bernenſis, Miniſtrorumque & Theologorum in Eccleſiis ac Scholis earundem eſt, quod

eos

eos ſtudioſe & animosè inquiſiverunt, deprehenderunt, in viam orthodoxæ fidei revocare, elaborarunt, impœnitentes autem & præfractos puniverunt atque è medio ſuſtulerunt. Quòd autem nihilominus Pontificii, Calvinum Bezam, ac noſtros omnes tam infeſtè atque acerbè audent hæreſeos Arrianorum, Antitrinitariorum & Tritheitarum ſuſpectos reddere, adeoque accuſare, nō niſi invidiæ atque odii faſcino dementati, vel mentis cœcitate percuſſi faciunt. Interim innocentia noſtra, ac ſeria profligatio iſtorum hæreticorum & eorundem hæreſum è ſeptis Eccleſiarum noſtrarum, eo certiùs & clariùs patefit, quo odioſius Adverſarii Papiſtæ nos in crimen earum vocare ſatagunt. Nam publicè extant tū alia ſcripta Calvini ac Bezæ, quæ de illorum ſinceritate orthodoxa in doctrina ac fide, ſtudioque confutandi, reſecandi & coërcendi iſtarum hæreſum monſtra teſtantur. Inprimis præter alia CALVINUS ORTHODOXUS hoc eſt, Doctrina orthodoxa Johan. Calvini de ſacroſancta Trinitate, & de æterna Chriſti Divinitate, &c. duabus libris comprehenſa & edita à Clariſſ. viro D.D. Davide Pareo S[i]leſio, id planiſſimum & teſtatiſſimum facit. Adhæc tam ille ſolus, quàm reliqui omnes Euangelici copioſiſſimè & ſolidiſſimè etiam purgantur ab Arrianiſmo, Tritheiſmo & Antitrinitarianiſmo in Noſtrorum libris, quibus Bellarmini opus controverſiarum refutatur. Lege Lamb. Danei, Franciſci Junii, Sibrandi Luberti, Mathæi Sutlivii, Guliel. Witakeri & aliorum noſtratium Diſputationes Theologicas adverſus Bellarminum, inprimis contra libros ejus de Chriſto & Eccleſia, &c, Et videbis, non modo nihil nos ferire, nihil que nos attingere, quæ de Arrianis, Antitrinitariis & Tritheitis affert, verùm etiam ipſum ac Papiſtas ſuos reſponſiones ſuas & ſolutiones ad illorū argumenta obſcurius perplexas, & nō ſine erroribus interdum, proponere, ut à noſtris ſobriùs, explicatiùs, clariùs, veriusque tractentur, ac non paulum emendentur. Et quum in tam ſublimi atque auguſto de S. Trinitate & Filii Divinitate argumento, Bellarminus multis in locis inutilia revocet, & jam millies confutata velut repotia reponat, oblita commemoret, ſepulta effodiat, ſanataque refricet, ut ſuum ingenium oſtentet: noſtri ſuperflua reſecantes, abolita jam prætermittentes, ſopita non repetentes, falſa veris compenſantes, errata corrigentes, ad Eccleſiæ ædificationem totam hanc tractationem referunt. Quin licet & nos ipſi variæ lectionis, & diligentiæ magnæ, ac ſingularis eruditionis honeſtam laudem Bellarmino ſine invidentia tribuimus, imò quoque eam prædicamus, ac induſtriæ, & memoriæ, aſſiduæque Patrum lectionis nomine gratias illi in veris & bonis, quæ affert, agimus quam maximas: tamen convitia, calumnias, mendacia & contumelias ejus, quas in Nos deſpumat atque effundit: diſſimulare & irrefutatas prætergredi nequimus. Idque etiam reticere, & non reprehendere non poſſumus, quòd callidè ac fraudulēter diſſimulat & celat ea, quæ à noſtris accepit & didicit, ut ipſo nondum nato, & aliis Scholaſticis altum ſomnum ſtertentibus

bus, noſtri ὀρθοδοξόπατοι, ſanctiſſima, puriſſima, ſalutique æternæ promovendæ accommodatiſſima è fontibus ſacræ Scripturæ ac vetuſtate ſinceriore de Unitate Dei, SS. Trinitate, Divinitateque Filii ac Spiritus ſancti in medium attulerint. Quod autem in re parum aut nihil, in modis autem loquendi noſtros plerunque exagitant, arguit eos conſpicillo perſpicaciore indigere. Si enim intuerentur acutiùs & penitiùs in iſtos noſtrorum loquendi modos, nihil vitii iis ſubeſſe facilè cernerent. Si autem prorſus perſpicere nō poſſunt, uſu venit cum illis quod cum fonte, qui quum turbidus ſit, quicquid inde fluxerit, non poteſt eſſe purum. Ita animi Adverſariorum quum ſint infecti malis & turbidis affectibus erga Euangelicos, omnia vitiant quæ ex his accedunt.

Teſtimonia ſacrarum Scripturarum & Patrum de Unitate Deitatis, de Trinitate, déque Filii Divinitate, qua Patri ſit conſubſtantialis

Quóve minùs anſa calumniandi Euangelicos circa fidem & doctrinam de ſacroſancta Trinitate & Filii Divinitate, etiam in poſterum Adverſariis noſtris Papiſtis relinquatur, ad extremum nunc teſtimonia ſacrarum Scripturarum & Patrum vetuſtiorum, quæ hactenus rariora à nobis adducta ſunt, ad confirmandam noſtram fidem ac doctrinam, ab Arriana & Tritheitarū Antitrinitariorumque hæreſibus alienam, de Deo, Trinitate, Filiique Dei Divinitate auſpiciis divinis proferemus, ac veluti in Synopſi ob oculos ponemus.

De Deo uno teſtimonia Scripturæ.

I. Unum eſſe tantummodò verum & æternum DEUM, docemur Deuter. 4 35. ubi dicitur toti populo Iſraëli: *Tibi oſtenſum eſt, ut ſcires, quòd Jehova eſt Deus, & non eſt, ultrà præter eum.* Deut. 6 4. *Audi Iſraël, Jehova Deus noſter, Jehova unus eſt.* Deut. 32. *Videte nunc, quod* EGO, EGO SUM, *& non ſunt Dii mecum.* Joſ. 2. *Jehova Deus veſter eſt Deus in cœlo ſurſum, & ſuper terram deorſum.* 1. Sam. 2. 2. *Non eſt ſanctus ſicut Jehova: quia non eſt præter te, nec eſt fortis ſicut Deus noſter.* 1 Reg. 8. 23. *Jehova Deus Iſraël, non eſt ſimilis tibi Deus, nec in cœlo deſuper, nec ſuper terram deorſum.* 1. Paral. 17. 20. *O Jehova, non eſt ſimilis tibi, nec eſt Deus præter te.* Pſal. 18. 32. *Quoniam quis Deus præter Jehovā? & quis fortis præter Deum noſtrum?* Pſal. 86. 10. *Magnus es tu, & facis mirabilia, tu es Deus ſolus.* Iſaiæ 43. 11. *Ego, ego Jehova, & non eſt præter me Servator.* Cap. 44. 6. *Ego primus, & ego noviſſimus, & præter me non eſt Deus.* Malach. 2. 10. *Annon pater unus eſt omnibus nobis? Deus unus creavit nos?* Math. 19. 17. *Nullus eſt bonus, niſi unus*, nempe *Deus.* Act. 17. 24. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ quum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat.* Rom. 3. 30. *Siquidem unus eſt Deus, qui juſtificavit circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* 1. Cor. 8. 6. *Nobis unus eſt Deus, Pater ille à quo omnia, & nos in ipſo.* Epheſ. 4. 6. *Unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.* 1. Tim. 2. 5. *Unus enim Deus*, &c.

Patrum teſtimonia de uno Deo.

Conſentiunt Patres, è quibus Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem: *Veritas Chriſtiana*, inquit, *diſtrictè pronunciavit, Deus, ſi non unus eſt, non eſt.* Et Juſtinus in expoſitione fidei: *Unus revera eſt* uni-

Digitized by Google

univerſitatis hujus Deus. Cujuſmodi mox alia ſequentur.

Rationes unum Deũ evincentes.

Quia autem Tertullianus ait: ***Præmiſit Deus Naturam magiſtram, ſubmiſſurus & Prophetiam, quò faciliùs credas Prophetiæ, diſcipulus Naturæ,*** ſeptem ſunt præcipuæ rationes, quæ præter Scripturam docent, & evincunt unum eſſe Deum. 1. *Quia* motũ in mundo eſſe ſenſu conſtat. Nihil autem moveri poteſt, niſi per Ens aliquod, quod actu eſt. 2. *Quia* neceſſe eſt eſſe aliquam cauſſam primam, à qua reliquæ omnes dependẽt. 3. *Quia* omnes res ad finem aliquem diriguntur. Unde efficitur aliquam eſſe mentem ſupremam, quæ omnes res ordinet, non modò ad ſuos ſpeciales fines, ſed etiam ad unum aliquem ſummum finem. 4. *Quia* neceſſariò ſequitur eſſe aliquod ſummum bonum & primum Ens, quod reliquis ſit cauſſa bonitatis, exiſtentiæ & perfectionis. 5. *Quia* nulla cauſſa deterior eſt ſuo effecto. Sunt autem creaturæ, quæ ratione & ſapienti ordine utuntur. Neceſſe ergo eſt cauſſam ſapientiſſimam eſſe. 6. *Quia* conſcientia hominis poſt admiſſa peccata metuit, & horret ſupremum aliquem judicem. 7. *Quia* atrocia delicta puniuntur in hac vita atrocibus pœnis. Pſal. 36. 37. & 58. 11. 8. *Quia* omnes Gentes, quantumvis barbaræ, perſuaſum habent Deum eſſe.

Prov. 16. 4.

2 De tribus in una divinitate perſonis Scripturæ teſtimonia.

Deinde unum Deum eſſentiâ eſſe trinum perſonis, unde ſacroſancta Trinitas poſt Apoſtolorum ætatem nomẽ accepit, his ſacræ Scripturæ teſtimoniis erudimur & convincimur. Ex Gen. 1. 1. 26. & 19. 24. ſuprà adduximus. Similiter, quæ Math. 3. 16. & 17. 5. ac Joh. 1. 23. 2. Cor. 13. 13. extant, anteà protulimus. At illuſtre ampliùs habetur Exodi 36. ubi Deus dicens; ***Ego Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus*** Jacob, priore appellatione ſui exprimit eſſentiæ divinæ unitatem, ternis poſterioribus Perſonarum divinæ eſſentiæ Trinitatem. Hocque eò certius videtur, quia Chriſtus totius Deitatis optimè conſcius & dexterrimus interpres, id teſtimonium ad probandum reſurrectionem mortuorum uſurpat. Jobus autem vaticinans de reſurrectione, dicit: ***Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die ſtabit ſuper pulverem, & poſtquam pelle mea circumdederint iſtud, ex carne mea videbo Deum. Quem ego viſurus ſum mihi, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.*** Id eſt, Deus quidem ipſe omnipotens unuſque eſſentiâ excitabit me è pulvere ad vitam, cui Filius συνεργὸς, ut Johan. 5. 12. ait: ***Sicut Pater ſuſcitat mortuos, ſic & Filius, quos vult, vivificat,*** quod deinceps cap. 11. 25. confirmat, dicens; ***Ego ſum reſurrectio & vita.*** At mox utens plurali numero, ***circumdabunt pelle meâ iſtud,*** videlicet corpus meum, teſtatur ſacroſanctam Trinitatem, nempe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum id effecturum. Itaque & fidem ſuam de Deo Uno eſſentia, Trino verò perſonis verbo, ***circumdederint,*** confitetur. Nam & Spiritum ſanctum reſurrectionis æquê eſſe cauſſam efficientem ac Patrem & Filium, ex Rom. 8. 11. conſtat. Nam ***ſi Spiritus ejus;*** inquit Apoſtolus, ***qui excitavit Jeſum à mortuis, habitat in vobis, is, qui excitavit Chriſtum, per eundem Spiritum inhabitantem in vobis, vivificabit etiam veſtra corpora mortua*** Gen. 11. ℣. 7. ***Agite, deſcendamus & confundamus ibi labium eorum,*** &c. Quo loco myſterium Trini-

Math. 22. 32.

Job. 19. 25. 26. 27.

Digitized by Google

tatis oſtenditur, ac Geneſ.1.26. Rurſus Gen.18 ℣.1. *Ecce tres viri ſtabant juxta Abrahamum,* &c. Ac ℣.13. *Et dixit Jehova,* id eſt, illi tres viri unus Deus eſſentiâ, trinus perſonis: quemadmodum Scriptores antiqui Eccleſiaſtici exponunt. Pſal.33.℣.6. *Verbo Jehovæ cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Ubi annon vocabulis *Jehova,* Deus Pater; *Verbo,* Deus Filius; & *Spiritus,* Deus Spiritus ſanctus, ac proinde ſacroſancta Trinitas denotatur? Iſaiæ 6 3. Per ingeminationem, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova exercituum,* exprimitur ſacroſancta Trinitas. Dan. 7.13. *Videbam in viſionibus noctis, & ecce in nubibus cœli tanquam Filius hominis veniebat, & uſque ad Antiquum dierum venit, & coram eo repræſentarunt eum.* Ubi duæ perſonæ, Pater & Filius exprimũtur, ſubintellecto etiam Spiritu ſancto, juxta regulam; *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.* Joh.15.26. Jam in novo Teſtamento promittit *Chriſtus,* ſe miſſurum paracletum *Spiritum* veritatis à *Patre.* Act.2.℣ 33. *Dextera ergo Dei exaltatus & promiſſione Spiritus ſancti à Patre accepta, effudit hoc, quod nunc videtis & auditis.* Hîc ergo *Filius* exaltatus, *Spiritus* promiſſus, & *Pater* promiſſionem Spiritus faciens, tres Divinitatis perſonas deſignant. Rom.8.11. *Si Spiritus ejus, qui Jeſum ſuſcitavit à mortuis, habitat in vobis.* Ecce tres perſonæ Deitatis, *Spiritus,* Jeſus *Filius,* & *is,* ſcilicet Pater, qui Jeſum ſuſcitavit. Contra teſtimonia ex novo Teſtamento ſuprà ſunt citata, nempe Math.3.16. 1.Johan.1.32. in Baptiſmo Chriſti, & Math.17.5. in trãsfiguratione ejuſdem, & Math.28.19. in mandadato de baptizandis Gentibus, &c. 2.Cor.13 13.

Patrum de Trinitate teſtimonia.

Symphonia & conſenſio præterea ſupra modum pulchra & arcta eſt in ſcriptis Patrum. Nam S. Ignatius ad Philadelphienſes: *Unus eſt,* inquit, *ingenitus Deus* PATER *& unus unigenitus* FILIUS, *Deus, Verbum & Homo, & unus Paracletus* SPIRITUS *veritatis,* Johan. 14.17 26.

JUSTINUS in expoſitione fidei: *Unus eſt ergo, ait, revera univerſitatis hujus Deus, qui in* PATRE ET FILIO ET SPIRITU SANCTO *cognoſcitur. Quum námque ex ſubſtantia ſua* PATER FILIUM *progenuerit, atque ex eadem* SPIRITUM *produxerit, jure optimo, quæ unam eandémque participant eſſentiam, una eadémque dignantur divinitate.*

Lib. 2 de Trinitate.

Iiſdē penè verbis, quib. Ignatius inquit S. HILARIUS: *Author unus eſt omnium. Unus eſt enim ingenitus Pater, ex quo omnia, & unus unigenitus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & unus Spiritus, donum in omnibus.*

Contra Praxeam.

TERTULLIANUS: *Protulit,* inquit, *Deus ſermonem ſicut radix fruticem & fons fluvium, & Sol radium. Quia omnis origo parens eſt: & omne quod ex origine profertur, progenies eſt: multò magis ſermo Dei, qui etiam propriè nomen Filii accepit. Nec frutex tamen à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à Sole diſcernitur, ſicut nec à Deo ſermo. Igitur ſecundùm horum exemplorum formã profiteor me duos dicere,* DEUM ET SERMONEM *ejus,* PATREM *&* FILIUM *ipſius. Nam & radix & frutex duæ res ſunt, ſed conjunctæ: & fons & flumen duæ ſpecies ſunt, ſed indiviſæ: & Sol & radius duæ formæ ſunt, ſed cohærentes. Omne quod prodit ex aliquo, ſecundum ſit ejus neceſſe eſt, de quo prodit: Non ideò tamen eſt ſeparatum: ſecundum autem ubi eſt, duo ſunt. Et tertius ubi eſt,*

Digitized by Google

eſt, tres ſunt. Tertius enim eſt ſpiritus à Deo & Filio, ſicut tertius à radice, fructus ex frutice. Et tertius à fonte, rivus ex flumine. Et tertius à Sole, apex ex radio. Nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates ſuas ducit. Ita Trinitas per conſertos & connexos gradus à Patre decurrens, & monarchiæ nihil obſtrepit, & ὁμονομίας ſtatum protegit.

In oratione Paſc. GREGORIUS Theologus: *Deum dum dico*, inquit, PATREM & FILIUM & SPIRITUM SANCTUM *dico, neque ultra hæc divinitate ipſa diffundenda, neque intra hæc determinanda. Ita quippe ſancta ſanctorum, quæ ipſis Seraphim velantur, & tribus ſanctificationibus glorificantur, in unam conveniunt dominationem & Deitatem.*

De Spiritu ſancto, c. 12. BASILIUS: *Fides*, inquit, *perficitur per Baptiſmum. Baptiſmus verò fundamento fidei nititur, & utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum: ſic & baptizamur in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.*

Lib. de Cathol. & Ar. confeſſ. ATHANASIUS: *Credo*, inquit, *unum nomen divinitatis in Patre & Filio & Spiritu ſancto, ſemper & fuiſſe & eſſe, quia non in nominibus, ſed in uno nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ſecundùm Domini præceptum baptizamur, & efficimur Chriſtiani.*

Lib. 30 in Joh. cap 9. CYRILLUS: *Recta fides*, inquit, *in Deũ Patrem eſt, & in Filium, non ſimpliciter, ſed incarnatum, & in Spiritum ſanctum. Sancta enim conſubſtantialiſque Trinitas nominum differentiis, id eſt*, PERSONARUM PROPRIETATIBUS *diſtinguitur. Pater enim Pater eſt, & non Filius Filius quoque Filius eſt, & non Pater, & Spiritus ſanctus, Spiritus ſanctus eſt Patris atque Filii proprius. Eadem enim ſubſtantia Deitatis eſt. Quare non tres, ſed unum Deum prædicamus. Oportet igitur in Deum nos credere ſed diſtinctè, latiúſque fidem exponentes, ut unicuique perſonæ eandem glorificationem referamus. Nulla enim fidei differentia eſt. Non enim major debet eſſe in Patrem, quam in Filium aut Spiritum ſanctum, ſed una & eadem ratio ejus & modus eſt, in tribus æquali menſura perſonis conſiſtens: ut etiam hoc pacto unitatem naturæ in Trinitate fateamur. Hæc firmiter in animis noſtris ſplendere fides debet, quæ in Patrem & in Filium eſt, & in Filium dico etiam poſteaquam factus homo, & in Spiritum ſanctum.*

AUGUSTINUS: *Fides Catholica*, inquit, *non duos aut tres Deos prædicat, ſed ipſam Trinitatem unum Deum. Non ut eadem Trinitas ſimul poſſit aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus ſanctus dici: ſicut Sabellius credidit. Sed ut Pater non niſi Pater, & Filius non niſi Filius, & Spiritus ſanctus non niſi Spiritus, & hæc Trinitas non niſi unus Deus. Quia quum dixiſſet Apoſtolus: Ex quo omnia, & per quem omnia, Trinitatem ipſam inſinuaſſe creditur. Nec tamen ſubjecit* IPSIS *gloria, ſed* IPSI *gloria.* 1. Cor. 8. 6. Rom. 11. 36. *In Pſal. 5.*

Idem: *Attende candorem lucis*, inquit, *in cœlo eſt & expandit candorem per terras omnes, per maria omnia, & ubique corporalis lux eſt. Si ſeparas candorem Solis à Sole, ſepara Verbum à Patre. De Sole loquor, lucerna una flammula tenuis, quæ uno flatu poſſit extingui ſpargit lucem ſuam ſuper cuncta quæ ſubjacent. Vides lucem ſparſam à flammula generatam: emiſſionem vides, ſeparationem non vides. Intelligite fratres ſic Trinitatem*, PATREM, FILIUM SPIRITUM *ſanctum ſibi cohærere, & omnia opera* UNIUS DEI *eſſe. Hæc eſſe Patris, hæc Filii, hæc eſſe Spiritus ſancti.* *In Joh. tract. 10.*

Rurſus. *Vidimus Solem in cœlo currentem* *De verbis Domini.*

Digitized by Google

tem, fulgentem calentem. Similiter ignis tria habet, hoc eſt, motum, lucem & fervorem. Divide ergo ſi potes Arriane Solem vel ignem & tunc demum divide Trinitatem. Magna prorſus inopia humanum laborat eloquium Dictum tamen eſt. TRES PERSONÆ *non ut illud diceretur, ſed ne taceretur omnino. Non enim rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari poteſt.*

Quæſt. ad Oroſ. 1. Iterum idem: *Tres perſonas ſecundùm Scripturas ſanctas intelligimus. Id eſt, alium eſſe Patrem, qui genuit Filium, alium qui genitus eſt à Patre, alium Spiritum ſanctum, non aliud: quia ſubſtantia unum ſunt, Perſonas diſtinguimus, non Deitatem ſeparamus.*

De fide ad Petrum. Rurſus idem: *Quamvis Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt una natura, firmiſſimè tamen tene tres eſſe perſonas Patremq́ ſolum eſſe, qui dixit: Hic eſt Filius meus dilectus, & Filium ſolum eſſe ſuper quem illa vox inſonuit, & Spiritum ſanctum ſolum eſſe, qui in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum baptizatum deſcendit.*

Epiſt. 6. HIERONYMUS: *Omnipotens Deus Pater*, ait, *& Filius & Spiritus ſanctus* UNUS *atque* TRINUS. UNUS *videlicet in natura*, TRINUS *in Perſonis.*

AMBROSIUS: *Profeſſio fidei eſt*, in-

Lib 6. epiſt 40. quit, *quam adverſus Sabellianos & Arrianos ita à majoribus traditam tenemus, ut Patrem Deum, & Filium ejus unigenitum, & Spiritum ſanctam veneremur. Hanc Trinitatem unius eſſe ſubſtantia, majeſtatis, divinitatis. In hoc nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti baptiſare nos, quemadmodum ſcriptum eſt.*

Semper igitur hîc meminiſſe oportet dicti GREGORII NAZIANZENI: *Ὀυ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι ϗ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι: ὀυ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, ϗ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι*, id eſt, *Non poſſum unum cogitare, quin trium fulgore circumfundar: nec tria poſſum diſcernere, quin ſubito ad unum referar.*

Quia autem morſus Sycophantarum Papiſticorum ut Lindani, Valentiani, Poſſevini, ſimiliumq́ue inprimis acutè & amarè Calvinum & Bezam, ac ſub horum nomine Euangelicos in univerſum vellicant, quod Filii Divinitatem non rectè doceant & credant, jam ſimul tum de Deo PATRE, qui verus & æternus ſit Deus, ab æterno generans Filium ſibi *ὁμοούσιον*, tum de Deo FILIO, qui quatenus Deus eſt, à ſeipſo exiſtit, quatenus Filius, ab æterno Deus eſt genitus, Patri *ὁμοούσιος* & conſubſtantialis, teſtimonia Scripturarum divinarum ac Patrum ſanctorum in medium producemus. *Quinque* enim argumenta firmiſſima Filii Deitatem ex ipſomet & Patre conſtantem evincunt. *1. De Deo Patre & Deo Filio Scriptura teſtimonia.*

Primò, De quo in Novo Teſtamento ab Apoſtolis ea exponuntur, quæ in Veteri Teſtamento à Prophetis de ſolo Jehova, uno & vero Deo Iſraelis dicta ſunt; ille non tantùm propter officii dignitatem Deus dicitur, ſed verus Deus ex ſeipſo, Patrique *ὁμοούσιος*, coæternus & coæqualis eſt. Atqui in Novo Teſtamento ab Apoſtolis de Chriſto exponuntur, quæ in Veteri Teſtamento de ſolo Jehova uno illo & vero Deo Iſraelis dicta ſunt, ut ex citatione & collatione ſequentium locorum patebit. Num. 21. 6 ſcribitur: *Miſit igitur Jehova in populum ſerpentes ignitos, qui momorderunt populū, ita ut moreretur populus multus ex Iſraele.* Hoc Apoſtolus 1. Cor.

10. 9.

Digitized by Google

10.9. de Chriſto ſic exponit: *Neque tentemus Chriſtum ſicut quidam eorum tentarunt, & à ſerpentibus perierunt.* Pſal. 68. 18. *Aſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus.* Hoc Apoſtolus Epheſ. 4. 8. de Chriſto ita exponit: *Quum aſcendiſſet in ſublime, captivam duxit captivitatem & dedit dona hominibus.* Pſal. 120. 26. *Antea terram fundaſti, & opus manuum tuarum ſunt cœli.* Hoc Apoſtolus de Chriſto ſic exponit; *Tu in initio Domine terram fundaſti. & opera manuum tuarum ſunt cœli.* Iſa. 8. 14. *Jehova exercituum erit in palatium & in lapidem offenſionis, & in petram ruinæ, duabus domibus Iſrael in laqueum.* quę Luc. 21. 34. Rom. 9. 32. 1. Pet. 2. 7. ad Chriſtum Apoſtolica explicatione referuntur. Eodemque modo in locis Zach. 12. 10. & Joh. 19. 37. Iſa. 45. 20. 22. 23. & Rom. 14. 11. Jerem. 23. 6. & 33. 16. ac 1. Cor. 1. 30. Jſa. 41. 4. & 44. 6. & 48. 12. Apoc. 1. 8. Pſal. 97. 2. Heb. 1. 5. 6. omnia de Chriſto exponuntur. Ergo Chriſtus non tantùm propter dignitatem officii, ſed ex ſeipſo eſt verus Jehova ac Deus, Patri ὁμοούσιος, coæternus & coæqualis.

Secundò Filii vox idem evincit, præſertim quatenus illi iſta propriè & unicè competit, juxta id, quod dicitur proprius & unigenitus Dei Filius, quæ voces tantundem valent, ac ſi naturalis eſſet appellatus. Pſal. 2. 7. *Jehova dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Luc. 1. 32. & 35. *Quod naſcetur in te ſanctum, vocabitur* FILIUS *Dei.* Joh. 1. 8. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille nobis enarravit.* His adde Math. 3. 16. 17. c. 16. 16. *Tu es Chriſtus* FILIUS *Dei vivi.* 1. Joh. 5. 20. *Et ſumus in Filio ejus Jeſu Chriſto, qui eſt verus Deus, & vita æterna.* Et Rom. 8. 32. *Deus proprio Filio non pepercit,* &c. Accedit, quod vocatur *Rex regum & Dominus dominantium.* Apoc. 17 14. & 19. 16. *Et Dominus gloriæ,* 1. Cor. 2. 8. Quæ nomina longè fortiùs evincunt, quod volumus, ſi etiam cum veteris Teſtamenti libris ac Scripturis conferantur, ubi eadem Jehovæ, id eſt, vero Deo Iſraëlis tribuuntur: ut Pſal. 95. 3. c. 14. 8. 10.

Tertiò, argumentum ducitur ab epithetis & attributis Dei. Cuicunque enim in Scripturis tribuuntur eſſentialia Dei attributa, illum neceſſe eſt cum vero Deo Iſraëlis ejuſdem naturæ & eſſentiæ, adeoque ei coæternum & coæqualem eſſe. Quia illa attributa ſunt inſeparabilia ipſa eſſentia, imò ipſe Deus. Atqui Chriſto in Scripturis tribuuntur eſſentialia Dei attributa, ut *immenſitas*, Joh. 14. 23. Epheſ. 3. 17. Math. 28. 20. Joh. 3. 13. *Æternitas*, Joh. 1. 4. Mich. 5. 2. Apoc. 1. 11. & 2. 8. *Immutabilitas*, Heb. 1. 11. 12. *Omniſcientia*, Apoc. 2. 23. & 5 13. Ergo Chriſtus ejuſdem eſt cum Patre eſſentiæ, eique coæternus & coæqualis, imò Deus verus naturâ.

Quartò, idem evincitur ex Dei operibus. I. Qui enim creavit cœlum & terram, is eſt verus Deus, Patri coæternus & coæqualis. *Dii enim,* inquit Jeremias, cap. 10. 11. *qui cœlum & terram non fecerunt, eliminentur de terra:* & verſu. 12. Iſa. 44. 24. Pſal. 96. 5. Atque Chriſtus creavit cœlum & terram, quod liquet ex dictis Scripturæ manifeſtis. Joh. 1. 3. & 10. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. 10. 1. Cor. 8. 6. II. Quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit: Joh. 5. 19. At-

Digitized by Google

que Pater fecit cœlum & terram. Ergo & Filius. III. Si Chriſtus non creavit cœlum & terram, tum aut nõ eſt Deus, aut ſi Deus eſt, debet exterminari ex mundo. Atqui Adverſarii non negant Chriſtum eſſe Deum, nec volunt eum exterminari ex mundo. Unde neceſſariò ſequitur, eum cœli terræque creatorem eſſe. IV. Opera etiam alia ſolius Dei ipſi tribuuntur, ut *redimere* 1. Cor. 1. 30 1. Theſſ. 1. 10. *Delere iniquitates*, Iſa. 43. 25. 6. Joh. 1. 29. 1. Joh. 2. 2. 3. *Scrutari corda*, Math. 9. 4. Marc. 2. 8. *Exaudire*, Joh. 14. 13. 14 *Vivificare*, Joh. 3. 21. *Judicare*, Joh. 5. 22. Item opera miraculoſa, ipſomet teſtante: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtantur de me.* (Joh. 10. 25.) Ea ſua virtute edidit, juxta vaticinium Iſaiæ 35. 5 6. Ad quæ ipſe quoque remittit, Math. 11. 4. 5. & quorum edendorum poteſtatem Apoſtolis eſt largitus, Math. 10 8. Luc. 10 9.

Quintò, cultus & honor, qui Chriſto debetur, eum & natura Deum, & Patri conſubſtantialem ac coæqualem probat. Is eſt, invocatio, adoratio, fides, ſpes. Ut Pſal. 72. 11. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes populi ſervient ei.* Iſa. 11. 10. Rom. 15. 12. *Omnes gentes eum deprecabuntur, & ſperabunt in eo.* Pſal. 2. 12. *Beati, qui ſperant in eo. Curvabitur ipſi omne genu.* Phil. 2. 10. Et Joh. 14 1. *Creditis in Deum, in me etiam credite.* Act. 7. 59. Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum: Quæ convincunt eum eſſe & natura verum Deum, & Patri Deitate ac hujus propriis æqualem. Alia plurima argumenta & Scripturæ loca Deitatem Chriſti æternam demonſtrantia omittimus. Sed egregiè & jucundè in Calvino Orthodoxo à D. D. Pareo in lucem edito exponuntur.

Intereſt verò plurimum idem teſtimoniis Patrum illuſtrare & confirmare, à quibus Scripturæ ſacræ conſentientibus dependemus. (*Patrum teſtimonia de divinitate Chriſti.*)

Justinus in expoſitione fidei: *Sic igitur*, inquit, *Filium ex Patre genitum eſſe intelligimus, veluti lumen de lumine relucẽs.* Quod ſimile ſuprà eſt explanatum.

Hilarius ſcribit: *Filius in Patre eſt, & in Filio Pater, non per transfuſionem refuſionémque, ſed per viventis naturæ perfectam nativitatem. Ita in Deo Patre & in Filio, neq; duos connumerabis Deos, quia unũ uterque ſunt: neque ſingularem prædicabis, quia uterque non unus eſt. Non habet igitur fides Apoſtolica duos Deos: quia neque duos Patres habet, neque duos Filios. Confitendo Patrem confeſſa Filium eſt: credens in Filium, credit & in Patrem, quia & nomen Patris habet in ſe Filii nomen.* (*De Trinitate, lib. 8.*)

Augustinus: *Proprium eſt Filii, quod à Patre genitus eſt, ſolus à ſolo coæternus & conſubſtantialis Patri.* (*De inquiſ. Trinitatis.*)

Alibi: *Deus*, inquit, *quum Verbum genuit, id quod ipſe eſt, genuit, nec de nihilo, nec de aliqua jam facta, conditáque materia, ſed de ſeipſo, id quod ipſe eſt.* De Fide & Symbolo.

Rurſus idem: *Ille genitor, hic genitus. Ille non de Filio, hic de Patre. Ille principium unum, & caput Chriſti dicitur, quamvis & Chriſtus principium, ſed non Patris, hic verò illius imago, quamvis nulla parte diſſimilis, & omnino indifferenter æqualis.* (*Lib 5 hæreſ.*)

Idem: *Pater*, inquit, *Filium genuit non voluntate, non neceſſitate, ſed natura. Quare Chriſtus non dicitur Filius Spiritus ſancti, ſicut beatæ virginis dicitur? Reſpondeo. De illa ſiquidem ſancta virgine natus eſt Filius Dei ſicut de matre, non de illo ſcilicet Spiritu ſancto ſicut de Patre, ne duo Patres dicerentur in ſancta Trinitate.* (*Serm. 125. de temp. lib. 1. de inquiſ. Trinit.*)

Atque

Digitized by Google

Atque de Eccleſiæ dogmatibus: *Credimus*, inquit, *unum Deum Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum. Patrem eo quod Filium habeat: Filium eo, quod Patrem habeat: Spiritum ſanctum eò, quod ſit ex Filio & Patre procedens.*

Et Soliloquiorum cap. 32. *Cognovi te* inquit, *Deum verum & unum Spiritum ſanctum, Patris & Filii ab utroque pariter procedentem, conſubſtantialem & coaternũ Patri, & Filio, Paracletum & Advocatũ noſtrum, qui ſuper eundem Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in columbæ ſpecie deſcendiſti, & ſuper Apoſtolos linguis igneis apparuiſti. Qui & omnes ſanctos Dei à principio tua gratia munere docuiſti, & ora Prophetarum, ut enarrarent mirabilia regni Dei aperuiſti, qui ab omnibus ſanctis Dei cum Patre & Filio ſimul adoraris & glorificaris.*

Inſtit. lib. 4. cap. 9. LACTANTIUS: *Una utrique mens* inquit, *unus ſpiritus una ſubſtantia eſt. Sed ille quaſi exuberans fons, hic tanquam defluẽs ex eo rivus, ille tanquam Sol, hic tanquam radius ex Sole porrectus, à Patre inſeparabilis, ſicut nec rivus à fonte, nec radius à Sole ſeparatur: quia & aqua fontis in rivo eſt, & Solis lumen in radio.*

Ad Mag. IGNATIUS: Unus *eſt*, inquit, *Deus omnipotens, qui manifeſtavit ſeipſum per Jeſum Chriſtum Filium ſuum, qui eſt Verbum ipſius, non prolativum ſcilicet, ſed operatio Deitatis, ſubſtantia ſcilicet genita, in omnibus placens ſuo genitori.*

JUSTINUS in Dial. cum Tryphone: *Hæc vera Patris progenies, ante omnes creaturas cum Patre erat, Dominus, Deus, Deique Filius.*

Contr. Praxeam. TERTULLIANUS: *Quæcunque ſubſtantia ſermonis fuit, illam dico perſonam, & illi nomen Filii vindico, & dum Filium agnoſco ſecundum à Patre defendo.*

ATHANASIUS: *Non*, inquit, *Deum eſſe Patrem prædicamus, quia omnipotentem Deum, qualis ipſe eſt natura, talem genuit Filium. Sicut in Scripturis cantum invenimus qui eſt, qui fuit, & qui venturus eſt omnipotens Deus.* *Lib. 5 de Unitate, &c.*

Idem alibi: *Non res quæpiam extrinſecus ad inventa eſt Filii ſubſtantia: neque ex nihilo inducta eſt, ſed ex Patris ſubſtantia nata eſt, quemadmodum à luce ſplendor, quemadmodum ab aqua vapor. Neque enim ſplendor, neque vapor eſt ipſa aqua aut ipſe ſol, neque res aliena, ſed defluxus ex Patris ſubſtantia, ita ut Patris ſubſtantia non perpeſſa ſit partitionem. Nam quemadmodum Sol idem manens, non minuitur radiis ab ipſo effuſis: ita nec ſubſtantia Patris mutationem perpeſſa eſt: quum habeat ſuam ipſius imaginem Filium.* *Contra Euſeb.*

Rurſus HILARIUS lib. 8 de Trinite: *Filius*, inquit, *in Patre eſt non per tranſfuſionem, refuſionémque mutuam, ſed per viventis naturæ perfectam nativitatem.*

AMBROSIUS: *Deus ex Deo, lumen de lumine, verus Deus de vero Deo, ex Patre natus, non factus, unius ſubſtantiæ cum Patre. Sic nempe noſtri ſecundùm Scripturas dixerunt Patres.* *Lib. 1 de fide.*

Iterùm idem: *Filium itaq; coæternum Patris ſcriptum eſt ſuſcepiſſe carnem, natum de ſpiritu ſancto & virgine Maria: æqualem Patri ſecundùm Divinitatem in Dei forma, id eſt, in omni plenitudine divinitatis, quæ in illo habitat, ut dixit Apoſtolus, corporaliter, qui in perſona hominis formam ſervi accepit, & ſe humiliavit uſque ad mortem. Ergo & adverſus Photinum nobis hæc ſententia eſt. Adverſus Apollinarem autem legitima circumſpectio Ut confiteamur, ſicut in Dei forma nihil ei deficit divinæ naturæ &* *Epiſt. lib. 6. epiſt. 40.* *Col. 2. 9. Phil. 2. 6. 7.*

 pleni-

Digitized by Google

arguit, & creaturæ Deitatem tribuit.

Lib.1. de Chriſto c.7. 8. 9. colum 245 L.D. Noſtrâ ætate Bellarminus, quot nevis doctrinam de Deo & Trinitate commaculat? Ut, quod docet, *corpus Chriſti eſſe ſimul in cœlo & in terra, & in pluribus locis*, quod Dei vel Deitatis proprium eſt attributum, *ubi aliqui fuerint in ipſius nomine congregati*. Ex eo enim efficitur, corpus Chriſti (quod iſti contendunt ſimul pluribus in locis eſſe, ubi S. Cœna fit, & homines in Chriſti nomine conveniunt) eſſe verum, ex hac ſententia, Deum, non jam corpus, aut creaturam: ſed Deum tamen non naturâ, ſed fictitium. Illud autem contradictionem manifeſtam implicat, Deum eorum eſſe, & in tẽpore (quod in pane iſto eſt) tamen eum eſſe cœpiſſe, Gal.4.℣.8.1.Tim.1.17. Sed & illud quoque in hac eadem columna 245 L.C. vel falsò, vel obſcurè omnino à Bellarmino ſcriptum eſt, Deum ipſum eſſe locum ſpiritualem ſanctorum. Alii, & quidem in eadem ſchola magiſtri meliùs (Nam hoc Bellarmini falſum eſt) docent locum ſpiritualem ſanctorum, *eſſe cœlum*, juxta illud Pauli, *ſedere nos fecit in cœleſtibus*, Ephеſ.1.3.2.6. Objectum autem beatitudinis noſtræ, eſſe Deum ipſum, quemadmodum ſcribit Johannes in 1. epiſtola cap.3.2.

De Chriſto lib 1. c 12. Deinde, quæ pro veræ de vera Chriſti Deitate doctrinæ confirmatione miracula Bellarminus commemorat, ea nos neque negamus, neque refutamus. Hoc ſolùm lectorem pium, imò ipſummet Bellarminũ monemus, eſſe infirmum omnino ejuſmodi Chriſtianæ doctrinæ firmamentum, ac fundamentum, quod ex iſtis miraculis (nam & Diabolus, quemadmodum docet Paulus, 2.Theſſ.2.9. ſigna & prodigia facit) viſionibus, mortuorum reſponſis & hujuſmodi aliis rebus ducitur. Etenim Iſa. 8. ℣.19. repræhenditur, quando Deus dicit. *Nam inquiret homo de Deo ex mortuis?* Ad legem & teſtimonia, ſcilicet, ſacrarum Scripturarum. Et apud Lucam, referente Chriſto, reſpondit Abraham ipſe ei, qui ad ſuos ſuperſtites mortuum, qui eos doceret, mitti flagitabat: *Habent Moſen & Prophetas, audiant eos. Si enim Moſen & Prophetas non audiunt: neque ſi quis ex mortuis ſuſcitatus fuerit, credent.* *Luc.16. 29. 31.*

Ac ATHANASIUS quæſt.11. *Noluit Deus*, inqt, *quoſdã ex mortuis ad nos redire, quia ſic multi errores nati, & probabiliter ſparſi fuiſſent, quaſi à mortuis revelati.* Sed ut ſuum ingenium Bellarminus oſtentaret, & ſe Suffenũ quendam, id eſt, in quovis eorum genere verſatum exhiberet, iſta qualiacunque miracula protulit; nimirum quaſi vel verbo Dei tã manifeſto (quale & à noſtris & ex noſtris ab illo allegatur) pii viri contenti minimè futuri ſint, vel certiſſimæ (qualis eſt de vera Chriſti Deitate) doctrinæ, confirmatio ex iſtis infirmis miraculorum & viſionum ſubſidiis incertis petenda ſit. Id quod Dialectici petere principium vocant, dum incertior & obſcurior eſt probatio, quàm ipſa quæſtio. Quod vitium in hoc cap.12. lib.1.de Chriſto Bellarm. duodecimo committit.

Adhæc, quod ad locũ Pauli 1. Cor. 15.28. *Tunc & ipſe Filius ſubjicitur Patri*, reſpondet, neque locum neque mentem Pauli vel longa manu attingit. Nec enim Gentilium fabulam de Sa- *Lib.1 de Chriſto, cap.16. column 277. L D.*

Digitized by Google

turno à Jove expulſo Paulus ſpectavit, ut iſte putat Columna 268. L.B. nec ipſam humanam Chriſti naturam ſignifi. at Paulus, quæ ſemper & in terris & in cœlis Patri ſubjecta fuit, ut ex loco Joh. 6.38. quem hoc ipſo capite citat Bellarminus conſtat. Verùm hujus loci explicatio tam obſcuri hæc eſt, quod Apoſtolus ibi agit de forma & modo regiminis quo, Chriſtus Rex omnium à Patre conſtitutus, omnia gubernat, per quem vicarius Patris eſt & operatur. Tunc enim modus regiminis iſtius abolebitur. Omnis enim alia poteſtas, præterquam illa quæ Deus eſt, ceſſabit. *Erit enim*, addit Paulus, *Deus omnia in omnibus*. Ergo ad externum regimen reſpicit Paulus, quo Chriſtus, ut caput, Mundum gubernat & Eccleſiam ſuam conſtitutis ſub ſe aliis miniſtris regit. Omnis igitur iſta ratio regendi tunc tolletur. Quare locus iſte ne multis quidem paraſangis Arrianos Tranſylvanos, aut eorum blaſphemiam attingit, juvat, ſpectat, aut roborat: ſed toto genere differt ab hoc argumento, & ab eorum interpretatione ac diſputatione diſſidet. Porò veram eſſe loci illius mentem, quam diximus, apparet ex verſu 24. 1. Cor. 15. ubi de poteſtatibus aliis, quibus utitur nunc Chriſtus regnans & Dominus, abrogandis loquitur Paulus. Vide Auguſt. l. 1. cap. 8. de Trinitate, Serm. 16. de Verbis Apoſtoli.

Pſal. 1. 6 8. Math. 28. 18.

Præterea, capite 19. laborat vehementer in loco Mathæi 20. ℣. 23. ſolvẽdo & explicando. Itaque & ad merita confugit, quæ prorſus coram Deo nulla ſunt & ad diſtinctionem inter Meritum cœli & Meritum primatum in hoc mundo ſedium recurrit. Quod eſt χρηοφύγετον & effugium inane, quaſi qui cœlum ipſum mereentur, primas in hoc mundo ſedes mereri nequeant Planè enim de primis in terris ſedibus obtinendis poſtulatio facta fuerat Chriſto à matre duorum iſtorum adoleſcentum, quæ regnum Chriſti non niſi terrenum & in his terrenis tur c cogitabat. Ergo ſolutio eſt, quod Chriſtus conditionem eam, in qua tunc erat, diſtinguere à futura poſtea ſua gloria, & ab arcano illo Dei decreto (à quo planè illud donũ dependet) voluit. Id quod ipſius Chriſti verba apertè declarant. Itaque locus iſte non magis Arrianorum errorẽ juvat, quàm quod Chriſtus ſe inter duos fratres de herciſcunda familia contendentes, diſceptatorem interponere noluit. Aut adulteram mulierem capitalis ſupplicii damnare recuſavit Joh. 8.

Lib. 1 de Chriſto cap 19. Col 181. 2. C. & D.

Luc. 12. 14.

Præterea, egens Bellarminus de nominibus *Eſſentiæ, Homouſii, Hypoſtaſis ſubſtantiæ, Perſonæ, proprietatis, Relationis, Notionis, Circumminceſſionis, Trinitatis*, quibus in hoc myſterio de Trinitate & Deitate Filii explananda utimur, perperam & ἀθεολόγως aſſerit, Nova illa & alia vocabula in diſputationibus Theologicis eſſe admittenda *tum ut Catholici ab Hæreticis diſtinguantur, tum etiam quia diſſerunt vocum novitates* (quæ ſunt fugiendæ) *à novis vocabulis, quæ ſunt recipienda*. Prima enim ratio puerilis eſt, poſterior falſa. Vera enim cauſſa, propter quã nova vocabula in his diſputationib. à piis viris finguntur ac probantur, eſt quia ſunt hæc ipſa in Dei verbo ſcripto non quidem κατὰ ῥητὸν & ſecundùm ſonum ſyllabarum, ſed κατὰ διάνοιαν & ſecundùm

Lib 2. de Chriſto cap. 1. 2. 3.

Digitized by Google

dùm analogiam fidei comprehẽſa,quū ea quæ his vocabulis continetur, do ctrina ſit in Dei verbo ſcripto expreſſè deſcripta,ex quo nobis ſapiendum eſt Chriſtianis. Perinde verò eſt,aliquid expreſsè & ſyllabatim eſſe in Deo verbo,vel ex fidei analogia illius mente ſeu æquivalentia,quemadmodum docet Paulus,Rom.12. ℣. 6. Athanaſius, Auguſtinus, Cyrillus in diſputationibus contra Arrianos, Epiphanius,hæreſi 73. Nec enim ſancta Theologia eſt λογοδαιδαλία quædam in ſyllabarum ſono,aut in literis,ſed in ſenſu poſita. *Scire leges*, ajunt Juriſconſulti, *eſt non earum verba,ſed mentem tenere.*

Lib. 1. de Chriſto cap. 9. columm. 301. lib. 4.

Capite 9. quod ſcribit,*genitũ aut ingenitum*,neque ſubſtantiam neque accidens eſſe,aut ſignificare,etiam in divinis,& obſcurum & falſum eſt. Nam quicquid eſt vel dicitur verè de alio, illud vel ſubſtantia eſt, vel accidens: neque poteſt quicquam hanc : διχοτομίαν evitare. Unde dicitur:

Magnus Ariſtoteles trutinãdo cacumina rerũ
In duo diviſit,quicquid in orbe fuit.

Nempe ſubſtantiam & accidens. Deinde,ipſe Bellarminus hoc loco fatetur *genitum* relationem ſignificare,quę procul dubio accidens eſt in ea re, in qua ineſt,quatenus eſt relatio. Baſilius lib.1. contra Eunomium,Auguſt.lib.5. de Trinitate cap. 5. 6. 7. Cyrillus ubique, ſed inprimis libro de Trinitate, Lombardus lib. 1. ſent. diſt. 28. cap. 8 &c.ſen 2.& 3.fatentur omnia,quę ſunt eſſe ſubſtantiam vel accidens. Ergo & *ingenitum & genitum* ad alterutrum,cõtra ſententiam tamen Bellarmini,referantur: nimirum ad *accidens*,& quidem χωριςὸν ſeu ſeparabile,RATIONE ESSENTIÆ DIVINÆ. Alioqui quævis, ſeu quicquid eſt eſſentia divina,eſſet genita: Id quod eſt falſiſſimum. Ratione autem perſonarum, *genitum eſt accidens ἀχώριςον* & inſeparabile perſonæ Filii: *Ingenitum* ratione Patris. *Ingenitum* autem non ſolum relationis nomen eſt,ſed negationis per quam Pater ab ullo alio eſſe & emanare negatur. Ergo quamvis,ut ſuadet Baſilius lib.1.contra Eunomium,profana Philoſophia in his diſputationibus divinis ſobriè ſit admittenda: tamen rectè & verè conceditur etiam in hoc argumento *genitum & ingenitum*,ſicut diximus,eſſe accidens,quum non ſit eſſentia. Quia quicquid eſt,eſſentia eſt vel accidens,ne hoc Tranſylvanorum ſophiſmate terreatur Bellarminus.

Lib. 1. de Chriſto cap. 10. columm. 302 L D.

Capite 10. argumẽti quarti ſolutio, quã aſſerit,prorſus eſt aut falſa aut obſcura, dum ait: *Filium etiam in divinis generare poſſe: etſi actu non generat propter ea quod non eſt opus.* Ergo in Filio Deo potentiam conſtituit, quæ ad actum reduci non poteſt, atque ſic Deitas in Chriſto non erit merus actus. Ac conſtat ex l.1. Lombardi ſentent. Diſt. 20. c.2. quàm variè ſeſe torqueant in hac quæſtione ſententiarii. Reſponſio igitur vera, ſimplex & pia ex Baſilii lib.2. contra Eunomium eſt, *Generare & generari in divinis* (quod ad opera ad intra) *non eſſe eſſentiæ,ſed perſonæ incommunicabiles proprietates quatenus perſona hac perſona eſt,id eſt, Pater, Pater, Filius Filius.*

Lib. 1 de Chriſto cap. 11. columm. 302. L C.

Capite 11. quærit,utrum rectius dicatur Filius in divinis *Genitus* ſeu *natus* quam *gigni* ſeu *naſci*. Ac omnino in eo nutat ipſe. Nos reſpondemus. Opera Deitatis ad intra ſunt in perpetuo actu

ctu, quale eſt, *generare*, etſi noſtri ratione totius & (ut ita loquar) intelligibilius dicitur *Filius ex Patre natus quàm naſci.*

Lib. 2. de Chriſto cap. 12.

Capite 12. argutè diſputat de perſonæ Perfectione & Infinitate, &c. Sed facilior ſolutio & aptior eſt, *Perfectionem, Infinitatem*, &c. eſſe eſſentialia Deitatis attributa. Ergo tribus perſonis (quia ſunt una numerica unitate eſſentia divina) æqualiter competere & ineſſe. At *generare & generari* ſunt perſonalia attributa, quæ uni duntaxat perſonæ tribui poſſunt. Sed hæc perſona divina iſta attributa, Perfectionem, Infinitatem, &c. alio modo habet, quàm alia perſona, quemadmodum diverſo modo habet eſſentiam, quàm alia: Pater à ſe nimirum: Filius à Patre, reſpectu relationis.

Lib. 2. de Chriſto.

Cap. 13. 14. 15. 16. 17. quæſtione 1. de *emanatione, generatione, nativitate* argutas, inanes & ex puerili deceptione profectas proponit Bellarminus, atq; ex Thomæ 1. part. à quæſt. 30. ad 43. repetit. Nempe quod non vident, neque animadvertunt iſti, has voces, quibus *emanatio* perſonarum divinarum ſignificatur in ſacra Scriptura, ad noſtrum captum prorſus à Dei ſpiritu uſurpatas & accommodatas. Itaque Metaphoricam ſeu tranſlatam eſſe earum vocũ ſignificationem, non autem propriam & nativã, qualis eſt, quum iiſdem vocibus naturalibus explicandis utimur. Ergo Filii ex Patre *emanatio, generatio, & nativitas* appellatur. Filius quoque λόγος, & *verbum*, ſeu *ſermo* vocatur, & per modum eum, quo intelligendo aliquem conceptum producimus, ex Patre procedere dicitur. Verùm hæ locutiones & voces omnes, quibus tanta myſteria explicantur, planè ſunt tropicæ, figuratæ, tranſlatæ. Eodem modo quum de *Spiritus ſancti proceſſione* vel emanatione ex Patre & Filio agimus, & per modum Spirationis aut Amoris fieri volunt. Hæc omnis rerum tam auguſtarum explicatio verbis tropicè, figuratè, & tranſlatitiè ſumptis fit, quoniam verba propria nobis ad res tantas explanandas deſunt. Iſti tamen & ſententiarii omnes, quemadmodum & omnes hæretici Arriani, voces iſtas ſumunt & audiunt, quaſi abſque tropo in ſacra Scriptura poſitas & pronunciatas à Spiritu Dei. Quæ fallacia eſt turpiſſima, nimirum ab Æquivocis, quum tropica locutio abſque tropo ſumitur. Atq; etiam præterea ex rerum Naturalium lege & conditione in his rebus divinis, cœleſtibus & ſupernaturalibus argumentantur. Quæ eſt altera turpiſſima fallacia; Nempe Ignoratio Elenchi, ubi diverſarum rerum genera miſerè confunduntur. Inde has tot & tam multipliciterque inanes in hoc tam auguſto de S. Trinitate negocio quæſtiones iſti invehunt & proponunt, quibus & ſe & ſuos diſcipulos inaniter iſti Magiſtri fatigant, turbant, ac tandem incertos reddunt. Quæ enim obſecro quæſtionum iſtarum utilitas & ſcopus eſt? Legant pii & videant. Certè nulla utilitas. Imò quis eas intelligit, & earum ſolutiones? Vix magnus Apollo, aut certè nemo. Itaque rectè proverbium vetus monuit, *κακῶν διδασκάλων κακὰ μαθήματα*, &c.

Cap. 18. tres quoque curioſas quæſtiones, *an paternitas & filiatio ſit idem re cum* *Lib. 2. de Chriſto.*

cum eſſentia? apponit, in quarum ſolutione tamen & obſcurus & perplexus eſt. Non enim videt tres iſtas objectiones habere fallaciam accidentis, quum illud, quod de eſſentia divina conceditur, ad perſonas divinas transfertur, quę ab eſſentia differunt. Quod autem columna 310. L. D. ait, *eſſentiam fungi munere vocis univerſalis*, propè eſt, ut ſeipſum refutet, & quod ſcripſit ſuprà Col. 213. L. C. eſſentiam divinam neq; genus eſſe, neque ſpeciem, quod verum eſt.

Lib. 2. de Chriſto. Cap. 19. ex uno ore calidum & frigidum exhalat Bellarminus in re graviſſima & ſanctiſſima de Filio Dei, an ſit Deus ex ſeipſo, an tantùm ex Patre. Nam *primò* laudat Calvinum, qui Filium eſſe à ſe Deum vel αὐτόθεον docet: *deinde* modum docendi & probandi hoc in eodem vituperat. Sed redarguitur & ipſe Bellarminus, & Poſſevinus, Valētianus ac Lindanus, qui ideò Calvinum novæ hæreſeos Autotheanorum auctorem faciunt. Docet enim Calvinus, Filium duobus modis ſeu diſtinctè conſiderandum eſſe. *Uno* abſolutè abſque perſonæ reſpectu, ut eſt Deus, ſic ait, eum à ſeipſo, & alibi contra Gentilem, αὐτόθεον eſſe, non minùs quàm Patrem (alioquin non eſſet Jehova, & verè τὸ ὄν æquè ut Pater) *altero* relatè, ſeu cum reſpectu ad Patrem, ut eſt Filius. Et ſic ait, eum non eſſe à ſeipſo, neque αὐτόθεον: ſed ex Patre genitum. Calumnia igitur eſt manifeſta, quum quod Calvinus ſecundùm quid dixit, id ſycophantæ quaſi ſimpliciter dictum torquent. Ex qua proinde calumnia etiam minimè conficitur, quod Filium Deitatē ex Patre non habere ſtatuat. Apertè enim Patrem Filio eſſentiam ſuam, & quidem non ex parte, ſed integrā communicaſſe ſcribit, & contra Servetum ibidem defendit. Nihil ergo erroris Calvinus hîc deſignat; Adverſarii autem ejus ſentētiam mordentes errore tenentur.

Cap. 22. docens Bellarminus, *quum dicitur Spiritus ſanctus mitti, non tantùm dona ſancti Spiritus creata dari, ſed etiam cum illis donis ipſam Spiritus ſancti perſonā & contrarium aſſerere, eſſe manifeſtum errorem*, nimis dictatoriè & prorſus arrogāter pronunciat. *Lib. 2. de Chriſto.* Nam ſæpè veriùs de ipſis Spiritus ſancti donis, quàm de Spiritu ipſo ſancto, id eſt, illius perſona hæ phraſes, & ejuſmodi miſſio intelligitur, ut locus Joh. 14. ✝. 17. c. 16. 13. atque adeò ipſemet ille ✝. 26. in cap. 15. Joh. de donis Spiritus ſancti intelligitur, quam hoc in loco affert & urget Bellarminus. Præſentia quidem Spiritus ſancti per ejuſmodi dona & ſymbola, per quæ tunc extraordinariè agit, ſeque profert Spiritus ſanctus, illuſtrior & clarior apparet, quemadmodum quum in rubo apparuit Moſi Deus. *Exod. 3.* Perſona autem ipſa Spiritus ſancti præcisè de cœlo non ſupervenit aut deſcendit, ut neque Filii perſona, quū in rubo ſeſe in flamma manifeſtaret. Quod dicimus de Spiritu ſancto, confirmatur ex Paulo, 1. Cor 12. 7. Datur Spiritus, id eſt, declaratio Spiritus, & donum, Epheſ. 4. 7. Nec longa aut alia recitatione res eget.

Cap. 24. & 25. *de Spiritus ſancti proceſſione, & divinarum perſonarum inter ſe diſtinctione tam obſcurè, tam curioſè, tam perplexè, támque periculoſè Bellarminus diſputas*, ut applicari ei jure poſſit hoc Salo- *Lib. 2. de Chriſto.*

Digitized by Google

Prov. 15. 27. moneum, *Scrutator majeſtatis ab ea opprimetur.* Itaque in tantis arcanis nobis, quemadmodum jubet Paulus, Rom. 12. 3. ſapiendum eſt ad ſobrietatem. 1 Tim. 6. 16. Habitat enim Deus lucem inacceſſam. Paucis tamen, quod ille multis verbis agit, res ſic ſe habet. NON poteſt Spiritus ſanctus à Filio diſtingui, niſi per relationem originis oppoſitam. Ergo Spiritus ſanctus ſit à Filio neceſſe eſt, alioqui ab eo non diſtingueretur. PRIMUM videt ipſe, qua eſt animi ſolertia, totam hanc argumentationem eſſe meram tranſlationem rerum divinarum merúmque cœleſtium ad res terrenas, quales hîc cernimus, & ad earum legem & conditionem. Id quod eſt Paralogiſmus Ignoratio Elenchi dictus, in quo res diverſi planè generis confunduntur, nempe leges rerum cœleſtium & terrenarum. DEINDE vident omnes hoc ipſum probationis fundamentum ab adverſariis Græcis, qui hanc Spiritus ſancti ex Filio proceſſionem negant, dici poſſe fallaciam, quæ petitio principii vocatur. Neque miretur id à nobis dici, quum Johannes Scotus, Bellarmino ipſomet teſte, hoc firmamentum impugnet: ſaltem de eo dubitet. Column. 331. L. D. PRÆTEREA ex hac ipſa tam longa & perplexa hujus rationis confirmatione, quam affert Bellarminus in varia ipſe abſurda incidit, ſed inprimis hæc duo. *Primū* něpe Col. 332. L. D. quod facit *Spiritum ſanctū ſpirationē merè paſſivam.* Paſſio autem periculosè omnino Deo, ac proinde Spiritui ſancto tribuitur. Secundum abſurdum eſt, Col. 333. L. C. non repugnare uni perſonæ, ut *verbum ſit & amor*, id eſt, *Filius & Spiritus ſanctus.* En quò tandem iſtæ diſputationes curioſæ homines iſtos abripiunt? *Deinde*, tota hæc diſputatio & ratio eſt Paralogiſmus, ſive apud Thomam, ſive apud Bellarminum, ab æquivocatione: quia quod & patres & ſacra Scriptura tropicè & metaphoricè (illuſtrandæ duntaxat hujus rei cauſſa) dicunt & comparant ex Joh. 20. 22. Spiritus ſancti emanationem vel proceſſionem SPIRATIONI, ſumunt iſti quaſi ſine tropo enuncietur, & ex eo iſtos labyrinthos colligunt & quæſtiones infinitas congerunt ac fingunt. At rectè docet Hieronymus ex ſimilitudine, comparatione, parabolis in ſacra Scriptura contentis, nihil præter præcipuum & ſpectatum ab ea ſcopum eſſe colligendum. Quid ſi adverſus ejuſmodi rationem ἔνςασιν propoſuerimus Thomæ. Tam ſunt relationes originis oppoſitæ *mas & fœmina*, quàm *ſpirator & ſpiratus.* Ergo & hoc modo Spiritus à Filio diſtinguatur neceſſe eſt. Quis igitur iſtarum curioſitatum, obſecro, finis tandem eſſet? Ergo & originis relatione has duas perſonas divinas differre certo certius eſt: & Filii ex Patre emanationem nomine generationis, nativitatis, intelligentiæ, ſapientiæ, verbi à ſacra Scriptura ſeſe ad noſtri ingenii tenuitatem attemperante appellari, declarari, oſtendi, quia noſtris verbis de tanto myſterio loquendum illi fuit. Spiritus ſancti ex Patre & Filio velut unico principio emanationem vocabulo proceſſionis, amoris, charitatis, ſpirationis ſignificari conſtat tranſlatitia ſignificatione, non propria & naturali. Quare ex his vocibus, tanquam naturali ſignificato ſumptis, argumentari eſt cœlum terræ miſcere

Digitized by Google

miſcere, præter caſam fugere, & quod ajunt, nodum in ſcirpo quærere præter mentem Scripturæ.

Lib. 2. de Chriſto. Quid quod cap. 26. Bellarminus negat *repugnare uni perſonæ, ut ſit Filius & Spiritus ſanctus*? Quod annon tollit, aut neceſſariam eſſe negat Perſonarum in Divinitate diſtinctionem.

Lib. de Monach. c. 16. Idem de Monachorum votis diſputans, ac docens votum eſſe promiſſionem Deo factam, addit: *Qua ratione differt votum à juramento. Illud enim fit ſoli Deo & Sanctis, ut excellentiſſimo modo hi Dei naturam participant.* Quibus annon ſtatuit Dei naturam partibilem eſſe & communicabilem? Sed hoc & à Scriptura alieniſſimum eſt, & Patribus viſum eſt abſurdiſſimum.

Sic ergo Jeſuita ille & Adverſarii nō ſuam manticam, quæ à tergo eſt, inſpiciunt, in qua verè ἀθεόλογα, inepta, abſurda, hæretica, & Arrianiſmo ac aliis vetuſtis hæreſibus affinia abſtruſe fovent. Repurgent igitur priùs illa in ſeipſis, deinde ad alios emendandos ſe accingant. Ejiciant primò trabes illas ex oculis ſuis, ut Chriſtus monet, ac deinceps feſtucam ex oculis Euangelicorum, ſi quam in iis vident, evellant. Nam ſi aliqua eſſet in oculis Euangelicorum quoad Arrianiſmum, Tritheiſmum, ſimiliaque monſtra, pro opere charitatis haberemus, ſi eam libere indicare & emendare ſtuderent. Atqui quum nullam in Euangelicorum oculis inveniant, jus faſque requirit, & charitas fideſque Chriſtiana exigit, ut eos miſſos Papiſtæ faciant, ac pro orthodoxis & verè Catholicis, quales revera ſunt, habeant & ament. Quia autem trabes Hæreſeos, nugacitatis, cōtradicentiæ & maledicentiæ in ſuimet oculis fixas Papiſtæ tenent, quæ & ſcādalo toti Eccleſiæ Chriſti atque Turcis Judæiſque ab hac alienis ſunt, & ipſorummet ſaluti officiunt, iis diligenter corrigendis atque extirpandis operam dent, ut noſtra ſalus & Chriſti regnum in nobis utrinque propagetur.

IV. Traditiones an cum Arrianis Euangelici rejiciant. Quarto tamen loco blaterat Bellarminus, Euangelicos cum Arrianis eò conſentire, *quod Traditiones recuſant.* Quomodo hoc intelligit? Qui hoc ſentit? Verbum ὁμοούσιος Arriani reſpuebant, quod ſignificat *conſubſtantialem* nempe Chriſtum Dei Filium Deo Patri. Ac ideò id nomen renuebant Arriani, quia non expreſsè in ſacris Scripturis legeretur & inveniretur, etſi ejus ſenſus ibi habeatur. Quaſi hæc nominis ὁμοούσιος uſurpatio ſit traditio.

Lib. de decretis Niceni Concilii. Probare id nititur lib. 4. de verbo Dei cap. 7. ex Athanaſio, qui dicat: *Se ſuam ſententiam* (loquitur περὶ τοῦ ὁμοουσίου) *à Patribus per manus traditam accepiſſe.*

Lib 4 de notis Eccleſiæ cap. 9. Hinc Bellarminus. *Hunc*, inquit, *Arrianorum*, ſcilicet, traditiones aſpernantium *errorem docent omnes hujus temporis hæretici*, *Sectarii enim omnes hujus temporis*, Omnes Traditiones *rejiciunt, ut patet ex Brentio & Calvino & aliis.*

Quid ait? 1. Vocat recuſationem traditionum errorem Arrianorum. 2. Omnes hæreticos & ſectarios eum tenere. 3. Eoſdem traditiones omnes rejicere. Tria ſunt omnia, & totidem mendacia.

I. Arriani nō ex traditionibus, ſed Scripturis refutati. Primo enim doceat Bellarminus, ſi poteſt, Arrium omnem abjeciſſe traditionem, imò vel unam. In promptu

eſt,

Digitized by Google

eſt,inquit, ὁμοούσιος, vocula. Hæc verò ſi nomen ſpectemus, non erat, ut norunt omnes, traditio Apoſtolica, ſed Eccleſiaſtica, & tunc nova, ſed tamen ſalubriter ad articuli controverſi expoſitionem inventa, ſi rem & dogma ipſum reſpicimus. Etenim illud dogma, Filium Deo Patri eſſe ὁμοούσιον, i.e. conſubſtantialem, eſt in Scriptura ſacra expreſſum. Habetur enim, ubi ille *Patris Filius unigenitus*, dicitur, Joh. 3.16. Item, quando ipſe teſtatur: *Ego & Pater unum ſumus*, quod etſi minus eſt congruum teſtimonium (ut ſuprà explicatum) tamen nos libenter contra Arrianos & iis ſimiles eo utimur. Item, quãdo dicitur *in forma Dei, Deoq; æqualis eſſe*, Phil. 2.6. Adhæc, quando ipſi *opera Dei Patris propria* tribuuntur: ut ſuprà oſtendimus.

Joh. 1.14.

Joh. 10.30.

Neque obſtat Sabellianorum ratiocinatio ex Joh. 10.30. dum Filium & Patrem eundem & unum eſſe contendunt, neque tamen diſtingui poſſe affirmant, dicendo: *Omnia quæ ſunt unum, diſtingui non poſſunt. Pater & Filius ſunt unum*, Joh. 10 30. *Ergo Pater & Filius diſtingui non poſſunt.* Nam propoſitio ſive prior enunciatio falſa eſt: quia quæ ſunt unum, uti duo homines, etiam ſæpè ſeparari poſſunt, nedum diſtingui. Itaque ea major propoſitio neganda eſt Sabellianis.

Neque obſtat Arrianorum argumentatio contra locum Apoſtoli Phil. 2.6. quo ut Chriſtum Deo Patri non ὁμοούσιον & æqualem, ſed diſſimilem eſſe probent, ita ratiocinantur: *Omne illud, quod eſt forma, vel in forma alterius, differt ab eo, cujus forma eſt. Chriſtus autem eſt in forma Dei, Phil. 2.6.* Ergo *Chriſtus differt à Deo.* Nam in hac argumentatione eſt fallacia ex vocis *forma* multiplici ſignificatione ſeu æquivocatione. Etenim forma alterius eſſe poteſt vel Externa tantùm, vel Interna etiam. *Externa* alicujus rei forma eſt veluti pictura, adumbratio, ſimilitudoque alicujus rei, quæ forma differt à reipſa veraque ejus natura & definitione, uti pictura hominis à homine. At *interna* forma rei, eſt ipſa rei natura, quam Phyſici μορφὴν vocant, & vera definitio, uti forma hominis, eſt eſſe animal rationale. Hæc forma non differt à reipſa, cujus formam & propriam naturam habet. Sic Chriſtus formam Dei internam, id eſt, veram Dei naturam habuit ab æterno, quia eſt Deus in ſecula laudandus, Rom. 9.5. & idcircò naturâ à Patre non differt, ut Arriani ſentiunt. Ac animadvertenda eſt metaphora, & tropus ſeu orationis elegantia, quâ Chriſtus Phil. 2.6. dicitur ἐν μορφῇ θεοῦ, in forma Dei fuiſſe. Nam vox Phyſicorum μορφὴ ad Deum, qui toto genere in phyſicis differt, tranſlata eſt, quia ad noſtrum ſenſum Dei & Chriſti natura fuit explicanda. Unde fit, ut ſi quis citra figuratam locutionem hanc vocem formæ explicet, aut ex ea concludat, fallat & fallatur.

Neque obſtat ἔνστασις & inſtantia Arrianorum, qua Chriſtum eſſe quidem Dei Patris Filium ajunt, ſed tamẽ eſſe æternum negant, & ſic arguunt: *Ubicunque vox hac* Hodie *à Scriptura additur denotatur cœptum & non æternum tempus. At quum in generatione Filii Dei de Patre loquitur Scriptura, vox hac* Hodie *Pſal. 2.7. additur. Ergo in generatione Filii Dei de Patre, denotatur cœptum & non æternum*

num tempus. Nam in hac argumentatione MAJOR item falſa eſt, quæ neganda, quia vox hæc HODIE, quæ in aliis Scripturæ locis adjicitur, perpetuum actum extra omne tempus denotat, ut ex Heb. 3. 13. conſtat. Ita veteres ſolent. Quanquam aliud etiam reſponderi poteſt, nimirum ut MINOR propoſitio à nobis diſtinguatur.

Hinc factum eſt, ut orthodoxi Patres in propugnanda Filii cum Patre ὁμουσίᾳ & æqualitate ſeu conſubſtantialitate, non ad Traditiones quaſdam ἀγράφους, ſed cum ad jam demonſtrata & cõmemorata, tum ad alia Scripturæ loca confugerint. E quib. apodicticè probarunt, Chriſtum Filium Dei conſubſtantialem & ὁμοούσιον, eſſe Patri in Scriptura ſacra haberi.

Quod igitur Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 6. traditiones non ſcriptas ex Conciliis probare vult ac adducit 1. Nicenum, quia id ex doctrina non ſcripta condemnaverit Arrium, ac argumentatur. *Quod fecit Concilium Nicenum, hoc & nos facere debemus. Sed Conciliũ Nicenum condemnavit hæreſin Arrianam ex doctrina non ſcripta, id eſt, ex traditionibus. Ergo & nos ex doctrina non ſcripta, hoc eſt, ex Traditionibus hæreſis damnare debemus*, id dupliciter falſum eſt. Nam MAJOR non eſt ſimpliciter vera. Etenim & Concilium Nicenum ſe mutuis conviciis penè conſcidit. Quod nemo ſanus, opinor, jure cenſere poteſt imitandum eſſe. Deinde MINOR eſt ſimpliciter falſa. Epiſcopi enim ex ſacra Scriptura allegarunt teſtimonia, quæ Arrii hæreſin jugularunt, ut teſtatur Theodoretus lib. 1. c. 8. Ac Baſilius fatetur, ſe adverſus hæreticos quædam vocabula etiam non ſcripta uſurpaſſe ſed tamen quæ à ſenſu ſacris literis conſentaneo neutiquam abhorreant.

Tract. de vera fide.

Idem fatetur & docet Bellarminus l. 4. c. 1. de Verbo Dei pag. 314. *In illis* (loquitur de Concilio Niceno) *quæſtionibus quæ tunc erant extabant in Scriptura clariſſima teſtimonia.* Item. *Hæreſis Arriana ex ipſis Scripturis expreſſè refutatur.* *§. Profectò.*

At hic ſui oblitus contrarium docet & pugnandi cupidus dicit illa verba, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν εἶναι, non extare in Scriptura. Sed reſpondent Patres Niceni τὰ προειρημένα πάντα ταυτὴν ἔχει τὴν σημασίαν, *Allegata omnia Scripturæ teſtimonia idem ſignificant.* Unde apparet Patres nihil docuiſſe ex Traditione non ſcripta, ſed neceſſariam Scripturarum explicationem attuliſſe, vel dixiſſe illud, quod neceſſariò ex Scriptura colligi poteſt. Et ne aliquid viderentur immutaſſe, addunt Patres: *Suos ante ſe idem iiſdem verbis docuiſſe.* Videte ergo cedò ô pii Lectores, quàm moroſi & iniqui ſint Adverſarii Papiſtæ, qui Arrianos & hæreticos non aliter quàm per Traditiones non ſcriptas ſcilicet in verbo Dei, damnari volunt. Nã contrà Patres ſanctiſſimi illos non ex Traditionibus ſed potiſſimum ex Scripturis redargui & condemnari jubent.

SECUNDO omnem ab Euangelicis Traditionem negari atque reprobari falſum eſt. Euangelici enim omnes aliquas amplectuntur, non omnes traditiones rejiciunt, ſive Traditiones ſcriptas, ſive non ſcriptas intelligas. Teſtatur hoc ex Adverſariis LINDANUS, qui Panopliæ lib. 2. cap. 2. ſcribit: *Brentius in Apologia, nequid, ait, ambiguitatis in nomine traditionis relinquatur, non loquimur nunc de ea traditione, qua nobis S.*

2. Euangelici non omnes traditiones rejiciunt.

 Scriptura

Digitized by Google

Scriptura & quæ in ea continentur à Majoribus tradita ſunt: NAM HANC TRADITIONEM AFFIRMAMUS ESSE CERTAM, FIRMAM ET INDUBITATAM: *ſed de Traditionibus aliis loquimur, quæ* NON SUNT AB APOSTOLIS *ſcriptis mandata.* Hanc Traditionum omnium dominam, videlicet ſacrã ſcripturam, ſeu Traditionem ſcriptam, Euangelici omnes ſtudioſiùs quàm ulli alii Chriſtiani venerantur & colunt.

De verbo Dei lib. 4. cap. 3. Ad non ſcriptas quod attinet Traditiones, Bellarminus quoque negans ab Euangelicis omnes Traditiones ſuſcipi, quaſdam tamen *non ſcriptas* illis concedit. Nam ſcribit: *Proteſtantes* CONCEDUNT *Apoſtolos quædam inſtituiſſe, quæ ad Ordines Eccleſiæ ſpectant, dies quoſdam* FESTOS *obſervant.* Non itaque ritus aliquos traditos, ſed doctrinas non traditas Euangelici averſantur. Ac ut uno verbo abſolvamus: Eatenus Traditiones Euangelici recipiunt, quatenus ſacris Scripturis conſentiunt, nullam verò Traditionem repudiant, quæ non vel per ſuperſtitionem omitti debeat. Neque de nominibus & vocabulis contendunt, neque tam nova Pontificiorum ac aliorum verba, quàm nova dogmata à Scripturis aliena rejiciunt, recuſant, damnant.

De Traditionibus vera & falſa doctrina ſuccinctè, contra librum quartum Bellarmini de Verbo Dei non ſcripto, excutitur.

NOTITIA autem veræ doctrinæ de TRADITIONIBUS quum vel hoc nomine ſummè neceſſaria & utilis videatur, quia à Papiſtis ii Catholici & orthodoxi habentur, qui traditiones ſequuntur, ii verò hæretici cenſentur, qui traditiones non amplectuntur, agite totum librum quartum Bellarmini de verbo Dei non ſcripto, id eſt, de traditionibus breviter percurramus. Non enim commodiùs & ſuccinctiùs totam rationem traditionum percipere poterimus.

Capite primo recenſet, *quinam potiſſimum defenderint vel oppugnaverint non ſcriptas traditiones.* Sed quæ ita tractat Bellarminus, meram ingenii oſtentationem, & convitia impudentiſſima in Euangelicos Doctores continent. Itaque quoad propugnatores traditionũ non ſcriptarum Papiſtæ ipſi ſemet in iis laudandis redarguunt, ut deinceps elucebit. Quoad oppugnatores earum cujuſmodi ſunt Euangelici, hoc Pſal. 120. 7. cuique illorum convenit: *Ego vir pacis ſed quum loquor, ipſi commoventur ad bellum.* Et erigimus nos in opprobrio illorum hoc Chriſti: *Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ipſius, & ut ſervus ſit ſicut Dominus ipſius. Si enim ipſum patremfamiliâs Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos ejus.* Math. 10. 25.

Capite 2. *quid ſit, & quotuplex traditio ſit,* docere vult. Sed in ipſo ſtatim limine impingit. *Traditionis vox quid ſignificet.* Vim enim vocis hujus TRADITIO, & notionem vocabuli ignorat, dum *ad doctrinam non ſcriptam* omnino reſtringendam docet: & tamen de traditionibus iſtis, quas, quid ſint, neſcit, ſcripturum ſe pollicetur. *Atqui* 1. Apoſtolus 2. Theſſ. 2. 15. & Patres nomine traditionis ſignificant doctrinam literis mandatam, & objectiones Bellarmini refutat Lubertus lib. 7. *Cyp. epiſt. 74.*

de

Digitized by Google

de principiis Chriſtianorum dogmatum cap. 8. pagina 521. *Deinde*, etiam traditio non ſcripta aliquando accipitur, quæ non quidem Scripturæ verbis, ſed ſenſu comprehenditur. Auguſtinus de Geneſi ad lit. lib. 10. cap. 23. & lib. 2. de Baptiſmo. *Tertiò*, traditionis nomen ſæpè ſumitur pro conſuetudinibus de rebus liberis, vel ritibus Eccleſiaſticis, &c. Hieronymus ad Lucinum, & in Aggæum. Tertullianus de corona militis cap. 34.

Traditionũ diviſio inepta.

Adhæc Paralogiſmus eſt manifeſtus petitio principii dictus, & puerilis tota Bellarmini diſtributio traditionum, in *divinas*, in *Apoſtolicas*, & in *Eccleſiaſticas*. Aſſumit enim pro conceſſo & vero, quod eſt in quæſtione poſitum, & à nobis jure negatur, videlicet eſſe quaſdam *divinas & Apoſtolicas traditiones* extra ſacram Scripturam, & eas ipſas à nobis rejici. Falſiſſimum hoc. Nam de ſolis Eccleſiaſticis traditionibus ſeu humanis, quas vocant, quæſtio & diſceptatio inter nos ac Papiſtas eſt, quoniam eas ſolas ſive ſcriptæ ſint, ſive nõ, & quidem quales iſti invehunt, oppugnamus.

Illa verò quam ſunt inepta, quicquid ad eſſentialem S. Cœnæ inſtitutionẽ pertinet, nõ eſſe ab Euangeliſtis traditum & ab Apoſtolis ſcriptum, quum ad ea ſola, quæ ab iis ſcripta ſunt, nos in hac quæſtione S. Paulus 1. Cor. 11, revocet. Item falſum eſt, jejunium Quadrageſimæ eſſe Apoſtolicam Traditionem, quum in libris Conciliorum ipſimet fateantur, hoc primum à Pontifice Romano Teleſphoro eſſe inſtitutũ. Quatuor item temporum jejunium eſſe Traditionem Apoſtolicam, ineptiſſimum ac falſiſſimum eſt. Calixtus enim 2. ea circa Annum Domini 1125. inſtituit. Et eſt expreſſum in Can. jejunium & ſex ſeq. Diſt. 76. in Decreto Gratiani. Quid igitur hic Bellarminus nugatur?

De traditionibus ſtatus quæſtionis.

Capite 3. quædam generalia, quædam ſpecialia tractat. GENERALIA ſunt, quæ de ſtatu hujus controverſiæ de Traditionibus triplici modo Bellarminus affert. Hunc ita definit, ut planè appareat, eum repugnante conſcientia de hac controverſia ſcripſiſſe. Dicit enim 1. hunc eſſe controverſiæ ſtatum, *omnia ad ſalutem neceſſaria Dei verbo expreſſe contineri*. & hujus ſententię affirmativam nobis tribuit, negativam verò ſibi & ſuis vendicat. Verùm, nos non dicimus OMNIA ad ſalutem neceſſaria expreſſe contineri in Verbo Dei ſacris Scripturis comprehenſo: ſed aſſerimus quædam expreſsè in eo contineri, quædam neceſſariò ex eo deduci. Exempli gratia, Baptiſmus puerorum, Conſubſtantialitas Patris & Filii non expreſſis verbis in ſcriptura poſita ſunt, ſed neceſſariò ex ea colliguntur. Atque hæc non tantùm eſt noſtra ſententia, ſed & veteres idem nobiſcum hac in re ſentiunt. Vide Auguſt. de Baptiſ. contra Donatiſt. l. 2. cap. 14. & lib. 4. c. 23. Nazianz. l. 2. 5. de Theol. Baſiliũ de Vera Fide. Ideò rectè noſtri idem ſentiunt atque docent, ut Calvinus l. 1. Inſtit. c. 13 §. 5. Sadeel. de Verbo Dei ſcripto c. 5. Chemnit. in Examine concilii Tridentini, part. 1. in 5 gen. Trad.

1.

Non omnia ad ſalutem neceſſaria Scripturis contineri, ſed inde deduci.

2. Traditiones, quæ ſemper & omnibus ſint obſervandæ.

Præter hanc controverſiam Bellarminus ſtatuit & aliam, nempe *omnes Apoſtolicas traditiones eſſe omnibus hominibus ſemper ſervandas*. Quod miramur homini

Digitized by Google

mini literato excidiſſe. Nam *prohibitio ſanguinis & ſuffocati*, Act. 15. 29. eſt traditio Apoſtolica, at jam ante multa ſecula excidit. Quod ipſe Bellarminus negare non poteſt, & eſt inſtar omniũ.

Traditiones Apoſtolicæ, quæ ſint veræ.

Quod autem ad rem attinet, dicimus Apoſtolicas traditiones *alias* eſſe de doctrina & moribus, de quibus non contendimus. Anathema enim ſit, qui eas negat obſervandas eſſe. *Alias* περὶ τῦ πρέποντος eſſe ſtatuimus, id eſt, ad decorum ſervire. Et in his dicimus *duo* eſſe, unum *eſſentiale*, utpote ipſam utilitatem, vel ædificationem proximi: alterum *accidentale*, utpote externas circumſtantias, videlicet perſonas, tempus, locum & materiam. Illud dicimus omnibus hominibus eſſe obſervandum, hoc eſſe à nobis referendum ad ædificationem proximi, &c.

3.

Traditiones Papiſticæ carent fundamento ſolido.

Bellarminus etiam tertiam controverſiam adjungit, nempe *eſſe rationem inveniendarum Apoſtolicarum traditionum*. At hoc prorſus nihil ad rem facit. Cœna enim Domini eſt, ut ante diximus, Apoſtolica traditio, teſtante Apoſtolo 1. Cor. 11. ℣. 23. Quis autem negat eſſe rationem, quâ poſſimus cognoſcere, hanc eſſe Apoſtolicam? Nam ex Euangeliſtis & Apoſtolo, 1. Cor. 11. ratio cognoſcendi id patet, ac conſtat. Bellarminus ergo hîc pugnat ſine adverſario. Si tamen quis rem ipſam intuetur, ille videt hunc eſſe cardinem controverſiæ; Videlicet, ſintne omnes ritus, ceremoniæ, doctrinæ, & omnes doctrinæ partes, quæcunque in Papiſticis Eccleſiis uſurpantur, æquè obſervandæ atque ſcriptum Dei verbum? Nam quum de aliquo dogmate controverſo contendimus, vident Papiſtę, an hoc ex ſacris & canonicis literis probare poſſint. Si hoc facere non poſſunt, tranſeunt ad Apocrypha; ſi illa non habent auxilium, pergunt ad verſionem vulgatam; ſi neque illa auxilium afferre poteſt, pergunt ad Papæ interpretationem; verùm ſi neque illa opem fert, contendunt ad ultimum auxilium & effugium, nempe ad traditionem. Hoc modo purgatorium, cœlibatum ſacerdotum, interceſſionem ſanctorum, adorationem mortuorum & hoſtiæ, aliaq́ue innumera defendũt. Unde apparet, hunc eſſe veræ controverſiæ ſtatum inter orthodoxos & Papiſtas: Sintne omnia iſta, quæ in Papiſticis Eccleſiis uſurpantur, æquè obſervanda, atque verbum Dei ſcriptum. Hoc eſt, an conſuetudo & traditio Romanæ Eccleſiæ ſit Chriſtianorum dogmatum principium? Hujus negativam orthodoxi ſuſtinent, affirmativam Papiſtæ tuentur? Negativæ noſtræ rationes ſunt. 1. Quia Romanæ traditiones & conſuetudines pleræq; ſub velamine gravitatis, honeſtatis, decori, ſanctitatiſque ſunt inutiles, ineptæ, ridiculæ, operoſæ, hiſtrionicæ, moleſtæ & oneroſæ, ut confeſſio auricularis, ciborum, dierum & veſtium diſcrimina, votivæ peregrinationes, proceſſiones, univerſaria ſacra, lumina diurna, &c. II. Quia accedit iis perſuaſio cultus & meriti per ſe & ex opere operato, &c. III. Quia anteferuntur doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ, more Phariſæiſmi Math. 15. 6. IV. Quia pugnant cum analogia fidei, & propter ſuperſtitionem ac fiduciam ſalutis iis affixam à Chriſto abſtrahunt. V. Quia ut laqueus injiciuntur contra

Traditiones Papiſticæ rejiciendæ.

Digitized by Google

tra libertatis Chriſtianæ leges, &c.

Specialia ſunt, quæ de undecim exēplis Apoſtolicarum traditionum peculiariter à Chemnitio rectiſſimè allatis, à pagina 158. uſque ad caput 4. magno labore, ſed fruſtrà confutare conatur. Nam cavillatur tantummodò Bellarminus, ut cuivis ipſius ſolutiones legenti facilè liquet. Ita enim in iis vacillat, ut apertè ad 2. argumenta Chemnitii fateatur, magnam Canonis Miſſæ partem etiam 200. annis poſt Apoſtolorum obitum inventam eſſe. Ad 4. Chemnitii argumentum, & quod in cœna aqua vino miſcetur, & aqua in templis ſale conſperſa benedicitur, ſcribit eſſe tantùm conſuetudinis Eccleſiæ, non autem inſtitutionis Chriſti, à quo tamen ſolo Sacramenta ſint inſtituenda. Secum igitur conſentiat ipſe, qui noſtris diſcordiam inter ſe objicit. Ad 8. fatetur conſecrationem Altarium eſſe Sylveſtri inventum, uti quatuor temporum jejunium Calixti in reſponſione ad 6. In reſponſo ejus ad 9. argumentum eſt Paralogiſmus ab amphibologia. Extraordinariam enim & miraculoſam unctionem, de qua Marc. 6. & Jac. 5. legitur, cum ordinaria, & quæ nullum miraculum habet, qualis in Papatu obſervatur, confundit contra Chemnitii mentem. Ad 10. paralogiſmum à non conſequente committit, dicens: Cyrillus meminit factæ ſanctorum in S. Liturgia commemorationis: Ergo docet ſanctorum invocationem. Non ſequitur. Aliud enim eſt, fuitque ſemper commemoratio ſanctorum in S. Liturgia: aliud eorum invocatio. Hæc à Syricio inſtituta, illa vetuſtiſſima, de qua non agit Chemnitius. Ad reliqua Chēnitii exempla & argumenta non reſpondet, ſed apertè tergiverſatur Bellarminus.

In R.

Col. 155.

Objicit interim ille noſtris contradictiones & mendacia, ſed fingit ea & nugatur, ipſeq; ea manifeſtè deſignat. Nam concedit noſtris, Deum mandaſſe Apoſtolis, ut Novum Teſtamentum ſcriberent. Vix tamen quinque poſtea lineis negat ipſe, Deum Apoſtolis præcepiſſe ut id literis mandarent, ſed duntaxat docerent & prædicarent. Quaſi quum abſentes ad Eccleſias ſcriberent, non eaſdem docuerint. Verum tamen tunc maximè docuerunt ut Phil. 3. 1. 2. & 2. Pet. 3. 1. patet. Eſt igitur Paralogiſmus à figura dictionis, quia *prædicare* pro ſimpliciter ſaltem viva voce docere ſumit iſte, quum generaliter tamen docere & annuntiare tam oretenus quàm ſcripto Apoc. 14. 13. ſignificet. Nam ut docet libro περὶ ἑρμηνείας, i. e. de interpretatione Ariſtoteles, ſcriptura vocis loco fungitur. Idem exemplo Zachariæ Luc. 1. 63. qui vice vocis ſcripturam in pugillaribus edidit, probatur.

Col. 157. L.C.

Math. 28. 20.

Cap. 4. GENERALIA, quæ ſuperiore inceperat, proſequitur. Sunt autem, quæ nempe Traditiones ab Euangelicis damnentur. Planum fit cum ex eo ipſo capite tertio ſupra, tum ex aliis noſtrorum ſcriptis. Quum enim vel ipſo Bellarmino teſte columna 156. L.B. (tantum poteſt veritas) Euangelici velint ac contendant, totam ſive de fide, ſive de moribus doctrinam neceſſariò ſacra Scriptura contineri, conſtat nos minimè movere controverſiam de iis

De traditionibus nō ſcriptis maximè controverſiam eſſe, nec tamen omnibus non ſcriptis.

Digitized by Google

iis,quæ in Dei verbo ſcripto expreſſa ſunt aut neceſſaria conſequentia inde deducũtur ſive Traditiones ſive doctrina vocentur, uti Act.16.4. 1.Cor. 11.23. 2.Theſſ.2.15.ſit,ſive ad politiam Eccleſiæ ſpectant, quemadmodum 1.Cor.4.17. & 11. 34. ac.14. 40. ac 2. Theſſ.2.2. docetur. Omnia enim quæ in ſacra Scriptura traduntur eo ſenſu, loco & modo admittimus, & valere volumus, quo ipſum Dei verbum eodem compræhenſum illa præſcribit obſervari: ſicut Chriſtus Math.28.20. & Apoſt. Gal.1.8.9. 2.Tim.3.14.15.16. monet.

Ex quo jam apparet de ſolis iis Traditionibus,quæ in verbo Dei ſcripto nequaquam continentur,aut non rectè & neceſſariò ex eo deduci ac probari poſſunt, controverſiam eſſe: ſed neque etiam de omnibus. Nam quæ extra Verbum Dei ſcriptum tradidit Eccleſia vel *Univerſa*, quemadmodum Concilia Oecumenica: vel *Particularis* veluti quidam Epiſcopi, id eſt, Eccleſiarium particularium Paſtores: ea vel ad decorum & politiam Eccleſiæ duntaxat conſtituta ſunt,vel ad Dei cultũ & fidei articulos creditu neceſſarios. Si ut eſſent pars veri cultus Dei,& ſi ut fidei noſtra articuli ad ſalutem neceſſarii traduntur, has omnes ac hujuſmodi traditiones,quoniam à Deo ipſo expreſſè damnantur,planè& omnino rejicimus. Loci ſacræ Scripturæ nos hoc jubentes, ſunt Deut.12.8. Joh.22.22. Iſa.29.13. Math.15.9. 1.Cor.7.12. Col. 2.23.Et hæ traditiones vulgo per contentum Humanæ,id eſt,ab hominibus inventæ nominantur. *Math.16.6.* Sin autem quædam conſtituta ſunt ad ſolum Eccleſiæ decorum, & politiam externam, eas traditiones facilè in iis locis probamus, in quibus jam ſunt receptæ & comprobatæ, modò has tres conditiones habeant, nimirum *Ne* quid factu vel in ſpeciem puerile & turpe jubeant: *Ne* quid ſuperſtitioſum, id eſt,in quo meritum ullum operum aliquod ſtatuatur,& Dei gratiæ contrarium contineant ac doceant: *Ne* venimia ſua multitudine Eccleſiam onerent. NOBISCUM planè conſentit Bellarminus columna 187.2. c.in medio, ut ibi invenitur. His ita conſtitutis,in quibus eſt ſumma totius ſtatus controverſiæ cum Papiſtis noſtræ de Traditionibus quomodo vel pugnet,vel velitet contra nos,videamus.

Conditiones traditionum non ſcriptarum in Dei verbo.

PRIMUM ab hoc capite quarto uſque ad 10.fruſtra & chartas commaculat, & tempus terit. Nec enim vel negamus aliquas traditiones & regulas ab hominibus de Politia & decoro Eccleſiæ ſcribi atque præcipi poſſe, quæ ſi nullum vitium habeant, ſint ſervandæ tanquam Eccleſiæ decorum duntaxat non ut articuli fidei. Vel eas eſſe ſervandas,quæ ſunt in ſacris & Apoſtolicis ſcriptis, quamdiu & quatenus eæ obſervari jubentur,ut Act.15.29. extat. Vel denique aliquas utiliter etiam à conciliis, ſive nonnullis piis Epiſcopis præceptas uſurpandas ad ſolum tamẽ Eccleſiæ decorum,non ad Dei cultum vel ut eſſent fidei noſtræ articuli,referendas. Aliud probet Bellarminus,& vicerit. Conatur ergo, & aliquot argumenta contra affert.

Traditiones ad politiam & decorum Eccleſiæ pertinentes eſſe ſervandas.

Primum ipſius argumentum eſt: *Diu Deum coluit Eccleſia abſque Scriptura, ſed ex ſola traditione.* Gen.18.19. Job. per totum.

Col.160. lib.4.

tum. Exod.13.8. Deut.32.7. Jud.6.13. Pſal.43.1. 77.7. Eccleſ.8.11.4. Reg.21.

Scripturas ſacras ſine traditionibus nec eſſe neceſſarias, nec ſufficientes refutatur.

Ergo poſtquam ſacra ſcriptura Dei juſſu edita eſt, ex traditione quoque non ex ſacra ſcriptura colendus eſt Deus. Sed hæc minimè eſt argumẽtatio, verũ Paralogiſmus,& is quidem multiplex. UNUS ab ignoratione elenchi. Nam confundit tempora Bellarminus. Nos enim nequaquam ex traditionibus Deum colendum eſſe docemus, poſteaquam Deus ſuum ipſe Verbum in literas mitti juſſit. Sic cum Moſe Deut.12 8. ſentimus. ALTER paralogiſmus eſt ab accidente. Verbum enim Dei illud ſolum eſſe,& ſemper fuiſſe Bellarminus exiſtimat, quod ſcriptis mandatum eſt, etſi verè conſtat à Deo præceptum & revelatũ fuiſſe. Fallitur.

Verbum Dei ut à principio mundi fuerit.

Perinde enim Patres Deo ſervierunt, qui Dei mandatum ſibi factum ſervarunt, incorruptè & memoriter, atque ſi illud ſcriptum ab iis fuiſſet: quum idem purum, non autem corruptum cuſtodiret. Sed nos Deo jam ex ſolo ſcripto ipſius verbo ſerviẽdum docemus & ſentimus, quia nullũ aliud verbum habemus ab eo revelatum, quàm quod ſcriptum eſt. Ergo illi Patres Deo ſervierunt non ex traditione & hominum præceptione, qualem adverſus Papiſtas rejicimus & damnamus, ſed ex ipſius verbo certo & manifeſtato, id quod omnino pugnat cum Dei cultu, qui fit ex hominum traditione, de qua nunc agimus. Unde ſuam ſententiam non confirmat hoc argumento Bellarminus. TERTIUS in hac eadem collectione paralogiſmus eſt, à petitione principii.

Col.160. lib.4.

Falſum enim ſupponit, & ſibi concedi poſtulat, dum ait, *Ante Moſem nullam divinam Scripturam extitiſſe & fuiſſe.* Fuit enim ſaltem liber Enochi, cujus Judas in epiſtola ſua ℣.4. meminit. Liber Jobi etiam ante Moſem ſcriptus videtur, quum is hunc ætate anteceſſerit, ut Ludovicus Lavaterus homilia 2.in Jobum probat. Sunt, qui ſe librum Abrahami Patriarchæ editum legiſſe affirment: ut Lambertus Danæus in 4. cap.lib.4. Bellarmini de verbo Dei.

Col.161. lib.4.

Secundum Bellarmini argumentum eſt, ab inſufficientia ſacræ Scripturæ ductum. Ait enim, *non eſſe ſacras Scripturas ſufficientes ad doctrinam ſalutis, vera & plena Dei notitia, fidei in Chriſtum noſtra, cultúſque divini, quia multi ſacri libri ſunt amiſſi, multi non unus duntaxat ſcripti & editi.* RESPONDEMUS. Paralogiſmus eſt à non conſequente. Nam qui plures ſacri libri ſcripti ſunt, unam & eandem doctrinam ſalutis, fidei, cultus ac cognitionis Dei continent, quæ vel in uno duntaxat libro ſuperſtite, cæteris amiſſis reſtat. Neque propterea doctrinæ ſalutaris eſſentia eſſet imminuta aut manca, ſed difficilior duntaxat illius interpretatio, ſi alii libri præter unum amitterentur. Ait Paulus, ſe ex tota Euangelii doctrina didiciſſe hoc breviſſimum, *Jeſum Chriſtum*, nempe *crucifixum.* Reliqua igitur Evangelica ſcripta ſunt hujus ſententiæ explicatio ſolùm & confirmatio.

1.Cor.2.2.

Ergo plures & ſub lege & ſub Euangelio libri ſcripti ſunt, ſed de iiſdem rebus qui non habent diverſam doctrinam: & illi omnes ac ſinguli libri ſunt teſtimonia unius & ejuſdem doctrinæ, ut Iſaias cap.8.℣.20. docet, *Ad legem & teſtimonia*, quæ ſunt Prophetica ſcripta. Nam Prophetæ fuerunt, duntaxat in-

 terpre-

Digitized by Google

Reliqua, quæ in hoc capite 4. Bellarminus tractat, ſunt meræ conjecturæ, quæ nihil veri & ſolidi habent.

Hæretici Scripturas traditionibus poſtponentes.

Notate verò inprimis hoc benevoli & pii lectores. Toto quidem capite 3. colum. 156. & deinceps vult conſtituendas eſſe præter ſacram Scripturam traditiones non ſcriptas, & quidem æquè atque ipſummet Dei verbum ſcriptum, pro juſto dogmatum ac fidei Chriſtianæ fundamento column. 172. L. B. Et tamen poſtea cap. penultimo col. 197. L. B. ingenuè fatetur & agnoſcit ex Irenæo & Tertulliano, hác ſemper fuiſſe propriam hominum hæreticorum technam, ut traditiones Scripturis divinis prætulerint, vel æquaverint, contenderintque non omnia in Dei verbo ſcripto comprehenſa eſſe, quæ piis ſunt ſcitu neceſſaria, quæque ad plenam fidei ac pietatis Chriſtianæ doctrinam pertinent. Quæ ſententia à Bellarmino probata & ipſummet, & totum hunc librum quartum de verbo Dei non ſcripto, & univerſos Papiſtas traditionibus præ ſacra Scriptura innitentes hæreſeos arguit, ac hæreticos eſſe probat.

Capite 5. committit Bellarm. paralogiſmum duplicem. Unum ab ignoratione elenchi, quoniam transfert ea, quæ ordinis & decori tantùm gratiâ Paulus inſtituit & tradidit, ad fidei articulos, quaſi nō omnia, quæ ad fidem Paulus neceſſaria noverat, ſcriptis tradiderit, prout locus poſtulabat: ſed quædam tunc celarit per traditionem poſtea non ſcriptam tradenda. Ergo quæ de fœminis operto, & de viris aperto capite orantibus ac cæteris rebus ejuſmodi affert, planè politica ſunt. Id

1. Cor. 11 & 1. Tim. 1.

eſt, quòd neceſſarium eſſe ad i planè contendit, ut mulier operto aperto capite precetur, & item cæt. reliquos ritus, quibus utitur Eccleſia Romana, ab ipſo Paulo refellitur. De eo enim agens, oſtendit ſe de decoro tantùm & politiâ Eccleſiaſtica loqui, non autem de dogmatibus fidei. Sed & ea ipſa quoq; ſcripſit Paulus, de quibus hîc contendit Bellarminus, non autem traditione non ſcriptâ ea evulgavit, ut ipſe opinatur.

Eodem vitio laborat, dum quinque Patrum dicta, quæ ad politiam pertinent de fidei articulis interpretatur. Ex quo fit, ut nullum pro traditionibus nō ſcriptis confirmandis & invehendis firmamentum hinc habeat. Nā hîc nullæ ſunt, ſed omnes manifeſtè ſcriptæ. *Col. 166. L. C. D.*

Alter in toto hoc 5. capite ſparſus eſt petitio principii, quum ea ſumat pro conceſſis, quæ negantur: atque ex his, tanquam juſto fundamento, ſuas concluſiones elicit. Falsò tamen hoc facit. Sunt enim iſtæ præſumptiones ineptæ, non probationes. Nempe *Chriſtum multa de forma Sacramentorum tradidiſſe, quæ non ſunt ſcripta.* Item; *Paulum multa de Paſtorum ordinatione & unctione tradidiſſe ſine ſcriptis. Auguſtinum & Primaſium agnoviſſe plura, quàm duo Sacramenta ab Apoſtolis & Chriſto inſtituta.* *Col. 169. L. C.* *Col. 167.*

Denique hîc tertius quaſi ex abundanti ineſt quoque paralogiſmus ex æquivocatione verbi *tradidi*, quòd 1. Corinth. 11. & 2. Theſſ. 2. 2. ac 2. Tim. 1. & aliis locis Traditiones non ſcriptas ſignificare vult contra ipſamet textus verba. Ad eam enim doctrinam pertinet, quam & ibi & alibi ſcriptis Paulus tradit, ac literis mandat. Eſt enim ge-

Digitized by Google

tentiam de Homouſio *à Patribus per manus traditam accepiſſe*, illud dogma eſt in ſacra Scriptura expreſſum, ſicut ſuprà explicavimus. Idcirco libenter à nobis admittitur. Imò non hoc tantùm, ſed quicquid Bellarminus ex Scripturis vel educere poteſt, æquè libenter admittimus. Et ut videatis, quàm parum illi faveat Athanaſius, hic contra Gentes inquit: *Sufficiunt ſacra & divinitus inſpirata Scriptura ad omnem inſtructionem veritatis.* Sufficiant ergo etiam Papiſtis & Bellarmino, quum non opus ſit traditionibus non ſcriptis, quæ à ſacra Scriptura diſſentiunt.

In libro cont. Conſtantium.

Ac citatur ab eo HILARIUS etiam, qui objicienti Arriano principi: *Nolo verba, quæ non ſcripta ſunt, legi*, Reſpõdet; *Hîc tantùm rogo, quis Apoſtolus jubeat, quis Apoſtolicæ prædicationis vetet formam? Dic priùs, ſi rectè dici putas, nolo adverſus nova venena novas medicamentorum compoſitiones.* Quibus verbis Bellarminus DUO ab Hilario ſignificari aſſerit.
» Unum *prædicationem conſubſtantialitatis,*
» *Patris & Filii, eſſe Apoſtolicæ prædicationis,*
» *licet expreſsè non ſit ſcriptum, Filium eſſe Pa-*
» *tri conſubſtantialem*. Alterum, *nomen ὁμο-*
» *ούσιος eſſe quidem novum, ſed tamen retinẽ-*
» *dum, licet non ſit ſcriptum, quia eſt Apoſtolicæ*
» *prædicationi conforme.* At nos, mi Bellarmine, utrumq; fatemur. Scimus enim, ea, quæ in Scriptura expreſſa ſunt, & quæ neceſſariò ex ea deduci poſſunt, eſſe in eadem auctoritate. Concedimus igitur, id retinendum eſſe, neque hoc tantùm, ſed quaſcunque traditiones Bellarminus & Papiſtę ſacris literis conformes eſſe probare poſſunt, eas recipimus: quæ verò iis non ſunt conformes, rejicimus. Hilarius enim hîc regulam Traditionum poſuit, nempe *conformitatem cum ſacris literis*. Propterea etiam dicit vocem ὁμοούσιος retinẽdam eſſe, quæ iis conformis eſt. Ergo quicquid cum illis conforme eſt, recipiendum eſt & tenendum, quod non cum illis conforme eſt, illud abjiciendum eſt. Hæc regula Hilarii perdit omnes Papiſticas traditiones. Obediant Hilario, doceant, credant & teneant nihil, niſi quod Scripturæ congruum eſt, & neceſſariò ex ea, ſicut vox ὁμοουσίου probari poteſt, facient ſuam Eccleſiam ab onere Traditionum puram, ac reformationi Euangelicarum Eccleſiarum accedent.

Sed col. 172. L.A. Neceſſarium eſſe ad ſalutem affirmat credere, quòd vir aperto, mulier operto capite orare debeat, & item credere reliquos ritus, quibus Eccleſia Romana utitur. Quid iſtâ ſententiâ puerilius, quę non modò ab Hilario, ſed etiam Paulo refutatur. De eo enim agens Paulus 1. Cor. 11. 4. 5. 6. oſtendit ſe de decoro tantùm Eccleſiæ loqui, non autem de fidei dogmatibus. Verùm iſte aut ex ſumma inſcitia aut malitia hæc tam diverſa cõfundit, col. 180. L A. Quamobrem hi loci Bellarminum confutant, ac argumentis è Patrum auctoritate deſumptis tam non adjuvatur, ut potiùs oppugnetur. Quod fuſiùs, mi Lector, quæſo, lege apud Sibrandum de principiis Chriſtianorum dogmatum lib. 7. cap. 10.

Quæ capite 8. *argumenta quatuor* pro ſuæ hæreſis confirmatione pollicetur, ita latẽt & obſcura ſunt, ut ne ipſe quidem ea viderit, ita tanquam Scorpii aculeus in ipſummet ac ſuos Papiſtas

clàm

Digitized by Google

clàm intenduntur, ut ipſemet ac ſui nō ſentiant. Verùm eum puduit, & meritò, iſtorum argumentorum, ac Abbreviator ejus Baptiſta Deſpois leviſſimo brachio ea proponit, ac numeris quidem diſtinguit. At Bellarminus ipſe ea, quemadmodum & alibi ſolet, ſuis numeris nō annotavit, quòd ea & perſpicuè falſa, & ex vera conformitate, quam inter Ethnicorum & Chriſtianorum religionem eſſe vult, item inter politicam rerum adminiſtrationem & noſtram in Deum Fidem ſtatuit, ducta temerè agnoſceret. Tamen in ſtudioſorum & piorum gratiam iſta quatuor argumenta hìc in ſcenam apertè producemus, & confutatione digna peſſum dabimus.

Hæretici, ut traditiones rejecerint. **Primum** eſt: *Hæretici,* ut Valentiniani, Marcionitæ, Donatiſtæ, Arriani, Aëtiani, Eunomiani, Neſtoriani, Eutychiani, Dioſcorus, Apoſtolici, Bernardus, Wiclephus, Thomas Waldenſis, ac hodie Lutherani, *ſacras Scripturas ſolas urgent, Traditiones rejiciunt non ſcriptas. Ergo quicunque ſolam ſacram Scripturam urgent, ac Traditiones non ſcriptas rejiciunt, ſunt hæretici.*

1. RESPONDEMUS: Eſt hæc argumentatio duplex. *Alter* eſt paralogiſmus à figura dictionis. Hæretici enim veteres, ut Valentiniani, Marcioniſtæ, Donatiſtæ, Arriani, Aëriani, Eunomiani, Neſtorius, Eutyches, Dioſcorus, Apoſtolici ac alii præciſè efflagitabant & exigebant ab Orthodoxis ac verè Catholicis tot ſyllabas in ſacra Scriptura, & ea ipſa vocabula, quibus pii utebantur in hæreſibus ac hæreticis refutandis. At Bernardus, Johan. Wiclephus, Thomas Waldenſis & Lutherani ſive Euangelici hodierni id nō faciunt. Nam hi & nos Euangelici veri contenti ſumus, ſive id, quod proponitur, expreſſis & præſcriptis verbis extet in ſacra Scriptura: ſive per Analogiam fidei ex regulis bonæ conſequentiæ ex ſacra Scriptura colligatur. Hoc enim totum pro Dei verbo agnoſciſcimus. Ergo nec vetuſtis illis hæreticis ſimiles, nec hæretici ſumus, neque inter hæreticos cenſeri meremur. *Alter* paralogiſmus eſt à non conſequente. Neque enim Valentiniani ac reliqui ſuprà Scripturam ab Adverſariis poſtulabant: ſed quia, quamvis verè adverſus eos allegaretur, illam tamen obſtinatè negabant. Neque enim quicquid cum homine hæretico, vel infideli quiſpiam pius & fidelis communiter facit & uſurpat, illud arguit pium illum ac fidelem eſſe hæreticum. Nam edimus & bibimus, quæ hæretici, ac loquimur eâdem linguâ, quâ hæretici, nos pii & fideles: nec propterea tamen ſumus infideles vel hæretici.

2. Hæretici non ſunt, qui Scripturam urgent, traditiones non ſcriptas ab hac alienas rejiciunt: Sed qui rectè citatam Scripturam negant.

SIBRANDUS LUBERTUS illud Bellarmini argumentum ab Hæreticis ductum ſic informat: *Quod aliqui hæretici rejiciunt, hoc eſt fundamentum fidei. Sed aliqui hæretici rejecerunt Traditiones. Ergo Traditiones ſunt fundamentum fidei.* Hæc eſt etiam Bellarmini ſententia. RESPONDET autem Sibrandus. Hoc argumentum eſt ridiculum. Nam ſi concluſio eſt univerſalis, eſt manifeſtè falſa. Si autem particularis, tum nihil contra nos pro Traditionibus nō ſcriptis concluditur. Verbum enim Dei priùs viva voce traditū, & deinde ſcriptum eſſe fundamentum fidei nunquam negavimus. Deinde MAJOR

eſt

Digitized by Google

eſt falſa. Non enim quicquid rejiciunt hæretici, bonum eſt, neque quicquid retinent, malum eſt. Multa enim bona ſæpe rejiciunt, & quandoque aliquid bonum retinent. Deinde MINOR eſt aſyllogiſtos. Aliqui enim hæretici rejecerunt Traditiones, & aliqui probarunt Traditiones, ac per eas Dei verbum violarunt, Math. 15. 3. 6. Marci 7. 3. 9. 13. Col. 2. 8. Gal. 1. 8. 9. Hoc nos clarè libro 2. infrà Dei ope comprobabimus.

Quantò veriùs igitur dixerimus; Bellarminus & omnes Papæ aſſeclæ veram Chriſtianam fidem ex ſolis Traditionibus majorum vel negatione & exploſione ſacrarum Scripturarum oppugnant, quemadmodum Valentiniani, Cerdonii, Artemonii, Manichæi, Montaniſtæ & Marcionitæ veteres hæretici fecerunt: id quod lib. 2. infrà Deo dante probabimus. Ergo Bellarminus & omnes aſſeclæ Papæ ſunt hæretici. Item: Bellarminus & Papiſtæ ex ſolis Traditionibus majorum fidem Chriſtianam impugnant, ſicut fecerunt homines profani & Ethnici. Ergo Bellarminus & Papiſtæ ſunt homines profani & Ethnici. In quibus, ignoſce quæſo, Lector, libertati dicendi noſtrę, quum & occaſio à Papiſtis Adverſariis noſtris præbeatur, & res ipſa ferat, ut ligonem ligonem, ſcapham ſcapham dicamus.

Politica & Eccleſiaſtica gubernatio an æqualis ſine ſcriptura conſtet.

Secundum capitis hujus argumentum columnâ 179. L.B. continetur, ac ſic ſe habet de Bellarmini ſententia. *Politica adminiſtratio ſæpe nititur & fundatur ſolis traditionibus & non ſcripto jure. Ergo etiam fides & doctrina Chriſtiana non ſcripturis, ſed Traditionibus haud ſcriptis inniti debet.* Reſpondemus: Eſt hoc argumentum prorſus ἀθεόλογον, & paralogiſmus ab ignoratione elenchi. Nam res diſſimillimas, nempe politicam adminiſtrationem & fidem in Chriſtum ac Dei cultum pueriliter confundit. Moſes in ordine juris dicendi ſequutus eſt conſilium Jethronis ſoceri ſui: at in lege divina ac fide cultuſque ratione danda, ex ſolius Dei ore locutus eſt, ac ſolius Legis divinæ præſcriptam formam amplexus atque ſequutus. Eodem modo reſpondendum ad exempla Lycurgi, Pythagoræ & Socratis, qui nihil ſcripſerunt. Deus enim ſuum verbum ſcribi contra voluit. Quare ex traditione non ſcripta minimè nobis ſapiendum eſt, aut Dei voluntas haurienda, &c.

Exod. 18. & 19. & 20. &c.

Eccleſia an ex traditione myſteria fidei noſcat.

Tertium argumentum eadem columna 179 L.D. extat, ac tali forma paucis conſtat. *Eccleſia ſola eſt columna veritatis, ſola Chriſti ſponſa, quæ particeps ſecretorum ejus omniáque ejus myſteria novit. Ergo traditio maximè Eccleſiæ competit, atque hæc non ex ſcripto Dei verbo, ſed ex traditione non ſcripta omnia myſteria Chriſti novit ac firma eſt.* At ſi omnia eſſent ſcripta, iiſque ſolis eſſet nitendum, nihil peculiare haberet Eccleſia.

RESPONDEMUS: Paralogiſmus eſt à non conſequente. Imò idcirco novit ſola Dei Eccleſia myſteria illa & firma eſt, ac columna veritatis, quia ſcrutatur ſacras Scripturas, hiſque ſolis nititur, ut Chriſtus ejus ſponſus Joh. 5. 39. jubet. Nam una illa via & ratio eſt, per quam ejuſmodi eſt Eccleſia, teſte Paulo 2. Tim. 3. 16. Unde ad ſacræ Scripturæ lectionem & meditationem Timotheum, ac omnes Eccleſiæ miniſtros

Digitized by Google

ſim perfectis quibuſdam ſua opinione myſteria pleniora viva voce exponere, aliis traditiones ſuas non ſcriptas tradere, ac ſi non omnia ſacris Scripturis comprehenderentur, neque ea ad plenam veritatis ſcientiam aſſequendam ſatis eſſent. Irenæo lib. 3. cap. 2. & 3. & Tertulliano de præſcript. teſte. Unde propter ſtudium præponendi hoc nomine traditiones non ſcriptas verbo Dei ſcripto inter Papiſtas regnans, non injuria hanc hæreſin infrà libro 2. Papiſtis tribuimus, iiſque maximè convenire probamus. Accedit, quod ipſe Bellarminus ſe columna 196. & 98. L. A. refutat, dum dicit, nihil eſſe de fide, niſi quod Deus per Prophetas & Apoſtolos revelavit, vel quod evidenter inde deducitur. Sacram Scripturam vocat regulam fidei noſtræ, etſi non totalem tamen partialem. Nam ſi eſt regula, regulat & comprehendit omnia, quæ ad dijudicandam veram fidem ſunt neceſſaria, vel expreſsè, vel ut juſtis rationibus ex ea deduci poſſint. Ritus item omnes examinat, & ad ædificationem ac proprium ſuum finem ſuprà oſtenſum referre, rectè docet. Unde ſequitur, adverſarios principium petere, quoties aliquid non debere revelari in myſteriis religionis Chriſtianæ contendunt, eò quod ſcriptum non ſit in ſacris literis. Ac quoties probant aliquid per traditionem, quæ vel in ſacra Scriptura expreſſa non eſt, vel ex ea deduci non poteſt, vel denique cum Scriptura pugnat. Sic enim controverſum probant per controverſum. Ac quod argumentando: *Quod non debet revelari, id non eſt ſcriptum. Sed quædam myſteria Chriſtianæ religionis non debent revelari. Ergo quædam myſteria ad fidem neceſſaria non ſunt ſcripta*, dum minorem nos negamus, ipſe eam probat nominatim à Miſſa, *quia in Miſſa ſint nõnulla ſilentio occultanda*, eſt id apertè petere principium. Non enim controverſia eſt de ementitis Miſſæ ſacris, nec nos de iis loquimur: ſed de iis, quæ Chriſtus ad ſalutem ac fidem noſtram instituit, Scripturiſque aperuit. Quoad verò ad Euchariſtiam, ejus ritus & ſubſtantia, & quæcunque ad eam pertinent, ſufficienter ab Euangeliſtis, & à Paulo deſcripta ſunt. Quod verò dignitatem Sacramentorum à Chriſto inſtitutorum non eſſe toti populo Chriſtiano revelandam contendit, falſum & puerile eſt, itidemque paralogiſmo petitionis principii fœdatum. Nam quæ ad omnes pertinent, ab omnibus debent ſciri, ait Auguſtinus lib. 6. cap. 9. contra Fauſtum. Atqui novi Teſtamenti Sacramenta omnibus piis à Chriſto ſunt ad uſum relicta & inſtituta. Ergo, &c.

ALTER paralogiſmus in illo argumento 4. eſt à non conſequente. Nec enim ſequitur, quod etiam ſi omnia ſcripta ſint, omnes illa capere ꝓpterea poſſint. Nã Acroamaticos libros ſcripſit Ariſtoteles, quos vel ipſo teſte pauci intelligunt. Et Chriſtus ac Paulus non omnia Euangelii myſteria ab omnibus capi ac intelligi ipſo fatetur, Luc. 8. 10. 11. 2. Cor. 4. 3. 4. Cauſſa ibidẽ additur, nempe cæcitas & malitia innata, Deique pœna, qua immorigeros & infideles plectat, qui in manifeſta luce cæci eſſe quàm luſtrari malũt.

TERTIUS Æquivocationis paralogiſmus in hoc 4. Bellarmini argu-

verò ad præſentem locum attinet, dicimus Bellarminum petere principiũ. Deinde exempla non quadrant, quæ ad probationem ſuæ regulæ affert. Primum exemplum eſt, *Perpetua Virginitas Mariæ Matris Domini*. Sed hoc non ſemper tenuit univerſa Eccleſia, teſte Baſilio Homilia de Nativitate Chriſti. Deinde implicat contradictionem. Dicit enim, *nihil eſſe de fide, niſi quod Deus per Prophetas & Apoſtolos revelavit, quod evidenter inde deducitur*. Sed hoc Deus neq; p Prophetas, neq; per Apoſtolos revelavit, neq; evidẽter ex eorũ ſcriptis deduci poteſt, neq; primitiva Eccleſia ita judicavit. Piè tamen creditur, & nullus unquam inter noſtros repertus eſt, qui de vera intemerata & perpetua S. Mariæ virginitate vel tantillum dubitaverit, nedum quicquam adverſus eam locutus ſit ac ſcripſerit. Alterum exemplum eſt *Canon Scripturæ*. De eo etſi ſufficienter Sibrandus Lubertus & alii ad primũ librum Bellarmini de Verbo Dei ſcripto diſſeruerunt: tamẽ hic quædam iteranda ſunt. Dicit enim Canonem, quem ſequitur Synagoga Romana, eſſe receptum ab univerſa Eccleſia, & ob eam cauſſam eſſe Apoſtolicum. Verùm Eccleſia quæ Apoſtolos ſequuta eſt, non tenuit iſtum canonem. Joſeph. enim contra Appion. lib. 1. longè aliter numerat. Idem facit Euſebius lib. 3. cap. 8. Et apud Euſebium lib. 4. cap. 26. Melito. Sed neque Origenes numerat eũ Canonem, Euſeb. lib. 6. cap. 18. neque Cyprianus in Symbolo, neque Athanaſius in Synopſi, neque Hilarius in præfat. in Pſal. neque Hieronymus in Prologo Galeato, neque Concilium Laodicenum

Sib. Lub. de princ. Chriſtian. dog. lib. 7. c. 7. pap. 509. 510.

can. 59. Unde neceſſariò ſequitur, aut Romanam Eccleſiam non eſſe veram Eccleſiam, aut antiquam iſtam Eccleſiam non fuiſſe veram Eccleſiam. Nam ſi Eccleſia non poteſt errare, & ille errat, qui traditiones Apoſtolicas, quæ ſunt fidei dogmata, vel negligit, vel corrumpit, neceſſe eſt, vel Romanenſes non eſſe veram Eccleſiam, vel primitivam Eccleſiam, in qua Melito, Origenes, Cyprianus, Athanaſius, Nazianzenus, Hieronymus, Euſebius & Patres Laodiceni vixerunt, non eſſe Eccleſiam veram. Eligant Adverſarii quod volent. Sed hoc poſterius eligere eſt impium & abſurdum.

SECUNDA Regula eſt. *Quando univerſa Eccleſia aliquid ſervat, quod nemo conſtituere potuit, niſi Deus, & tamen nullibi ſcriptum invenitur, neceſſe eſt ab ipſo Chriſto & Apoſtolis eſſe traditum.* Probat hanc regulam eadem ratione, quã priorem: quia ſcilicet Eccleſia non ſolùm in credẽdo, ſed nec in operãdo errare queat. Ejus exemplum ponit, *Pædobaptiſmum & Baptiſmum hæreticorum* eſſe ratum. Sed hæc exempla non quadrant. Bellarminus enim loquitur de iis Traditionibus, quæ prorſus non ſcriptę ſunt. Hæ verò ſcriptæ ſunt, non quidem explicitè, ſed ita, ut utraque ex Dei verbo neceſſariò colligi poſſit. Pædobaptiſmus ex Marc. 10. 14. Math. 28. 19. Act. 2. 38. Coloſſ. 2. 11. Auguſtinus contra Donatiſtas lib. 4. cap. 23. 24. Cyprian. lib. 3. epiſt. 8. Hæreticorum Baptiſmus iiſdem ex locis, ac præſertim Marc. 1. 4. Act. 2. 23. 37. 38. 39. 41. ſi reſipiſcant, aut ſpes converſionis ac reſipiſcentiæ eorum affulgeat. Quod autem dicit, *Eccleſiam non poſſe Baptiſmo auctoritatem da-*

An quæ Eccleſia conſtituit juxta ſenſum Scripturæ ſine recipienda.

Digitized by Google

re, niſi eam à Chriſto habeat, hoc verum eſt. Et inde inferimus, Matrimonium, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinationem & Extremam Unctionem non habere auctoritatem ab Eccleſia Romana, ſed ementita eſſe Sacramenta, quia eam à Chriſto non habent, ut & aliæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudines, ac dogmata nonnulla.

Eccleſia an ab Apoſtolis acceperit, quod omnibus eſt temporibus obſervatum.

TERTIA Regula eſt. *Id, quod in univerſa Eccleſia, & omnibus retrò temporibus obſervatum eſt, meritò ab Apoſtolis creditur deſcendiſſe & inſtitutum eſſe.* Ait hanc regulam Auguſtini eſſe libro 4. contra Donatiſtas cap. 6. Hujus exemplum adjicit. 1. *Quadrageſimæ jejunium.* RESPONDEMUS: Nullum dogma inter Papiſtas & nos controverſum eſſe, in qua univerſa Eccleſia omnibus retrò temporib. diverſum à nobis ſenſit. Quod ad Quadrageſimam attinet, vel Quadrageſima Papiſtica non eſt Traditio Apoſtolorum, & Eccleſiam Papiſticam non eſſe veram, vel primitivam Eccleſiam non eſſe Eccleſiã verã, & Quadrageſimã Eccleſiæ primitivæ nõ eſſe Traditionẽ Apoſtolorũ. Ratio eſt manifeſta. Primitiva n. Eccleſia nõ habuit talem Quadrageſimam, qualem habuit Eccleſia Papiſtica: teſte Socrate lib. 5. cap. 22. Euſebio lib. 5. cap. 26. Adhæc Apoſtoli ne γρῦ quidem de Quadrageſima habent in ſuis Scriptis. Nam etſi Chriſtum ſcribunt *quadraginta diebus jejunaſſet, ut nihil omninò comederit per illos dies*: tamen nec ſectari nos ſuum exemplum voluit Chriſtus, nec ſectari nos id poſſumus, niſi etiam per dies quadrageſimæ nihil comedamus. Apoſtolus autem 1. Timoth. 4. 3. *vocat doctrinam dæmoniorum, ſi aliquis à certis cibis quocunque tempore religionis opinione abſtinere jubeat.* Et apud Irenæum & Euſebium lib. 5. hiſt. cap. 24. & 17. ex Apollonio commemoratur, *Montanum* Hæreticum primum fuiſſe, qui jejunii leges impoſuerit Chriſtianis. Si igitur Quadrageſimæ jejunium non eſt vera Traditio Apoſtolica, quam tenet univerſa Eccleſia: tum Quadrageſima Papiſtica non eſt Traditio Apoſtolica. Nã eam non tenuit tota primitiva Eccleſia, nec eſt ab Apoſtolis vel directè aut indirectè præſcripta. Aut ſi illa non eſt vera Eccleſia, quæ non habet Traditiones Apoſtolicas: tum vel primitiva Eccleſia non eſt, vel Synagoga & Eccleſia Romana non eſt Eccleſia vera. Nam quam Quadrageſimam Papiſtæ habent, eam non habent omnes veteres: & quam veteres habuerunt, ea non eſt ipſa, quam habent Papiſtæ. Deinde tres hę regulę non ſunt veræ. Poteſt enim tota viſibilis Eccleſia tam doctrina quàm moribus errare, quemadmodum paſſim probatur, & experientia teſtatur. Alterum exemplum eſt *cultus imaginum*, quem conſtituit Synodus Epheſina ſecunda. Sed ea conſtitutio clariſſimè demonſtrat Eccleſiam errare, quum ea adverſus Legem Dei Moſaicam atque Apoſtolicam invecta ſit. Exod. 20. 4. Iſa. 44. 17. Johan. 5. 21. 1. Corinth. 10. 7. Deut. 4. Ergo non eſt Traditio Apoſtolica & divina, teſtante etiam Origene contra Celſum libro 7. *Nec ſimulachra nos quidẽ veneramur, quippe qui Deum ut inviſibilem & incorporeum figurâ nullâ circumſcribamus.* ARNOBIUS ſeu Minutius Felix contra Gent. lib. 8. Euſebius lib. 7. cap. 17. Concilium Elibertinum can. 36. Epiphanius in epiſt. ad Johannem Hieroſolymit. Epiphanius

Sib. Lubert. de princip. Chriſtianorum dog. lib. 7. c. 2. pag 468. 469.
Luc. 4 2.

Digitized by Google

nius hæreſi 79. ait: *Diaboli conatum eſſe, ſtatuas humanas exprimere & adorandas introducere.* Rurſus hæreſi 55. de Melchiſedechianis ait: *Adorant Moyſis imaginem, quam effingentes ſeducti ſunt.* Et hæreſi 27. inter *Carpocratianorum* inſtituta ponit *imagines Jeſu, Petri & Pauli colere.* At Carpocratiani fuère hæretici anno poſt Apoſtolos 400. aut antè. Tandem publicè cultus iſte ſtabilitus eſt anno Domini 788. in ſecundo Concilio Niceno. Contrà tamen paulò ante Concilium quoddam Conſtantinopolitanum ſub Copronymo (in quo fuerunt 330. Epiſcopi) imaginum cultum damnavit, teſte Paulo Æmilio de geſtis Francorum. Idem fecerunt Leo Conſtantini pater, & Philippicus, teſtante Paulo Diacono lib. 6. cap. 12. & Synodus Francofurtenſis, cui interfuit Carolus Magnus & Legati Romani, Concilium Nicenum ſecundum damnavit ut hæreticum: teſtibus Reginone lib. 2. ad annum 794. & Adone in Chronicis 794. & Genebrardo, & HOVEDENO in continuatione Bedæ ad annum 792.

Objectio. Bellarminus de Imaginibus lib. 2. c. 14. concedit Synodum Francofurdienſem improbaſſe Nicenam: ſed hoc factum dicit ex errore duplici. PRIMO, quia putavit Synodum factam ſine auctoritate Papæ. DEINDE, quia putavit eandem Synodum definiſſe imagines adorandas latriâ. Huic reſpondet Suarez, dicens: *Mihi difficile creditu eſt, Synodum Francofordienſem potuiſſe ex errore facti contra Nicenam procedere: quia Nicena Synodus paulò ante congregata fuerat ſub eodem Pontifice Adriano, à quo fuerat confirmata. Legati autem ejuſdem Adriani adſuerunt Concilio Francofordienſi* (ut iidem authores fatentur) *Qui ergo fit, ut tota illa Synodus Concilii Niceni authoritatem & doctrinam ignorare potuerit, quum à Legatis Pontificiis inſtrui poſſet?*

In 3. part. Thomæ q. 25. diſp. 54.

Patres itaque communes hunc cultum non defendunt, ſed potius condemnant etiam poſt Nicenum Concilium. Auguſtinus de moribus Eccleſiæ cap. 34. diſertè improbat *ſepulchrorum & picturarum adoratores.* Hieronymus in Daniel. 3. *Notanda proprietas, Deos coli, imaginem adorari dicunt quorum utrumq; SERVIS DEI non convenit.* Walefridus Strabo de reb. Eccleſiæ cap. 8. *Non ideò*, inquit, *quia novimus non adorandas, nec colendas icones, conculcanda ſunt & delenda pictura.* Et Concilium Conſtantinopolitanum ſextum prohibuit Spiritum ſanctum ſub columba figurari, & Magos ſub ſtella, & Chriſtum ſub Agno: teſte Garanza annotat. ad can. 82. LEO Armenius Imp. edicto imagines tolli juſſit: teſte Zonara annal. tom. 3. Alemanni & Armenii imaginum adorationem interdixerunt: ut teſtatur Nicetas Choniates in annalibus. Neoterici docent, imaginem Dei non rectè fieri: ut habet Abulenſis in Deuter. 4. quæſt. 5. Durandus in 3. diſt. 9. quæſt. 2. fatuum eſſe dicit, imagines Trinitatis facere & venerari. Ubi etiam negat imagines ipſas eſſe colendas, ſed ſolùm in imagine exemplar. Et in Rationali lib. 1. cap. 3 *Nos imagines*, inquit, *non adoramus, nec Deos appellamus.* Et Biel in Can. Miſſæ Lect. 49. ait imagines in Eccleſia nō permitti, ut adorentur: ſed propter alios fines. Similiter Alexander ab Alex. 3. part. quæſt. 30. artic. ult. Pereſius de Traditionibus. Jonas Aurelianenſis Epiſcopus adorationem imaginum

Lib. 1. de cultu imaginum.

Digitized by Google

num *ſuperſtitioſam & pernicioſam* dicit. Addit: *Non ſit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim ſunt ipſi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non ſit nobis religio in phantaſmatibus noſtris.* Johan. Gerson in compendio Theolog. expoſit. præcepti primi ait: *Non adorabis, neque coles. Inter quæ ſic diſtingue: non adorabis, ſcilicet veneratione corporis, ut inclinando iis, vel genu flectendo. Non coles: ſcilicet affectione mentis.* Et paulò antè: *Ad adorandum igitur & colendum, prohibetur imagines fieri.* Quæ demonſtrant, tantùm abeſſe, ut imaginum cultus ſit univerſalis Traditio Apoſtolica, ut potiùs ſit hęretica & privatorum quorundam. Qualis igitur eſt Eccleſia, quæ eum nihilominus ſervandum docet & ſervat? Cognoſces infrà lib. 2. ubi Hæretici & antiqui & recentes, cultum imaginum amantes & provehentes, recenſebuntur.

Concilia, quæ unanimiter definiunt, an ſint Apoſtolicæ traditiones.

Quarta Regula eſt. *Quod omnes Patres vel in unum locum congregati, vel in diverſis locis de eadem reſcribentes unanimiter dicunt ab Apoſtolis conſtitutum eſſe, hoc eſt ab Apoſtolis traditum.* Ratio illi eſt. Alioqui Eccleſia univerſa errare poſſet, quæ ſuos tenetur audire Doctores. Nõ eſt autem neceſſe, ut omnes ſcribant ſeorſim & poſitivè, ſed ſufficit, ut aliqui magni nominis ſcribant, aliis non contradicentibus. Pro exemplo addit *ritus Baptiſmi*, qui Apoſtolica dicantur Traditio. Id enim Baſilium & Tertullianum aſſerere, nemine reclamante. Respondemus. Nullum dogma inter nos & Papiſtas controverſum eſt, de quo omnes Patres cum Papiſtis idẽ dicunt. Sed deinde, Patres omnes nunquam fuerunt in generali Concilio coacti & congregati. Poſtremò etiam generale Concilium poteſt errare, & erravit, quemadmodum tum Guilielmus Witakerus contra Bellarmin. de Conciliis quæſt. 6. c. 1. 2. 3. à pag. 206. uſque ad 313. tum Sibrandus Lubertus lib. 4. de Conciliis cap. 5. 6. 7. à pag. 155. uſque ad pag. 184. tum denique Mathæus Sutlivius de Conciliis lib. 2. cap. 1. 2. oſtendit. Et quoad ritus in Baptiſmo, ita ii variant, & multis additionibus fictiſque adumbrationibus vel typis rerum cœleſtium inquinati ſunt præter & contra Scripturam divinam, ut unanimi conſenſu à Patribus dictati tanquã Apoſtolici cenſeri haud poſſint. Nam ſimplicibus & pauculis in ſacra Scriptura deſcriptis, adjecti ſunt plures etiam Baſilii & Tertulliani tempore. Inde plurimi per Romanos Pontifices vel Synagogæ Romanæ manipulares agglutinati: quos doctiſſimè Henricus Bullingerus Decadis 5. ſermone 8. à fol. 150. uſque ad 153. recenſet ac confutat. Quarè Mathæus Sutlivius docet de Conciliis lib. 2. cap. 4. etiam Concilia generalia nec contra Scripturas, nec præter Scripturas poſſe condere articulos fidei, aut ſtatuere aliquid eſſe de fide. Idem Sibr. Lubert. de Conciliis lib. 5. cap. 1. 2. 3 docet, Nec minori ſtudio hoc Guiliel. Witakerus capitibus antea nominatis evincit. Adhæc idem Witakerus pag. 25. & 219. probat, Concilia non niſi ex Scripturis de hæreſibus & hæreticis pronuntiare debere. Sutlivius verò, ut pag. 405. docet Concilia omnia, quæ contra Scripturas quicquam definiverunt, non eſſe legitima Concilia, nec quicquam rectè ſtatuere: ſic pag. 403. &c. probat.

Con-

Digitized by Google

Concilia optima & vetuſtiſſima nihil de fide ſtatuere præter Scripturæ authoritatem. Ac Lubertus pag.133.demonſtrat, Concilia non errare, ſi cum verbo Dei ab Apoſtolis ſcripto conſentiunt.

Doctrina per continuam ſucceſſionem ab Apoſtolis ſe venditans, an ſit Apoſtolica traditio.

QUINTA Regula eſt. *Quod tenet iſta Eccleſia, in qua eſt continua ſucceſſio ab Apoſtolis, hoc eſt, verum.* Et addit. Hæc regula Irenæi eſt, lib.3. cap.3. & Tertulliani de præſcript. ad medium. Apoſtolos enim tradidiſſe ſucceſſoribus ſuis cum officio Epiſcopatus etiam religionis doctrinam. RESPONDEMUS trifariam. *Primò*, agnoſcunt veteres *ſucceſſionem* & ad eam provocant, quia vixerunt ante ſchiſmata, ſtante adhuc legitima ſucceſſione in Eccleſia Romana ac alibi, & quia ſucceſſio conjuncta fuit cum doctrina Apoſtolica.

Lib.4. c.15.

Nam Nicephorus ait: *Duodecimo loco ab Apoſtolis, Epiſcopatus ſortem, ordine & doctrina ſua obtinet Eleutherius.* Tertullianus de præſcript. cap.32. *Quæ*, ſcilicet, Eccleſiæ *nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis authorem ſuum proferunt, ut multò poſteriores, tamen in eadem fide conſpirantes non minùs Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.* Et ſucceſſionem urgent veteres tantùm contra Schiſmaticos, vel contra eos, *qui Scripturas mutilabant, & novas proferebant*, ut Valentinus, &c.

De pœnit. lib.1. cap.6.

Ambroſius igitur: *Non habent*, inquit, *hæreditatem Petri, qui fidem Petri non habent.* Nazianzenus orat. de laude Athanaſii: *Succeſſio*, inquit, *fidei propriè ſucceſſio exiſtimanda eſt. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejuſdem Throni particeps eſt.* Itaque ſi id verum eſſet in fide & doctrina, quicquid iſta tenet Eccleſia, quæ continuam ſucceſſionem ab Apoſtolis jactare poteſt vel oſtendere, tum multi hæretici & ſchiſmatici veritatem penes ſe haberent. Eos enim Epiſcoporum ſucceſſionem ab Apoſtolis habuiſſe & oſtendere potuiſſe, ſatis conſtat ex loco, Act.20. ℣.29.30. & ex Arrianorum, Euſtathii, Donatiſtarum, Samoſateni, aliorumque exemplo, qui locorum, ſedium & hominum ſucceſſionem inde ab Apoſtolis demonſtrabant ac habebant. At quia doctrinæ Apoſtolicæ ſucceſſionem non habebant, ſed in hæreticam eam converterunt, non vera erat illorum doctrina, licet haberent ſucceſſionem localem ab Apoſtolis. Sic igitur in univerſum, ſi quid tenetur fidei & doctrinæ verè Apoſtolicæ ſcriptæ congruens in Eccleſia ea, in qua continua eſt ſucceſſio ab Apoſtolis vel non, id quidem eſt verum, ac pro Apoſtolica traditione haberi meretur. At ſi quid diſſentiens à fide & doctrina Apoſtolica ſcripta in ſacris literis tenet aliqua Eccleſia, quæ vel continuam ſucceſſionē ab Apoſtolis habet, tum id minimè eſt verum, neque ullo modo pro Apoſtolica traditione haberi debet.

Deinde reſpondemus, traditiones, quas veteres dicunt Apoſtolicas, Romana præſens Eccleſia non agnoſcit ac tenet, etiamſi continuam ab Apoſtolis ſucceſſionem oſtentet: aut ſi agnoſcit & tenet, certò tamen de iis nō conſtat, an ſint Apoſtolicæ. Nam *vitatio edendi ſanguinem & ſuffocatum* Act. 15 29. præcepta interiit. Exolevit *trina immerſio*, quæ eſt apud Tertullianū de corona milit. cap.3. & Baſilium, quam etiam Concilium Toletanum 4. improbavit. *Stationes* etiam diebus Do-

minicis à Paſchate ad Pentecoſten inter precandum obſervatæ, penitus neglectæ jacent. Sic plures veterum traditiones obſoleverunt, ut teſtatur Gregorius Caſſander in libro, quem appellat defenſionem libelli de officio pii viri, ac ait: *Rituum tria genera commemorantur, quorum primum eſt eorum, in quibus non tantum momenti putabatur, ut omnino eorum obſervatio tam accuratè retinenda videretur. Cujus generis eſt illud, quod à Tertulliano & Hieronymo aſſertur de prægustatione lactis & mellis poſt baptiſmum, &c. Item, non geniculandũ Dominico die, & per omnem Pentecoſten, hoc eſt, 50. illos à Paſcha ad Pentecoſten dies, ſed ſtando orationem faciendam. Cujus ut Apoſtolica habita, & in Synodo Nicena, cap. 20. conſtituta & divina Eccleſiarum conſuetudine firmata obſervationis, nullum nunc in Eccleſia veſtigiũ eſt reliquum. Certè inter Dominicum & quemvis profeſtum diem, nullum diſcrimen obſervatur, niſi quod ſolennibus quibuſdam jejuniorum diebus Diaconus ad genua flectenda hortatur. Item* Jejunium 40. *feria & probbathi olim religioſiſſimè colebatur, quibus diebus & ſynaxes fieri, Apoſtolica eſſe ordinationis, teſtatur Epiphanius. Sed illud quarta feria jejunium propemodum apud Romanos obſolevit, niſi quod nonnullæ gentes, & privatim nonnulli homines eo quoque die à carnium uſu abſtineant. Proſabbathi verò ſive ſexta feria jejunium in abſtinentiam tãtùm carnium eſt converſum, quomodo & totius ferè quadrageſima: quæ tamen abſtinentia inanem tantùm veri jejunii umbram retinet, quum apud pleroſque deliciarum commutationem & majorem luxus profuſionem potiùs, quàm corporis laſcivi refrenationem ullam habeat.* Hæc Caſſander. Nec mirum, incertas has Apoſtolicas traditiones eſſe ex uſu ſublatas. Nam & in Cœna ſacra panis fractio, panisque veri atque ſolius vini ſymbola, & in Baptiſmo pura ac mera aqua, & in tota liturgia lingua popularis, aliæque veræ traditiones ab Apoſtolis & uſurpatæ & inſtitutæ & præſcriptæ, nunc in Romana Eccleſia abrogatæ ſunt. Ergo licet Eccleſia Romana haberet, ut glorietur, perpetuam ſucceſſionem ab Apoſtolis: tamen quæ vera ſunt, & vera videri poſſunt, non omnia tenet & uſurpat.

Hinc Tertio reſpondemus, quãdoquidem pro regula dijudicandi traditiones genuinas Bellarminus venditat, *ut quod tenet iſta Eccleſia, in qua permanſit continuata ſucceſſio ab Apoſtolis, id ſit verum*, eſt illud hoc ipſum tandem, de quo contendit Bellarminus: Nempe, quicquid tenet Romana Eccleſia, hoc eſſe ab Apoſtolis traditum, ac per conſequens verum. Sed Bellarmine, ut reſpondeam tibi verbis doctiſſimi Sibrandi Luberti, ſi puer in ſcholis tecum diſputans diceret: Domine Preſbyter, ego tecum diſputabo, modò concedas, omnia vera eſſe, quæ ego dico, annon diceres ridiculum eſſe? Judica igitur, quid de vobis Papiſtis ſentire poſſit totus mundus. Nos accuſamus Romanam Eccleſiam multarum hæreſεων, & hoc probatum fuit diſputatione Lipſica, Tigurina, Bernenſi, Poſſiacena, Oxonienſi, & aliis innumerabilibus. Præterea in omnibus Euangelicorum ſcriptis publicis demonſtratur. Vos ponitis pro principio *verum eſſe, quicquid tenet Eccleſia Romana.* Si guſtaſti unquam principia dialecticces, reſponde númne hoc ſit, ꝙ pueri in ſcholis

Traditiones Eccleſiæ Romanæ omnes ſimul corruunt.

ſcholis diſcunt, petere illud, quod eſt in principio? Hæc de Papiſticis traditionum dijudicandarum regulis, ex quibus omnibus nulla pro vera, certa & apta poteſt agnoſci, quum omnes ſint Leſbiæ. Ergo ut Papiſticæ traditiones ſunt controverſæ, incertæ, ineptæ, ridiculæ, à ſacra Scriptura alienæ: ita etiam hæ regulæ ſunt ejuſmodi.

Regula vera dijudicandi traditiones. Si autem libet genuinas & veras regulas dijudicandi traditiones, ad veritatem cognoſcendam, ac ſalutem promovendam, in promptu habere, unã generalem, ac quatuor ſpeciales pro quinque Papiſticis reponimus. Dicimus enim, *unicam & ſolam ſacram Scripturam eſſe regulam & normam omnium traditionum.* Ac proinde quatenus cum hac regula congruunt, ſunt bonæ, quatenus verò ab hac regula diſcrepant, ſunt malæ.

Huic conjunctas dicimus deinceps quatuor ſpeciales. Nimirum, I. Studium gloriæ Dei. Nã quæ traditio nos unius Dei gloriam quærere in ſolidum docet, ea verè, certò, aſſeveranter divina & cœleſtis ſtatuatur. Quæ verò nos noſtram aut creaturarum cœleſtium ſeu terrenarum gloriam quærit, ſtabilit, aut Dei gloriæ præfert, ea neque divina neque cœleſtis cenſenda eſt. Nam Chriſtus ſic argumentatur: Qui quærit gloriam Dei, non ſuam, is verax eſt, & vera ſeu divina ipſius doctrina. Atqui ego quæro gloriam Dei Patris, nõ meam. Ergo & verax ſum, & doctrina mea vera ac divina. Contra Joh. 12. ℣. 43. Qui quærit ſuam gloriam, neque verax eſt, neque vera ejus doctrina. At qui mihi contradicunt, quærunt ſuam gloriam. Ergo neque veraces ſunt, neque eorum doctrina vera eſt, aut divina. Paulus autem Gal. 1. 10. Phil. 3. 9. ſic arguit: Quicunque prædicant homines, id eſt, hominum gloriã & utilitatem, non Dei, aut ſuam, id eſt, ſuorum operum gloriam & juſtitiam quærunt, ii falſam doctrinam & divinę contrariam annunciant ac tradunt. Ergo divina traditio ſeu doctrina eſt ea, quæ ſolius Dei gloriam, eamq; in ſolidum quærit. Vide Lamb. Danæum ad lib. 3. Bellarmini de verbo Dei ſub finem.

Joh. 5. 43. & 7. 18. & 8. 50.

II. Analogia fidei, docente Apoſtolo Rom. 12. 6. *Prophetamus pro proportione fidei.* Ergo ne Traditiones abducant à Chriſto, aut ſint ſuperſtitioſæ, ſed ad fidem illius adducant illibatam.

III. Abjectio opinionis cultus divini ac meriti, ne ad ſalutem putentur neceſſariæ, néve pro cultu Dei habeantur per ſe & ex opere operato. Nam Chriſtus reprehendit Judaicas Traditiones Mat. 7. 6. 7. 13. quia perſuaſio cultus & meriti ſeu fiducia ſalutis iis affingebatur & affigebatur. Ac tales ſi ſint, præcipiunt ut ſtatim emendentur, aut penitus aboleantur. Math. 15. 2. Reg. 18. ſicut Ezechias ſerpentem æneum contrivit.

IV. Paucitas & decorum atq; ædificatio Eccleſiæ. Id eſt, ne Eccleſia multitudine traditionum & ceremoniarũ oneretur, iiſque obruatur verus ac purus Dei cultus, ut olim à Judaicis factũ eſt, Math. 15. 3. ſicque præferantur doctrinæ cœleſti & Dei mandatis, ac præcepta Dei irrita, quoad homines, fiant Hujuſmodi enim copiam & ſarcinam Chriſtus reprehendit Math. 15. 3. & 23. 4. Deinde, ut non ſint ineptæ, ridiculæ,

Digitized by Google

læ,ſcenicæ, ſed ad decorum ac analogiam rerum cœleſtium accommodatæ, ut ſigna ſignatis rebus reſpondeant. 1. Cor. 14. 40. Joh. 3. 14. Math. 3. 11. 1. Cor. 11. 24. 25. 26. Adhæc, ut ad ædificationem Eccleſiæ, non privatum commodum antiſtitum ſint directæ ex Math. 10. 8. & 23. 14, Act. 19. 20. 21. 1. Pet. 5. 2. aliiſque locis patet. Hæ regulæ Dei, Filii ipſius Jeſu Chriſti & Apoſtolorum ſunt. Poſſent etiam ex Patribus probari. Iis ergo ſi regatur Eccleſia, & ſi ad eas omnis doctrina & ceremonia examinetur, ab errore & hæreſi Eccleſia libera erit, vereque Catholica & orthodoxa. Quum autem pro his regulis ſint receptæ illæ quinque Papiſtarum Leſbiæ, non mirum eſt, tantum cataclyſmum dogmatum, rituumque cum ſacrâ Scriptura ex diametro pugnātium, ab analogia fidei prorſus deflectentium, nugis ac deliriis meris ſcatentiū, onere ſuo omnes prementium, à ſalute abducentium, non Eccleſiam ſed Antiſtitum voluptates, odium, honorem, atque emolumentum adaugentium, aliaſque incommoditates afferentium cum turbis ac conflictibus, tam bellorum quàm diſputationum, perſequutionibuſque aſſiduis, Eccleſiam & Rempublicam Chriſtianam inundaviſſe.

Reſponſio Papiſtarum ad noſtram doctrinam de perfectione ſacræ Scripturæ ex Scriptura.

Capite 10. ad noſtrorum argumenta ex Scripturis, quibus docent verbū Dei ſcriptum continere perfectam doctrinam ſalutis, nititur Bellarminus reſpondere, ſed ita facit ut non ſit reſpōſio, verùm tergiverſatio mera, quemadmodum ex ipſiuſmet verbis pulchrè cuivis conſtare poteſt.

Ad primam igitur noſtrorum objectionem ex Deut. 4. & 12. Gal. 1. 8. *ne quid Scripturæ addamus aut detrahamus,* reſpondet, Traditiones, de quibus agit eſſe explicationes ſacræ Scripturæ, & in ea contineri in generali ſeu univerſali, ut iſte loqui mavult. Replicamus & excipimus nos Bellarmini traditiones non ſcriptas, qùum ex diametro cū ſacra Scriptura pugnent, neque teſte ipſomet Bellarmino Columna 187. L.C. in Scriptura ſacra ullo pacto contineantur, non poſſe eſſe ſacræ Scripturæ interpretationes, ſed manifeſtas illius eluſiones & corruptelas. Quod ad Pauli locum Gal. 1. 8. 9. *Etſi nos, aut angelus è cœlo vobis euangelizet præter id, quod euangelizavimus vobis, anathema eſto,* eum eludit tantùm, non explicat, nec ſolvit. Itaque in ſua ſolutione prorſus anceps eſt & dubius. Adhæc paralogiſmum committit petitionis principii. Nam falſo ſumit Paulū illic de alio Euangelio agere, quàm cujus ſummam & doctrinam complexus eſt in ſuis abs ſe ſcriptis Epiſtolis. *1. Tim. 1. 3.* Nam vox *Euangelizamus,* 2. Cor. 11. 14. Philip. 3. 1. 1. Tim. 1. 3. verbum Dei ex ſcripto quoque docere ſignificat. Et Paulus hic eos damnat, qui non tantùm contrariam, ſed duntaxat diverſam doctrinam tradebant ab ea, quàm in illa epiſtola ipſe ſcribebat. Adhæc Auguſtinus lib. 11. cap. 9. contra Fauſtum, de Unit. Eccleſ. cap. 3. lib. 3. contra literas Petiliani cap. 6. Epiſt. 19. & 111. & lib. de Bono viduitatis cap. 1. ſolam ſacram Scripturam noſtræ fidei regulam eſſe docet. Beda quoque Venerabilis in Can. Nec ſufficere 8. quæſt. Item conſtitutione Juſtiniani 146. in Novellis. Sed & quum ſit certum Chriſti mandatum Apoſtolis ac

Digitized by Google

ac Paſtoribus traditum, ut ſolam ſacram Scripturam ſequantur, tam nefarius eſt, qui *præter*, quàm qui *contra* illud Dei mandatum aliquid aggreditur & agit. Illud autem mandatum eſt, ne vel latum unguem quidem à verbis ipſius, quæ jam ſcripta ſunt per Apoſtolos, recedamus. Quod certè quidem ii non faciunt, qui traditiones non ſcriptas, verboque Dei ſcripto minimè conſentientes, nobis pro fidei regula obtrudunt, velut hoc loco Bellarminus.

Math.5.18. Iſ.31.16. Math.28.18.

Col.184. L.B. Ad ſecundum noſtrorum argumentum, quo ſacræ Scripturæ, quod ad doctrinam fidei & cultum Dei, *αὐτάρκεια* & perfectio à noſtris luce meridiana clarius ex Joh.20 30. 2.Tim.3.16.17. demonſtratur, ille nihil omnino reſpondet, ſed ſolùm nugatur. Quod enim de doctrinæ cœleſtis, quæ de Chriſto agit, ſubſtantia S. Johannes Euangeliſta ſcribit, eam plenè etiam in ſuo Euangelio traditam, iſte ad ſola Chriſti miracula refert. Deinde ex eo colligit, ergo reliqua ſcripta Euãgelica eſſe ſupflua & ſupvacanea. At reliqua ſunt ſcripti à Joh. Euangelii partim interpretatio, partim cõfirmatio: quemadmodũ Euangelium Johannis eſt itidẽ aliorũ Euangelicorum teſtificatio. Ergo neque illa ſunt inutilia, neque ſuperflua. Sed etſi unus duntaxat liber canonicus extaret, ſufficeret ille quoad ſubſtantiam doctrinæ ſalutaris, quamvis ad claram ejuſdem doctrinæ explicationem & intelligentiam multis fortaſſe non ſatis eſſet. Hoc unum convellit omnes Bellarmini concluſiones, per quas nos ad abſurdum cogere videtur.

Joh. 20.30.

L.B.C.D. Ad tertium noſtrorum argumentũ de perfectione Scripturæ, quod ipſe citat columna 187. & à noſtris ex his locis Iſa.29.13. Math.15.5.8. Marc.7.6. Gal.1.14. Col.2.8. 1.Pet.1.18. & 4.25.26. ſumitur, in quibus traditiones à Chriſto & Apoſtolis damnantur, Bellarminus planè cœcutit. Concedit enim de iis traditionibus à Chriſto & Apoſtolis agi, easque damnari, quæ à recentioribus allatæ Legi Dei & Scripturis contrariæ erant: non de iis quas Moſes & Prophetæ tradiderint & invexerint. Sed ſi nos eas etiam ſic examinemus, quas Eccleſia Romana introduxit, & Bellarminus probat, perinde ſtare nequeunt. Nam ſi & legi Dei ac Scripturis repugnantes, & inanes, & pernicioſæ deprehenduntur, procul dubio ex ipſius ſententia ac definitione erunt damnandæ juxta præceptum Chriſti & rejiciendæ. Ait enim colum. 191. L.C. *Traditiones cum Scriptura pugnantes non defendimus.* At ſi ad earum examen accedamus, tales omnino reperimus. Ergo damnandæ & rejiciendæ ſunt. Pleniorem verò refutationem hujus decimi capitis eſt videre lib.7. Sibrandi de princip. Chriſt. dogmat. c.13.

Capite 11. inducit Bellarminus reſponſiones ad Patrum teſtimonia, quibus noſtri perfectam doctrinam ſacræ Scripturæ demonſtrant. Primum noſtrorum argumentum eſt ex IRENÆO, lib.3. cap.1. ubi hîc disertè tradit, *noſtræ fidei fundamentum & columnam in ſacris Scripturis contineri.* Quid ad hoc Bellarminus? Fatetur omnia, quæ omnes pios ſcire oportet, in ſacris Scripturis ineſſe, reliqua verò, quæ non eſt neceſſe pios omnes ſcire, contineri in traditionibus non ſcriptis. Ergo quis *Reſponſio Papiſtarũ ad noſtra argumenta de perfectione Scripturæ ex Patribus.*

uſus, obſecro, jam erit iſtarum traditionum, quum neque ea habeant, in quibus noſtra fides verſatur, neque ea, quæ pios omnes ſcire oportet? Traditiones autem ea continent, quæ non ſunt ad ſalutem neceſſaria? Ita ſeipſum confodit ſuo gladio: vulnus noſtrum non expedit, ſed recipit: & inutiles eſſe ſuas traditiones non ſcriptas fatetur ac concedit.

In ſolutione ſecundi noſtrorum argumẽti ex Origenis homilia 1. in Jeremiam, admittit paralogiſmũ ab ignoratione Elenchi. Confundit enim ſententiam Origenis, quâ de politia Eccleſiæ duntaxat agit (quam ex traditionibus ſumi poſſe vult) cum dogmatibus fidei, quæ ex ſola ſacra Scriptura depromenda eſſe teſtatur idem in 3. ad Romanos.

In ſolutione tertii noſtrorum argumenti ex ore Conſtantini Magni apud Theodoretum lib. 1. cap. 7. dicentis: *Euangelici & Apoſtolici libri & antiquorum Prophetarum oracula, planè inſtruunt nos, quid de rebus divinis ſentiendum ſit. Proinde hoſtili poſita diſcordia ex verbis divinitus inſpiratis ſumamus quæſtionum explicationes:* reſpondet Conſtantinum Magnum non fuiſſe Epiſcopum. Sed ſive fuerit Epiſ. ſive non, optimè & ſanctiſſimè ſenſit, & ex Chriſto ipſo, ſummo Doctore, dicente *ſcrutamini Scripturas*, Joh. 5. 39. Conſtantinus didicit. Idque eò magis, quod de conſilio hoc Impp. Conſtantini Arrianos ex Scripturis damnatos eſſe, teſtatur Socrates, lib. 1. cap. 6. & Theodoret. lib. 1. cap. 8.

In ſolutione 4. noſtrorum argumẽti ex Athanaſ. lib. contra Gentes, & 5. ex Baſilii ſerm. de fidei confeſſione, ac epiſtola octuageſima, & 5. ex Chryſoſt. homil. 1. in Mathæum, ipſa Patrum verba manifeſtiſſima & ſignificãtiſſima negat, & in peregrinum prorſus ſenſum mutat ac detorquet, qua ſunt omnes malignitate, qui veritatem oppugnant. Ergo hæ ſolutiones Bellarmini ſunt paralogiſmus à non conſequente, quia verba ipſa negat, quæ ſunt aperta, & expreſſa apud Patres.

Idem κακοηθείας & malitiæ animi vitium perpetrat Bellarminus in ſolutione reliquorum argumentorum, quæ à noſtris ex Epiphan. hæreſ. 61. ex Cyril. lib. de recta fidei ex Theoph. 2. de Paſchali, Apollinari 5. hiſt. 15. ex Tertull. contra Hermogenem, ex Cyp. epiſt. ad Pomp. Hieronymo in epiſt. ad Tit. & 23. Math. ac in 1. Aggæi, & comment. in Pſal. 86. denique ex Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 9. & lib. 2. de peccat. meritis ac remiſſ. cap. 36. Item lib. 3. contra Maximinum cap. 14. proferuntur. Negat enim, quæ tamen ſunt ex ipſis patrum iſtorum dictis apertiſſima, quaſi ſolem in ipſo meridie lucere neget. Sed quod columna 192. L. A. & D. concedit, *in uno dogmate fidei rectè fieri ex ſententia Tertulliani, dum ad ſolam ſacrã Scripturam recurritur, ipſum jugulat*, quoniam idem in omnibus fidei dogmatibus fieri debet. Una enim & eadem eſt omnium fidei noſtræ dogmatum probandorum ratio, jus & fundamentum. Ergo ſola ſacra Scriptura ex Bellarmini conceſſione, & tum Tertulliani, tum Auguſtini, tum etiã aliorum Patrum perſpicuo teſtimonio in iis admittendis eſt audienda & retinenda. Atque ſic etiam à ſeipſo transfixus Bellarminus victus jacet, qui tamen ſibi,

tan-

Digitized by Google

tanquam ſolus in arena relictus, triũphum, veluti noſtrorum victor, impudentiſſimè canit. Hîc pro ſe vindicias homo fugitivus pronunciat. Eripitur enim præterea illi omnis victoriæ recuperandæ ſpes à Sibrando Luberto, lib. 7. de principiis Chriſtianorum dogmatum, cap. 14. 15. ubi reſponſio exactior ad Bellarmini ſolutiones teſtimoniorum è Patribus à noſtris productorum eruditiſſimè proponitur.

Col. 166. Singularis verò hæc eſt Bellarmino latebra, quam fugitivus quærit, dum Patrum auctoritatem elevat. Aliàs enim negat locos Patrum, qui à noſtris Euangelicis citantur, eſſe ex libris Patrum, ſed hæreticorum, quando iis vehementiùs feritur & ſub noſtræ ſententiæ jugum deprimitur. *Col. 190. 191. 192.* Aliàs autem, quum ex iisdem libris ipſe alios locos citat, tum eos eſſe libros Patrum contendit non verò eſſe hæreticorum aſſerit. Quæ cedò, eſt iſta nugacitas & vanitas, ut tam citò iidem libri mutent auctores, pellem ſuam & ingenium: & quum ab eo citantur, ſint Patrum, quũ à noſtris allegantur, ſint hæreticorum libri? Annon eſt indicium peſſimæ ipſius cauſſæ?

Rationes Euangelicorum de perfecta & ſufficienti S. Scripturæ doctrina, ut à Papiſtis ſolvantur. Caput 12. totum nihil aliud eſt, quàm inanis eorum, quæ ſupra cap. 10. ſcripſit, repetitio, verùm alio verborum ſonitu. Quicquid ſit ipſius ſolutiones ad noſtrorum argumenta perpendamus.

In ſolutione primæ noſtrorum rationis Paralogiſmus eſt, quo plures interrogationes in unam confunduntur. Interrogatus, *Utrum ejuſmodi Traditiones non ſcriptæ puræ putæ, quales primum inſtitutæ ab hominibus earum auctoribus fuerant, conſervatæ ullibi gentium inter homines extent & conſervatæ ſint?* RESPONDET, Dei providentia & præter Dei providentiam ſervari potuiſſe. Verùm magnum chaos intercedit, inter eſſe poſſe, & eſſe reipſa, & ut vulgò loquuntur in Scholis: à poſſe ad eſſe, nulla fit conſequutio. Eſt igitur hic alter Paralogiſmus à non conſequente. Fugit igitur præter caſam, quum nullam aliam rimam haberet, qua elaberetur Bellarminus.

Objicit Traditiones fuiſſe conſervatas, *quia ſint antiquis monumentis inciſæ*: & exemplum effert *de ara Baleole in Flandria deſtructa*. Hoc exemplum verò apocryphum eſt. Interea certo certius eſt, tempore Chriſti, Apoſtolorum & primorum Patrum non fuiſſe aras, quicquid dicant Papiſtæ. Origenes enim contra Celſum: *Objicit nobis*, ait, *quod non habeamus imagines, aut aras, aut templũ.* Arnobius l. 4. contra Gentes: *Accuſatis nos*, inquit, *quod nec templa habeamus, nec aras, nec imagines.* Hoc quum videret Bellarminus, excogitavit aliud reſponſum, & dicit: *Quoniam multæ ſemper hæreſes fuerunt, ideò etiam ſemper docti viri excitati ſunt, qui Traditiones è tenebris eruerent, ut per eas hæreticos refellerent.* Sed hoc eſt ridiculum. *Hæreſes an per traditiones unquam refutatæ.* Nulla enim unquã HÆRESIS per Traditionem non ſcriptam refutata eſt: neque Bellarminus ullum exemplum producere poteſt. Deinde multi errores potiùs per Traditiones in Eccleſiam invecti ſunt ut imagines, earum cultus, mortuorum invocationes, ἐθελοθρησκεία, & ſimilia. Poſtremò, nulla hæreſis per Traditionem non ſcriptam refutari potuit. Euſeb. lib. 5. cap. 24. ſcribit. *Neque enim aut*

Ani-

Digitized by Google

Anicetus Polycarpo perſuadere potuit, ut obſervaret ea, quæ noverat Johannem diſcipulum Domini noſtri, vel cæteros Apoſtolos, cum quibus ſemper fuerat, obſervaſſe: neque rurſus Polycarpus Aniceto perſuaſit ea diſſerere, quæ ille dicebat à ſe majorum more obſervari.

In ſolutione 2. rationis noſtrorum dupliciter peccat. PRIMUM quum contra expreſſiſſimum Dei verbum negat, finem ſacræ Scripturæ eſſe, ut ſit fidei noſtræ regula. Contra eum enim Joh. 20. ℣. 31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis.* Iſa 8. *Ad Legẽ & teſtimonia.* Mal. 4. 4. *Memineritis legis Moſis ſervi mei.* Quod & Deut. 12. ℣. & 2. Tim. 3. 16. inculcatur. Poſtea peccat quoque Paralogiſmo, qui eſt petitio principii. Nam ſacram Scripturam particulam quoque ſolùm doctrinæ nobis ſcitu & creditu neceſſariæ continere, blaſphemat. Contra Paulus 2. Tim. 3. 17. ait, *eam reddere hominem perfectum.* Ergo cui nihil deeſt.

In ſolutione tertiæ noſtrorum rationis, *qua argumentamur, Traditiones non ab hæreticis, ſed & ab ipſis orthodoxis poſitas eſſe ſæpe falſas, ac omnino admiſſis traditionibus patere januã multis erroribus*, ipſe committit Paralogiſmum duplicem. Unus à nõ conſequente eſt. Idem evenire poteſt, ait, id eſt, multa ſupponi & fingi queũt, ſive Scriptura ſacra ſive Traditiones non ſcriptæ recipiantur. Ergo illud incommodum non eveniet, vel non eſt metuendum, ſi ſolæ Traditiones non ſcriptæ admittantur. Falſum conſequens. Alter paralogiſmus eſt ab Ignoratione Elenchi. Differt enim plurimũ ſacra Scriptura à Traditione non ſcripta, etiam in hoc ipſo incommodo, de quo nunc agitur. Nam ſacra Scriptura habet & certos duntaxat libros, quibus alii addi non poſſunt: item certam & immotam normã, quà falſa Scriptura dignoſcitur. At traditiones iſtæ non ſcriptę neque modum, neque numerũ, neque metam ullam habent. Unde creſcunt indies in infinitum. Præterea quum ubiq; neget iſte ſacram Scripturam eſſe fidei regulam, ſed tantum tribuat Traditionibus non ſcriptis, quantum ipſi divinæ & ſacræ Scripturæ, quę jam erit iſtarum, obſecro, traditionum diſtinguendarum verarum à falſis regula, & norma? Certè nulla. Ergo prout cuique libuerit, fingentur indies novæ Traditiones, noviqúe fidei articuli, quemadmodum in ſingulos annos novi Monachorum ordines, & nova fucorum examina formantur, creſcunt & inducuntur, velut fratrum Ignorantium, Theatinorum & ipſorummet Jeſuitarum.

Fatemur tamen, facilè Traditiones probas à pravis diſtingui poſſe nempe quando ad regulam ſacrarum ſcripturarum examinantur. Quòd verò dicis, *Eccleſiam poſſe falſas Traditiones à veris, diſtinguere*, ſi de Romanâ Eccleſiâ loquitur, tum petit id, quod eſt in principio. Romana enim Eccleſia nobis falſas Traditiones invexit, & adhuc obtrudit. Ergo earum judex eſſe non poteſt. Quòd verò dicit, *Eccleſiam nunquam falſam traditionem vel librum adulterinum pro canonicis accepiſſe*, ſi intelligit de Eccleſia Romanâ tum eſt falſum. Illa enim Epiſtolas Decretales recipit inter canonicas, & obſervat certa tempora jejuniorum, quod Patres dicunt ab hæreticis excogitatum eſſe & eſſe contra morem primitivæ Eccleſiæ. Hoc etiam nos deinceps libro 2. hujus Tractatus comprobabimus.

In

Digitized by Google

Col.197. L.B.

In ſolutione quartæ noſtrorum rationis planè ſeſe induit laqueis, & ſe ſuumque hoc totum ſcriptum ipſe refutat. Oſtendit enim, teſte Irenæo & Tertulliano, eſſe hæreticorum, negare omnia, quæ ſunt piis ad ſalutem neceſſaria, contineri in ſacris Scripturis. Ergo quum idem cõtendat toto hoc libro Bellarminus, in quorum albo ſeipſe aſcribat, omnes manifeſtè vident. Prodit enim ipſe ſe ut ſorex ſuo indicio. Et nos lib.2 infra hoc verè in Papiſtis compleri hodie ad oculum demonſtraturi ſumus apud eos Hæreticos, quos in occultandis ſuis dogmatibus, traditionibus autem non ſcriptis præ ſacris Scripturis obtrudendis aut infundendis, Papiſtas imitari exponemus.

Iren. lib 1. cap.23. & 24. de Baſil. & Carpoc. Tertull. de præſcrip.

Hæreticos traditiones ſuas occultare, ſi ex Scripturis conſiſtere nõ poſſunt.

Respondet Bellarminus & Papiſtas ſuos purgat, *hæreticos ſimias eſſe Catholicorum*, ut ait Cyprianus. *Itaque eos etiam ſuas traditiones occultare, quemadmodum orthodoxi & Catholici faciunt. Sed inter hæreticorum & orthodoxorum myſteria hoc intereſſe, quod illorum turpiſsima ſint* (ut apud Epiphaniũ de *Gnoſticis*, & Auguſtinũm de *Manichæis* hæreſi 26. & 46. conſtet) *horum verò ſanctiſsima.* Adhæc, *quia ab orthodoxis* (intelligit ſemper Papiſtas) *occultantur, ideò occultare, quia Laici illorum non ſunt capaces: quæ verò ab hæreticis occultantur, ideò occultari, quia ob turpitudinem aperiri non poſsint.* Verùm ſi quis dicat, Papiſtas propter eaſdem cauſſas ſuas traditiones occultare, ille forte non aberrat. Sunt enim, qui affirmant, hoſtiam Papiſtarum *ex adipe canino* confici. Quod ſi verum eſt, ſanè non eſt multo melius, quàm olim ab hæreticis iſtis factum. Sunt certè hoſtiæ Papiſticæ propriè non panis, ſed tenues rotundæ lamellæ ſeu minutiæ viſcoſæ, ex farina & aqua ferro calente compreſſæ, nutritioni inutiles, difficiles concoctu, ut fatentur medici. Ideò pharmacopœi non panes, ſed Nebulas appellant, ventriculum inſtar glutini cujuſdam turgere facientes, ut apparet ex humigatis, quæ lentore etiam collam ſuperant, ita ut pro cera Hiſpanica ad literas obſignandas à multis uſurpentur.

Hoſtia unde fiant.

Pareus de ſymbolis Sacramentalibus, c.6. lib.1. p.64.

Sed utut ſit, ſacra Chriſtiana non ſunt occultanda, aut hæreticorum antiquorum ſpurciſſimorum conſuetudines referuntur ab iis, qui ea occultant. Chriſtus enim diſertè dicit, Math.10 17. *Quod dico vobis in tenebris, hoc dicite in luce: & quod dixi vobis in aurem, hoc prædicate ſuper tecta.* Id eſt, ut Hieronymus interpretatur, *quod audiviſtis abſconditè, publicè loquimini, quod audiviſtis in parvulo Iudææ loco, hoc vos in univerſis urbibus & in toto mundo audacter dicite.* Eodem modo hoc explicat Tertullianus: *Dominus palàm dixit ſine ſignificatione taciti Sacramenti, ſi quid in tenebris & in abſcondito audiſſent, in luce & in tectis prædicarent.* Et Theophylactus ad dictum locum hanc explicationem affert: *Quæ ex me audiviſtis, ea dicite cum ſumma libertate, & ſumma vocis claritate, ut omnes audiant.*

De Præſ. cap.26.

Inſuper implicat contradictionem. Hîc enim vult, traditiones non pertinere ad omnes: & antea voluit traditiones defendere per ipſum locum, tenete traditiones. At hoc dictum pertinet ad omnes fideles, quatenus ea ſacris literis conſentiunt: ut Sibrandus de princip. Chriſtianorum dogmatũ

Digitized by Google

cap.16. lib.7. pag.610. ac alibi probat. Aut igitur hoc,aut illo errat Bellarminus. Nos eum in utroque erraſſe exiſtimamus. Quum igitur traditiones tam longo tempore conſervari non poſſint,& verbum Dei ſcriptum ſit,ut eſſet fidei & morum regula. Deinde, quum verbum ſcriptum ſit Teſtamẽtum Dei,quum denique ipſę traditiones ſint ſæpè falſæ,& hæretici jactent occultas traditiones,quando ex Scriptura conſiſtere non poſſunt,manifeſtum eſt non traditiones, ſed verbum Dei ſcriptum eſſe regulam omnis Chriſtianæ religionis,& ob eam cauſſam continere iſta omnia,quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria. Ob eandemque cauſſam, quum Papiſtæ aliquod controverſum dogma ex traditionibus probant, tum petunt principium, & quod controverſum eſt, probant per illud,quod æquè controverſum eſt.

Defenſionem tamen copioſiorem & ſolidiorem noſtrarum rationum, pro tenenda regula fidei ac morum in ſacra Scriptura præſcripta,& reprobãdis traditionibus non ſcriptis, contra ſolutiones Bellarmini lib.4. de verbo Dei cap.12. allatas,repetire licet lib.7. Sibrandi Luberti de principiis Chriſtianorum dogmatum, cap.16. Quin ex tota hac noſtra quaſi Analyſi totius libri quarti Bellarmini de verbo Dei non ſcripto apparere,atque adeò conſtare jam confido,Euangelicos in ſententia de traditionibus nihil hæretici omnino, nedum more Arrianorum, amplecti ac tenere,ſed tam orthodoxè ſentire, ut potiùs etiam pſeudocatholicos Papiſtas pro traditionibus nõ ſcriptis nimium apertè hæretica,abſurda, humana, in controverſia poſita, dubia, ridicula, inepta & falſa ſectari, credere & docere evincant. Veteres enim hæretici non tam animosè & præfractè adverſus perſpicuitatem,ſalutarem uſum ac neceſſitatem, legitimam interpretationem, ſufficientiam & perfectionem, denique auctoritatem divinam ſacræ Scripturæ diſputarunt, ac Pontificii facere ſolent. Nec ipſi TURCÆ adeò impudentes ſunt, ut ſacram Scripturam perfectam eſſe negent,ſed ut teſtatur POSTELLUS hiſt.de Turcis, *aſſerunt, perfectionem cõtineri in Euangelio, & in eo omnem religionem comprehendi*: quod de iiſdem Giffordus quoque lib.3. cap.9. de Calvino-Turciſmo aſſeverat. Quales igitur Papiſtæ ſunt,qui in regulis ac votis Monaſticis ſtatum perfectionis conſiſtere dicunt, & religionem in Scripturis ſacris perfectè contineri negant,& pariter Scripturas & traditiones efficere verbum Dei ac pari affectu ſuſcipiendas docent & credunt.

GUILIELMI GIFFORDI & GUILIELMI RAINOLDI *calumniæ, adverſus fidem Euangelicorum de Trinitate Perſonarum & unitate eſſentiæ divinæ, déque Chriſti perſona & Spiritus ſancti Deitate, cap. 2 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. libri tertii de Calvino-Turciſmo, ſparſa atque effuſa refelluntur, ut ad antecedentium explicationem ſeu confirmationem pro Euangelicis contra Papiſtas pertineat.*

Maxi-

Digitized by Google

Maximi autem quum interſit, probiſſimè ſcire & tenere, quàm atrox injuria ac calumnia per Papiſtas Euãgelicis fiat, quando Eccleſiam Euangelicorum vel hæreſeos, vel alicujus pravæ ſententiæ in doctrina de uno Deo & tribus perſonis, deque Chriſti ac Spiritus ſancti Deitate accuſant, Appendicis loco adjiciam Matthæi Sutlivii Angli ſolutionem & depulſionem calumniarum Guilielmi Giffordi & Guilielmi Rainoldi Apoſtatarum, quas libro tertio de Calvino-Turciſmo cap. 2.3.4.5.6.7.8.9.10. in Calvinum, Lutherum, Bezam, aliosque Euangelicos deblaterent & evomunt.

Carolus V. Impp. Euãgelicos ab Arrianâ hæreſi liberat.

Theologis noſtris & omnibus Euangelicis per calumniam evidentiſſimam crimen hæreſeos Arrianæ imponi, Carolus quoque V. Cæſar & ipſi Adverſarii noſtri eo habenas Imperii regente viventes, ac florentes, publicè ac privatim confeſſi ſunt. Nam ille ex conſilio ſuorum Doctorum pronunciavit in colloquio Ratiſbonenſi, anno 1546. habito, *dogmata de Trinitate & Verbi incarnatione non habere controverſiam.* Novum ergo hoc crimen, quaſi Euangelici Arianiſmo polluti ſint, à recentionibus Monachis eſt excogitatũ, ut Euãgelicos orthodoxè catholicè ſecundùm ſacram Scripturam ſentiẽtes, credentes, loquentes & ſcribentes, tamen in pravam ſuſpicionem adducerent, & odio atq; invidia aggravarent.

Peculiares noſtrorum ſententiæ non omnibus Euangelicis imputandæ.

Peculiares ſententias Lutheri, Zuinglii, **Calvini, Bezæ,** & aliorum Theologorum è partibus noſtris de Trinitate & Filii Dei Divinitate dicunt eſſe *hæreſes Euangelicis communes.* Sed P R I M ò, quæ ſit Eccleſiæ reformatæ de ſanctiſſimo & auguſtiſſimo Trinitatis myſterio, & aliis Chriſtianæ religionis capitibus fides, ex noſtris Confeſſionibus publicè editis ſatis conſtat. Nihil enim clam fovemus, nihil occultamus, nihil non toti terrarum orbi notum eſſe cupimus. Quòd ſi ergo nos, velut perversè ſentientes aut dogmatizantes, Giffordus redarguere voluiſſet, non tam privatorum hominum dicta & ſcripta cõcerpere, flectere, & contra Scriptorum ipſorum ut plurimum ſententiam detorquere, ſed aliquod confeſſionis noſtræ caput evertere debuit. Si hoc vel ipſe, vel Guilielmus Reginaldus, vel quiſquam ex toto ſodalitio eorum fecisſet, tum ſe diſputatorem acutum, tum ſe hoſtem formidandum, tum ſe virum præſtitiſſet. Nunc autem meras nugas agit, ut ex ſuis etiã ſodalib. diſcere potuit. Ipſi enim Papiſtæ, quũ urgentur *Pighii, Hoſii, Gerardi Lorichii, Staphili, Cochlæi, Sylveſtri Prieratis, Roffenſis, Eckii, Hardingii,* & aliorum manipularũ ſuorum confeſſionib. & ſcriptis, reſpondent, *eos ſingulares fovere opiniones, viros eſſe privatos, ſe autem ſingulorum ſententiis non teneri.* Quum ergo hoc ſibi in ſuis Doctoribus concedi poſtulãt, quid eſt, quòd Giffordus & Reginaldus Calvini, Lutheri, Zuinglii, & aliorũ Doctorum noſtrorũ privatas nobis opiniones objiciant? Num id æquum cenſent, legem in nos ferre, quã ipſi nõ patiuntur?

D E I N D E, etſi videantur ſententiæ, quas nobis de noſtris Doctoribus exprobrant, privatæ ac peculiares: tamen ad perpendiculum ſacræ Scripturæ & purioris antiquitatis examinatæ, atque circumſtantiis ſuis & cauſſis omnibus ponderatæ, non ſunt errore

hæretico infectæ, ſed orthodoxæ & catholicæ.

Tertio, ſi clarâ in luce inſpiciuntur ea, quæ noſtri ſcripſiſſe aut dixiſſe arguuntur, nihil illos omnino iſtum in modum cogitaſſe, nedum ſcripſiſſe aut dixiſſe deprehenditur.

Giffordus de Calvinoturciſmo pag. 387.

Aſſerunt enim primò, *Noſtram de Deo & Chriſto fidem propè ad Alcoranum accedere.* Quod ſi quidem verum ſit, crimen eſt graviſſimum. Sin falſum, tum calumnia eſt ſupra modum improba. Videamus ergo, quid iſti blateratores ad liberandam fidem ſuam afferre potuerint. Antequam probent ſuam calumniam, objiciunt nobis, tamen *licet ipſi Mahometiſmo & Turciſmo ſimus vicini, audere nos aſſeverare, Papiſmum Mahometiſmo propiorem & impuriorem eſſe.* Certè. Sed quorſum iſta? Nam hæc vera de Trinitate perſonarum & unitate divinę naturæ fides non eſt Papiſtica, ut iſti contendunt, & ut *Valentinus Gentilis* exiſtimavit: ſed Eccleſiæ antiquæ, & veterum Patrum diu ante enatum Papiſmum. Præterea Papiſmum non ſimpliciter, ſed in multis dicimus eſſe Mahometiſmo propiorem & deteriorem. Quæ, ne temerè & præter rationem à nobis dicta eſſe videantur, ipſa capita ſumma errorum & hæreſeῶn Papiſticarum Mahometiſmo vicinarum, Mathæus Sutlivius annotat toto in tractatu tum de Turco Papiſmo, tum de Calvino-Turciſmo adverſus Guilielmum Giffordum & Rainoldum, &c. Londini anno 1604. impreſſo.

Ibid. p. 388.

Trinitatis myſterium ex Scripturis ſciri Evangelici affirmãt, Papiſtæ negãt.

Aſſerunt ſecundò, *Fidem de Trinitate generalibus regulis noſtra doctrina refellit. Nos enim nihil probare neceſſariò credendum, niſi quod manifeſtis & expreſſis Scripturæ teſtimoniis poteſt probari.* Sed primum impudenter, ne dicam flagitiosè dicitur de nobis. Neque enim vel unum apicem doctrinæ noſtræ afferre poſſunt Adverſarii cum fide verè Chriſtianâ pugnantem. Secundum etſi verum ſit, tamen inde non rectè concluditur nos fidem de Trinitate impugnare. Quis enim dubitet, quin fides de Trinitate & Chriſti ac Spiritus ſancti divinitate ex variis Scripturæ locis diſertè probari poſſit. Inde veteres Patres arma ſumſerunt ad atheorum & hæreticorũ inſultus propulſandos: inde nos firmamenta fidei noſtræ de ſacroſanctâ Trinitate & Deitate Chriſti ac Spiritus ſancti habemus. Et ſanè abſque ſacræ Scripturæ teſtimoniis omnis fidei Chriſtianæ certitudo vacillat. *Fides* n. *eſt ex auditu & auditus eſt ex Verbo Dei,* *Rom. 10. 17.* & verbum Dei nuſquam nunc niſi in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis quęrendum eſt, ac inveniri poteſt.

Ibidem pag. 390.

At inquiunt iſti, *quod à Deo Patre, qui ſolus eſt ingenitus, per intellectualem & eam maximè propriam generationem ab æterno proceſſerit Filius, & quod Patri ſit conſubſtantialis, & quod propriè verbum & imago Patris dicatur, & quod Spiritus ſanctus à Patre & Filio tanquam uno principio, nõ tamẽ liberè, ſed neceſſariò proceſſerit, hujuſmodi alia, ex Scripturis oſtendi non poſſunt.* Sed multa his miſcentur, quæ ſunt alterius generis. Filium à Patre æterno ante ſecula genitum eſſe, & Patri conſubſtantialem eſſe Verbum æternum dici, ex Scripturis claris diſcimus. Similiter ex eiſdem intelligimus, Spiritum ſanctũ à Patre & Filio tanquam uno principio procedere, & ejuſdem eſſe ſubſtantiæ,

Aſſertio Trinitatis & Deitatis Filii ac Spiritus ſancti κατα-σκευαστικῶς.

& tres

Digitized by Google

& tres iſtas perſonas, licet inter ſe diſtinguantur, pares tamen eſſe & unius potentiæ ac majeſtatis: unam denique eſſentiam eſſe in tribus perſonis ex Scripturis cognoſcimus. Primum illud de æterna Filii ex Patre generatione & conſubſtantialitate, probatur ex Joh.1. ✝. 1.& c.17.a.5.10.20. & cap.14.6.9.& cap.20.ſ.28. & Rom.9.a.5. & Phil.2.a. 6. Quod verbum ſit & imago Patris æterni ex Joh.1.& Heb.1. diſcimus. Quod Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedat, & eiſdem ſit conſubſtantialis docet nos Spiritus ſanctus Gen.1.a. 2. Joh.14.b.16.d.26.& cap.16.a.7.&b. 15. Rom. 8.b.9.& 11. Act.5.a.3.& 4. 1. Cor.12.a.4.5.12.a.45.6.& cap.3.c.16. Tres eſſe perſonas diſtinctas, docet nos ipſe Chriſtus Math.28.29.& Marc.16. 15.& Joh.1. Johan.5.7. Unam eſſe omnium potentiam & eſſentiã, omnes illi loci oſtendunt, qui unum eſſe Deũ oſtendunt ac docent. Neque hæc nos nudè affirmamus; ſed ſententiam noſtram è Patrum ſcriptis variè & ſolidè confirmamus, qui hæc myſteria non ex traditionibus hominũ, ſed ex Scripturarum documentis demonſtrarunt. Ex Scripturis etiam alia omnia ad ſalutem neceſſaria edocemus.

Deſtructio falſarum opinionum de Trinitate & Deitate Filii ac Spiritus ſancti ἀνασκευαστικῶς.

At Scholaſticas ſubtilitates de Trinitatis ſanctiſſimo myſterio, è Scripturarum fontibus derivari non eſt neceſſe: neque enim ſunt ad ſalutem neceſſariæ. Multa de veſtigio Trinitatis ex omnibus creaturis & imagine Trinit. in homine, in Scholis diſputantur. Similiter de relationibus & quidditatibus, notionibus in divinis. Quæ non eſſe neceſſaria, inde conſtat, quia de iſtis rebus diverſæ ſunt & repugnantes interſe Scholaſticorũ ſententiæ: ut Dionyſ. Carthuſianus in 1. ſent. diſt.2.3.4.5. & ſequentibus annotat. Diſputat Thomas, *licere contraria opinari de notionibus in divinis, ſi nihil aliud inde ſequatur contrarium fidei.*

Præterea nonnulla ex iis, quæ Giffordus & Reginaldus neceſſaria putant creditu, incerta ſunt: nonnulla planè falſa dicunt illi, *generationem Filii intellectualẽ eſſe.* At Spiritus ſanctus aliter nos docet per Prophetam. Oſtendit enim eam ineffabilem eſſe. Nam *generationem ejus,* inquit, *quis enarrabit*? Hoc etiam docent Patres. *Non putet homo,* inquit, Hilarius, *ſua intelligentia ſe Sacramentum generationis poſſe conſequi.* Similiter Ambroſius: *Impoſſibile eſt,* inquit, *generationis ſcire decretum,* Lib.1.de Fide ad Gratiam.cap.5. Idemque probatur ratione. Nam ſi generatio Filii ſit ad modum verbi in intellectu, tum non erit æterna: & erit aliquid in humanis rebus ſimile ſummo Deo noſtro, quæ nihil habent ſimile nec ſecundum & non erit, Filius perſona ſubſiſtens diſtincta à Patre: quod evertit totum fidei noſtræ myſterium. Quare nobiſcũ ſentiens Alexander tertius in Epiſtola ad Soldanum, quæ habetur apud Mathæum Paris in Henric. II. p.108. ita loquitur: *Modum genituræ aut proceſſionis iſtius humana ratio non attingit.*

Iſa.53.8.

Lib.1.de Trinit.

Dicunt, *Filium à Patre genitum eſſe: & Spiritum ſanctum à Patre & Filio non liberè, ſed neceſſariò proceſſiſſe.* At ſi rectè dicatur, *Pater volens genuit Filium,* & ſi voluntas libera ſit, cur non dicatur Pater liberè genuiſſe Filium? *Eos qui dicunt, quod neque conſilio, neque voluntate Pater genuit Filium,* inquit Hilarius, *anathematizat*

Hilar. ad artic.25. Synodi Syrm.

ſizat ſancta Eccleſia. Certè quum Deus ſit liberrimum agens, ut loquūtur Theologi, quis Patri in generatione Filii, & Patri ac Filio in proceſſione Spiritus ſancti libertatem adimat? Quid illi non voluntate & liberè faciant? Et cui neceſſitati ſubjecti ſint?

Dicunt item *ſola originis relatione diſtingui Filium à Patre.* At Thomas, quē illi magiſtrum non dedignantur, dicit *meliùs diſtingui perſonas relationibus, quàm per originem.* Quod ille Boëthii auctoritate probat: & ratione etiam oſtenditur. Nam Pater & Filius in communi ſpiratione Spiritus ſancti non diſtinguuntur. Unum enim ſunt, ut loquuntur, ejus principium. Atque ita magni iſti ſophiſtæ, dum ſoli ſapere videri volunt, & alios docere conantur, in magnos errores & ineptias ipſi turpiter incidunt. Sed non debet illud cuiquā mirum videri. Ipſi enim ad traditiones non ſcriptas ac rationem humanam potiùs reſpiciunt, quàm ſacras Scripturas & rationes divinas.

1 Part. q. 4 art. 3.

Præterea ut oſtendant myſterium Trinitatis ex Scripturis non poſſe probari, afferunt vocabula *perſonam, relationem, abſolutum, conſubſtantiale, non haberi in Scripturis. Atque ut ibi haberentur, noſtros tamen diſtinctionibus ſententiam verborum eludere. Negare enim nos, verum Chriſti corpus eſſe in eucharistia, licet hoc cōmuniter Euangeliſta doceant. Et Calvinum locum illum, Ego & Pater unum ſumus, contra ſententiam Patrum interpretari.* Verùm nihil hoc aliud eſt, quàm ex aranearum telis funes nectere, & magno molimine nugas agere. Nam etſi vocabula illa, quibus utuntur ſanctiſſimi Patres, in Scripturis non reperiuntur:

Joh. 10. 30.

eorum tamen fundamentum ex Scripturis deſumptum eſt. De corpore Chriſti in Euchariſtia hoc loco intempeſtivè mentio facta eſt. Reſpondemus tamē, nos ea de ſanctiſſimo Chriſti corpore ſentire, quæ Scripturæ docent. Credimus enim, corpus Chriſti eſſe verum, locale, viſibile, contrectabile, circumſcriptum corpus, etiamſi ſit glorioſum. Nam ſic Lucæ 24. 15. 31 36. 39. 40. 41 42. 51. Joh. 20. 14. 15. 17. 20. 22. 27. Act. 7. 56. docemur. Quoad verò Euchariſtiam, credimus, ibi Sacramentum agi & celebrari. Sacramenta autem ſanè appellationem habent rerum, quarum ſunt Sacramēta. Ita Exod. 12. 27. *victima* dicitur *Paſcha Jehovæ.* & 1. Cor. 10 4. *Petra vocatur Chriſtus.* Unde Auguſtinus: *Solet*, inquit, *res quæ ſignificat, ejus rei nomine, quam ſignificat, vocari.* Idemq́ue definit *Sacramentum eſſe ſacrum ſignum* De conſec. diſt. 2. ſacrificium. Credimus igitur, verum Chriſti corpus in Sacramento Euchariſtiæ ſumi, ſed ſpiritualiter & ſymbolicè. Corpus verò Chriſti materialiter & carnaliter dentibus communicantium atteri, ut iſti docent, nō credimus. Nec hoc aliquis aut Euangeliſtarum ſcripſit, aut veterum credidit. Sed hi verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, figuratè accipi docent, & non carnaliter, ut inſtar cyclopum carnem Chriſti voremus, & ſanguinem potemus. *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis*, inquit Tertullianus contra Marcionem, lib. 4. *corpus ſuum illud fecit, hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt,* FIGURA *corporis mei.* Similiter Auguſtinus contra Adimantum cap. 12. *Non dubitavit*, inquit, *Dominus dicere,*

Corpus Chriſti, ut in Euchariſtia.

Quaſt. in Levit. q. 57.

Math. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 17. 1. Cor. 11. 24. 25. 26. 27.

Digitized by Google

dicere, hoc eſt corpus meum, quum ſignum daret corporis ſui. Idem lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 16. *Si flagitium aut facinus videtur jubere, inquit, aut beneficentiam vetare, figurata eſt locutio. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, inquit, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis;* (Joh. 6. 53.) *Facinus vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Theodoretus (Dial. 1.) *Symbola*, inquit, *quæ videntur, corporis & ſanguinis ſui appellatione honoravit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens.* Hanc etiam interpretationem probat Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. & Cyprianus de unctione Chriſmatis. Auctor etiam gloſſæ apud Gratianum de conſec. diſt. 2. *Vocatur corpus Chriſti*, inquit, *id eſt, ſignificatur.* Nec aliquis veterum docuit, panem & vinum in Sacramentis aboleri. In explicatione loci, Joh. 10. 30. quò Calvinus reſpexerit, & quàm nihil hallucinatus ſit, ſuprà oſtendimus. Si verò erraviſſet, nos Calvini interpretationes ſingulares non præſtare tenemur. Verùm ut non ex uno aut altero loco, cujus præſidio uſi ſunt veteres, demonſtratur Filii cum Patre conſubſtantialitas: non tamen ſequitur, Calvinum de hoc articulo aut dubitaſſe, aut contra eos ſenſiſſe. Nam & Patres ipſi in Scripturæ interpretatione non rarò ſingulares afferunt ſententias, & cum aliis valdè pugnantes, & Papiſtæ in ſuis interpretationibus longiſſimè à Patribus diſceſſerunt.

Idem etiam demonſtrāt ex eo, *quod Patrū & Conciliorum authoritas à noſtris, ut ipſi ajunt, rejicitur.* Sed ad has calumnias ſæpè reſponſum eſt. Concilia non alia damnavit *Lutherus*, quàm ea, (*Ad Henricum VIII. reg. Ang.*) quæ laqueos conſcientiis contra verbum Dei injecerunt. Niceni Connilii decreta de fide nemo noſtrûm improbat, licet nonnulli adulterinos quoſdam canones, falsò Patribus Nicenis aſcriptos, non probent. Patres plurimi facimus: non tamen eorum errores ſequi tenemur. Quare, etſi Conciliorum quorundam acta & Patrum dogmata, ubi illi Scripturarum authoritatem neglexerunt, non probamus: nemo tamen noſtrûm non fatetur, eos Trinitatis myſterium rectè ex Scripturis explicaſſe, cujus ſpecimen & guſtū ſuprà exhibuimus.

Docent poſtremò, *ex Scripturis fidem Trinitatis non poſſe probari, quia* HÆRETICI *ex eiſdem ſe contrarium oſtendiſſe putarunt, & doctores noſtri ad conciliorum & Patrum præſidium in eodem argumento confugere ſunt coacti.* Sed neque propter HÆRETICORUM fraudes & errores à Scripturis reſiliendum eſt, neque in conciliorum & Patrum auctoritate viri docti & pii ſpem poſuerunt, ut non præcipuè Scripturarū teſtimoniis pugnarint. *Illa*, inquit Chriſtus, *teſtificantur de me.* (Joh. 5. 39.) Et Paulus ait. *Illa utiles ſunt ad docendum, redarguendum, inſtituendum, ut perfectus ſit homo Dei & ad omne opus bonum inſtructus.* (2. Tim. 3.) AUGUSTINUS contra Maximinum lib. 3. cap. 14. *Scripturarum authoritates*, inquit, *ſunt omnibus communes teſtes.* Idem Scripturas docet (*De Bap. cont Donatiſt. lib. 2. cap 6.*) eſſe *ſtateram non doloſam, in qua omnes ſententiæ exactè expenduntur.* Idem *Scripturam tanquam in ſede ſublimiore conſtitutam eſſe docet, cui ſervire debet omnis fidelis & pius*

pius intellectus. Hæc Auguſtinus & alii Patres Arrianos, alioſque hæreticos devicerunt. Hanc ille *eminentiſſimæ authoritatis eſſe* dicit, de Civit. Dei lib. 11. cap. 3. & *Apoſtolos ille judices* appellat, de Nuptiis & concupiſcentia lib. 2. cap. 33. Baſilius *Scripturam divinitus inſpiratam ſuo judicio rem definire oportere dicit, ut apud quos inventa dogmata fuerint divinis ſermonibus congrua, iis omnino veritatis ſuffragium deferatur.* Poſt Scripturas autem Conciliorum & Patrum teſtimonia adjungi ſolent, ut omnes intelligant & priſcam Eccleſiam, & nos unam fidē amplecti, & eiſdem fundamentis niti.

Epiſt. 80.

Nec obſtat, quod Calvinus, ut anteà dictum eſt, quædam Scripturæ loca de Trinitate & Chriſti Divinitate teſtantia, aliter atque Patres exponat. Nam Pareus in Calvino Orthodoxo Neoſtadii excuſo crebro optimam ejus rationem reddit. Et ne Papiſtæ quidem omnes interpretum ſuorum ſententias recipiunt, ut Liber Contradictionum Romanæ Eccleſiæ Doctorum à Joh. Pappo editus cōprobat. Nec Calvinus unquam dubitavit, quin Scripturæ S. principiis fides Chriſtiana de Trinitate perſonarum, & Divinitate Chriſti ſatis ſuperque probari poſſit. Ægydius verò Hunnius ex odio veritatis ac Calvini occaſione arrepta varias ex ſcriptis Calvini calumnias contra eum collegit, quas & Pareus peregregiè refutat & Deus indies magis vindicato. Non obſtat præterea Cartwrigti contra Synodi Nicenæ authoritatem & Patres judicium, nobis à Giffordo & Reinoldo dejectum. Illud enim communiter noſtri homines improbant, veluti hominis temerarii, & in Concilium illud celeberrimum & Patres nimis acerbi atque iniqui. Non obſtant denique Arrii, Petri Statorii, Blandratæ, Serveti & aliorum hæreticorum cōtra fidem Trinitatis, & Chriſti Divinitatē blaſphemiæ ac impia dogmata. Ea enim & Doctores noſtri diligenter oppugnarunt, ſolideque refutarunt, & nos omnes ea communiter execramur.

Quæ ergo Giffordus & Reginaldus adverſus Arrianos & Tritheitas, ſive Ungaros ſive Polonos colligunt, ea nihil ad nos attinent. Quemadmodum nec ea nos attingunt, quæ Bellarminus in libris de Chriſto ac alibi ex eorundē rapſodiis congeſſit. Omnibus enim eorum hæreſibus anathema dicimus, ut acta ac ſcripta noſtrorum publica teſtificantur. Imo quicquid quorumcūq; hominum atq; doctorum Scripturis ſacris repugnat, abjicimus, condemnamus & anathematizamus. Genebrardi & Hunnii, & Equitis Poloni, neſcio cujus, calumnias non pluris facimus, quàm hoſtium & ſcurrarum malevolorum maledicta.

Aſſerunt tertio, *duobus modis à noſtris impugnari fidem Trinitatis. Nam quoſdam trium perſonarum ſubſiſtentiam tollere, quoſdā tribus perſonis diverſas naturas aſsignare.* Atqui *nos*, ut cum S. Athanaſio loquamur, *nec confundimus perſonas, nec ſeparamus ſubſtantiam.* Quare niſi hæc exactè doceant Adverſarii, quæ nobis objiciunt, hîc manifeſtæ tenebuntur calumniæ. Videamus ergo accuſationis hujus fundamenta.

Calvino-turciſmo, lib. 3. c. 4.

Primò aſſerunt, *nullum fidei articulum in diſputationem apud nos veniſſe, quin ſecta ſtatim differentes inde enata ſint. Exempli*

gratia

Digitized by Google

gratiâ, de Incarnatione Chriſti, & ejus ad inferos deſcenſu, de aſcenſione in cælos, & cælo ipſo, de cœna Domini, de vi & efficacia Baptiſmi confeſſione & Abſolutione, Libero Arbitrio & Prædeſtinatione diſcrepantes eſſe ſententias. Sed nihil hæc ad Rhombum. Hoc enim loco quæritur de perſonarum in divinis Trinitate. Præterea, falſo hęc nobis objiciuntur. De omnibus enim fidei articulis Eccleſiæ Euangelicæ in Germania, Gallia, Anglia, Bohemia, Ungaria, Polonia, Suecia, Dania, Scotia præclarè conſentiunt, ut HARMONIA CONFESSIONUM teſtatur. Nec tantæ ſunt controverſiæ inter Lutherum & Zuinglium, Germanos & Gallos, aliósque noſtrorum privatos Doctores, quin multo majores ſint & fuerint inter ſectæ Pōtificiæ magiſtros. Noſtrorū adhæc contentiones ad veritatem exactius eruendam, ac longius latiúsque propagandam faciūnt contra inveteratos in Papatu ac rudiorum Scholis errores. Noſtri adhæc nunquā ad anathemata & arma inter ſe propter dogmata diverſa devenerunt aut ea ſtatim ſopiverunt. Nec quicquam gratius noſtris eſt quàm in quovis homine veritatis inquirendæ & promovendæ ſtudium. Patres autem Synagogæ Pontificiæ ſæpenumero & cenſuris, & armis inter ſe dimicarunt (teſte Theodorico Niem de ſchiſmate lib. 1) & adhuc veritatē ex Scriptura ſacra inveſtigantibus & docentibus locum non relinquunt, ſed arma atque anathemata inferunt.

Dicunt ergo ſecundò, *Paulum Alciatum, Valentinum Gentilem, Blandratam, Ochinum, Statorium & Stancarum aut perſonarum negaſſe diſtinctionem, aut eſſentiam divinam diviſiſſe.* Verùm quid hæc ad noſ? num nos cum illis ſentire dicent? Cupiunt quidem, ſed tamen rerum evidentia eorum audaciam reprimit. Norunt enim noſtras de Trinitate & Chriſti Divinitate ſententias eſſe Catholicas & orthodoxas. Et totus Chriſtianus orbis cognitum habet, vel altum dormientibus, vel mala multa in pios molientibus hominibus Pontificiis, naſcentes iſtas hæreſes à noſtris hominibus ſolis repreſſas, & earum authores ſupplicio fuiſſe affectos.

Præterea de hæreticis iſtis confusè loquuntur, dum *Paulum Alciatum, Valentinū Gentilem & Stancarū*, tres diverſarū hæreſum authores, quaſi idē ſentiētes conjungunt: & imperitè agunt, dū præcipuum harum hæreſum ducem *Michaëlem Servetum* Hiſpanum tacent. Is enim myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis primus ſuperiore ſeculo oppugnavit, & ex Hiſpania & Monachorū clauſtris monſtra opinionum ſecum afferens, à noſtris hominibus Genevæ convictus, & ſupplicio ſublatus eſt. Hunc ducem ſequuti *Blandrata, Alciatus, Socinus & Franciſcus David*, in Trinitate ſuſtulerunt diſtinctionem perſonalem. Valentinum verò Gentilem ſequutus eſt, *Franciſcus Liſmanius* quidam ex ordine Franciſcano loquax Monachus, & *Mathæus Gribaldus*, qui omnes in Arrianiſmum inciderunt, & divinam eſſentiam in tres partes inciderunt. *Stancarus* circa Chriſti perſonam & officium erravit. Eorum ſententias etiam Bellarminus lib. 1. de Chriſti cap. 2. recenſet. At nos reformatarum Eccleſiarū Euangelici Chriſtiani omnes eorum hæreſes & impietates,

Digitized by Google

tates, ipſoſque etiam hæreſum iſtarum authores, uno ſtudio abominamur, ac uno ore damnamus. Proferant ergo, ſi quod habeant vel argumentum, vel ſaltem aliquam ſuſpicionem, unde vel probabiliter aliquis exiſtimet nos cum iſtiuſmodi hæreticis ſentire. Si non poſſunt, cur non tacent?

Calvino-turciſ. pag. 409.

Aſſerunt *noſtros Doctores his ſectis ortũ & incrementa dediſſe. Perſonam enim ita definiviſſe, ut omnem realem exiſtentiam excluſerint. Et Calvinum optaſſe, nomina Trinitatis, perſonæ & conſubſtantialitatis ſepulta eſſe, modò conſtaret Patrem, Filium & Spiritum ſanctum eſſe unum Deum. Et confeſſionem Gallicam habere, in una eſſentia divina tres ſubſiſtere perſonas, & Muſculum exiſtimare, Chriſtianum eſſe poſſe ſine vocabulo perſonæ. Et Danæum de Patrum doctrina malè loqui. Et Melanchthonem aſſerere, in Filio & Spiritu ſancto eſſe aliquid eſſentiæ divinæ, & multa ejus generis. Antitrinitarios denique & Tritheitas à nobis profectos eſſe.*

Antitrinitarii à Papiſtis orti.

Cujus accuſationis hæc ſumma eſt. Hæreticos à nobis profectos eſſe in Poloniam & Ungariam, & ex noſtra doctrina occaſionem errandi ſumpſiſſe. Sed primum illud magis in Papiſtis hæret. *Servetus enim* Hiſpanus erat, *Blandrata & Stancarus* Itali: Omneſque ab incunabulis in Papiſtarum erroribus & ſordibus enutriti ſunt. *Liſmanius* ex Franciſci erat familiâ Monachus. Ex Italia etiam erat *Paulus Alciatus, & Lælius Socinus.* Unus ex Gallia erat *Petrus Statorius.* A Papiſtis ergo errores iſtos ſuos hauſerunt, & non à noſtris, quorum ſemper fuit orthodoxa doctrina, & Adverſariorum opinionibus multò ſanior, & magis Catholica. Illi enim *contraria de veſtigio Trinitatis in creaturis, & imagine ejuſdem in homine, & notionibus* opinantur: noſtræ autem confeſſiones ubique conſentiunt. Ex iis aliqui docuerunt, *eandem eſſentiam ratione formæ non eſſe in Patre, Filio & Spiritu ſancto:* teſte libro errorum Pariſienſium & condemnatorum apud Mathæum Paris in Henrico III.

Tritheitæ à Papiſtis orti.

Hæreſes Papiſtarũ de Trinit.

Joachimus Abbas *diviſit eſſentiam divinam, & unitatem tantùm poſuit collectitiam.* Nonnulli dicunt, *eſſentiam divinam generari.* Alii ponunt, *Filii generationem eſſe intellectualem,* quod omnino adverſatur ejus æternæ emanationi & reali diſtinctioni perſonarum Trinitatis.

C. Damnamus, de ſumma Trinit. & fide Cathol.

At noſtra doctrina, quam Turcico odio & perfidia iſti reprehendunt, ſana eſt. Primum reprehendunt, in Confeſſione Eccleſiæ Gallicanæ Euangelium amplexæ, in Beza, in Mornæo & Danæo, *quod tres perſonas in unica Dei eſſentia ſubſiſtere* dicant. Quaſi verò non ſit hæc orthodoxa dicendi formula & à Patribus ſæpè probata.

Perſonæ tres in una eſſentia ſubſiſtunt.

Gregorius Nazianzenus: *Tres hypoſtaſes,* inquit, *inconfuſæ ſervantur.*

Auguſtinus dicit *Perſonas eſſe in natura Deitatis:* Similiter etiam loquitur lib. 15. de Trinit. cap. 23. & de Spiritu & Anima cap. 54.

De Trinit. lib. 7. c. 6.

Epiphanius: *Pater,* inquit, *Filius & Spiritus ſanctus in una Deitate.* Item: *Trinitas in una Deitate, Trinitas in unitate.* Similem etiam dictionis formulam habet Athanaſius in Symbolo.

Hæreſ. 76. & 77.

Adeoque hoc verum eſt, ut Thomas fateatur, eadem ratione rectè dici *Tres perſonas unius eſſentiæ, ut unam eſſentiam trium perſonarum:* In 1. part. q. 39. art. 2.

Et

Digitized by Google

Gilbert. Porretanus damnatur.

Et ſanè niſi tres iſtæ perſonæ in eſſentia ſubſiſterent Divina, tū refutationes iſtæ & perſonæ *foris exiſterent*, quod credidit *Gilbertus Porretanus*, eóque nomine in Synodo Remenſi (ut teſtatur Prateolus in elench's lib. 7. cap. 11. & Thomas Aquinas 1. p. q. 28. art. 2. Et verū eſſet, *perſonas divinas eſſe extra Deitatem*, quod abſurdiſſimum dogma eſt. Sed iſti nihil credunt rectè dici, niſi quod in magiſtrorum ſuorum dictatis reperiunt, aut quod fortaſsè in Miſſali & Breviario non habetur. Quod autem ex iſta phraſi putant *quaternitatem* ſequi, falsò opinantur. Nam perſonæ non dividunt eſſentiam, aut aliam cōſtituunt naturam magis quàm unitas eſſentiæ confundit perſonas.

Perſona & proprietas idem.

In Calvino & Scheckio tanquam gravem errorem notant, quod *perſonā & proprietatem* idem nonnunquam valere putent. Quā in re dum acuminis gloriam iſti Pontificii critici affectant, oſtendunt ſe non tantùm veræ & veteris, ſed etiam Scholaſticæ Theologiæ imperitiſſimos eſſe. Non enim loquūtur noſtri aliter, quàm Theologi veteres & recentiores.

Contra Eunom. lib. 1.

Hæc, inquit Baſilius, *proprietatum natura eſt, ut in identitate ſubſtantiæ diſtinctionem oſtendant.*

Tria hæc unum, inquit Gregorius Nazianzenus, *ſi divinitatem ſpectes, & unum tria, ſi proprietatum rationem habeas.* In orat. de Spiritu ſancto.

Lib. 3. de fide. cap. 57.

A Damaſceno perſonæ appellantur ἀσυγχύτυ φύσεως ἰδιότητες, id eſt, *inconfuſæ naturæ proprietates.*

Ita etiam Innocentius in Synodo generali: Hæc ſancta Trinitas, inquit, ſecundùm communem eſſentiam individua, & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta. C. Firmiter, de ſumma Trinitate & fide Cathol.

Et ne ulterius nobiſcum litigent, aſſerit Thomas 1. part. q. 4. art. 1. *proprietatem & relationem* in divinis idem ſignificare. *Secundùm duplicem rationem identitatis*, inquit ille, *proprietas in divinis eſt idem cum perſona.* Illos, qui aliter exiſtimarunt, in hæreſin Gilberti Porretani prolapſos eſſe ſignificat. Nihil ergo Calvinus & Scheckius de proprietatibus perſonalibus non catholicè & orthodoxè affirmarunt.

De Calvino-turciſ. pag. 410.

Aſſerunt tertiò, Calvinum optaſſe *nomina Trinitatis, & perſona, & conſubſtātialitatis ſepulta eſſe.* Sed verba Calvini præcedentia ipſum ſatis à calumnia vindicant. *Si temerè non ſunt inventa nomina*, inquit ille Inſtit. lib. 1. cap. 13. §. 5. *cavendum eſt, ne ea repudiando ſuperbæ temeritatis arguamur.* Optavit ergo potiùs, ut res ipſas tenerent homines Chriſtiani, quàm ut in verbis hærerēt. Orationem autem illam, *ſancta Trinitas, unus Deus, miſerere nobis*, & Calvinus, & alii barbariem ac ruditatem olere putarunt. Non quod malè de unitate divinæ eſſentiæ, vel perſonarum Trinitate exiſtimarent, ſed quod in oratione hac iſta non ſatis explicatè & aptè traderentur.

In *Muſculum* invehuntur, quaſi ipſi *Perſonæ* vocabulum diſpliceret. Sed erudito illi viro injuriam faciunt. Non nomen illud, ſed lis de nomine ipſi diſplicuit. Quod autem dicit ipſe, veriſſimum eſt. Nam abſque hujus vocabuli cognitione Chriſtianus fieri poteſt. Neque enim Apoſtolorum temporibus notum erat.

Digitized by Google

Danæum taxant, quòd in explicatione myſterii Trinitatis *Patres* putârit *dictionibus uſos durioribus*. Sed etſi aliter iſti putent, non credo tamen eos omnia Patrum dicta probare. Nos autẽ aliter, quàm Danæus, exiſtimamus & loquimur. Nam Patrum dicta duriora non temerè rejicienda, ſed commodâ interpretatione mollienda eſſe cenſemus.

Melanchthoni Arrianiſmi crimen objiciunt, eoq; nomine & verba citant, & Stancari teſtimonio pugnant. Sed indigniſſimè optimo illo viro labes illa impingitur. Nam ut contra negantes Filii & Spiritus ſancti divinitatem concluſerit, eos *eſſe aliquid Dei*: non tamen exiſtimavit divinam naturam eſſe diviſibilem, aut divinitatem Filii & Spiritus ſancti minorem eſſe quàm Patris, ut ejus accuſatores putant: ſed & Filium & Spiritum ſanctum verè eſſe Deum, quia Deitas eſt impartibilis. Verùm, ut incommodè loquutus eſſet ille, ſententia tamen ejus orthodoxa eſt. Atque ut incommodè ſentiret, quid tamen hoc ad nos, qui aliter credimus & loquimur. Præterea, hæc objectio alieno loco affertur. Hoc enim loco probare debuerunt, nos Trinitatem impugnare. Iſta autem ad unitatem potiùs oppugnandam ſpectant.

Quare niſi & ipſi acutiùs ſuam ſententiam explicare, & fortiùs adverſus nos pugnare poſſent, præſtitiſſet omnẽ hanc *Sabellianiſmi & Arrianiſmi* accuſationem omittere. Nam argumenta nihil prorſus valent. Teſtimonia autem *Stancari, Genebrardi, Launei & Jacobi Andreæ*, juſtiſſimis exceptionibus eliduntur. Stancarus hæreticus erat: reliqui inimici noſtrorum hominum capitales. Longè autem aliud eſt argumentari, & aliud maledicere. Maledicta hîc velut ſtellæ nocte ſerenâ, innumerabilia ſunt, argumenta nulla.

Neque ſanè dividimus divinam eſſentiam, quòd præterea nobis objiciũt Adverſarii. At, inquiunt, illi, *Tritheitæ, & eorum dux Valentinus Gentilis, ejusq; diſcipuli non unum, ſed plures eſſe Deos dixerunt, eosq; inter ſe ordine, gradu & proprietate ſecretos*. Sed quid hoc ad nos, quorum Gentilis non fuit, & qui cum Valentino Gentili ejusq; amatoribus nihil commune habemus? Nunquàmne ceſſabunt Sycophantę iſti importuni aliena crimina nobis objicere? *Calvinoturciſmo pag. 420. lib. 3. cap. 5.*

Reſpondent ergo iſti, *Nihil eſſe in Valentini Gentilis opinione, quod non in plerisque Euangelicorum doctorum libris & commentariis ſæpe occurrat*. Nam Bezam dicere; *Eſſentiam verè & realiter in tres perſonas eſſe diſtinctam*. Calvinum aſſerere, *Filium habere ſubſtantiam diſtinctam à Patre*. Lutherum ponere divinitatem triplicem. Bullingerum tribuere *ſingulis perſonis diſtinctas operationes*. Loſſium dicere, *tres perſonas eſſentialiter eſſe diſcretas*. Scheckium & Calvinum *ſubſtantiam Patris à ſubſtantia Filii ſeparare*. Hieronymum Zanchium inſcribere librum ſuum de *tribus Elohim*. Et Genevenses *perſonas divinas in honore diſtinguere, & Chriſtum ſecundùm divinam naturam mediatorem eſſe docere*. *Mendaciũ Papiſtarũ impudentiſſimum & maximum. Ibidem p. 420.*

Sed hæc aut maledicta ſunt homine Chriſtiano indigna, aut calumniæ Papiſticâ perfidiâ digniſſimæ. Nulla enim noſtrorum ſententia Valentini Gentilis

Digitized by Google

Confeſſ. fide cap. 1 §. 2.

Gentilis opinioni eſt ſimilis. Non enim dicit BEZA, *eſſentiam verè & realiter in tres perſonas eſſe diſtinctam*, ut iſti fabulantur. Sed in *unica eſſentia ſubſiſtere tres perſonas verè ac reipſa inter ſe ſuis proprietatibus ſive ὑπάρξεως modo diſtinctas.* Toto autem cœlo hæ duæ propoſitiones à ſe invicem diſtant.

Inſtit. l. 1. c. 13. §. 22.

Nuſquam dicit Calvinus, *Filium habere ſubſtantiam diſtinctam à Patre.* Imò planè contrarium ejus docet. Unam enim eſſe ſubſtantiam & eſſentiam, & eam in tribus eſſe perſonis, eosque, qui lacerant divinam eſſentiam, inter hæreticos numerat. In tractatu autem contra Servetum, non ſubſtãtiam, ſed *hypoſtaſin Filii à Patre diſtinctam eſſe* affirmat, & ubique ὁμοούσιον eſſe prædicat. De LUTHERO Papiſtæ apertum dicunt mendacium. BULLINGERUS per operationes intelligit perſonales proprietates & relationes: idque ſecundùm illam vulgatam diſtinctionem, quæ dicit *opera Trinitatis ad extra eſſe indiviſa.*

Præterea, operationes ad extra licet ſint omnib. perſonis communes: ſolẽt tamen nonnunquam appropriari ſingulis, ut ex Magiſtro ſententiarum l. b. 1. diſtinct. 31. diſcere potuiſſent.

In lib. Alcui. de Trinit. cap. 6.

LOSSIUS Alcuinum videtur ſequutus, ubi dicit, *Perſonas Trinitatis eſſentialiter, verè & ſubſtantialiter eſſe diſtinctas.* Sed per eſſentialiter & ſubſtantialiter intellexit perſonaliter. Neque enim novum hoc eſt. Ubi enim dicitur Chriſtus, *Deus de Deo*, nomen eſſentiale perſonaliter ſumitur. *Quum dicimus perſonam Patris, nõ aliud dicimus*, inquit Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. *quàm ſubſtantiam Patris.* Thomas Aquinas *realiter idem eſſe eſſentiam & perſonam definit.*

1. Part q. 39 a. 1.

SCHEGKIUS & CALVINUS, ubi dicunt: *Deum Filium à Deo Patre diſtingui, & ſubſtantiam filii à ſubſtantia Patris*, intelligunt perſonam Filii & Patris diſtingui. Et ſubſtantiam perſonaliter accipiunt, ut in illis etiam verbis accipitur, *Deus de Deo*: & aliàs non rarò fit.

ZANCHIUS librum ſuum perdoctè & peraptè *de tribus Elohim* inſcripſit, quia hoc uno vocabulo Geneſis 1. 1. Patres & Perſonarum Trinitatem & eſſentiæ unitatem probarunt. Ac Magiſter ſententiarum: Perſonarum pluralitatem, inquit, & naturæ unitatem ſimul oſtendit Dominus in Geneſi, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Hoc etiam Auguſtini auctoritate probatur in lib. de fide ad Petrum cap. 1. & Hilarii lib. 3. de Trinitate. Idem per *Elohim* oſtendit pluralitatem perſonarũ ſignificari. Nec obſtat, quòd *Elohim* alibi ſignificat *Deos, Angelos, Principes & Judices*, quum Patres, à quorum interpretatione iſti (credo) non appellabunt, per *Elohim* intelligant *perſonas*, quando de Deo ac Trinitate res eſt. Adhæc ad Deum & Trinitatem vox *Elohim* propriè, ad homines atque Angelos impropriè per Metaphoram transfertur.

Lib. 1. d. 2. §. 4. & 6.

Gen. 1. 26.

Art. 6.

Eccleſiis GALLICIS falſarii iſti falſum crimen imponunt. Non enim dicunt illæ, *Chriſtum obtinere ſecundum locum honoris & imperii poſt Patrem*, ut mẽtiuntur; ſed omnes perſonas dicunt eſſe coæternas & coæquales.

De CALVINO etiam mentiuntur, ubi aſſerunt, eum *aſſignaſſe primum gradum vitæ Patri, ſecundum Filio ſecundùm*

Digitized by Google

Divinitatem, in Johan. cap. 6. ✠. 57. Loquitur enim de Filio quatenus homo, quatenus Patre minor eſt. Eo etiam ſenſu quatenus homo, vocat eum *Patris legatum & vicarium, & ſeſſionis à dextris prærogativam ei datã* fuiſſe dicit. Prærogativam autem Patri dari dicit propriè, ut Deus vocetur in Scripturis, quia Pater eſt prima perſona, ut nonnulli loquuntur, fons & origo divinitatis: non ita tamen ut excludatur Filius, aut Spiritus ſanctus. Unde etiam Patres Concilii Carthaginenſis decreverunt, *ut ad Patrem ſemper dirigeretur oratio*. Et ſanè, niſi Patri hoc tribuatur, ut ſit origo Divinitatis, & prima perſona; ordo in divinis omnis tolletur, quod etiam Scholaſticis videtur abſurdum. Nam Thomas: *Oportet*, inquit, *eſſe ordinem ſecundùm originem abſque prioritate*, part. 1. quæſt. 42. art. 3. Tertullianus contra Praxeam de Trinitate non veretur tres perſonas *gradu & forma* diſtinguere: quod plus eſt, quàm facit Calvinus. Et tamen orthodoxè dixiſſe probatur, ut ſuprà in articulo accuſationis Arrianiſmi ſecundo expoſitum.

In Math. 21. 44. Contra Gentilem Protocollo 10.

Concil. Carthag. 3. cap. 23.

De officio Mediatoris & Chriſti & Sacerdotio noſtri contra *Stancarum* & alios multò accuratiùs & doctiùs, quã Adverſarii diſputarunt. Illi enim mediationis officium tribuunt humanæ ſaltem naturæ: quod nihil eſt aliud, quàm mediationis officium tollere. non poteſt enim medium eſſe, quod ad alteram naturam tãtummodò propendet. *Oportuerat*, inquit Irenæus lib. 3. cap. 20. *Mediatorem Dei & hominum, propter ſuam ad utroſque cognationem, in amicitiam & concordiam utroſque reducere.* Magiſter ſententiarum aſſerens Chriſtum *ſecundùm quod eſt homo non eſſe aliquid omnino*: nullum prorſus locum Mediatori relinquit. Hunc ergo ejus errorem per Decretalium epiſtolam condemnavit Alexander III. ut teſtis eſt Mathæus Paris in Henrico II. pag. 132. Quis ergo non videt, & accuſatores noſtros reprehenſione circa hoc eſſe dignos, & nos culpa vacare? Nos enim propriè loquentes, hoc officium mediationis non uni naturæ, ſed perſonæ tribuimus. Idque meritò, quia actiones ſunt perſonarum, & non naturæ aſſumptæ. Non tamen negamus, quin Chriſtus per humanam naturam opera mediationis perfecerit. Et peculiari capite infrà, Deo gratiam largiente, fuſiùs de officio Mediatoris Chriſti nos nihil hæretici ſentire docebimus.

Mediator Chriſtus juxta utrãque naturam.

Lib. 3. d. 10. §. 1.

Nihil ergo eſt, cur nos Papiſtæ accuſent, *quaſi ſecundariam tribuamus Chriſto Deitatem, aut quaſi Valentinus Gentilis à noſtris hæreſes ſuas hauſerit.* De Chriſti enim divinitate, Prophetarum & Apoſtolorum ſequuti doctrinam, orthodoxè ſentimus, & Valentini Gentilis hæreſes, quas aliunde hauſtas in urbem Genevenſem ac finitima ei loca intulit, Genevenſes doctores primi & detexerunt & redarguerunt, Bernenſes autem una cum ipſo extinxerunt: ut ſuprà explicatum. Nihil eſt ergo, quòd Adverſarii in alienis agris meſſem ſperent, aut laborum noſtrorum fructum ad ſuos traducant.

Calvino-turciſmo pag. 424.

Peſſimè autem agunt Papiſtici doctores, ut Bellarminus lib. 1. de Chriſto cap. 1. & 2. ac alibi paſſim, Henricus Lancelotus in imperita ſua Anatomia Catholici deformati, Giffordus ac Guil. Rainoldus in impio ſuo Calvino-Turciſmo

Arrianorũ Antitrinitariorũ & Tritheitarum hæreſes malè repetuntur à Papiſtis.

Digitized by Google

Turciſmo, ac Jeſuitæ in multis ac variis ſuis ſcriptis, errores ac hæreſes *Arrianorum*, *Antitrinitariorum*, *Tritheitarum*, ex orco revocant, verbotim citant, & ita quaſi docent ac ſpargunt. Quid enim, obſecro, neceſſe eſt veteres iſtas peſtes repeti, ac in memoriam reduci quid Arrius, quid Servetus, quid Gentilis, quid Gribaldus, quid Liſmannus, quid Marcellus, denique quid ſimiles hæretici ſenſerint ac docuerint, quum toties jam à noſtris, non ab iſtis Papiſtis fuerint tanta monſtra detecta, comprehenſa, confutata, extincta, ſopita? quumque ex tota eorum hiſtoria nihil, niſi quod noris, diſcere queas? Et ferè ſemper aliquid, præſertim in hominum infirmorum ingeniis, inhærere ſoleat, ut natura ad falſum propenſi ſumus. Ac proinde hoc in iſtarum blaſphemiarum repetitione ægrè ab infirmioribus atque incautioribus vitari poſſit. Quamobrem iſta tam abſurda recoquere, & reponere, eſt non modò cramben odioſam ſexcenties repetere (quam vel bis ſolùm apponere mors eſt) ſed cœno & luto fœtido peſtilentarum hæreſum delectari. Non eſt tantùm otio & ſuo & lectorum abuti, verùm etiam veritatis luci nebulas ac caliginem obducere. Nō eſt ſolùm ingenium ſuū in Dei gloriæ diſpendium oſtentare, ſed & tendiculas inſidiarū incautis Chriſtianis ſtruere. Deniq; eſt homines rudes ad blaſphemandū Deū inſtruere ac formare. Id quod eſt prorſus impium. Ἔχθρα, inquit Plato, σοφία λοιδορῆσαι θεῶ. Et hæc talia ſapere, eſt deſipere, imò inſanire. Satis eſt, quum hæc aſtu Satanæ repullulant, præſcindere ea ex Dei verbo: quum ſilent, quemadmodum jam ſummo Dei beneficio inter nos prorſum obmutuerunt, miſſa facere tanta tamque tetra & noxia monſtra, non irritare, neque accerſere.

Arriani novi falsò nomine verorum Chriſtianorum Euangelicorum cenſentur.

Hæc tamen eſt hoc loco Papiſtarū robuſta ac percallida in toto hoc argumento tractando fraus, & inexpiabilis malignitas, quod quum nos Euangelici à talibus peſtibus ac monſtris ſimus ſingulari Dei gratia liberati, iis per impiam calumniandi libidinem nos ac noſtras Eccleſias orthodoxas aggravare. Quumque Poloni & Ungarici Arriani, & iis vicini alii ſe quoque vocēt Eccleſiæ miniſtros, utroſque & Arrianos & orthodoxos, id eſt, noſtros, qui iſtos refutarunt & oppugnarunt, nomine eodē miniſtrorum in hæreſi iſta malitioſè involvere, & perfidè æquivocatione vocis, ad invidiam noſtris conflandam, diffamare. Quumque Arriani iſti novi, ubicunque verſentur, ſeſe etiam Euangelicos ac reformatos, id eſt, à Papatus erroribus liberatos vocant, iſtorum hæreſes nobis ac noſtris verè Euangelicis aſcribere, qui à Papiſticorum errorum fermento repurgati ſumus. Id quod vident omnes præpoſterè fieri. Quamobrem juſtitia & pietate prædi[ti], nec ullo odii & invidię & malitiæ faſcino dementati, agnoſcere diſcrimen inter utroſque, ac alios ab aliis longiſſimè, imò toto cœlo atque terra & mari diſſitos ac diſcrepantes judicare, planeque ſeparare ab invicem debent.

Calvinoturciſmo pag. 424.

Præterea plurimum hallucinantur Adverſarii Papiſtæ, inprimis Giffordus & Reinoldus, uti fingunt, *nos intactis ſummis fidei myſteriis, ordinum tantùm de-*

cretis

cretis acquieſcere, ac in quæſtionibus de Pontifice Romano, & invocatione defunctorum, & conjugio ſacerdotum, & aliis ejus generis controverſiis, omnem operam noſtram conſumere. Quid enim docent Adverſarii Pontificii, quod noſtri non multò acutiùs, meliùs & uberiùs doceant? Cur nobis ſint ignota ſumma myſteria & intacta, & illis notiſſima? Linguas noſtri multò exactiùs intelligunt, quàm adverſarii: Scripturas diligentiùs ſcrutati & interpretati ſunt. Imò à noſtris Adverſarios plurimum adjutos eſſe, & adjuvari, ex horum ſcriptis conſtat. Patrum ſcripta omnibus æquè patentia, Adverſarii pervertunt, noſtri ad noſtræ cauſſæ defenſionem, Papiſticæ labefactationē atque oppugnationem dextrè convertunt, etſi Adverſarii reclament & renitantur. Adhæc in iis arguendis ac profligandis ingenium atque operam meritò conſumimus, à quibus ceu veneno eſt cavendum.

Quod autem ordinum decretis in quibuſdam acquieſcimus, hoc ideò factum eſt, quia Dei placitis ſacra Scriptura expreſſis accedunt, & fidei Chriſtianæ maximè conſentanea ſunt, ac tantum à putridis & falſis Romanorum Pontificum decretis, Antichriſtianiſmum evidenter ſpirantibus, diſcedunt.

Diſſenſio ſanè etiam apud nos de ſummis capitibus religionis, licet eam Adverſarii maximam eſſe fingant & cupiant, nulla eſt. In controverſia de intelligentiâ horum verborum, *hoc eſt corpus meum*, Zuinglius à Luthero, & Martyr à Brentio, Galli à Germanis diſcrepant. Sed nihil hoc ad myſteriū Trinitatis. Præterea nihil impediente privatorum diſcordia, veritas apud nos à piis maximè ſecundum ſacras Scripturas recipitur, & pax publicè ab Anglis, Germanis, Gallis, aliiſque Euangelicis Chriſtianis culta eſt hactenus ſemper, & Adverſariis noſtris invitiſſimis colitur.

Nihil eſt denique, quod Papiſtæ, in primis Apoſtatæ & transfugę, qui à noſtris partibus ad eos tranſierunt, ſupercilium ſibi ſumentes, nos fidem de Trinitate & aliis ſummis religionis capitibus doceant. Meminiſſe enim debent, ſe Adverſariorum & non Doctorum partes ſuſtinere. Verùm ut docere vellent alios, non tamen juratis noſtris hoſtibus, cauponibus, transfugis, apoſtatis, aliiſque indoctis myſteria Chriſti humana ratione ponderantibus, hæ partes tribui debent. Nec alios inſtituere conantes, debent ipſi viam ad errores ac hæreſes ſequi & monſtrare, ut iſti faciunt. Nam ut nunc tantum de Giffordo & Reinoldo Apoſtatis inſulſis loquamur, aſſerunt ii ita unam perſonam Divinitatis alteri ineſſe, & eā per περιχώρησιν complecti, ut *dæmones invadunt & poſſident ἐνεργουμένους*: quod & flagitioſè dicitur & falsò. Neque n. Deus Dæmoni ſine ſcelere ſummo cōparari poteſt. Nec ſimilis eſt immanentia ſeu περιχώρησις divinarum perſonarū, immanentię dęmonum in poſſeſſis. Illæ enim ſibi invicem ita inſunt, ut unam habeant eſſentiam. At dæmones & animæ ἐνεργουμένων ac poſſeſſorum diverſam habent eſſentiam. Illæ communiter operantur: dæmones & animæ hominum proprias habent actiones. Diſſimilis eſt etiam περιχώρησις perſonarum, & unio divinæ Chriſti naturæ

Errores terri Pontifi ii de perſonis Deitatis.

Dæmones divinis perſonis conferuntur à Papiſtis.

Digitized by Google

naturæ cum ejus anima, licet iſti ſimilem eſſe fingant.

Angeli an ſeipſos penetrent.

Illud verò quod dicunt de Angelis *poſſe eos ſe invicem penetrare, & ſibi mutuò ineſſe*, Falſum eſt. Nam hoc divinę videtur naturæ proprium, ut ſubſtantias omnes penetret. Præterea ſi poſſent ſe invicem penetrare, tum poſſent plures in eodem loco eſſe, quod Scholaſtici negant. *Sicut enim corpus*, inquit Bonaventura in Sent. diſt. 2. *nequit duabus perfici animabus ſic nec locus unus primus poteſt duobus deputari ſpiritibus*. Poſſet etiam *Angelus eſſe in loco punctali*: quod Scholaſticis videtur abſurdum. Auferretur adhæc Angelis perſonalitas. Neque enim ſingulæ haberēt ſubſtantiam propriam, ſi unus in aliis ſubſiſteret. Poſtremo, ſubſtantia ſubſtantiæ ſubjectum eſſet, quod eſt contra Dialecticorum regulas.

Ibidem.

Corpora glorioſa an alia corpora penetrent.

Falſum eſt etiam, idque multo magis *corpora glorioſa poſſe alia corpora penetrare*. Neque enim corporibus neceſſaria eſſent ſpatia, nec eis ſuæ remanerent dimenſiones, ſi hoc ita eſſet, ut illi contendunt. Poſtremò tolleretur Chriſti corpori humani corporis ſimilitudo & ratio: eſſet enim alterius ſpeciei.

In Trinitate ſingularitatem Papiſtæ inducunt. Calvinoturciſmo pag. 429.

Non videtur denique carere ſcrupulo, **quod in Trinitate videntur ſingularitatem inducere** iſti Papiſtici doctores, contra Magiſtri ſententiam lib. Sent. 1. diſt. 9. 1. Nam etſi Deus unus eſt eſſentia, tamē minimè eſt ſingularis, ſed tribus perſonis diſtinctus, quod myſterium initio hujus capitis & deinceps expoſuimus.

Calvinus & Beza rectè intellexere Patrem communicaſſe Filio totam ſuam eſſentiam. Iſti autem Adverſarii *transfudiſſe* dicūt. At transfundunt, qui in alium fundunt, quod ſibi non retinent. Hoc de Deo Patre ſceleſtum eſt cogitare.

Euangelici an religionem labefactarint, & imperii nervos inciderint.

Poſtremò, impudenter in Calvinoturciſmo pag. 4. 29. ac alibi inculcant, *nos & paulatim religionis Chriſtianæ dogmata labefactaſſe, & imperii domum nervos incidiſſe obganniunt*. Quæ nihil aliud ſunt quàm convitia ipſis Turcis indigna. Nos enim nullum religionis Chriſtianæ dogma convellimus, nec imperium Germanicum diminutum ullo modo cupimus. At ſuperſtitiones, falſa dogmata & hæreſes Synagogæ Romanæ meritò ſuſtulimus, & libertates noſtras adverſus Pontificem Romanum, qui Imperatoris Caroli quinti ac aliorum Papicolarum copiis nos oppugnavit, jure defendimus. Nec in hoc Zuinglius, vel in eo Lutherus, aut Cranmerus religioſiſſimus Eccleſiæ Cantuarienſis antiſtes in Anglia, ac Chriſti ſanctiſſimus Martyr, quicquam peccavit. Quod familiæ Amoris aut Antitrinitariorum ſectæ malè fecerunt, id putidè atque impudenter nobis aſcribitur,

Calvinoturciſ. lib. 3. cap. 6. 7.

At, inquiunt iſti, *Calvinus & Beza, & Whittakerus, & alii, naturam Dei turpius ſegregant, & flagitioſius divellunt, quàm veteres Pagani. Aſſerunt enim Chriſtum eſſe αὐτόθεον, ſive ex ſeſe Deum*. Sed impudentes & flagitioſè ſimul ac falſo dicitur. Neque enim ex eo ſequitur, eos vel naturam Dei divellere, vel diſtrahere, quia Chriſtum aſſerunt eſſe αὐτόθεον, Deum à ſeipſo. Calvinus enim apertè fatetur *unam eſſe divinam eſſentiam tribus perſonis communem, & Patrem gignendo, Filio dediſſe; Filium verò naſcendo divinam accepiſſe naturam*. Hanc autem divinam eſſen-

Eee tiam

Digitized by Google

tiam in Filio, ab alia Patris eſſentia profluxiſſe, & propagatum eſſe negavit, cōtra hæreſin Valētini Gentilis diſputans. Nam hic *ſolum Patrem eſſentiatorem eſſe, & eſſentiam Filii & Spiritus ſancti à Patris eſſentia profluxiſſe, eoſq; quaſi ſecūdariam Deitatem à Patre accepiſſe dixit.* Calvinus ergo hanc ejus impietatem refellens, orthodoxè dixit, Filium eſſe αὐτόθεον, hoc eſt, *Deitatem Filii ex ſe eſſe.* Hocq; imitans S. Baſilium ſtatuit, qui contra Eunomium lib.1. diſputat, *eſſentiam divinam eſſe ἀγέννητον, ingenitam.* Eſtque hoc vulgatum Theologorum axioma, *Deum neque à ſe neque ex alio & ab alio extitiſſe.* Atque illud etiam ex Auguſtini ſententia ſequitur. Omnia enim Patris, quatenus Deus eſt, Filii eſſe & Spiritus ſancti docet. Nam *Quicquid,* inquit ille, *eſt Pater quo Deus eſt, quo ſubſtantia eſt, quo æternitas eſt, hoc Spiritus ſanctus.* At Pater quatenus Deus, ſeu divina eſſentia Patris, ingenita eſt: Ergo & eſſentia illa, quæ eſt in Filio & Spiritu ſancto, niſi velimus tres eſſentias ponere, quod nec iſti ſcelus eſt negant. Quare Magiſter negavit, *dicendam eſſe Deum gignere eſſentiam.* Et Scholaſtici definiunt *divinam eſſentiam neq; generare neque generari.* Thomas 1.p.q.29. art 5. Occam lib.1.diſt.5.q.1. & Scotus & Durandus in hunc locum. Quid quod Abbas Joachim eo nomine cendemnatus eſt ab Innocentio 3. quia negav. *eſſentiam Trinitatis ſummam eſſe rem, & illam non eſſe rem & illam non eſſe generantē nec genitam, nec procedentem* Et ſanè niſi eſſentia divina in Filio ex ſe ſit, non erit Filius Dei Deus. Calvinum itaque ac ejus ſocios Bellarminus hoc nomine à crimine eximit. Nam quum: teſte ipſo Adverſario Bellarmino Calvinus à crimine hoc immunis ſit, neceſſe eſt Bezam & alios in Calvini veſtigiis inſiſtentes, à crimine immunes eſſe. Quod iſti Witakerum ratione 8. fol.121. &c. contra Campianum dicunt, *Niceni Cōcilii confeſſionem refellere,* impudens eſt & & nefarium mendacium. Fatetur enim vir ille doctiſſimus, idque libentiſſimè ſemper profeſſus eſt, *Chriſtum Jeſum Deum eſſe de Deo,* ſecundùm Cōcilii Niceni definitionem. Ubi autem Chriſtum probat eſſe αὐτόθεον, hoc facit, ut eorum convincat malitiam, qui ex his verbis occaſionem arripuerunt Chriſti divinitatem deſtruendi, quaſi ſecundariam Deitatem à Patris eſſentia propagatam accepiſſet.

Calv. Inſtit. lib.1. c.13 §.23.

Sent. lib 1 d.5.

Math. Paris in Henrico II. pag. 133. & cap. Damnamus, de ſumma Trinit. & fide.

Lib.2. de Chriſto cap.19.

Error Papiſticus turpis de Filii Deitate.

At Adverſarii noſtri, ſive res ipſas, ſive modum loquendi ſpectes, non poſſunt ſe ſimiliter excuſare. Illi enim in Calvino-turciſmi lib 3 c.3. pagina.3. 390. *generationem Filii dicunt eſſe intellectualem.* Qua in re dupliciter peccant. Nam non tantum generationem Filii à Patre ineffabilem enarrare conantur: ſed talem quoque ei aſſignant generationis modum, qui æternam ejus deſtruit, ut ſuperius oſtenſum eſt, Deitatem. Deinde, dum negant eſſentiam divinam in Filio, ſublata perſonalitatis ratione, ex ſeſe eſſe, Filium Dei Deū eſſe negant, quod tamen ipſi probare velle videri volunt. Neque enim Deus eſſe poteſt, qui ab alio habet eſſentiam generatam. Iidem etiam in errorem Joachimi Abbatis incidunt, & dum unam eſſentiam probare conantur, eſſentiam divinam flagitioſè lācerant, ponentes in Patre eſſentiam ingenitā, & in Filio genitam. Præterea abſurdiſ-

C. Damnamus, ac de ſumma Trinit. & fide Cath.

ſimē

Digitized by Google

ſimè aſſerunt, *Filium Dei eſſe Filium eſſentia ſeu natura, & non Patris*, ſeu perſonæ: & ſic pro Trinitate quaternitatem invehunt. *Quid*, inquiunt illi, *abſurdius vel inſulſius dici poteſt, quàm aliquem eſſe Filium Patris reſpectu perſonæ, non naturæ?* Quaſi verò Filius Dei non dicat relationem ad Patrem: & non ſit Filius æterni Patris, & non eſſentiæ: aut non valdè abſurdum eſſet, diſtinctionem & relationem ponere in eſſentia. Aſſerunt quidem pro ſententia ſua verba ſymboli Athanaſii, ubi Chriſtus dicitur *Deus ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus*. Sed longè aliud eſt, *genitum eſſe ex ſubſtantia, & dicere ſubſtantiam gignere*, quod ex horum ſententia ſequitur. Et aliud eſt, *ex Patris eſſe ſubſtantia, & Filium eſſe ſubſtantia, ſeu natura*. Illud enim rectè dicitur: hoc ſine incommodo dici non poteſt: quia vocabulum *ſubſtantiæ* hoc loco non eſt relationis terminus. Poſtremò, *eſſentiæ Filii principium dant*. Quod nihil aliud eſt, quàm vel Deo principium dare, vel Filio Deitatem abrogare.

Calvinoturciſ. pag. 449. lib 5.

Inſuper ex Chriſti mediatione, quã nos perſonalem facimus, & utriuſque naturæ communem, calumniandi occaſionem ſumunt, quaſi *Filium Patri inæquatem* exiſtimemus ac faciamus. Sed illi potiùs accuſandi videntur, qui cum Stancaro Chriſtum dividentes, homini abſque divinitatis operatione munus dant mediationis, à Neſtorianiſmo non multum diſcrepantes. Petrus Lombardus, licet alioquin neget illum redemptorem eſſe ſecundùm humanam naturam: tamen poſtea dicit, Chriſtum ſecundùm humanam naturam eſſe mediatorem & redemptorem. *Ecce hic*, inquit *aliquatenus insinuatur, quare Chriſtus ſolus mediator Dei dicitur & hominum, & ſecundùm quam naturam mediet, ſcilicet, humanam, & cui mediet, ſcilicet Deo Trinitati. Trinitati enim nos reconciliavit per mortem, per quam & nos redemit à ſervitute diaboli.* Ubi maniſeſtè hominem ſeparat à Deo, & humanæ naturæ tribuit reconciliationis & redemptionis munus. Alexander Alenſis, *Chriſtum ſecundùm quod homo, non ſolùm mediatorem eſſe dicit, ſed etiam redemptorem*. Bellarminus dicit *humanam naturam in Chriſto eſſe formale principium mediationis noſtræ*. Quod planè divellit mediationis munus à Deitate. Adverſarii noſtri exiſtimant *humanam naturam omnia operatam in actu mediationis: Chriſtum, quà Deus erat, nihil prorſus egiſſe*. Unde ſequitur Chriſtum, quatenus homo erat, perſonam fuiſſe (actiones enim ſuppoſitorũ ſunt) quod prorſus Neſtorianum eſt. De mediationis deniq; munere ita contemptim exiſtimant Papiſtæ, ut prælatos & viros ſanctos mediatores eſſe poſſe putant. Turrecremata *Epiſcopum inter Deum & homines mediatorem conſtitutum*, dicit, lib. 1. ſummæ, cap. 78. Idem Petrus Tarentaſius & Riſardus in 3. ſent. diſt. 19. docent. Hoc autem Neſtorius ſenſit, totum officium mediatoris pertinere ad naturam Chriſti humanam.

Mediatio Chriſti. Calvinoturciſ. lib. 3. cap. 8.

Lib. 3 ſen. d. 19. §. ult.

In 3. ſent. d. 19.

De Chriſto lib. 5. cap. 3.

Ex noſtra autem ſentẽtia, qua Chriſtum ſecundùm utramque naturam ſtatuimus Mediatorem, abſurdiſſimè colligunt, vel Filium Patri eſſe inæqualem, vel aliquam in divina natura ſequi diſtractionem, aut denique aliquod aliud abſurdum. Nam miſſus eſt in mundum Filius Dei, & naturam

Digitized by Google

noſtram aſſumpſit, & munus redemptionis peregit, & tamen nõ arbitratus eſt *rapinam eſſe, quod æqualis Deo eſſet*. Inquiunt iſti, *at Chriſtum facitis Sacerdotem ſecundum divinitatem, & Filium Patri obedientem fuiſſe* dicit Beza. Czecanovius præterea dicit, *Melanchthonem divinam Chriſti naturam in cruce mortuam dixiſſe*. Sed hæc calumnioſè contra ſententiã noſtram rapiuntur. Nos enim non Chriſtum, ut Deum, exiſtimamus fuiſſe ſacerdotem, & actionem illam à perſona Chriſti profectam, & non à natura humana, ceſſante & divulſa ab ea natura divina. Eodem modo exiſtimamus Chriſtum Deo fuiſſe obedientem & mortem in cruce pertuliſſe, non ut divinitas mortua ſit, vel minor facta (quod ſcelus eſt dicere) ſed quia Chriſtus Deus in his actionibus perſonaliter ſuſtentans humanam naturam, eadem operatus dicitur. Ipſe enim pacificavit per ſanguinem crucis ſuæ & quæ in terris, & quæ in cœlis ſunt. Ipſe *poſuit animam ſuam pro ovibus, & poteſtatem habuit eam reſumendi. Hic ſanguine ſuo Eccleſiam redemit*. Hic eſt ille *Pontifex, qui penetravit cœlos*. Hæc ſententia & Scripturis & Patribus conſentanea eſt. Et in eam nonnunquam imprudentes Adverſarii incidunt. Neque tamen cum Papiſtis conſentimus. Illi enim Deum in mediatione hac Chriſti nihil operatum putant: illi redemptionem & mediationem ſeparant: illi reconciliationem & Peccatorum remiſſionem humanæ naturæ tribuunt: illi merum hominem mediatorem ponunt, qui non potuit nos liberare à ſervitute diaboli & poteſtate mortis. Nec eſt, quod Patres ſibi patronos in hac cauſſa adoptent. Auguſtinus enim dixit, *Chriſtum eſſe mediatorem ſecundùm humanam naturam, ſed non ceſſante & nihil operante divina*. Et ea eſt aliorum ſententia. Mediationem enim hanc tribuũt Chriſto homini, & non ſolum Chriſti humanitati. De qua re alibi quoque infra hoc loco prolixiora dabimus.

Phil. 2. 7. 8. 9. — *Col 1. 20.* — *Joh. 10. 15. 18.* — *Act 20. 28.* — *Heb. 4. 14.*

In Calvino turciſ. pag. 474. & ſeq.

Quum itaque nihil in noſtra ſententia jure reprehendere poſſint, nihil eſt quod noſtris *Arrianorũ & Samoſatenianorum*, aut *Familianorum*, aut aliorum hæreticorum impietates objiciant. Quum inquam noſtram ſententiam adverſus omnes calumnias ſatis defenſam videant nihil eſt, quod tanquã hoſtibus debellatis triumphent, aut noſtros victos fingant. Nos ſanè nec impietatem, nec inconſtantiam in hac ſententia agnoſcimus. lib. 3. cap. 9. de Calvinoturciſmo. Quid vel Michæas nugetur, vel Giffordus garriat, vel Libertini delirent, vel apoſtata religionis Launoius & Villegagnonius mentiantur, vel hoſtes veritatis ſinceræ atque Euangelii puri malè loquantur, ut à Giffordo & Reinoldo introducuntur, æqui judices & pii non multum attendent, ac curabunt; nos parum aut nihil laboramus. Noſtram ſententiam de Trinitate, & Deitate Chriſti orthodoxam è ſacris Scripturis & patribus tueri ſat habemus.

De Spiritus ſancti Deitate adverſus Turcicas Giffordi calumnias declaratio.

Singulari tamen certamine & conatu nobis de Spiritus ſancti etiam Deitate errores ac hæreſes impingunt Papiſtici calones, inprimis Giffordus & Reinoldus lib. 3. cap. 10. de Calvinoturciſmo. Sed nihil erat cauſſæ, cur de hac re adverſus veram & orthodoxam noſtram Eccleſiam oblatrarent, niſi ut cani-

Digitized by Google

caninos dentes, & animi ſui virus, & ſummam omnia turbandi voluntatē, etiam ſine facultate nocendi, oſtenderent. Quid enim, quæſo, non pium, non ſanctum, non orthodoxum & catholicæ fidei conſentaneum, de Spiritus ſancti Deitate credit Eccleſia Euāgelica univerſa? Credimus enim omnes, Spiritum ſanctum tertiam in ſacra Triade perſonam, verum eſſe Deū, non factum, nec creatum, nec genitum, ſed à Patre & Filio, modo ineffabili, procedentem. Credimus etiam eſſe eundem ejuſdem cum Patre & Filio eſſentiæ, potētiæ, majeſtatis & gloriæ: Hæc eſt noſtra de Spiritu ſancto fides, quæ & ſuprà hoc capite eſt explicata. Quid habent ergo canes iſti, quod in hac confeſſione noſtra mordeant?

Calvinoturciſ. pag. 499. Reſpondent illi: *Ochinum prædicaſſe in Polonia, Spiritus ſancti hypoſtaſin nullam eſſe.* Narrant præterea, *quoſdam Tranſſylvanos fidem veteris Eccleſiæ de Spiritus ſancti cum Patre & Filio conſubſtantialitate abjeciſſe, ejúſque divinitatem impugnaſſe.* Proferunt denique quoſdam ex Moravia & Belgio hæreticos, *qui Spiritum ſanctum ſilentio prætcrierunt*, Eraſmo & Prateolo teſtibus. Sed quorſum iſta contra nos? His enim omnibus nos anathema dicimus. Imò & fratres illos Dominicanos & Minores Pariſienſes execramur, *qui exiſtimarunt, eandem eſſentiam in ratione formæ non eſſe in Spiritu ſancto, ſicut eſt in Patre & Filio.* Et negarunt, *Spiritum ſanctum, prout eſt amor ſeu nexus, procedere à Filio.* Hæc enim de illis Mathæus Paris in Henrico III. pagina 593 perhibet. Similiter deteſtamur omnes, qui aliquas de Spiritu ſancto hæreſes contra fidem Eccleſiæ Chriſti amplectuntur.

Dominicani cum hæreticis de Spiritu ſancto ſentientes.

Dicunt præterea, *omnes, qui Trinitatem negarunt, oppugnaſſe etiam Spiritum ſanctum. Et nos negare Filium eſſe Deum de Deo, & definire perſonam in Filio nihil aliud eſſe, quàm proprietatem in Deo reſidentem.* Sed primum illud de hæreticis Trinitatem oppugnantibus, nihil ad nos attinet, quorum fides de Trinitate orthodoxa eſt, ut noſtræ confeſſiones & ſuperiùs conſignata noſtra præſens tractatio declarat. Secundum & tertium duo ſunt magna mendacia. Nam etſi eſſentiam Filii à Patris eſſentia propagatam negemus: non tamen negamus rectè definiviſſe Synodum Nicenam, Filium eſſe de Deo. Et licet perſonas putemus proprietatibus perſonalibus diſtingui: nemo tamen noſtrū perſonam dixit nihil aliud eſſe, quàm proprietatem.

Aſſerunt denique, *nos Patrum teſtimonia & Conciliorum definitiones negare, quæ doctrinam continent, quæ in Scripturis non continetur.* Sed neque hoc verum eſt, niſi doctrinam intelligunt Adverſarii ad ſalutem neceſſariam. Neque cuiquam dubium eſt, quin ex Scripturis probari poſſit Spiritus ſancti Deitas, quod nos ſuprà ſatis, ut ſperamus, præſtitimus. Ne longiùs præterea abeam unius hoc Gregorii Nazianzeni exemplo probatur, qui in orat. de Spiritu ſancto denſis Scripturæ ſacræ teſtimoniis confirmat Eccleſiæ de Spiritu ſancto fidem orthodoxam. Nihil eſt ergo, quod Eccleſiam noſtram hoc nomine accuſant. *Traditiones Patrum & Conciliorū non ſcripta, ut ab Euāgelicis recipiantur.*

At Papiſtæ de Spiritu ſancto diſſerentes, nec ſecum, nec cum Catholica *Errores Papiſtici de Spiritu S.*

 Eccleſia

Digitized by Google

Eccleſia conſentiunt. Aſſerit Magiſter ſententiarum lib.ſent.1. diſt. 17. § 2. *Charitatem, quæ in nobis eſt, ſubſtantialiter eſſe Spiritum ſanctum.* Quod omnino tollit Spiritus ſancti divinitatem. Nam ſi charitas ſit virtus & habitus, ſeu qualitas in nobis inhærens, non poteſt habere ſubſiſtentiam, nec eſſe Deus.

Ibid. § 11.

Deinde docet: *Spiritum ſanctum charitatem eſſe Patris & Filii, quâ ſe invicem diligunt & nos.* At hoc tollit realem diſtinctionem perſonarum, & proceſſionem Spiritus ſancti ab uno principio & unica ſpiratione. Nam ſi ſe diligunt Pater & Filius Spiritu ſancto, tum erit Spiritus ſanctus in Patre & Filio, & nō poteſt ab eis diſtingui. Et ſi Pater diligit Filium, & Filius Patrem uno Spiritu ſancto, tùm non poteſt ab illis procedere, ut uno principio & unica ſpiratione.

Lib.1. ſent. diſt.18. § 10.

Præterea dicit *donum eſſe*, ita eſſe propriam relationem Spiritus ſancti, ut *proceſſionem*. Quod non modò multiplicat relationes, ſed etiam tollit Spiritus ſancti divinitatem.

Diſt.14.

De geſtis Conc. Baſilienſis.

Alibi docet, *duplicem eſſe Spiritus ſancti proceſſionem*; quod nec ſcholaſticis placet. Nam Occanus: *Non debet concedi*, inquit, *quod Spiritus ſancti ſit duplex proceſſio. Ipſi* Pontifices Romani *verba Chriſti non prout Spiritus ſancti ſenſus expoſcit, ſed ſuopte ingenio interpretantur*, teſte Æneа Sylvio.

Omnes ferè Scholaſtici aſſerunt, *Spiritum ſanctum eſſe ſpirationem paſſivam* & multa nova de Spiritu ſancto docent: quæ ſi quiſquam noſtrum doceret, omnes mille nos anathematum fulminibus dignos cenſerent, & ad ravim uſque hæreticos eſſe clamarent.

Calvino-turciſ. pag. 495 & 496.

Poſtquam verò nihil in noſtra de Spiritu ſancto doctrina reprehenſione dignum reperire poſſunt, dicunt furioſè & temerè: *Multos inter nos verſari, qui de Chriſto malè ſentiunt, incerti ſunt quid credant, & Moſem rident, & ad atheiſmum vergunt, & propterea ad Turciſmum viam parari contendunt.* Sed obliti ſunt, ſe hoc in loco de fide in Spiritum ſanctū agere inſtituiſſe, à qua hæc criminatio alieniſſima eſt. Deinde, nihil minùs decet, quàm ubi de Spiritu veritatis agitur, ibi tot effundere mendacia. Et ubi nihil de cauſſa poſſunt, ibi contra veritatis patronos calumnias colligere. Hoc enim Hæreticorum proprium eſt & à viris Catholicis alieniſſimum. Etenim Auguſtinus in Epiſtola 137. ait; *Ne objiciatis hæreticis niſi quia non habendo, quod in cauſſa ſua diviſionis defendant nonniſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè jactant, ut quia ipſam divinæ Scripturæ veritatem, qua ubique diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur, criminari & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quicquid in mentem venerit, poſſunt.*

Calumniari perſonas ubi res reprehendi non poteſt, hæreticorū eſt.

Math. 13.

Malè etiam argumentantur, & non tantum malè loquuntur. Nam etſi inter bonos verſentur mali, inter fideles ac pios infideles & impii non tamen reprehendendi ſunt viri boni & fideles ac pii, ſed potiùs cogitanda communis Eccleſiæ conditio, in qua bonis commixti ſunt mali. Verùm ut hæc valeat argumentatio, & illi ad Turciſmum inclinarent, inter quos verſantur homines ſcelerati, & impii & athei, tunc Papiſtæ non modo in via eſſent ad Turciſmum, ſed in termino & ultimo fine. Nam inter eos plurimi, ut nos exemplis

Digitized by Google

plis demonſtrare poſſumus, & experientia comprobatur, degunt ac verſantur ſcelerati, infideles, nefarii, impii, blaſphemi & inimici crucis Chriſti veræ. Imò ex ipſis multi ſunt nequiſſimi & impii ſacrorum verorum irriſores, falſorum cultores: quos tamē non negant eſſe Eccleſiæ, ſeu potius Synagogæ ſuæ vera membra. Neque licet ipſis inficiari Pontifices Romanos capita eſſe ſuæ Eccleſiæ, ſint quantumvis ſcelerati & impii. At ſi inter nos hujuſmodi homines verſentur, quod non mirum eſt, quum tot inter nos Papiſtas tanta facilitate & patientia feramus, & natura ad flagitia propendeat ſemper major hominem copia? tamen non ſunt hujuſmodi homines vera Eccleſiæ membra, ut doctè & ſolidè Math. Sutlivius lib. de Eccleſiæ verè Catholicæ natura & ſede cap. 607. probat. Inter nos quidem verſari poſſunt: ſed ex noſtris non ſunt, nec à noſtris æquo animo feruntur.

Bellarm. de Eccleſ. milit cap 9. & 10.

Deſinant ergo Papiſtæ Euangelicis Arrianiſmi tam veteris quàm novi ſententias hæreticas impingere, quū harum nulla in parte ſint rei, neque earum ullo modo convinci poſſint, Etſi enim aliqua de Euangelicis ſpargunt & etiam teſtantur, quæ eos Arrianicè ſentire aut docere præ ſe ferant, tamen ab Euangelicis nec dicta aut facta ſunt ea ratione, ut Papiſtæ deblaterant, nec eis unquam in mentem venerunt. Quin imò planè Papiſtæ Euangelicos de Trinitate, Chriſti Deitate & Spiritus ſancti Divinitate credere, ſentire & credere garriunt, quæ prorſus fidei illorum confeſſioni repugnāt, eaque directè redarguuntur. Calvino Luthero, Zuinglio, Bezæ, Muſculo, Melanchthoni, aliiſq; Eccleſiarum noſtrarum Euangelicarum columnis & luminibus imponunt, à quibus illi toto animo abhorruerunt, aut quæ non malè, ſed orthodoxè dixerunt, ſcripſerunt & docuerunt. Abſurdas denique & inauditas circa fidem de Deo criminationes contra omnes Euāgelicos veros confingunt, ac divulgant, in quib. reipſa confuntātur & pudore afficiuntur. Rectè ergo de eis Nigellus in Speculo Stultorum.

Hi ſunt, juſtitiam qui proſtituere pudicam,
Falſa loqui linguas qui docure ſuas.

CAP. II.

Nec cum Aërianorum hæreſi Euangelicis quicquam commune eſſe, & ſententias Aërii, quibus pro mortuis orandum & alia ſuffragia facienda eſſe negat, nec ſtata, ſed libera jejunia obſervanda contendit, Epiſcopum item & Presbyterum unum eſſe vult, minimè hæreſes eſſe. At Aërianis favendo, nihil proprii poſſidendum ſentiendo, eſcam carnis vitandam ſtatuendò, conjugiumque certis hominibus prohibendo, Aërium hæreſibus manifeſtis teneri. & Papiſtas in iiſdem cum eo non obſcurè verſari.

INURERE tamen præterea Euangelicis volunt Papiſtæ notam hæreſeos *Aërii*, quam fuiſſe variam dicunt. *Hæreſis undecima eſt*, inquit Bellarminus, *Aërianorum, qui tres errores docebant.* PRIMUS, *non eſſe orandum pro mortuis*. SECUN-

De notis Eccleſiæ. c. 9 § Aëriani.

SECUNDUS, *ſtata jejunia non eſſe celebranda.* TERTIUS, *Epiſcopum à Presbytero nulla differentia debere diſcerni. Eadem Calviniſta, Centuriatores, & Lutherani ferè omnes.*

I. *Aërius in tribus, quæ ei Papiſta tribuunt, non fuit hæreticus.*

RESPONDEMUS bifariam: Nēpe Aërium tum in iis *tribus*, quæ eum hæreticè ſenſiſſe Pontificii dicunt, non fuiſſe hæreticum, ac proinde nec Euangelicos eorum accuſatos, hæreticos eſſe, tum in quatuor aliis quorum Pontificii nullam hîc mētionem faciunt, Aëriū permagnum fuiſſe hæreticum ac Papiſtas in iiſdem ferè illum imitari.

I. Epiphanius quidem & eum ſequutus Auguſtinus, Aërium inter hæreticos numerat. Theodoretus verò in lib. de tabulis Judaicis non poſuit eum inter hæreticos, nec hiſtoria Eccleſiaſtica: ſed potius Euſtathium, qui illum oppugnabat. Nec ſunt Aëriani in ullo Concilio, quod ſciam, hæreſeos damnati: præſertim quoad ſententiam de oratione pro defunctis non fundenda, de ſtatis jejuniis haud celebrandis, deque diſcrimine nullo inter Epiſcopum & Presbyterum faciendo. In quibus non fuit ſanè hæreticus, ſi nihil præter iſta tenuiſſet. Nam hæc omnia & ſacra Scriptura, & Patres ſancti confirmant. Hæcque ejus dogmata ad amuſſim ſacræ Scripturæ ac Patrum ſanctorum exacta, rectèque intellecta, damnari hæreſeos nullo jure poſſunt, nec debent. Initio igitur orthodoxas has ejus ſententias excutiemus: deinde hæreticas, earum reos hodie monſtrando, ſubjungemus, fortiter & patienter immenſum æquor navigaturi, quod nos ingreſſuros videmus, quum res cognitu digniſſimæ ſint.

De precibus, miſſis, peregrinationibus, eleemoſynis, humicubationibus, flagellationibus, indulgentiis, & aliis ſuffragiis pro defunctis.

PRIMO, *noluiſſe Aërium preces pro mortuis fieri*, ac in eo propterea hæreticum eſſe, ſimpliciter hîc Bellarminus ait. At Bernardus Lucemburgius id longius ad alia etiam ſacra pro defunctis agenda extendit. *Aëriani*, inquit, *offerre preces, & ſacrificium pro defunctis ſpernunt, & miſſas applicari pro peccatis, pro ſatisfactionibus, aut pro aliis neceſſitatibus.*

I. *Suffragia precum, miſſarum, peregrinationum pro mortuis negando, nec Aërius, nec Euangelici ſunt hæretici.*

Bellarminus de purgatorio lib. 2. c. 15. & 16. *Genera ſuffragiorum*, quibus viva defuncti juventur, *ordinaria* quidem eſſe *tria* ſtatuit: nempe *ſacrificium miſſæ, & piam precationem, & opera pœnalia*, puta jejunia, eleemoſynas, peregrinationes ad loca ſanctorum, item humicubationes, corporum flagellationes, &c. *Extraordinaria verò eſſe indulgentias Pontificias.*

Quibus argumentis iſta probant? Primum ex *Scripturis*. Nam *Machab.* lib. 2. cap. 12. tum aliorum exemplum recitari, qui converſi ad preces pro interfectis, orârint, ut quod commiſſum eſſet ab illis peccatum, prorſus aboleretur, tum Judæ, qui ſtipe & eleemoſyna viritim coacta, ad duo millia drachmarum argenti Hieroſolymam miſiſſe ſcribitur, ad ſacrificium pro peccato faciendum, ut mortuos, qui in prælio occubuerant, expiaret. Item Tobiæ 12. *Bona eſt oratio cum jejunio.* Item 3. Reg. 8.

d. 4.

Digitized by Google

d.4.Reg.20.a.2.Par.30.d.Pſal.6.cap.& 41.b.ubi dicitur oratio juſti efficax. Ac Gen 18.dicitur,ob decem juſtos Deum voluiſſe parcere totis civitatibus. Et Deus defendit urbē Hieroſolymorum 300. annis, tantum propter memoriā Davidis. Ergo poſſunt iſtis animæ in purgatorio, vel mortui juvari.

Deinde adducunt teſtimonia, *Conciliorum & Patrum*, ac decreta Eccleſiæ, quorum congeriem magnam Bellarminus libro de purgatorio cap.10.& libro 2.cap.15. ac 16.accumulat, & oculis lectorum objicit. Lucemburgius has probationes affert in Aërio: *Probatur 13.quæſtione 2.capitulo anima, &c. Ubi dicitur, anima defunctorum quatuor modis ſolvuntur. Aut oblationibus ſacerdotum, &c. Et in capitulo pro obeuntibus: Sancta Eccleſia ſic ſtatuit, ut quiſque pro mortuis verè Chriſtianis offerat oblationes, atque presbyterorum faciat memoriam.* Hæc ille.

RESPONDEMUS.1.libri Machabæorum & Tobiæ ex Apocryphorum numero ſunt, qui etiamſi propter hiſtoriæ ſeriem in Eccleſia legantur: tamen non eam merentur fidem, ut ex iis dogmata peti debeant nova, aut rationes, quibus ea defendi poſſint, quæ contra Canonicorum librorum doctrinam ſunt inſtituta. Et factum ibi commemoratur, & de eo ſcriptor ſuū judicium interponit. Atqui non ideò ſequitur rectè factum, & ejus exemplū in imitationem trahendum. Non enim aliquid probant exempla, niſi cōſtet aliquid ex Dei juſſu & verbi ipſius regula atq; fide geſtum. Hocque eo facto inprimis valet, quia jam res Eccleſię Iſraëliticæ contra legem Dei & Prophetas in deterius lapſæ erant.

2. Malè concluditur à vivis ad mortuos. Nam pro mortuis non eſſe preces ullas fundendas, probat mandatū ſæpiùs repetitum, ut inter vivos tantū alii pro aliis orent, Math.5.44. 1.Tim. 2.1.2.3. Jacobi 15.14.15.16. Ac Rom. 14.23.ait Apoſtolus: *Quicquid fit abſque fide peccatum eſt.* Atqui conſuetudinis precandi pro defunctis nec mandatum nec exemplum in Scripturis Canonicis, ac proinde nec fidem habemus. Nec propter demortui Davidis orationem, ſed propter ſuam promiſſionem Deus conſervavit regnum Judaicum & urbem Hieroſolymorum.

3. Vulgus cœpit orare pro mortuis ex imitatione Gentilium. At hos imitari nefas eſt, 1.Pet.4.3. Math.6.31.32. Ac Paulus crebrò Chriſtianos homines prioris ſuæ in Ethniciſmo conditionis admonet, & ut eâ relictâ novam vitæ rationem penitus ſequantur, hortatur. *Eratis quondam tenebræ* (ſcribit Epheſiis) *nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Item: *Ne poſthac ambuletis, ut reliquæ gentes,* &c. Etenim ſi nos alios, quàm Chriſtum imitari voluiſſet Deus, neque illo opus erat, neque hic nos ſibi ex mundo in peculium ſelegiſſet. Joh.15.16.19. *Eph.4 & 5.*

4. Mortui ut nihil norunt amplius eorum, quæ ad præſentem noſtram vitam terrenam ſpectant: ita nec viventium ſuffragiis ullis juvari poſſunt, ut Chriſtus Luc.16.27.& Eccleſiaſt.9.5. docet. Et 2.Cor.5.10. Unuſquiſque recipiet in corpore ſuo, ait Apoſtolus, prout in corpore ſeſe geſſerit, &c. Et Apoc.14.13. *Beati mortui in Domino, quia jam requieſcunt à laboribus ſuis, & opera eorum ſequuntur eos.* Ergo poſtquam Chri- *Iſa.63.16*

Fff ſtiani

Digitized by Google

ſtiani mortui, & eorum animæ à corporibus ſeparatæ ſunt, nihil nec ipſi per ſe, nec alii homines pro illis agere poſſunt, quod vel præmium, vel pœnam mereatur. Nec opus eſt, ut pro iis quicquam agatur, quum, ſi fideles fuerunt, beatitudine fruantur, ſin infideles igne tartareo torqueantur, ut etiam Chriſtus Joh. 3. 18. ac Joh. Baptiſt. Joh. 3. 36. teſtantur.

Ambroſ. in orat. Funeb. pro ſatyro. De obitu Valentiniani. Chryſ. hom. 32. in Math.

5. In teſtimoniis Patrum, Conciliorum & Decretis latet multiplex fallacia conſequentis. Nam 1. Non hodiernas Pontificias, ſed alias planè diſſimiles oblationes ac preces pro defunctis aſſerunt. Nimirum partim *teſtificationem mutui amoris* vivorum erga mortuos: partim *exoptationem* plenæ felicitatis, ſeu reſurrectionis mortuorum, qua illi adhuc carent: partim denique *celebrationem* Dei pro donis in mortuos illos collatis, &c. 2. Ante annos à Chriſto 170. nullæ memoriæ Martyrum ac mortuorum in Eccleſiis celebratæ, nullæ item fuerunt pro defunctis preces, oblationes, ſacrificia ante annum à Chriſto 200. 3. Horū prima apud Tertullianum mentio fit. Et orta ſunt ex traditione, ut aſſerit lib. 1. de Corona Mil. *Harum*, inquit, *& aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi leges expoſtules Scripturarū*, NULLAM *invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* 4. Epiphanius contra Aërium hæreſi 75. diſputans indicat, preces pro defunctis fuiſſe initio laudes tantùm & gratiarum actiones, in quib. annuatim nomina martyrum legebantur. Nam: *Pro juſtis verò*, ait, *& Prophetis Patriarchis, Apoſtolis, Euangeliciis, Martyribus, confeſſoribus & Epiſcopis memoriam facimus.* Hos dicit paulo ante vivere apud Deum. 5. Oblationes pro defunctis non fuerunt primò ſacrificia expiationis, ſed Euchariſtica tantùm id eſt, gratiarum actiones, vel epulæ & donaria & legata mortuorum in uſum pauperum, oblata in eleemoſynam. Fuerunt etiam fundationes in uſum Eccleſiæ & ſcholarum annuatim diſtributæ. Ephrem lib. de pœnit. cap. 2. *Quū ſanctorum memorias celebramus, memores ſimus omnium debilium, viduarum, pupillorum, peregrinorum & pauperum.* Hinc poſt mortem cujuſque in primitiva Eccleſia cantatum fuit, Alleluja. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ: Nec dum ſpiritum exhalaverat, fama totius urbis populum ad exequias congregabat. Sonabant Pſalmi & aurata tecta templorum, reboans in ſublime quatiebat Alleluja. Epiphanius hæreſi 75. contra Aëriū & Chryſoſtomus ad populum Antiochenum hom. 70. & Homil. 4. in Heb. ait. *Lampades, cereos & hymnos adhiberi in funeribus eorum, qui è vivis exceſſerint, ut Deo gratia agerentur, quod eum qui migravit jam coronavit.* 6. Plerique Patres de iſtis precibus admodum dubitanter loquuntur. Chryſoſtom. Homil. 3. in Philip. *Dic, quæſo*, inquit, *quæ ſpes eſſe poterit illis, qui cum peccatis ſuis cò hinc diſcedunt, ubi peccata exuere non licet? Donec enim erant, plurimum fortè erat expectationis & ſpei, immutandos illos, melioresque fore. Juvemus ipſos pro viribus, procuremus eis aliquid auxilii*, MODICI *quidem, attamen juvemus eos. Habet res iſta nonnihil conſolationis.* Sic idem Homil. 21. in Acta Apoſt. *Si preces pro illo faciamus*, inquit, *continuas, ſi eleemoſynas demus, etſi ille indignus ſit, nobis tamē Deus placatior erit.*

Ap-

Augustinus etſi lib. 9. confeſſ. cap. 13. ſcribat, quomodo pro matre ſua Monica preces quaſdam fuderit: tamen lib. de cura pro mortuis agenda cap. 2. *Iſta, inquit, omnia curatio funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum magis vivorum ſolatia ſunt, quàm ſubſidia mortuorum.* 7. Ex Montani hæretici diſciplina perverſa fluxit iſte mos, quum apertè docuerit, *Peccata exigua poſt hanc vitam luenda eſſe. Et preces atque oblationes pro mortuis faciendas.* 8. A quibuſdam Patribus etiam improbatæ ſunt iſtę preces & oblationes. Gratianus cauſ. 13. q. 2. cap. In præſenti, hoc Hieronymi dictum in Gal. 6. citat. *In præſenti ſæculo ſive orationibus, ſive conſiliis invicem poſſe coadjuvari. Quum autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non Daniel, nec Noe, rogare pro quoquam, ſed unumquemque portare onus ſuum.* Auguſtinus Sermone 17. de verbis Apoſtoli ait: *Injuriam facere Martyri qui orat pro Martyre.* 9. Patres has preces manifeſtè cum aliis oblationibus ac ſacrificiis fieri dicunt *Ex Eccleſiæ conſuetudine,* ut Auguſt. lib. de cura pro mortuis gerenda, capite 1. Epiphanius hæreſi 75. contra Aerium fatetur *has preces non fundari verbo Dei ſed fieri ex ſtatuto Eccleſiæ.* Hinc talis oritur Papiſtarū argumētatio: *Poteſtati neceſſariè obediendum eſt,* Rom. 13. 1. 1. Pet. 2. 13. *Poteſtas Eccleſiaſtica inſtituit ritus illos precum, Miſſæ, eleemoſynarum, peregrinationum, indulgentiarum, aliorumque ſuffragiorum pro mortuis. Ergo ritus hi Ecleſiæ ſervari debent.* At reſpondemus per diſtinctionem ad Majorem, quæ vera eſt de obedientia, quam docet Euangelium: falſa eſt, quam Epiſcopi & Eccleſia præcipiunt, quæ impia, & à voluntate Dei ac fidei analogia aliena ſunt. Nam hîc magis obediendum eſt, ut inquiūt Apoſtoli, Deo, quàm hominibus. Sunt autem per ſe impii ritus & à voluntate Dei ac fidei analogia alieni, oratio pro mortuis, ſacrificium miſſæ, aliæque ſatisfactiones humanæ. Deinde etiam, quæ ſua natura adiaphora ſunt, impia fiunt propter errores, videlicet quod ſint cultus Dei, hoc eſt, opera expiationis & ſatisfactionis pro peccatis mortuorum, quibusque Deus demereatur & honore afficiatur, quemadmodum in Papatu fiunt. Nam hic honor & hæc expiatio atque ſatisfactio ſolum meritis Chriſti debetur, ac fide ſola applicatur. Rom. 3. 24. cap. 5. 19. cap. 4. 5. 2. Cor. 5. 19. Rom. 8. 33. Phil. 3. 9. Gal. 2. 16. Hinc fit 10. & ultimo loco, ut preces, miſſæ, ſimiliaque officia & ſuffragia pro mortuis ſint meritoria, quæ non tam remiſſionem peccatorum & liberationem è purgatorio illis promereri conentur apud Deum, quàm ab hominibus legata anniverſaria aut brevia elicere.

Tertull. de anima in fine. de coron. milit. De caſtit. & monogamia.

Unde pro plus dantibus, ſuffragia illa plus effectus habere jactatur, ac pietas quæſtui, ut Apoſtolus 1. Tim. 6. 5. dicit, habetur, illa autem non minus ſuperſtitioſa, quàm impudica aucupia fiunt, ſolis ventribus otioſis Monachorum ac ſacrificorum utilia, cæteris pernicioſa. Quod licet acutiſſimus & doctæ ſapientiæ laude celeberrimus Albertus Magnus imprudens effutiit, ut totam iſtorum auxiliorum pro defunctis nundinationem & ſuſpectam & inviſam reddiderit, dicendo: *Tot poſſunt fieri pro uno homine ſuffragia, quod ſtatim in momento liberatur.* Et ideò in hoc

Miſſæ nundinatio & vanitas.

Alberti M. vox imprudens de applicatione auxiliorū pro mortuis.

caſu melior eſt conditio divitis, quàm pauperis, quia habet unde ſuffragia fiant pro ipſo. De officio miſſæ cap. 16. tract. 3. Audis quæ ſit cauſſa & procreans, & finalis iſtorum ſuffragiorum pro mortuis? Annon avaritia Eccleſiaſticorum, qui rem ſuam iſtis ſuffragiis potiſſimum augent, cujus fundamentum non eſt divina veritas, ſed ſacrilega tyrannis, &c. Adde, quod in miſſa pro peccatis digreſſorum è vivis applicanda Elenchus diviſionis committitur. Cœna Dominica enim non conſtat duabus toto genere differentibus actionibus, nempe ſacrificio miſſæ, & communione, &c. Sed Euchariſtia eſt ipſa communio ſacræ cœnæ, quæ commemoratio & recordatio ſemel præſtiti ſacrificii ac ſanguinis Chriſti, in crucis ara oblati, ad fidem remiſſionis peccatorum perfectiſſimæ per id acquiſitæ cõfirmandam, peragitur. Miſſæ autem Papalis ſacrificium pro vivis & mortuis per ſe, tum ab Antonio Sadeele tractatu de Sacrificio miſſæ, tum à Georgio Sohnio Tomo 3. à pag. 372. uſque ad 384. tum denique à Balthaſare Menzero diſput. 9. 10. 11. & 12. ac Conrado Vorſtio cap. 8. 9. 10. 11. 12. Teſſeradecadis contra Joh. Piſtorium pleniſſimè refutatur. De INDULGENTIIS, quàm nihil defunctis proſint, fœcunda reſponſio ad argumenta Bellarmini lib. 1. de indulg. cap. 14. in libro 2. Math Sutlivii de indulgentiis ac Jubilæo cap. 15. habetur. Peregrinationum inutilitas à Rodolpho Hoſpiniano Tigurino lib. 2. de origine erroris circa res ad templa pertinentes, cap. 29. oſtenditur. Eleemoſynæ veræ ac falſæ ratio à Conrado Vorſtio in Antibellarmino à pagina 671. uſque ad finem tractatur. Ab eodem de oratione fuſior explicatio ibidem à fol. 651. uſque ad 660. traditur.

Peregrinationes religioſa mortuis & vivis inutiles fiduciameriti.

Ut tamen paucis hîc aliquid de peregrinationibus pro mortuorum ſalute conſiciendis diſſeramus, quo ad ſuperſtitionem illam lectori certiùs oſtendendam magis ſatisfiat, hiſtori Eccleſiæ Chriſtianæ ſic rem exponit. Chriſtus *peregrinationes* religionis ergo Joh 4. 21. 22. 23. Math 24. 5 23. & cap. 8. 8. diſertè prohibet, ac parvi ducendas docet. Peregrinatio ad imagines inter Chriſtianos nulla fuit ante 600. annos à Chriſto nato. Peregrinatio autem religioſa primum cœpit obtinere poſt Conſtantinum Magnum circa annum 320. quo tempore ſtudio vulgi fuit, non omnium, nec cultus Dei, vel meriti ergo, ſed confirmandæ, fidei gratiâ inſtituta. Severus enim id lib. 2. teſtatur, & Paulinus epiſtola ad Severum: *Non aliter*, inquit, *affectus homines ad Hieroſolymam rapit, niſi ut loca, in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus, videant atque contingant.* Euſebius lib. 6. cap. 10. narrat, ante Conſtantini tempora de Alexandro quaſi verum iſtud & mirum, *quod Hieroſolymam adorandi & locorum ſanctorum videndi cauſſâ properarit.*

Poſtea peregrinatio mutata fuit in partem cultus Dei ſed tamen improbata fuit à ſanioribus, quatenus fuit religionis cauſſa ſuſcepta. Nyſſenus Epiſtola quadam, *nihil eam ad pietatem facere* dicit, & Deum ex æquo ubique ſe invocantibus adeſſe. Hoſp. de Origine Peregrinationum fol. 3. 6. 8. AUGUSTINUS ſcribit: *Dominus non dixit, vade in*

Digitized by Google

Serm. de Martyr. 3. inter Serm. de ſanctis.

in Orientem & quære juſtitiam, naviga uſque ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico, & dimittetur tibi. Nihil à te extra te quære. Ad teipſum & conſcientiam tuam te Deus dirigit.

Hildebertus Cenomanenſis epiſt. ad comitem quendam, Peregrinationem inexcuſabilem eſſe dicit in iis, qui adminiſtrationi alligati ſunt. Et ait: *Ita nõ neceſſariis præponi, & non debita debitis circumire vagum orbem terrarum, nullus Doctor, nulla omnino Scriptura commemorat.*

Chrysostomus ait: *Non opus eſſe peregrinationem ſuſcipere ad remiſſionẽ peccatorum comparandam.* Homil. 1. ad Philem.

Eleemoſynam non eſſe ſatisfactionem pro peccatis & meritoriam vitæ æternæ.

Eleemoſynam quoq; Bellarminus inter ordinaria pro mortuis ſuffragia cenſet. Ac lib. 3. cap. 4. de Bonis operib. in particulari dicit. *Eleemoſynam eſſe ſatisfactionem pro peccatis, & mereri vitam æternam.* Pet. Canisius in Catecheſi de jejunio, orat. & Eleemoſyna; *Habent ea,* inquit, *promiſſionem ac mercedem hujus & æternæ vitæ, Deum placant, gratiam conſervant & augent, denique Chriſtiani hominis vocationem certam faciunt.* F. Coſterus ait *Eleemoſynam eſſe refrigerium defunctorum, & animabus in Purgatorio miſericordiam promereri.*

In Enchir. cap. 16. de purg.

Hinc Serapiõ Epiſcopus Sindonius aliquando iter faciens, obvianti mendico tunicam dedit, & ipſe nudus inceſſit. Interrogatus à quo ſpoliatus eſſet, Oſtendit librum Euangeliorum, quem geſtabat in manibus, & ab eo ſe veſtitũ privatum ajebat. Progreſſus ulterius alii cuidam ipſum Euangelium dedit ut vẽderet. Ac interroganti diſcipulo de libro, dixit: Fili, hoc quod dixit mihi, vende quæ habes, & da pauperibus, illud ipſum vendidi & eis dedi ut habeam fiduciam in die judicii. Vincent. lib. 22. cap. 109.

In agro Wormatienſi turma quædam armata ſæpius noctu apparuit: cui interfuit Emicho comes de Lyningen, ante paucos annos extinctus, qui oratione & eleemoſynis redimi ſe poſſe dixit.

Naucl. generat. 38.

Quibus argumentis hæc probãtur? Adducit Bellarminus teſtimonium Chriſti Math. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, accipite paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Quo tamen ipſo meriti opinio profligatur, & totum illud, quo filii Dei beantur, miſericordiæ Dei in ſolidum vendicatur. Dicitur enim ad fideles Dei filios κληρονομεῖτε, quod hæreditatem ſignificat ex gratuito υἱοθεσίας & adoptionis beneficio obtingentem, & meritum omne reſpuit. Sicut & vox Benedictionis, quæ ſola regni hujus facit hæredes, operũq; omnium συνέργειαν averſatur, unius autem fidei actum requirit. *Qui enim ex fide ſunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham.* Opera ad impetrandam benedictionem & regni cœleſtis hæreditatem nihil conferunt. A mundi initio regnum illud paratum fidelibus dicitur. Quas igitur in parando illo partes eleemoſyna aut virtus quacunque alia, quæ tum nondum erat, obiſſe dicetur. Decipitur n. & viciſſim decipere conatur Bellarm. uſu voculæ enim. Quæ tamẽ nõ perpetuo cauſalis eſt verũ ut hic ita alibi ratiocinativa, non efficientiæ ſed ordinis & conſequentiæ nota exiſtens, aſſertioniſque præcedentis ratio-

Gal. 3. 9.

Digitized by Google

Conjunctio ENIM *non ſemper cauſalis.*

nem tantum, ac probationem aut demonſtrationem innuens. Neque enim hic ℣ 35. à cauſſis affectum ℣ 36. fit *διάνοια*, ſed ab effecto contra ad cauſſam. Nec docetur quibus cauſſis regnum acquiratur, ſed quibus ſignis regni ejus hæredes cognoſcantur.

Prov. 16. 6. dicitur *Miſericordia & veritate redimetur iniquitas.* Sed ſequitur Metonymia effecti, qua opera bona tanquam effecta, pro fide, cauſſa videlicet ſua efficienti, nominantur ac ponuntur. Quia enim fideles, qui verè reſipiſcunt, ſunt benefici atque integritatē vitæque ſanctitatem colunt, idcirco eorum probitati tribuitur id, quod propriè ſolius Chriſti beneficio tribuendum eſt. Hoc autem fit propter nos, quibus aliorum fides perſpecta eſſe non poteſt, niſi eam ex effectis cognoſcamus. Declarat ergo Salomon quales ſint, quorum peccata expiantur, nempe fide bonis operibus ferace, & per bona opera miſericordię & veritatis ſeſe declarante prædití. *Ac ait, Miſericordia & veritate redimitur iniquitas*, id eſt, fide, quæ miſericordiam proximo tribuit, ac veritatem in tota vita exercet, redimitur iniquitas.

EXTRA canonem porrò progreditur Bellarminus, & in teſtes advocat Tobiam & Eccleſiaſticum, quorum ille c. 4. 11. *Eleemoſynam ab omni peccato & morte liberare, atque à tenebris conſervare:* hoc verò cap. 3. 33. *ſicut aquam ignem, ita eleemoſynam peccatum dicit extinguere.* Reſpondemus 1. ut ad proximè antecedens teſtimonium ex Prov. 16 6. Deinde uterque de pœnarum temporalium loquitur conditione, non de culpæ & pœnæ æternæ abolitione. Iis enim qui convertuntur, & ex vera fide erga egenos charitatem declarant, beneficique ſunt, ſi non omnino avertit, mitigat tamen eas, quæ impendebant calamitates. Quod ut à reipſa non eſt abſonum, ita à phraſi & vocum ſignificatione non eſt alienum. Vocabulum enim MORTIS ſæpe notat vitæ præſentis pericula, 2. Cor. 11. 23. & TENEBRÆ omnis generis calamitates, 2. Sā. 22. Mich. 7. Pſal. 112. ſignificant. Item *peccatum* frequenti uſu peccati deſignat pœnam, Gen. 19. Levit. 20. Num. 9. & alibi. Quæ ambiguitatis enodatio hic planum reddit ſenſum locorū horum intelligentiæ aptiſſimè convenientem. Namque beneficentiam erga pauperes, quantumvis debitam, miſericorditer penſat benigniſſimus Deus liberatione ex multis calamitatibus adeoq; etiam ex morte, ſed temporali. Teſtatur hoc Pſal. 41. Spiritus ſanctus, dicens: *Beatus, qui beneficus eſt pauperi. In die mala liberabit eum Dominus, cuſtodiet eum, & vivum conſervabit. Beatus erit in terra, & non tradet eum in manus hoſtium.* DOMINUS *opem feret illi ſuper lectum doloris. Univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus*, &c.

Alii habent ægroto.

Indulgentiarum vanitas papalium pro defunctis.

Ad indulgentiarum nugas oſtendendas, quid multū laborem? Pro defunctis applicandas indulgentias aliquot theſibus Bellarminus lib. 5. de ſacrament. pœnitentiæ cap. 14. proponit, quæ ob mirificam ſuam naturam conſideratu dignæ ſunt, quò ut nullius fieri merito debeant, diſcatur.

Res certiſſima eſt, inquit, *& apud Catholicos indubitata, indulgentiis juvari poſſe animas, quæ in purgatorio pœnas luunt.* At ſi res certiſſima eſt & indubitata, tum turpe

Digitized by Google

turpe eſt, non potuiſſe hunc glorioſum Cardinalem rem certiſſimam & indubitatam demonſtrare. Si apud Catholicos res eſt indubitata, tum Prophetarum, Apoſtolorum, & ſanctiſſimorum Patrum teſtimoniis, quos conſtat maximè eſſe Catholicos, certiſſimè probari poteſt. Sed Math. Sutlivius in libro de indulgentiis & Jubilæo oſtendit ſolidiſſimè, ipſorum indulgentias Papales, nec purgatorium Papiſticum agnoviſſe. Tantum abeſt, ut indulgentiis animas defunctorum juvari crediderint. Certiſſimè denique fallitur, qui vel Papiſtas *Catholicos*, vel eorum dogmata, quæ nos rejicimus, *Catholica* vocat, quum ab illis ſint alieniſſima, quos modò veriſſimè Catholicos eſſe diximus.

At, inquit Bellarminus, *id probatur ratione deducta ex Scripturis, Conciliis & Patribus. Conſtare enim animas defunctorum poſſe juvari ſuffragiis viventium, id eſt, eleemoſynis, precibus, jejuniis, ſacrificiis miſſarum, aliiſque piis operibus.* Verùm ſi ratio hæc ex Scripturis, Conciliis & Patribus evidenter deduci poſſet, nimis mirum eſſet, ipſum qui toties Scripturas & Patres contra eorum mentem citat, nihil hîc vel ex Scripturis, vel actis Conciliorum, vel Patrum ſcriptis deſcripſiſſe: præſertim quum tractatum ſuum de purgatorio, ad quem lectores remittit, ante aliquot annos refutatum videri potuerit. Præterea, omnem ipſius diſputationem non ſolùm de ſatisfactionibus, ſed & de miſſæ ſacrificio partim in hoc ipſo Sutlivii tractatu de indulgentiis, partim in libris ejuſdem aliorumque noſtrorum, excuſſam & conciſam potuit cognoſcere. Sed quicquid de ſuffragiis viventium ſentiendum ſit, ex eorum tamen fructu non ſequitur, indulgentias mortuis prodeſſe. Suffragia enim, aut piæ ſaltem orationes Deum propitium reddunt. At qui indulgentias petunt, ii Pontificem Romanum ſibi propitium reddere cupiunt.

Dicit ſecundò, *ideò ſuffragia viventium prodeſſe defunctis, quia fideles & vivi & mortui unum corpus efficiunt.* Vel, indulgentias etiam mortuis prodeſſe verè (contra Oſtienſem) videlicet propter fidelium communionem, per quam vivi pro mortuis ſatisfacere, iisque gratiam impetrare poſſint. Sed concludendum erat, indulgentias prodeſſe defunctis. Præterea abſurdum eſt putare, quia vivi & defuncti ad unũ corpus Eccleſiæ pertinent Catholicæ, idcirco omnia eorum opera omnibus eſſe communia. Verùm ut communia eſſent, hoc tamen cauſſam indulgentiarum everteret. Cur enim Pontifex Romanus ſibi ſumeret, quæ omnibus communia ſunt.

Probat eo, quod illius communionis vi multò magis Prælati iiſdem applicare theſaurum Eccleſiæ queant, quum minor hic, quàm illic communio requiratur. Dicit enim: *Si privati homines poſſunt applicare defunctis, tanquã membris ejuſdem corporis ſatisfactiones ſuas, poſſe etiam defunctis applicare Pontificem Romanum ſatisfactiones Chriſti & Apoſtolorum ac ſanctorum, quæ ſunt in theſauro ſpirituali, cujus ipſe diſpenſator eſt.* Sed nec docere poteſt, poſſe homines vel privatos, vel alios ſuas ſatisfactiones defunctis applicare. Nec ut poſſet quis ſua largiri, propterea ſequitur, eum

poſſe

Digitized by Google

poſſe aliena dare. Adhæc nec hactenus oſtendit ſatisfactiones ſanctorum ad Chriſti paſſionem eſſe addendas, neque in æternum docebit, Pontificem Romanum vel Eccleſiæ eſſe quæſtorem, vel poteſtatem habere Chriſti, & ſanctorum paſſiones aut vivis aut defunctis applicandi.

Dicit præterea, *utilitatem indulgentiarum quoad defunctos probari ex uſu Eccleſiæ. Nam Paſchalem ſecundum ante annos* 700. *conceſſiſſe indulgentiam pro defunctis, quæ habetur in Eccleſia S. Praxedis. Similiter etiam multos alios Pontifices pro defunctis indulgentias conceſſiſſe ſcribit, ut refert Gabriel lect.*57. *in canonem miſſæ.* Sed neque ex facto unius aut alterius Pontificis Romani cognoſci poteſt uſus Eccleſiæ, cujus illi nunc hoſtes ſunt apertiſſimi: nec quia impoſtores & plani falſa proferunt indulgentiarum inſtrumenta, propterea credendum eſt, antiquã Eccleſiam conceſſiſſe indulgentias. Nam quod Bellarminus *Paſchali* 2. tribuit, hoc Gabriel lect.57. in canonem miſſæ *Paſchali* quinto tribuit, & quod Gabrielem referre dicit, hoc ille non refert. Verùm ut Paſchalis & aliquot alii Papæ indulgentias concederent, & eas Gabriel Biel probaret: modum tamen remiſſionis peccatorum non ab hominibus nequiſſimis, aut ſophiſtis inſulſiſſimis, ſed ab Apoſtolis & Prophetis diſcere debemus.

Aſſerit denique, conſentire Theologos, ut *Thomam, Richardum, Bonaventuram, & alios, & Canoniſtas, ut Innocentium, Felinum, & alios.* Sed nec Theologorũ nomen merentur iſti ſophiſtelli: nec de indulgentiis pro defunctis quicquã ſuſpicati ſunt veteres Theologi. Præterea non tam canones, quàm irregulares & putidiſſimas Pontificum Romanorum decretales interpretati ſunt Innocentius & Felinus. Verùm ut omnes de nominibus lites miſſas faciamus, neque ſcholaſtici, neque decretaliſtæ, vel in ullo capite doctrinæ de indulgentiis omnino conſentiunt. Atque hoc ex iis, quæ jam diximus, patet. Johannes etiam Major in 4. diſt. 20. q. 2. quoad hunc articulum eorum diſſenſiones non diſſimulat. Denique nugæ ſunt nugerrimæ, quæ abſque fundamento ſacræ Scripturæ definiũt, aut exponunt.

Oſtendit præterea, *quinque alias eſſe quæſtiones circa indulgentias pro defunctis. Nam non ſolùm quæri an proſint, ſed etiam an per modum abſolutionis dari poſſint, & quid ſit dare indulgentias defunctis per modum ſuffragii, & utrum ex juſtitia, vel ex miſericordia liberentur animæ, quibus indulgentiæ applicantur, & quid requiratur, ut indulgentiæ proſint defunctis, & poſtremò an indulgentiæ proſint in particulari certis animabus, an ſolùm omnibus in communi.* Sed pariter multas de hircocervis & chimæris, & ſimiliter de tribunali Radamanthi, & campis Elyſiis, & hujuſmodi figmentis quæſtiones proponere poſſet. *De indulgentiis quæſtiones inutiles.* Quamvis n.glorioſè de indulgentiis loquatur Bellarminus, citiùs tamen Metempſychoſin Pythagoricam, & hujuſmodi fabulas, quàm purgatoriũ & liberationem animarum ex purgatorio per Papales indulgentias probarit. Neque tantùm quæſtiones, ſed etiam reſponſiones ipſius ineptiarum plenæ ſunt. Aliquando etiam magnum Pontificis Romani cauſſæ præjudicium inferunt.

Negat

Digitized by Google

Negat primò animas illas ad juriſdictionem Pontificis pertinere: eoque *Pontificem Romanum animas defunctorum judicialiter abſolvere non poſſe* contendit. Nempe, quia mortui ad ſolius Dei judicium pertineant: quum ab Eccleſia citari non poſſint, nec cauſſa eorum cognoſci, & ſic juridicè abſolvi. Objicitur autem: *At illi defuncti ſunt adhuc viatores.* Item ſolent ſæpe *excommunicari*, & iterum *abſolvi*, &c. Ac reſpondet, eſſe tamen abſentes, & non verè ſubditos: ſed excommunicari reſpectu viventium, qui circa illos aliquid facere debent. Verbi gratiâ, qui prohibentur pro iis ſuffragia facere, & alia id genus opera præſtare.

Mortui ad ſolius Dei, non Pontificis judicium pertinent.

Sed utut proponat, objiciat & ſolvat, ſeipſum magis involvit, & cauſſæ indulgentiarum nocet. Nam tollit ipſe Pontificis Romani ſuper purgatorium juriſdictionem, & cum eorum pugnat ſententia, qui animas in purgatorio ad conſiſtorium Papæ pertinere contendunt. Deinde, evertit indulgentias pro mortuis, de quibus nunc certamus. Nam ſi indulgentia non tantùm ſit ſolutio, *ſed etiam abſolutio*, ſequitur neceſſariò, ſi animæ in purgatorio non abſolvantur, non conſequi eas indulgentias. Pugnat etiam cum indulgentiis emortualibus, quod dicit Leo in epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem 14. q. 2. cap. *Eorum cauſſam judicio Dei eſſe reſervandam, qui excommunicati ſunt, & vita defuncti.* Et quod Gelaſius in cap. legatur, &c. nec quicquam 24. q. 2. *Homines mortuos ait non poſſe ab Eccleſia judicari.* Nam ſi omnis indulgentia ſit abſolutio judiciaria annexã habens ſolutionem, ut diſſerit Bellarminus, tunc mortuis dari indulgentiæ non poſſunt. Neque enim abſolvi poſſunt, nec judicari. Pugnat porrò hoc cum ſententia *Michaëlis Medina* hominis acuti, & in purgatorii negotiis & locis bene verſati, & cum fabulis *Gregorii* Dialogiſtæ dial. lib. 2. cap. 23. de monialibus poſt mortem excommunicatis. Nihil denique reſpondet ſecundùm ſacræ Scripturæ regulas, aut Patrum ſententiam. Nec quicquam affert, quod non ſordes oleat Monachales, & vanas ſcholaſticorum opiniones, & meras nugas.

Lib. 1. de indulg. c. 5. Bellarm.

Lib. 1. de indulg. c. 5.

De indulg. diſp. 7. cap. 34.

Tertiò, ait tantùm per modum *ſuffragii* prodeſſe illis indulgentias, hoc eſt, non per modum juridicæ abſolutionis: ſed per modum ſimplicis ſolutionis. Quum alia ſuffragia, etiam imperatoria, item meritoria de congruo, eſſe poſſint. Quanquam in his non requiratur juriſdictio, ut in illis. Multum tamen ſe torquet, dum explicare conatur, *quid ſit*, quod dicunt Papiſtæ, *indulgentias per modum ſuffragii prodeſſe defunctis.* TRES enim diverſas de hac re narrat opiniones, & ipſe eam probat, quæ dicit, *indulgentias prodeſſe defunctis tantùm per modum ſuffragii ſatisfactorii.*

Mortuis per quem modum indulgentiæ conducant.

Sed rem involvit potiùs, quàm explicat. Nam aliud eſt ſuffragium, aliud ſatisfactio. Et ridiculum eſt, ſuffragiũ dicere ſatisfactorium. Præterea hoc, quod dicit, probandum erat, & non ridiculè à nobis petendum. Nos enim negamus, vel ſuffragiis Deo ſatisfieri, vel indulgentias tantum valere, ac preces & ſuffragia. Ipſi etiam adverſarii dicunt, indulgentias tollere neceſſitatem ſatisfactionis. Tantum abeſt, ut valeant tanquam ſuffragia ſatisfacto-

Digitized by Google

ria. Pugnant denique hæc verba cum ipſorummet doctrina de indulgentiis. Nam ſi indulgentiæ pro mortuis valeant tantum, ut ſuffragia ſatisfactoria, tunc quivis ſacrificus poſſet indulgentias mortuis dare, quod non dabunt ſophiſtæ & Papiſtæ. Poteſt enim ſuffragia ſatisfactoria offerre, ut Papiſtæ putant. Adhæc ſi ſuffragium ſatisfactorium ſit tantùm *ſolutio ſatisfactionum ex theſauro*, tum non erit indulgentia abſolutio, ut antea diſſeruit Bellarminus.

Quartò neſcit, utrum indulgentiæ proſint mortuis ex *condigno*, ſive ratione juſtitiæ, cui ſatisfit plenariè, an tantùm ex *congruo*, ſive ex Dei miſericordia. Nam neque certum eſſe, an vivi pro vivis ex condigno ſatisfacere poſſint. Nec eandem eſſe prorſus rationem vivorum & mortuorum, in hac cauſſa: quum illi ejuſdem generis pœnas ſolvere, pro ſe invicem poſſint, nō autem pro iſtis. Illam tamen priorem ſententiam, *indulgentias ex condigno ſive ex juſtitia defunctis prodeſſe*, ait eſſe admodum piam. Sed hanc poſteriorem eorum, qui contra docent, *indulgentias prodeſſe eis ex congruo & miſericordia Dei*, eſſe valdè rationabilem. Itaque hanc quæſtionem in medio relinquit.

Sed nec pietas repugnat rationi, nec poſſunt hæ opiniones ſimul eſſe veræ. Præterea magnam oſtēdit eſſe doctrinæ Pontificiæ inconſtantiam, quæ inter duas contrarias opiniones incerta fluctuat. Hoc verò valdè ipſi turpe eſt, ipſum multa paſſim ſumere, & affirmare, & nihil ſolidis argumentis probare.

Dicit quintò, *ut indulgentiæ defunctis proſint, authoritatem requiri ſummam Pontificis Romani. Alios enim Epiſcopos non poſſe indulgentias defunctis concedere.* Dicit, etiam, *requiri cauſſam aliquam particularem & valde piam ac juſtam* atque *ut impetrantes, qui eas* pro illis ſuſcipiunt, *impleant opus injunctum*, &c.

Sed ut hæc ipſius diſputatio Pontifici Romano prodeſſet, exigebatur potius, ut hæc ſua commenta ex ſcripturis probaret. Nam nunc omnes vident, ipſum nihil aliud moliri, quàm capturam prædæ & lucrum ex indulgentiis, licet ad hanc cauſſam nihil attulerit præter inane ſtudiū, & eam potius evertiſſe, quam ſtatuiſſe videatur.

Nam ſi nullam habeat legitimam in concedendis indulgentiis poteſtatē Pontifex Romanus, tum non poteſt indulgentias mortuis concedere. Si Epiſcopi cæteri non poſſint indulgentias mortuis dare, tum nec poſſunt Pontifices Romani, qui non plus valent, quàm illi, nec claves habent. Si cauſa requiratur juſta in conceſſione indulgentiarum pro mortuis, pereunt funditus tales indulgentiæ. Neq; enim poteſt Bellarminus juſtas & legitimas proferre cauſſas, cur tales mortuis indulgentiæ concedantur.

Indulgentia jam in communi, jam in particulari conducere ſtatuūtur.

Dicit poſtremò, indulgentias & ſuffragia *prodeſſe omnibus defunctis, in communi, quoad gaudium quoddam accidentarium. Quoad ſatisfactionem autem & liberationem à pœnis*, prodeſſe ea non in communi, ſed *in particulari pro illis* tantùm, *quibus ex intentione vivorum applicantur.* Atque hoc probari dicit PRIMO *ex diplomatis Paſchalis primi, Alexandri ſexti, Clementis ſeptimi & aliorum Pontificum.* DEINDE *ex ſenſu totius Eccleſiæ, & omniū fidelium*

Digitized by Google

fidelium. TERTIO, quoniam S. Auguſtinus in lib. de cura pro mortuis agendi cap. 4. ſcribit, *Eccleſiam ſuffragia quadam tranſmittere ad animas defunctorum, ut quibus deſunt particularia à conſanguineis vel amicis, non deſint aliqua à communi matre, quæ eſt Eccleſia.* Et POSTREMO, *quoniam nulla ratio eſt, cur ſatiſfactiones, uni alicui animæ per intentionem ſatiſfacientis applicatæ, aut illi non proſint magis quàm aliis, aut aliis ullo modo proſint.*

Verùm adverſatur huic ſententiæ PRÆPOSITIVUS inter adverſariorum copias non ignobilis ductor, ut narrat Thomas. Dicit enim, ſuffragia ſimilia eſſe *lucernæ*, quæ omnibus præſentibus pariter lucet, & *lectioni* quã omnes audiunt.

In 4. ſent. diſt. 45. q. 1. art. 4.

Deinde mendacium dicit Bellarminus, ubi dicit, *Reſponſionem eſſe communẽ Doctorum, tam ſuffragia, quàm indulgentias prodeſſe omnibus defunctis quoad gaudium aliquod accidentarium.* Neque ante Scholaſticorum Lombardicorum ætatem quiſquam Doctor antiquus hoc affirmavit, nec Eccleſię doctorum nomen merentur illi Lombardi ſectatores, qui Catholicæ doctrinæ puritatem Philoſophicis ſuis commentis corruperunt. Neque iſti omnes de indulgentiis hæc affirmant, ut eorum de indulgentiis libri teſtãtur, quos propter fœditatẽ fortaſſe Bellarminus nos nunquam perſcrutaturos putavit, & ideò audacius mentitus eſt.

Dicimus tertiò, ipſum impudenter facere, qui in cauſſa fidei diplomata *Paſchalis primi, Alexandri ſexti, & Clemẽtis ſeptimi, aliorúmque* Pontificum Romanorum proferat, quos omnes verè pii norunt eſſe hoſtes fidei; & præcipuos regni Antichriſti adminiſtros, & quorum nonnullos ipſi adverſarii non negant, homines fuiſſe nequiſſimos.

Vide Onuphrium & Guicciardinum de Alex. 6. & de Clemente 7.

Dicimus quartò, nimis hoc craſſum eſſe mendacium, *hunc eſſe ſenſum vel totius Eccleſiæ, vel omnium fidelium*, nempe ſuffragia & indulgentias non prodeſſe in communi, ſed in particulari: Neque enim Monachorum & ſacrificorum colluvies Pontifici Romano, tanquam gregis ſui capiti & ductori, adhærens Eccleſia eſt catholica, aut orthodoxa, ut Sibrandus Lubertus, Guil. Witakerus, Mathæus Sutlivius in tractatib. de Eccleſia oſtenderunt. Neque ex iſtis multi hoc ſentiunt, neque vel Apoſtoli, vel priſci Patres aliquid de indulgentiarum ad mortuos applicatione, aut hujus applicationis fructu particulari dixerunt, aut ſignificarunt.

Dicimus quintò, multa *Auguſtinum* curioſè in libro de cura pro mortuis gerenda, ſi modò ille liber verè ſit Auguſtini, quæſiviſſe. Nihil tamen ille de indulgentiis, aut earum applicatione loquitur. Nec obſtat, quod ſignificet *ſupplicationes fieri ſolitas pro ſpiritibus defunctorum, idque non tantùm à parentibus & amicis, ſed etiam à communi matre Eccleſia.* Nam nec mos iſte generalis erat totius Eccleſiæ, nec ſupplicationes tales fiebant pro defunctis, quorum animas in igne purgatorio aſſari credunt Papiſtæ, (nihil enim de hac re loquitur Auguſtinus) ſed pro piis & beatis, ut ex vetuſtis liturgiarum formulis, & ex ipſo Auguſtino colligere licet.

Dicimus poſtremò, nec ſciri certò num ſuffragia pro defunctis eis proſint, nec hæc ad indulgentiarum cauſſam ullo modo pertinere, quas nec

Digitized by Google

Math. 6. 9. ſi adverſarii negant à precibus & ſuffra-
Pſal. 50. 15. giis plurimum d fferre. Preces enim
Math. 4. 10. communes ſunt totius Eccleſiæ, & hoc
1. Theſſ. 5. 25. Chriſtianorum eſt omnium, pro omnibus fidelibus in hac vita exiſtenti-
1. Tim. 2. 1. 2. 3. bus preces fundere. At indulgentias
Math. 5. 44. 45. pro mortuis ab aliis volunt concedi, quàm à Pontifice Romano, quem
Luc. 23. 34. tanquam novum PLUTONEM ad-
Act. 7. 66. verſarii mortuis præficiunt.
Joh. 16. 26. Ad illud *Prapoſitivi* reſpondet Bel-
Rom. 8. 14. larminus *indulgentias non eſſe ſimiles lu-*
Lib. 1 de indulg. c. 14. *cerna, vel lectioni, ſed potiùs* SUMMÆ PECUNIARIÆ. Atque hoc adeò unum non adeò turpiter & ineptè prolocutus videtur. Neque enim ubi LUCERNA VERBI DEI lucet, aut ejus LECTIO viget, ullus locus eſſe poteſt tenebroſæ indulgentiarum doctrinæ & nundinationi: nec ubi Spiritus ſanctus corda hominum verbi Dei luce illuſtrat, ibi regni Antichriſti ſuperſtitiones & tenebricoſa de purgatorio & indulgētiis dogmata & aucupia conſiſtere poſſunt. Illud autem Bellarmini oſtendit indulgentiarum patronos, ubi hoc argumentum tractant, non tam lucernā verbi Dei, quàm obſcuras Antichriſti *traditiones* ſequi, nec aliud meditari, quàm *quaſtus & ſummas*, ut ipſe loquitur *pecuniarias*, ſuaque, licet cum damno populi Chriſtiani conjuncta, commoda & emolumenta privata. Quid ergo ſuper eſt, niſi ut Deum rogemus, & ut illis & toti populo Chriſtiano oculos aperiat, quo omnes tandem mercatorum Babyloniæ fraudes agnoſcere, & indulgentiarum ſuperſtitiones atque impietates odiſſe & fugere ex animo diſcant?

Poſcit tamen inter ſuffragia pro mortuis etiā *humicubationes & flagellationes* Bellarminus. At ubi, quæſo, ſunt in verbo Dei hominibus mandatæ aut à priſca Eccleſia ullius teſtimonii divini calculo inſtitutæ? Poſterioribus demū ſeculis ſuperſtitione genetrice & præceptrice irrepſerunt in Eccleſiā, ut Rod. Hoſp. lib. 6. de Monachis cap. 13. probat, & ab iis tantùm fiunt, qui circa externa tantùm occupantur, de internis verò & genuinis pietatis officiis nihil ſolliciti ſunt. Adhæc hi ritus propago ſunt mera Ethniciſmi, quod variè probatur. Nam quomodo ſe Baalitæ cultris & lanceolis uſque ad ſanguinem multum conciderint, ex Reg. 18. 28. cōſtat. Ac apud Ægyptios invaluit mos ut *immolata vacca victima, dum ſacrificium arderet, omnes ſe diverberarent & flagris afficerent*, auctore Herodoto. Quare verbum Xenophontis Phyſici proditur nō invenuſtum, quòd quum Ægyptios ſeſe converberantes & agentes in ſacris vidiſſet admonuit, *ut ſi Deos eſſe crederent, quibus ſacra miniſtrabant, ne lugerent, ſi verò homines, ne ſacrificarent*. A Lacedæmoniis item uſurpatum fuit, ut in adoleſcentes ephœbos circa aras flagris deſævirent, quod & Tertullianus in lib. ad Martyres, atque in Apologetico refert. Polydorus Vergilius lib. 7. cap. 6. *Romani*, inquit, *Lupercalia ludicra celebrantes, nudi per urbem incedebant, ac larvati flagellis obvios cadebant*. Denique nos ſequenti libro ſecundo oſtendemus, corporalia illa exercitia multis exploratis & damnatis hæreticis olim in uſu fuiſſe, quos Papiſtæ imitentur.

Humicubationes & flagellationes pro mortuis.

Alexand. ad Alex. l. 4. c. 17. pag. 206.

Sive igitur preces & eleemoſynas, ſive peregrinationes, indulgentias, humicubationes, flagellationesque ſive alia

Digitized by Google

alia qualiacunque ſuffragia in mortuorum allevationem atque auxilium ſuſcipi ſolita ſpectemus, inexplicabilem Labyrinthum Pontificii doctores & nugatores ſuis fabricant, in quem eos etiam conjiciunt, ut nullam exeundi viam invenire poſſint. Quæſtio hîc nulla eſt, in qua non diſſentiant tã à ſacris Scripturis & Patribus probatioribus, quàm à ſuis ſymmyſtis. Imò vix ulla eſt, in qua non à ſibi ipſis diſſideant, neque ſibiipſis ſatis facere poſſint. Et tamen quaſi oracula funderent, audacter aut ajunt, aut negant, teſtimoniaq; citata aut depravant, aut pervertunt. Ne dicam de ſumma & multiplici rerum abſurditate, quæ hic Andabatarum more diſceptantur. Nam

Iſa.64.16
2.Reg.2.9.
quid ſtultius dici poteſt, quàm *mortuos* (qui nihil de nobis, & de quibus nihil nos in ſpecie novimus) eam cum vivis communicationem habere, ut ſi pro illis opera quædam vel ſpontanea vel impoſita præſtare, & illi viciſſim horũ ſuffragia percipere, ſatisfactiones acceptare, & alia ejuſmodi efficere poſſint? Inprimis quoad indulgentias, cur mortui ad juriſdictionem *Papæ* minùs pertinerent, quàm Angeli & diaboli, quibus aliàs imperare ille aſſeritur? Et cur, quæſo, in hac potiùs, quàm in aliis ſimilibus, *auctoritas ſumma requiritur*? Quis denique hæc myſteria ſophiſtis iſtis revelavit? Indigni certè ſunt divinæ veritatis, qui hiſce tam vanis & ridiculis Adverſariorum commẽtis contra auctoritatem ſacræ Scripturæ fidem adhibere ſolent. Argumentum enim nullum affertur, præter illud ſuperciliosorum & ſtultorum proprium, *αὐτὸς ἔφα*. Nempe, idcirco vera ſunt hæc Bellarmini placita, quia ipſi, aut ſociis ipſius Jeſuitis, aut denique Eccleſiæ Romanæ, ejuſque Pontifici, ſic videtur. At nos alias apodixes hîc requirimus: puta diſerta ſacræ Scripturæ teſtimonia, aut ſaltem rationes efficaces, inde neceſſariò deductas. Cujuſmodi nihil hîc uſpiam comparet. Quare de his jam ſatis, imò plus ſatis, actum videtur.

De jejunio Euangelicorum & Papiſtarum.

JEJUNIUM tamen à Papiſtis etiam inter genera ſuffragiorum pro mortuis ordinaria recẽſetur, & Euangelicis apparẽtibus id omnino negligere ac damnare, hæreſis Aëriana ſecundo loco tribuitur. Dicemus igitur primùm de vero jejunio, quod approbamus & obſervamus; deinde de falſo & ſuperſtitioſo, quod improbamus & vitamus, ut nihil hæretici hac in re ullo modo deſignemus. *2. Jejunia ſtata improbando nec Aërium, nec Euangelicos eſſe hæreticos.*

Jejunia enim profectò non promiſcuè rejicimus Euangelici Chriſtiani, ſed bona laudamus, & ſuo tempore obſervanda docemus atque obſervamus. Verum autem & bonum jejunium, eſt abſtinentia ſpontanea non carnis, ovorum, aut lacticinii certis diebus, ſed ſive prandii uſque ad veſperã, ſive cœnæ uſque ad ſequentis diei prãdium, ſive utriuſque ſimul, prandii & cœnæ, & aliarum corporis delectationum ac lætitiarum, quantum natura cujuſque ferre poteſt. Et ſi per plures dies eſt jejunandum, & aliquid tantùm cibi ſumendum, eſt ejus parca & tenuis admodum abſq; omnibus lautitiis uſurpatio ſolummodò ad neceſſitatem *Jejunium verum Euangelicorũ.* *Levit.16.19.& 23.27. Zach.7.5. Eſt 9.21. Math.6.17.*

Digitized by Google

tatem non ad voluptatem, cum humilitate animi divinam clementiam ſimpliciter ambientis, refrenandæ carnis cum ſuis concupiſcentiis, pœnitentiæ ſinceræ teſtificandæ, precationisque ritè peragendæ cauſsâ, directa.

Publicum.

Idque vel *publicum* eſt, quod eorum qui Eccleſiæ præſunt authoritate indicitur, & pro ratione incidentis neceſſitatis in loco publico ab Eccleſia celebratur: ut Joel.1.14. & 2.7. Jud 20.1. 26. 1.Sam.7.5.6. Jonæ 3.7. habetur.

Privatum.

Vel *privatum*, quod ab homine quovis privato, proprio arbitrio, ſive publica ſive privata incidente neceſſitate (ut quum peccatum agnoſcit, vel tentationes Satanæ ſentit, vel anguſtiis aliquibus rei familiaris, vel ob liberos ac alias res premitur, vel aliquid à Deo impetrare vult) ſuſcipitur, 2. Sam. 12. 16.17. Pſal.35.13. Dan.9.3. Neh.1.4. Eſt.4.1. Math 5.17.18. & 9.15.

Jejunii teſt. veteris ceremonia.

Habuit veteris Teſtamenti jejuniũ certas creremonias, quæ nunc Chriſtianis ſunt liberæ. Nam ut Dan.9.3. Nehem. 1. 4. Luc. 2. 37. Act. 10. 30. Marc.2.19. 1.Reg.1.27. Joh.3.7. 8.9. legitur, veteres in obſervando jejunio *peccata confitebantur, lugebant ſaccis induebantur, & incurvi ingrediebantur. Adhæc ſcindebant veſtimenta, jacebant in pulvere, cineréque capita aſpergebant*. Sed hæc fuerunt pars pædagogiæ veteris Teſtamẽti, quę Chriſtus ita mutavit, ut abrogarit, & liberos ab iis Chriſtianos fecerit, quemadmodum clarè Math.5.17. & Col.2.16. exſtat.

Pſal 35.14. Iſ.56 5. Teſt.4.1.

Tempus jejunii.

Ac edocemur utriusq; Teſtamenti Scripturâ de tẽpore, genere cibi, modóq; jejunii obſervãdi, ut hic nihil nobis deſit. Stati n. jejunii lex olim fuit, ut *decimo die ſeptimi menſis* celebraretur, qui dies expiationis dicebatur, eò quod tunc publicum illud ſacrificium pro expiatione peccatorum totius populi annua ſolennitate perageretur. Qui typus erat expiationis, quæ præfinito tempore per Chriſtum in ara crucis fieri debuit. Ita Deus interpretatur per Zachariam, dicens: *Auferam iniquitatem terra uno die*. Nec alius dies, aliudve tempus jejunio à Deo deſtinatum legimus. At humana traditione à Judæis plura jejunia inſtituta ſunt, diésque, quibus ſervarentur, definiti ac præſcripti. Veruntamen ne illud quidem à Deo ipſo inſtitutũ hodie Chriſtianos ampliùs obligat, nedum ea, quæ humanis placitis ſunt inventa. Nam conſtat in morte Chriſti cum univerſa ceremoniarum lege ſacrificiũ expiationis antiquatum eſſe. Quare huic etiam conjunctim jejunium eſt abolitum. Multoque magis ea, quæ humana inventio inſtituit, per Chriſtum ſublata ſunt. Chriſtus autem crucem, ærumnas & perſequutiones jejunii, & cauſſam præbituras & tempus monſtraturas dicit in novo Teſtamẽto, inquiens: *Quum ablatus fuerit ſponſus, tum lugebunt & in luctu jejunabunt*. Quapropter ſuperſtitioſa eſt hodie temporis ſtati in jejunando obſervatio.

Levit 16. 19 & 23. 27.
Zach.3.9.
Zach.7.5. Eſt.9.21.
Math.9.15.

Cibus jejunii.
Deut.14. Levit.11.

Similiter diſcrimen & delectus ciborum inter Chriſtianos in novo Teſtamento habet libertatem. Nam in veteri quidem Teſtamento diſcrimen id inter eſculenta oportuit obſervari, ut quorundam animalium caro immunda atque illicita eſſet. Idque diſcrimen inter Judæos, tanquam mundos & Deo acceptos propter datam legem

Digitized by Google

legem & cultum eâ præſcriptum, ac Gentes velut immundas & legis divinæ expertes, denotabat. Verùm tum ipſius Chriſti diſertâ doctrinâ, tum viſione cœlitus ſancto Petro objectâ,

Ezech.37. Joh.10.16. Math.28. 19. Epheſ.2.11. 13.14.15.

Act.10.11. demõſtratum & expreſſum eſt, abrogatum jam eſſe illud diſcrimẽ, materiamque, quâ Ethnici à Judæis diſtinguebantur, imò ſeparabantur, ſublatam. Nam Gentes etiam, quæ hucuſque pro immundis & à repub. populi Dei alienis habitæ erant ſpirituali gladio, id eſt, Euangelii prædicatione (nullo habito legis & ceremoniarum Judaicarũ reſpectu) jugulatæ ac mortificatæ, id eſt, à ſuperſtionibus & idololatria ſua abſtractæ, ac jugo Euangelii fideique JESU CHRISTI ſubditæ ſunt. Ergo delectus etiam & diſcrimen ciborum in novo Teſtamento inter Chriſtianos eſt ſublatum. Ac quum veteres in veteri Teſtamento nihil omnino tempore jejunii comederint, ſed in luctu, humilitate animi, peccatorum confeſſione & precatione toti verſati ſint, ſuperſtitioſum eſt hodie jejunium tantummodò in carnis, ovorum, lacticiniorum, piſcium & leguminum diſcrimine ac delectu ponere, ut piſcibus modò & leguminibus ſimilibusque licet lautiſſimè paratis, cum pane ac vino, aut ad minimum aqua & pane homines Chriſtiani veſcantur. Hocque eò magis, quod Chriſtus ipſe iis diebus, quibus hodie Chriſtiani ad jejunium aſtringuntur, nempe feria ſexta, carnem & quidem aſſam, agni ſcilicet Paſchalis cum ſuis

Luc.22 7. 15. Marc.15. 11.

diſcipulis manducavit. Adhæc diſertè docuit, pios & credentes ſuos poſt abrogatam veteris Teſtamenti pædagogiam non immundos fieri ullo cibo, quo piè & honeſtè veſcantur.

1.Tim.4.4.

Ejúſque Apoſtolus docet, eoſdem ſine offenſione Dei & abſque offendiculo conſcientiæ, bona cum Dei venia ac gratia, uti poſſe quibuſlibet cibis, dicens: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur.* Addit verò liberè & ingenuè, *dæmoniorum eſſe doctrinam, prohibere cibos, quos Deus edere conceſſerit.*

Modus jejunii.

Modus autem jejunii Chriſtiani, ſic & tempore & ciborum liberi, duobus conſtat. 1. Requiritur inter jejunandum inprimis pacificatio cordis per fidem in Chriſtum & abſtinentia à fermento malitiæ, à pravis cupiditatibus, luxuria, invidentia, faſtu, ira, odio, malevolentia, avaritia, idololatria, furto, rapina, adulterio, ſcortatione, mendacio, litibus, cędibus, aliiſque omnibus peccatis. Hoc Iſa.58.5. Jer.14.12. Joël. 2.13. Math.11.11.19. dilucidè docetur. 2. Cavendum eſt, ne pro opere meritorio, placatorio & pro peccatis ſatisfactione, ſpecie divini cultus, aut modo honorandi Sanctos jejunium cenſeatur. Nã ea omnia Iſa.58.3.5.6.7. Zach. 18.11. Rom.14.14.27. Col.2.17 Gal.5.1. refutantur.

Finis jejunii.

Uſus & fines jejunii veri ſunt præcipuè tres. 1. Faciat ad caſtigandum & ſubigendum ſpiritui carnem, Pſal.109. 24 32.15.1. Eſa.8.21:21. 1.Cor.9.27. Ita tamen hoc curandum, ne caro vel ἀφειδίᾳ & nimia inedia vel mala tractatione ita debilitetur, ut corpore malè habente anima ſuis functionibus rectè defungi non poſſit, qualem Paulus Col.2. 23. damnat. Et Timotheo præcipit, *ne pergat aquam bibere, ſed modico*

Digitized by Google

co vino utatur propter ſtomachum & frequentes infirmitates. 1. Tim. 5. 23.

2. Sic inſtituatur, ut ad preces & ſanctas meditationes ardentius concipiendas, & exercitia pœnitentiæ meliùs ſimus comparati, quia plenus venter ſecuritatem gignit. Unde hæc duo, JEJUNIUM & ORATIO plerunque in Scripturis conjunguntur, Luc. 2. 31. Math. 17. 21. 1. Cor. 7. 5.

3. Teſtemur jejunio ſincerum luctũ noſtrum propter peccata, aperiamusq; noſtram coram Deo humiliationem, dum volumus reatum noſtrum coram eo confiteri. Sic enim David: *Humiliabam,* inquit, *in jejunio animam meam.* Ac Joel 2. 12. *Convertimini,* ait Deus, *ad me toto corde, & in jejunio, & fletu, & planctu. Et ſcindite cor veſtrum, non autem veſtimenta veſtra, & convertimini ad* Jehovã *Deum veſtrum.* Itaque nullum eſt jejunium verum, ſed hypocriticum, quod Chriſtus Iſa. 58. 5. 6. 7. 8. & Math. 6. 16. 17. ſi relictis iis, in quibus vera pietas conſiſtit, cordis contritione nimirum, ſeria pœnitentia, vitæ emendatione, carnis mortificatione, fide vera & invocatione Dei, humilitatio neq; corã ipſo ſincera, ſufficere putamus ſi à cibo abſtineamus, pullati & incurvicer vices incedimus, intus autem concupiſcentiis illicitis ardentes, palam nihilominus facimus, quæ vitæ ſanctitati & dilectioni fraternæ repugnant.

Hæc eſt noſtra ſententia & doctrina de JEJUNIO, & hunc in modum nos Euangelici jejunare conſuevimus. Ecquid autem in eo eſt hæreticum? Annon omnia & ſingula verbo Dei congruunt? Si igitur hæc jejunii ratio hæreſis dicitur & pronunciatur, tum ipſum Dei verbum convitio atq; calumnia intolerabili afficitur. Nam ſingulari veritatis vi & ordine elegantiſſimo etiam à Philippo Melanchthone, Pet. Martyre, Wolph. Muſculo & Benedicto Aretio in locis Communibus tit. de jejunio, adhæc à Bullingero in Decad. part. 3. denique Luthero, Calvino, Bucero, Gualthero in cap. 6. & 15. Math. ac alibi paſſim confirmantur.

Jejunium falſum Papiſtarum.

Cæterùm ut Bellarminus lib. 4. de notis Eccleſiæ cap. 9. Aërii hæreſin Euangelicis inurere molitur, propterea quod *ſtatutis diebus non eſſe ſolenniter jejunandum* ſtatuant: ita Tomo 4. lib. 2. de bonis operibus cap. 3. enumerans Hæreſes alias circa ciborum delectũm exortas, nempe *Ebionitarum* apud Epiph. hæreſ. 30. *Encratitarum* apud Auguſt. hæreſ. 25. *Euſtathianorum* apud Socrat. 2. cap. 33. Priſcillianiſtarum apud Augſtin. hæreſ. 70. *Apoſtolicorum* apud Bernard. Serm 66. in cantica, *Manicharum* apud Auguſt. hæreſ. 46. *Machometi* 3. capite. Alcorani, denique accenſet illis *Euangelicos* ſub nomine hæreticorum omnium hujuſce temporis, & ante eos *Nicolaitarum & Valentinianorũ* apud Iræneum lib. 1. cap. 1. & 27. & 27. ac *Joviniani* apud Hieron. lib. 2. in Jovin. & apud Auguſt. cap. 82. libri de Hæreſibus: *quia hi nullos omnino cibos, nec in perpetuum, nec ad tempus; neque quibuſdam, neque abſolutè neque certa de cauſſa interdici debere aſſerant.* SED primò iis ipſi, quæ modo ante ex S. Scripturis produximus, falſi arguitur. Euangelici autem rectè & orthodoxè de jejunio ſentire comprobantur. Deinde, imprudens capite 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

24

Digitized by Google

24. ſicque per totum librum illum ſecundum de Bonis operibus in particulari, ac nominatim de jejunio, ſeipſum & Papiſtas falſæ doctrinæ de JEJUNIO atque adeò hæreſeos manifeſtæ, imò paulò ante à ſe recitatarum *hæreſum* omnium arguit ac convincit. Quod ne præter rationem dicere videamur *συνόμως* & ſtrictè quaſi analyſin illius libri ſubjiciemus. Inde enim clarius fiet perſpicuum, Euangelicos non vera & legitima, ſed tantùm ſuperſtitioſa jejunia, quæ ſine cauſſa, modo, fineque recto celebrantur, & animos ſimul ac corpora immoderatè excarnificant, rejicere & damnare. Adhæc manifeſtius conſtabit, nos ſequenti noſtro libro ſecundo haud temerè hæreſes *Tatianorum, Valentinianorum, Nicolaitarum, Manichæorum, Apoſtolicorum, Priſcillianiſtarum, Euſtatianorum, Encratitarum, atque, Ebionitarum* circa jejunium & alia Papiſtis adſignare. Capite 1. 2. 3. de JEJUNIO, docet Bellarminus, *ad jejunium Eccleſiaſticum* (quod videlicet jejunio *ſpirituali, morali & naturali* diſtinguitur) duo potiſſimum requiri. PRIMO, unicam refectionem in die eamque in cœna non in prandio ſumendam: *Deinde* delectum ciborum.

1. Jejunium non eſt refectio ea tantùm unica, quàm Papiſtæ volunt.

Pro illa *cœnatione* hæc argumenta affert 1. In Veteri Teſtamento dicuntur *fideles ſemper uſque veſperam jejunaſſe*. Unde etiam nunc Judæi & Turcæ jejunium ſolvere non ſolent, priuſquam ſtellam in cœlo conſpexerint.

2. Veteres Chriſtiani *ſaltem uſque ad horam 9*. hoc eſt, *tertiam pomeridianam* jejunare ſolebant: teſtibus Tertulliano Epiſt. 86. Bern. Serm. 3. de Quadrag. & aliis paſſim. Ergo hoc pro lege habendum eſt.

Addit tamen Bellarminus, *hoc tempore jejunia ſolvi circa meridiem, & cœnulam ſumi ſub noctem: ex indulgentia quadã Eccleſiæ* præſertim quum nunc ante meridiem ordinariè omnes prandeant, contra quàm veteres faciebant, uti Gen. 45. Johan. 4. Actor, 10. videre eſt. Atque hæc de primo Papiſtici jejunii requiſito Bellarminus.

RESPONDEMUS, in hac Euangelicos non magnopere diſſentire niſi quod pro veris jejuniis haberi non poſſunt, ubi primùm benè prandetur, & deinde cœnula ſub noctem ſumitur. Nam perpetua ſacræ Scripturæ phraſis, & ſanctorum omnium in veteri & novo Teſtamento praxis apertè docent, eos demum verè jejunare, qui per unũ ſive per plures dies aliquot prorſus ab omni cibo abſtinent. Nam diſertè ſic Lev. 16. 29. & 23. 32. 1. Sam. 1. 12. & 3. 35. Dan. 10. 2. 3. Jonæ 3. 7. Jud. 20. 26. Jerem. 36 9. Jud. 4. 10. 1. Sam. 7. 9. Dan. 9 3. Neh. 1. 4. ſcribitur. Nec ullum contrarium exemplum in hac cauſſa proferri poteſt. Interim fatemur, impropriè loquendo, jejunium aliquatenus appellari poſſe, quum quis parcè & tenuiter vivit, & vel à prandio, vel à cœna ſaltem abſtinet.

DEINDE autem pro delectu ciborum cap. 3. 4. 5. affert hæc argumenta. 1. Sancti in utroque Teſtamento quoties jejunarunt, dicuntur nominatim à carne, vino, aliiſque lautitiis abſtinuiſſe: prout Dan. 10. 2. 3. Math. 3. 4. 1. Tim. 5. 23. Item apud Euſeb. lib. 2. hiſt. c. 22. eſt cernere. Ergo jejunium in hoc delectu conſiſtit.

2 Jejuniũ nõ eſt delectus ciborum.

2. Primi etiam Chriſtiani apud Alexandriam à carne & vino ordinariè

Digitized by Google

abſtinuiſſe dicuntur: teſte Philone apud Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 1. Idem alii paſſim in jejunio feciſſe dicuntur, præſertim in quadrageſ. teſte Chryſoſt. hom. 6. in Geneſ. & Baſilio orat. 1. de jejuniis, & aliis.

3. Finis jejunii idem requirit, qui eſt edomare concupiſcentias carnis. Hæc enim eſu carnium maximè nutritur, ob copiam nempe alimenti, quam illę ſuppeditant. Quum igitur certa regula circa *quantitatem* cibi, aut lautitias & condimenta, ſtatui nequeat, propter infirmitatem rerum iſtarum, imò & ipſorum hominum varietaté ideò neceſſe eſt, certum aliquod cibi genus, quod maximè nutrit & delectat, ab Eccleſia interdici, hoc eſt, legem de *qualitate* ciborum proponi.

Porrò hac occaſione removet à ſua Eccleſia hæreſes Ebionitarum, Encratitarum, Tatianorum & Manichæorum, &c. qui idcirco à carnibus abſtinebant, quia per ſe impuros eſſe credebant: contra quos illud Apoſtoli. 1. Tim. 4. de *doctrina dæmoniorum*, non autem contra ſe, ſuoſque valere dicit.

Respondemus: Nullius ponderis iſta eſſe dicimus, & jejunium in delectu ciborum, vel abſtinentia carnis & earum rerum, quæ carnis originé ſapiunt, ut ovorum & lacticiniorũ &c. tanquam ad verum jejunium neceſſariorũ conſiſtere Euangelici prorſus, & quidem his argumentis freti, negamus.

1. Verum jejunium eſt *abſtinentia ab omni cibo*, non autem ciborum mutatio: præſertim, quia varietas ciborum & condimentorum planè infinita eſt, ita ut quod in uno amittitur, in altero facilè reſtituatur. Ergo delectus iſte non eſt de eſſentia veri jejunii.

2. Nuſquam in veteri & novo Teſtamento legimus, ſanctos in ipſo jejunio delectum ciborum obſervaſſe: ſed potiùs omnes ad veſperam uſque ab omni cibo abſtinuiſſe dicuntur, prout in locis ab ipſo Adverſario citatis videre eſt.

3. Denique omnino præpoſterum & fini propriè dicti jejunii contrarium eſt, ſi liceat ventrem delicatis piſcibus, aliiſque lautitiis implere, non autem liceat rancidam carnem, aut viliſſima lacticinia guſtare: præſertim quũ nec aromatum, nec liborũ, ſeu placentarũ nec fructuum omnis generis, nec vini aut cereviſiæ, potuumque ex aromatibus confectorum uſus in jejuniis adverſariorum prohibitus ſit: uti praxis oſtendit.

Ad argumenta Bellarmini reſpondemus. In 1. Scripturas impertinenter citari. Nam nullus iſtorum locorum agit de jejunio Eccleſiaſtico; ſed vel de *morali* tantùm, vel de *ſupernaturali*, ſive extraordinario & miraculoſo, quod non omnibus imitari liceat. In 2. tum ſimilem eſſe principii petitionem, ſeu rerum diverſarum permixtionem: hoc eſt, generalis abſtinentiæ, ſeu temperantiæ cum vero jejunio commixtionem: tum vitioſam à facto ad jus conſequentiam necti. Hoc eſt, nudum exemplum voluntariæ abſtinentiæ, pro lege omnibus neceſſariò ſequenda, perperam afferre. In 3. non unius generis inconſequentiam eſſe. Etenim idem de piſcibus & conditutis nonnullis dici poſſit, maximè verò de generoſis vinis & confectis potibus: qui

tamen

Digitized by Google

tamen in jejunio Papiſtico non prohibentur. Adhæc nihil omnino vetat, finem jejunii verum & legitimum quærere per veri jejunii, hoc eſt, totalis abſtinentiæ præceptas. Deniq; non minus de quantitate & qualitate, quàm de genere ciborum leges fieri poſſunt.

Porrò, quatenus dictum Apoſtoli, 1. Tim. 4. 3. de prohibitione ciborum, rectè etiam Papiſtis aptari poſſit, de eo ſtatim videbimus. Illud certè Bellarminus veteribus hæreticis tantùm accommodari affirmat, ac à ſuis Papicolis removet. Sed num ſatis ſit, non immeritò eos tanquam *Encratitarum, Manichæorum*, aliorumq́ue antiquorum hæreticorum aliquatenus ſimiles hoc loco & dicto Apoſtoli notari, quia carnes & alias Dei creaturas interdum guſtare non audent, interdum ſuis ſacerdotibus exorcizandas & operosè benedicendas offerunt, quaſi aliquid in ipſis ſit immundum, aut quaſi ad legitimam earum ſumptionem, quæ ab omni peccato prorſus aliena ſit, privata bendictio per verbum & preces domeſticas, quas tamen ✠. 4. Apoſtolus commendat non ſufficiat, &c. Quæ certè in Papatu fieri ſolere conſtat.

3 *Jejuniū neceſſariū eſſe, docent Papiſtæ.*

Capite 6. 7. 8. 9. 10. de neceſſitate jejunii Eccleſiaſtici tractat. Et PRIMO quidem docet cap. 6. *jejunium in genere lege divina eſſe præceptum, ita ut pro re quadam neceſſaria, non pro adiaphora omnino habendum ſit.* Ac argumenta hæc affert potiſſima.

Cap. 6.

1. Joël 2. 12. 15. *imperat Deus* omnibus ſeriò pœnitentibus *jejunium* & fletum, &c. Et Math. 6. 16. 17. 18. non tantùm jejunandi modum, ſed & tacitam *legem* Chriſtus præſcribit, ſicut ibidem facit de *oratione & eleemoſyna*, &c. Et cap. 9. 15. prædicit *ſuos* aliquando *jejunaturos.* Ergo jejunium res neceſſariæ obſervationis eſt.

2. Patres idem docent: præſertim *Auguſt.* epiſt. 86. & *Leo* ſerm. 4. de jejunio decimi menſis, ubi etiam diſtinctè traditur, jejunium quidem in Scripturis eſſe præceptum, non tamen ipſa tempora jejunii, &c.

3. Ratio etiam ſuadet, ad evitanda quædam peccata, & reſiſtendum quibuſdam tentationibus, opus omnino eſſe jejunio: utpote ſine quo nec caro frenari, nec homo ſatis humiliari poſſit. Ergo interdum jejunare neceſſariū eſt.

RESPONDEMUS: Fateri nos, *jejunia* quædam ſive *publica*, ſive *privata* in verbo Dei præcepta eſſe: ſed cum Auguſtino quoque id addimus, *certa jejunandi tempora, certóſque modos ac ritus in novo Teſtamento nuſquam imperari.* Et Tertullianus contra Pſychicos teſtatur: *Fideles ſui temporis liberè & ex propria voluntate jejunaſſe, abſque lege & præcepto, prout occaſiones & tempora ferebant.* Unde concludunt, *privata* quidem jejunia arbitrio & prudētiæ ſingulorum Chriſtianorum permittenda eſſe: ut quoties ſinguli ſibi neceſſe animadvertunt, ſponte ſua jejunent, & precibus extraordinariis incumbant: uti 1. Cor. 7. 5. eſt cernere. *Publica* verò jejunia toties ab his vel illis Eccleſiis inſtituantur, quoties aliqua neceſſitas ita poſtulat, prout exempla, Joh. 2. & Jonæ 3. Item, Act. 6. & 13. &c. occurrunt. Uque hæc tunc ab omnibus iſtarum Eccleſiarum membris accuratè obſerventur, exceptis ſemper excipiendis, uti conſtat.

Epiſt. 86. ad Gaſculanum.

Digitized by Google

Deinde cap.7.8.9.tradit, *lege Eccleſiaſtica* obligari fideles ad certa quædam ſeu ſtata & fixa jejunia, ac ſpeciatim ad ciborum delectum illum, de quo ſuprà dixerit. Hocque negari quidem ab *Euſtathianis* & *Aërianis*, ac noſtri ſeculi hæreticis, ſed ſequentibus argumentis probari.

1. Jerem. 35. 6. & 8. laudantur Rechabitæ, quod ad præceptum parentis à vino perpetuo abſtinerent, &c. Multo magis igitur Eccleſiæ aliquid ſimile præcipienti obtemperandum eſt. Et proinde poteſt Eccleſia certas jejunandi leges præſcribere, &c.

2. Eſter 9.31. *Mardochæus* novum jejunium & feſtum inſtituit toto populo approbãte, &c. Ezech. 8.19. mentio fit jejuniorum, videlicet quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſis, quæ non fuerunt à Deo imperata, à populo tamen obſervata. Ergo idem fieri poteſt in Novo Teſtamento, &c.

3. Act. 15.20. Apoſtoli uſum quorũdam ciborum Chriſtianis ſui temporis interdicunt, atque iſti reverenter hanc legem ſuſcipiunt prout c.16. videre eſt. Ergo eadem modo Eccleſia hodie uſu quocunque ciborum interidcere poteſt.

4. Patres & concilia vetera grave peccatũ cẽſuerunt, ſi quis Eccleſiaſtica jejunia negligat, & contra ſentientem Aërium pro hæretico habuerunt, teſte Epiphanio hæreſ. 75. vide etiam Tertull. de jejunio, Hieron. ad Marcell. Chryſoſt. hom.6. ad Antioch. Ergo peccatum grave eſt etiam hodie Eccleſiaſtica jejunia negligere, &c.

5. Ratio etiam docet Eccleſiam inſtar matris liberis ſuis utilia præſcribere poſſe, eoque habere jus multa determinandi, quæ per ſe adiaphora ſunt.

Jejuniorum leges Papiſtica redarguuntur.

Respondemus: In hoc maximè unum, idque meritò reprehendimus? quod Eccleſiæ abſoluta quædam poteſtas aſcribitur ejuſmodi jejuniorum *leges* ferendi, quæ & delectum ciborum includant, & præterea quaſi dogmaticę, hoc eſt, generales & perpetuæ ſint, & cum opinione neceſſitatis (etiam extra caſum ſcandali & contẽptus) imò etiam cum opinione meriti ſeu cultus meritorii, obſervandæ. Hãc enim poteſtatem ipſa vera Eccleſia nec habet, nec ſciens unquam ſibi uſurpat Imò nec Apoſtoli unquam uſurpant: quippe cujus uſurpatio libertati Chriſtianæ prorſus contraria eſt. Nec deficimur argumentis, ſed ſex validiſſima habemus, quæ adverſus exceſſivæ hujus poteſtatis uſurpationem afferimus.

1. Apoſtolus Rom. 14. item 1. Cor. 8. 8. & 10. apertè docet, *Chriſtianis nullum eſſe ciborum diſcrimen præſcriptum*. Et in gratiam quidẽ *infirmorum* (quales tunc erant plerique ex Judæis converſi) prudenter monet, aliquando ab aliquibus cibis abſtinendum eſſe. Sed extra hũc caſum, libera conſcientia, quibus vis cibis eſſe utendum. Et propterea diſertè docet: *Quicquid in macello venditur, vel nobis ab aliis apponitur, id ſine conſcientia hæſitatione commedendum eſſe*, modò abſit ſcandalum infirmorum. 1. Cor. 10.25.

2. Idem Col. 2.16. docet, Chriſtianos non modo ab elementari legis diſciplina, ſed ab omnibus etiam hominum præceptis in cauſa religionis immunes eſſe & proinde non deberevel ciborum, vel dierum diſcrimen ab iis

cum

cum opinione cultus aut neceſſitatis obſervari, &c. Ergo lex Papiſtica non eſt Apoſtolica.

3. Chriſtus ipſe Math.15.11.17.&c. docet, *id quod intrat per os, hominem non inquinare.* Et Luc.10.7. monet ſuos, *ut comedant, quacunque ipſis appoſita fuerint.* Ergo voluit Chriſtianos eſſe liberos ab obſervando ciborum delectu, ac proinde contraria lex Antichriſtiana & hæretica cenſeri debet.

4. Idem Chriſtus Math.9.15. Mar.2.19. Luc.5.35. rogatus, *cur diſcipili ſui non jejunarent?* Reſpondet quidem, eos aliquando jejunaturos, ſed ſua ſponte, ubi ſcilicet occaſionibus ad hoc invitati fuerint: non autem timore & neceſſitate præcepti: quod nimirum certa tempora, vel certum modum cum opinione cultus divini præſcribat. Ergo libertas jejunandi omnibus relinquenda eſt, & occaſionum huc invitantium ratio habenda: proinde contrariæ leges abrogandæ ſunt.

5. Adde, quòd Apoſtolus 1.Tim.4. 3 4. vocat *doctrinam dæmoniorum, ſi aliquis à certis cibis opinione religionis abſtinere jubeat.* Quod licet ad veteres hæreticos *Encratitas, Manichæos,* &c. qui perpetuam abſtinentiam à certis cibis requirebant, accomodetur, tamen quum generaliter dictum ſit de quibuſdam qui per hypocriſin & ſpeciem pietatis abſtinere jubent, haud immeritò etiam Adverſariis noſtris Papiſtis applicatur, quippe qui ſimiliter hac in parte ſeſe gerunt.

6. Adde etiam, quod apud veteres Chriſtianos jejunia libera, eoq; & diſſimilia fuerunt, teſte Irenæo apud Euſeb. lib.5. hiſt. cap.24. Item quod ibidem cap.17. ex Apollonio refertur, *Montanum* hæreticum primũ fuiſſe, qui leges jejuniorum præſcripſit atque impoſuit. Item, quod ipſe Tertullianus in libro de jejunio planè *Montanianus*, eadem ferè in Orthodoxis tunc reprehendit, quæ nunc Papiſtæ in Euangelicis reprehendunt. Item, quòd *Spiridon* in ipſa Quadrageſima hoſpiti ſuo carnes edendas propoſuit, addito illo Pauli dicto, *Omnia munda mundis.* Denique quòd Auguſtinus Epiſt.86. ad Caſulomum fatetur. *Ego in Euangelicis & Apoſtolicis literis totoq; inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum novum animo id revolvẽs video præceptum eſſe jejunium, Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum.* Ex his omnibus apparet delectum ciborum & ſtata jejunandi tempora prorſus humanas inventiones eſſe & veteribus Chriſtianis diu ignotas fuiſſe. *Sozom. lib. 1. cap. 11.*

Ad contraria Bellarmini argumenta reſpondemus. In 1. & 2. confundi tũ res politicas cum ſacris, tum ſtatum Veteris Teſtamenti cum ſtatu Novi Teſtamenti, atque ita quæſtionem veram non attingi, præſertim quum in illis Judæorum jejuniis nullus fuerit ciborum delectus, uti conſtat. In 3. contrarium potius probari dicimus. Nam & rationes Apoſtolorum & ipſa præcepti abrogatio, clarè docent, præceptũ illud fuiſſe temporarium, & extra caſum ſcandali & contemptus neminem per ſe in conſcientia obligaſſe. In 4. fallaciam eſſe ſecundùm quid, quatenus veterum dicta, etiam extra caſum ſcandali & contemptus, ad hanc cauſſam intempeſtivè extenduntur. Adhæc

Digitized by Google

Patrum hyperbolas pro regula jejuniorum perperam obtrudi. In 5. principiũ peti, quatenus agitur de determinatione authoritativa, & cujus obſervatio ſit conjuncta cum opinione neceſſitatis & cultus divini, imò etiam cum fiducia meriti &c. Noſtra verò argumenta quidem refellere tentat capite 8. & 9. at laterem lavat, & Æthiopẽ ſolum dealbat, ſuamque ſophiſticã prodit, ut periti ſacrarũ Scripturarum ac Patrum facilè animadvertunt, ac probare queunt.

Jejunandi neceſſitas, quos excipiat.

Tertiò docet, ab hac jejunandi lege ordinariè nullos Chriſtianos excipi, quantumvis ſanctos & perfectos: quum & Johannes Baptiſta, & Paulus, &c. jejunia obſervarint, Math. 11. 18. 1. Cor. 9. 4. & generalis finis hujus præcepti, videlicet charitas, etiam in iis locum habeat, qui fortè carnis edomatione non indigent, &c. Excipit autem eos, qui vel *impotentia*, ut ſunt ſenes, prægnãtes, ægroti, & pueri, vel *pietate*, ut ſunt concionatores, lectores, confeſſarii, &c. vel *neceſſitate*, ut ſunt fabri murarii, ferrarii, lignarii, aliique laborioſis operibus incumbentes, excuſantur.

In quo conſenſus noſter facilè aſſociatur: quatenus agitur de veris & publicis jejuniis, ab Eccleſia hac vel illa ob publicam neceſſitatem indictis: & quatenus abeſt opinio cultus & meriti, item neceſſitatis, extra caſum ſæpius jam dictum. Alioquin nulla hîc obligatio præciſa requiritur & agnoſcitur, ſi de Papiſtica jejunandi ratione, hoc eſt, de delectu ciborum atque dierum omnia intelligantur.

Inſimulat hîc Bellarminus *Beghardos* hæreſeos, quia aſſeruerint, perfectos legibus jejuniorum non teneri. Nam & Clementina C. *Ad noſtrum*, lit. de hæreticis, damnantur, atque à multis aliis oppugnantur, qui hoc illorum dogma & alia reprehendunt. At juxta expoſitionem noſtram modò allatam, non hæreticè ſenſerunt, ſi eo modo ſuam ſententiam & intellexerunt & protulerunt. Si aliter ſenſiſſe dicuntur, credibile, in eos ab ipſorum hoſtibus fuiſſe confictum, ut & alia multa. Quamobrem permulti viri eximia doctrina & pietate ornati eorum defenſionem ſuſceperunt: ut eleganter ac ſolidè Rod. Hoſpinianus de origine Monachorum, lib. 6. cap. 32. fol. 274. 275. &c. deſcribit.

Beghardi perfectos à jejunio excipiunt.

4 Jejunii Papiſtici finis & effectus.

Cap. 11. 12. & 13. de fine, fructu & effectu jejunii ſic in ſumma Bellarminus diſputat. Non ſolũ ad carnem ſubigendam & orationem excitandam, &c. ſed etiam ad Deum hoc opere colendum, & iram ejus placandum, item ad peccata redimendum, ſive pro peccatis ſatisfaciendum, ac præmium cœleſte vel terrenum promerendum, &c. plurimum valere. Et proinde Euangelicos hac in parte plurimum errare.

Pro priore fructus genere, quod extra controverſiam eſt, affert exempla *Pauli*, 1. Cor. 9. 27. *Moſis* Exod. 34. *Heliæ*, 1. Reg. 19. *Danielis*, cap. 10. & alia, nempe *Athanaſii* lib. de virginit, *Ambroſ.* lib. de Helia & jejunio, *Chryſoſt.* hom. 1. in Geneſ.

Pro poſteriore autem genere, quod ſolum in controverſia eſt, affert hæc argumenta.

1. Luc. 2. 27. dicitur *ſancta Anna* jejuniis

niis

Digitized by Google

niis & precibus Deum coluiſſe. Et Rom.12.1. monet Apoſtolus, ut carnis cupiditates comprimamus (quod per jejunia fit) idque vocat cultum rationalem, &c. Ergo jejunium per ſe eſt cultus Dei, & quidem meritorius.

1.Sam.7.5.6. 2. *Iſraëlitæ* dicuntur jejunando Deũ ſibi placaſſe. Idem narratur de Achabo 1.Reg.21.29. De Ninevitis Jonæ 3. de Eſter & Judith, totoque populo Judæorum, Eſt. 4.16. Jud.4.7. Joëlis 2.inquit, monentur omnes peccatores *ſe convertere ad Deum in jejunio & fletu*, &c. Ergo jejunium eſt ſatisfactorium.

3. *Anna* 1.Sam.2. per jejunium impetrat filium Samuelem, &c. Et *David* 1.Sam.12. pro filiolo ſuo jejunat, ut eum in vita conſervet, &c. Et *Tob.*3.12. *Sara* per hunc jejunii cultum liberabatur à dæmonio, &c. Et Chriſtus Math.17.21. docet, *eſſe quoddam genus dæmoniorrum, quod nonniſi per jejunium & orationem expelli poſſit.* Denique cap. 6. Math. rectè *jejunantibus mercedem cœleſtem promittit.* Ergo jejunium eſt coram Deo meritorium, ut beneficia Dei impetret.

4. *Patres* quoque docent, jejunia & ſatisfaciendi & promerendi vim habere: ut *Tertullianus* de jejunio, *Cyprianus* ſerm. de lapſu, *Ambroſius* epiſt 82. Item de Helia & Jejunio. *Baſilius* orat. 1. de jejunio: *Auguſtinus* ſerm. 60. & 62. de tempore. Denique *Hieron.* lib. 2. contra Jovinianum ex profeſſo hoc agit, & JOVINIANUM *merita jejunii extenuantem*, pro HÆRETICO traducit. Ergo contra Eccleſiam ſentiunt, qui ſatisfactiones & merita jejuniorum non agnoſcunt. Hæc ille hactenus.

In hac quarta theſi aſſentiuntur Evangelici ex parte, quatenus nempe ipſi quoque agnoſcunt, non paucos eſſe veri jejunii *fructus ſalutares*: tum IMMEDIATOS, puta carnis ſublationem, & animi præparationem ad ardentius precandum, &c. tum MEDIATOS, puta humiliationem noſtri coram Deo pœnitentiam, preces, &c. quos etiam doctè Rod. Gualtherus homilia in Math. 32. & 96. ac 97. recenſet & prædicat. *Jejunii effectus fictitii refelluntur.*

Sed jejunium tamen ipſum *per ſe* atque *immediatè* conſideratum, eſſe ſpeciem divini cultus, aut jejunando nos pro peccatis ſatis facere, aut veniam peccatorum ac ſalutem coram Deo verè promereri poſſe, &c. id verò conſtanter negant, imò hos fructus jejunii planè fictitios eſſe affirmant.

1. Enim Iſa.58.6. inquit Deus *ſibi jejunium illud non placere, quo anima tantùm affligitur, ſed opera charitatis ac juſtitiæ potiſſimum à ſe requiri.* Et ſimiles ſententiæ occurrunt Jerem.14.12. Joël 2.12.13. & Zach.6.7. Rom.14.17. 1.Cor.8.8. Unde apparet, præceptum illud de jejunio ſolenni & publico Levit.16. & 23. ceremoniale fuiſſe, non morale, & proinde jejunium *per ſe* non eſſe cultum Dei moralem, nedum coram Deo eſſe ſatisfactorium, aut meritorium æternæ ſalutis.

2. Lucæ 18.12. Phariſæus allegans ſua jejunia velut meritoria nõ juſtificatur, &c. Et Math.6.16.17.18. Hypocritæ ſuis jejuniis nihil mereri dicuntur. Et cap. 9.15. negat Chriſtus jejunium à quibusvis & quovis tempore celebrandum eſſe. Ergo jejunare per ſe non eſt cultus Dei moralis, nedum meritorius.

3. Apo-

3. Apoſtolus Col. 2.21.22.23. inter *ἐθελοθρησκείας* ſeu cultus electitios refert, ſi quis per *ἀφειδίαν*, hoc eſt, inediã & abſtinentiam ciborum Deum ſibi demereri velit. Et 1. Tim. 4.8. generatim opponit pietati veræ *corporalẽ exercitationem*, iſtamque parum utilem eſſe docet, quo nomine & ſimiles corporis diſciplinas potiſſimum intelligit, pro ut Ambroſius annotat. Ergo externum jejunium non eſt meritorius cultus.

4. Adde, quod Tertullianus apertè Mõtanizans in lib. de jejunio ait xerophagiam eſſe utilem ad gratiam merendum, ad Deum placandum, &c. Contrà verò orthodoxos inducit omnino reclamantes, & inter alia ſibi objicientes hæc Scripturæ dicta Iſa. 58. 5. *Non hoc eſt jejunium quod elegi*, &c. Et Math. 15. 11. Quod intrat per os, non inquinat hominem. Et Rom. 14. 17. 1. Cor. 8. 8. *Regnum Dei non conſiſtit in cibo & potu, &c.* Item: *Eſca non commendat nos Deo*, &c. Adhæc *Euſtatius* hæreticus in concilio Gangrenſi damnatus eſt, quũ declaraſſet, ſe non contumaciæ gratia, ſed *cultus erga Deum cauſſa* abſtinentiam à quibuſdam cibis inſtituiſſe. Quod & ipſummet concilium in præfatione innuit. Præterea Auguſt. refellit *Manichaos* hæreticos, quod apud eos in magno honore haberentur, qui à certis cibis abſtinebant in cultum divinum. Unde apparet, Papiſtas hac in parte Montanizare & Euſtatianos atq; Manichæos & hæreticos ſequi; Nos verò cum orthodoxis & catholicis ſentire.

Sozom. 3. cap. 13.

30. in Fauſtum.

Ad argumenta contraria RESPONDEMUS: In 1. partim fallaciam figuræ dictionis eſſe quod attinet ad locum Luc. 2. 37. partim principium peti, quò ad locum Rom. 12. 3. quia neque *illic* jejunium *per ſe* cultus Dei vocatur, neque *hic* quicquam de jejunio propriè dicto agitur. In 2. & 3. dicta Scripturæ per ſimiles Paralogiſmos depravari: quia nuſquam in his ulla mentio fit vel *placationis Dei*, propriè dictæ, vel, *ſatisfactionis veræ pro peccatis*, vel *meriti* coram Deo; ſed ſimplex tantùm *liberatio* ab aliquo malo, vel impetratio alicujus boni, tanquam optatus eventus, non quidem ſolius externi jejunii ſed totius pœnitentiæ & piarum precum & humiliationis coram Deo, exponitur. In 4 Patrum *ἀκυρολογίας* & improprias phraſes in proprias malè converti, ſeu pro forma rectè judicanda non rectè nobis obtrudi; præſertim cùm illi paſſim verba ſatis faciendi & merẽdi largo quodam modo, ut pote nullum abuſum cogitantes & metuentes, uſurparint, & melius haud dubiè ſenſerint, quàm locuti ſint ſicut ſuis locis obiter oſtendimus. In ſumma, nec meritum nec ſatisfactionem propriè dictam, jejunio externo uſpiam Scriptura ſacra tribuit.

Capite 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. differit Bellarminus de variis jejunandi temporibus, ſeu potius de ſex ſpeciebus Eccleſiaſtici jejunii. Eæ ſunt *Quadrageſima, hebdomadarium jejunium videlicet, quarta & ſexta feria ac ſabbathi, menſtruum jejunium vel quatuor temporum jejunium Adventus & Rogationum, jejuniũ Vigiliarum & Stationum, &c.* *Jejunii ſpecies vel tempora quot ſint.*

PRIMUM cap. 14. 15. & 16. de jejunium *Quadrageſima*, quod ſic vocant, TRIA docet. *Unum* cap. 14. quod quatuor præcipuè argumentis evincere conatur, *fuiſſe id ab ipſis Apoſtolis inſtitutũ*, non

I. Quadrageſima jejunii Papiſticũ.

Digitized by Google

non à Teleſphoro aut aliis Epiſcopis Romanis; eoque neceſſariò nobis obſervandum eſſe. Hocque ita ſe habere ait.

1. Quia in *Apoſtolorum Canone* 67. id expreſſè dicitur & hi canones verè Apoſtolici eſſe creduntur.

2. Quia *Hieronymus* ad Marcellam & Leo 1. Serm. 6. & 9. de Quadrageſima idem teſtantur; ita ut pro ſententia totius antiquæ Eccleſiæ meritò haberi debeat.

3. Quia hoc jejunium hactenus ab univerſa Eccleſia obſervatur, nec tamē in ullo Concilio inſtitutum fuiſſe legitur. Eoque juxta regulam Auguſtini epiſt. 118. ab Apoſtolis ordinatum eſſe, & porrò neceſſariò ſervandum rectè traditur.

4. Adde, quod hujus jejunii ab antiquiſſimis patribus mentio fit: Videlicet ab *Irenæo*, apud Euſebium lib. 5. hiſt. cap. 24. ab *Origene* homil. 10. in Levit. à *Tertulliano* lib. de Jejunio, ab *Hieronymo* in Iſa. 58. & in 3. Jonæ, *à Baſilio* orat. 2. de Jejunio, ab *Ambroſio* lib. de Noe & arca cap. 13. ac ſerm. 23. & ſeqq. à *Nazianz.* orat. in S. lavacrum, à *Nyſſeno* orat. de amandis pauperibus, ab *Athanaſio* epiſt. ad orthodoxos de perſequut. ab *Auguſtino* epiſt. 119. cap. 15. & in Pſalm. 110. ab *Epiphanio* in compendiaria doctrina, denique à *Chryſoſtomo* homilia 1. in Geneſ. & 18. ad populum Antiochenum, &c. Item à Concilio Niceno can. 5. & Laodiceno can. 49. & paſſim alibi.

Quadrageſima varietas.

Alterum cap. 15. eſt, aliquam fuiſſe apud veteres in obſervanda quadrageſima varietatem: ſed tamen in ipſo 40. dierum numero conſenſum fuiſſe. Nempe, quia alii continuas ſeptimanas jejunarent: alii Sabbathum & diē Dominicum exciperent: quos tamen adjectis inde quadrageſimam aliis diebus, ſuppleretē, &c. Id quod ex locis ſupra citatis, & præterea ex Ambroſio ſerm. 23. & Johan. ſerm. 4. de quadrageſima & aliis demonſtratur.

Quadrageſima ratio & cauſſa.

Tertium eſt cap. 16. RATIONEM ſeu cauſſam inſtituendæ quadrageſimæ variam fuiſſe: *tum*, ut communis quædam pœnitentia ſit pro expiandis totius anni erratis: *tum*, ut populus ad dignam communionem in feſto Paſchæ celebrandam, itemque feriam paſſionis & reſurrectionis Chriſti meditationem inſtituendam prepararetur; *tum*, ut hac ratione velut decimas vitæ noſtræ Deo offeramus, prout decima pars totius anni circiter 40. dies efficit: *tum* denique, ut Chriſti jejunium & paſſionem, quatenus licet, imitando exprimamus. Atque hanc poſtremam rationem à ſuſpicione *κακοζηλίας* contra CALVINUM aſſerit, citando pro ea aliquot Patrum teſtimonia, &c. Addit etiam, tempus vernum huic adeò jejunio aptiſſimum eſſe propter phyſicas & politicas commoditates, &c. quarum aliquot iſta occaſione recenſet.

II. *Hebdomadarium jejunium Papiſticū.*

DEINDE agit cap. 17. de jejunio *quarta & ſexta feria*, ac 18. de jejunio diei Sabbathi, quod hebdomadarium dicitur. Ac illius quidem utriuſque ait, crebram fieri apud veteres mentionē. Cujus etiam ratio ſit, ipſa paſſionis dominicæ commemoratio, quum DOMINUS feria *quarta* proditus & captus, *ſexta* autem crucifixus ſit. Addit tamen, in Latina Eccleſia jejunium

Digitized by Google

Quarta feriæ, quod à quibuſdam adhuc ſervatur, poſtea ferè mutatum eſſe in jejunium *Sabbathi*: licet de hoc olim magna opinionum varietas fuerit. Sed tandem ait Innocentii primi ſententiam obtinuiſſe, pro jejunio Sabbathi obſervando. Cujus præcipua ratio ſit *ſepultura Chriſti*, & mœror Apoſtolorū, & ſeparatio noſtri à Judæis, qui Sabbatho nunquam jejunant, utpote apud ipſos ſacro, &c.

III. *Jejunium quatuor temporum apud Papiſtas.* TERTIÒ capite 19. de jejunio mẽſtruo, hoc eſt, quatuor temporum, *tria* quoque diſſerit.

Unum eſt, inſtitutionem ejus eſſe Apoſtolicam, *tum*: quia Calliſtus & Leo 1. id teſtantur: *tum*, quia Act. 27. 9. 33. omnino mentio fieri videtur jejunii decimi menſis, hoc eſt, Decembris, in quo ordinationes miniſtrorum olim fiebant, &c.

Alterum eſt, duplicem hîc occurrere varietatem. Nam & ante Calliſtum *tria* tantùm tempora obſervata fuiſſe: & poſt quam *quatuor* eſſe cœperunt, nõ iiſdem diebus ſemper celebrata fuiſſe. Ait autem *primum* iſtorum referri debere ad primam ſeptimanam quadrageſimæ: *Secundum* in hebdomadem Pentecoſtes; *Tertium*, in tertiam hebdomadem Septembris: *Quartum*, in tertiam hebdomadem Decembris. Sic optimè ordinari aſſerit.

Tertium eſt de cauſſis hujus inſtitutionis, quarum *quatuor* exponit. *Tum*, ne Chriſtiani Judæis remiſſiores videantur, qui quatuor etiam jejunia celebrarunt, prout dicitur, Zach. 8. *tum*, quatuor temporibus ordinationes habentur, vel ordines conferuntur, apud quos olim jejunabant, ut videre eſt, Act. 13. 3. *tum*, ut quater in anno pro terræ fructibus Deo partim ſupplicetur, partim gratiæ agantur: *denique*, ut quemadmodum ſingulis annis & ſeptimanis: ſic etiam ſingulis menſibus jejunare diu poſſemus: videlicet triduo ſingulorum jejuniorum reſpondente trinis menſibus in anno, &c.

IV. *Jejunium adventus Domini apud Papiſtas.* QUARTÒ cap. 20. de jejunio *adventus* Domini agit. Nam ADVENTUM Domini jejunio celebrari ſolitū Romæ, teſtem eſſe Innocent. 3. cap. *Conſilium* de obſervatione jejuniorum: & uſum Romani Breviarii. Cæterùm hoc jejunuim non tam ex præcepto, quàm ex conſilio, aut voto à multis ſervari, Eccleſiæ uſum demonſtrare.

V. *Jejunium rogationum.* QUINTO cap. 21. jejunium *rogationum* deſcribit, id eſt, *tridui ante aſcenſionem unà cum Litaniis.* Illud inſtituiſſe fertur (ut ait Bellarminus) ſanctus Mamertus Viennæ Epiſcopus, propter multa terræmotus & luporum incurſionum incommoda in Galliis, quod Greg. Turonenſis 2. hiſt. Franc. 34. teſtetur. Fuiſſe autem receptum in Concilio Aurelianenſi primo, ut cap. 29. extet. Romæ. verò olim ita etiam ſervatum, ut ſolis quadrageſimalibus cibis populus veſceretur. Quâ quidem in re ſervanda ſit Eccleſiæ conſuetudo: ut intelligi poſſit ex ordine Romano.

VI. *Jejunium Vigiliarum & ſtationum.* SEXTÒ, cap. 22. de jejuniis *Vigiliarum vel Stationum* tractat. Ea pridie magnorum Feſtorum uſurpata eſſe ait. Nam non ſolùm tunc Vigilias agi per noctem, ſed etiam interdiu jejunari: ut teſtis ſit Bernardus Serm. de Vigilia S. Andreæ, Burchardus lib. 13. Decreti, c. 16. Innocent. III. cap. 1 & 2.

Jejunium Stationum dici aſſerit, quia

pio

propriè STATIO fuerit *Vigilia diurna tempore ſolennis jejunii*, quum iidem homines à ſummo manè uſque ad nonam, aut veſperas in oratione perſeverarent, nec ante jejunium ſolverent: auctore Iſidoro 6. etymolog. ult. Rabano 2. de Inſtit. Cleric. Tertulliano, de jejunio, &c. Ac *diſtingui* ait *Stationem à jejunio*: quòd *jejunium* noctu & interdiu fieri poſſit: *Statio* verò diu, ut colligatur ex Tertull. lib. de fuga in perſequutione. Porrò Gregorium I. Stationibus attribuiſſe certa loca Romæ: ipſumque ad ea venientem tempore Stationum, viginti Homilias in variis Eccleſiis declamaſſe: ut referat Paulus Diaconus in Gregorio lib. 2. cap. 18. & lib. 4. cap. 74. Ac fortè etiam primum Gregor. Stationes à jejunio ſeparaſſe: & Dominicis Adventus, Quadrageſimæ & Reſurrectionis fieri voluiſſe, &c. In ſumma docet, STATIONES olim fuiſſe diurnas publicè precantium, & eodem loco permanentium, VIGILIAS cum jejunio ſemper conjunctas. Nunc autem ab aliis atque aliis ſucceſſivè celebrari, idque tam jejunorum quam Feſtis diebus, & tam poſt, quàm ante cibum ſumptum, &c. Quæ differentia, ſeu mutatio, nobis bene notanda eſt.

VII. *Jejuniis, quibus diebus vacationem habeant.*

Cap. 23. de diebus, quibus jejunare non licet, verba facit. Videlicet vacationem à jejuniis eſſe per omnes Dominicas: in die Natalis Domini: & toto tempore à Paſcha uſque ad Pentecoſten. Idque tum ob celebritatem iſtorum dierum, tum propter odium veterum quorundam hæreticorum, qui hiſce diebus jejunabant. Quâ auctoritate hoc dicit? Tum Tertulliani de corona militis, qui ſcribat: *Die Dominico jejunare nefas ducimus*: Tum Ambroſii dicentis: *Dominica jejunare non poſſumus, quia Manichæos etiam ob iſtius diei jejunia jure damnamus*: Tum denique Hilarii præfat. in Pſalmos, & Epiphanii in Anacephalæoſi, &c. Vel compendiariâ doctrinâ.

Epiſt 83.

Addit tamen: Hæc autem prohibitio non ſe extendit, niſi ad eos, qui vel ſuperſtitione, vel errore, vel contemptu Eccleſiæ, vel dignum ſcandalo jejunant. Quare licet jejunare alioquin his diebus ex devotione aut voto.

Tandem capite 24. & ultimo fraudes Chemnitii in hiſtoria antiquitatis recitat & redarguit. Hæc Bellarm. At quum unas partes audiveris Lector, jam alteras cognoſce.

Solutio. RESPONDEMUS: In hac parte non pauca nec immeritò Euangelici reprehendunt. Nam & falsò quædam hîc afferuntur, & variæ veterum Traditiones parùm ſolidè conciliantur: denique rationes quædam ſatis ineptæ pro recepta praxi afferuntur.

Falſum enim eſt, Apoſtolos inſtituiſſe jejunium Quadrageſimæ, aut quatuor temporum, aut ullum denique aliud ſtatum ac ſolenne jejunium, quo quidem modo nunc ea obſervari ſolent. Nam ut hæc falſa eſſe affirmemus, quatuor his argumentis ducimur.

1. Quia ex Rom. 14. item Coloſſ. 2. Gal. 4. &c. ſatis patet, Apoſtolos & ciborum & dierum diſcrimen tanquam Judaicum & in novo Teſtamento ſuperſtitioſum, penitus improbaſſe: & jejunia libertati ac prudentiæ Chriſtianorum, eo nimirum modo, quem ſuprà initio hujus tractationis de jejunio expoſuimus, permiſiſſe.

 2. Augu-

co vino utatur propter ſtomachum & frequentes infirmitates. 1. Tim. 5. 23.

2. Sic inſtituatur, ut ad preces & ſanctas meditationes ardentius concipiendas, & exercitia pœnitentiæ meliùs ſimus comparati, quia plenus venter ſecuritatem gignit. Unde hæc duo, JEJUNIUM & ORATIO plerunque in Scripturis conjunguntur, Luc. 2. 31. Math. 17. 21. 1. Cor. 7. 5.

3. Teſtemur jejunio ſincerum luctũ noſtrum propter peccata, aperiamusq; noſtram coram Deo humiliationem, dum volumus reatum noſtrum coram eo confiteri. Sic enim David: *Humiliabam*, inquit, *in jejunio animam meam*. Ac Joel 2. 12. *Convertimini*, ait Deus, *ad me toto corde, & in jejunio, & fletu, & planctu. Et ſcindite cor veſtrum, non autem veſtimenta veſtra, & convertimini ad* Jehovã *Deum veſtrum*. Itaque nullum eſt jejunium verum, ſed hypocriticum, quod Chriſtus Iſa. 58. 5. 6. 7. 8. & Math. 6. 16. 17. ſi relictis iis, in quibus vera pietas conſiſtit, cordis contritione nimirum, ſeria pœnitentia, vitæ emendatione, carnis mortificatione, fide vera & invocatione Dei, humilitatio neq; corã ipſo ſincera, ſufficere putamus ſi à cibo abſtineamus, pullati & incurvicer vices incedimus, intus autem concupiſcentiis illicitis ardentes, palam nihilominus facimus, quæ vitæ ſanctitati & dilectioni fraternæ repugnant.

Hæc eſt noſtra ſententia & doctrina de JEJUNIO, & hunc in modum nos Euangelici jejunare conſuevimus. Ecquid autem in eo eſt hæreticum? Annon omnia & ſingula verbo Dei congruunt? Si igitur hæc jejunii ratio hæreſis dicitur & pronunciatur, tum ipſum Dei verbum convitio atq; calumnia intolerabili afficitur. Nam ſingulari veritatis vi & ordine elegantiſſimo etiam à Philippo Melanchthone, Pet. Martyre, Wolph. Muſculo & Benedicto Aretio in locis Communibus tit. de jejunio, adhæc à Bullingero in Decad. part. 3. denique Luthero, Calvino, Bucero, Gualthero in cap. 6. & 15. Math. ac alibi paſſim confirmantur.

Cæterùm ut Bellarminus lib. 4. de notis Eccleſiæ cap. 9. Aërii hæreſin Euangelicis inurere molitur, propterea quod *ſtatutis diebus non eſſe ſolenniter jejunandum* ſtatuant: ita Tomo 4. lib. 2. de bonis operibus cap. 3. enumerans Hæreſes alias circa ciborum dilectũm exortas, nempe *Ebionitarum* apud Epiph. hæreſ. 30. *Encratitarum* apud Auguſt. hæreſ. 25. *Euſtathianorum* apud Socrat 2. cap. 33. Priſcillianiſtarum apud Augſtin. hæreſ. 70. *Apoſtolicorum* apud Bernard. Serm 66. in cantica, *Manichæorum* apud Auguſt. hæreſ. 46. *Machometi* 3. capite. Alcorani, denique accenſet illis *Euangelicos* ſub nomine hæreticorum omnium hujuſce temporis, & ante eos *Nicolaitarum & Valentinianorũ* apud Irænæum lib. 1. cap. 1. & 27. & 27. ac *Joviniani* apud Hieron. lib. 2. in Jovin. & apud Auguſt. cap. 82. libri de Hæreſibus: *quia hi nullos omnino cibos, nec in perpetuum, nec ad tempus; neque quibuſdam, neque abſolutè neque certa de cauſſa interdici debere aſſerant*. SED primò iis ipſi, quæ modo ante ex S. Scripturis produximus, falſi arguitur. Euangelici autem rectè & orthodoxè de jejunio ſentire comprobantur. Deinde, imprudens capite 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

Jejunium falſum Papiſtarum.

24

Digitized by Google

24. ſicque per totum librum illum ſecundum de Bonis operibus in particulari, ac nominatim de jejunio, ſeipſum & Papiſtas falſæ doctrinæ de Jejunio atque adeò hæreſeos manifeſtæ, imò paulò ante à ſe recitatarum *hæreſum* omnium arguit ac convincit. Quod ne præter rationem dicere videamur *συντόμως* & ſtrictè quaſi analyſin illius libri ſubjiciemus. Inde enim clarius fiet perſpicuum, Euangelicos non vera & legitima, ſed tantùm ſuperſtitioſa jejunia, quæ ſine cauſſa, modo, fineque recto celebrantur, & animos ſimul ac corpora immoderatè excarnificant, rejicere & damnare. Adhæc manifeſtius conſtabit, nos ſequenti noſtro libro ſecundo haud temerè hæreſes *Tatianorum, Valentinianorum, Nicolaitarum, Manichæorum, Apoſtolicorum, Priſcillianiſtarum, Euſtatianorum, Encratitarum, atque, Ebionitarum* circa jejunium & alia Papiſtis adſignare. Capite 1. 2. 3. de Jejunio, docet Bellarminus, *ad jejunium Eccleſiaſticum* (quod videlicet jejunio *ſpirituali, morali & naturali* diſtinguitur) duo potiſſimum requiri. Primo, unicam refectionem in die eamque in cœna non in prandio ſumendam: *Deinde* delectum ciborum.

1. Jejunium non eſt refectio ea tantùm unica, quàm Papiſtæ volunt.

Pro illa *cœnatione* hæc argumenta affert 1. In Veteri Teſtamento dicuntur *fideles ſemper uſque veſperam jejunaſſe.* Unde etiam nunc Judæi & Turcæ jejunium ſolvere non ſolent, priuſquam ſtellam in cœlo conſpexerint.

2. Veteres Christiani *ſaltem uſque ad horam 9.* hoc eſt, *tertiam pomeridianem* jejunare ſolebant: teſtibus Tertulliano Epiſt. 86. Bern. Serm. 3. de Quadrag. & aliis paſſim. Ergo hoc pro lege habendum eſt.

Addit tamen Bellarminus, *hoc tempore jejunia ſolvi circa meridiem, & cœnulam ſumi ſub noctem: ex indulgentia quadã Eccleſiæ* præſertim quum nunc ante meridiem ordinariè omnes prandeant, contra quàm veteres faciebant, uti Gen. 45. Johan. 4. Actor, 10. videre eſt. Atque hæc de primo Papiſtici jejunii requiſito Bellarminus.

Respondemus, in hac Euangelicos non magnopere diſſentire niſi quod pro veris jejuniis haberi non poſſunt, ubi primùm benè prandetur, & deinde cœnula ſub noctem ſumitur. Nam perpetua ſacræ Scripturæ phraſis, & ſanctorum omnium in veteri & novo Teſtamento praxis apertè docent, eos demum verè jejunare, qui per unũ ſive per plures dies aliquot prorſus ab omni cibo abſtinent. Nam diſertè ſic Lev. 16. 29. & 23. 32. 1. Sam. 1. 12. & 3. 35. Dan. 10. 2. 3. Jonæ 3. 7. Jud. 20. 26. Jerem. 36 9. Jud. 4. 10. 1. Sam. 7. 9. Dan. 9 3. Neh. 1. 4. ſcribitur. Nec ullum contrarium exemplum in hac cauſſa proferri poteſt. Interim fatemur, impropriè loquendo, jejunium aliquatenus appellari poſſe, quum quis parcè & tenuiter vivit, & vel à prandio, vel à cœna ſaltem abſtinet.

Deinde autem pro delectu ciborum cap. 3. 4. 5. affert hæc argumenta. 1. Sancti in utroque Teſtamento quoties jejunarunt, dicuntur nominatim à carne, vino, aliiſque lautitiis abſtinuiſſe: prout Dan. 10. 2. 3. Math. 3. 4. 1. Tim. 5. 23. Item apud Euſeb. lib. 2. hiſt. c. 22. eſt cernere. Ergo jejunium in hoc delectu conſiſtit.

2. Jejuniũ nõ eſt delectus ciborum.

2. Primi etiam Chriſtiani apud Alexandriam à carne & vino ordinariè

Digitized by Google

abſtinuiſſe dicuntur: teſte Philone apud Euſeb.lib.2. hiſt.cap.1. Idem alii paſſim in jejunio feciſſe dicuntur, præſertim in quadrageſ. teſte Chryſoſt. hom. 6. in Geneſ. & Baſilio orat. 1. de jejuniis, & aliis.

3. Finis jejunii idem requirit, qui eſt edomare concupiſcentias carnis. Hæc enim eſu carnium maximè nutritur, ob copiam nempe alimenti, quam illę ſuppeditant. Quum igitur certa regula circa *quantitatem* cibi, aut lautitias & condimenta, ſtatui nequeat, propter infirmitatem rerum iſtarum, imò & ipſorum hominum varietatē ideò neceſſe eſt, certum aliquod cibi genus, quod maximè nutrit & delectat, ab Eccleſia interdici, hoc eſt, legem de *qualitate* ciborum proponi.

Porrò hac occaſione removet à ſua Eccleſia hæreſes Ebionitarum, Encratitarum, Tatianorum & Manichæorum, &c. qui idcirco à carnibus abſtinebant, quia per ſe impuros eſſe credebant: contra quos illud Apoſtoli. 1. Tim. 4. de *doctrina dæmoniorum*, non autem contra ſe, ſuoſque valere dicit.

RESPONDEMUS: Nullius ponderis iſta eſſe dicimus, & jejunium in delectu ciborum, vel abſtinentia carnis & earum rerum, quæ carnis originē ſapiunt, ut ovorum & lacticiniorū &c. tanquam ad verum jejunium neceſſariorū conſiſtere Euangelici prorſus, & quidem his argumentis freti, negamus.

1. Verum jejunium eſt *abſtinentia ab omni cibo*, non autem ciborum mutatio: præſertim, quia varietas ciborum & condimentorum planè infinita eſt, ita ut quod in uno amittitur, in altero facilè reſtituatur. Ergo delectus iſte non eſt de eſſentia veri jejunii.

2. Nuſquam in veteri & novo Teſtamento legimus, ſanctos in ipſo jejunio delectum ciborum obſervaſſe: ſed potiùs omnes ad veſperam uſque ab omni cibo abſtinuiſſe dicuntur, prout in locis ab ipſo Adverſario citatis videre eſt.

3. Denique omnino præpoſterum & fini propriè dicti jejunii contrarium eſt, ſi liceat ventrem delicatis piſcibus, aliiſque lautitiis implere, non autem liceat rancidam carnem, aut viliſſima lacticionia guſtare: præſertim quū nec aromatum, nec liborū, ſeu placentarū nec fructuum omnis generis, nec vini aut cereviſiæ, potuumque ex aromatibus confectorum uſus in jejuniis adverſariorum prohibitus ſit: uti praxis oſtendit.

Ad argumenta Bellarmini reſpondemus. In 1. Scripturas impertinenter citari. Nam nullus iſtorum locorum agit de jejunio Eccleſiaſtico; ſed vel de *morali* tantùm, vel de *ſupernaturali*, ſive extraordinario & miraculoſo, quod non omnibus imitari liceat. In 2. tum ſimilem eſſe principii petitionem, ſeu rerum diverſarum permixtionem: hoc eſt, generalis abſtinentiæ, ſeu temperantiæ cum vero jejunio commixtionem: tum vitioſam à facto ad jus conſequentiam nectī. Hoc eſt, nudum exemplum voluntariæ abſtinentiæ, pro lege omnibus neceſſariò ſequenda, perperam afferre. In 3. non unius generis inconſequentiam eſſe. Etenim idem de piſcibus & conditutis nonnullis dici poſſit, maximè verò de generoſis vinis & confectis potibus: qui tamen

Digitized by Google

tamen in jejunio Papiſtico non prohibentur. Adhæc nihil omnino vetat, finem jejunii verum & legitimum quærere per veri jejunii, hoc eſt, totalis abſtinentiæ præceptas. Deniq; non minus de quantitate & qualitate, quàm de genere ciborum leges fieri poſſunt.

Porrò, quatenus dictum Apoſtoli, 1. Tim. 4. 3. de prohibitione ciborum, rectè etiam Papiſtis aptari poſſit, de eo ſtatim videbimus. Illud certè Bellarminus veteribus hæreticis tantùm accommodari affirmat, ac à ſuis Papicolis removet. Sed num ſatis ſit, non immeritò eos tanquam *Encratitarum, Manichæorum*, aliorumque antiquorum hæreticorum aliquatenus ſimiles hoc loco & dicto Apoſtoli notari, quia carnes & alias Dei creaturas interdum guſtare non audent, interdum ſuis ſacerdotibus exorcizandas & operosè benedicendas offerunt, quaſi aliquid in ipſis ſit immundum, aut quaſi ad legitimam earum ſumptionem, quæ ab omni peccato prorſus aliena ſit, privata bendictio per verbum & preces domeſticas, quas tamen ℣. 4. Apoſtolus commendat non ſufficiat, &c. Quæ certè in Papatu fieri ſolere conſtat.

3 Jejuniũ neceſſariũ eſſe, docent Papiſtæ.

Capite 6. 7. 8. 9. 10 de neceſſitate jejunii Eccleſiaſtici tractat. Et PRIMO quidem docet cap. 6. *jejunium in genere lege divina eſſe præceptum, ita ut pro re quadam neceſſaria, non pro adiaphora omnino habendum ſit.* Ac argumenta hæc affert potiſſima.

Cap. 6.

1. Joël 2. 12. 15. *imperat Deus* omnibus ſeriò pœnitentibus *jejunium* & fletum, &c. Et Math. 6. 16. 17. 18. non tantùm jejunandi modum, ſed & tacitam *legem* Chriſtus præſcribit, ſicut ibidem facit de *oratione & eleemoſyna*, &c. Et cap. 9. 15. prædicit *ſuos* aliquando *jejunaturos.* Ergo jejunium res neceſſariæ obſervationis eſt.

2. Patres idem docent: præſertim *Auguſt.* epiſt. 86. & *Leo* ſerm. 4. de jejunio decimi menſis, ubi etiam diſtinctè traditur, jejunium quidem in Scripturis eſſe præceptum, non tamen ipſa tempora jejunii, &c.

3. Ratio etiam ſuadet, ad evitanda quædam peccata, & reſiſtendum quibuſdam tentationibus, opus omnino eſſe jejunio: utpote ſine quo nec caro frenari, nec homo ſatis humiliari poſſit. Ergo interdum jejunare neceſſariũ eſt.

RESPONDEMUS: Fateri nos, *jejunia* quædam ſive *publica*, ſive *privata* in verbo Dei præcepta eſſe: ſed cum Auguſtino quoque id addimus, *certa jejunandi tempora, certóſque modos ac ritus in novo Teſtamento nuſquam imperari.* Et Tertullianus contra Pſychicos teſtatur: *Fideles ſui temporis liberè & ex propria voluntate jejunaſſe, abſque lege & præcepto, prout occaſiones & tempora ferebant.* Unde concludunt, *privata* quidem jejunia arbitrio & prudẽtiæ ſingulorum Chriſtianorum permittenda eſſe: ut quoties ſinguli ſibi neceſſe animadvertunt, ſponte ſua jejunent, & precibus extraordinariis incumbant: uti 1. Cor. 7. 5. eſt cernere. *Publica* verò jejunia toties ab his vel illis Eccleſiis inſtituantur, quoties aliqua neceſſitas ita poſtulat, prout exempla, Joh. 2. & Jonæ 3. Item, Act. 6. & 13. &c. occurrunt. Uque hæc tunc ab omnibus iſtarum Eccleſiarum membris accuratè obſerventur, exceptis ſemper excipiendis, uti conſtat.

Epiſt. 86. ad Caſulanum.

Deinde cap.7.8.9. tradit, *lege Eccleſiaſtica* obligari fideles ad certa quædam ſeu ſtata & fixa jejunia, ac ſpeciatim ad ciborum delectum illum, de quo ſuprà dixerit. Hocque negari quidem ab *Euſtathianis* & *Aërianis*, ac noſtri ſeculi hæreticis, ſed ſequentibus argumentis probari.

1. Jerem. 35. 6. & 8. laudantur Rechabitæ, quod ad præceptum parentis à vino perpetuo abſtinerent, &c. Multo magis igitur Eccleſiæ aliquid ſimile præcipienti obtemperandum eſt. Et proinde poteſt Eccleſia certas jejunandi leges præſcribere, &c.

2. Eſter 9.31. *Mardochæus* novum jejunium & feſtum inſtituit toto populo approbãte, &c. Ezech. 8.19. mentio fit jejuniorum, videlicet quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſis, quæ non fuerunt à Deo imperata, à populo tamen obſervata. Ergo idem fieri poteſt in Novo Teſtamento, &c.

3. Act. 15.20. Apoſtoli uſum quorũdam ciborum Chriſtianis ſui temporis interdicunt, atque iſti reverenter hanc legem ſuſcipiunt prout c.16. videre eſt. Ergo eadem modo Eccleſia hodie uſu quocunque ciborum interidcere poteſt.

4. Patres & concilia vetera grave peccatũ cẽſuerunt, ſi quis Eccleſiaſtica jejunia negligat, & contra ſentientem Aërium pro hæretico habuerunt, teſte Epiphanio hæreſ. 75. vide etiam Tertull. de jejunio, Hieron. ad Marcell. Chryſoſt. hom.6. ad Antioch. Ergo peccatum grave eſt etiam hodie Eccleſiaſtica jejunia negligere, &c.

5. Ratio etiam docet Eccleſiam inſtar matris liberis ſuis utilia præſcribere poſſe, eoque habere jus multa determinandi, quæ per ſe adiaphora ſunt.

Jejuniorum leges Papiſtica redarguuntur.

Respondemus: In hoc maximè unum, idque meritò reprehendimus? quod Eccleſiæ abſoluta quædam poteſtas aſcribitur ejuſmodi jejuniorum *leges* ferendi, quæ & delectum ciborum includant, & præterea quaſi dogmaticę, hoc eſt, generales & perpetuæ ſint, & cum opinione neceſſitatis (etiam extra caſum ſcandali & contẽptus) imò etiam cum opinione meriti ſeu cultus meritorii, obſervandæ. Hãc enim poteſtatem ipſa vera Eccleſia nec habet, nec ſciens unquam ſibi uſurpat Imò nec Apoſtoli unquam uſurpant: quippe cujus uſurpatio libertati Chriſtianæ prorſus contraria eſt. Nec deficimur argumentis, ſed ſex validiſſima habemus, quæ adverſus exceſſivæ hujus poteſtatis uſurpationem afferimus.

1. Apoſtolus Rom.14. item 1. Cor. 8. 8. & 10. apertè docet, *Chriſtianis nullum eſſe ciborum diſcrimen præſcriptum*. Et in gratiam quidẽ *infirmorum* (quales tunc erant plerique ex Judæis converſi) prudenter monet, aliquando ab aliquibus cibis abſtinendum eſſe. Sed extra hũc caſum, libera conſcientia, quibus vis cibis eſſe utendum. Et propterea diſertè docet: *Quicquid in macello venditur, vel nobis ab aliis apponitur, id ſine conſcientiæ hæſitatione commedendum eſſe*, modò abſit ſcandalum infirmorum. 1. Cor. 10. 25.

2. Idem Col. 2.16. docet, Chriſtianos non modo ab elementari legis diſciplina, ſed ab omnibus etiam hominum præceptis in cauſa religionis immunes eſſe & proinde non debere vel ciborum, vel dierum diſcrimen ab iis cum

cum opinione cultus aut neceſſitatis obſervari, &c. Ergo lex Papiſtica non eſt Apoſtolica.

3. Chriſtus ipſe Math.15.11.17.&c. docet, *id quod intrat per os, hominem non inquinare.* Et Luc.10.7. monet ſuos, *ut comedant, quæcunque ipſis appoſita fuerint.* Ergo voluit Chriſtianos eſſe liberos ab obſervando ciborum delectu, ac proinde contraria lex Antichriſtiana & hæretica cenſeri debet.

4. Idem Chriſtus Math.9.15. Mar. 2.19. Luc.5.35. rogatus, *cur diſcipili ſui non jejunarent?* Reſpondet quidem, eos aliquando jejunaturos, ſed ſua ſponte, ubi ſcilicet occaſionibus ad hoc invitati fuerint: non autem timore & neceſſitate præcepti: quod nimirum certa tempora, vel certum modum cum opinione cultus divini præſcribat. Ergo libertas jejunandi omnibus relinquenda eſt, & occaſionum huc invitantium ratio habenda: proinde contrariæ leges abrogandæ ſunt.

5. Adde, quòd Apoſtolus 1.Tim.4. 3 4. vocat *doctrinam dæmoniorum, ſi aliquis à certis cibis opinione religionis abſtinere jubeat.* Quod licet ad veteres hæreticos *Encratitas, Manichæos,* &c. qui perpetuam abſtinentiam à certis cibis requirebant, accomodetur, tamen quum generaliter dictum ſit de quibuſdam qui per hypocriſin & ſpeciem pietatis abſtinere jubent, haud immeritò etiam Adverſariis noſtris Papiſtis applicatur, quippe qui ſimiliter hac in parte ſeſe gerunt.

6. Adde etiam, quod apud veteres Chriſtianos jejunia libera, eoq; & diſſimilia fuerunt, teſte Irrenæo apud Euſeb. lib.5. hiſt.cap.24. Item quod ibidem cap.17. ex Apollonio refertur, *Montanum* hæreticum primũ fuiſſe, qui leges jejuniorum præſcripſit atque impoſuit. Item, quod ipſe Tertullianus in libro de jejunio planè *Montanianus*, eadem ferè in Orthodoxis tunc reprehendit, quæ nunc Papiſtæ in Euangelicis reprehendunt. Item, quòd *Spiridon* in ipſa Quadrageſima hoſpiti ſuo carnes edendas propoſuit, addito illo Pauli dicto, *Omnia munda mundis.* Denique quòd Auguſtinus Epiſt.86. ad Caſulomum fatetur. *Ego in Euangelicis & Apoſtolicis literis totoq; inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum novum animo id revolvẽs video præceptum eſſe jejunium, Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum.* Ex his omnibus apparet delectum ciborum & ſtata jejunandi tempora prorſus humanas inventiones eſſe & veteribus Chriſtianis diu ignotas fuiſſe.

Sozom. lib. 1. cap. 11.

Ad contraria Bellarmini argumenta reſpondemus. In 1. & 2. confundi tũ res politicas cum ſacris, tum ſtatum Veteris Teſtamenti cum ſtatu Novi Teſtamenti, atque ita quæſtionem veram non attingi, præſertim quum in illis Judæorum jejuniis nullus fuerit ciborum delectus, uti conſtat. In 3. contrarium potius probari dicimus. Nam & rationes Apoſtolorum & ipſa præcepti abrogatio, clarè docent, præceptũ illud fuiſſe temporarium, & extra caſum ſcandali & contemptus neminem per ſe in conſcientia obligaſſe. In 4. fallaciam eſſe ſecundùm quid, quatenus veterum dicta, etiam extra caſum ſcandali & contemptus, ad hanc cauſſam intempeſtivè extenduntur. Adhæc

Digitized by Google

Patrum hyperbolas pro regula jejuniorum perperam obtrudi. In 5. principiũ peti, quatenus agitur de determinatione authoritativa, & cujus obſervatio ſit conjuncta cum opinione neceſſitatis & cultus divini, imò etiam cum fiducia meriti &c. Noſtra verò argumenta quidem refellere tentat capite 8. & 9. at laterem lavat, & Æthiopẽ ſolum dealbat, ſuamque ſophiſticã prodit, ut periti ſacrarũ Scripturarum ac Patrum facilè animadvertunt, ac probare queunt.

Jejunandi neceſſitas, quos excipiat.

Tertiò docet, ab hac jejunandi lege ordinariè nullos Chriſtianos excipi, quantumvis ſanctos & perfectos: quum & Johannes Baptiſta, & Paulus, &c. jejunia obſervarint, Math. 11. 18. 1. Cor. 9. 4. & generalis finis hujus præcepti, videlicet charitas, etiam in iis locum habeat, qui fortè carnis edomatione non indigent, &c. Excipit autem eos, qui vel *impotentia*, ut ſunt ſenes, prægnãtes, ægroti, & pueri, vel *pietate*, ut ſunt concionatores, lectores, confeſſarii, &c. vel *neceſſitate*, ut ſunt fabri murarii, ferrarii, lignarii, aliique laborioſis operibus incumbentes, excuſantur.

In quo conſenſus noſter facilè aſſociatur: quatenus agitur de veris & publicis jejuniis, ab Eccleſia hac vel illa ob publicam neceſſitatem indictis: & quatenus abeſt opinio cultus & meriti, item neceſſitatis, extra caſum ſæpius jam dictum. Alioquin nulla hîc obligatio præciſa requiritur & agnoſcitur, ſi de Papiſtica jejunandi ratione, hoc eſt, de delectu ciborum atque dierum omnia intelligantur.

Beghardi perfectos à jejunio excipiunt.

Inſimulat hîc Bellarminus *Beghardos* hæreſeos, quia aſſeruerint, perfectos legibus jejuniorum non teneri. Nam & Clementina C. *Ad noſtrum*, lit. de hæreticis, damnantur, atque à multis aliis oppugnantur, qui hoc illorum dogma & alia reprehendunt. At juxta expoſitionem noſtram modò allatam, non hæreticè ſenſerunt, ſi eo modo ſuam ſententiam & intellexerunt & protulerunt. Si aliter ſenſiſſe dicuntur, credibile, in eos ab ipſorum hoſtibus fuiſſe confictum, ut & alia multa. Quamobrem permulti viri eximia doctrina & pietate ornati eorum defenſionem ſuſceperunt: ut eleganter ac ſolidè Rod. Hoſpinianus de origine Monachorum, lib. 6. cap. 32. fol. 274. 275. &c. deſcribit.

4 Jejunii Papiſtici finis & effectus.

Cap. 11. 12. & 13. de fine, fructu & effectu jejunii ſic in ſumma Bellarminus diſputat. Non ſolũ ad carnem ſubigendam & orationem excitandam, &c. ſed etiam ad Deum hoc opere colendum, & iram ejus placandum, item ad peccata redimendum, ſive pro peccatis ſatisfaciendum, ac præmium cœleſte vel terrenum promerendum, &c. plurimum valere. Et proinde Euangelicos hac in parte plurimum errare.

Pro priore fructus genere, quod extra controverſiam eſt, affert exempla *Pauli*, 1. Cor. 9. 27. *Moſis* Exod. 34 *Heliæ*, 1. Reg. 19. *Danielis*, cap. 10. & alia, nempe *Athanaſii* lib. de virginit, *Ambroſ.* lib. de Helia & jejunio, *Chryſoſt.* hom. 1. in Geneſ.

Pro poſteriore autem genere, quod ſolum in controverſia eſt, affert hæc argumenta.

1. Luc. 2. 27. dicitur *ſancta Anna* jejuniis

niis & precibus Deum coluiſſe. Et Rom.12.1. monet Apoſtolus,ut carnis cupiditates comprimamus (quod per jejunia fit) idque vocat cultum rationalem, &c. Ergo jejunium per ſe eſt cultus Dei,& quidem meritorius.

1.Sam.7.5.6. 2. *Iſraëlitæ* dicuntur jejunando Deũ ſibi placaſſe. Idem narratur de Achabo 1.Reg.21.29. De Ninevitis Jonæ 3. de Eſter & Judith, totoque populo Judæorum, Eſt. 4.16. Jud.4.7. Joëlis 2.inquit, monentur omnes peccatores *ſe convertere ad Deum in jejunio & fletu*, &c. Ergo jejunium eſt ſatisfactorium.

3. *Anna* 1.Sam.2. per jejunium impetrat filium Samuelem,&c. Et *David* 2.Sam.12. pro filiolo ſuo jejunat ,ut eum in vita conſervet,&c. Et *Tob.3.12. Sara* per hunc jejunii cultum liberabatur à dæmonio , &c. Et Chriſtus Math.17.21.docet,*eſſe quoddam genus damoniorrum,quod nonniſi per jejunium & orationem expelli poſſit.* Denique cap. 6. Math. rectè *jejunantibus mercedem cæleſtem promittit.* Ergo jejunium eſt coram Deo meritorium,ut beneficia Dei impetret.

4. *Patres* quoque docent, jejunia & ſatisfaciendi & promerendi vim habere: ut *Tertullianus* de jejunio. *Cyprianus* ſerm.de lapſu, *Ambroſius* epiſt 82. Item de Helia & Jejunio. *Baſilius* orat. 1.de jejunio : *Auguſtinus* ſerm.60. & 62. de tempore. Denique *Hieron.* lib. 2. contra Jovinianum ex profeſſo hoc agit, & JOVINIANUM *merita jejunii extenuantem*, pro HÆRETICO traducit. Ergo contra Eccleſiam ſentiunt, qui ſatisfactiones & merita jejuniorum non agnoſcunt. Hæc ille hactenus.

In hac quarta theſi aſſentiuntur Euangelici ex parte,quatenus nempe ipſi quoque agnoſcunt, non paucos eſſe veri jejunii *fructus ſalutares* :tum IMMEDIATOS, puta carnis ſublationem,& animi præparationem ad ardentius precandum , &c.tum MEDIATOS, puta humiliationem noſtri coram Deo pœnitentiam , preces, &c. quos etiam doctè Rod. Gualtherus homilia in Math. 32.& 96. ac 97.recenſet & prædicat. *Jejunii effectus fictitii refelluntur.*

Sed jejunium tamen ipſum *per ſe* atque *immediatè* conſideratum, eſſe ſpeciem divini cultus,aut jejunando nos pro peccatis ſatis facere, aut veniam peccatorum ac ſalutem coram Deo verè promereri poſſe,&c. id verò conſtanter negant, imò hos fructus jejunii planè fictitios eſſe affirmant.

1. Enim Iſa.58.6. inquit Deus *ſibi jejunium illud non placere, quo anima tantùm affligitur, ſed opera charitatis ac juſtitiæ potiſſimum à ſe requiri.* Et ſimiles ſententiæ occurrunt Jerem.14.12. Joël 2.12.13.& Zach.6.7. Rom.14.17. 1.Cor.8.8. Unde apparet, præceptum illud de jejunio ſolenni & publico Levit.16.& 23.ceremoniale fuiſſe,non morale,& proinde jejunium *per ſe* non eſſe cultum Dei moralem,nedum coram Deo eſſe ſatisfactorium ,aut meritorium æternæ ſalutis.

2. Luc.18.12.Phariſæus allegans ſua jejunia velut meritoria nō juſtificatur, &c.Et Math.6.16.17.18. Hypocritæ ſuis jejuniis nihil mereri dicuntur. Et cap. 9.15.negat Chriſtus jejunium à quibusvis & quovis tempore celebrandum eſſe. Ergo jejunare per ſe non eſt cultus Dei moralis,nedum meritorius.

3. Apo-

Digitized by Google

3. Apoſtolus Col. 2.21.22.23. inter ἐθελοθρησκείας ſeu cultus electitios refert, ſi quis per ἀφειδίαν, hoc eſt, inediã & abſtinentiam ciborum Deum ſibi demereri velit. Et 1. Tim. 4.8. generatim opponit pietati veræ *corporalẽ exercitationem*, iſtamque parum utilem eſſe docet, quo nomine & ſimiles corporis diſciplinas potiſſimum intelligit, prout Ambroſius annotat. Ergo externum jejunium non eſt meritorius cultus.

4. Adde, quod Tertullianus apertè Mõtanizans in lib. de jejunio ait xerophagiam eſſe utilem ad gratiam merendum, ad Deum placandum, &c. Contrà verò orthodoxos inducit omnino reclamantes, & inter alia ſibi objicientes hæc Scripturæ dicta Iſa. 58. 5. *Non hoc eſt jejunium quod elegi*, &c. Et Math. 15. 11. Quod intrat per os, non inquinat hominem. Et Rom. 14. 27. 1.
Sozom 3. cap. 13. Cor. 8.8. *Regnum Dei non conſiſtit in cibo & potu, &c.* Item: *Eſca non commendat nos Deo*, &c. Adhæc *Euſtatius* hæreticus in concilio Gangrenſi damnatus eſt, quũ declaraſſet, ſe non contumaciæ gratia, ſed *cultus erga Deum cauſſa* abſtinentiam à quibuſdam cibis inſtituiſſe. Quod &
30. in Fauſtum. ipſummet concilium in præfatione innuit. Præterea Auguſt. refellit *Manichæos* hæreticos, quod apud eos in magno honore haberentur, qui à certis cibis abſtinebant in cultum divinum. Unde apparet, Papiſtas hac in parte Montanizare & Euſtatianos atq; Manichæos & hæreticos ſequi; Nos verò cum orthodoxis & catholicis ſentire.

Ad argumenta contraria RESPONDEMUS: In 1. partim fallaciam figuræ dictionis eſſe quod attinet ad locum Luc. 2. 37. partim principium peti, quo ad locum Rom. 12 3. quia neque *illic* jejunium *per ſe* cultus Dei vocatur, neque *hîc* quicquam de jejunio propriè dicto agitur. In 2. & 3. dicta Scripturæ per ſimiles Paralogiſmos depravari: quia nuſquam in his ulla mentio fit vel *placationis Dei*, propriè dictæ, vel, *ſatisfactionis veræ pro peccatis*, vel *meriti* coram Deo; ſed ſimplex tantùm *liberatio* ab aliquo malo, vel impetratio alicujus boni, tanquam optatus eventus, non quidem ſolius externi jejunii ſed totius pœnitentiæ & piarum precum & humiliationis coram Deo, exponitur. In 4 Patrum ἀκυρολογίας & improprias phraſes in proprias malè converti, ſeu pro forma rectè judicanda non rectè nobis obtrudi; præſertim cùm illi paſſim verba ſatis faciendi & merẽdi largo quodam modo, ut pote nullum abuſum cogitantes & metuentes, uſurparint, & melius haud dubiè ſenſerint, quàm locuti ſint ſicut ſuis locis obiter oſtendimus. In ſumma, nec meritum nec ſatisfactionem propriè dictam, jejunio externo uſpiam Scriptura ſacra tribuit.

Capite 14.15.16.17.18.19.20.21.22. Jejunii ſpecies vel
23. diſſerit Bellarminus de variis jeju- tempora
nandi temporibus, ſeu potius de ſex quot ſint.
ſpeciebus Eccleſiaſtici jejunii. Eæ ſunt *Quadrageſima, hebdomadarium jejunium videlicet, quarta & ſexta feria ac ſabbathi, menſtruum jejunium vel quatuor temporum jejunium Adventus & Rogationum, jejuniũ Vigiliarum & Stationum, &c.*

PRIMUM cap. 14.15.& 16. de jeju- 1.
nium *Quadrageſima*, quod ſic vocant, Quadrageſima jejuniũ
TRIA docet. Unum cap. 14. quod qua- Papiſticũ.
tuor præcipuè argumentis evincere conatur, *fuiſſe id ab ipſis Apoſtolis inſtitutũ*, non

non à Teleſphoro aut aliis Epiſcopis Romanis; eoque neceſſariò nobis obſervandum eſſe. Hocque ita ſe habere ait.

1. Quia in *Apoſtolorum Canone* 67. id expreſſè dicitur & hi canones verè Apoſtolici eſſe creduntur.

2. Quia *Hieronymus* ad Marcellam & Leo 1. Serm. 6. & 9. de Quadrageſima idem teſtantur; ita ut pro ſententia totius antiquæ Eccleſiæ meritò haberi debeat.

3. Quia hoc jejunium hactenus ab univerſa Eccleſia obſervatur, nec tamẽ in ullo Concilio inſtitutum fuiſſe legitur. Eoque juxta regulam Auguſtini epiſt. 118. ab Apoſtolis ordinatum eſſe, & porrò neceſſariò ſervandum rectè traditur.

4. Adde, quod hujus jejunii ab antiquiſſimis patribus mentio fit: Videlicet ab *Irenæo*, apud Euſebium lib. 5. hiſt. cap. 24. ab *Origene* homil. 10. in Levit. à *Tertulliano* lib. de Jejunio, ab *Hieronymo* in Iſa. 58. & in 3. Jonæ, *à Baſilio* orat. 2. de Jejunio, ab *Ambroſio* lib. de Noe & arca cap. 13. ac ſerm. 23. & ſeqq. à *Nazianz*. orat. in S. lavacrum, à *Nyſſeno* orat. de amandis pauperibus, ab *Athanaſio* epiſt. ad orthodoxos de perſequut. ab *Auguſtino* epiſt. 119. cap. 15. & in Pſalm. 110. ab *Epiphanio* in compendiaria doctrina, denique à *Chryſoſtomo* homilia 1. in Geneſ. & 18. ad populum Antiochenum, &c. Item à Concilio Niceno can. 5. & Laodiceno can. 49. & paſſim alibi.

Quadrageſima varietas. *Alterum* cap. 15. eſt, aliquam fuiſſe apud veteres in obſervanda quadrageſima varietatem: ſed tamen in ipſo 40. dierum numero conſenſum fuiſſe. Nempe, quia alii continuas ſeptimanas jejunarent: alii Sabbathum & diẽ Dominicum, exciperent: quos tamen adjectis inde quadrageſimam aliis diebus, ſuppleteẽt, &c. Id quod ex locis ſupra citatis, & præterea ex Ambroſio ſerm. 23. & Johan. ſerm. 4. de quadrageſima & aliis demonſtratur.

Tertium eſt cap. 16. RATIONEM ſeu cauſſam inſtituendæ quadrageſimæ variam fuiſſe: *tum*, ut communis quædam pœnitentia ſit pro expiandis totius anni erratis: *tum*, ut populus ad dignam communionem in feſto Paſchæ celebrandam, itemque feriam paſſionis & reſurrectionis Chriſti meditationem inſtituendam præpararetur; *tum*, ut hac ratione velut decimas vitæ noſtræ Deo offeramus, prout decima pars totius anni circiter 40. dies efficit: *tum* denique, ut Chriſti jejunium & paſſionem, quatenus licet, imitando exprimamus. Atque hanc poſtremam rationem à ſuſpicione *κακοζηλίας* contra CALVINUM aſſerit, citando pro ea aliquot Patrum teſtimonia, &c. Addit etiam, tempus vernum huic adeò jejunio aptiſſimum eſſe propter phyſicas & politicas commoditates, &c. quarum aliquot iſta occaſione recenſet. *Quadrageſima ratio & cauſſa.*

DEINDE agit cap. 17. de jejunio *quarta & ſexta feria*, ac 18. de jejunio diei Sabbathi, quod hebdomadarium dicitur. Ac illius quidem utriuſque ait, crebram fieri apud veteres mentionẽ. Cujus etiam ratio ſit, ipſa paſſionis dominicæ commemoratio, quum DOMINUS feria *quarta* proditus & captus, *ſexta* autem crucifixus ſit. Addit tamen, in Latina Eccleſia jejunium II. *Hebdomadarium jejunium Papiſticũ.*

propriè STATIO fuerit *Vigilia diurna tempore ſolennis jejunii*, quum iidem homines à ſummo manè uſque ad nonam, aut veſperas in oratione perſeverarent, nec ante jejunium ſolverent: auctore Iſidoro 6. etymolog. ult. Rabano 2. de Inſtit. Cleric. Tertulliano, de jejunio, &c. Ac *diſtingui* ait *Stationem à jejunio*: quòd *jejunium* noctu & interdiu fieri poſſit: *Statio* verò diu, ut colligatur ex Tertull. lib. de fuga in perſequutione. Porrò Gregorium I. Stationibus attribuiſſe certa loca Romæ: ipſumque ad ea venientem tempore Stationum, viginti Homilias in variis Eccleſiis declamaſſe: ut referat Paulus Diaconus in Gregorio lib. 2. cap. 18. & lib. 4. cap. 74. Ac fortè etiam primum Gregor. Stationes à jejunio ſeparaſſe: & Dominicis Adventus, Quadrageſimæ & Reſurrectionis fieri voluiſſe, &c. In ſumma docet, STATIONES olim fuiſſe diurnas publicè precantium, & eodem loco permanentium, VIGILIAS cum jejunio ſemper conjunctas. Nunc autem ab aliis atque aliis ſucceſſivè celebrari, idque tam jejunorum quam Feſtis diebus, & tam poſt, quàm ante cibum ſumptum, &c. Quæ differentia, ſeu mutatio, nobis bene notanda eſt.

VII. *Jejunia, quibus diebus vacationem habeant.*

Cap. 23. de diebus, quibus jejunare non licet, verba facit. Videlicet vacationem à jejuniis eſſe per omnes Dominicas: in die Natalis Domini: & toto tempore à Paſcha uſque ad Pẽtecoſten. Idque tum ob celebritatem iſtorum dierum, tum propter odium veterum quorundam hæreticorum, qui hiſce diebus jejunabant. Quâ auctoritate hoc dicit? Tum Tertulliani de corona militis, qui ſcribat: *Die Dominico jejunare nefas ducimus*: Tum Ambroſii dicentis: *Dominica jejunare non poſſumus, quia Manichæos etiam ob iſtius diei jejunia jure damnamus*: Tum denique Hilarii præfat. in Pſalmos, & Epiphanii in Anacephalæoſi, &c. Vel compendiariâ doctrinâ.

Epiſt. 83.

Addit tamen: Hæc autem prohibitio non ſe extendit, niſi ad eos, qui vel ſuperſtitione, vel errore, vel contemptu Eccleſiæ, vel dignum ſcandalo jejunant. Quare licet jejunare alioquin his diebus ex devotione aut voto.

Tandem capite 24. & ultimo fraudes Chemnitii in hiſtoria antiquitatis recitat & redarguit. Hæc Bellarm. At quum unas partes audiveris Lector, jam alteras cognoſce.

RESPONDEMUS: In hac parte non pauca nec immeritò Euangelici reprehendunt. Nam & falſò quædam hîc afferuntur, & variæ veterum Traditiones parùm ſolidè conciliantur: denique rationes quædam ſatis ineptæ pro recepta praxi afferuntur. *Solutio.*

Falſum enim eſt, Apoſtolos inſtituiſſe jejunium Quadrageſimæ, aut quatuor temporum, aut ullum denique aliud ſtatum ac ſolenne jejunium, quo quidem modo nunc ea obſervari ſolent. Nam ut hæc falſa eſſe affirmemus, quatuor his argumentis ducimur.

1. Quia ex Rom. 14. item Coloſſ. 2. Gal. 4. &c. ſatis patet, Apoſtolos & ciborum & dierum diſcrimen tanquam Judaicum & in novo Teſtamento ſuperſtitioſum, penitus improbaſſe: & jejunia libertati ac prudentiæ Chriſtianorum, eo nimirum modo, quem ſuprà initio hujus tractationis de jejunio expoſuimus, permiſiſſe.

2. Auguſtinus epiſt. 86. apertè fatetur, Apoſtolos nihil de eo definiviſſe, quibus diebus oporteat jejunare, &c. Et Socrates ſimiliter lib. 5. hiſt. cap. 21. docet, Apoſtolos de Feſtis & jejuniis nihil præcepiſſe, ſed voluiſſe hæc libera manere, &c.

3. Tanta fuit quoque olim varietas circa hæc jejunia, ut ſatis appareat, à diverſis hominibus hac vel illa ratione impulſis, introducta fuiſſe. Nam & Adverſarius ipſe fatetur, aliquam hîc varietatem olim fuiſſe. Et hiſtoriæ teſtantur, longè majorem fuiſſe, quàm ipſe fateatur, &c. Nam Socrates loco citato docet, alios etiam tres tantùm ſeptimanas ante Paſcha, alios ſex, alios ſeptem jejunaſſe, &c. Et Irenæus apud Euſebium ait lib. 5. hiſtor. cap. 24. alios uno, alios duobus, alios pluribus diebus hoc jejunium definiviſſe. Et idem Irenæus Victorem Epiſcopum Romanum reprehendit, quod ob iſtarum rerum diſſonantiam Aſiaticas Eccleſias excommunicare præſumeret. Et Caſſianus collat. 21. cap. 30. narrat, *olim per totum annum æquale fuiſſe jejunium: deinde frigeſcente paulatim devotione, placuiſſe Sacerdotibus ut Quadrageſima jejunium induceretur*. Et de jejunio *feriæ quartæ & Sabbath. item quatuor angariarum, Adventus, Rogationum, Vigiliarum ac Stationum*, res ipſa loquitur & teſtatur, arbitrio hominum inſtitutum & mutatum fuiſſe: quod etiam Adverſarius ipſe fatetur.

Hilarius epiſt. ad Euſtach. ſimile quid ait.

4. Accedit iterum, quòd *Montanus* dicitur primus leges jejuniorum tuliſſe: quodque *Tertullianus* in libro de jejunio ſui temporis Orthodoxos, pro libertate jejuniorum contra Montanum pugnantes inducit. Item, quòd *Teleſphorus, Caliſtus* & alii Pontifices apud Platinam atque alios, multa hîc conſtituiſſe dicuntur, &c. Quæ certè non ab Apoſtolis, ſed aliunde morem hunc manaſſe demonſtrant.

Euſeb. lib. 5. cap. 17.

Neq; verò hîc contraria argumenta quicquam firmitatis habent. Nam Canones quidem Apoſtolorum Apocryphi ſunt, ipſo Gratiano teſte, &c. Patres autem inter ſe diſſentiunt, uti vidimus: & ſolenne ipſis eſt, ad Apoſtolos auctores referre. Neque illos Bellarminus aliter conciliare non poteſt, niſi apertiſſimas hiſtorias negando. Quod autem obiter ex Actis 27. de tempore jejunii affertur, omnino pertinet ad jejunium Judæorum, prout circumſtantiæ illius loci evincunt. Atque idem de loco Zachariæ 8. judicandum eſt. Ita ut nihil ex ſacra Scriptura, aut certis veterum ſcriptis, pro Adverſariis adferri poſſit. *Epiſt. 15.*

Poſtremò, quod ad rationes ſeu cauſſas horum jejuniorum attinet, quis nõ videt, quàm frigidæ pleræque ſint & parum firmæ? Imò quàm facilè ſit ejuſmodi ratiunculas de quovis, ſeu cujuſvis temporis jejunio comminiſci? Nullus enim dies eſt, in toto anno, quo nõ aliquid memorabile à Chriſto, vel Apoſtolis ſit dictum aut geſtum: & proinde cujus myſterium eo uſque non poſſit amplificari, ut jejunio eum celebrandum eſſe, ſaltem imperitis ac ſuperſtitioſis appareat. Quin potiùs, quia pleriſq; iſtis diebus res ad noſtram redemptionem ſpectantes Chriſtus obivit, præſtat iis lætari & Deo ſolenniter gratias agere, quàm jejunare ac ſe macerare. Notandumque illud attentiſſimè venit, quòd Adverſarius admodum

Digitized by Google

dum inconſtanter argumentatur: modò videlicet pro, modò contra jejunium, hoc vel illo die celebrandum: ſicut ex collatione rationum, pro jejunio hebdomadario & quatuor temporum ab ipſo allatarum, apparet.

Calvinus Centuriatores & Chemnitius ob negatam quadrageſimam falsò hæretici dicuntur.

Malè igitur dicit cap. 14. eſſe opinionem hæreticorum, dicentem: *Quadrageſimam poſt Apoſtolos ortam fuiſſe*, ac citat Calvinum 4. Inſtitut. 12. §. 20. Magdeburgenſes Cent. 1. lib. 10. c. 10. c d. 577. Chemnit. 4. part. Exam. pag. 581. Id enim non ab hæreticis, ſed ab Orthodoxis è Scriptoribus ac hiſtoriis Eccleſiaſticis probatur. Annon Irenæus apud Euſebium lib. 5. cap. 26. dicit: Quadrageſimam eſſe *συνήθειαν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν*, id eſt, *conſuetudinem ex ſimplicitate & privato quodam inſtituto*?

Annon *jejunium Sabbathi* ab Apoſtolico Canone & ab Ignatio epiſtola ad Philadelphienſes penitus prohibetur? Imò annon ibi dicitur *Chriſti interfector, qui Dominica aut Sabbatho jejunaverit*? Hoc tamen jam obſervat Eccleſia Romana. Et qui, obſecro, hæc, quæ Micrologus, Hieronymus & Methodius ſcribunt, conciliari poterunt? Nam Micrologus de obſervat. Eccleſ. cap. 25. ait: *Montaniſtæ tres jejunabant quadrageſimas in anno.* Hieronymus epiſtola 54 ad Marcellam: *Nos unam*, inquit, *Quadrageſimam, ſecundùm traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo, jejunamus.* Methodius autem Conſtantinopolitanus dicit: *Duas Quadrageſimas jejunent vacantes orationibus.* Num tantam varietatem & diverſitatem ab Apoſtolis profectam, dicemus, qui Spiritum ſanctiſſimæ & certiſſimæ *συμφωνίας* ac conſenſionis habuere? Optimè ergo rem acu tetigit, tum *Amalarius*, qui negat poſſe authorem Quadrageſimæ indicari: tum *Caſſianus*, qui ait, *in primitiva Eccleſia æquale fuiſſe jejunium per totum annum. Deinde frigeſcente devotione, cùm negligerentur jejunia, à Sacerdotib. indictam Quadrageſimam*: ut ſuprà annotatũ.

Lib. 1. c. 5. Collat. 21. cap. 30.

Jejuniorum doctrina compendioſa.

Ut concludamus: Etſi Bellarminus contra Chemnitium cap. 24. argumento Chemnitii quinto aſſerat, *Aërium quidem & Euſtathium in quibuſdam diſſentire, ſed utrumque ſtata jejunia oppugnare*, quum Epiphanius, qui poſt tempora Aërii vixit, meliùs quàm Chemnitius noverit Aërii hæreſin, ac proinde utrumque etiam hæreticum eſſe: tamen verum eſt Chemnitii argumentum, nempe *Aërium improbando ſtata jejunia, non tam Eccleſiæ, quàm Euſtathii leges jejuniorum oppugnaſſe.* Et quamvis Aërius ſic ſtata jejunia oppugnaverit, nosque Euãgelici eadem ac omnia ſuperſtitioſa jejunia oppugnemus: tamen vi rerum & argumentorum hactenus à nobis contra Papiſticum jejunium allatorum, nec Aërius, nec nos Euangelici in eo hæretici ſumus, aut hæreſeos ullo modo convinci poſſumus.

Summa enim eſt doctrinæ de jejunio: Jejunia quidem Chriſtianis minimè negligenda, ſed & privatim & publicè celebranda: nec tamen certis temporibus in perpetuum alliganda eſſe: nec ſuperſtitioſo ciborum delectu, ſed TOTALI CIBORUM ABSTINENTIA propriè definienda eſſe: nec intentione meriti, aut ſatisfactionis coram Deo: ſed conſilio tantùm propriæ carnis edomandæ, & nos ipſos eò meliùs humiliandi, item ad preces excitandi, &c. ſuſcipienda eſſe. Hoc e-

Iii 3 nim

Digitized by Google

nim pium & religioni Chriſtianæ conſentaneum jejunium eſt, quum illud Judaicum & planè ſuperſtitioſum, ac ferè omnino verbo Dei contrarium ſit. Amplius autem legi poteſt Guilielmi Perkinſi tum Catholicus reformatus controverſia 12. de Jejunio, à pag. 270. uſque ad 383. tum Problema de ementito Catholiciſmo à pag 255. uſque ad pag 266. atque etiam Chemnitii pars 4. Examinis, ubi contra Bellarmini calumniam in eum cap. 24. libri de jejunio anſam, antiquitatis hiſtoriam de origine & progreſſu jejuniorum abſque fraude profert. Ac ita hactenus duos articulos Aërii de ſuffragiis pro mortuis non faciendis, deque jejuniis ſtatis non celebrandis, minimè eſſe hæreticos docuimus.

De differentia inter Epiſcopum & Presbyterum.

3. *Differentiã inter Epiſcopum & Presbyterũ negando. nec Aërius, nec Euangelici ſunt hæretici.*

Aërianæ hæreſeos *tertium* articulum eſſe dicit, *quòd ſtatuerit Aërius nullam differentiam inter Epiſcopum & Presbyterum eſſe*; ac proinde Euangelicos hodiernos idem ſentientes, cum illo hæreſeos notâ ſordere. Sed primò ſummatim & Aërii & Euangelicorum ſententiam de diſcrimine Epiſcopi ac Preſbyteri explicabimus: deinde eam copioſiùs cum contrariis Bellarmini argumentis excutiemus & illuſtrabimus: unde neque illum, neque nos in hac ſententia hæreticos eſſe, etiam palam fiet.

Bellarminus de notis Eccleſiæ. cap. 9.

Accuſationis caput eſt apud Bellarminum: *Aërius hæreticus ordinis differentiam negabat eſſe jure divino, idem Proteſtãtes* vel Euangelici. Qui docent & ſentiunt, *Epiſcoporum, Presbyterorum ac Miniſtrorum eadem functio & provincia eſt*: nimirum divino, ac non humano inſtituto. Itaque tollenda æquivocatio. Nam Epiſcopi ex Scriptura ſacra & Preſbyteri iidem ſunt: ut mox prolixius docebimus. Sic Preſbyter de Epiſcopo non differt, & Epiſcopus non eſt πρεσβυτέρȣ διαφορώτερος, quod dicebat Aërius. Poſtquam verò in priſca Eccleſia humano inſtituto facti ſunt Epiſcopi, qui Preſbyterio cauſſa ordinis præeſſent, diſtincta fuit illorum functio; quòd Aërius præfractè evertebat. Hos autem nos Euangelici non adeò præciſè ſimpliciterque negamus: ſed Pontificium iſtum faſtuoſumque Epiſcopatum ac præſulatum & quicquid in Eccleſia τὴν φιλοπρωτείαν, id eſt, ambitionem præſidendi aliis ſapitâ ſervis Dei alieniſſimam, improbamus. *Phil. 1. 1. Act. 20. 17. 28. Tit. 1. 5. 6. 7.*

Quòd igitur Epiphanius & Auguſtinus inter hæreſes numerarunt opinionem Aërii, qui inter Epiſcopum & Preſbyterum nullum diſcrimen eſſe ſtatuit, profectò non magis jure fecerunt, quàm quòd puriores ejus ſententias, nempe *non orandum & offerendum pro mortuis, & certos jejuniorum dies haud conſtituẽdos*, inter hæreſes recenſuerunt. Nam (ut etiam ſuprà capite hujus libri 24. ubi actum de odio Donatiſtarum in Epiſcopos ac Monachos, expoſuimus) nullum eſt diſcrimen imparitatis inter Paſtores vel Eccleſiæ Miniſtros omnes, quoad ipſam paſtoralem functionem, & ipſum Eccleſiæ Miniſterium, quaod in prædicando verbũ Dei, Sacramenta adminiſtrando, & diſciplinam regendo conſiſtit. Hoc diſcitur ex *Paulo*, cui iidem ſunt Preſbyteri & Epiſcopi, ac *Petro* 1. Epiſt. 5. 2. Confirmatur ab Hieronymo in Epiſtola ad Nepo- *Phil. 1. 1. Act. 20. 17. 28. Tit. 1. 5. 7.*

Digitized by Google

Nepotianum & Euagriũ, in qua dicit: *Apud veteres idem Epiſcopi & Presbyteri fuerunt,*

Ibid. ad Nepot. & Euag.

Unde ergo & quando tandem differentia inter Epiſcopum & Presbyterum enata? Addit hoc Hieronymus, pergens. *Quod autem unus poſt electus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis factum eſt remedium, ne unusquiſque ad ſe Chriſtum trahens, Eccleſiam rumperet. Et ne,* ut ait Ambroſius, *primatu ordinis ad ſingulos Paſtores per vices perveniente, ut initio fiebat fieret, ut indigni interdum præeſſent.* Ergo quod hinc factum dicit Hieronymus, ut unus de Presbyteris & Epiſcopis functione ac miniſterio æqualibus electus, cæteris ſuperponeretur, ad quẽ omnis cura Eccleſiæ pertineret & Presbyteros quidem Epiſcopo ſibi præpoſito ſubjectos, Epiſcopos verò Presbyteris eſſe præfectos & majores, non ex Eccleſiæ conſuetudine: id ad honoris primi loci dignitatem, & regendæ actionis authoritatem, non autem ad ullum imparitatis vel inæqualitatis in officio Eccleſiaſtico concionandi, Sacramenta adminiſtrandi & diſciplinam gubernandi modum, nedum ad imperii in ſuos Compresbyteros gradum referendum eſt. Hæc eſt ſumma noſtræ Euangelicæ ſententiæ, qua ab hæreſi purgamur.

Diſtinctio Epiſcopi & Presbyteri nulla eſt eſſentialis reſpectu miniſterii ſacri.

Cæterum Papiſtæ ſentiunt, eſſe tantam inter Epiſcopum & Presbyterum diſtinctionem, ut aliqua ſi Epiſcopi in Presbyteros authoritas, & hi illi ut judici ac ſuperiori ſunt ſubditi Bell. lib. 1. de mẽb. Eccleſ. mil. c. 14. De Euangelicis autem ac Aërianis clamat Gregorius Valentianus Tom. 4. diſp. 9. q. 1. punct. 2. *Ajunt Proteſtantes Epiſcopum & Presbyterũ nulla differentia debere diſcerni.* Ac rurſum Bellarminus l. 1. de Membris Eccleſiæ ſimilantis, cap. 14. dicit: *Hæretici, ut Aërius hæreſ. 75. apud Epiphan. Wiclef. apud Waldũ 2. doct. art. 3. cap. 6. Calvinus 4 Inſtit. 4. § 2. Chemnitius in Examine Concilii Trid. ad ſeſſ 33 nullam inter Epiſcopum & presbyterum diſtinctionem agnoſcunt.* Ac Caſpar Scoppius in Epiſtola ad Theophilum Rihelium, qua eum fruſtra ad Apoſtaſiam ſollicitavit, de Euangelicis ſcribit, *Ajunt inter Epiſcopum & Presbyterum non eſſe diſcrimen. Eandem hæreſin docuit Aërius teſtibus Epiphanio & Auguſtino.* Hæc Papiſtæ tam odioſè crepãt, ut omnino Euangelicos alicujus hæreſeos hac in ſententia Aëriana ſuſpectos faciant, vel reos eſſe rudibus atque imperitis perſuadeant: Neceſſe igitur eſt, ut noſtram ſententiam jam plenius exponamus & comprobemus: poſtremò etiam Adverſariorum argumenta ventilemus & refellamus.

Quod ad hanc diſtinctionem inter Epiſcopum & Presbyterum attinet, fatemur quidem unum aliquem primarium paſtorem ordinis & regiminis cauſſa in quolibet collegio, reliquis velut ſive *Epiſcopum*, id eſt, Speculatorem. Inſpectorem & vigilem, vel, ut vulgo loquuntur, *Superintendentem*, præponi poſſe. Fatetur id de Euangelicis etiam Papiſta Valentinianus, ſcribens *Certè (præter Anabaptiſtas, qui Scripturas ut rem non neceſſariam abjiciunt, atque contemnunt* OMNES *Proteſtantes (hos vocat* Sectarios *admittunt* TRES *ſaltem Miniſtrorum* GRADUS, *nempe* EPISCOPORUM, *quos vocant Paſtores, Superintendentes, ut habeãt curam Eccleſiaſticæ diſciplinæ: &* PRÆSBYTERORUM, *quos vocant Miniſtros verbi*

Loco præ § que

Digitized by Google

verbi & Sacramentorum, ac DIACONORUM, *qui Superintendentibus & Paſtoribus navant operam in adminiſtratione Sacramentorum & officiis aliis.*

Negamus tamen, reſpectu ipſius officii ſeu miniſterii ſacri verum & eſſentiale aliquod diſcrimen inter Epiſcopum & *Presbyterum* eſſe. Pro qua ſententia licet jam antea rationes aliquot in medium protulerimus; tamen & eaſdem firmiùs repetere ac ſtabilire, & plura iiſdem addere poſſumus.

Nam 1. in ſacra Scriptura Novi Teſtamenti *Presbyteri & Epiſcopi* pro iiſdē indifferenter multis locis accipiuntur. Exempli gratia, Act. 20. 17. ſcribitur, Paulū Apoſtolū accerſiviſſe ad ſe *Presbyteros Eccleſiæ*, ut iis valediceret. Poſtea verò eoſdem ſui officii admonens, ait: *Attendite igitur vobis ipſis, & toti gregi, in quo vos Spiritus ſanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendum Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſuo illo ſanguine.* (*Verſu 28.*) Vidéſne unos & eoſdem modò Preſbyteros, modò Epiſcopos nuncupari? Sic Philip. 1. 1. ſalutem dicit Apoſtolus *omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, unà cum Epiſcopis ac Diaconis.* Omittit verò Preſbyteros. At quum multos Epiſcopos unâ in urbe nominet, ubi exigua adhuc erat Eccleſia, credibile eſt, & non ſine ratione colligitur, eum per Epiſcopos intelligere Preſbyteros. Præterea in epiſt. ad Titum 1. cap. ℣. 5. ſcribit: *Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ reliqua ſunt corrigas, & conſtituas oppidatim Presbyteros.* Mox autem ℣. 6. Preſbyterorum quemque ordinandum ac conſtituendum deſcribens, addens ℣. 7. *Oportet enim Epiſcopum inculpatum eſſe, tanquam Dei diſpenſatorem, &c.* Unde clarè colligitur, Apoſtolum illum vocare *Epiſcopum*, quem priùs *presbyterum* appellavit. Et ſic intelligit atque interpretatur ſanctus Hieronymus, qui in ſuo ad illam epiſtolā, huncq; ipſum locum Commentario ait: *Olim idem erat Presbyter, qui & Epiſcopus. Et antequam diaboli inſtinctu ſtudia vel ſchiſmata in religione fierent, & diceretur in populis; Ego ſum Pauli, ego ſum Apollo, ego autem Cephæ:* (*1. Cor 1. 12*) *communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris ſuperponeretur omnibus, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Ac paulò poſt: *Sicut ergo*, inquit, *Presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos: ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quàm diſpenſationis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in communi debere Eccleſiam regere.* Hæc Hieronymus. Quis ergo non videt, ut æquipollentia vocabulorum preſbyteri & Epiſcopi tam Act. 20. 17. & 28. quàm Tit. 1 ℣. 5. & 7. ac Philip. 1. 1. ſit perſpicua, præſertim ubi uni Eccleſiæ vel civitati plures ſimul Epiſcopi attribuuntur: ſic preſbyterorum atque Epiſcoporum functionem & provinciam unam & eandem eſſe inſtituto divino, humano autem diſparem? Rurſus itaque moneo, hîc removendam eſſe æquivocationem ac homonymiam. Nam ſi argumentemur: *Quos Eccleſia hodie differre vult, eorum alius alio major eſt. At Eccleſia hodie vult Epiſcopum à Presbytero differre. Ergo Epiſcopus Presbytero major eſt*, ex homonymia vel æquivocatione fit vitium ac fallacia in minore & concluſione. Quos enim Eccleſia

cleſia Romana hodie differre vult Epiſcopos & Presbyteros authoritate, poteſtate & functione, eadem ſignificatione & ratione non vult differre ſacra Scriptura. Adhæc, quilibet æquus lector comparet Epiſcopos Papales cum Epiſcopis Epheſinis & Cretenſibus, & Philippenſibus, ac videbit inter hos & illos præter inane nomen non plus ſimilitudinis eſſe, quàm inter ſecularem principem & miniſtrum Eccleſiæ. Nam illi Euangelium purè & ſimpliciter, integra ac ſimplici vita, una eademque opera & uno eodemque modo prædicarunt, & Sacramenta adminiſtrarunt. At Epiſcopi Papales neque prædicant Euangelium, neque Eccleſiam paſcunt, & Sacramenta adminiſtrant, neque id ſui muneris eſſe exiſtimant. Quin horum poteſtas eſt impatiens conſortis, & ob eam cauſſam in una urbe, imò in una & eadem provincia, quia interdũ in multis provinciis non eſt, niſi unus, qui non prædicando, ſed lituo, bicipiti mitra, annulo & pallio ab aliis diſcernitur, atq; hic in ſua provincia neque parem, neque ſuperiorem ferre poteſt. Ergo vocantur quidem Epiſcopi, ſed nihil minùs quàm Epiſcopi ſunt. Differunt quidem à Presbyteris poteſtate & functione & habitu peculiari juxta hominum inſtitutionem, at ſecundùm Dei voluntatem ſacris Scripturis expreſſam in uno eodemque munere, & uno eodemque muneris exequendi modo pares eſſe debebant. Hocque manifeſtum quoque fit.

2. Quia ad Epheſ. 4. ✝. 11. ubi *omnes ordines miniſtrorum* verbi atque Eccleſiæ, tum ordinarii, tum extraordinarii recenſentur, nulla talis diſtinctio indicatur & deſignatur: uti nec in 1. Cor. 12. nec Rom. 12. nec alibi uſpiam in novo Teſtamento, ubi videlicet omnes circumſtantię id maximè requirebant. Non enim credibile eſt, aliquem ordinem à Chriſto inſtitutum eſſe, cujus ne minima quidem mentio fit in iis etiam locis, ubi cæteri omnes velut ex profeſſo deſcribuntur.

3. Quia in 1. ad Timoth. 3. ✝. 8. *Epiſcopi* tantùm à Diaconis, non autem à Presbyteris illis, quibus alioqui publicum docendi, Sacramenta adminiſtrandi, diſciplinamque informandi munus æquè ac Epiſcopis incumbit, apertè diſcernuntur. Nam duplices Presbyteros eſſe ultrò concedimus: uti in 1. ad Timoth. 5. item in 1. Pet. 5. & paſſim alibi videre eſt. Ergo nullum eſſentiale hic diſcrimen eſt.

4. Quia in 1. ad Timoth. 4. manifeſtè docetur, *Timotheum à Presbyteris* ordinatum fuiſſe. Id quod ex ſententia Adverſariorum fieri non potuiſſet, niſi *Presbyteri* illi *Epiſcopi* fuiſſent. Nam *Epiſcopus*, qualem Timotheum fuiſſe conſtat, nonniſi ab aliis *Epiſcopis* ordinari poteſt, ut ſaltem hypotheſis Papiſtarum innuit, de qua Bellarminum lib. 1. de membris Eccleſiæ militantis cap. 2. 5. 7. 10. 14. 15. 16. ac libro de Sacramento ordinis cap. 5. ac alibi legere licet. Ergo Epiſcopus & Presbyter idem ſunt.

5. Quia *Veteres* Eccleſiæ *Doctores* apertè tradunt, tempore *Apoſtolorum* prorſus eoſdem fuiſſe *Epiſcopos* & Presbyteros ſed poſtea demum, & creſcentibus in Eccleſiâ turbis ac litibus, imò ſchiſmatibus, humano quidem conſilio

Digitized by Google

viſſent opinionem Aërii ſacræ Scripturæ conſentientem eſſe hæreſin; ſed erraviſſent ac falſo ſic exiſtimaviſſent. Si non cognoverunt hanc opinionem in Aërio damnatam, cur vos Pontificii eam hoc nomine in proteſtantibus ac Euangelicis damnandam eſſe contenditis.

Lib. Conſult. art. 14. Revincemus concluſionis loco vos adhuc graviſſimo etiam teſtimonio veſtratis G. CASSANDRI, qui dicit: *An Epiſcopatus inter ordines Eccleſiaſticos ponendus ſit, inter Theologos & Canoniſtas non convenit. Convenit autem inter omnes in Apoſtolorum ætate inter Epiſcopos & Presbyteros* NULLUM DISCRIMEN *fuiſſe, ſed poſt modum ſchiſmatis evitandi cauſſa Epiſcopum Presbyteris fuiſſe præpoſitum, cui Chirotonia, id eſt, Ordinandi poteſtas conceſſa eſt, ſine qua ordinandi diſtinctione pax vel politica vel Eccleſiaſtica retineri vix poſſint.* Ergo veteres iſti Eccleſiæ Doctores ac Patres verè nobis Euangelicis hic aſſentiuntur, nimirum ætate Apoſtolorum jure divino omnino ejuſdẽ fuiſſe ordinis & anthoritaſis Epiſcopos ac Presbyteros, poſtea autem demum obrepentbus atque adoleſcentibus ſtudiis in Eccleſiâ contrariis: humano conſilio ac jure eminentiorem Epiſcopum Presbytero tam ordine ac functione quàm poteſtate & authoritate factum. Abſit verò ut praxin Eccleſiaſticam, quæ ad tollendum ſchiſma inſtituta fuit, per ſchiſma perrumpece velimus & non potius eam ſanctè humiliterq; colamus. Dummodo (quod in Eccleſia Pontificia ac Romana Patres graviter dolebant) ſchiſmatis remedium non pariat venenum tyrannidis.

Agnoſcimus enim libentiſſimè ac candidiſſimè debere gradus inter Eccleſiæ Miniſtros eſſe. Hoc n. Deus ipſe fecit & conſtituit differentibus donis Epheſ 4.11. Nam Apoſtolus: *Alios dedit Apoſtolos,* inquit, *alios verò Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios verò Paſtores ac Doctores, ad coagmentum ſanctorum, ad opus Miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti, ſcilicet* myſtici, nimirum Eccleſiæ. Item ſanctus Paulus nominat, *Epiſcopos* Act. 1.20. & 20.28. Tit. 1.7. id eſt, inſpectores, Vigiles & Speculatores, quia velut in ſpecula & excubiis collocati, pro ſalute populi vigilare, deque ea proſpicere ac curam gerere debét, ut Ezech. 3.17. & 33.7. habetur. Deinde *Presbyteros,* ex etymo ſeniores atque ætate, vel gravitate ſcientiaque provectiores. Quia juvenilem inconſtantiam & levitatem fugere, & eam peritiam, morum ſanctitatem gravitatemque ſectari debent, quæ poſſit ipſis authoritatem aqud populum conciliare. Tertiò *Diaconos,* qui Epiſcopis & Presbyteris docendo, adminiſtrando Sacramenta, ſcribendo etiam, aliiſque curandis rebus, ut viſitandis ægrotis, diſtribuendis aut colligendis ac cuſtodiendis eleemoſynis, inſerviat, ac vices eorum pro loco, pro re, & tempore gerat. *Gradus miniſtrorum Eccleſiæ veri.* *Act. 14. 23. & 20. 17. 1. Tim. 5. 17. Tit. 1. 5.* *Philip. 1. 1. 1. Tim. 3. 8, 12. Act. 6. 5. & 21. 8.*

Deinde, ordinis cauſſa propter εὐταξίαν, & ad conſervandum conſenſum, concordiam & unanimitatem, alii aliis ſint ſuperiores neceſſe eſt. Ac ne ſit ἀναρχία in Eccleſia, utili conſilio ordines vel gradus ſunt inter miniſtros inſtituti. Sicut apud nos ſunt juxta Scripturam ſæpius jam citatam, primò *Paſtores* vel *Parochi,* munere docendi, *Gradus miniſtrorũ Eccleſiæ inter Euangelicos.*

ipſius Chriſti, veri & unici Pontificis noſtri, typum geſſerit: ſicut ex epiſt. ad Heb. cap. 5. & 8. & 9. & 10. perſpicuè patet.

Ad *ſecundam*, quæ ducitur ex differentia *Apoſtolorum* & ſeptuaginta *diſcipulorum*, meritò excipimus, Apoſtolos fuiſſe extraordinarios Eccleſiæ miniſtros: nec Epiſcopos ſeu Paſtores, niſi in lata quadam ſignificatione, ſucceſſores illorum dici poſſe.

Vide Bucani inſtit. Theol. pagina 549. loco de miniſterio.

Ad *tertiam*, quæ ducitur ex loco 1. Tim. 5. 1. & 19. ubi *Presbyteri* ſubjiciuntur *judicio Timothei*, tanquam Epiſcopi, rectè reſpondemus, Timotheum non fuiſſe ordinarium ſeu vulgarem Epiſcopum, ſed extraordinarium Euangeliſtam. Imò nihil abſurdi eſſe, ſi unus Epiſcopus alterius judicio ſubjicitur, dummodo id fiat ex mandato ſuperiorum & proceſſus alioqui legitimus obſervetur.

Ad *quartam & poſtremam*, quæ ſumitur ex *Epiphanio* hæreſi 75. & *Auguſtino*, ac aliis, damnantibus in *Aerio*, tanquã hæreticum, dogma illud ſuprà dictum, NOSTRI excipiunt: vel importunã tantùm ordinis externi turbationem in Aërio, & quidem jure, reprehenſam fuiſſe; Vel ipſum *Aerium* à Patribus illis, iſto quidem nomine *hæreſeos injuſtè damnatum eſſe*: quum ſanctus Hieronymus, Ambroſius & alii veteres prorſus idem ſenſerint numero plures, & ſententiis prudentiores ac graviores, uti ſuprà expoſitum. Et Catalogus hæreticorum Philaſtrio ſubjectus, nõ dicit, Aërium non omnia jejunia rejeciſſe. *ſed tantùm ſtata nihili pendiſſe, ac dixiſſe ea libere eſſe opera.*

At quoniam Aërio injuria fit, propterea quod docuit Epiſcopum & Presbyterum nulla differentia diſtingui & diſcerni, quanto magis fit injuria Euangelicis, qui apertiùs & diſtinctiùs de ea & ſentiunt, & docent, & loquuntur, uti probatum? Nec alio quaſi epimythio concludere totam illam accuſationem Pontificiorum poſſumus, quàm omnino TRIA iſta, quæ & Aërianis & Euangelicis, negando pro mortuis non eſſe orandum ac ſacrificandum, ſtata jejunia repudiando, diſcrimen eſſentiale Epiſcoporum ac Presbyterorum rejiciendo, tanquam hæretica aſcribuntur, nequaquam hæretica eſſe, ſed tum ſacris literis, tum Patrum probatiorum doctrinæ planè convenientia. Quare & Centuriatores Magdeburgenſes, ubi de Aërianis agunt in his tribus articulis, de iis (licet aliàs eos damnent apertis verbis) hæc verba rectè apponunt: *Hæc, niſi acceſſerint alia circumſtantiæ malæ, non pugnare videntur cum Scriptura ſacra.*

SED in aliis fuit hæreticus Aërius, ſi Epiphanius & Auguſtinus ac alii veritatem de eo ſcribunt. Nam I. *Aerius*, inquit ille, *erat* ARIANUS *in totum rectè dictus Aerius, quia erat aereis ſpiritibus inflatus.* II. *Aërius, in quibus fuerit hæreticus.*

Hic, inquam, ſi de Aërio non eſt falſum, verè vel ob unam hanc cauſſam fuit HÆRETICUS, & à Concilio Niceno I. ſanctiſque Patribus, ſi nõ proprio ſuo nomine, tamen re pro hæretico damnatus. Et in eo NOS ei nequaquam favemus, neque patrocinamur, ſed hæreſin etiam ingenuè atque apertè aſcribimus. *1. Arianus fuit Aërius.*

Nam ut hæreſis Arrii eſt teterrima, quâ negatur Filium Dei de eſſentia Pa-

Digitized by Google

tris ab æterno genitum, coæternum, coæqualem & ſecundam perſonam ὁμοούσιον ac conſubſtantialem Patri: ſic Aërius, ſi eam eſt amplexus, teterrimus hæreticus evaſit, quo nomine eſt deteſtandus. Eoque pejor hac in re fuit, quo levior eſt cauſſa, quâ in iſtam hæreſin pertractus dicitur, ut planè Ariū ſit imitatus. Nam *iſte Aërius*, inquit Bernd. Lucemburgenſis, *quum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus non poterat ordinari, & ideò in Arianorum lapſus eſt hæreſin.* Inde etiam Catalogus hæreticorum Philaſtrio ſubnexus ait: *Aeriani Arrii hæreſin amplexi.*

Quoniam verò nihil conſortii Euangelicis eſſe cum Ariana hæreſi ſuperiore capite declaravimus, nihil etiam rei illis eſt cum Aërio, quatenus is Arrianam hæreſin fuit ſectatus. Et ut Aërio Arrianizanti cum omnibus Arrianis anathema dicimus: ita omnes, qui *Euangelicos* in Arriana hæreſi Aëriū ſequi audent dicere, inſtar leviſſimorum ſcurrarum mentiri, ac calumnia innocentes & immerentes premere aſſeveramus. Ideò ne Papiſtæ quidem Euangelicos Aërium in Arriana hæreſi imitari ajunt, utpote in qua illis impudenter & præter rationem tributa, ſuam tantùm convitiandi & calumniandi libidinem turpiter prodiderunt.

2. Aërius fuit Encratita & Tatianus.

II. Philaſtrius pag. 57. editionis Baſilienſis ſcribit: *Aërii ab Aerio quodam ſic appellati ſunt, qui abſtinentiis vacant, & in provincia Pamphilia quamplurimi commorantur, & Encratitæ dicuntur, id eſt, abſtinentes. Hi non poſſident aliquid, eſcas abominantur, quas Deus cum benedictione humano generi tribuit. Damnant etiam de lege nuptias, non à Deo inſtitutas adſerentes.* Hæc ille.

Alphonſus de Caſtro lib. adverſus hæreſ. Tit. *Cibus* & Tit. *Nuptiæ*, ſcribit: *Tatianorum hæreſi adhæſit Aerius, dicens* NON LICERE VESCI CARNIBUS. Rurſus: *Etiam in eo errore fuit Aerius, ut refert Auguſtinus, ut neminem ad communionem admitteret* NISI CONTINENTES. Hæc iſte.

BERN. Lucenburgius ſubjungit ſuperioribus. *Quidam perhibent, iſtos ſicut Enchraticos vel Amptotochtitas non admittere ad communionem ſuam niſi continentes, & eos qui ſeculo ita renunciaverunt, quod propria nulla poſſideant. Ab eſca tantùm carnium non eos abſtinere dicit Epiphanius. Philaſter verò & hanc illis tribuit abſtinentiam, ut etiam Auguſtinus in libro de hæreſibus teſtatur.* Hæc is.

Quid ad talia? Num non ſunt hæreſes? Sunt: Fatemur. Et libro 2. inferius pluribus, Deo opitulante, demonſtrabimus. Ac ſi Aërius talibus ac tantis opinionum & rituum monſtris fuit deditus, non poteſt non pro hæretico haberi ſiquidem Encratitæ & Tatiani & alii ob eadem olim hæretici ſunt judicati, pronunciati & damnati, ut deinceps, præſertim libro ſequenti uberius oſtendetur.

Notandum verò, Papiſtas anteà ſtatim tanquam hæreſes perſtrinxiſſe, quæ in Aërio à Papiſtica religione aliena videbant, ac ideò Enangelicis quaſi hæreſes objicere poterant, licet minimè hæreſes fuerint. Nunc autem ubi Aërius veris hæreſibus laborat, ipſi verò Papiſtę iiſdem addicti ſunt, altiſſimo ſilentio eas prætereunt, ne jure ipſis objiciantur. Sed nos veritatis aperiendæ

cauſſa

Digitized by Google

cauſſa ſingulas genuinas & veras Aërianorum hæreſes patefaciemus: dein de ut in Papiſtis hæreant, retegemus atque exponemus.

I. *Propria nulla velle poſſidere eſt hæreſis Aëriana & Papiſtica.* PRÆTER Arrianiſmum coluiſſe fertur Aërius eam hæreſin, *quæ non poſſidere vult aliquid proprii*, & *Encratitis* fuit familiaris. Merito hoc dicitur hæreſis. Nam Chriſtus nuſquam vel tale vitæ genus docuit, vel inſtituit, quod omnia relinqueret & abjiceret, propriique nihil poſſideret. Imò ipſe, cujus exemplum noſtra eſt inſtructio, loculos habuit & pecunias ad emendas res neceſſarias, ut Joh. 12. 6. & 13. 29. extat. Quod valde cum eorum inſtituto pugnat, qui in nihil proprii poſſidendo religionem ponunt. Similiter Apoſtoli hujuſmodi vitę genus nec ſequuti ſunt, nec inſtituerunt, nec docuerũt, in quo opum & proprii poſſeſſio abdicaretur.

Ante illos Abrahamo, Iſaco, Jacobo, Jobo, Davidi, Solomoni & aliis viris ſanctiſſimis Scripturæ teſtimonium perhibent, quod ditiſſimi eſſent. Nec dubium eſt quin Abraham & reliqui Patriarchæ & Prophetæ, cæterique cultores Dei ac legis divinæ, tum verè religioſi fuerint, ut pote divini numinis afflatu inſtituti ac ducti, tum perfectiſſimum vitæ ſtatum adepti ſint. Nã Abraham Pater fuit fidelium & ei Deus dixit, *Ambula coram me & eſto perfectus*. (*Gen. 17. 1.*) At illi nec bonis renunciarunt, nec hoc unquam ſibi vel aliis neceſſarium putarunt.

Apud Chriſtum & Apoſtolos omnes fideles diſpenſatores conſtituti ſunt bonorum, quæ non abdicare, ſed diſtribuere & uſurpare, iiſque negotiari debeant, prout eis ea Deus ex ſua miſericordia ac beneficentia contulit. (*Math. 25. 15. Luc. 16. Math. 5. 42. & 6. 2.*) At nihil eſt non modo ſtultius, verumetiam infidelius diſpenſatore & villico ſeu Oeconomo, qui bona accepta à domino, aut non ad negotiationem exercendam & lucrum majus faciendum, cum uſu legitimo in res ſuas & beneficentia in alios, adhibet, aut univerſa ſimul profundit, & dat pauperibus, nihil ſibi relinquens ad cætera domini negotia procuranda, & unde ſe ipſe ſuoſque ſuſtentet.

Apoſtolus ubi Corinthios hortatur ad liberaliter dandum pauperibus ac egentibus, non ſuadet ut omnia ſua vendant & erogent, ſed ut dent ex æqualitate, *non ut aliis*, inquit, *ſit remiſſio & relaxatio, vobis autem tribulatio & anguſtia ſed pari conditione hoc tempore veſtra abundantia ſuppleat illorum defectum, ut & illorum abundantia veſtrum defectum ſuppleat, ut fiat* ÆQUABILITAS. (*2. Cor. 8. 13, 14.*)

Fatuum quoque & inſanum eſt abjicere benedictionem Dei & adjumẽta virtutum. At hujuſmodi ſunt facultates propriæ, quas Deus hominibus dat. Ex benedictione Dei Job ſummas recuperavit divitias, & ita Jacob appellat, quæ ipſi Dominus donaverat. (*Job. 42. Gen. 33.*) *Sicut divitiæ impedimenta ſunt reprobis*, inquit, Ambroſius apud Lyram in Luc. 16. ad verba, facite vobis amicos; *ita probis ſunt adjumenta virtutis*. At qui non ad uſus ſuos & ſuorum egenorumque, collocant, ſed abjiciunt facultates ſuas, aſpernentur adjumenta virtutum, & reſpuunt Dei benedictionem. Quis ergo non videt, eos fatuè atque inſanè agere, Deoque ingratos eſſe.

Certius hoc eſt, quò plura ſunt Scripturæ loca, quæ abdicationem bonorũ

&

Digitized by Google

& mendicitatem malum eſſe docent, uſum autem laborandi & opes ad res vitæ neceſſarias accommodandi bonũ eſſe teſtantur. Gen.3.19. injungit Deus cunctis hominibus: *In ſudore vultus tui edes panem tuum.* Ac Apoſtolus: *Qui non laborat*, inquit, *non manducet*. Et in priore Theſſ.4. ut verſu 6. monet, *ne quis opprimat aut circumveniat in negocio fratrem ſuum*: ita verſu 11. præcipit, *contendatis quieti eſſe, & res veſtras agere, ac operari propriis manibus veſtris, ſicut vobis denunciavimus, ut vos geratis honeſtè erga extraneos, & nulla re vobis ſit opus.* Deut. autem 15.4. *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* Pſal.109.10. imprecãs David maledictionem, ait: *Vagando vagentur & mendicent.*

2.Theſſ.3.10.

Objectiones pro abdicatione opum ſolvuntur.

Dant verò Adverſarii ἔνστασιν. Bellarminus lib. de Monach.c.20. objicit Paupertatem voluntariam rectè ſuſcipi ac Deo voveri, quia Math.5.3. Chriſtus promulget *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* At illũ ſenſum prorſus evertit Bellarmino Papa Leo, qui ſerm. de eo quod, ſcriptum eſt, *Videns Jeſus turbas*, &c. inquit, *Quum dicit pauperes ſpiritu, oſtendit eis regnum cælorum tribuendum, quos humilitas commendat animarum magis quàm indigentia facultatum.*

Profert ſecundò verba Chriſti Math.19.21. *Si vis perfectus eſſe vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo.* Sed 1. ſingularis hæc vocatio fuit iſtius, ad quem Dominus hæc dixit, nec alios eidem facto obſtrinxit. 2. Probatio & δοκιμασία fuit tum beneficentiæ iſtius juvenis, tum perfectæ impletionis legis quam jactabat. Neutrum verò præſtitiſſe arguitur eo quod triſtis abiiſſe dicitur. 3. Superius citata loca evincunt, cæteros non ſimiliter ad abdicanda bona ſua vocari, ſed ad retinenda, & ſubſidia vitę neceſſaria conſervanda.

Producit 3. *Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Itẽ, *Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut Patrem aut matrem, aut uxorem, aut liberos aut agros, ſub quibus omne genus ſubſtantiæ intelligitur, cauſſa nominis mei; is centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure poſſidebit.* Ergo bonis terrenis eſt renunciandum, &c. Reſpondemus, hæc mãdare ſtudium deſerendi & abdicandi facultates ac etiam homines charos in perſequutione fervente, non in tranquillitate & pace florente. Ac licet præcipiant, propter Chriſtum eſſe relinquendas res noſtras, non tamen vetant quin ad uxorem, vel ad liberos, vel in patriam & poſſeſſiones noſtras redeamus perſequutione ceſſante.

Math.19.27.29.

Citat quartò locum Act.2.44. & 4.34.35.36. ratiocinans; *Primitiva Eccleſia omnia habuit communia abdicatis & venditis bonis. Ergo nunc bonis temporalib. renunciandum, & omnia in commune conferenda ſunt, ſpontanea paupertate ſuſcepta.* Sed negamus conſequẽtiam: quia eſt diſſimilitudo. Nam in primitiva Eccleſia opus fuit collatione bonorum ad alendos pauperes, ac cuivis tantum largiri licuit, quantum voluit, non omnia. At Petrus cap. 5. 4. *liberum, inquit, Ananiæ fuiſſe retinere agrum ſuum ac prædium.* Ergo communio bonorum, cum abdicatione omnium uſque ad paupertatem ſubeundam, iſtis exemplis non ſancitur, nec conſulitur, ſed liberalis tantùm collatio facultatum ad juvandam

dam Eccleſiam & pauperes ſublevandos.

Allegat 5. traditionem Patrum. Et nos etiam ipſi è Patrũ ſcriptis cognovimus, quoſdam eorũ *deſertionẽ facultatũ* ab auditoribus ſuis Chriſtianis, omnibusq; ſacerdotib. poſtulaſſe, ut Origenem. Ac Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 3. eandẽ innuit. CHRYSOSTOMUS omnibus eã præſcripſit hom. 9. in Math. dicens: *Annon projiciemus omnia, & non deſiſtemus ab omnibus, ut cum libera facie regnum cœlorum ingrediamur?* HIERONYMUS ad Nepotianum de Clericis omnibus dicit: *Qui poßidet Dominum, nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi quippiam aliud habuerit præter Dominum, ejus pars non erit Dominus.* Verùm reſpondemus 1. Patres in iſta derelictione exigenda nimium rigidos fuiſſe, & contra verbum Dei expreſſum feciſſe. 2. Patres alibi oſtendunt paupertatem, mendicitatem & privationem bonorum eſſe malam, & nunquam deſiderandam aut ſine ſumma neceſſitate compellente ſuſcipiendam. Hieronymus enim dicit: *Ipſum obſecrare Salomonem, ne copia vel inopia tranſeuntium rerum in oblivionem decidat æternorum.* Et AMBROSIUS in Pſal. 118. ſerm. 8. *Hæc tentamenta duo maxima*, inquit, *ſanctus Salomon oratione propria declaravit, & rogavit, ut poßit excludere, dicens: Divitias autem & paupertatem ne dederis mihi.* 3. Nec ipſi Adverſarii omnes Patrum traditiones & poſtulationes ſervant, ne nobis traditionis nomen opponant. Nec habẽt illi in Patrum antiquiſſimorum & optimorum traditionibus quicquã præſidii ſacris literis repugnantibus. Etſi enim Auguſtinus dicat, *quoſdam vovere, ſe omnia relicturos, Apoſtolóſque votum voviſſe de omnibus relinquendis, & ſequendo Chriſto*: tamen hoc votum aliud nihil erat, quã certa animi deliberatio & propoſitum de rebus omnibus propter Chriſtum relinquendis in perſequutione, retinendis autem, dum ea abeſſet. Quod pium & Scripturæ congruum. 6. Ad ordinum mendicantium confirmationem adducit exemplum Domini lib. de Monach. cap. 4. *Ipſum enim non habuiſſe, ubi caput reclinaret: & vixiſſe ex eleemoſynis. Mulieres enim quaſdam ei miniſtraſſe de facultatibus ſuis. Præterea vixiſſe eum in domibus alienis rebus, & in eum, quadrare illud Pſalmi 39. vel potiùs 40. 18. Ego autem mendicus ſum & pauper. Et Pſal. 108. vel potiùs 109. ℣. 16. quia perſequutus eſt hominem inopem & mendicum.* Et inde concludit, *Chriſtum verè fuiſſe mendicum.* Et religioſos mendicantes eſſe oportere aut licere, qui ſimiliter abjectis propriis facultatibus, vivant alienis. Sed Chriſto noſtro REGI inſignem facit injuriam, dum ipſum otio & luxu d ffluentibus hominibus & validis mendicantibus adoptat patronum. Præterea nihil hæc, vel ad votum paupertatis ac mendicationis, vel ad voluntatem ſeculo in abjiciendis propriis bonis renunciandi attinent. Nam ut fatetur Joh. Gerſon propoſit. adverſ. concluſ. Græbon. *Chriſtus nuſquam legitur conſilia voviſſe.* Nam docẽt iſta Chriſtum vel mendicaſſe, vel mẽdicum fuiſſe. Nam ut non haberet, ubi caput reclinaret, ſed in alienis ædibus ſæpè comediſſet, & verſatus eſſet, & aliorum facultatibus eſſet ſuſtẽtatus: non tamen quicquam ab aliis mendicavit, nec oſtiatim panem & res neceſſa-

Homilia 16. in Gen.

Apud Grat. c. 12. q. 1. C. Clericus.

In Prov. 20. Epiſt. 2. ad Euſtach.

In Pſal. 15. Lib 17. de civit. Dei cap. 4.

Mendicantium ordinum vana fundamenta.

Digitized by Google

Luc. 4 & 9. 12. 13. 14. Joh. 6. Math 17 27. 2. Cor. 8. 9. neceſſarias quæſivit. Imò nec defuerunt ei ædes matris & diſcipulorum, quo ſe reciperet, nec facultates, quibus & ſe & ſuos aleret. Quis enim putaret ei quicquam deeſſe potuiſſe, qui quadraginta dies jejunavit, & duobus piſcibus ac paucis panibus aliquot hominum millia ſaturavit, & ex ore piſcis nummos ad tributum ſolvendum educere potuit? *Sed*, ut inquit Apoſtolus, *propter nos egenus factus eſt, quum eſſet dives, ut illius inopia nos divites eſſemus.* Illa autem verba Pſalm. 40. ℣. 18 & Pſalm. 109. 16. malè à vetere interprete reddita ſunt. Hieronymus enim non habet *mendicum*, ſed *egenum & pauperem*, ut & Pagninus. Arias Montanus habet, *afflictum & egenum.* Utut tamen ſit, AUGUSTINUS in Pſalm. 108. vel 109. hæc verba egenum & pauperem magis referri cenſuit ad PECCATOREM. Neque enim ad Chriſtum pertinet de peccatis compunctio. Ei etiam ſubſcribit CASSIODORUS in Pſal. 39. Lyra etiam ſignificat, referri poſſe *ad corpus myſticum.* Neque obſtat, quod Spiritus ſanctus Act. 1. 16 20 21. & Heb. 7. 17. 21. ac alibi nonnulla Pſalmorum iſtorum ad Chriſtum referat, niſi hæc omnia verba ad Chriſtum referat, niſi hæc omnia verba ad Chriſtum pertineant. Omnia enim ſanè ad Chriſtum traduci, & de eo pronunciari nequeunt. Abſit enim, ut putemus Chriſtũ dixiſſe, *comprehenderunt me iniquitates meæ, & multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei.* Nec obſtat præterea, quod in Pſal. 39 & 108. eſt vox *ebion*, & 2. Cor. 8. 6. ἐπτώχευσε, quum utrumque vocabulum nonnunquam ad egenum & pauperem referatur. Denique etſi *ſeſequi*

Pſal. 39. & 40. 15.

jubeat Dominus ac ſuum exemplum, & 1. Pet. 2. 21. ſcribatur, *eum reliquiſſe nobis exemplar, ut inſequeremur veſtigia ipſius:* tamen tam non paupertatem ejus imitari ac ſequi poſſumus, quàm jejunium, quo ab omni cibo & edulio abſtinuit, ut totis diebus quadraginta nihil comederit. Luc. 4 1. 2. Ergo eam non ſic in exemplum propoſuit, ut mendicantium Monachorum patroni contendunt, qui ab Apoſtolo 1. Theſſ. 3 8. refutantur. Inſuper ſeipſos iſti Monachi deſertores propriæ ſubſtantiæ, ac mendicorum ſectatores refellunt, quum ſub prætextu mendicitatis delicias & luxum ſectentur, domos viduarum atq; pupillorum devorent, & hypocritas agant. Et quid nos pluribus inſaniam illorũ redarguamus, quam tota vita & rebus geſtis Chriſtus refutavit, & omnis antiqtas ignoravit?

7. Objicit exemplum Apoſtolorum *qui omnia dimiſerunt. Eos enim non habuiſſe poſſeſſiones in communi, nec operatos eſſe manibus, ſed vixiſſe ex liberalitate eorũ, quibus prædicabant.* Sed quòd negat eos operatos eſſe manibus, mendacium eſt: Nam & piſces cõſtat cepiſſe poſt commiſſum Apoſtolatum, & Paulus diſertè dicit ſe operatione & labore manuũ ſibi neceſſaria paraſſe. Præterea quæ Chriſtiani donabant Apoſtolis, non eleemoſynæ & ſtipes, ſed præmiũ erant laborum, nec ex mera liberalitate, ſed pro mercede. Nam ut inquit Chriſtus de munere Apoſtolatus & Eccleſiaſtico, *dignus eſt operarius mercede ſua.* Et ut docet Apoſtolus, *nemo militat ſtipendiis ſuis.* 1. Cor 9 7. Reliqua non docent Apoſtolos mendicaſſe. Nam ut non haberent poſſeſſiones in communi, nec

Math. 19. Act. 20. 34. 1. Cor. 4. 12. & 9. 6. Math. 10. 10. Math. 10. 9.

poſſi-

poſſiderent aurum & argentum, nec duas tunicas: non tamen mendicant omnes qui poſſeſſiones non habent, nec auro & veſtibus abundant. Sed quid verbis opus eſt, quum ſomnium hoc de mendicatione Apoſtolorum & ex ipſorum Actis, & hiſtoria Euangelii, & moribus Judæorum, qui mendicos non facilè ferebant, refellatur. Præterea & Apoſtolus mendicantium ſocordiam condemnat, & omnis antiquitas has ineptias ignorat.

Succeſſus mendicantium Monachorum. Dicit verò eventu mendicantium Monachorum probari vitam. Nam *Franciſcum & Dominicũ multa edidiſſe miracula, converſionem Gentilium, & confutationem hæreticorum, pietatem populi Chriſtiani, conſervationem Theologiæ, & multa præterea bona ordinibus mendicantium maxima ex parte accepta ferenda eſſe.* Verùm ſi ex eventu lis illa dijudicanda eſſet non diu ſtare poſſent iſtorum hominũ monaſteria & mendicabula. Illi enim veram fidem, & Apoſtolicam doctrinam, & Patrum traditionem corruperunt, & totam religionem hominum commentis ac nugis ridiculis difformarunt. Illi enim non tantùm varias hæreſes, ſed etiam idololatriam fœdam & introduxerunt & propagarunt. Per iſtas etiam locuſtas & Eccleſiæ & Reipub. bona devorata ſunt. Nec ullos habuit magis fidos ſatellites ac ſtrenuos defenſores Antichriſtus. Quo autem miracula ab illis edita feruntur, aut mendacia ſunt, aut ad ſigna regni Antichriſti 2. Theſ. 2. 9. pertinent. Vide ſex libros Rodol. Hoſpiniani Tigurini de Monachorum origine, &c.

Poſtremò opponunt ex loco Luc. 8. 14. ac Math. 19. 24. *Divitiæ impediunt pietatem.* Unde *Chriſtus eas ſpinas vocat, & divites ægrè ſervari ait. Ergo divitiæ malæ ſunt, & negligendæ atque abjiciendæ.* Sed negatur conſequentia. Quia eſt fallacia accidentis. Nam divitiæ per ſe bonæ ſunt creaturæ Dei utiles ad hanc vitam, ut cibus & potus. Sed abuſus malus eſt, qui proficiſcitur à voluntate hominis abutentis opibus ad luxum, & inutiles profuſiones.

Licet ergo & decet omnino Chriſtianos tenere proprium, ac eſſe inſtructos ut ſint divites, vel alias non mendici atque egentes. Nam quum Exod. 20. 15. *prohibet furta*, concedit diſtinctionem & proprietatem bonorũ. Et Paulus ait: *Præcipe & denuncia iis qui divites ſunt in hoc ſeculo, ne efferantur animo, neque ſpem ponant in divitiis incertis, ſed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copioſe ad fruendum, ut benefaciant, ut divites ſint bonis operibus, faciles ad impartiendum, faciles convictus.* Permittit ergo divitias, non iis ſe abdicare jubet, & regula certa eſt: *Euangelium non abolet politicas ordinationes.* Quicunque igitur more Encratitarum & ſimilium hæreticorum ita huic ſeculo renunciant, ut propria nulla poſſideant, ſed abſque urgente neceſſitate rejiciant, ii ſe fœdiſſima macula hæreſeos contaminant. Euangelici autem poſſeſſiones propriorum bonorum retinentes, docentesque in omni hominũ genere atque ordine amplectendas, contra autem abdicationem earum fugientes, monachalem renunciationem opum atque ſeculi, imò mendicitatem & paupertatem votivã ſacris Scripturis refutantes, & ex uſu publico antiquatam auferentes, eò magis ſe ab hæreſi exemptos, atque hæreticorum luſtris

1. Tim. 6. 17.

Digitized by Google

ſtris tutos & liberatos declarant. Nec aliter judicari poteſt, quam hodie tam Papiſtas quàm Turcas & Machometanos, id potiſſimum ex antiqua hæreſeos Encratiticæ & Aërianæ colluvie hauſiſſe, *quod homines inter ipſos ſunt peculiares, qui mendicitatem & paupertatem profeſſi, nihil de rebus terrenis cogitant: nec in craſtinum aliquid reſervant.* Richerius de moribus Turc. I. Menavinus lib. 2. & Septemcaſtrenſis de rebus. Turcicis. Hoſpinianus de Monachis.

2. *Abſtinentia à carnibus eſt hæreſis Aëriana & Papiſtica.*

Aëriani porrò, etſi *ab eſca carnium* nō dicuntur abſtinere à Patre Epiphanio: tamen Philaſtrius hanc eis tribuit abſtinentiam, ut etiam Auguſtinus (teſte Lucemburgio) qui eandem hæreſ. cap. 27. *Encratitis* aſcribit.

Verùm non nos Euangelici in hac abſtinentia à carnibus Encratitas & Aërianos ſequimur, ſed Papiſtæ eos manibus pedibusque ſequuntur. Papiſtæ enim manifeſtiſſimè præſcribunt ſibi ac ſuis certum ciborum delectum in jejuniis (ut ſupra indicatum) ac prohibent uſum carnium, ovorum, lactis omniumque lacticiniorum; & permittunt ſaltem piſces, fructus, vinum, &c. idque ſub conditione neceſſitatis & obligationis conſcientiæ.

Benedictus inprimis Monachis ſui *Benedictini ordinis* omnibus, præter debiles & ægrotos *carnium eſum in perpetuum prohibuit, earumq; uſum in cibo prorſus damnavit*, ut Hoſpinianus lib. 4. cap. 4. fol. 125. & cap. 26. fol. 164. ac 165. ex hiſtoriis narrat.

Ac Bellarminus docere inſtituens, lib. de jejunio cap. 7. leg. Eccleſiaſtica obligari in conſcientia fideles ad delectum hunc ciborum, certaque in iis jejunia, incipit his verbis: *Negant Euſtathiani & Aëriani, ac noſtro tempore omnes hæretici: probatur tamen Catholica ſententia.* Ubi vertiginem tanti hominis videmus. Priùs ubi non ſunt hæretici Aëriani, *negando jejunia ſtata & ciborum delectum*, Aërianos hæreticos eſſe dicit. Nunc ubi verè hæretici ſunt juxta Auguſtinum & Philaſtrium, *nempe abſtinēdo à carnis eſu, more Encratitarum*, negare eos delectum ciborum aſſerit, & hæreticos tamen propter abſtinentiam à carnis comeſtione eſſe non meminit.

Ac quia dicit, *Catholicam ſententiam* eſſe, delectum ciborum obſervare, ac nominatim à carnibus in jejunio abſtinere, *nos contra hæreticam eſſe affirmamus.* Imò diſtinctionem iſtam ciborum omnem nullam ac pernicioſam judicamus.

Nam primò *Encratitæ* veri, explorati & damnati hæretici apud veteres fuerunt, quia inter alias hæreſes ab eſca carnis in jejunando ac aliàs abſtinebant. Lucemburgius enim: *Encratitæ,* inquit, *dicti, qui carnem abominantur, Anno 175. ſub M. Antonio Imp. & Aniceto Papa, &c & concordant cum Tatianis. Et C. de hæreticis appellantur Encratiſtæ.* Similiter Manichæi hæretici fuerunt, qui circa annum Domini 280. inter multas hæreſes etiam hanc ſparſerunt: *Ab omnibus animantium carnibus abſtinendum eſſe, imò nec ova ſaltem ſumenda, nec lacte veſcendum. Hæc enim omnia natura mala & immunda eſſe, vel commixtione gentis tenebrarum inquinata* (ſicut inquit Auguſtinus) *vel quod de occiſis carnibus fugerit divina ſubſtantia,* referente eodem de hæreſibus. Et electis quidem ſuis, tanquam perfectioribus, ſimpliciter eſu carniū

Encratitæ.

In Catalogo hæreticorum lit. E. lib. 2.

Manichæi.

Contra Fauſt. Manich. lib. 6. cap 6 & lib. 30. c. 5.

ovo-

Digitized by Google

ovorum & lacticiniorum interdixerunt: auditoribus verò ſuis, quaſi imperfectioribus, illa edenda concedebant, ut indicat Auguſt. lib. 3. c. 5. cõtra Fauſtum. *Euſtathiani.* *Euſtathius* Sebaſtiæ Armeniæ Epiſcopus circa annos Domini 320. non minùs à carnium eſu abſtinendũ eſſe docuit, haud quod cum Manichæis eas immundas & abominandas eſſe cenſeret, ſed (ut ipſemet in ſynodo Gangrenſi fatetur) διὰ τὴν ἄσκησιν κατὰ θεὸν, hoc eſt, *ob exercitationem cultus divini*. *Priſcillianiſtæ.* Pariter *Priſcillianus* in Gallia & Hiſpania abſtinentiam carnium cauſſa munditiæ earum, quam prætexebat, ſervavit ac docuit: Sozom. lib. 3. c. 13. Tertullianus MARCIONEM eo nomine reprehendit, *quod piſcem cibum aliis ſanctiorem ſtatuerat*. At hi omnes publicè propter hæc hæretici proclamati ſunt. Eo ipſo igitur ritu Papiſtæ quicunque utentes, veterum iſtorum hæreticorum hæreſes, jam olim damnatas, quaſi ab inferis reducunt, ac hæretico more imitantur: ut abſtinentiam à carnibus in jejunio ex neceſſitate & legis obſervantia hæreſin eſſe nequeant jure inficiari.

2. Imitatio eſt manifeſta Ethnicorum: ſcil. delectus ciborum, opinione cultus divini. *Chæmeron* enim *Stoicus* de vita antiquorum Ægypti ſacerdotum ſcribẽs, narrat eos ex eo tempore, quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus & vino ſe abſtinuiſſe, ovũ quoque pro carnibus vitaviſſe, & lac: eorum alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicentes colore mutato. Judæorum Magos, ad Solis ſacerdotium evectos, carnibus abſtinuiſſe peritus Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 7. teſtatur. Plura Ethnicorum exempla Hoſpinianus lib. 4. de Monachatu c. 26. fol. 165. commemorat.

3. Judaiſmum ſapit delectus ciborum & abſtinentia à carnis eſca. Tres enim ſectas Judæorum, Phariſæos, Sadducæos, Eſſenos deſcribens Joſephus, noviſſimos fert ad cœlum laudibus, eò quod ab uxoribus ac vino, & ut placet Hieronymo, carnibus ſemper abſtinuerint. *Lib. 2. de bello Jud. & lib. 13. ac 18. Antiquit.*

4. Concilia veteris Eccleſiæ hanc abſtinentiam & diſtinctionem ciborum damnarunt: cujus multa exempla Hoſp. dicto libro & capite fol. 165. recitat.

5. Stulta eſt, quia illis ipſis cibis, quos permittunt Papiſtæ, tanta ineſt delectatio, & ad voluptatem ac luxuriam impellendi vis, quanta in quovis alio.

6. Vana eſt & turpis hypocriſis ac ſimulatio. *Math. 6. 16. 17.* Chriſtus enim perſtringit hypocriſeos Phariſæorum jejunium, quod tamen erat abſtinentia ab omni cibo & potu uſque ad veſperam. Nec legimus aliter, quàm veteri & recepto more, jejunaviſſe Phariſæos, ut totum diem uſque ad veſperam nihil ederent & biberent. At noſtri illi ſe jejunare dicunt, quando à carnibus, ovis & lacticiniis abſtinent, iterùm verò piſcibus, oleribus ſuaviſſimè conditis, & ferculis aromaticis ſaginantur, & inſuper vino generoſiſſimo diſtenti madent. Sanctus Hieronymus hanc mẽdacem & impudentiſſimam jejuniorum profeſſionem graviter exagitans, inter alia dicit: *Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam difficultatéſque ciborum quærere, carycas, piper, nuces palmarũ fructus, mepiſtacea? Tota hortorũ cultura* *De vita Clericorum ad Nepotian.*

vexatur, ut cibario non veſcamur pane, & dum delitias ſectamur, à regno cœlorum retrahimur. At hodie omnes lacus, fluvii, maria denique & terræ atque inſulæ fatigantur, & exhauriuntur, ut illorum gulæ & ventri ſatisfiat, qui ſub jejuniorum prætextu Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt. Quid verò illos ſimulare dicimus, quum ne ſimulent quidem, ſed potiùs impudentiſſimè mentiantur.

7. Frangitur modus jejunandi verus, quādo ſub lege certa & neceſſitate præſcripti aut vetiti cibi eſt jejunandū. Eccleſia enim veteris Teſtamenti & novi antiquiſſima, quum jejunaret, nō ſolùm à cibo & potu ſibi temperabat, ſed & refugiebat qualemcunque delectationem, imò & veſtitum molliorē ac delicatiorem, adeoque & ipſa unguenta. Sic Joël: *Indicite*, inquit, *jejunium, proclamate diem interdicti, &c. egredietur ſponſus è cubiculo ſuo, & ſponſa ex thalamo ſuo.* Et Daniël: *Cibum deſiderabilium*, inquit, *non comederam, nec caro aut vinum intraverat os meum, nec unguento unxeram me, donec complerentur trium ſeptimanarum dies.* Ac Apoſtolus conjugibus mandat: *Ne fraudate alius alium, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus.*

Cap. 2.15. 17. *Cap.* 10.3. 1.*Cor.*17.5.

8. Violatur abſtinentia à carnibus & aliis certis cibis, permiſſione autē quorundam aliorum libertas Chriſtiana, per quam *puris omnia pura ſunt* Tit.1.15. In qua libertate *ut conſtanter & firmiter perſiſtamus*, monet Gal.5.1. Apoſtolus. Sed hanc piis evertit & tollit Eccleſia Romana. Etſi enim Deus populo ſuo Veteris Teſtamenti inter liberam facultatem comedendi animalia viventia datam, quædam eorum immunda pronunciavit, ac proinde etiam carnibus eorum veſci prohibuit: tamen poſt adventum Chriſti in carnem, verbum ſuum paulo longiùs extendit, deditque omnibus tam Judæis quàm Gentibus ad Chriſtum converſis, liberam poteſtatem manducandi quasvis carnes, & omnis generis cibos, qui per ſe ſani ſunt, ac cum gratiarum actione & oratione ſumuntur.

*Delectus ciborum pernitioſus. Math.*15. *Levit.*11. *Deut.*14. *Act.*10.6. *Marc* 7. *Math.* 15. *Col.* 2. *Rom.*14. 1.*Cor.*10. *Heb.*13 9.

9. Profligatur & è medio tollitur primitivæ Eccleſiæ uſus ac libertas. Socrates enim pronunciat. *Apoſtolos liberū cuique permiſiſſe uti cibis, quibus quibus velit tempore jejuniorum, aliiſq; temporibus.* Hinc carnes inter jejunandum alii non edebant. Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum lib.30.cap.5. *Chriſtiani*, inquit *non hæretici, ſed Catholici, edomandi corporis cauſſa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quod illa eſſe immunda credant, non ſolum à* CARNIBUS, *verùm à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper ſicut pauci, vel certis diebus atq; temporibus, ſicut per* QUADRAGESIMAM *ferè omnes, quanto magis quiſque vel minus ſeu* VOLUERIT, *ſeu* POTUERIT: Hiſtoria Tripartita ſcribit: *Quum hoſpes quidam Spiridioni Epiſcopo tempore Quadrageſimæ venisſet, ac Spiridion quidem illi ex defectu ciborum*, CARNES *menſæ apponeret, hoſpitemq; veſci juberet, is verò recuſaret, quod diceret*, SE CHRISTIANUM *eſſe; eo magis, inquit Spiridion, debes comedere, quia* CHRISTIANUS. *Puris enim omnia pura, ſicut ſermo divinus nos edocuit*, Mar.7.18. Act.10. Tit.1.13.

Hiſt. lib 5. *cap.* 21. *Tripart. lib* 9. *c.*38. *Lib.* 1. *c.*10. *Sozom. lib.* 1. *cap.*11.

10. Dæmoniorum doctrina eſt: *prohibere certa ciborum genera*, ex obligatione conſcientiarum, *quæ Deus creavit, ut iis cum gratiarum actione utamur.* 11. Sub

1.*Tim.*4.4. 5.

Digitized by Google

11. Sub jejuniorum prætextu quæſtus turpis ac nundinatio impudica exercetur à Pontificibus Romanis, ſacrificis & Monachis, pro pecunia nimirũ de legibus jejuniorum diſpenſando, dum partim aliis pro nummis aut legatis ac donis ovorum, aliis lactis & lactariorum operum, multis etiam carnium eſum vel in hebdomadario, vel quadragaſimali jejunio concedunt per bullas atque indulgentias, partim merita ſuorum jejuniorum ac precum ſuperſtitioſis vendunt. Atque hoc tum venditoribus, tum emptoribus damnũ affert. *Venditoribus* tum eo, quod ſe cupediariis, ſalſamentariis, coquis & farctoribus cunctis impudentiores reddunt, ut pote quorum nullus majori ſorditie atque impudentia quæſtum facere poteſt, quàm illi ſolenti, tum eo, quod ſeſe Apoſtolicos & Simonis Petri ſucceſſores jactantes, potius prodũt ſe Simonis Magi eſſe imitatores, cui S.
Act. 8.20. Petrus dixit: *Pecunia tua abeat tecũ in perditionem. Emptoribus*, partim eo, quòd infirmitati corporis mederi non poſſunt, ſi firmioribus & ſanioribus & commodioribus cibis vetitis niſi data pecunia uti non audent, partim, quòd comparando bullas & indulgentias pro licentia edendi cibos prohibitos, pecunias ſuas uſibus & ſubſidiis vitæ aliis neceſſariis ſubtrahunt, ac domos ſuas devorari pati coguntur, ut Dominus pſeudodoctorum impoſturis fieri ait Mat. 23. 24.

12. Transfertur in jejunia certorum ciborum id quod ſolius Chriſti eſt, dũ illis meritum ſalutis tribuitur. Adhæc ita Chriſtus inutilis redditur Gal. 2. 21. & 5. 4.

13. Opus Antichriſti committitur, quia ſtatos jejuniorum dies indicendo, tempora à Deo libera facta Papiſtæ mutant. Dan. 7. 25. Gal. 4. 9 10 11. Col. 2. 16.

14. Ridiculos ſeſe præbent, imò deridendos propinant Papiſtæ, *dum piſces non eſſe carnem aſſeverant.* Nam. 1. Cor. 15. 19, ait diſertè, Apoſtolus: *Non omnis caro eadem caro; ſed alia quidem caro hominum, alia verò caro pecorum, alia verò* PISCIUM, *alia verò volucrum.* Nec Apoſtolo dictum hoc temere ut homini idiotæ & rerum naturalium imperito excidit: ſed eadem eſt omnium Phyſicorum ſententia, qui de animalium hiſtoria diligentius ſcripſerunt: Plinius certè de lupis piſcibus ſcripſit: *Luporum laudatiſſimi, qui appellantur lanati, à candore mollitiáq; carnis.* Idem de mullis: *Alga veſcuntur*, inquit, *& oſtreis, & limo, & aliorum piſcium carne.* Et verè quidem ac rectè carnem piſcibus tribui, res ipſa docet, ſi totam corporis ipſorum conſtitutionem intuearis. Arguit hoc Pontificiorũ ſtultitiam, qui quum à carnium eſu prohibeantur, ut in ejus abſtinentia omnem jejuniorum ſuorum religionem conſiſtere opinentur, piſcibus tamen veſcendis liberam copiam habent. Imò ab operibus lactariis & ovis abſtinent, ne quid edatur quod aliqua ex parte cum carnis natura ſive ſubſtantia communicet, interim piſcibus omnes ſaturari ſinunt.

Piſcium caro evertit jejunium Papiſticum.

Lib. 9. c. 17.

Reddunt Pontificii ſui inſtituti in delectu ciborũ circa jejunia has præter alias, quas ſupra hoc capite commemoravimus, quoque rationes. 1. Cavere ſe piſcum permiſſione, ne carni laſcivienti libidinis irritamenta ſubminiſtrentur,

Objectiones Papiſtica pro piſcium eſu & carnium abſtinentia.

ſtrentur, ſed ut voluptas immodica fræno quodam coërceatur.

Respondemus: Atqui piſces carnibus reliquis lautiores & delicatiores ſunt, ut à pleriſque in delitiis habeantur. Ita etiam in cibum parantur atque condiantur, ut libidinem vehementiùs quàm quadrupedum aut volatilium carnes inflamment. Ut jam de vino nihil dicamus, quod cum piſcibus meracius & liberalius bibitur; quin bonæ valetudinis cauſſa in piſcium eſu potari oportet, quum aquæ hauſtus in eo à medicis diſſuadeatur. Atqui id, inquiunt, non vulgo fit, quia pleriq; impenſis tam magnis non ſufficiunt. Ridiculum. Ergo ne enim jejuniorum legibus ſoli pauperes tenentur, quibus illis minimè opus eſt,, quum velint nolint frequentiùs jejunandum illis ſit ob inopiam, quàm corporis vires ferre poſſint.

Joh. Aquipontanus contra Georgii Sohnii theſes de Antichriſto.

II. Perſtringentes Papicolæ noſtram ſententiam, qua ex 1. Cor. 15.39. piſciū quoque carnem eſſe carnem affirmamus, triplici inſtantia probare conantur, nos hac in parte nobis contra dicere. *Si apud te,* inquiunt, *& tuos idem eſt piſcibus veſci & carne, cur in Quadrageſima nō eſtis contenti ſuilla, & ovilla carne: ſed etiam piſcibus impleri deſideratis? Aut cur Catholicos* (intelligunt ſeſe Pontificios & pſeudocatholicos) *piſces ſumere cupientes, aliis carnibus veſci compellitis. Aut cur in Anglia tam ſe veras leges ſtatuitis in eos, qui carnes vetitis à Regina & Rege diebus comedunt.*

At *primùm*, dare inſtantiam non eſt ſolvere argumentum objectum. Nam non idcirco, quia in Quadrageſima, quum verbum Dei non obſtet tam piſcibus quàm aliis carnibus cum gratiarum actione veſcimur, locus Pauli 1.15 39. eſt expugnatus, ubi dicit: *Alia eſt caro piſcium.* Deinde ad *alteram* inſtantiam quod attinet, quū meram calumniam contineat, ac argumentum objectum non ſolvat, nulla prorſus digna eſt reſponſo. Nam tam non ſeqtur, Catholici coguntur apud Euangeicos piſciū loco carnes edere. Ergo piſcium caro, non eſt caro, quàm non ſequitur, Euangelici non ſolū bubula, ſed etiam ovilla carne veſcuntur: Ergo alterutra ex ipſis non eſt caro. Nam ut caro bubula & ovilla genere, hoc eſt, in quantum utraque caro eſt, conveniunt, ſpecie verò, hoc eſt, in quantum illa bovis hæc verò ovis caro eſt, differunt: ſic caro piſcina, genere cum utraque illa cōmunis eſt, ſpecie verò ab utraque diſcrepat: ut ex illis Pauli & Plinii locis, paulò ſuprà citatis, conſtat. Ad *tertiam* inſtantiam, cur tam rigidis ſtatutis animadvertatur in eos, qui carnibus per prohibitorum dierum ſpacium à magiſtratu in Anglica veſcuntur, ac non potiùs piſcibus; reſpondemus verbis ipſius peritiſſimi rerum Anglicarum & eruditiſſimi Gulielmi Perkinsi, qui in Catholici reformati cōtroverſia 12. de jejunio, cap. 1. ſcribit: *Politicum jejunium eſt, quum ob certam aliquam politicam rationem homines abſtinent à certo ciborum genere: quomodo in* Anglia *certis anni temporibus prohibitum eſt comedere carnes, certas ob cauſſas, nimirū ne fœtus nondum perfecti ſimul interimantur, & ut piſcatorum quoque ratio habeatur.* Hæc Perkinſus. Hinc verò non ſequitur:

Politicum jejunium in Anglia.

Qui ſeveras leges ſtatuunt in comedentes carnes vetitis diebus, iis caro piſcium non eſt caro.

In

Digitized by Google

In Anglia magiſtratus ſtatuit ſeveras leges in homines, comedentes vetitis diebus carnes.

Ergo in Anglia hominibus caro piſcium non eſt caro.

Id quod Pontificii volunt & opinantur. Falsò. Nam caro piſcium eſt, & manet caro, juxta Paulum & Pliniũ, ſive leges ſeveræ ſtatuantur in comedentes carnes vetitis diebus, ſive non ſtatuantur.

Sed ita rectè concluditur & ſequitur

Qui certas juſtáſque ob cauſſas politicas certis anni temporibus carnes prohibent, & ſeveras leges in comedentes carnes prohibitis diebus ſtatuunt, ii bonum politicum jejunium abſq; ſuperſtitione Papali inſtituunt atque uſurpant.

In Anglia Magiſtratus certas juſtáſque ob cauſſas certis anni temporibus carnes hominibus prohibet, & ſeveras leges in comedentes carnes prohibitis diebus ſtatuit. Hanc enim minorem Perkinſus probat, ut ſuprà, &c.

Ergo magiſtratus in Anglia bonum politicum jejunium abſque ſuperſtitione Papali inſtituit atque uſurpat.

III. Chriſtum & Apoſtolum Paulum inſtitutis Papiſtarum de jejunio non contradicere hac ratione probāt: *Chriſtus & Paulus non loquuntur de jejuniis Chriſtianorum.* Rectè: Nam illa à Chriſto & Paulo non improbantur, ſicut nec nobis, ſi legitima & pia, qualia ſuprà deſcripſimus, inſtituantur & uſurpentur.

Jejunia Chriſtianorum ſuperſtitioſa æquè à Chriſto & à Paulo prohibentur ac Judæorum.

De quibus ergo loquitur primùm Chriſtus? deinde Paulus? Chriſtus de Phariſæorum & Judæorum jejunio verba facit, qui 1. in *delectu magis & diſcrimine ciborum*, quàm in abſtinentia jejunium poſuerunt, & certos interdixerunt cibos, quorum ſumptione mortaliter peccetur, & conſcientia polluatur: ut Math. 15. colloquium Chriſti cum ſuis diſcipulis indicat, ac Apoſtolus Rom. 14. ait. 2. Jejunia ſtata, certo dierum tempore & numero diſcreta Phariſæis & Judæis fuerunt: ut Thraſonis illius verba produnt, qui dixit: *Bis jejuno in hebdomade.* 3. Non minimam cultus divini partem Phariſæi & Judæi in jejuniis collocarunt: ut ex Zach. 7. & Luc. 18 12. ac Math. 6 16. liquet. Volebant enim iis Deum demereri, & ex eorum uſu ſanctiores exiſtimari. *Luc. 18. 12.*

Num non pari ratione ac fine Pontificii Chriſtiani jejunare conſueverunt? Certè. Ne enim altius repetam ſententias omnes Pontificiorum doctorum, Per. CANISIUS inquit in Catecheſi: *Jejunium eſt, certis diebus juxta morem & præſcriptum Eccleſiæ carnibus abſtinere, & ſaltem unica cibi refectione in die contentum vivere frugalibus.* COSTERUS in Enchiridio cap. 18. ait: *Jejuniũ Eccleſiaſticum eſt, quum quis ad Dei gloriã, ut corpus affligat, carnibus abſtinens, nec ante meridiem, nec circa meridiem, nec ampliùs quàm ſemel in die, corpus reficit.* Gratianus verò, *jejuniis dicit animas è Purgatorio liberari.* SOTUS in aſſertionibus Catholicis inquit: *Jejunium eſſe opus ſatisfactorium, quo peccata expiemus, iram Dei mitigemus, & vitam æternam mereamur.* Sic & Eccius in Enchiridio cap. 14. prop. 3. Sententiarii in 4. *Ex Concil. Mogunt. Can. 35.* *Diſt. 14. q. 2. cap. anima.*

Annon ergo hæc evincunt, Pontificios pari modo & fine ſeu ſcopo, quin ſuperſtitioſiore & deteriore jejuniis vacare,

care, quàm Phariſæos & Judæos? Chriſtus ergo, qui horum jejunia perſtringit, & mercede ſua privari apud Deum Math. 6. 16. Luc. 18. 14. teſtatur, idem judicium de Chriſtianorum Papiſticorum jejuniis pronunciat.

Paulus ſimiliter Col. 2. 16. Rom. 14. 1. Tim. 4. 3. loquitur, *de Judaicis obſervationibus & diſtinctionibus temporum atque ciborum quaſi immundorum, à quibus Chriſtianos immunes eſſe voluit.* Imò non de his tantùm, ſed etiam de iis, quas Pſeudoapoſtoli cervicibus Chriſtianorum imponere tum volebãt, & etiam num hodie imponunt.

Nam Paulus Col. 2. 16. Chriſtianis *primùm* ſignificat ac teſtificatur, eos liberos eſſe à diſcrimine ciborum & obſervatione certorum temporum legali atque ſervili: quum Chriſtus iſtas ceremonias perfectè impleverit, implendo abrogarit, abrogando nos in plenam libertatem vindicarit, verſu 17. 20.

Deinde à ſimilibus ceremoniis, obſervationibus & traditionibus, quas Pſeudoapoſtoli introducebant, liberos eſſe, duabus rationibus oſtendit. Primam ducit à minorum comparatione:

Si liberati ſumus à ceremoniali cultu, quem Deus per Moſem præſcripſit ac mandavit: tum ſequitur, nos multò magis liberos eſſe à ceremoniis, quas mandarunt alii in novo Teſtamento extra Dei verbum.

Sed antecedens eſt verum.

Ergo & conſequens.

Alteram rationem, quæ à ſuperiori dependet, ſumit Apoſtolus à conſideratione cauſſæ efficientis: quum obſervatio diſtinctionis ac prohibitionis ciborum, nec non certorum temporum & dierum, ſit *doctrina ac mandatum hominum*, & ἐθελοθρησκεία, ℣. 22. Unde conſtat, Apoſtolum non tantùm de Judaicis ceremoniis, ac ciborum temporumque diſtinctionibus, ſed etiam de omnibus aliis, quæ extra expreſſum & ſcriptum Dei verbum, importantur in Eccleſiam, loqui. Nam illæ Dei doctrina ac mandatum ad certum tempus fuerunt: hæ verò ſunt mandatum & doctrina hominum. Atque hac ratione etiam Papa & quilibet Papiſta certos cibos certis diebus prohibens, à Paulo, ut Chriſti adverſarius, reprehenditur.

Doctrinæ dæmoniacæ inſimulatio, & anathematizatio ob prohibitos in jejuniis certos cibos ac dies æquè Papiſtis convenis ac vetuſtis hæreticis.

IV. Perculſi Papiſtæ tũ loco 1. Tim. 4. de prohibitione ciborum ex diaboli inſtinctu in hypocriſi, &c. tum fulmine Anathematum à Conciliis dictorum propter veritos certos cibos ac dies, ea arte à ſuis capitibus depellere moliuntur, quod ea ſolùm de Tatianis, Encratitis, Manichæis, Priſcillianiſtis & Euſtathianis, veteribus hæreticis, non de Papiſtis dicta ſint. Sed quã debile ſit argumentum videbitur, ſi in formam redigatur. Sic igitur Papiſtæ ratiocinantur:

Quicunque poſtremis temporibus prohibituri ſunt quoſdam cibos, ii doctrinam dæmoniorum proferent in hypocriſi, ac ideò à ſynodis vetuſtis damnantur.

Sed Tatiani, Encratitæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ & Euſtathiani mox poſt Apoſtolorum tempora prohibuerunt certos cibos in hypocriſi.

Ergo Tatiani, Encratitæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ & Euſtathiani dæmoniorum doctrinam protulerunt in hypocriſi

criſi, ideóque ſunt damnandi illi, non Pontificii.

Hîc *propoſitione* quidem nihil verius, nihilque firmius eſt. Conſtat enim tũ manifeſto ſancti Apoſtoli vaticinio 1.Tim.4.3. tum can. ſynodi *Gangrenſis*, quæ c.2. hæc verba pronunciat: *Si quis eum, qui carnem (excepto ſanguine idolothyto & ſuffocato) ex fide cum religione manducat, condemnarit, veluti ſpem propter hujuſmodi perceptionem non habeat, anathema ſit.* Assumptio autem & concluſio conſtant in ſufficienti partium enumeratione. Paulus enim in genere de omnibus his loquitur, qui à quibuſdam cibis jubent abſtinere, quocunque tempore ab Apoſtolorum ætate & à quibuſcunque hominibus id fiat: eoſdemque ſimul omnes ſynodus Gangrenſis damnat. Inferendum ergo fuerat.: *Quicunque igitur nonnullos cibos prohibent, ſive illi Tatiani, Encratitæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ & Euſtathiani ſive Papiſtæ, Monachi, aut alii ſint, ii doctrinam dæmoniorũ proferunt in hypocriſi, ac jure ſunt damnandi, imò ſynodi Gangrenſis canone damnantur.* De ſimilibus enim idem eſt judicium. Et perinde eſt hæc Papiſtarum loci Paulini, 1. Tim.4.3. ac canonis concilii Gangrenſis eluſio, ac ſi quis ita argumentetur: Quod Paulus ſcribit de ſcortatione & ſcortatoribus impletum eſt ſuo tempore in Corinthiis: Ergo ad noſtri vel alterius ſeculi ſcortatores ac ſcortationem nihil omnino pertinet: qua ratione in univerſum à noſtræ vel alterius ætatis hominibus ſacræ Scripturæ præcepta ac dicta rejici poſſent.

Act.15.29. & 21.25.

Omittimus alia Papiſtarum argumenta ficulnea, quibus quo vehementiùs ſe errare ac hæreticè agere inſtar Tatianorum, Encratitarum, &c. circa prohibitionem certorum ciborum & dierum in jejuniis negant, quo aſtutius ſe dæmoniorum doctrinam habere tegunt, quo denique impudentiùs orthodoxam doctrinam ſuos jejunandi ritus ac fines redarguentem eludunt eo manifeſtiùs & turpiùs ſeſe hæreſeos reos eſſe oſtendunt.

3. *Cœlibatus vel abſtinentia à conjugio defenſores ſunt heretici Aëriani.*

Accedit Aërianorum hæreſis in non admittendis ad communionem ſuam niſi continentibus, quod Philaſtrius explicans, dicit: *Damnant etiam de lege nuptias, non à Deo inſtitutas adſerentes.*

Quínam hodie etiam hujus hæreſeos rei ſunt? Euangelicine? Hoc nec Papiſtæ de illis dicere audent, nec etiamſi dicerent, in Euangelicis deprehenditur. Nam Euangelici docent & ſentiunt: *Honorabile conjugium inter quoſvis, & thorus immaculatus.* Itaque cuivis hominum generi & ordini licet apud Euangelicos cum pietate & honeſtate matrimonium contrahere, imò etiam neceſſarium & injunctum illis eſt, qui ſe continere non poſſunt. Nam Apoſtolus: Unuſquiſque, inquit, propter fornicationem, ſupple evitãdam, propriam habeat uxorem, & unaquæque proprium ſuum virum. Ubi verbum ἐχέτω imperantis eſt, non liberum permittentis. Et in hoc quoad politicos homines, nulla eſt controverſia, ſed ſaltem de Eccleſiaſticis, quibus Euangelici etiam conjugium permittunt.

Heb.13.4.

1.Cor.7.2. 9.

Quin Euangelici homines in reformatis Eccleſiis verſantes, tametſi *cœlibatum* in iis omnibus, qui donum *ſpecialis*, hoc eſt, *virginalis* aut *vidualis* continẽtiæ habent, honorificè commen-

Digitized by Google

dent, & certo quodam reſpectu non paucas conjugii moleſtias & difficultates (quas præſertim ipſe Apoſtolus 1. Cor. 7. expreſſit) ultrò etiam agnoſcunt: ipſum tamen *conjugium*, ejusque legitimum uſum, inter res ſua natura indifferentes, & nulli hominum ordini prohibitas, ſemper reponunt. Eóque hoc non minùs *Sacerdotibus*, ſeu verbi *miniſtris*, item Monachis & Monialibus ſeu Nonnis (ut vocantur) quàm aliis Chriſtianis, liberum eſſe debere affirmant: ſive conjugium ante, ſive poſt ordinationem: ſive ante, ſive poſt ingreſſum in monaſteria ac votum continentiæ factum: item ſive ſemel tantùm, ſive ſæpius, ſed ſucceſſivè tamen, ab ipſis verbi *miniſtris, ſacerdotibus, monachis & monialibus* contrahatur. Dicemus ergo 1. de miniſtrorum conjugio, 2. de Monachorum & Nonnarum votis. 3. de Digamia.

Eccleſiaſticis cunctis conjugium eſt licitum.

QUOAD Miniſtrorũ Eccleſiæ matrimonium, pro eo argumenta noſtrorum hæc novem præcipua ordine ſunt.

1. Ducitur ex loco illo celebri 1. Tim. 3. 2 4 12 & ad Tit. 1. 6. ubi Apoſtolus nominatim de *Epiſcopis ac Presbyteris*, deq; *Diaconis*, clarè affirmat, licere ipſis quoque conjugium inire: nempe quatenus ſingulos *unius tantùm uxoris viros eſſe jubet*, &c. hoc eſt, à polygamia propriè dicta abſtinere, &c. Item, quatenus affirmat, eos *propriæ domui bene præeſſe, & liberos in ſubjectione continere* tum poſſe, tum debere, &c. Ergo conjugium cum ſacro miniſterio per ſe non pugnat, ſed miniſtris & ſacerdotibus licitum eſt.

2. Affertur ex Math. 19. 11 12. Chriſtus *cœlibatum* quidem in genere commendat, reſpectu videlicet eorum, *qui ſermonem iſtum capere poſſunt*, hoc eſt, qui domo *ſpecialis* continentiæ præditi ſunt Sed nemini tamen eum *ſimpliciter* ſuadet, aut conſulit: *ſimpliciter*, inquam, hoc eſt, extra hypotheſin ſpecialis illius doni, ſeu facultatis jam dictæ. Tantum ab eſt, ut ille hominum ordini puta *Eccleſiaſtico*, &c. eundem præcipiat, aut quaſi legem quandam imponat, vel obtrudat. Quin potiùs omnes ſupra dicto dono carentes, libertate ſua uti, non obſcurè præcipit, dicendo: *Qui poteſt capere capiat.* Cujus contrarium: *Qui non poteſt capere, non capiat.* Id quod etiam ex tota orationis ſerie manifeſtũ evadit. Ergo lex cœlibatus ſaltem non nititur jure divino, &c. in Eccleſiaſticis æquè ac politicis.

3. Sumitur ex 1. Cor. 7. ubi Apoſtolus ſimiliter cœlibatum quidem certas ob cauſſas, ſive certo reſpectu, commẽdat, nulli tamen hominum ordini tanquam obſervatu neceſſariam præſcribit. Immò generatim aſſerit, *ad vitandã ſcortationem debere unum quemque virum propriam habere uxorem*, &c. Item: *Melius eſſe matrimonium contrahere, quàm uri*, id eſt, flammis incontinentiæ æſtuare &c. Vide totum caput, unde non pauca pro conjugio ſacerdotum proferri poſſunt. *Verſu. 2.* *Verſu 9.*

4. Petitur ex 1. Tim. 4. 3. ubi Apoſtolus *prohibitionem conjugii* non minùs ac ciborum, *inter doctrinas diabolicas receſet*. Atque ita non obſcurè indicat, null hominum ordini conjugium prohibendũ eſſe. Ergo lex cœlibatus tam in politicis quàm Eccleſiaſticis hominibus pro diabolica habenda eſt.

5. Producitur ex Epiſt. ad Heb. 13. 4. ubi Apoſtolus affirmat, Conjugium eſſe honeſtum ἐν πᾶσιν, hoc eſt, *Inter omnes*, nempe

Digitized by Google

nempe eos omnes, qui divina lege non expreſſe prohibentur, &c. At Lex Dei nullum hominum ordinem hic revera excipit: 1. Cor. 2. 9. &c. Unde conſequitur omnes hominum ordines, & proinde etiam ordinem Eccleſiaſticum, liberam poteſtatem habere conjugii cõtrahendi; ſervatis tamen omnibus ſervandis, quæcunque extra controverſiam ſunt.

Gen. 2. 18. 20. 21. 22. Gen 9. 1. Math. 19. 4. 5. 6. Joh. 2. 1. & ſeq.

6. Accipitur à perpetua praxi *Clericorum* vel *Eccleſiaſticorum* ſub Veteri Teſtamento, quippe ſub quo *ſacerdotes & Levitas omnes*(ne ſummo quidem *Pontifice* excepto, prout Levit. 21. patet) liberũ conjugii uſum habuiſſe conſtat quamvis iidem ob *typicam* ſanctitatem, & *myſticam* quandam rerum futurarum ſignificationem, tempore ſacrorum officiorum à conſuetudine conjugali abſtinerent. Quod & alii privati, ſive Laici eodem fine & conſilio faciebant. Vide Exod. 19: & reliquis locis, infra ab Adverſario citandis.

7. Sumitur à praxi ipſorum Apoſtolorum, & aliorum inſignium Epiſcoporum, qui proximis aliquot ſeculis poſt exceſſum Apoſtolorum floruerũt. Quos & conjugatos fuiſſe, & conſuetudinem quoque uxorum in S. miniſterio retinuiſſe, perſpicuè conſtat. Vide de Petro, item Johanne & Jacobo Apoſtolis, tum 1. Cor. 9. 5. Math. 8. 14. & alibi paſſim in hiſtoria Euangelica. Vide etiam de antiquiſſimis Epiſcopis, nempe Irenæo, Spiridone, Hilario, & aliis compluribus apud Euſebium, aliosque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, &c. Nam ut Mantuanus verè canit.

> - - - - *Non horruit illa*
> *Tẽpeſtate Deus thalamos, cõnubia, tædas*, &c.

Tripartita hiſtoria lib 9 cap. 38. Nicephorus lib. 11. cap. 19. & lib. 8. cap. 42. ac cap. 19.

8. Ducitur ex eadem *hiſtoria Eccleſiaſtica*, præſertim verò poſteriorum temporum: unde videlicet apertè conſtat *legem cælibatus* nullo jure divino, vel Apoſtolico, inde ab initio invectam fuiſſe, ſed progreſſu longi temporis demũ in Eccleſiam variis artibus & prætextibus irrepſiſſe. Adeoque *inventum eſſe merè humanum*, quod primo quidem liberæ obſervationis fuerat: deinde paulatim quandam vim legis accepit, donec tandem à Romanis Pontificibus per meram tyrannidem invitis Eccleſiaſticis hoc jugum impoſitum fuit. Vide etiam hiſtoriam Paphnutii in Concilio Niceno pro conjugii libertate pulchrè diſſerentis apud Sozom. lib. 1. 22. Vide etiam res geſtas Auguſtini Monachi & alias complures hiſtorias apud alios Auctores circa ſeculum octavum & deinceps. Imò etiam hodiernus Græcorum & aliorum Orientaliũ mos idipſum, quod modò diximus, veriſſimum eſſe teſtatur: quippe qui legẽ iſtam ne nunc quidem recipere volũt. Ergo non à Deo, ſed ab hominibus iſta lex orta eſt.

9. Petitur ab impoſturis Hæreticorũ ut *Montaniſtarum, Tatianorum, Saturnianorum, Manichæorum, Marcioniſtarum, Priſcillianiſtarum, Encratitarum, Aërianorum, & Euſtathianorum*: qui conjugium ut doctrinam & opus diaboli damnarũt. Ergo iſtorum hæreticorum contubernales ſunt, quicunque ſimiliter Matrimonium improbant, & ut carnis immunditiem, in qua nullus De placere poſſit, aliis aut ſibiipſis prohibent.

Hæretici veteres, qui conjugium repudiabant & damnabant.

Digitized by Google

10. Ducitur à *propriis effectis*, ſeu *fructibus* hujus *Pontificiæ legis*: qui ſcilicet tam impuri & ſpurci ſunt, ut reticeri honeſtius, quàm commemorari queant, idcircò ipſum ſacerdotum cœlibatum præſertim coactum ſeu lege impoſitū ſimiliter impurum ac fœdum eſſe, eóque non Deum, ſed potiùs diabolum auctorem habere, non obſcurè demõſtrant. Atque huc non ineptè referri poteſt Epiſtola illa *Huldrici Epiſcopi Auguſtani*, ad Nicolaum Papam, de ſex millium puerorum capitibus, in piſcina quadam cœnobiali repertis, &c. Quam epiſtolam licet Adverſarii fabuloſam eſſe dicant, jam olim tamen antè *Lutherum* natum reverà extitiſſe, & pro vera habitam fuiſſe, perſpicuè conſtat, ac à quamplurimis doctis viris hoc nomine defenditur. Et certè ipſa *experientia* eam comprobat, & hoc ipſum argumentum totum nimis verum eſſe nimiſque apodicticum exiſtere, hactenus abundè demonſtrat. Ergà ex malis fructibus arbor mala nobis cognoſcenda eſt. Vide etiam Guil. Bucani Inſtit. Theol. loco 12. de conjugio, ai: 9. *an liceat Eccleſiæ miniſtris inire conjugium*, pag. 118. 119. 120. Inſtitutiones Calvini cap. 3 à ſect. 63. uſque ad 78. & cap. 19. à ſect. 22. uſque ad 39. Gualth. in Math. Homil. 4. fol. 12. 13. & in Joh. cap. 2. Hæc ſunt quæ Euangelicos movent, ne legi cœlibatus Miniſtrorum Eccleſiæ locū dent, ac proinde ab hæreſi tam Aëriana quàm Montana, Priſcilliana, Encratitica, Saturniana, Tatiana, Manichæa, Marcionitica, & Euſtathiana in prohibendis damnandiſque nuptiis, alieniſſimi ſint.

Nullíne autem hodie ſunt, qui Aërium & alios hæreticos veteres in conjugii prohibitione & damnatione imitantur? Papiſtæ & Romanæ Eccleſiæ ſectatores. Non Papæ Romani tum Miniſtris Eccleſia omnibus matrimonio interdicunt, & ad communionem ſacri ordinis nullos ex iis admittunt, niſi continentes & continentiam jurantes atque voventes, tum Digamos etiam ad Miniſterium non admittunt, tum denique Monachos & Moniales à matrimonio arcent. Quamobrem harum rerum hæreſin Aërianam, ac Euſtathianam, Marcioniticam, Montaniſticam, Encratiticam, Saturnianam, &c. circa conjugium redolentiū ordine convincendi ſunt. *1. Papiſtæ Aërium & alios hæreticos veteres in prohibitione & damnatione conjugii imitari.*

Primo cœlibatum omnibus Eccleſiæ Miniſtris prohibito prorſus matrimonio lege imponunt. Ex profeſſo hoc docet Bellarminus lib. 1. de memb. Eccleſ. Milit. cap. 18. 19. 20. 21. 22. Idem mirifico conatu contendit Joh. Piſtorius in Teſſaradecadis ſeu Ducis pro ſeductis Chriſtianis Diſputat. 13. An non hoc ſacræ Scripturæ, Antiquitati puriori, & honeſtati ipſi repugnat, ac proinde hæreticum eſt?

Ille tuetur hoc Papiſticum inſtitutum, & contra Euangelicos multis argumentis efficere vult, cœlibatum jure divino ſacris ordinibus annexum eſſe: quæ audiemus. *Lib. 1. de Eccl. milit. cap. 19.*

1. Ducit à praxi *veteris Teſtamenti*, cujus *Sacerdotes* ſaltem quandiu officio ſacro fungebantur, à conſuetudine conjugali abſtinere jubebãtur, ſicut Exod. 19. & 28. & alibi videre eſt. Et nominatim etiam Luc. 1. in hiſtoria *Zachariæ* patris Johan. Baptiſtæ, &c. Imò ne Laicis quidem, niſi ab uxoribus ad tempus aliquod *Exod. 19. 15. & 28. 1. Reg. 21. 4. 5.*

liquod

li quod abſtinuiſſent, res ſacras, præſertim ſolenniores, tractare licebat, quemadmodum in Exod. cap. 12. 11. & 19. 15. & in 1. Sam. 21. 4. 5. apparet. At verò Sacerdotes Novi Teſtamenti divinis officiis ſemper vacare oportet, & nominatim ſanctiſſimum Miſſę ſacrificium quotidie offerre, &c. Unde conſequitur, iis corpus ſuum ab uxoribus continendum, imò ab omni conjugii uſu abſtinendum eſſe; quo videlicet ſemper apti ſint & parati ad res ſanctiſſimas ritè tractandas.

2. Sumit ex Tit. 1. ℣. 7. Item ex Epiſt. ad Tim. 1. cap. 3. ℣. 4. ubi inter alias *Epiſcopi* ſive Eccleſiæ *miniſtri* conditiones etiam *ἐγκρατεία*, ſive *continentia* numeratur, quæ ipſa pro *ſpeciali* quadam *caſtitate* hoc loco ponitur, & pro inde nihil aliud eſſe videtur, quàm abſtinentia totalis ab uſu conjugii. Nam alioqui *generalis* continentia non à *miniſtris* tantū ſed à *quibuſvis Chriſtianis* exigitur, & ibidem quoque aliis vocabulis exprimitur. Ac Apoſtolus ubi dicit, Epiſcopum debere eſſe *continentem*, intelligit ab uxoris amplexibus, ut Hieronymus hunc locum interpretatur. Unde efficitur, omnes Eccleſiæ miniſtros omnino in cœlibatu vivere oportere, tanquam in ſpeciali continentia, &c.

3. Petit partim ex loco 1. Cor. 7. 32. ubi Apoſtolus ait, *cœlibes ea curare, quæ Domini ſunt*: Item *Domino indiſtractè vel indivulsè adhærere*, ℣. 35. quod conjuges non ita facere poſſint: partim ex ipſa experientia quotidiana, quippe quæ idipſum ita ſe habere cōprobat, quod Apoſtolus eo in loco prolixè docet. Nempe, conjugibus in vita conjugali multas ſubinde moleſtias & curas objici, quæ curſum veræ pietatis vehemēter impediant. Quum igitur *Sacerdotes* ſeu verbi miniſtros, quàm expeditiſſimos eſſe oporteat, ad officia ſua ſemper ritè adminiſtranda, neceſſe eſt, ut alienas occupationes, quæ vitam conjugalem neceſſariò comitantur, omnino excludant: & proinde ipſum conjugii uſum, tanquam functioni Eccleſiaſticæ per ſe contrarium, prorſus abjiciant, ſive à conjugio in totum abſtineant. Nam *nemo militans implicatur hujus vitæ negotiis*, &c. 2. Tim. 2. 4.

4. Etſi Paulus dicat 1. Tim. 4. 3. ſequuturos eos *ſpiritus ſeductores, qui in hypocriſi doctrinam dæmoniorum tradant, prohibendo conjugium contrahere*: tamen exceptionem apud Papiſtas optimam ac piiſſimam eſſe. Dicere enim ipſos: ſe conjugium nemini prohibere, nempe quia neminem ad ſacros ordines adſpirare cogant. Deinde *κατά τι*, non abſolutè ſe prohibere, nempe requirendo votum, & voti impletionem.

5. Sumit à *perpetua praxi Eccleſiæ Chriſtianæ*, vel ab *antiquo & univerſali* Eccleſiæ Catholicæ conſenſu: qui paſſim in Conciliis & Patrum ſcriptis abundè indicatur. Nam inde ferè ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ cœlibatus ſacerdotum, tanquam Apoſtolica traditio, ſacris ordinibus alligatus fuit: ſicut in Concilio Ancyrano, Neocæſarienſi, Niceno 1. & aliis deinde ſequentibus: nec non in Tertulliano, Cypriano, Epiphanio, Hieronymo, & aliis deinde patribus eſt videre.

6. Etſi Apoſtolus inter hæreticos novisſimorum temporum ponit nuptias prohibentes, 1. Tim. 4. 3. tamen loquitur tantùm de iis, *qui ſimpliciter* *Lib. 1. c. 10. de Eccleſia milit.*

damna-

damnabant nuptias, ut per ſe impuras ac malas, quales fuerunt *Tatiani*, *Manichæi*, &c. At Pontificii non ita ſimpliciter eas damnant, ſed ob ordinis Eccleſiaſtici dignitatem & ſanctitatem retinendam, &c. Ergo jure divino ſacerdotibus contrahere matrimonium interdicitur. Deinde inquiunt: *Damnat Scriptura prohibentes matrimonium Manichæos, Encratitas, Aërianos & ſimiles peſtes, non autem Pontificem Romanum & Pontificios.*

Solutio. Adhæc igitur argumenta pro lege cœlibatus in Eccleſiaſticis hominibus allata, paucis ita reſpondemus.

In *primo* aberrari à ſtatu quæſtionis: dum ex typica & ceremoniali veteris Teſtamenti ſanctimonia, quæ ſubinde etiam in ipſis Laicis conjugibus requirebatur adverſus conjugium Sacerdotum & Eccleſiæ miniſtrorum ratiocinatio præpoſtera inſtituitur. Namque eodem ferè conſilio ac fine Sacerdotibus in officio ſacro verſantibus, uſu *vini* quoque & *ſicera* interdicebatur: nec tamen hinc quiſquam niſi ineptè concluſerit, verbi miniſtris à vino & ſicera ſimpliciter abſtinendum eſſe.

In *ſecundo* fallaciam eſſe homonymiæ, ſeu falſam potiùs dicti Apoſtolici interpretationem, quantum quidem ad vocabulum *continentiæ* attinet. Eſt enim *duplex continentia*, ſive caſtimonia; una *generalis*, omnibus Chriſtianis, ſed inprimis verbi miniſtris, ſeriò colendā: altera *ſpecialis*, ad ſtatum uniuſcujuſque accommodata, puta aut virginalem, aut vidualem, aut etiam conjugalem, de quorum priore, hoc eſt, generali tantùm Apoſtolus in locis citatis agit, quatenus Epiſcopis & Diaconis, etiam conjugatis, eam attribuit.

In *tertio*, ſimilem elenchi ignorationem ac in priori latere. Etſi enim conjugium ſuas interdum habet *curas & moleſtias*, præſertim quum talia ſunt tempora, qualia illic Apoſtolus deſcribit, habet tamen etiam ſuas commoditates, paſſim alibi in ſacris literis expreſſas, V.G. Gen. 2. Pſal. 127. & 128. item Prov. 31. Heb. 13. 4. Imò plures & graviores moleſtias habet *coactus cœlibatus*, quippe quæ conſcientiā affligāt, quum illæ priores tantùm carnem crucient. Vide Guil. Perkinſi Catholicum reformatum controv. 8. de votis, cap. 2. pag. 199. & 200. Quare uterque ſtatus, utpote per ſe adiaphorus, uniuſcujuſque libertati & propriæ conſcientiæ permittendus eſt.

In *quarto* eſt eadem fallax & falſa dicti Apoſtolici explicatio, ut in 2. fuit. Nā 1. revera prohibēt matrimonium, ſi non omnibus, at duntaxat aliquibus, nempe ſacerdotibus, Eccleſiæ miniſtris & hujuſmodi ſacris perſonis. 2. Hiſtoriæ teſtantur, ereptas ſacerdotibus ſuas uxores per vim & minas & pœnas. 3. Nulla eſt differentia inter hæc duo, immediatè prohibere nuptias, aut extorquere votum, quo quis obſtringatur ad non ducendam. Nimirum illa prohibitio directa, hæc obliqua, utraque tamen vera prohibitio eſt.

In *quinto* partim principium petitur, partim infirma ratio ex veterum exemplis, aut dictis, quæ non ſemper pro regula haberi poſſunt, nectitur. Nam præter quàm quod antiquiſſimi Epiſcopi complures, imò plerique Apoſtoli, in conjugio ætatem egerunt, prout

Digitized by Google

(prout ſuprà citavimus) univerſi etiam qui vel cœlibes fuerunt, ſua ſponte abſque lege cœlibatum initio coluerunt. Teſtatur hoc evidentiſſimè Tripartita hiſtoria lib. 9. cap. 38. inquiens: *In Oriente cuncti ſpontanea voluntate, & nō aliqua neceſſitate, etiam Epiſcopi, ſeipſos abſtinent. Plurimi enim eorum etiam Epiſcopatus tempore ex legitima uxore filios habuerunt.* Tandem *Romani Epiſcopi* ſeu *Papa* manifeſta tyrannis, quicquid hac in parte libuiſſet, in Eccleſia præſertim *Occidētali* ſeu *Latina*, licet aliis Epiſcopis reclamantibus, potenter effectum dedit. Vide *Philippum Mornaum*, lib. 2. de Euchariſtia cap. 9. & ſequentibus, ubi hæc omnia prolixè & accuratè ex hiſtoriis repetuntur. Et hæc eadem Bellarmini argumenta, ac præterea alia Pontificiorum doctè refert tum *Conradus Vorſtius* Teſſeradecadis Antipiſtorianæ parte 2. cap. 13. tum *Balthaſar Menzerus* diſputationis Antipiſtorianæ 13. capite.

Hæretici veteres & Papiſtæ ſimiliter conjugium prohibent.

In *ſexto* 1. prætextus falſus affertur. Nam arcere aliquem à conjugii uſu, atque legitimæ uxoris commixtione, ut ſanctitatem & caſtitatem ſervet, nihil aliud eſt, quàm cenſere uſum conjugii & concubitum cum honeſta uxore ac legitima ſanctitatem adimere, & impuritatem inducere. Idem verò veteres hæretici exiſtimabant. 2. Dicere matrimonium eſſe immundum, ac prohibere, ut impurum & pollutum, quod hæretici antiqui fecere: & dicere conjugio utentes eſſe vel vivere in carne, prohibereque conjugium ſacerdotibus, quia eſſent & viverent in carne, ut Deo placere non poſſint, quod Syricius Papa dixit & fecit, quodque hodie Pontificii ſentiunt, dicunt, ſcribunt & faciunt, nihil diſcrepat, ſed unum & idem eſt. Nam diſt. 82. cap. Propoſuiſti, ubi ipſe Syricius nominatur, hæc ſunt verba eo in loco: *Sacerdotes ſemper debebunt ab hujuſmodi conſortio* (conjugali) *abſtinere.* Rationes adduntur iſtæ: *Quia coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum. Quia qui ſunt in carne, Deo placere non poſſunt. Quia ſcriptum eſt: Sancti eſtote.* Itaque ad formam Syricii argumentum redactū, concidit. Nam ita habet in forma Syllogiſtica:

Rom. 8. 8. *Tit.* 1. 15. *Rom.* 8. 8. *Levit.* 19.

Qui in carne ſunt, inquit Paulus, *Deo placere non poſſunt.*

Conjuges ſunt, ſeu vivunt in carne.

Ergo conjuges Deo placere non poſſunt.

Negatur conſequentia: Quia eſt fallacia æquivocationis. Nam *vivere, ſeu eſſe in carne*, non ſignificat ſancto Paulo, eſſe conjugem, ſeu uti conjugali conſuetudine, quæ eſt divina ordinatio. Sicut, inquit Deus: *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum. Faciemus ei adjutorium.* Et Apoſtolus: *Salvatur mulier liberos gignendo, ſi manſerit in fide, ac charitate, & ſanctificatione cum modeſtia* Et Paphnutius dixit: *Caſtitatem eſſe conſuetudinem conjugalem.* Sed in carne eſſe, ſeu vivere, eſt indulgere carnalibus concupiſcentiis, ſeu ſequi humanam rationem contra verbum Dei, & peccatis contra teſtimonium conſcientiæ indulgere. 3. Paulus non tam perſonas, quàm res ipſas damnat. Nec Manichæorum, Aërianorum, Encratitarum, Euſtathianorum, &c. facit mentionem, ſed indefinitè, *Doctorum à Satana concitatorum, & prohibentium contrahere matrimonium.* Itaque illos hæreticos ſubintelligit, qui ſic à diabolo inſtigati

Gen. 2. 18. *1. Tim.* 2. 15. *1. Tim.* 4. 3.

Digitized by Google

ſtigati nuptias prohibuerunt. At quomodo probatur, quod veteribus hæreticis crimini datum fuit, id Romano Pontifici laudi eſſe debere? *Quia nemini prohibet matrimonium*, inquiunt Papiſtæ & eorum rabulæ. Nemini? *Niſi illis, qui ſibiipſis voto, non juramento interpoſito, uſum matrimonii interdixerunt, & ſine gravi ſacrilegio ſuaq; ſalutis jactura matrimonium contrahere nequeunt.* Ergo ſi Papa alicui, non nemini prohibet: & ſi non nemini: certè eodem modo, quo Manichæi, Aëriani, Euſtathiani, Priſcillianiſtæ, Encratitæ, Saturniani, Marcionitæ & alii hæretici à Paulo damnatur, atque inter dæmoniacæ doctrinæ ſatores, defenſores & propagatores reponitur. Nam & Manichæi, cæterique iſti hæretici non ſimpliciter & in univerſum damnabant nuptias, ſed propter immunditiem carnis in conſuetudine conjugali vitandam, & propter majorem perfectionem atque ſanctitatem in ſuis electis plantandam & obſervandam. Falſum adhæc eſt, quod negant, juramento interpoſito, matrimonio cuiquam interdici. Nam cur dicunt & docent multi Papiſtarum: *Ad votum cœlibatus non requiri voluntatis intentionem, rationis deliberationem, cordis promiſſionem, oris expreſſionem, ſed etiam promiſſionis teſtificationem, ſeu cõfirmationem Deo factam, interpoſita obteſtatione nominis divini, & addita ſive explicitè, ſive implicitè execratione, ſi non ſerventur.* Sed fallunt & falluntur. Vota enim illa juramentum adjunctum non habent, ſed perjurium, ſed nominis divini contra tertium præceptum abuſum & profanationem. Nam vovent quidem & jurant perpetuam continentiam & caſtitatem, at non ſervant, ſed cum concubinis & ſcortis, aut alienis filiabus, ancillabus ac matronis, pro propriis uxoribus violant. Falſum denique eſt, quod ſine ſalutis jactura & gravi ſacrilegio votarii, etiamſi non contineant, matrimonium contrahere non poſſint. Nam contradicit 1. Deo ipſi, qui teſtatur: *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum faciemus ei adjutorium.* 2. Apoſtolo, qui ſimpliciter dicit: *Qui ſe non continẽt, matrimonium contrahant. Nam melius eſt nubere, quàm uri.* Nec is, qui matrimonium poſt commentitium illud votũ contrahit, ſed qui ſcortatione corpus polluit, jacturam animæ ſalutiſque facere dicitur, 1. Cor. 6. ℣. 4. *Gen. 2. 1. Cor. 7. ℣ 9.*

II. *Votis continentia Monachos & Nonnas obligando Papiſtas hæreſi Aërianæ teneri.*

Et quoniam in mentionem incidimus voti continentiæ, quo Papiſtæ Monachos & Sanctimoniales à conjugio arcent, nec in communionem cœnobiorum & monaſteriorum aſciſcerent, niſi eo ſeſe aſtringerent, jam ſecundo loco ejus vim & pondus trutinabimus, ut clariùs elucescat, eos omnino hæreſi Aërianæ, Euſtathianæ, Encratiticæ, reliquorumque ſuprà nominatorum hæreticorum, operam dare. Non minùs enim Monachos & Sanctimoniales, quàm Sacerdotes, inter electos ſuos recenſent Papiſtæ *quibus ſolùm ob majorem ſanctitatem & perfectionem, non ſimpliciter* prohibent & damnãt nuptias, quemadmodum Manichæi, Aëriani & reliqui antiqui hæretici fecerunt. Ad cujus evidentiorem cognitionem alternis tum Euangelicorum argumenta votum continentiæ oppugnantia, tum Papiſtarum illud propugnantia in apricum proferemus, unde Euangelicos ab hac hæreſi prorſus

Euangelicorum argumenta contra votum cœlibatus.

Digitized by Google

ſus immunes, Papiſtas ea conſtrictos & circumſcriptos eſſe, manifeſtiſſimè conſtabit.

Argumentum contra votum cœlibatus. *Math.* 19. 11. 1. *Cor.* 7. 7. PRIMO Euangelici ſtatuunt, à nemine vovendam eſſe continentiam, ſive perpetuum cœlibatum voto ac juramento promittendum, niſi cui hoc donum à Deo datum eſt, ut poſſit cõtinere. Idque nos continentiæ optimus Magiſter docet, dicens. *Qui poteſt capere capiat.* Idemque diſertè oſtendit *non omnes capere verbum hoc, ſed eos tantùm quibus hoc datum ſit.* Similiter Apoſtolus, *Volo*, inquit, *omnes homines eſſe ſicut meipſum, ſed unusquiſque propriũ donum habet ex Deo alius ſic, alius autem ſic.* *Verſu* 21. Sapientiæ denique octavo, introducitur Salomon dicens, *Scivi quoniam alias non poſſem eſſe continens, niſi Deus det.* Quo in loco non negat Adverſarius de continentia agi, neque dubitat, quin ex libro authentico teſtimonium deſumptum ſit. *Eccleſiaſtes* 5. 3. *Deut.* 23. 21. Si ergo votum ſit eorum, quæ ſunt in noſtra poteſtate, *& Deo diſpliceat infidelis & ſtulta promiſſio*: tum non eſt, vovenda continentia.

De Monachis lib. 2. *cap.* 31. Reſpondet Bellarminus variè & prolixè, nec omnino certus eſt, quid reſpondeat. Dicit primò, *continentiam donum eſſe Dei, & tamen in arbitrio & poteſtate hominis, ſicut fidem ſpem, dilectionem, patientiam & hujuſmodi. Deum enim dare omnibus hominibus auxilium ſufficiens licet non efficax, & ſic per auxilium ſufficiens omnes capere poſſe, licet non omnes capiant.* Sed PRIMUM ridicula hæc duo conjungit, nimirum *donum Dei & poteſtatẽ hominum*. neque enim in ſua habent poteſtate, quæ Dei ſunt. DEINDE malè comparatur continentiæ ſeu cœlibatus donum cum donis fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, perſeverantiæ & hujuſmodi. Hæc enim communia ſunt & neceſſaria in electis. At non omnes neceſſario debent à nuptiis abſtinere. Omnes jubentur credere, ſperare, diligere Deum & patientes eſſe: at non omnes, nec aliqui jubentur cœlibes eſſe, niſi qui donum hoc divinitùs habent. TERTIO, falſum eſt omnes poſſe pariter continere & credere. Nam credere omnes poſſunt, qui verbum audiunt, & mediis à Deo ad fidem gignendam inſtitutis utuntur, ſi modo cor eorum Deus tangit & aperit. At Bellarminus ejusque ſodales docent omnes poſſe continere, etiamſi conjugium, quo medio Deus ad uſtiones carnis vitandas utitur, abjurent. QUARTÒ, confundit Bellarminus imperitè *poſſe & velle*, & illud nos poſſe putat, quod volumus. At voluntas eſt non tantùm eorum, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ſed etiam impoſſibilium. Cupiunt enim inimici noſtri veritatis lucem extinguere, & hoc maximè volunt. Sed Deus poteſtati eorum terminos appoſuit. Voluntque omnes, quæ cupiunt, licet nequicquam ſæpè velint. QUINTO, non eſt concedendum, omnibus ſufficiens auxilium dari ad continentiam ſervandam. Nam quod ſufficit, ſatis eſt ad aſſequendum illud, quod volumus. At non habent omnes ſatis virium ad reſiſtendum libidinis incendiis, & caſtitatem atque integritatem mentis cõſequendam & conſervãdam, Chriſtus enim oſtendit, *Omnes non capere verbum hoc.* *Math.* 19. 11. 12. *&c.* Id eſt, non omnes habere idoneum & ſufficiens ſine conjugio auxilium ad caſtitatem mentis & corporis, quam Paulus in caſtitate & continentia vera 1. *Cor.* 7. 34.

 requirit

Digitized by Google

requirit, obtinendam. SEXTO ut ex parte Dei nihil nobis deſit, quod verbo promiſit, omnes homines tamen nō poſſunt Dei gratiam căpere, & continētes eſſe. *Si omnes homines*, inquit Hieronymus in Jovinianum lib. 1. *virgines eſſe poſſent, nunquam Dominus diceret, qui poteſt capere, capiat.* Et Auguſtinus de Adult. conjugio lib. 2. c. 18. docet, quoſdam tantùm poſſe capere hoc continētiæ donum. *Poſſunt capere*, inquit, *quibus hoc præſtat miſericordia occulta, ſed juſta.* Chriſtus præterea, ſi omnes capere poſſent, non dixiſſet: *qui poteſt capere, capiat*, ſed capite omnes, qui vultis. Nam Bellarminus putat omnes poſſe, qui velint. Neque dixiſſet Johannes, *Deum audire nos quicquid petierimus ſecundùm voluntatem ejus*, ſi hoc penderet ex voluntate noſtra. Quicquid denique argutantur ſophiſtæ de potentia & voluntate hominis & auxilio Dei ſufficiente, experientia tamen docet, plurimos velle, multoſque vovere continentiam, & tamen pauciſſimos verè eſſe continentes.

Math. 19. 12.

1. Joh. 5. 14.

At, inquit Bellarminus, verba illa Math. 19. 11 12. *ſunt eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum*, apertè indicant arbitrii libertatem. At nos negamus, vel apertè vel clam eam hic indicari. Omnes enim pariter habent arbitrii libertatem. At non omnes pariter ſe caſtrant propter regnum cœlorum. Præterea ſi hoc ab hominibus proficiſceretur, nō diceret Apoſtolus de continentia verba faciens, Unuſquiſq; proprium donum habet ex Deo. Dicuntur ergo homines *ſe caſtrare*, ut populus *ſe dicitur cuſtodire à gladio, & impius ſe cuſtodire à via ſua.* Et ut impius dicitur *recedere ab impietate ſua, & facere judicium*, quia Deus eorum corda tangit, & efficaciter in eis operatur.

1. Cor. 7. 7. Ezech 33. 8. & 33. 19.

Dicit *ſecundo*, illa verba, *qui poteſt capere, capiat: habere exhortationem ad continentiā*, Apoſtolumq; 1. Cor. 7. 25. ubi dicit: *De virginibus ſe præceptum non habere, ſed cōſilium dare cohortari ad caſtitatem. Et non eſſe ſapientis cohortari ad illud, quod non eſt in noſtra poteſtate.* Quaſi vero poſſimus nos intrare per portam anguſtam, & diligere Deum totis viribus, & credere, & omnia illa facere, ad quæ nos Spiritus ſanctus hortatur. Reſpondemus ergo, hortationes illas oſtendere, non quid ipſi poſſimus, ſed quid à Deo petere debeamus. Propterea valēt in iſtis illæ cohortationes, qui donum continentiæ acceperunt. Nec ſunt inutiles, licet Deus donum illis perſeverantiæ conceſſit: quia Deus vult dona ſua petentibus & continentibus largiri.

Dicit *tertiò*, illa verba 1. Cor. 7. 36. *quod vult faciat, non peccat, ſi nubat: liberam homini optionem dare eligendi conjugium, aut cœlibatum Et propterea continentiam eſſe in noſtra poteſtate.* Reſpondemus non ſequi. Nam ſi rectè concludere voluiſſet, dixiſſet, cœlibatū eſſe impoteſtate noſtra. At multum intereſt inter continentiam & cœlibatum. Cœlibatum enim in rebus mediis ponimus, & in eis eſſe concedimus, qui concubinas alunt: at continentia virtus eſt, ad quam non pariter attingere licet, ac ad cœlibatum.

Dicit *quartò, continentes cœlibes in Scripturis laudari ac præmiis affici. At opera quæ ſunt in noſtra poteſtate, nec laudem, nec præmium mereri.* Reſpondeo primò, multum intereſſe inter continentes & cœlibes

Serm. 49. de tempor. libes. Deinde, *non coronat Deus merita noſtra, ſed dona ſua*, ut inquit Auguſtinus. Ideoque denique operibus noſtris tribuitur laus & præmium, quia Deus effecit, ut nos ea quodammodo operaremur, Phil. 2. 13.

Dicit *quintò*, non minus eſſe donũ Dei credere, quàm continere: et omnes qui volunt, poſſe credere. Reſpondemus, multum intereſſe inter credere & continere. Nam multi naturæ dono continent ſe à nuptiis. Sunt, inquit, Chriſtus, eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt. *Math. 19. 12.* At credere donum eſt ſupernaturale. Multique continere volunt vel quia ad nuptias inepti ſunt, vel quia ſic utile videtur, ex luce naturæ. At nemo vult credere ex viribus liberi arbitrii. Præterea, omnes tenentur credere; nulli ab uxoribus ſe continere. Et continentiæ repugnat concupiſcentia naturalis magis, quàm fidei. Eſt denique peccatum non credere, at non eſt peccatum, non abſtinere à conjugio, ſi quis donum continentiæ non habeat, 1. Cor. 7. 9.

Scortatio an licita ob continentiæ difficultatem. Dicit *ſextò*, *Si omnes non poſſint continere, tum nullum eſſe in multis peccatum fornicari, vel mœchari. Nam nec poſſe omnes uxores invenire, qui carent uxoribus, nec cõjugatos, qui ſtimulis carnis urgentur, ſemper habere uxores vel ſanas, vel præſentes.* Reſpondemus, argumentum non ſequi. Nam peccatum eſt ſemper graviſſimum fornicari & mœchari, licet adverſarii hæc inter minora crimina recenſeant. *C. at ſi Clerici de judic.* Ad confirmationem reſpondemus, multò faciliùs poſſe, quem cõtinere ad tempus, quàm per totam vitam: & faciliùs ferri, vel abſentiam conjugis, vel morbum, quàm votum de non ducenda uxore. Si autem graviùs aliquem urgeat tentatio, ad preces confugiendum eſt. Nec dubium eſt, quin Deus ad ipſum in ſumma neceſſitate confugientibus ſuccurrat. At inquit Bellarminus: *Cur non idem facere poteſt, qui continentiam vovit?* Reſpondemus, illis qui non habent uxores, Deum remedium oſtendiſſe, nempe conjugium. At illis, qui ab uxorum uſu prohibentur vel morbo, vel abſentia, vel quia conditionem tam facilè reperire non poſſunt, præter preces nullum ſupereſſe. Non ergo dubium eſſe, quin Deus mediis à ſe inſtitutis benedicet, & ſucceſſum tribuet. Dicimus præterea, illos Deum tentare, qui contra media ab ipſo inſtituta malis poſtulent remedia. Poſtremò, non ſunt abſolutè petenda, niſi quæ ad ſalutem noſtram utilia ſunt. *1. Joh. 5. 14.* Deus enim non audit nos, niſi ſecundùm ejus voluntatem petamus, ut Johannes loquitur: eaque poſtulemus, *quæ ad æternam ſalutem conducunt*, ut inquit Auguſtinus. *Tract. 102. in Joh.* At cœlibatus non petitur ſecundùm Dei voluntatem. Nuſquam enim legimus, Deum hoc juſſiſſe, aut voluiſſe. Multoſque in interitum præcipitat, qui per inuſitatas ſemitas ad cœleſtem patriam tendunt.

Continentiam an Patres in noſtra poteſtate ſitam eſſe aſſerant. Dicit *poſtremò*, *Patres docere cœlibatum eſſe in poteſtate noſtra.* Dicere autem debuit, continentiam & caſtitatem eſſe in noſtra poteſtate. Sed hac in re non admodum ſecundos habet Patres. *Tertullianus* in libro de Monogamia non loquitur de continentia, ſed de abſtinentia à ſecundis nuptiis. Præterea in eo loco planè Montanizat. Non aliũde, quàm ex novo ſuo paracleto didi-

cit, *poſſe homines, ſi velint: & utrumque arbitrio noſtro relictum eſſe.* Paracletus ille (ſcilicet) Montaniſticus ſuggeſſit illi, *poſſe homines à ſecundis nuptiis abſtinere.* Unde ſi Papiſtæ ejuſdem cum illo ſententiæ ſunt, etiam Montaniſtas hæreticos eſſe ſequitur.

In Math. 19. Origenes non dicit, omnes qui volunt capere verbum hoc: *ſed eum qui vult, petere debere, & credere ſe accepturum.* Sed ibi credere ſignificat ſperare. Omnia autem, quæ ſperantur, non ſemper fiunt. Ipſe enim Origenes & voluit, & ſperavit ſe hoc donum conſequi poſſe: ſed quia non aliter vidit ſe poſſe continere, vim proprio corpori intuliſſe dicitur à Suida in verbo Origenis.

Lib. 1. in Jovinian. Hieronymum paulò ante loquentem audivimus, & dicentem, *omnes non poſſe eſſe virgines.* In commentariis autem ſuis ad Math. 19. aſſerit, *donum continentiæ his donatum eſſe, qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt.* Hoc autem dicit, non quod omnibus hoc donum datum exiſtimaret, qui voluerunt, ſed quod à Deo hoc datum, & non fato vel caſu delatum eſſe putaret. Præterea & ipſe, & Nazianzenus credebat hoc donum dari volenti, hoc eſt, non invitis, neque nõ aſſentientibus, aut non laborantibus. *Quum audis,* inquit Nazianzenus; *Quibus datum eſt, adde datum iis qui volunt & aſſentiuntur.* Orat. 31. de tribus Eunuchorum generibus.

Lib. 3. de virginibus Ambroſius pro nobis facit, ne ipſum in ſuas partes trahi poſſe putent adverſarii. Disertè enim aſſerit, *non omnes capere verbum hoc, & varios eſſe ſingulorum affectus.* Dicit præterea. *Continentiam ab omnibus flagitari.* At ſi omnes poſſent, qui vellent, tum plures eſſent continentes: ſi hoc præſertim in eorum eſſet poteſtate.

In Math. 19. Chryſoſtomus aſſerit, *datum eſſe donum continentiæ ſponte id eligentibus, & id paratum eſſe iis, qui volunt evadere ſuperiores.* Sed nihil hoc ad propoſitum. Debuit enim Bellarminus oſtendere, omnes poſſe continere, qui volunt, & hoc in noſtra poteſtate eſſe. Hoc autem non docet Chryſoſtomus. Dicit enim, *hoc donum aliunde eſſe.* Unde colligimus, id non eſſe in nobis ſitum.

In Pſ. 75. Auguſtinus loquitur de votis in genere. Neque poſſunt ejus verba ad votum continentiæ propriè accommodari. Verùm *ut Deus nos adjuvaret, reddere quod vovemus,* ut dicit Auguſtinus: non tamen in noſtra eſt poteſtate, omnia reddere. Deus enim nos adjuvat in omnibus ſuis donis. At non ſunt omnia ipſius dona in noſtra poteſtate. Lib. 6. confeſſ. cap. 11. aſſerit: *Deum ſibi daturum fuiſſe continentiam, ſi gemitu interno pulſaret fores ejus.* At quod alii nobis dant, nõ eſt in noſtra poteſtate, lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 10. 13. & 20. non docet, continentiam omnibus dari, vel eos continere, qui volunt, *ſed tantùm poſſe eos continere, qui uxores duxerunt, & non eſſe iis permittendum fornicari.*

Baſilius denique prorſus evertit Bellarmini ſententiam. Dicit enim, *virginitatem eſſe ſupra naturam, & non omnes capere verbum hoc.* Lib. de virginit.

χωρεῖν ut in re continentiæ accipiatur. Dicit ulteriùs Bellarminus; *Verba hæc, non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, majore explicatione indigere. Verbum enim χωρεῖν, interdum ſignificare naturalem potentiam, interdum actualem poten-*

Digitized by Google

potentiam capiendi, & hoc poſteriore modo accipi, Math. 13. Sed ſi hoc ita eſſet, tum ſequerentur omnes natura capaces eſſe continentiæ, licet non actu capiant. Deinde eos, qui nunc actu abſtinent, ſemper debere abſtinere. Rectiùs ergo nos exiſtimamus, Chriſtum velle dicere, omnes non poſſe continere, aut non eſſe ex ſe capaces continentiæ. Hoc enim Chriſti verbis maximè conſentaneum eſt; Non enim dicit, ὁ χωρῶν χωρείτω, ſed ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρείτω. Quæ oſtendunt eum de potentia continendi loqui. Præterea non tantùm urgemus priora verba, nō omnes capiunt: ſed poſteriora, quæ oſtendunt, Chriſtum eos tantùm ad virginitatem vocare, qui poſſunt capere. Unde etiam difflantur Jeſuiticæ argutiæ, quibus oſtendit, non hîc agi de capacitate. Nam ut ſit inepta exhortatio, *qui poteſt eſſe capax, capax ſit*: tamen illud aptè dicitur, *qui poteſt capere, capiat*. Atque ut non rectè concludatur, *quidam vi tracti currunt, alii currunt ſponte, ergo non omnes poſſunt currere* (hæc enim inepta eſt, & ſtulta Bellarmini concluſio) rectè tamen infertur, quidam non habent pedes veloces, nec ſunt apti ad curſum: ergo aliqui non poſſunt currere. Præterea curſus eſt naturalis facultas: at continere eſt donum ſupernaturale. Unde videre licet, hæc malè inter ſe comparari.

Rurſus etiam inculcat teſtimonia Patrum, & aſſerit, *Chryſoſtomum per ſimilitudinem eunuchorum probare facile & utile eſſe abſtinere à nuptiis*. Sed ad Patrum teſtimonia ſatis reſponſum eſt. Chryſoſtomus verò non dicit eſſe facile, ſed poſſibile. At poſſibilia ſunt etiam, quæ ſunt difficilima, & quæ non ſunt in noſtra poteſtate. Imò planè arduum eſſe dicit continere. Nam *ita dici non omnes capere, ſed quibus datum eſt: ut nobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum*. At non eſt in noſtra poteſtate, noſſe myſteria regni cœlorum, niſi à Deo docti fuerimus. Math. 16. 17. Joh. 6. 44. 45. In Math. 19.

Illa autem verba, *qui poteſt capere, capiat, duobus modis poſſe exponi dicit. Nam Dominum vel de potentia proxima loqui, quam non habent, niſi quibus Dominus inſpiravit deſiderium efficax continendi, vel habere eundem ſenſum cum verbis* Math. 13. 9. *Qui habet aures audiendi, audiat*. At Chriſtus non de alia potentia loquitur, quā ea, quam ſtatim actio ſequitur. Atque ut de potentia proxima, & non conjuncta cum actione loquatur: tamen rectè hinc colligere liceret, nō omnes poſſe continere, quia non omnes habent potentiam proximam. Nec ſufficit habere potentiam remotam, quia Chriſtus non alios vocat ad continentiam, quàm qui ſentiunt hanc in ſe potentiam, & eam ſatis in ſe valere credunt. De veniendo ad Chriſtum alia ratio eſt, quia omnes ad Chriſtum venire tenentur, qui ſalvi eſſe cupiunt. Secunda expoſitio merito ſtultior eſt. Nam ubi dicitur, *qui habet aures audiendi audiat*, nihil agit de aliqua potentia. Math. 13. 9. Præterea omnes neceſſariò Chriſtum audire tenentur. At omnes pariter non tenentur eſſe continentes. Non eſt denique in poteſtate hominis, ita audire ut credat.

Ad verba illa, 1. Cor. 7. *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo*, reſpondet. Verſu 7. *Hæc non habere difficultatem. Nam etſi à Deo ſit donum continentiæ; eſſe tamen in noſtra*

Digitized by Google

ſtra poteſtate. Sed nos hæc non poſſe cohærere oſtendimus. Neque enim aliena dona ſunt in noſtra poteſtate: ridiculeque faceret Bellarminus, ſi indulgentias, quæ ex Papæ dono pendent, ſuæ faceret poteſtatis.

Verſu 21. Ad locum denique Sapientia 8. reſpondet *Salomonem loqui de continentia in genere.* Sed neque liber ille Salomonis eſt, utpote Græcè primùm editus (atque hoc ipſe Bellarminus fatetur, ubi ſententias & materiam hujus libri à Philone collectam docet lib. 1. de verbo Dei cap. 13) neque de alia continentia loquitur quàm virginali. De ſeipſo enim quum puer eſſet, agit eo in loco. Atque ut de continentia loqueretur in genere, nihil tamen hoc pro ipſo faceret. Nam ſi nullus poſſit continere ex poteſtate liberi arbitrii, certè qui abjurant nuptias, difficilimè continentiæ donum conſequuntur. Illi enim ad remedium incontinentiæ confugiunt, iſti abjurant.

2. Argumentum contra votum cœlibatus. SECUNDUM noſtrum argumentum à verbis ſacræ Scripturæ, quæ matrimonium imperant iis, qui continere non poſſunt, ſumptum eſt. *Qui ſe non continent,* inquit Apoſtolus 1. Cor. 7.9 *nubant.* Et prius. *Unusquiſque propter fornicationem,* videlicet evitandam, *propriam uxorem habeat.* Et 1. Tim. 5,14. *volo juniores nubere, matres familias eſſe, filios procreare.* Hinc ita ratiocinamur. Nihil vovendum eſt contra mandatum Spiritus ſancti. At qui ſe non continent, aut cõtinere nõ poſſunt, & vovent continentiam, peccant contra mandatum Spiritus ſancti. Ergo non poſſunt hujuſmodi homines, continentiam vovere.

Verſu 2. RESPONDET Bellarminus, in his verbis; *Unuſquiſq; ſuam uxorem habeat, non eſſe præceptum nubendi, ſed ſolam permiſſionem.* Sed fefellit ipſum interpres Latinus. Nam ſi inſpexiſſet codicem originalem Græcum, rem ſe aliter habere, intellexiſſet. Nam Apoſtolus inquit. *διὰ τὰς πορνείας ἕκαςος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω.* Hoc eſt, *unus quiſque propter fornicationem ſuam uxorem* HABETO. Et poſtea: *εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται γαμησάτωσαν.* Hoc eſt, *ſi non ſe contineant, nubunto.* Utrobique Apoſtolus utitur modo imperandi. Nec aliter de nuptiis loquitur eorum, qui non poſſunt ſe continere, quàm de officio viri erga uxorem, & uxoris erga virum, ubi dicit;
Uxori vir debitam benevolentiam reddat, *1. Cor. 7.3.*
& uxor viro. Et poſtea: *Vir uxorem ne di-* *Verſu. 11.*
mittat. Quæ omnia non permiſſionem continent, ſed præceptum. At inquit: *Verſu 9.*
Ratio quam Apoſtolus reddit, nimirum: Melius eſt nubere quàm uri: *Satis indicat, verba Apoſtoli non præceptum, ſed permiſſionem continere: & ut inquit Chryſoſtomus, rationes adjungit, ne videatur legiſlatio.* Sed nec Chryſoſtomus aliquid hujuſmodi habet: nec pugnant hæc, legem ferre, & rationes ac hortationes addere. Deus enim Legi de non ſumendo nomen Domini invanum rationem addit, & Moſes, ut populum ad Legis obſervationem excitaret, multas adducit rationes. Exod, 20.7. Deut. 28.

Dicit præterea. *Sicut Apoſtolus ait, qui non ſe continent nubant, ita eum dixiſſe, iterum revertimini in idipſum: & hoc ſecundũ dici ſecundùm permiſſionem.* At non eſt par ratio harum propoſitionum. Nos enim oſtendimus, nuptias imperari iis, qui ſe continere non poſſunt. At ſeparari cõjuges ad tempus poſſunt, & hoc eſt illud

lud, quod ſecundùm indulgentiam permittit Apoſtolus. Præterea ut par eſſet ratio utriusque loci: tamen illud, revertimini, judicat non eſſe liberum conjugibus indiuturno hærere diſſidio: & modus loquendi docet, in primo loco contineri præceptum.

1. Cor. 7. 2. Ad illa verba: *Unuſquiſque habeat ſuam uxorem*, reſpondit. *Nullum in illis eſſe præceptum. Nā aut de illis, q uxores nō duxerunt, aut de illis, q duxerūt, utrumq, ſecundū indulgentiā dici.* Sed mirus eſt ille indulgentiarū artifex, qui & ex indulgentia cōjuges ſeparat, & incontinentibus remediū nuptiarum denegat, & utrumq; contra Apoſtoli præceptum facit. Præterea perversè exiſtimavit, qui nec ex modo loquēdi, nec ex neceſſitate ſubjecti hæc neceſſaria eſſe vidit.

Ad omnia etiam teſtimonia ſimul reſpondet. *Si ullum eſſet præceptum matrimonii in verbis Apoſtoli, maximè in illis eſſe 1. Tim 5. 16. volo juniores nubere. At nullū ibi eſſe præceptum. Non enim pugnare ſecum Apoſtolum, qui 1. Cor. 7. 7. dicit volo omnes eſſe ſicut meipſum.* Præterea *non aliter velle ipſum juniores nubere, quàm filios procreare. Theodoretum denique, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum & Auguſtinum pro ſe teſtimonium dicere.* Sed hæc omnia nugamenta ſunt. Nam & 1. Tim. 5. 16. & alibi docet Apoſtolus, incōtinentes debere nubere. Nec huic præcepto & doctrinæ repugnat, q dicit. 1. Cor. 7. 7. Volo omnes eſſe ſicut meipſum. Nā ibi eſt θέλω, & 1. Tim. 5. eſt βούλομαι, hoc eſt, ſententiam do. Ibi loquitur de omnibus hominibus, quibus expedit non nubere, his de iis qui non poſſunt continere. Præterea vult juniores *filios procreare*, ſed non ita *nubere*, ſed conſequens ex nuptiis. Nec peccabunt, quæ non procreant liberos, ſi præceptum exequantur de nuptiis. Ad Patrū teſtimonia dicimus; ipſos nunquam negare præceptas eſſe nuptias iis, qui continere non poſſunt. Et tantum velle dicere, non eſſe legem cogentem ſimpliciter vel juniores, vel virgines, vel viduas, vel viros cœlibes ad nuptias contrahendas. Neque ſanè nos dicimus eſſe præceptum, niſi poſtquam cœlibes omnia tentarunt, & vident ſe non poſſe continere.

Affert denique tertiam ſolutionem, ad eam tanquam ad Triarios confugiens, & dicit: *Sive verba Apoſtoli ſonent præceptum, vel permiſſionem, ita tamen pertinere ad homines liberos, & non ad eos, qui votis jam obligati ſunt. Nam in eis pejus eſſe nubere quàm uri. Eos enim peccare contra temperantiam, votum & conjugium. Iſtos verò qui uruntur, non ita peccare. Et conjuges ubi disjuncti ſunt vel locis vel morbis, vel aliter, neceſſario ferre debere uſtiones, & adverſus eas orationibus & jejuniis pugnare & hoc Patres dicere.* Apoſtolus generaliter loquitur. 1. Cor. 7. 9. Et dicit: *melius eſſe nubere quàm uri*: cui potiùs fides adhibenda eſt, quàm toti Jeſuitarū nationi. Præterea, qui nolūt, non peccant, licet ſtatuerunt continentiam ſervare. Neque enim legem tranſgrediuntur, neque votum. Non Legem, quia lex potius jubet, quàm prohibet eos, qui continent, nubere. Non Votum, quia in voto ſemper intelligitur hæc conditio, ſi Deus dederit, & ſi poſſum. Patres verò longè aliter de voto loquuntur, quàm Papiſtæ. Illi enim per votum intelligunt propoſitum continentiæ, & ab eo non temerè dederunt reſiliendi poteſtatem;

Ooo nuptias

Digitized by Google

nuptias tamen poſt votum contractas non reſciderunt. Vota TRIA pro more noſtrorum temporum, non noverunt Patres: ut probat Gail. Percinſus de ementito Catholiciſmo, loco de Conjugio Clericorum & cœlibatu, item de Monachis. At Papiſtæ non aliis votis nuptias impediri putant, quàm illis, quæ Monachi Monaſteria ingreſſuri, & clerici ordines majores ſuſcepturi emittunt: & poſt vota hujuſmodi nuptias contractas reſcindunt. Nihil eſt itaque, quod patres immodeſtè jactent, qui & vota recentiora eorúmque leges ignorarunt, & in rebus graviſſimis, quoad votorum materiam, ab Adverſariis noſtris Papiſtis diſſentiunt.

3. Argumentum contra votum cœlibatus. Tertium noſtrum argumentum ſupra illa Apoſtoli verba fundatur, *Melius eſt nubere quàm uri*: 1. Corinth. 7. 9. Inde enim ſequitur, non debere eos cœlibatum vovere, qui graves & moleſtas carnis uſtiones ſentiunt, neque eas orationibus & jejuniis vincere poſſunt. His enim præcepit Apoſtolus nuptias, ut ſuperiore argumento dictum eſt.

De Monach. c. 30. Reſpondet Bellarminus tribus modis. Solet enim reſponſiones multiplicare. Sed ut Martialis lib. 10. de tabellis, & *vani triplices*, & vaniſſimę & nugaciſſimæ ſunt ejus reſponſiones. Dicit PRIMÒ, *Nuſquam vocari ad nuptias ab Apoſtolo eos, qui tentantur ſtimulis carnis, ſed eos qui incontinenter vivunt.* Dicit SECUNDO: *Incontinenter viventibus oſtendi remedium facile, ſic tamen ut iis relinquatur liberum ad majora adſpirare.* Dicit TERTIO: *Hoc remedium pertinere ad ſolutos & liberos, & non ad votis obligatos.*

Sed ut verum eſſet vocari ad nuptias tantùm incontinenter & flagitioſè viventes, hoc tamen nobis ſatis eſſet ad omnes votorū monaſticorum laqueos abrumpendos. Neque enim negare poſſunt Adverſarii, Monachos complures incontinenter & flagitioſè vivere. Eiſque ſacrifici Papales licet continentiam voveant, pares ſunt, ut nos & experientia & confeſſio Adverſariorum docet. Præterea nos oſtendimus, & Apoſtolicam doctrinam neceſſariam eſſe, & ad omnes pertinere poſſunt. Quanto igitur magis valet argumentum noſtrum, ſi non tantùm incōtinentes & homines flagitioſe viventes ſed etiam carnis uſtiones patientes nuptias contrahere ad libidinis vitanda incendia teneantur? Hoc autem probatur *primò* ex verbis Apoſtoli, qui nuptias velut neceſſarium remedium proponit omnibus, qui non ſe continent, niſi qui mentis caſtitatem ſervant & motus libidinis facilè vincunt. Probatur *ſecundò* ex verbo πυροῦσθαι. Nam incenduntur & inflammantur libidine, non qui cedunt & vincuntur ab intemperantia, ſed qui ardore libidinis inflammantur, ut ferrum & aliæ res, quæ igne nō conſumuntur, dicuntur πυροῦσθαι, etiamſi non conſumantur. Abſurdum eſt *denique* putare, Apoſtolum non æquè rationem iniiſſe de excludē dâ libidinis & intemperantiæ dominatione, ac de ſanandis hominum incontinentium affectibus, & non prohibuiſſe omnem intemperantiam & libidinis acrem morſum. Neque aliquid comminiſci poteſt Bellarminus, ut hanc ſententiam veram eſſe credamus.

Primò, quaſi confecto negotio in lōgum

Digitized by Google

gũ de Lutheri, Petri Martyris & Calvini ſententia de uſtione carnis, evagatur ſermonem. At nos non quid illi, ſed quid Apoſtolus ſenſerit per uſtionem, quærimus. Otioſè enim exquirit, *quonam fundamento eorum ſententia nitatur?* Quo in loco facile eſſet, & ſententiam ipſorum, & fundamentum ejus tueri, ſi hoc ad rei ſummam intereſſet.

Uſtio carnis & ſcortatio differunt. Deinde ait, ab Apoſtolo *vocari homines ad matrimonium non ob ſolas tentationes, ſed ob conſenſum libidinis: & per uſtionem non tentationes, ſed incontinentiam & flagitia intelligi.* Et *ſenſum horum verborum: Melius eſt nubere, quàm uri: hunc eſſe: Melius eſt nubere, quàm fornicari.* Egregiè ſanè, & ut Jeſuitam decet. Quis enim unquam audivit, idem eſſe URI, cum FORNICARI? Nónne multi internis conſumuntur incendiis, qui tamen vel occaſione, vel pudore, vel metu, à fornicationis actu continentur? Præterea uſtio eſt interna concupiſcentiæ flamma: fornicatio eſt actus ab uſtione nonnunquam manans. Patres denique per uſtionem, internum intelligunt concupiſcentiæ pruritum & ardorem, etiamſi flagitium nullum nec fornicationis crimen inde ſequatur. *1. Cor. 7.* *Quum voluntas*, inquit Ambroſius, *calori carnis conſentit, uritur.* Auguſtinus dicit, *eos, qui flammis concupiſcentiæ vaſtantur, uri.* De Sanct. virg. cap. 74. Melius, inquit, nuberent, quàm urerentur, id eſt, quàm occulta flamma concupiſcentiæ, in ipſa concupiſcentia vaſtarentur. *In epiſt. ad Euſtach.* HIERONYMUS etiam, quem Adverſarii non accuſabunt, credo, fornicationis, urebatur. *Mens*, inquit, *deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua jam carne præmortuum ſola libidinum incendia bulliebant.* Idem dicit: *Sola mente perire virginitatem.* Et Apoſtolum *virginem definire, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* *1. Cor. 7. 34.* Qui ergo virginitatem vovent, non tantùm fornicationem, ſed uſtiones internas fugere debent. Nam licet fornicationem fugiant: tamen propter internas uſtiones omnẽ virginitatis laudem amittunt. Chryſoſtomo in 1. Cor. 7. idem uri, *quod libidine incendi*: & non, quod fornicari. Theodoretus in eundem locum Apoſtoli interpretatur, uſtiones eſſe *animæ mancipationem, & ad id, quod deterius eſt, inclinationem.* Non ergo per uſtionem flagitium, vel fornicatio, ſed æſtuantis animi intelligitur ad iſta inclinatio. Gloſſa interlinearis per uri, qui *vel agũtur, vel vincuntur libidine.* *In ver. uri. 1. Cor. 7. 9.*

Sed audiamus argutas Bellarmini probationes, quibus ſuam interpretationem confirmat. *Primò*, inquit, *cauſſam reddit Apoſtolus, cur debeant nubere, qui non ſe continent: Quia melius eſt nubere, quàm uri.* Quaſi verò hæc conſiſtere non poſſit, etiamſi uſtiones carnis aliud ſignificent, quàm fornicari. Et non multò fortior ſit Apoſtoli ratio, cur qui non ſe continent, nubere debeant, etiam ſi non uri nihil aliud ſit, quàm libidine æſtuare. Ideò enim rectè dicit Apoſtolus eos, qui non poſſunt ſe continere, debere nubere: quia præſtat nubere, quàm ut quis continentiam affectans, incidat in concupiſcentiæ incendia. Atque ut uri ſignificaret non continere, illi tamen ſe nõ continent, quorum mens corrupta eſt. At fornicari plus eſt, quàm mentem corruptam habere.

Dicit ſecundò, Apoſtolum dicere,

Digitized by Google

non propter fugiendam, ſed propter fornicationem uxorem habendam. Quaſi verò quum fornicatio prohibeatur, non etiam uſtiones carnis, quæ homines ad flagitia incitant, prohibeantur.

1.Cor.7.5. Dicit tertiò, *conjuges in idipſum reverti debere, non propter tentationem fugiendam, ſed propter incontinentiam.* Quaſi verò nos omnem ſimplicem, ſeu levem tentationem exiſtimemus eſſe uſtionem. Præterea, ut propter incontinentiam cohabitare debeant conjuges: tamen non inde ſequitur, tantùm incontinẽtiam vitari debere, & non omnes ferè incontinentiæ cauſſas.

1.Tim.5.15. Dicit quartò, *Apoſtolum velle juniores nubere: idq; ne detur adverſario maledicti cauſſa. Solere autem homines non propter tentationes, ſed propter flagitia malè loqui.* Quaſi verò, qui unam cauſſam dicit, aliam excludat: præſertim, ubi plures concurrunt ad eundem effectum. Certè, ſi hoc ita eſſet, tum non eſſet nubendum propter fornicationem vitandam, ſed ut vitetur malè audiendi occaſio. Et ſanè neſcio, utrum hoc ſpectaverit Bellarminus ſynagogę Romanæ Cardinalis, quæ cautiùs, quàm caſtiùs agere ſolet.

2.Cor.12.7. 1.Cor.9.27. Rom.7.23. 15. Dicit quintò, *ſuam ſententiam probari Apoſtoli exemplo. Ipſi enim datum ſtimulum carnis: eum tamen uxorem non duxiſſe. Præterea, ipſum caſtigaſſe corpus ſuum, & in ſervitutem redegiſſe, & apertè fateri, ſe mente ſervire legi Dei, carne autem legi peccati, & non hoc agere, quod vellet bonum, ſed quod nollet malum: & ſenſiſſe aliam legem in mẽbris ſuis, repugnantem legi mentis ſuæ.*

Surculus vel ſtimulus carnis, qui Paulo datus ſit. Sed valdè fallitur, ſi Apoſtolum putet paſſum eſſe carnis uſtiones. Aut ſi ita putet, ſi ſuam ſententiam ſtare poſſe exiſtimet. Neque enim dicet, credo, Apoſtolum eſſe fornicatum. Ad confirmationem reſpondemus, ſi per *ſtimulum* carnis 1.Cor.12.7. intelligamus contumelias & perſequutiones, ut Chryſoſtomus, Theodoretus, & plurimi interpretes, hunc locum alienum eſſe. Si carnis incẽdia, ut Bellarminus, tum contra ipſum facere. Clarè enim oſtendit aliud eſſe uri, aliud fornicari. Si leves tentationes: tum contra nos non facit. Non enim omnem levem tentationem idoneam eſſe nubendi cauſſam cenſemus: neque propterea uxorem ab Apoſtolo duci oportuit. Reſpondent etiam nonnulli, idque probabiliter, Apoſtolum aut uxoratũ fuiſſe, aut potuiſſe uxorem ducere. Præterea, quomodocunque hunc locum intelligimus, non eſt dubium, quin Apoſtolus rectè fecerit. Reſponſum enim accepit; *Sufficit tibi gratia mea.* At hoc Monachi pro ſe reſpondere nõ poſſunt. Nullum enim illi reſponſum à Spiritu ſancto referre ſolent. Nec poſſunt dicere, ſe ſufficientem gratiã ad continendum habere, quum continuò urantur, & in graviſſima flagitia incidere ſoleant.

Ad reliqua loca 1.Cor.9.27. & Rom. 7.15 23. nihil opus eſt multa reſpondere, quum omnes videant, ex eis non probari, idem eſſe fornicari, quod uri, quod Bellarminus probandum ſuſceperat. Præterea nec oſtendunt eos, qui tentationes carnis graviſſimas patiuntur, à nuptiis poſſe abſtinere. Apoſtolus enim non loquitur de ſtimulis & uſtionibus carnis, ſed in genere de omnibus concupiſcentiæ motibus (ut alio capite hujus libri ſuprà probavimus

mus) quos nemo noſtrũ dicit eſſe cauſſam matrimonium contrahendi.

Baſilidianorum hæreſis ab Evangelicis damnatur. Affert ſextò teſtimonia Patrum: ſed ea, ut ſolet, vel aliena, vel adverſa. CLEMENS Alexandrinus reprehendit Baſilidianos lib. 3. Strommatωn, *quod fornicatione libidinis incendia reſtinguenda eſſe exiſtimarent.* At quid hoc ad nos, qui & hæreſin hanc & ejus authores ſimul execramur? Num quia nos libidinis incendia ex Apoſtoli conſilio honeſtis nuptiis vitanda cenſemus, propterea cum hæreticis conſentimus? Neque ſanè à BASILIDIANIS Papiſtæ multum hoc nomine diſſentiunt, qui non longè à monaſteriis lupanaria ædificant, & in ipſis monaſteriis lupas alunt, & robuſtas mulieres, ut Baſilidiani appellabant, cum quibus tanquam ſues in luto volutantur. Præterea, nihil habet Clemens, unde intelligimus, *uri* idem eſſe, quod *fornicari*. Baſilidiani enim fornicabantur, ut uſtiones vel prævenirent, vel reſtinguerent.

In 1. Cor. 7. Ambroſius, ut ante oſtendimus, à noſtris partibus ſtat. Uſtionem enim interpretatur *aſtum libidinis*, etiam ubi non ſequitur flagitium.

In Apol. pro lib. contra Jovin. Neque valdè repugnat Hieronymus. Nam etſi hæc verba, *melius eſt nubere, quàm uri*, ita interpretatur, ut ſignificent, *melius maritum ducere, quàm fornicari*, non tamen hoc ideò facit, quia idem eſt fornicari & uri (ipſe enim diſtinguit fornicationem ab actione libinis, tanquam effectum à cauſſa) ſed quia illi ſcortantur facilè, qui aguntur & feruntur ſtimulis libidinis, niſi remedium nuptiarum adhibeant. Præterea dubitari poteſt, an hoc Hieronymus ita ſcripſerit. Nam Latinè non dicuntur uxores *maritos ducere*. At nemo meliùs Latinè illo tempore ſcripſit, quàm Hieronymus.

Auguſtinus lib. de ſancta virginitate pro nobis facit, ut ante dictum eſt. *Cap. 74.* Libro autem de bono conjugali, c. 10. *illos ſolos, qui ſe non continent, conjugandos eſſe dicit, ſecundùm illam Apoſtoli ſententiã, quod ſi ſe non continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quàm uri.* Sed quorſum iſta? Non enim ideo ſequitur idem eſſe uri, quod fornicari, aut propter fornicationem tantùm eſſe nuptias contrahendas. Nam non tantùm à flagitiis abhorrere debent homines Chriſtiani, ſed etiam ab eis omnibus, quæ ad flagitia inducunt.

Chryſoſtomus per libidinis uſtiones intelligit concupiſcentiam nos violenter raptantem. *In 1. Cor. 7.* Et ideò pro nobis facit, qui uſtiones à fornicatione diſtinguimus. Similiter etiam Theodoretus in hunc locum dicit, uſtionem ſignificare *in deterius inclinationem*.

Nec Thomas denique Aquinas pro ipſo facit. Dicit enim, *uri* ſignificare *à concupiſcentia vinci.* At multi vincuntur à concupiſcentia, licet nec in fornicationem incidant, nec in valdè graves tentationes. Quod autem juſti comparentur auro in igne probato, hoc nihil contra nos facit, ſed pro nobis, & oſtendit, non idem eſſe uri, quod fornicari. Neque enim talia crimina committunt juſti, nec ut tentationibus incaleſcant, propterea fugiunt remedia, quæ Deus inſtituit: ſed ad ea potiùs confugiunt.

Affert præterea duas ſolutiones. Nam *nuſquam inveniri præceptum nubendi*

Digitized by Google

di,& formam loquendi in his verbis,qui non ſe continent,nubant : non eſſe imperativam. Et quomodocunque ſe habeant iſta, doctrinam nubendi non pertinere ad votis obligatos. At ejus impudentiam,refellunt 1. verba Apoſtoli 1.Cor.7. 2 ἕκαςος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω. Et ℣. 9. εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται γαμησάτωσαν. Utrobiq; eſt forma loquẽdi imperativa. 2. Iſidorus, qui ait : *In malis promiſsis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum : quod incautè voviſti,ne facias : impia enim eſt promiſſio,quæ ſcelere adimpletur.* Et Gerſon de vita ſpirituali animæ, lect. 4. Corol. 14. *Juramentum,* inquit, *ſicut & VOTUM, non obligant,ubi vergunt palàm ad deteriorem exitum.* Ergo doctrina nubendi contra Bellarminum etiam ad votis obligatos ſpectat.

De ſummo bono, lib. 2. cap. 32. & in ſynonymis lib. 2.

4. Argumentum contra votum cœlibatus.

QUARTUM noſtrorum argumentum ex illis ſacræ Scripturæ locis petitur, quæ oſtendunt nullas oblationes à Deo probari,niſi ſpontaneas & liberas & voluntarias. Unde Propheta Pſal. 54. ℣. 8. *Voluntariè,* inquit, *ſacrificabo tibi.* Et Exodi 35. 5. *Accipite à vobis oblationem Jehovæ : omnis ſpontaneus corde ſuo afferet eam oblationem Jehovæ,&c.* Ac poſtea ℣. 20. 21. *Egreſsi ſunt itaque univerſa ſynagoga filiorum Iſraël à facie Moſe. Venerúntque omnis vir, cujus cor elevavit ipſum, & omnis cujus ſpiritus erat ſpontaneus apud ipſum, attulerúntque oblationem Jehovæ,&c.* Sic voluntaria Domino dedicaverunt. Apoſtolus verò ubi hortatur Corinthios, ut liberaliter darent ſanctis indigentibus, requirit *promptum animum, & non extortum aliquid, ſed prout unuſquiſque deſtinavit in corde ſuo, & non ex triſtitia vel neceſſitate fieri vult.* Ad Philemonem ſcribens, ſignificat ſe nihil voluiſſe abſque eo facere, *ut ex neceſſitate beneficium eſſet, ſed ex voluntate.* Et ſanè nihil valet opus, quod neceſſitate coacti facimus, nec obedientia ſervilis, & non ſpontanea. Hinc colligimus, quia votum infert neceſſitatem, & multi virium ſuarum periculo facto invitiſſimi ſervant continentiam, eam nec vovendam eſſe, nec Deo placere coactam. Quod & Hieronymus ſuo teſtimonio confirmat, inquiens : *Ideò plus amat virgines Chriſtus, quia ſpontè tribuunt, quod ſibi non fuerat imperatum.* At qui vovent, ex legum imperio continere jubentur.

Oblationes voluntariæ Deo offerendæ.

2. Cor. 9. 2. 5. 7.

Lib. 1. in Jovin.

Reſpondet Bellarminus : *Triplicem eſſe libertatem. Unam à debito præcepti ſive voti, aliam à ſervitute voluntatis : tertiam à vi ac metu humano & ſervili. Et primam non eſſe neceſſariam ad opus laudabile : ſecundam & tertiam planè neceſſariam eſſe.* Sed *primò,* malè conjungit libertatem à debito præcepti, cum libertate à debito voti. Nam præceptis omnes parere jubentur, ſive velint, ſive nolint: ita quidem ut tranſgreſſores rei conſtituantur. Vota autem nemo ſuſcipere tenetur, neque præſtare, niſi legitimè fiant, & de rebus legitimis. Illius teſtimonia Deut. 6. 1. Math. 22. 57. Luc. 10. 27. Levit. 18. 5. Rom. 10. 5. Gal. 3. 12. Deut. 27. 26. Jacob. 2. 10. Gal. 13 10. Hujus Num. 30. 3. 4. 5. &c. Jud. 8. 1. Sam. 25. Joh. 13. 8. 9. 10. 11. At vota monaſtica non ſunt talia. Neque enim legitimè fiunt, nec de rebus, quas in noſtra poteſtate tenemus, & quas Deo placere ſcimus, ſuſcipiuntur. *Deinde* falſum eſt, homines naturaliter eſſe præditos arbitrii libertate. *Qui enim peccatum facit, ſervus eſt peccati* : nec quiſquam eſt, qui

Libertas triplex.

Joh. 8. 34.

non

Epheſ.2.3. non faciat peccatum. Imò *naturâ ſumus omnes filii iræ:* quod oſtendit, nos non eſſe naturâ liberos, & gratiæ & gloriæ hæredes. *Tertiò,* neque exiſtimat libertatem à voti obligatione non requiri ad opus laudabile, quum nihil ſit magis ſervile, quàm metu voti & pœnæ voti violationem conſequentem benefacere, aut magis pugnet cum ſpontanea oblatione, quæ obſequium noſtrum Deo gratum facit. *Quartò,* ſeipſum impedit, ubi ait: *Libertatem à metu humano & ſervili requiri in bonis operibus.* Hoc enim planè oſtendit, non placere plurimorum Monachorum opera, qui metu Pontificis Romani & legum ipſius contra votorum deſertores in monaſterio retinentur. *Poſtremò,* nihil facit hæc diſtinctio libertatis ad argumentum noſtrum: quod concludit votorum vincula impedire operum monaſticorum laudem, quia ea aliter fiunt, quàm ſecundùm bonorũ operum legem, ut nos ex teſtimonio ſacræ Scripturæ oſtendimus.

Vota an opera faciant laude digna. Reſpondet iterùm Bellarminus: Quod fit ex voto, ordinariè fieri libentius & promptius, quàm quod fit ſine voto. Idque probari 1. Paral.29.9. ubi dicitur: *Et lætati ſunt populus, quum ſponte offerrent ipſi: corde enim perfecto ſponte obtulerunt.* At experientia, ne alia quæramus argumenta, ejus audaciam in affirmando refellit. Quis enim non videt miſeros Monachos, ut plurimum, invitos continentiæ votum ſervare? *16 q.1. cap. placuit.* Præterea ita plerique mœſti ſunt & triſtes, ut Monachos dictos aſſerant, quia *ſoli ſunt triſtes,* vel toti in triſtitiam reſoluti. Locus autem ille 1. Par.29.9. ab hoc cõtinentiæ voto alieniſſimus eſt. Nec oſtendit vota promptè reddi, & cum lætitia, ſed potius lætatum eſſe populum, quod ſolutus eſſet religione voti.

Docet etiam ex Thoma, *Tribus modis aliquem ſe habere in ſolvendo. Uno modo, ut ipſi placeat & votum & res quam vovit: alio, ut propter votum tantùm ſervet quod promiſit, quia præſtantior eſt religio, quàm temperantia: tertio modo, ut nullo modo velit ſervare votum.* Sed quid hoc ad nos, quid Thomas ille Aquinas de votis nugetur? Præterea ſi aliqui ſtatuerint nullo modo ſervare votum, certum eſt non ſpõtè Monachos obſequium ſuum Deo afferre. Falſum eſt denique & abſurdũ plus placere ineptias, quas eo voto & obedientia faciunt Monachi, quàm opus temperantiæ. Ita & aliena loquitur & falſa.

Ad illud demum Pſalm.54.8. reſpõdet, voluntariè ibi opponi triſtitiæ & coactioni, & nõ neceſſitati, quæ oritur ex voto. Quaſi verò voventes non cum triſtitia & ſumma coactione vota reddant. Idcirco legibus & pœnis graviſſimis Monachos fugam parantes terrent Pontifices Romani. Et moniales plerìſque locis muris altiſſimis cingunt ac portas obſtruunt, ne aut ipſæ aufugiant, aut alii ad eas ingrediantur. Et tamen ne ſic quidem caſtas ſervant, quum ſcalis illæ arces facilè capi poſſint & ſoleant.

Ad illud 2.Cor.9.ỳ.2.7. & ex epiſt. ad Philemonem & reſpondet. *Non intelligi legem & votum, ſed humanam neceſſitatem, quæ cogit homines facere, quod alias non vellent.* Quaſi verò qui cõtinentiam voverunt, non cogantur legibus & humana neceſſitate votum reddere. Hæc ergo duo loca contra ipſum valent.

Ad

Digitized by Google

Ad teſtimonium Hieronymi reſpõdet: *Ipſum loqui de opere, quod exigitur ratione præcepti.* Atſi hoc ita eſſet, tum ex ejus ſententia virginitas redderetur ex præcepto. Nam eam plus placere dicit, quando ſponte offertur. Poſtea dicit. *Opus imperatum cæteris paribus præſtare operi non imperato. Tribus autem de cauſis opus non imperatum præſtare operi non imperato. Nempe propter operis nobilitatem, & quia etjam fit poſt opera imperata & propter difficultatem.* Atque ita ſe nugis oblectat otioſus hic Cardinalis, & dum opera nõ imperata nec expectata facit cauſſam ſibi è manibus elabi patitur. *Præterea,* pugnantia loquitur cum iis, quæ ante dixerat. Ante enim docuerat materiam præcepti bonam eſſe, & conſilii meliorem. *Denique* falſum dicit. Nam nec verum eſt, opera Monaſtica nobiliora eſſe, quàm opera legis (quid enim præſtantius, quàm Deum diligere? Et vera ac munda religio, ut inquit Jacob. cap. 27. eſt viſitare pupillos & viduas, & ſe immaculatum cuſtodire ab hoc ſeculo) Nec qui opera faciunt non imperata, legem implere ſolent, nec major requiritur promptitudo, ut obediamus regulæ Ignatii, quàm legi Dei.

5. Argumentum contra votum cœlibatus.

QUINTUM argumentum noſtrorum hoc fundamentum habet, quod dicit Apoſtolus 1. Cor. 7. 35. ſe ea quæ de virginitate & viduitate ſcripſerat, ad utilitatem noſtram ſcripſiſſe, & non ut laqueis animas noſtras conſtringat. *Hoc,* inquit ille, *ad utilitatem veſtram dico, nõ ut laqueum vobis injiciam.* At qui votis homines ad cœlibatum obligant, laqueum eis injiciunt, & velut nervo enecant & malè eorum utilitati conſulunt. Eſt enim laqueus, non id quod Hebræi vocant Mocheosh, quẽadmodum ineptè putat Bellarminus Græcorum verborum derivationem & interpretationem ab Hebræis petens, nec *παγὶς,* ſed *βρόχος* vocabulũ, quod laqueum ſeu nervum ſignificat, quo homines ſtrangulantur. Similiter Salomon Proverb. 20. 25. *Laqueus eſt homini deglutire ſanctificatum: & poſt vota quærere.* Nam ita Hebraicè ſignificant verba ipſius.

Reſpondet Bellarminus: *Apoſtolum hortari ad continentiam ſed tamen ita, ut nõ cogat invitos. Ita enim exponere Auguſtinũ, Hieronymum, & alios.* Sed non ſatis facit. Nam etſi verum ſit, Apoſtolum neminem cogere, ut vitam cœlibem agat, & hoc aſſerant aliquot interpretes: non tamen tantùm non cogit, ſed nec libertatem laqueo injecto eripit. Apoſtolus ergo eos condemnat, qui laqueis votorum, hominum libertatẽ impediunt. Atque ut tantum exiſtimaret, neminẽ cogendum ad vitam cœlibem eligendam, tamen hoc adverſariorũ cauſſam prorſus everteret, qui poſt vota cogunt homines cœlibes degere, etſi non habeant continentiæ donum. Præterea impudenter nuptias appellat laqueum Bellarminus, quum ex laqueo votorũ non aliter ſe expedire liceat, quàm per honorabile conjugium.

Ad illud Proverb. 20. 25. reſpondet, *non abſolutè vovere, & poſt retractare vota, eſſe laqueum & ruinam.* At verba Solomonis ſunt, *Laqueus homini deglutire ſanctificatum, & poſt votum inquirere.* Et ſignificat votis homines illaqueari, (vota enim ab hominibus injecta ſunt vincula) & ea ſanctitatem vel ſanctificatũ devorare: & laqueo homines præfocari,

cari, quum ſe temerè vota emiſiſſe vident & non poſſe poſtmodum recedere.

6. Argumentum contra cœlibatus votum. Sextum noſtrorum argumentum ex eodem etiam capite peti poteſt. Dicit enim Apoſtolus virginitatem ab eis tantùm promittendam eſſe, qui *1.Cor. 7.37.* cor ſuum obfirmarunt, & poteſtatem habent ſuæ voluntatis, & nulla neceſſitate compulſi hoc vitæ genus eligendum putarunt. *Qui ſtat firmus in corde,* inquit Apoſtolus, *nec adigitur neceſſitate: habet propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde ſuo, ut ſervet virginē ſuam, bene facit.* Hic Hieronymus per virginem intelligit virginitatem, metonymiâ ſubjecti pro adjuncto, & hoc Apoſtoli ſententiæ & rationi maximè con- *Lib. 1 in Jovin.* ſentaneum eſt. Neque enim veriſimile eſt, Apoſtolum filiæ continentiam ex Patris propoſito & firmitate ſuſpendiſſe. Neque probanda ſunt liberorum vota, quos parentes metu ad vovendam continentiam induxerunt.

Bellarminus verò declinans, ut ferè ſolet, in deteriorem partem, eos ſequitur, qui non virginitatem intelligunt ſed filiam virginem. Et dicit: *inauditum eſſe, ubi per virginem virginitas intellecta eſt.* Sed valde ſe oſtendit moris loquendi apud Hebræos imperitum. Ipſi enim per nomina ſubſtantiarum qualitates intelligunt. Ut per *veterem & novum hominem* Eph. ſ 4 22. veteris & novi hominis affectus, ac qualitates. Et ubi dicit Apoſtolus Rom. 13. 14. *induite Dominum Jeſum,* Domini Jeſu juſtitiam & ſanctitatem. Sed ſive hæc ſive illa interpretatio probetur, ſemper hoc manet axioma certum: *Non eſſe quenquam ad virginitatem adigendum, niſi ubi firmitas eſt cordis, & poteſtas ſupra propriam voluntatem, & tamen nulla intervenit neceſſitas.* *Cœlibatus regula immota.*

Hinc ergo colligimus, Monachos, & Moniales, qui non habent cordis firmitatem, aut ſuæ voluntatis poteſtatem, & tamen poſt emiſſam profeſſionem vota ſervare coguntur, non rectè continentiam vovere.

Bellarminus ſurſum & deorſum vagatur, nec aliquid certi habet, quod reſpondeat.: Dicit primò, *Si per virginem 1.Cor. 7.37. intelligamus virginitatem, non tamen abſoluta neceſſitate teneri eos, qui non habent cor firmum, ad nuptias contrahendas.* Quaſi verò nos de neceſſitate abſoluta loquamur aut aliud poſtulemus, quā ut nuptias contrahere liceat iis, qui cōditiones commodas reperiunt. Dicit ſecundò, *Si altera expoſitio admittatur, & virginitas ſed virgo elocanda intelligatur: nō tamen per neceſſitatem intelligendam eſſe neceſſitatem conjugii ob carentiam doni continentiæ, ſed neceſſitatem extrinſecam. nempe ut Pater neceſſario teneatur filiam elocare.* Sed fruſtra tenebras obtendit reb. clariſſimis. Apoſtolus n. omnino neceſſitatem vult excludi à virginitatis propoſito. Nunc ſive illa ſit extrinſeca ſive intrinſeca, non multum intereſt. Sed ſi pater nihil debet agere neceſſitate cōpulſus, multo magis qui continentiam ſervare inſtituerunt, quia illi ſuæ voluntatis majorem habent poteſtatem, quam parentes ſupra liberos. Præterea pugnantia loquitur. Negat enim per neceſſitatem *intelligi neceſſitatem conjug ì* Et tamen poſtea fatetur. *Et patrem ſervum cogi poſſe filiam elocare & patrem etiam liberum, ſi filia nolit in cœlibatu vivere.* At hæc pugnant inter ſe, cogi ad conju-

Digitized by Google

gium, & non cogi. Dicit poſtremò ſervum non habere poteſtatem ſuæ voluntatis. Eum enim cogi poſſe à Dominò. At ſi vovere non debent, niſi qui poteſtatem habent ſuæ voluntatis; tum Monachi qui non habent ſuæ voluntatis poteſtatem ſed ſunt velut ſervi & mancipia, nihil rectè vovere poſſunt. Sed quid nos hanc reſponſionem pluribus diluamus, quæ prorſus aliena eſt à propoſito?

7. Argumentum contra cœlibatus votum. SEPTIMUM noſtrorum argumentum ab exemplo populi Dei, & Eccleſiæ Chriſti ſumitur. Neque enim tempore legis naturæ, aut legis Moſis quiſquam votum continentiæ emiſiſſe videtur. Imò licet multas de votis leges latas fuiſſe accepimus in Teſtamento Veteri, nuſquam tamen legimus quenquam Deo virginitatem vovere debuiſſe. Quid quod lege Dei cœlibatus prohibitus, & virginitas dedecori fuiſſe videtur? Nam humano generi illud cõvenit Gẽ. 1. 28. *Creſcite & multiplicamini.* Et *Anna* probroſum erat non habere liberos. In Teſtamento autem novo nuſquam legimus vel Chriſtum, vel Apoſtolos, licet caſtiſſimi eſſent, votum continentiæ feciſſe. Neque ſanè ullas de cœlibatu accepimus leges latas optimis Eccleſiæ temporibus. Proferunt quidem Adverſarii exemplum virginis Deiparæ, & Apoſtolorum & viduarum. At nos hinc argumentum fortiſſimum pro noſtra cauſſa duci poſſe putamus. Nam ſi certum ſit iſtos non ſuſcepiſſe continentiæ votum ſolenne, tum vel adverſariis teſtibus perſpicuũ fiet votum continentiæ nullum habere in Scripturis aut piorum exemplis fundamentum. At nos hoc poſtea docebimus, omneſque Adverſariorum argutias facile refellemus.

Levit. 27. Num. 6. & 30. Deut. 12. & 23. 1. Reg. 1. Gen. 9. 1. Luc 1. 74. 1. Tim. 5.

8. Argumentum contra cœlibatus votum. Octavum argumentum noſtrorum ab authoritate Patrum ductum eſt. Nã Patres qui virginitatem & viduitatem laudant, aut utriuſvis meminerunt, nõ aliam intelligunt, quàm eam quæ vel ab omni voto vel à voto ſolenni libera erat. De voto ſolenni virginitatis aut cœlibatus, cujuſmodi Papiſtæ Deo & Sanctis vovent nullum apud eos reperitur veſtigium. Imò multa apud eos reperiuntur; unde colligere licet, eos non emiſiſſe continentiæ votum. Apoſtoli quidem uxores reliquerunt, ſed non ex voto præſcripto & coactivo, neque aliter quàm domos reliquerant. Chriſtus enim non ſeparavit, ſed firmavit conjugia, & Apoſtoli non aliter quàm propter Chriſtum ſua reliquerũt. Hoc autẽ non impedivit, quin ſuas nonnunquam viſerent domos & uxores: quod de Petro & Philippo Marci 1. & Luc. 7. Math. 8. Act. 21. ſacra hiſtoria teſtatur. Paulus etiam ſignificat, Apoſtolos ſecum uxores circũduxiſſe. Neque enim credibile eſt, eos voluiſſe alienas, aut non ſuas ſecum habere. *Math. 5. 31. 32. c. 19. 9. 1. Cor. 9.*

De Monach. c. 34. Reſpondet Bellarminus, *omnes Apoſtolos poſt vocationem renunciaſſe officiis conjugalibus (ipſos enim reliquiſſe omnia) & patres docere, ipſos cœlibes vixiſſe.* At nos oſtendimus non aliter eos omnia reliquiſſe, quàm propter Chriſtum, eóſque nonnunquam & domum & uxorem reviſiſſe. Imò ſi vera de Petro narrant & Petronella, neceſſe eſt eam poſt Apoſtolatum Petri genitam fuiſſe. Nã admodum pulchram fuiſſe, & juvenẽ occubuiſſe, quum eam uxorem cuperet Flaccus comes, narrant. Neque hoc

Digitized by Google

hoc diſertè quiſquam Patrum negat. Clemens Alexandrinus dicit Apoſtolos uxores circumduxiſſe, lib.3. Strommat. Quorſum autem hoc ſi nullus iis eſſet conjugii uſus?

Lib.1.c.31. Lib.3.hiſt. cap.14.

Irenæus *Tatianum* & Sozomenus *Euſtathiū* hæreſeos notavit, Philaſtrius & Auguſtinus *Aërium* hæreticum eò vocaverūt, quod ſub hypocritici cœlibatus & continentiæ prætextu ſectatores plurimos nacti ſint, effecerintq; ut ſub voto caſtitatis uxores à maritis, mariti ab uxoribus, rupto conjugali vinculo, diverterint, & in Euſtathii cœnobia irruerint, quoniam nuptias velut *corruptelas & fornicationes condēnaſſent.* Quid autem Papiſtæ? Nónne jam conjuges ſub prætextu religionis & caſtitatis conjugium deſerere, ac Monaſteria intrare docent? Nónne quoties Monachi nuptias contrahunt, eas diſſolvunt? Nónne utrinq; nuptias & matrimonium adulterio ac ſcortatione deteriora eſſe aſſerunt? Nónne conjugio corpus pollui dicunt ac ita quamplurimos Monaſteriorum ſectatores vitaque Monaſticæ cultores avidiſſimos ac ſtudioſiſſimos reddunt. At hoc Irenæus & Sozomenus & Auguſtinus ac Philaſtrius, velut dogma Tatiani, & Euſtathii & Aërii condemnant.

Lib.3. Strommat.

Clemens Alexandrinus dicit: *Unūquemque ſuam uxorem habere debere, ne in tentationem Satanæ incidas*: Qui ergo nō poſſunt tentationes evitare, votis non arceantur à nuptiis. Idem oſtendit: *Paulum habuiſſe uxorem, Petrúmque ac Philippum liberos genuiſſe.* Neque ſatisfacit Bellarminus, ubi dicit hoc factum fuiſſe ante Apoſtolatum. Nam ita reſpondere potuiſſent HÆRETICI antiqui, opus conjugii fuiſſe malum, quia ab eo abſtinuerint Apoſtoli poſt vocationē. At contra tales diſputat eo ibi loco Clemens. Non obſtat præterea, quod eas vocat ſorores. Nam hoc propter Chriſti fidem dicebantur, uxores verò propter conjugii uſum.

Lib. de Monogamia. 1.Tim 5.11. 12.

Ad eas, inquit Tertullianus, *dirigit, quales ſupra denotat juvenculas. Quæ in viduitate deprehenſa, & aliquamdiu affectata, poſtquam in delitiis habuerunt Chriſtum, nubere volunt habentes judicium, quod primam fidem reſciderunt, illam videlicet, à qua in viduitate inventa & profeſſa eam, non perſeverant. Propter quod vult eas nubere, ne primam fidem ſuſcepta viduitatis poſtea reſcindant. Non ut toties nubant, quoties in viduitate tentanda, imò & in delitiis habita noluerint perſeverare.* Unde colligere licet, eum exiſtimaſſe, & viduas poſt profeſſionem viduitatis nubere potuiſſe, & profeſſionem abſque voto ſolenni factam fuiſſe.

De Monachis c.25.

Reſpondet Bellarminus: *Loqui eum de iis quæ nondum voverunt. Nam quæ ſemel voverunt, & fidem primam reſciderunt, non poſſe nubere, & fidem primam reſcindere, quam jam reſciderunt.* Sed ipſius reſponſio cum verbis Tertulliani ſtare non poteſt. Non enim alias vult nubere, *quàm eas, quæ in viduitate inventa & profeſſa eam, non perſeverant.* At hanc eſſe ejus ſententiam, teſtatur ipſius interpres Beatus Rhenanus. Ad confirmationem Bellarmini reſpondemus, poſſe aliquam primam fidem ſæpiùs reſcindere. Nam Monachi, qui ſæpiùs ſcortantur & mœchantur, ſæpè primā fidem reſcindunt. At *dirigere ſermonem*, inquit, *ad eas, quæ voverant, nihil aliud eſt,*

Digitized by Google

quàm eas reſpicere, & ex earum ruina aliis proſpicere de remedio. Sed Tertullianus vult eas nubere, ad quas Apoſtolus dirigebat ſermonem: & hanc inſulſam interpretationem Bellarmini refellit. Quid enim inſulſius, quàm putare ipſum in eadem verborum complexione de diverſis locutum? Profert præterea librum Tertulliani de velandis virginibus, & inde argumentum petit, ipſius tempore virgines velatas fuiſſe, & votum emiſiſſe. Idemque Petrum Martyrem mentiri dicit, quod per velum intellexiſſet integumentum, quo virgines Chriſtianæ capita tegebant. Sed niſi firmiora & meliora afferre poſſit, nihil cauſſæ eſt, cur non ipſum mentitum eſſe & Petrum Martyrem verè eſſe locutum, exiſtimemus: Neque enim probabile eſt, Tertullianum voluiſſe virgines Chriſtianas appellare *ſeculares*. Nec ſi velum virginitatis erat ſignum, illud cum conjugali fuiſſet commune. Dicit denique, ex Cypriani libro de habitu virginum intelligi poſſe, de quibus virginibus Tertullianus loquatur. Sed neque ex ipſo mens Tertulliani hoc loco colligitur, neque pro ipſo facit Cyprianus.

Lib. 1. epiſt. 11. ad Pomponium. *Quod ſi ex fide*, inquit Cyprianus, *ſe Chriſto dedicaverunt pudicè & caſtè ſine ulla fabula perſeverent. Ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeverare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt ut nubant, quàm ut in ignem ſuis delictis cadant.* Si autem poſt profeſſionem nubere potuerunt, tum nec adverſarii negabunt, aut virgines has à votis fuiſſe liberas, aut non rectè eos facere, qui poſt votum ſolenne contrahentes ſeparant.

Reſpondet Bellarminus; *Loqui eum de virginibus, quæ de voto faciendo deliberāt, & ſe adhuc Chriſto non conſecrarunt.* At ſi hoc ita eſſet, tum non dixiſſet, *ſi ex fide Chriſto ſe dedicaverunt:* nec, *ſi perſeverare nolunt.* Nam perſeverant, qui jam inceperunt: & non deliberant de voto, quæ jam ſe Chriſto conſecrarunt. At inquit Bellarminus, *Cyprianus virginibus illis ſub disjunctione concedit, ut nubant, ſi perſeverare nolint, aut non poſſint.* Et quidni concederet, quum illis temporibus virgines nec vota ſolennia nuncuparent, nec per profeſſionem à nuptiis excluderentur? Dicit ſecundò, Cyprianum dicere, *hujuſmodi virgines graviſſimè peccare, ſi viris miſcerentur.* Certè. Nam illæ licet profeſſæ eſſent caſtitatem: cum viris tamen alienis cubitabant. Hoc autem ille reprehendit, & nuptias illis ſuaſit. Dicit tertiò, *Cyprianum jubere, ut ſeparentur, alioqui ſe eas in Eccleſiam non eſſe admiſſurum.* Fatemur. Sed loquitur de virginibus, quæ cum maſculis ſe profitebantur virginitatem cuſtodire, & nuptiis copulari noluerunt. Tales erant in urbe Roma Agapeti, qui licet virginitatem profiterentur, viri tamen mulieribus conjuncti ſcortabantur. Atque hoc ex Cypriani verbis apertè colligitur, quæ ut Bellarmini deſtinatam malitiam intelligas, integra recenſebimus. *Poſtulas*, inquit Cyprianus, *quid nobis videatur de virginibus, quæ cùm ſemel ſtatum ſuum continenter & firmiter tenere decreverunt, detectæ ſunt poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus unum Diaconum fuiſſe dicis. Quàm graves multorum ruinas hîc fieri videmus, & per ejuſmodi illicitas & periculoſas conjunctiones corrumpi plurimas virgi-*

virgines, cum ſummo animi dolore conſpicimus. Loquitur ergo de virginibus profeſſis, & non de iis, quæ licet cum viris jacerent, tamen ſe virgines eſſe contẽdebant, idque ex inſpectione obſtetricum probare voluerunt. Loquitur nõ de virginibus cum maritis conjunctis, ſed fornicantibus. Loquitur denique de iis, quæ vellent caſtæ eſſe, tales tamen eſſe non potuerunt. Quæ omnia planè oſtendunt, Cyprianum à cauſſa Bellarmini alienum eſſe.

In epiſt. ad Dracontiũ. *Monachi*, inquit Athanaſius, *parentes liberorum facti ſunt: quemadmodum viciſſim Epiſcopos filiorum patres: & Monachos generis poteſtatem non quæſiviſſe animadvertas.* Quomodo autem parentes fieri potuerunt, ſi ad votum continentiæ neceſſariò adſtringerentur? Reſpondet Bellarminus, *eos fuiſſe Monachos & Epiſcopos perditè viventes.* Sed hoc ipſe, & non Athanaſius dicit. Atque ut ſignificaret, ipſos monaſticæ vitæ morẽ non rectè ſervaſſe, non tamen negat, quin monaſterio deſerto nuptias contrahere potuerint. Erant enim nuptiæ impedimento iis, qui vitam monaſticam ingredi voluerunt, & non contrà.

De virgin. Baſilius improbavit quidem nuptias virginum conſecratarum. Sed ubi dicit: *negare quaſdam virgines, quæ antea fuerant pollicitæ*, oſtendit eas tantùm ex promiſſione, & non ex voto ſolenni fuiſſe obligatas. Dicit etiam: *Præſtabilius fore, ut virgines non continentes nubant, quàm ut flagitioſè vivant.* Reſpondet Bellarminus, *ipſum dicere præſtabilius fuiſſe, ut ante votum nupſiſſent.* At verba ejus hunc ſenſum habere nõ poſſunt. Dicit enim, præſtabilius ESSE, non fuiſſe, ut virgines non continentes nubant. Nec obſtat, quod dicit, *eas ſcortationis peccatum ſub nuptiarum nomine velare.* Nam intelligendum eſt de iis, quæ non legitimas contraxerant nuptias, ſed tantùm ſub prætextu nuptiarum ſcortabantur. *Non habebit*, inquit, *locum apud ipſum nuptiarum prætextus.* Nuptias verò poſt promiſſionem virginitatis nuſquam appellat ſcortationem, ut ex adverſariis ſcortatores quidam impuri faciunt.

Hilarius dicit: *Nos ſimiles eſſe debere eunuchis, qui ob regnum cœlorum tales fiunt.* *In Math. 19.* Sed eos excipit, qui non poſſunt continere. Idemque in Pſalm. 64. ſcribit: *Vota Eccleſiaſticæ religionis cum dignis Deo cautionibus facienda eſſe.* At ſi vota nuptias excluderent, fruſtrà addidiſſet, *ſi tamen poſſumus*: cautionesque fruſtrà adhibendas dixiſſet.

Melius eſt, inquit Epiphanius, *lapſum à curſu palàm ſibi uxorem ſumere ſecundùm legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & non quotidie jaculis ſauciare.* *Hæreſi 61.* Non ergo impedire debet nuptias propoſitũ continentiæ, ſi ipſum audire velimus. Reſpondet Bellarminus, eum *per* MELIUS *intelligere* MINUS MALUM, *& eodem in loco affirmare, peccatum eſſe poſt virginitatem converti ad nuptias.* Sed communis loquendi ratio talem aſpernatur interpretationem. Injuriam facit Epiphanio, qui eum exiſtimat dixiſſe nuptias malum, præſertim quæ fiunt ſecundùm legem. Neque enim ideò ſequitur, ipſum nuptias poſt propoſitum continentiæ cõdemnaſſe, quia malum erat cõtra promiſſionem nuptias contrahere. Nam nec fides violanda eſt, licet alioquin res legitimas faciamus. Reſpondet ita-

Digitized by Google

que ſecundò: *Epiphanium de iis loqui, qui voto non erant aſtricti, & vitam tamen agebant cœlibem.* Quod nos non valdè negamus. Epiphanii enim tempore nemo ad continentiam aſtringebatur, aut votis ſolennibus, aut alio vinculo alligabatur, quàm promiſſione ſpontanea. At certum eſt, eum de iis loqui, qui pro more illorum temporum virginitatem profeſſi erant. Quid eſt enim in curſu eſſe aliud, quàm poſt profeſſionem virginitatis propoſitũ perſequi.

In orat. de cohab. mulierum cum viris.

Chryſoſtomus, *fœminas cum viris cohabitantes melius facturas exiſtimat, ſi nuberent, quàm ſi iſto modo virginitatem colerent.* Præterea dicit: *Multo melius eſſe uno aut altero conjugio copulari, quàm tam fœda committere.* Reſpondet Bellarminus: *Eum dicere, melius facturas fuiſſe, ſi nupſiſſent ante votum.* Sed valdè fallitur, qui Chryſoſtomi tempore putat virgines votum ſolenne emiſiſſe, ut nunc faciunt. Præterea verba ipſius oſtendunt, ipſum tam de præſenti tempore, quàm de præterito loqui. Neque enim aliter remedium iis, quæ continere nõ poterant, reliquiſſet. Ex libro etiam tertio adverſus vituperatores vitæ monaſticæ liquet, *nonnullos poſt decem aut viginti annos monaſterium ingreſſuros eſſe.* At ſi votis alligati fuiſſent, nunquam egredi licuiſſet. Reſpondet Bellarminus, *hoc intelligendum de iis, qui ibi degebãt non ut Monachi fierent, ſed ut in pietate & virtutibus exercerentur.* At certum eſt, primos Monachos nullos niſi Monachos in monaſteria ſua admiſiſſe, licet poſtremis ſeculis hoc fieri cœperit. Præterea loquitur Chryſoſtomus de iis, *qui ſtudii cœleſtis diſciplinam ſolidam* perceperant. At hanc ille perfectionem tantùm Monachis concedit. Videtur ergo hujus orationis characterem alium, quàm Chryſoſtomum referre. Nec obſtat, quod Theophylactus *va* illis pronunciat, qui *Monaſticem profeſſi, ad mundana regrediuntur.* Hoc enim dicit, quia mũdanis curis poſtea implicabantur, non autem quod Monaſticem deſeruiſſent. Nam ſi votorum laqueis eo tempore obſtricti fuiſſent, tunc retracti fuiſſent ex fuga, & in monaſteria detruſi pœnas dediſſent. Nam ita nũc Monaſteriorum deſertores tractari ſolent.

Hieronymus de virginibus verba faciens, *aut nubant*, inquit, *ſi non poſſunt ſe continere, aut contineant, ſi nolunt nubere.* Et in epiſt. 47. de vitando ſuſpecto cõtubernio: *Si virgo es*, inquit, *quid times diligentem cuſtodiam? ſi corrupta, cur non palàm nubis?* Non ergo votis illo tempore virginum conſcientiæ illaqueabantur.

Epiſt. 8 ad Demetriadem.

Reſpondet Bellarminus *in priore loco agi de ancillis virginum, quæ non erant profeſſæ: in ſecundo de virgine, quæ privatim voverat continentiam: quam tamen faſſus eſt peccare nubendo.* Sed operam fruſtra dat, ut fallat lectorem. Nam etſi ancillæ eſſent in Monaſteriis, non de aliis tamen loquitur ille, quàm quę virginitatem profeſſæ ſunt, ut ex illis verbis cõſtat, *procedit ancilla virgo*. Præterea nihil eſt, cur ipſum de ipſis dominis locutum putemus. Oſtẽdit enim periculoſum fuiſſe, *laſcivis pueris ad loca religionis venire.* Et eas quæ verè virginitatem cuſtodiebant, *raras eſſe, velut aureos nummos*, ſignificat. Non eſt denique mirum ſi privatim continentiam virgo quædã profeſſa

Digitized by Google

profeſſa eſſet. Nam eo tempore non aliter, ut plurimum profiteri ſolitæ ſunt. Vota ſolennia nulla erant. In cellulis ſingulæ aut plures, prout viſum eſt, continentiam ſervabant. Si ergo his dat poteſtatem nubendi, tum nullas à nuptiis poſt profeſſionem excludebat Hieronymus, ſi continere non poſſent. Quod autem dicit, eam peccaturam fuiſſe nubendo, hoc oſtendit, eam profeſſam fuiſſe continentiam. Reliquæ enim non non peccant, ſi nubant, peccatum autẽ erat non nubere poſt profeſſionem, ſed fidem fallere ut exiſtimat Hieronymus. Nam ſi peccatum eſſet nubere poſt profeſſionem non dixiſſet, *cur non palàm nubis.*

Auguſtinus aſſerit, fœminas à propoſito virginitatis excidentes poſſe conjugiũ contrahere & nubere & contrariam ſententiam *inconſideratam* appellat, *Fit*, inquit *per inconſideratam hanc opinionem, qua putat lapſarum à ſancto propoſito fœminarum, ſi nupſerint, non eſſe conjugia, non parvum malum.* Similiter in Epiſtola. 70. ad Bonifacium nuptias talium virginum probat. At poſt votum ſolenne continentiæ Adverſarii nuptias non tolerāt. Quod oſtendit Auguſtini tempore nullas virgines ſacras ſolenni voto fuiſſe illigatas.

De bono viduitatis.

Reſpondet Bellarminus; *Voluiſſe quidem Auguſtinum nuptias poſt votum eſſe veras nuptias, ſed ſimul aſſeruiſſe eas, qua poſt votum nubunt, graviſſimè peccare.* Sed Adverſarii nolunt tales nuptias. Præterea falſum de Auguſtino narrat. Non enim dicit, nubentes poſt votum peccare (tantum abeſt ut graviſſimè peccare putarit) ſed tantùm peccare, quod caſtitate ſanctiore exciderint, & promiſſionem violarint. At longè iſta inter ſe diſcrepant, nubentem poſt votum peccare, & peccare quia contra fidem datam nupſit. Ita peccat, qui contra fidem datam homilicam occidit, licet magiſtratui non ſit peccatum, talem occidere. Reſpondet præterea: *Auguſtinum exiſtimare votum non impedire nuptias ex jure divino aut naturali, ſed ex jure Eccleſiaſtico.* Sed nihil de hac diſtinctione unquam vel cogitavit, vel ſomniavit: nec putavit nuptias jure divino licitas jure Eccleſiaſtico ſolvi poſſe. Noverat enim ille, quod Deus conjunxit, non eſſe ſeparandum. Verùm ut aliquis ita ſentiret, hoc tamen contra nos non faceret. Nam in Chriſti Eccleſiis apud nos nec jure divino, nec jure Eccleſiaſtico tales nuptiæ prohibentur. Præterea libro de ſancta Virginitate cap. 34. *Multas, inquit, revocat à nubendo non amor præclari propoſiti, ſed aperti dedecoris timor, &c. Hæ igitur qua nubere volunt: & ideo non nubunt, quia impune non poſſunt, quæ melius nuberent, quam urerentur, id eſt, quàm occulta flamma concupiſcentiæ in ipſa concupiſcentia vaſtarentur, &c. in mortuis deputendæ ſunt.* Hinc conſtat, propoſito continentiæ non fuiſſe antiquas virgines à nuptiis prohibitas. Reſpondet Bellarminus, Auguſtinum eo modo eſſe locutum, quo ſanctus Hieronymus in Epiſt. 47. *nimirum minus malum eſſe apertè nubere ei, qui ſimplex votum habet, quàm perpetuò occultè fornicari.* Sed nec Hieronymus, nec Auguſtinus ullum votum agnovit præter liberum continentiam eligentis propoſitum. Quod prorſus evertit Adverſariorum cauſam. Præterea

terea nunquã exiſtimarunt nuptias eſſe malas. Nec hoc inde ſequitur, quia putarunt malum eſſe fidem violare. Non dicit denique Auguſtinus, *Præſtare nubere: quàm fornicari:* ſed *quàm* uri & concupiſcentiæ flammis abſumi.

De ſancta virginit. c. 40. 41.

Auguſtinus denique fundamentum voti continentiæ tollit, ubi ait: *Difficile eſſe intelligere, cur Deus uni det continentiæ donum & non alteri.* Nam ſi omnes continere poſſent, qui vellent, ut adverſarii docent, eſſet facilè intelligere, aliis continentiæ donum dari, quia volunt, & aliis negari, quia nolunt.

Reſpondet Bellarminus ridiculè. *Auguſtinum loqui de dono continentiæ, non quo fit ut aliquis continere poſſit, ſed quo fit ut reipſa aliquis contineat.* Quaſi verò illud donum appellari mereatur, quod omnes ex libero arbitrio habere contẽdunt Adverſarii. Præterea niſi intelligant illi, qui votum continentiæ ſuſcipiunt, ſe reipſa continere poſſe, malè faciunt, qui capita ſua ſponſione inutili & noxia illigant, & præveniunt præſumptione ſua liberalitatem divinam. Dicit præterea, *commune eſſe cum dono fidei, dilectionis & perſeverantiæ, ut nemo intelligat cur Deus hæc uni, & non alteri concedat.* Sed malè hæc quæ ad omnes fideles attinent, cum cœlibatu comparantur. Neque enim ille omnibus utilis eſt, neque Deus ita operatur cœlibatum, ut fidem, dilectionem & perſeverantiam.

Epiſt. 85. ad Epiſ. Afric.

Oſtendunt denique LEO & GREGORIUS antiquam Chriſti Eccleſiam ſynagogæ hujus Romanæ leges & mores de voto continentię non ſervaſſe. LEO enim conditiones quaſdam ſervandas dicit, *in muliere ſacerdotis eligenda.* Et GREGORIUS *durum eſſe* fatetur & *incompetens, ut Diaconi ab uxoribus ſeparentur.* Quod oſtendit, iſtos votis illicitis nunc à nuptiis cohiberi.

Reſpondet Bell. *Legendum eſſe ſacerdotis eligendi.* Sed illud parum intereſt, modò conſtet Epiſcopum potuiſſe habere uxorem legitimam: Reſpondet deinde, Leonem docere, *Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum & Subdiaconum debere innuptum eſſe, vel continentem.* At non impedit hoc, quo minus verum ſit, quod dixerat: Inter Chriſtianiſmi regulas cõtineri, *ut Epiſcopus ordinetur, quem unius virum fuiſſe aut eſſe conſtaret.* Quis autem Apoſtolicas & veteris Chriſtianiſmi regulas non anteponat recentiorum Põtificum placitis? De Subdiaconis reſpondet: *Poſſe eos non vovere, quia ad votum tenentur tantùm ex lege Eccleſiaſtica.* At ſi hoc ita ſe haberet, tum de votis planè conclamatum eſſet. Poſſemus enim nos dicere, poſſe Monachos & ſacerdotes non vovere, quia ad votum tenentur tantùm ex lege Eccleſiaſtica, ut Adverſarii fatentur: Nos autem ne lege quidem legitima, ſed tantùm iniquis Pontificum Romanorum juſſionibus à nuptiis prohibitos putamus, atque aſſeveramus.

Sic Patres omnino nobis, minimè Papiſtis aſtipulantes cognovimus. Quod igitur Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 27. contra PETRUM MARTYREM, dicentem, *non eſſe in hac cauſſa provocandum à Scripturis ad Patres,* crepat & jactat: *At neque etiam provocamus Pontificii ad Patres, ſed tantùm ab hæreticorum* (intelligit Euangelicos & orthodoxos) *judicio ad judicia Patrum,* id nunc Adverſariis malè cedere auditum,

tum. Nam Patrum judicium, ad quod provocant, noſtro, id eſt, Euangelicorum, quos illi pro hæreticis traducunt, judicio planè aggregatur, uti nunc ordine comprobatum. Unde, ſi Patres non ſunt hæretici ſuo in judicio, certè Euangelici etiam non hæretici ſunt, qui illorum judicio ſtant ſacris Scripturis conſentienti.

9. Argumentum contra votum cœlibatus. NONUM argumentum à Conciliorum regulis ſumi poteſt. Nuſquam enim CONCILIA optima & antiquiſſima vel votum continentiæ à Monachis exegerunt, vel contrahentium poſt profeſſionem continentiæ conjugia diſſolverunt. *Can. 19.* Patres concilii *Ancyrani* inquiunt: *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati ſunt, inter digamos habeantur.* Hinc duo colligere licet. *Primum* eſt, non voto ſolenni, ſed nuda pollicitatione primas virgines obligatas fuiſſe ad continentiam. *Secundum* eſt, nuptias virginum conſecratarum ratas fuiſſe non obſtante illa pollicitatione. Nuptiæ enim digamorum ratæ erant & honeſtæ.

Cap. 33. lib. 2. de Monach. Bellarminus reſpondet: *Non loqui concilium de veris nuptiis, ſed virgines prævaricantes pœna digamiæ afficere.* At qui fornicantur, non puniuntur ut digami. Neceſſe eſt ergo eos intelligi, qui nuptias contrahunt. Quod etiam ex eo intelligi poteſt, quod Concilium de iis, quæ cum maſculis ſeorſim habitabant & ſcortabantur, aliam legem cōſtituit. Et quia non, qui fornicantur, ſed qui nuptias contrahunt, ſponſionem continentiæ irritam faciunt. Eſſet denique abſurdum, digamiæ pœnam contra eos ſtatuere, qui non ſemel nuptias contraxerunt. Reſpondet ergo iterùm; *Concilium intelligere eos, qui poſt votum ſimplex uxorem ducunt.* At tempora Concilii nullum aliud votum, niſi ſimplex Monachi & virgines fecerunt. Voti enim ſolennitas omnis ex conſtitutionibus Pontificum Romanorum recentioribus manavit.

Concilium *Gangrenſe* condemnat *Can. 9.* eos, *qui profeſſi virginitatem, in conjugio poſitos vituperant.* Et hoc Bellarminus *ſe libentiſſimè audire & amplecti dicit.* At tales Pontifices Romani velut in carne poſitos & pollutos exiſtimant. Et vulgò Adverſarii tales, tanquam homines ſeculares & minùs perfectos, & parum ſanctos deſpiciunt, & à ſacro Epiſcopatus munere, velut parum idoneos, arcent. Non ergo à ſe hoc more fulmen iſtius Concilii depellere Pontificii poſſunt, ſed in ſua capita potiùs manifeſtè accerſunt.

Concil. ũ *Chalcedonenſe* etiamſi virgines Deo dicatæ, vel Monachi nuptiis jungerentur: ſtatuit tamen *poſſe in eis fieri humanitatem, ſi ita probaverit loci Epiſcopus.* *Can. 16.* At ſi nuptiæ hujuſmodi hominum vel nullæ eſſent, vel ſacrilegæ, tum nullo modo in Eccleſiam recipiē di erant, niſi ſolutis nuptiis.

Reſpondet Bellarminus: *Potuiſſe Epiſcopum anathema tollere, ſi à malè contracto matrimonio diſceſſ ſſ nt, ut exponit Concilium Triburienſe cap 23.* At hæc expoſitio ſtare nequit. Nam ſi à ſe invicem diſcedere voluiſſent, recipiebantur facilè etiam ſine Epiſcopi diſpenſatione. Adhæc non eſt putandum, tale Concilium voluiſſe ſeparari nuptias, quarum vinculum à Deo erat, propter profeſſionem virginitatis, cujus vinculum omne ſuum robur ab hominū

Digitized by Google

conſtitutionibus traxit. Concilium verò *Triburienſe* non negat, nuptias virginum velatarum validas eſſe: ſed quia fidem violarunt, idcirco negat eis pœnitentiam concedendam, niſi in fine vitæ. At ſi ſcelus eſſet, conjugio jungere velatas virgines, tum nec in fine vitæ talibus abſolutio à peccatis concedenda erat. Præterea Concilium hoc paucorum erat Epiſcoporum, & ſub Arnolpho Imperatore ingruentibus in Eccleſia tenebris celebratum eſt.

Can. 33. Concilium *Arelatenſe* ſecundum, *puellas Deo dicatas poſt* 25. annos nubentes *non ſeparavit à viris*, ſed pœnitentiam eis poſt longum tempus conceſſit. Similiterque Concilium Valentiæ in Gallia ſtatuit, cap. 2.

Nihil denique magis ſententiam noſtram de votis confirmat, quàm acta Conciliorum. Nam quum vetuſtiſſima Concilia nihil de voto continentiæ ſtatuant, & media contra ſynagogæ Romanæ ſententiam definiant, & ultima Concilia paulatim votorum nodos nectere cœperint: nemini dubium eſſe poteſt, quin votum continentiæ ſit inventum humanum, & cõtra priſcam Eccleſiæ diſciplinam ex legibus Pontificum Romanorum in Eccleſiam invectum.

10. Argumentum contra votum cœlibatus. Decimum argumentum rationibus quibuſdam firmatur. Nam Primo nemo ea vovere debet, quæ non habet in ſua poteſtate. Neque enim, quæ in alterius poteſtate ſunt, vovere poſſunt: aut rem promittere extra ſuã poteſtatem. *Nullus*, inquit Aquinas in 2. 2. q. 88. art. 8. *poteſt per promiſſionem ſe firmiter obligare ad id, quod eſt in poteſtate alterius. Sed ſolùm ad id, quod eſt omnino in ſua poteſtate.* At nemo habet in poteſtate ſua continentiam. Eſt enim continentia & actus ejus donum Dei, dátque ille cui vult, ut ex libro Sapientiæ cap. 8. Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 41. docet. Bellarminus etiã hoc imprudens fatetur, *& ut re ipſa*, inquit, *aliquis contineat, non datur niſi iis, quibus Deus dandum eſſe decreverit.* *Lib. 2. de Monach cap. 34. paulò ante finem.* Atque hoc nos aliquot argumentis confirmavimus. Niſi ergo quis continere & perſeverare poſſit, non eſt vovenda continentia.

Secundò, ut bonum eſſet eximium cœlibatus, tamen quum nulli magis incontinentes ſint & diſſoluti, quàm qui vitam cœlibem agunt Monachi & ſacrifici, & Moniales, non ſunt ferenda votorum vincula, quæ hujuſmodi occaſionem præbent. Tollenda enim ſunt ſcandala, & omnis malè loquendi occaſio hominibus impiis eripienda. Negabit, ſat ſcio, Bellarminus. Sed ut negaret, & ſacramento negationem ſuam confirmare paratus eſſet, tamen nihil efficeret. Experientia enim docet, & clamor Monaſticorum luſtrorum, ut *clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt*. *Gen. 18. 20.* Nec ipſi Adverſarii eorum iniquitates tacent. Johannes Picus Mirandulæ Comes in orat. ad Leon. 10. apud Orthuinum Gratium, *Virginum ſeptæ in meretricios fornices & obſcœna latibula converſa eſſe profitetur.* Clauſtra virginum tempore Concilii Conſtantienſis ultra quàm dicere auſus eſt, dehoneſtata eſſe, dicit Petrus de Alliaco. *De reform. Eccleſ.* Sed ne cui hoc dubium eſſe poſſit, nos hujus rei graviſſima teſtimonia ex authoribus fide dignis & adverſario-

Digitized by Google

verſariorum ſcriptis, alibi attulimus. Math. Sutl. in præfationem libri Bellarmini de Monachis,& cap.8.

Tertio ex profeſſione continentiæ ſequutæ ſunt cædes infantium, & flagitia non nominanda, ut fusè narrat in Epiſtola ad Nicolaum Huldericus Auguſtanus. Hoc etiam dirutis in Anglia, Germania & alibi Monaſteriis, & ex oſſibus parvulorum effoſſis in fœminarum cœnobiis, & ex teſtium dictis, & cõfeſſione multorum in viſitatione monaſteriorum temporibus Henrici octavi Angliæ regis, deprehenſum eſt. Quis autem non cenſeat omnes flagitiorum anſas & occaſiones quàm primum & quàm ſeveriſſimè eſſe amputandas.

Lib.4. d.38. §.2. *Quartò*, ſi privata, ſeu, ut vocantur, ſimplicia vota neminem ita ligãt, quin matrimonium poſt vota contractum firmum ſit & validum, ut nos MAGISTER Sententiarum docet, tum non tam promiſſio ſeu votum nos ligat, quã voti ſolennitas. At abſurdum eſt, plus circumſtantias & rei apparatum ſpectare, quàm rem ipſam & contractus, ut ita dicamus, ſubſtantiam.

Quintò, non aliunde votum continentiæ in honore haberi cœpit, quàm quòd de nuptiis nonnulli malè loqui, & eis detrahere non dubitarunt. Hinc Syricius & Innocentius ſacerdotes cœlibes eſſe debere concluſit, quia *qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt*, & quia *coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum*. Diſt.82 cap. Propoſuiſti. Ibidem c. Plurimos. Syricius verò ulterius ſacerdotes conjugatos vocat ſectatores libidinum & præceptores vitiorum, & eorum nuptias obſcœnas cupiditates. Ibidem c. Quia. At nullus nuptiis detrahit præter Hæreticos & dæmoniacæ doctrinæ auctores ac ſectatores.

Sextò, enim hæreticorum eſt (ut jam ſæpè dictum) nuptias prohibere, & propter religionem diſſolvere. Hoc enim *Marcion* factitare ſolitus eſt homo alioquin impurus & virginum ſtuprator teſte Tertulliano adverſus Marcionem & Epiphamio hæreſi 42. Similiter Manichæi ſacerdotibus ſeu electis ſuis propter perfectiorem ſanctitatem, qua debeant præditi eſſe nuptiis interdixerunt. Idem *Encratitæ*, *Aëriani*, *Euſtathiani*, *Saturniani*, *Priſcillianiſtæ*, ſimiliterq; alii fecere. At idem hodie fit à Papis Romanis & Papiſtis, qui conjuges voventes continentiam, *ne in idipſum revertãtur*, ut loquitur Apoſtolus, impediunt, cœlibes profeſſos continẽtiam conjuges fieri vetant, & nuptias propter religionem diſſolvunt atque prohibent. Ergo hæretici ſunt.

Septimò, ſi votum continentiæ ſimpliciter bonum eſſet, tum quo plures continerent, tanto bonum hoc præſtantius eſſet Reipub. atque Eccleſiæ utilius. At ſi omnes continerent, tum genus humanum interiret. Si plurimi continerent, tum & Eccleſia & Reipublica labefactaretur.

Reſpondet ad hoc Bellarminus, *Auguſtinum de* bono viduitatis cap. 23. *optare, ut omnes continerent Nam tanto citius Dei civitatem completum iri. Et Apoſtolum velle omnes eſſe cœlibes, ut ſit ipſe.* Sed longè aliud dixiſſet Auguſtinus, ſi noſtri ſeculi Monachos & Sãctimoniales vidiſſet. Ea enim agunt atque ita vivunt, ut non cœlum, ſed infernum hujuſmodi hominibus complendum videatur. Præ- Lib. de Monachis c.32. 1.Cor.7.7.

Digitized by Google

terea hoc ille ex ſuppoſitione, *ſi Deo finẽ rebus mortalium imponere viſum eſſet*, dixit, & non aliter. Nam ſi nefas ſit unam civitatem, aut domum, aut ſingularem hominem tollere, quantò magis genus hominum univerſum? Fieri etiam potuit, ut optarit id, quod fieri non poſſe exiſtimavit, ut quantum Deum amaret oſtenderet. *Nec*, inquit, *timere debemus, ne omnes capiant*, De bono Viduit. cap. 23. Apoſtolus autem ubi dicit, *volo omnes eſſe ſicut meipſum*, intelligit hanc conditionem, ſi omnes capere poſſent, ut Chriſtus ipſe Math. 19. 11. monet. Deinde, optavit hoc non quod minùs ſanctum matrimonium cœlibatu eſſe judicaret, ſed quod eos liberius vivere & ad ferendas perſequutiones (quæ tũc paſſim fervebant) expeditiores eſſe videret, quos nulla conjugum & liberorum cura gravabat. Ideo pro communi piorum more, voluiſſet omnes tanti boni participes fieri. Simul tamẽ ne quis ſuo exemplo temerè abuteretur, diverſitatis donorum eos admonet; & conjugium quoque inter Dei dona numerat, 1. Corinth, 7. 2. 3 4. 5. 6. 9 Heb. 13. 4. Ac ideò poſtquam dixerat, *Velim omnes homines eſſe, ſicut & ipſeſum*; addit, *Sed unuſquiſque proprium donũ habet ex Deo, alius quidem ita, alius autem ita*. Quaſi dicat: alius quidem ut virginitatem caſtam corporis ſimul & animi cuſtodire poſſit, alius verò ut conjugium ſanctè colat, & ita quoque Deo gratus & acceptus ſit.

1. Cor. 7. 7.

Bellarmini mendaciũ apertum.

Dicit præterea Bellarminus, Auguſtinum de bono viduitatis cap. 23. dicere, *licere omnibus cœlibatum eligere, etſi mundus finiendus eſſet*. Sed niſi fidem ſuã liberet, omnes eum velut mendacii reum & convictum & hoc & aliis nominibus tenebunt. Ibi ſanè nihil hujus habetur. Nec alibi hoc dicturus videtur. Nam hoc nihil aliud eſt, quã nuptias tollere.

Ait denique, *nihilominus rem Chriſtianam florentem eſſe poſſe, nec mundum interiturum, etſi omnes cœlibes eſſent, aut frequentiſſimi Monachi ac ſanctimoniales redderẽtur, ut in Turcia eveniat*. Sed non legitimo modo fieret, ſed quia etiam dedicati Monaſteriis gignerent, ut inter eos fieri ſolet. Deinde, polygomia Turcica introducenda eſſet inter reliquos, qui cœlibatum non voverent. Adhæc, floreret nihilominus hominum in mundo copia; quia ſaniores & magis pii verbo Dei obtemperantes conjugium cœlibatui anteponerent, & à Deo fœcunditate majore donari poſſent.

Octavò, ſi votum continentiæ cultus Dei eſſet, & ex lege divina fuiſſet introductum, tum non liceret Pontifici in hoc voto diſpenſare, aut illud commutare. Neque enim licet cuiquam mortali vel legem Dei abrogare, vel cultum à Deo inſtitutum mutare. At Pontifex Romanus hoc in ſe ſumit. *Minus eſt votum commutare*, inquit Aquinas 2. 2. q. 88. art. 10. *quàm in voto diſpenſare. Utrumque tamen in Eccleſia poteſtate conſiſtit.* Ergo quod ſibi non licet, Eccleſia Romana, id eſt, Pontifex Romanus facit, Gal. 1. 8. 9. Deut. 12. 8 32.

Nonò. votum nihil valet, *niſi ſit de meliore bono*, ut Aquinas ait. At cœlibatus ex ſe nec melius eſt bonum, quàm matrimonium, nec omnino bonum. *Quare nec caſtitas eſt bonum, & ex virtute*, inquit Clemens Alexandrinus, *niſi fiat propter dilectionem Dei*. Strom. lib. 3. *Aquinas in 2. 2. q. 88. art. 2.*

Decimò

Digitized by Google

Decimò, non eſt vera continentia, ubi non eſt mentis & corporis caſtitas. Imò ubi non coërcetur omnis concupiſcentiæ efferveſcentis, ut idem Clemens ibidem ait, impetus. Quis autem hoc præſtare poſſit, aut vovere auſit?

Undecimò, non licet aliquid vovere aut contra jus divinum, aut naturale. Votum enim, uti diximus, eſt de meliore bono. At cœlibatum vovere, eſt legem divinam de propagando genere humano, & naturalem de procreatione liberorum tollere. Quis non ergo miretur, tantum valuiſſe aſtutiã Satanæ, ut neglecta lege divina, homines in commentis ſuis ſanctitatem & perfectionem collocarent?

Duodecimò, ut votum continentiæ non aliunde inductum eſt in Eccleſiã Chriſtianam, quàm ab exploratis & convictis vetuſtis hæreticis: ita non firmius fundamentum habet, quàm ſcripta Apocrypha, ut *Protoevangelium Jacobi*, Clemente Strom. lib.3. teſtante. Neque nunc defenditur, niſi ex Scripturis in alienum ſenſum detortis, & Patrum ſententiis malè intellectis, & decretis Conciliorum perverſè explicatis, & argutiis ſophiſticis, ut nos Bellarmini diſputatio hactenus expoſita docet. Quis ergo non metuat, in arena & luto vitæ atque inſtituti ſui fundamentum ponere? Math. 7.26. 27.

11. & ultimũ argumentum contra cœlibatus votum.

UNDECIMUM & poſtremum Evangelicorum argumentum, adverſus cœlibatus votivi inſtitutum, ab ipſorum Papiſtarum atque Adverſariorum noſtrorum confeſſione ducitur. GELASIUS aſſerit epiſt.1. ad Epiſcop. Lucanum, laqueum non eſſe injiciendũ viduis continentiam profeſſis. *Nos*, inquit, *talibus nullum laqueum debemus injicere, ſed ſolùm adhortationes præmii ſempiterni, pœnáſque proponere divini judicii.* At nullus laqueus fortior eſt, quàm votum continentiæ, quo plurimi in exitium præcipitantur, qui honeſti cõjugii remedio infamiam & illud evitaſſent.

Reſpondet Bellarminus: *Eum loqui de iis, quæ non voverunt. Reliquas enim quæ item voverunt, non poſſe ſine peccato nubere, & ita dicere Gelaſium.* At ille diſertè de iis loquitur, quæ Deo promiſſam pudicitiam cuſtodire tenebantur. Imò verò viduas velari, ne illis facultatem nubendi eriperet. *De Monachis c.34.*

Adhæc omnes fatentur, votum privatum non diſſolvere nuptias contractas. Hoc enim Magiſter Sent. tenet, & poſt eum reliqui ejus diſcipuli. At tantum valet coram Deo promiſſio privata, ut publica Zach.8 16. Epheſ.42.4. Pſal,15.1. Levit.19 11. Prov.11.22. Col. 3 9. Joh 8 44. Non ergo ex natura voti fit, ut ſeparentur conjuges poſt votum emiſſum conjugium contrahentes, ſed propter ſynanogæ Romanæ conſtitutionem. *Sent. 4 diſt. 38.§.2.*

Objicit Bellarminus. *Ad damnationẽ habent poſt votum datum ineuntes matrimonium. Quod fidem primam, irritam fecerunt*, teſte Apoſtolo 1.Tim.5.12. Sed 1. nihil hoc facit ad generales iſtas ſacræ Scripturæ ſententias 1. Cor. 7.2.9. & Heb.11 4. tum de conjugio præ ſcortatione ac uſtione carnali eligendo, tum de veritate promiſſa ſervanda Zach.8. 16. Epheſ.4.24. Pſal.15.1. evertendas. 2. Nõ idcirco viduas juniores, aut alios homi- *Cap. 24. de Monachis.*

Digitized by Google

homines poſt votum vel aliam promiſſionem antea factam nubere denuo cupientes Apoſtolus damnationē habere innuit, quod matrimonium contrahant, ſed quod laſcivientes illæ adverſus Chriſtum, quòd otioſæ & vagabundæ, quòd domus circumeuntes & garrientes, quod nō oportet, petulanter & indecorè ſe gerant. H c ergo fallacia non cauſſæ ut cauſſæ è Bellarmini argumento oppoſito reſultat; quum nō nuptiæ, ſed turpis laſcivia, ignavum otium & vanæ nugæ cauſſæ ſint damnationis viduarum. Reliqua vide ſupra in 8. argumento.

Adverſarii denique oſtendunt, vinculum voti continentiæ nonnunquā eſſe inutile. Ideo Celeſtinus tertius *Conſtantiam* in monaſterio S. *Claræ* profeſſam exemit, & eam Henrico ſexto Imperatori in uxorem dedit: ut Jacobus de Strada in Theſſauro Antiquit. & Simoveta lib. 5. cap. 85. author eſt. Sæpe etiam alii Pontifices vota continentiæ laxarunt. Et in adulteriis & minoribus criminibus Epiſcopi diſpenſare ſolent, licet ea Monachi contra vota committant. Quis ergo non videt vincula votorum ab hominibus ad irretiendas miſerorum animas excogitata fuiſſe, & non valdè obligare, quum à Pontifice Romano ſolvi poſſint? Ex reliquis conſtat ea noxia eſſe & iniqua.

Argumenta Papiſtorum pro voto continentia.

Corruit ergo votum cœlibatus in Papatu uſitatum, niſi ipſi Pontificii id firmioribus argumentis ſuffulciant. Ac Bellarminus, quem adamantinis votorum vinculis conſtrictum tenet Pōtifex Romanus, animadvertēs, nondū cedit, ſed ruentem voti continentiæ cauſſam ſuſtentare & confirmare amplius omni & virium & ingenii contētione nititur. Quid autem affert tanta cauſſa & hominum expectatione dignum? Sophiſmata, non argumenta, quæ vidiſſe & examinaſſe proderit.

Primo in illa verba Lucæ 1.34. *Quomodo erit iſtud, quandoquidem virum non ſum cognitura,* manum injicit, & inde hoc argumentum excudit: *Virginem ſanctiſſimam Deo voviſſe continentiam, & proinde omnibus idem licere.* Sed neque debent Monachi, Moniales & alii arrogare ſibi quicquid virgo Deo dilectiſſima potuit: nec omnibus licet, quod ipſi licuit, neque omnes capiunt ꝙ virgo gratia plena & ſupra reliquas ſodales chara ex Dei gratia capere & præſtare potuit. Conſequentia ergo hujus argumenti nihil valet. Præterea nec antecedens videtur probabile. Neque enim in verbis illis, *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſcam*, ullum eſt voti veſtigium. Neque ante Chriſti tempora apud Judæos & Dei populum ullum erat continentiæ conſilium, aut meritum. Neque rationi eſt conſentaneum, eam, quæ nuptias contraxerat, votum continentiæ emiſſuram. Res ipſa denique hoc de voto beatæ Virginis redarguit. Nam ſi votum ſolenne feciſſet, tum nec ſponſalia, nec nuptias contraxiſſet. Votum enim utraque impedit & diſſolvit. Adhæc cōtra gentis ſuæ morem feciſſet. Nam gens illa virginitatem vovere non ſolebat, ut Auguſtinus ſignificat. Deinde rem inſignem Apoſtoli & Euangeliſtæ non tacuiſſent. Ab omni denique conſortio cum Joſepho

1. Argumētum pro cōtinentia voto, De Monach. c. 22.

Lib de ſancta Virg. c. 4.

Digitized by Google

pho abſtinuiſſet. Si autem votum ſimplex & privatum nuncupaſſet, nihil hoc ad propoſitum faceret. Hujuſmodi enim votum nec impedit, nec dirimit nuptias. Nullum ergo votum feciſſe videtur. Quod etiam inde confirmatur, quia ſine mandato aut revelatione, aut exemplo non videtur virgo B. rem novam aggreſſura. At nec mandatum hac de re, aut revelationem virgini factam accepimus. Præterea nec exemplum proferre poſſunt Adverſarii. Apoſtoli ſanè & Eccleſiaſtici Scriptores nihil de hac re memoriæ prodiderunt. Imò nec ipſi primi hujuſmodi commenti authores ſatis inter ſe conſentiunt, ubi beatam Virginem votum virginitatis nuncupaſſe fingunt.

At, inquit Bellarminus, dixit Virgo ſanctiſſima; *Quomodo fiet iſtud, quoniã virum non cognoſco? Unde conſtat, ipſam ſignificaſſe ſe habere impedimentum, quominus Filium concipere & parere poſſit, & hoc impedimentum nullum aliud fuiſſe, quàm votum continẽtia emiſſum. Illa enim verba,* VIRUM NÕ COGNOSCO *ſignificare,* NON LICET MIHI COGNOSCERE. *Alioquin enim ejus interrogationem ineptiſſimam futuram fuiſſe: quia reſponderi potuit, etſi nunc non cognoſcis, mox cognoſces.* Dicit etiam hæc verba, VIRUM NON COGNOSCO, *ita ſignificare, ut verba hæc, non veſcor carnibus in Quadrageſima.*

Reſpondemus, hæc omnia nugas eſſe Monachales, & ſomnia quadrageſimalia. Siquidem eo tempore ineptiſſima, velut hominibus jejunis & oleribus victitantibus, contingere ſolent. Nam ſi votum aliquod revera Virgo ſanctiſſima voviſſet, tum non perplexè & verbis ambiguis dixiſſet, *quoniam virum non cognoſco* ſed apertè & ſine omni dubitatione atque ambage reſpondiſſet, non licere, quia virginitatem voverit.

Præterea ex iſtis verbis, quoniam virum non cognoſco, nullo modo colligere licet ipſam non potuiſſe concipere & filium parere. Nam etiamſi votũ millies voviſſet, & animum ad continentiam ſervandam obfirmaſſet, tamẽ ſi Deus aliter voluiſſet, ut ipſa ex Angelo intelligere potuit, non debuit illa votum prætendere. Facilè enim Deus promiſſionem ſibi factam remittere potuit. Neque hoc Adverſarii, credo, negabunt: præſertim quum Pontifices Romani poteſtatem dent, ut virgines è Monaſterio educant, eáſque concipere & parere faciant. Imò hoc ſæpe faciunt, licet Pontif. Rom. nõ diſpenſet, votis ſuis non obſtantibus. Et ſanè quum hæc duo inter ſe comparet Bellarminus, *virum non cognoſco: & carnibus non veſcor in quadrageſima*: quum tam facilè contingere poſſit, ut Monachi in quadrageſima carnes comedãt, ex eorum ſententia non debuit difficile videri ſanctiſſimæ virgini, virum cognoſcere. Quare ut concedamus aliquod fuiſſe impedimentum: tamen hoc votum non fuit. Illud enim nuſquam comparet, nec aliquod ejus veſtigium exſtat. Imò B. Virgo planè oſtendit, ſe votum non voviſſe, quia deſponſata Joſepho eſſet. At votum impedit ſpõſalia, & ipſi Adverſarii ajunt, damnabile eſſe, velle poſt votum nubere, idque ex verbis iſtis 1. Tim. 5. 12. *quia primam fidem irritam fecerunt*, colligũt. Neque obſtat, quod dicit Bellarminus, *non licere ſe alteri tradere cum*

conjuges

Periculo violandi voti; aliter verò licere: & conjuges ex conſenſu rectè vovere continentiam. Nam Adverſarii negant omnino, licere nuptias contrahere poſt votum. Et ſi Apoſtolus per primam fidẽ 1. Tim. 5. 12. votum intelligit, hoc ex ejus verbis neceſſariò deducitur. Illud verò quod pro confirmatione affertur, debile eſt & infirmum. Nam Adverſarii non pariter dicunt, Monachis licere nuptias contrahere, ut conjugibus continentiam ſpondere. Præterea falſum eſt, licere conjugibus votis emiſſis à ſe invicẽ diſcedere, ut Mathæus Sutlivius libro de Monachorum inſtitutis cap. 28. fusè docet. Hæc ergo ſomniaſſe videtur Bellarminus, ex nimio fortaſſe votorum Eccleſiaſticorum ſtudio delirans.

At dicet fortaſſe aliquis, ſi votum nõ emiſerat B. virgo, quare dixit: *Quomodo fiet iſtud, quia virum non cognoſco.* Reſpondemus, ipſam ſenſiſſe, ſe in ipſo momẽto, quo ſecum loquebatur Angelus, concipere debere. Hoc autem ipſi mirum videbatur, ſine viro fieri potuiſſe. Et ideo interrogat, quomodo fieri potuerit. Adeoque hoc verum eſt, ut nec Adverſarii negent, eam virtute Spiritus ſancti ipſam obũbrante ſub ipſam ſalutationẽ Angeli concepiſſe Jeſum. Inſuper reſpexit ad illud, quod dixit Angelus de partu *filii altiſſimi.*

Dicit præterea, *ſuam ſententiam confirmari ex Patribus.* Sed ipſi de longe alio voto loquuntur, quàm quod Adverſarii nobis ſuadere conantur. Gregorius Nyſſenus, ut concedamus orationem ejus de nativitate Chriſti genuinam eſſe, nihil tamen de voto Mariæ dicit, unde Adverſarii ſuam ſententiam confirment. Nihil enim aliud dicit, *quàm eam Deo ſuam carnem conſecraſſe, & dicaſſe, & ſtatuiſſe apud ſe virginitatẽ ſervare.* At multæ etiam ſunt virgines, quæ ſe Chriſto conſecrarunt, quæ tamen vota more Monialium non ſuſcipiunt. Præterea quicquid narrat Nyſſenus, de conceptione & propoſito continentiæ beatæ virginis, huic ipſe fidem abrogat, ubi dicit illud ex Apocrypha fabula eſſe deſumptum. *Hæc,* inquit, *Mariæ vox demonſtrat eſſe vera, quæ per occultam* (Apocrypham) *hiſtoriam traduntur.*

Adducit ex Auguſtino, qui dixerit, *Mariam ſe Deo virginem voviſſe.* Sed intelligit tantùm ſimplex propoſitum continendi. Neque enim poſt votum ſolenne conſequuta fuiſſent ſponſalia aut nuptiæ. Magiſter ſententiarum ex Auguſtini teſtimonio oſtendit, *votum hoc corde tantùm, & non ore factum fuiſſe.* Sent. 4. d. 38. §. 32. Nihil ergo hoc ad vota ſolennia continentiæ. Præterea hoc de propoſito continentiæ in B. Virgine ex Proteuangelio Jacobi, & Euangelio ſecundùm Ægyptios deſumptum eſt, unde etiam hæretici multa contra nuptias argumenta deſumpſerunt. Clemens Alexandrinus Strom. 3. *Lib. de ſanct. Virginit cap. 4.*

Beda, Rupertus, Anſelmus, Bernardus & Scholaſtici in lib. 4. Sent. diſt. 30. *voti & propoſiti continentiæ in Maria meminerunt.* Sed nec de tempore, nec de genere voti conſentiunt. Præterea neque votum hoc dicunt ſimile eſſe voto Monaſticæ continentiæ. Parùm denique fidei merentur, utpote qui Apocryphis ſcriptis auſcultant potiùs quã ſacris Scripturis, quæ aut votum hoc

Mariæ

Digitized by Google

Mariæ virginis tacent, aut negant. Quorſum enim toties narrarent, & deſponſatam fuiſſe, & cum Joſepho vixiſſe, ſi continentiæ votum ex conſilio matris & ſacerdotum, ut fingit Gregorius Nyſſenus, emiſiſſet? Beda in Luc. 1. Rup. lib. 5. in Cantic. Anſel. lib. de excell. virginit. Bern. ſerm. 4. ſuper miſſus eſt. Nyſſ. orat. de Chriſti nativitate.

Morſus Calvino & P. Martyri inflicti. Poſtquam verò nec ſuam ſentẽtiam tueri, nec noſtram refellere poſſet, Calvinum & Petrum Martyrem arrodere conatur, quaſi non ſatis commodè de B. virgine loquuti eſſent. Hoc n. ipſi ſolenne eſt, viros bonos non tantùm hîc, ubi agitur de voto ſolenni, ſed alibi etiã allatrare. Sed nihil hoc ad propoſitum, quid ipſi exiſtimarint; nõ magis certè, quàm quid Thomas & Scotus, & hujuſmodi Sophiſtæ de ipſa ſomniarint. Rationes Calvini & Petri Martyris contra votum B. Mariæ non tam facilè ſolvet. Quid enim magis pugnat cum ſponſalibus & nuptiis, quàm votum de virginitate & cœlibatu? Quomodo probabitur votum, quum nec ipſi hujus voti authores de modo aut tempore conſentiant? Quæ demum impudentia eſt, Patres jactare in hac cauſſa, quum nec ipſi authentica ſcripta Nyſſeni & Auguſtini proferant, eoſque ex omni antiquitate ſolos memorent, eaq; tantùm, quæ illi ex apocryphis ſcriptis hauſerunt? Ipſe verò Bellarminus negare non audet, veras fuiſſe nuptias inter Joſephum & Mariam, & hanc ei poteſtatem dediſſe in corpus ſuum. Sed tantùm dicit: Revelatum fuiſſe beatæ virgini, ſanctũ Joſephum nunquam conjugale debitum exacturum. Ita quum aliàs ſe expedire non poſſet, ad revelationes cõfugit, ibique miſerum in modum hæret. Hanc enim revelationem nullo argumento, aut teſtimonio confirmare poteſt.

Secundum pro voto continentiæ argumentum ſimile eſt primo. Nam ex eo putat Bellarminus vovendam continentiam, quia Chriſtus Math. 19. ℣. 12. dixit: *Eſſe Eunuchos, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum. Eunuchorum enim appellationem indicare votum. Et Chriſtum dicere, qui ſe* CASTRAVERUNT, *& non qui ſe caſtrant quotidie.* Sed ſi ex hoc loco & verbo Eunuchi votum probatur, tum ſequetur, multos antequam caſtitatẽ conſuluiſſet Chriſtus, voviſſe caſtitatem. Dicit enim, plures eſſe Eunuchos, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum, & loquitur de tempore præterito. Præterea ſequeretur, neminem potuiſſe caſtrare ſe propter regnum cœlorum, præterquã voto ligatos. Atque ita non tantùm Apoſtoli, ſed multi Martyres & virgines, quæ ſine voto caſtæ erant, caſtitatis honore privarentur. Sequeretur denique, & ſolos Monachos & ſacrificos & ſanctimoniales, qui votis ſe obſtringunt, propter regnum cœlorum ſe caſtraſſe & caſtrare. Sed neque Adverſarii dicent, eos ſolos ſe caſtrare. Nec verum eſt, eos omnes ſe caſtrare propter regnum cœlorum. Neque enim à ſcortis, cinædis, aut ſimilibus impuris hominibus manus abſtinent, nec regnum cœlorum, ſed ventres ſpectãt: & tamen votis ſe, quantum poſſunt, conſtringunt. *Præterea*, ſi de votis Chriſtus quicquam ſignificaſſet, tum

2. Argumentum pro continentia voto. De Monachis cap. 23.

aut Apoſtoli, aut Eccleſiæ doctores ita intellexiſſent. Christus enim ipſe apertè hoc prolocutus eſſet. At nec hoc apertè dixit, nec quiſquam ex antiquis intellexit, ut mox dicemus. Imò nec vocabulum hoc Eunuchi, hoc myſterium continet. Nam ex Apoſtolis & Martyrib. multi Eunuchi facti ſunt, licet de voto nihil cogitaſſent. Et fieri poteſt, ut multi ſe caſtraverint, Spiritus ſancti gratia illis vires ad reſiſtendum concupiſcentiis ſuis ſubminiſtrante, etſi nuptias non abjuraverint, nec virginitatem ſpoponderint. Neque enim ſolis cucullatis datum eſt ſe propter regnum cœlorum caſtrare, nec omnibus, ut plurima illorum flagitia docent. Patres denique & nobis teſtimonium dant, & Adverſariorum ſententiam evertunt.

Hæreſ 58. Valeſianorum. Epiphanius enim dicit: *Quínam hi fuerunt, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum, quàm generoſi Apoſtoli, ac Monaſticam vitam degentes, & deinceps virgines?*

Sed hoc Bellarmini cauſſam evertit. Nam nec Apoſtoli, nec Monachi, aut virgines tempore Epiphanii votis ſe obſtrinxerunt: nec verbo uno voti meminit Epiphanius. Imò virgines ille à Monachis diſtinguit, quod oſtēdit virgines fuiſſe, quæ ſe monaſticæ vitæ non addixerant.

In Math. 19. Hieronymus monet: *Unuſquiſque conſideret vires ſuas, utrum poſſint virginalia implere præcepta.* Sed quid hoc ad votū? Præterea evertit ille, ut diximus, caſtitatis conſilium. Quomodo enim cōſilium, ſi præceptum ſit ſervare caſtitatem? At inquit Bellarminus: *Quæ ſunt præcepta virginalia, niſi obligatio non nubendi, quæ ſine voto nulla eſt?* Quaſi verò non ridiculè dicatur obligatio præceptum. Adhæc ut non eſſet de hac re præceptum, ſed conſilium datum; hoc tamen non obligat niſi volentem. At velle poſſunt multi, licet non voveant caſtitatem. Imò longè caſtiùs illi vivunt, quàm Monachi, licet ſe diabolo devoverint, niſi caſtitatem exactè ſervent.

Auguſtinus, quem citat, lib. de virginitate cap. 30. ne ſyllabam quidem habet de caſtratione. *Tantùm eos, qui hoc non voverunt, hortatur ut capiant, ſi capere poſſint.* At hoc non docet, debere eos vovere. Præterea non aliud intelligit per votum, quàm animi ſententiam & propoſitum.

Producit Fulgentium, qui dicit: *Quiſquis ſeipſum caſtraverit propter regnū cœlorum, & in corde ſuo continentiam Deo voverit:* quod poſterius explicet, quid ſit ſeipſum caſtrare propter regnum cœlorum. At corde ſuo non poteſt ſolenne votum fieri. Loquitur ergo tantùm de animi propoſito. Præterea diſtinguit inter eos, qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum, & qui corde continentiam vovent. *De fide & pat. cap. 3.*

Tertium argumentū ex loco 1. Tim. 5. 11. 12. ſumit Bellarminus lib. de Monachis 2. capite. Nam *quia viduas nubere volentes damnationem habere dicit Apoſtolus, quia primam fidem irritam fecerunt,* exiſtimat, *eas ideò damnatas, quia votū cōtinentiæ violaverint.* At quid hoc ad propoſitum? Nam etſi viduæ damnatæ eſſent propter votum continentiæ violatum: non tamen propterea ſequitur virgines teneras, & adoleſcentes, & viros robuſtæ ætatis debere virginitatem & cœlibatum vovere. Illæ enim *3. Argumentum pro continentia voto.*

ætate

Digitized by Google

ætate erant provectiores, & conjugiis ineptæ: ſe etiam miniſterio Eccleſiæ conſecrarant, & propterea magis delinquebant à propoſito reſilientes. At adoleſcentularum & virorum florentis ætatis, qui de hoc miniſterio nihil cogitant, longè alia eſt ratio.

Deinde, nunquam evincet Bellarminus, viduas has damnatas fuiſſe propter votum continentiæ violatum. Loquitur enim Apoſtolus de viduis, quæ operas ſuas Eccleſiæ conſecrarãt, & dicarant, quæ luxuriatæ erant contra Chriſtum, quæ primam fidem violarant, quæque converſæ erant poſt Satanam. Quis autem adeò iniquus eſt Apoſtolicæ doctrinæ interpres, ut eas propter nuptias, quæ honorabiles ſunt, Heb. 13. 4. damnatas eſſe velit, & non propter illa ſcelera, quæ graviſſimam pœnam merentur? Deſignat ergo hîc Adverſarius paralogiſmum à nõ cauſſa, ut cauſâ, ut & ſuprà monuimus. Unde & alter erumpit à dicto ſecundùm quid. Etenim *ſimpliciter accipit*, quod Paulus nonniſi ſecundùm quid, & reſpectu quodam de nuptiis dixit: nempe quatenus à viduis laſciviendo contra Dominum contrahuntur & affectantur. Deinde rei ipſi, hoc eſt, nuptiis attribuit id, quod nonniſi accidenti, hoc eſt, laſciviæ, inerti ocio ac nugis indecoris convenit: perinde ac ſi quis cauſſas ebrietatis in vinũ cõferret. Refellitur ergo ab ipſo Apoſtolo, qui docet non fuiſſe crimen, ſi juniores viduæ nuberent: ac ideò illis hoc præcipit ibidem verſu 14. Huc accedit & quarta fallacia dictionis, quod voce *prima fidei* intelligit ac interpretatur primum cœlibatus vel continentiæ votum, quo violando homines æternũ exitium ſibi accerſant. Atqui rectè reſpondet Lutherus, *fidem in ſacris literis nuſquam ſignificare votum*. Itaque in iſta interpretatione Papiſtarum etiam ineſt duplex principii petitio. Nam antequam iſtam vocem ſic interpretaretur, hæc duo probare neceſſe habuit. *Primum*, an tum ullum de perpetuo cœlibatu votum in uſu fuerit, quum talis mentio in Scriptura omnino nulla fiat, nullum omnino veſtigium exiſtat. Deinde, an vox *fidei* ullo in loco *votum* ſignificet, aut nomine *voti* explicari debeat. Præſertim, quum in hac Pauli epiſtola vox illa fidei ſæpè occurrat, ut & nuptiarum ſæpè mentio fit, nec tamen vox fidei iſto modo explicari ullo modo cernatur, aut poſſit: ſed potiùs de ſana doctrina Euangelii ſeu fidei, uſitata metonymiæ ſpecie, qua cauſſæ effecti nomen tribuitur, accipiatur, ut ex 1. Tim. 1. 19. Item 4. 1. apparet. *Denique* etſi *fidei* vocabulum ſignificaret in Scripturis votum: tamen votorum Monaſticorum origo recentior eſt, multumque intereſt inter promiſſionem & votum, de quo veteres loquuntur, & hoc continentiæ votum, quod Pontificii defendunt.

At, inquit ille, *fides Chriſto data erat, & non poteſt ſimplex propoſitum intelligi, quia damnationem habebunt fidem illam violantes.* Sententiamque ſuam & Conciliorũ & Patrum teſtimonio confirmare conatur. Sed hæc omnia leviora ſunt, quàm ut longam orationem deſiderent. Per fidem enim præter ſuperiorem explicationem ex 1. Tim. 1. 19. & 2. 9. ac 4. 1. de ſana doctrina Euangelii 1. *Tim.* 5. 11.

Digitized by Google

aut promiſſio Eccleſiæ facta; aut Chriſto intelligitur. Si *Primum*, cum nihil hoc ad votum attinet. Vota enim Deo fiunt, vera, & non hominibus, quibus Eccleſia conſtat. Illud probatur, quia loquitur Apoſtolus de viduis ab Eccleſia eligendis. Quid autem veriſimilius, quàm electas fidem Eccleſiæ dediſſe de munere ſuo peragendo? Si *Secundum*, nihil hoc ad cœlibatus propoſitum facit. Nam fides Chriſto dari ſolet non de cœlibatu (quid enim prodeſt cœlibatum vovere, niſi reliqua Chriſtianorum hominum officia exequamur?) ſed de credendo, ſperando, diligendo, & omnia Chriſtiani hominis munera perficiendo.

Verùm ut Bellarmino concederemus, per *fidem* propoſitum continẽtiæ intelligi, nihil tamen lucri hinc ad eum rediret, niſi ex ſimplici propoſito votum ſolenne efficere queat. Neque enim ſimplex propoſitum continentiæ impedit aut dividit matrimonium, aut votum eſt illud, de quo hic agitur. Ideò negat, *ſimplex propoſitum intelligi. Illud enim nec relationem habere ad aliud, nec fidẽ dici poſſe.* Quaſi verò qui apud ſe & in corde ſuo ſtatuit continens eſſe propter Deum, non ad ipſum referat propoſitum: & non violet fidem æquè quidem, atque qui publicè aliquid Deo promittit. Meras ergo nugas texit.

4 & 6. *Argumentum pro continentia voto. Bell de Monachis cap. 25.27. Contra Maxim. lib. 3. c. 14.* *Ad teſtimonia Conciliorum & Patrum* quæ 4. & 6. Pontificiorum argumentũ ſunt, reſpondemus. I. Loqui ea de voto ſimplici ſive propoſito continentiæ fœminarum non tonſarum, & extra monaſteria degentium. Votum autem ſimplex nec cogit ad ſui obſervationẽ eos, qui commodè illud exequi non poſſunt, nec matrimonium dirimit, licet poſt votum contractum. II. Non aliud reſponſum merentur, quam hoc Auguſtini. *Sed nunc nec ego Nicenum nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicatus, proferre Concilium: nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris* SCRIPTURARUM *authoritatibus, non quorumcunque propriis, ſed utriuſque communibus teſtibus, res cum re, cauſſa cum cauſſa, ratio cum ratione concertet.* III. Falſum eſt *omnes Patres* iſtum locum 1. Tim. 5. 11. 12. de voto cœlibatus ac continentiæ perpetuæ explicaviſſe. Nam Pater fuit ATHANASIUS, qui lib. 6. de Trinit. *per primã fidem* eam intelligit, quam in Baptiſmo amplexi & profeſſi ſumus. Pater etiam fuit Auguſtinus, qui hujus loci reſpectu *Baptiſmum ſacramentum fidei appellat*, lib. de Fide ad Petrum cap. 30. Pater denique fuit Hieronymus, qui in Præfat. in Epiſt. ad Pium duobus iſtis prioribus ſuffragatur. Jam ergo dicat Bellarminus, ſiquidem hanc quæſtionem ex Patribus cenſet decidendam, utri duarum iſtarum interpretationi aſſentiatur? Nam ſi illi aſſentietur, rejiciet authoritatem trium præſtantiſſimorũ Patrum: ſi verò huic, rejiciet illam, & quidem meritò. Nam Mathæus Sutlivius libro de Monachis capite 24. pag. 685. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. Patres à Bellarmino citatos potiùs pro nobis adverſus Pontificios in hac cauſſa cõfligere doctiſſimè oſtẽdit.

Quintum argumentum à reſponſis Pontificum Romanorum & Imperatorum cap. 26. de Monachis Bellarminus ducit argumentum ſanè miſerum & infirmum. Nã Imperatoribus in rebus fidei ne ipſi quidem Adverſarii multum *5. Argumentum pro continentia voto.*

Digitized by Google

multum tribuunt. Pontifices verò Romani nos hoſtes noſtros eſſe experti ſumus. Ideò aut judices aut teſtes non admittimus. Præterea plurimi nihil loquuntur de voto continentiæ, ac multorum teſtimonia aut corrupta ſunt, aut confiſta. Hoc idem Sutlivius inſigni declaratione ibidem pag. 685. 686. 687. probat.

7. Argumentum pro voto continentia Bell. de Monachis cap. 28. 29.

Septimum & poſtremum argumentum pro voto continentiæ petit Bellarminus *à rationibus*. Duab. enim nititur, quarum *prima* ex dignitate continentiæ, *ſecunda* ex utilitate vovendi ſumitur. Sed nos has ipſas ſequenti capite hujus libri de Hæreticis Deo dante excutiemus & refellemus, ubi de Joviniani hæreſibus agetur à Papiſtis Euangelicorum Eccleſiæ & ipſi Joviniano præter rationem inuſtis. Utiliſſimè etiam Lector evolvere poteſt Petrum Martyrem de votis & cœlibatu contra Smitæum, &c. ubi ſpeciatim omnia Adverſariorum argumenta etiam diſſoluta invenies.

Perſona, qua vota facere debeant, refelluntur.

Adhæc quoniam omnino Bellarminus etiam de Perſonis fuſe agit, quæ votum continentiæ facere poſſint ac debeant, eruditè in eodem refutatur à Math. Sutlivio lib. de Monachorum inſtitutis.

Et nimirum, Vota Monaſtica jam ſuſcepta reſcindenda eſſe docet contra Bellarminum Sutlivius capite 25. de Monachorum inſtitutis.

Non licere junioribus, præſertim iis qui ſub aliorum poteſtate vivunt, vitã Monaſticam profiteri, docet idẽ c. 26.

Non licere filiis familias abſque parentum conſenſu vitæ Monaſticæ votum nuncupare, docet cap. 27.

Non licere conjugatis, ſuſcepto ex mutuo conſenſu continentiæ voto, à ſe invicem diſcedere, capite 28. docet.

Per vota Monaſtica quantumvis ſolennia non ſolvi matrimonium ratum capite 29. probat.

Generalem autem tractationem de votis, nempe vota non eſſe Divæ Virgini, & ſanctis, & monaſticorũ inſtitutorum authoribus nuncupanda; Nec omne quod exit ex voto, eſſe cultum Dei: Vota item tria Monachorum, nempe de paupertate, de obedientia & de caſtitate, nec in Scripturis, nec in Patribus ullum habere firmamentum &c. capite 17. 18. 19. 20. 21. præmiſit, ut vix quicquam aptiùs, doctiùs & jucundiùs de hac materiâ legi poſſit.

3. Digamos ad miniſterium non admittendo Papiſtas hæreticos conjugii hoſtes ſequi.

Nunc ut propoſitum noſtrum judicium, Papiſtas inſtar Aërianorum, Manichæorum, Euſtathianorum & aliorũ veterum hæreticorum nuptias prohibere & damnare, abſolvamus, de DIGAMIS, quos Papiſtæ etiam ad miniſterium non admitti ſinunt, poſtremo loco dicendum eſt.

Digamia eſt ſucceſſiva illa matrimonii copula, qua quis duas vel plures uxores, prioribus ante mortuis, ordine ſucceſſivo ducit, ſic videlicet, ut eodẽ tempore nonniſi unam habeat. De hac igitur ſucceſſiva polygamia Bellarminus, unà cum aliis Pontificiis, & quibuſdam veteribus hac in parte non procul *à Montano* recedentibus, libro de memb. Eccleſiæ milit. 1. cap. 23. agit, ac ſeriò exiſtimat, eam eſſe juſtam & ſufficientem cauſſam *irregularitatis*, ut vocant, hoc eſt, impedire promotionem ad ſacros ordines, ſive efficere, ut quis ineptus & indignus ſit, qui miniſterio Eccleſiæ fungatur.

Digitized by Google

Rationes potiſſimùm *tres* affert, ſed uquartm pondus plumâ eſt levius. PRIMUM ſumit ex 1. Tim. 3. 2. & Tit. 1. 5. ubi *Epiſcopus*, itemque *Diaconus* jubetur eſſe *unius tantùm uxoris maritus*. Quod illi non de *præſente, ſed de præterito* tempore accipiendum eſſe tradunt. Quaſi Apoſtolus hoc jubeat, ut illi tãtùm ad ſacras functiones admittantur, qui vel ſemper cœlibes manſerint, vel ſemel tantùm conjuges, ſive unius tantùm uxoris in tota vita mariti fuerint. Atque hanc explicationem probat ex ſimili loco 1. Tim. 5. 9. ubi de Eccleſiæ *viduis*, ſeu *Diaconiſſis* agitur. De quibus inter alia quoque hoc præſcribitur, ut *fuerint unius mariti uxores*. Nam ſine dubio nulli unquam fœminæ licuit duos ſimul maritos habere, &c.

SECUNDUM ducit à *conſenſu* & praxi veterum *Patrum*: quorum plerique loca illa 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 5 *de monogamia Epiſcopi & Diaconi, &c.* eodẽ modo quo Pontificii, jam olim intellexerunt. Et reipſa *Digamos licet ſucceſſivè tales eſſent, à ſacris Eccleſiæ functionibus excluſerunt*. Vide *Tertullianum* lib. de Monogamiæ: Item *Epiphanium* hæreſi 99. *Ambroſium* 10. epiſt. 82. *Hieronym.* in 1. cap. ad Titum, *Auguſt.* de bono viduit. cap. 18. *Chryſoſt.* hom. 2. 2. ad Titum, *Theophylact. Oecum.* & omnes hujus loci interpretes, excepto Theodoreto, qui intelligit virum, qui plures ſimul habuerit uxores.

TERTIUM à conſuetudine Eccleſiæ petit, quæ ſemper *digamos à miniſterio Eccleſiæ removerit* authoritate illorum Apoſtoli ap. Tim & Titum locorum mota. Hoc enim Leo epiſt. 88. Canones Apoſt. 17. & 18. ac 8. Concilium item Nicenum, teſte Ambroſ. epiſt. 82. Ancyranum, Arelatenſe, Neocæſarienſe & alia, nec non Gratianum diſt. 20. teſtari aut definire.

Verùm hi: orthodoxi & Euangelici planè conſentire nequeunt, ſed tum à *Pontificiis*, tum à pleriſque *veteribus* diſſentiunt. Duce enim tota ſacra Scriptura, ſtatuunt loca illa, contra *Digamiam Epiſcopi, &c.* citata, non de *ſucceſſiva* ejuſmodi *polygamia* intelligi debere, qua quis, mortua priore uxore (aut alioqui legitimè repudiata, puta propter adulterium) aliam ſuperinducit. Sed de illa *ſimultanea* (ut quidam barbarè, ſed tamen ſignificanter eam vocant) hoc eſt, de illa potius *digamia* ſeu *polygamia*, intelligi oportere, quâ quis plures ſimul uxores habet. Aut ſaltem unâ temerè repudiata (quod illo tempore nimis uſitatum erat, ex licentia legis Moſaicæ, de qua vide Math. 5. 31. 32. & 19. Levit. 16 18.) novam poſtea ducit. *Solutio.*

Quo poſteriore ſenſu etiam locus ille 1. Tim. 5. 9. de viduarum monogamia &c. omnino accipiendus eſſe videtur.

Nam 1. alioqui perſpicuè conſtat, Apoſtolum Paulum tum ad Rom. 7. 1. ſub finem *omnibus omnino Chriſtianis, tam Eccleſiaſticis quàm Laicis*, liberam poteſtatem facere ad novum conjugium aſpirandi, ſi fortè prius conjugium aut per mortem, aut per legitimum divortium, velut ab ipſo Deo, diſſolutum ſit. Nam clariſſimè Rom. 7. 2. 3. dicit: *Si mortuus fuerit vir, liberata eſt mulier à lege viri, ut non ſit mœcha ſi fiat alterius viri conjunx*. Et 1. Tim. 5. 14. *Volo*, inquit, *juniores viduas nubere*, id eſt, defuncto priore

priore marito alii ſeſe jungere. Et 1. Cor.7.39. *Mulier*,inquit,*viventi viro alligata eſt ex lege,ſed ſi mortuus fuerit vir ejus* (non primus,aut ſecundus,tertius,ſed indefinitè vir ejus)*libera eſt,ut poſſit alteri nubere.* Ergo viro idem jus conceſſum eſt.

2.Sententia illa Dei Gen. 2.18.*non eſt bonum hominem eſſe ſolum*,generalis eſt & perpetuò vera ac rata.

3. Chriſtus Math.19 9 dicit; *Si quis uxorem dimiſerit extra fornicationis cauſſam,& aliam duxerit,mœchabitur.* Ergo è contrario, ſi quis dimiſerit uxorem propter fornicationem,& aliam duxerit, non mœchabitur.

4. Abrahamus Pater credentium,ut habetur Gen.25.1.mortua Sara, duxit Cethuram.

5. *Melius eſt nubere, quàm uri* 1.Cor.7. 9.Sed ℣.8.9.cœlibibus ac viduis præcipit,*ut ſi ſe non continent,matrimonium contrahant*.Item ℣.15. *Si infidelis diſcedit,diſcedat. Non eſt ſervituti ſubjectus frater aut ſoror in hujuſmodi rebus.*

6. Patrum & conciliorum hac in parte hallucinatio, haud dubiè ex nimia cœlibatus admiratione & vulgi quodem errore prognata,adverſus veritatem præſcribere nullo jure poteſt. Vide ampliùs hac de re Annotationes Eraſmi & Bezæ ad loca ſuperius citata, Vide etiam Mornæum lib.2.Euchariſt. cap.10. Item Guil.Bucanum in Inſtitut.Theolog. pag. 118.119.120.loco de Conjugio. Quare dum Papiſtæ ſecundas nuptias in ſacerdotibus damnant, ſequuntur ſtrenuè etiam *Novatianorũ* hæreſin. Nam de hac Auguſtinus lib. de Hæreſibus: *Cathari*, inquit,*ſecundas nuptias non admittunt, Novatum ſectantes hæreticum.* Etſi enim Pontificii neminē è laicis ob ſecundas nuptias ab Eccleſia excludunt:tamen ſecundis nuptiis copulatum à ſacerdotio quaſi profanum arcent. Quin magis ineptum quod eſt, primas nuptias,ſi cum vidua celebrentur,conſtituunt ſecundam nuptiarum ſpeciem, ut in ſumma Sylveſtrina part. 1.cap. Bigamia extat. Ac propterea nullos,qui viduam habuerunt uxorem,ad Eccleſiæ miniſterium admittunt.

Sic hactenus auxilio Dei immenſum confecimus æquor,quod ingreſſi fuimus propter accuſationem hæreſeos Aërii,& *duo* maximi momenti obtinuimus. *Primò*, Adverſarios noſtros Papiſtas injuſtiſſimè & indigniſſimè tum Aërium, tum Euangelicos in eo hæreſeos accuſare,quando hi ſentiunt, docent, credunt & profitentur,neque pro defunctis orationes, Miſſæ oblationes, peregrinationes,eleemoſynas, indulgentias, humicubationes,flagellationes aut alias corporis afflictiones ſubeundas ac perficiendas:neque ſtata jejunia opinione cultus divini ac meriti celebranda, neque Epiſcopum & & Preſbyterum eſſentiale diſcrimen habere. Nam has tres ſententias omnino nihil à ſacra Scriptura alieni comprehendere. *Deinde*,contra *tam Aërium* in neganda Filii Dei vel Chriſti Divinitate, in tenenda ſententia ſeculó ita renunciandum,ut nihil proprii poſſidendum ſit, in ſectando abſtinentiam ab eſca carnium ſtudio, denique in cõmunione Eccleſiæ aut Miniſterii ſacri nullis niſi continentibus & conjugium abjurantibus concedenda, *quàm Papiſtas* in iiſdem rebus atque ſententiis ritus moresque Aërii amplectentes vere

Summa hujus capitis.

Digitized by Google

vere hæreſes peſtilentes fovere, ac proinde hæreticos eſſe.

CAP. III.

In ſex ſententiis Joviniani, quibus neget hominem peccare poſt Baptiſmum, jejunii regulas & meritum violet, Virginitatis dignitatem obfuſcet, B. Virginis Mariæ integritatẽ in partu inficietur, præmia Beatorum non diſtinguat, denique peccata omnia paria eſſe doceat, quas Veterum quidam & Papiſtæ pro hæreſibus habent, Euangelicos hodie orthodoxam doctrinam ſequi, nec quicquam hæretici tenere.

Joviniani hæreſes ſex Euangelicis aſperſa.

QUEMADMODUM autem dejecti in pugna, tamen vires ſæpè colligunt, & dimicationem novis modis, quibus tamen & ipſis nihil valent efficere, utcunque redintegrant: ſic Papiſtæ in molimine aſſignandi Euangelicis hæreſes ſuperiores proſtrati, reſumunt occaſionem traducendi Euangelicos hæreſeos ex aliis rebus olim ab antiquis hæreticis creditis aut obſervatis, quæ tamen aut prorſus hæreticæ non ſunt (ut anteà in tribus prioribus ſententiis Aërii factum) aut in quibus Euangelicos alias hæreſeos convincere non poſſunt. Inter has ſunt *ſex Joviniani opiniones*, quas Papiſtæ pro hæreticis habent, & loco duodecimæ hæreſeos exploratæ Euangelicis affricant. Quinque Bellarminus lib. de Notis Eccleſiæ c. 9. enumerat, *Sextam* lib. 1. de Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati citat.

Hæreſis duodecima (inquit Bellarminus lib. de Notis Eccleſia cap. 9. §. Jovinianus, & lib. de Amiſſione Gratiæ, c. 4.) *Joviniani fuit, eaque multiplex.* PRIMO *Non poſſe hominem peccare poſt Baptiſmum, ſi fuerit baptizatus. Auguſt. hæreſi 82. Eadem Calvini. Nam hic vera fides, inquit, ſemel habita, nunquam poteſt amitti, Lib. Inſtit. cap. 2. §. 11. & 12.*

I. In effectu Baptiſmi, & diſcrimine Baptiſmi ac fidei Euangelicos orthodoxè ſentire.

Duo igitur hic ſunt excutienda. *Prius* eſt effectus Baptiſmi, alterum diſcrimẽ Baptiſmi & fidei in cauſſa peccati.

Quoad *prius*, Hieronymus 1. & 2. contra Jovinianum, ac Auguſt. hæreſ. 82. iſtud de Joviniano perhibent. At ſi *Jovinianus* ſenſit, verè Baptizatos & Spiritu & aquâ ita non peccare, ut peccatum in iis regnet, rectè ſenſit & credidit, ut etiam ſupra in hæreſi Procli fruſtra Euangelicis attributa diximus. Si autẽ ſenſit, baptizatos prorſus nullo modo non peccaſſe poſt baptiſmũ, tũ hæreticè ſenſit. Ac Euangelici, ut priorem ſenſum amplectuntur, ita poſteriorem abominantur & propterea hæretici minimè in hac re ſunt.

Effectus Baptiſmi.

Nam hæc eſt manifeſta & conſtans Euangelicorum ſententia circa Baptiſmi effectũ. Miniſtri Eccleſiæ dici poſſunt *verè baptizare*, id eſt, *abluere à peccatis & regenerare* per Metonymiã effecti, quâ effectũ Baptiſmi cauſſæ inſtrumẽtali, id eſt, Miniſtris tribuitur. Nõ enim reſtrinxit Chriſtus mandatum ad lavacrum aquę, ſed in genere dixit, *baptizate eos.* Et Joh. 20. 23. dicuntur *remittere peccata*. Et 1. Cor. 4. 15. dicuntur regenerare, inquiente Apoſtolo. *In Chriſto ergo vos genui per Euangelium* & 2. Cor. 3. 6. ait Apoſtolus, *Se illis adminiſtraſſe Spiritum, non literam.* Sed hoc intelligit per meto-

Math. 28. 19.

Digitized by Google

metonymiam modò ante nominatam, & ſacramentaliter, id eſt, quatenus adminiſtravit ſacramenta, per quæ tanquam per organa Chriſtus ipſe lavat & regenerat.

Forma enim Baptiſmi eſt, tum *externi* actio illa ſacra, externa & ſymbolica, qua miniſter Eccleſiæ defungitur: tum *interni* actio interna, quæ Jeſu Chriſti ipſius per Spiritum ſanctum agentis propria eſt.

Itaque Analogia & convenientia ſigni & rei ſignatæ in Baptiſmo eſt pulcherrima & arctiſſima. Nam quemadmodum aqua abluit corpus & ſordes corporeas: ſic Chriſti ſanguis ſuo merito noſtra peccata abluit, & ſpirituales
Rom.3.25. ſordes purgat. Spiritus verò ejus nos
Tit.3.5. ſanctificat. Et ſicut generatio omnis fit
1.Joh.1.7. ex humido ſeu ex aquoſa materia (unde Philoſophi aliqui, ut Thales, principium omnium rerum dixerunt eſſe aquam) ſic REGENERATIO noſtra fit per Spiritum ſanctum in Baptiſmo, qui ſæpè nomine aquæ ſignificatur. Sicut enim aqua fœcundat terram ad fructus proferendos, & ſitim reſtin-
Gen.1.1. guit: Sic Spiritus ſanctus, ille ſcilicet, qui incubabat aquis, nos idoneos facit ad bona opera facienda, & ſitim rerũ terrenarum extinguit. Unde opera bona *fructus Spiritus* nuncupantur. Et
Gal 5.22. Chriſtus ait: *Qui ſitit, veniat ad me, & bibat: qui biberit, non ſitiet in æternum. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant, credituri in eum*, Joh. 7.37.38.39. Iſa.55.1.

Deinde illa in aquam *merſio ſive aſperſio*, perſpicuè denotat ῥαντισμὸν, id eſt, aſperſionem ſanguinis Chriſti in remiſſionem peccatorum & juſtitiæ ejus perfectæ imputationem. Mora autem illa ſub aqua quantumvis momẽtanea ſignificat noſtræ nativæ corruptionis, virtute mortis ac ſepulturæ Chriſti, mortem & ſepelitionem, ſeu mortificationem veteris Adami, quæ prior eſt noſtræ regenerationis pars. *E-*
merſio verò, deſignat novi hominis ex- Rom.6.3.
ortum ſive vivificationem, & vitæ no- 4 5.
vitatem, adeoque futuram noſtram reſurrectionem analogicè velut oculis ſubjicit.

Nulla tamen fit ſigni & ſignati *mutatio vel conjunctio in Baptiſmo phyſica & naturalis*: ſed *ſpiritualis* & Sacramentalis. *Signum* enim ſeu abſolutio externa, eſt actio corporalis miniſtri ſolius: *ſignatum* verò res ſpiritualis eſt, & actio ſolius Dei, videlicet ablui ſanguine Chriſti, & Spiritu Chriſti regenerari. Quod non eſt corporaliter, ſive viſibiliter, ſive inviſibiliter conſpergi ſanguine
Chriſti: ſed recipi in gratiam à Deo Phil.1.8.
propter fuſum ſanguinem, id eſt, totã Rom.19.
obedientiam Chriſti, & inſertos ipſius corpori ab ipſo vivificari Spiritus ſancti efficacia, ſicut dicitur expreſsè de
Chriſto: *Baptizabit vos Spiritu & igni.* Math.3.11. Joh.1.33.

Veruntamen ob ſigni & rei convenientiam, relationem, & ſignificationis ſignorum veritatem, & ritè uſurpantibus factam promiſſionem, ſacramentalis σχετικὴ & *relativa eſt copulatio*, propter quam nomina & proprietates tum ſigni, tum rei ſignatæ permutan-
tur. Hinc Baptiſmus, *lavacrum regene-* Epheſ.5.26.
rationis, nos ſalvos facere ac purgare à Tit.3.5.
peccatis; aqua, ſanguis & Spiritus Chriſti dicitur. Id eſt, non tantùm imago, ſed certiſſimum teſtimonium prædicatur, baptizatos, quandocunque

Digitized by Google

credunt, mundari ſanguine Christi, regenerari à Spiritu ſancto & ſalvos reddi.

Peccatum, ut remaneat poſt baptiſmum in reprobis & electis.

Non autem ſemper idem homo, ſimul eodemque temporis momento, & aqua & Spiritu baptizatur. Nam promiſſio Spiritus Baptiſmo annexa, *non eſt abſoluta*, ſed CONDITIONALIS ſeu pactionalis, obedientiam & fidem requirens: ut ex Marc.16 16. Act. 8.37. 1.Pet.3.21. colligitur. Deinde, Deus in Baptiſmo phyſica ratione non agit, ut quum medicamentum intra corpus ſumptum vires ſuas exerit, ſive invigiles, ſive indormias: & ignis calefacit, ſive cogites, ſive non cogites.

Act. 8.18. 19.20.21. 23.

Sed prout Deus eſt AGENS *liberrimum, interdum Baptiſmus aqua eſt ſine Baptiſmo Spiritus.* Ut docet exemplum Simonis Magi, qui licet crediderit, id eſt, fide hiſtorica prædītus fuerit, Spiritu tamen regenerationis non fuit donatus. Ac ideò etiam peccavit, imò ad mortem peccavit, id eſt, à peccatis non purgatus & ablutus eſt ſanguine ac Spiritu Chriſti, ſed in iis contumaciter perſeveravit, reprobus manſit & condemnatus eſt. *Interdum Baptiſmus aquæ fit & eſt cum Baptiſmo Spiritus.* Id eſt, homo tinctus aqua à miniſtro extrinſecus, intrinſecus fide etiã vera in Chriſtum donatur, & à peccatis mundatur, regenerationis Spiritus fit particeps, ac licet relabatur quandoque in peccatum, tamen non perſeverat, ſed reſurgit ex eo per reſipiſcentiam, & fide recipiens Chriſti meritum, ſalute ſempiterna exornatur. Math.25 7 5.1.Tim.1. 16 Joh.1.15.16.

Et Spiritus Baptiſmus aliàs *præcedit*, aliàs *comitatur*, alias *ſubſequitur* aquæ Baptiſmum. Etenim tum viri tum mulieres, quum credidiſſent Philippo Euangelizanti, quæ ad regnum Dei & nomen Jeſu Chriſti pertinent: tum Eunuchus, Cornelius Centurio & domeſtici familiares que ejus, priùs baptizati fuerunt Spiritu ſancto, quã aquâ, ut ex ipſorum fide & converſione liquet.

Act. 8.12. 17.17. & 10.48 *Act.*19.5.6.

In infantibus autem, ad quos pertinet regnum cœlorum, Math.19.14. ſi ordinationem divinam ſpectes, Baptiſmus quidem & juſtificatio & regeneratio concurrunt ex fœderis natura, de quo Deus: *Ero Deus tuus*, ait, *& ſeminis tui.* Sed hujus effectus ſuo demum tẽpore veris documentis declaratur. Nã ut verbi, ſic etiam ſacramentorum ſemen, tamdiu velut in terra depoſitum jacet, quamdiu Domino videtur gratiam ſuam differre. Math.20. à verſu 1. uſque ad 17.

Gen 17.7.

Jovinianus ergo quoniam ſenſit, *nõ poſſe hominem peccare poſt Baptiſmum ſi verè baptizatus eſt*, nõ eſt ſimpliciter id intelligendum, ſed πῇ, & ſecundùm divinam regenerationis diſpenſationem perſonæque baptizatæ coram Deo acceptationem. Beneficia enim Baptiſmi, non æqualiter ab omnibus, qui Baptiſmum ſuſcipiunt, per Baptiſmum conferuntur & percipiuntur. Nam nõ ſunt omnes æquales. Incorporatio enim & inſitio in Chriſtum, & regeneratio atque à peccatis mundatio, quæque ex illis ſequuntur dona & beneficia REPROBIS, licet aqua baptizẽtur, nequaquam reipſa conferuntur, (etiamſi verè offerantur) ſed ſacramẽtotenus. Deus enim eos tantùm efficaciter vocat, juſtificat, regenerat & glorifi-

*Act.*2. 38 & 11. 16. *Gal.*3.16. 27. *Tit.*3.6. *Rom.*6.4. *Rom.*8.28.

Digitized by Google

glorificat, quos etiam ad hæc elegit & prædeſtinavit. ELECTI verò tam infantes quàm adulti, ſive in Baptiſmo ſeu ante Baptiſmum, æqualiter Chriſto incorporantur, & imputatione juſtitiæ Chriſti, remiſſione peccatorum & jure divino vitæ æternæ donantur. Sunt enim omnes ex æquo *filii Dei*, Joh.1.12.1.Joh.3.1.2.

Math.25.13. At *regeneratio non æqualiter in omnibus fit*. Donaque Spiritus, fides, charitas, &c. non æqualiter omnibus conferuntur & donantur, aut ab omnibus æqualiter recipiuntur, ſed ſecundùm Dei beneplacitum, ſicut docet parabola de talentis. Et Epheſ.4.7. *Unicuique*, inquit Apoſtolus, *data eſt gratia pro menſura doni Chriſti*. Et videmus regenerationis effecta in aliis plura aut majora, in aliis pauciora & minora.

Regeneratio etiam in Baptiſmo per Spiritum Chriſti collata & donata *nequaquam eſt perfecta, ſed tantùm inchoata*, ut non omne tollatur peccatum, verùm reliquiæ ejus remaneant: ut ſuperiori capite de Procli hæreſi ac alibi probavimus. Manet enim etiam poſt Baptiſmum acceptum in renatis propter naturæ peccatricis ſtatum, quoad morbum ſive radicem peccati, & materiam ipſam: ſed tollitur propter ſtatum perſonæ jam juſtificatæ, in gratiã acceptæ, remiſſioneque peccatorum per Baptiſmum obſignata donatæ, quoad reatum ſive formam, quæ fidelibus non imputatur.

Si autem Jovinianus ſenſit, tolli peccatum vi & efficacitate Baptiſmi in univerſum, ut nullum peccatum remaneat, nullaque propenſio, & cupiditas, & facultas, & potentia peccandi ſuperſit: tum erravit & hæreticè ſenſit. Nam ad Rom.6. 4.5. præter fidem hæc duo in Baptiſmo à nobis requiri dicitur. I. Ut corpus peccati mortificemus, ne concupiſcentiis illius ampliùs & peccato vivamus. II. Ut in novitate vitæ ambulemus, vel reſurgamus ad vitæ novitatem, id eſt, puritatem & innocentiam. Ac addit ℣.12.& 14. Non ſinendum nobis regnare peccatum in mortali noſtro corpore, ut concupiſcentiis ejus obediamus. Neque exhibeamus membra noſtra peccato, ſed Deo ad verum juſtitiæ ſtudium. At hanc admonitionem & exhortationẽ ideò apponit, quia etiam poſt Baptiſmũ inclinatio & radix peccati remaneat. Quare nunquam non nobis ſtudendum eſſe, ut peccato reſiſtamus, illudque mortificemus & frenemus, ne dominetur. Sicque aſſiduè meditemur, quantum abſimus adhuc à veritate Baptiſmatis adimplenda, quæ eſt, ut peccato penitus renunciemus. Nitendum quidem ad perfectam peccati abolitionem & deletionem, ſeu mortificationem. Sed dum in hac carne ſumus, non ſic perfici in univerſum iſtam noſtri, imò peccati mortificationem, noſtrique renovationem, ut nihil deſiderari ampliùs poſſit. Unde & Baſilius in epiſtola quadam ad Gregorium Nazianzenum ſcribit: *Urbanam quidem ſe converſationem tanquam multorum malorum cauſſam reliquiſſe, ſeipſum verò nondum relinquere potuiſſe.*

Hactenus ergo Euangelicis nihil hæretici hac in re ineſt, quia non docent & ſentiunt, *non poſſe hominem peccare poſt baptiſmum, ſi verè baptizatus ſit*, quum ſit effectus Baptiſmi, in totum tollere

Digitized by Google

peccatum : ſicut fortaſſis Jovinianus ſenſit. Sed contra potiùs Euangelici, peccatum poſt Baptiſmum quoque propter ſtatum naturæ velut radicem & fomitem peccati,reſtare etiam in renatis ſentiunt, unde licet verè baptizati ſint,tamen in multis quotidie,ut ait Jacobus, labantur ac peccent. Jacob.3.2.1.Joh.1 8. Interim verò Euangelici peccantibus,licet verè baptizatis, tamen reatum peccati ablatum agnoſcunt,prout Apoſtolus 1.Cor.6.11. inquit: *Et hæc eratis quidem ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis,ſed juſtificati eſtis in nomine Domini Jeſu,& per Spiritum Dei noſtri.* Cui aſtipulatur ſanctus Ambroſius dicens: *Tollitur in Baptiſmo concupiſcentia, non ut non ſit, ſed ne obſit.* Item: *Gratia Dei in Baptiſmo gratis omnia donat.*

Papiſtæ ſentientes Baptiſmum tollere verè peccatum, rei fiunt hæreſeos Joviniani.

Poſſunt autem hîc Papiſtæ rei peragi,ſi nudè & rigidè pro hæreſi habenda eſt Joviniani ſententia,quâ ſtatuiſſe arguitur: *Non poſſe hominem peccare poſt Baptiſmum,ſi verè baptizatus ſit.* Eodem enim recidit Concilii Tridentini decretum Seſſ.5. de peccato originali: *Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur,reatum originalis peccati remitti negat,aut etiam aſſerit non tolli totum id,quod veram & propriam peccati habet rationem,ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, Anathema ſit.* Et Bellarminus diſputat integro capite 13.& 14.libri de Baptiſmo, *Baptiſmũ verè tollere peccatum.* Quod quid aliud eſt,quàm: *Non poſſe hominem peccare poſt baptiſmum ſi verè baptiſmus fuerit,* ob quã opinionem Jovinianus hæreticus proclamatur? Ergo ſi hæreticus eſt iſte, tum etiam hæretici ſunt,ſimiliter ſentientes ac loquentes Papiſtæ.

Calvinus & Euangelici per ipſos Papiſtas à prima hæreſi Joviniani purgantur.

Calvinum interea tum ipſum aliorum Papiſtarum teſtimonium hîc ab hæreſi abſolvit,tum ſuammet doctrina evidenter purgat. Nam Maldonatus Jeſuita comment. in Joh.5.14 ſcribit: *Jovinianus & alii,* NESCIO QUI, *hæretici negavere hominem poſt acceptam Baptiſmi gratiam peccare poſſe.* Sic hic Jeſuita, qui nuſquam ferè Calvinum & Bezam non dente petit Theonino. Hic, *neſcio qui,* inquit, id eſt, non potuit hanc illis hæreſin impingere. Prodis igitur tu Bellarmine tuam calumniandi libidinem nimiam,facultatem refutandi nullam, quia Joviniani, inquit, *negant hominem poſt peccatum peccare poſſe: ac Calvinum & Bezam intelligit.* Nam ampliùs teipſum confundis, quando lib.de notis Eccleſiæ cap.9.in hæreſi 5. ſcribis: *Dicunt Proteſtantes vel concupiſcentiam etiam in renatis eſſe peccatum.* Et Vega lib.15. de juſt. cap.4. *Tu Calvine,* inquit, *pœnitentiam requiris à peccatoribus, ut juſtificentur.* Ac rurſum Bellarminus lib.3. de juſtif. cap.6. *Dicunt Proteſtantes in Chriſtianis poſt Baptiſmum requiri fidem & pœnitentiam,ut juſtificentur.* Ergo non ſimiliter ac præciſè, ut Jovinianus fortaſſe, dicunt, *Hominem verè baptizatum non poſſe peccare poſt Baptiſmum.* Nam numquid non à baptizatis Calvinus & Proteſtantes fidem ac pœnitentiam requirunt? Nunquid non à quibus fidem & pœnitentiam exigunt poſt Baptiſmum, ii peccant?

Baptiſmi & fidei diſcrimen in peccato.

Ecquid igitur tandem ſimile Joviniani hæreſi Calvinus docuit? *Fidem ſemel acceptam nunquam poſſe amitti ſtatuit,* ut ait Bellarminus. Ergo hæc ſi illa Joviniani tenetur, qua hic non poſſe hominem peccare poſt Baptiſmum ſenſit.

Atqui

Digitized by Google

Atqui Baptiſmus & fides non idem ſunt. Nos fidem ſemel verè acquiſitam poſt Baptiſmum amitti non poſſe dicimus & tamen hominem peccare poſſe poſt Baptiſmum, fatemur. *Aliud* enim eſt, non poſſe peccare ſimpliciter, quod Jovinianus dicitur de Baptizatis falsò affirmaſſe: *aliud* non poſſe veram fidem, quæ electorum eſt, à gratia ſeparari atque planè excidere, quod dicit Calvinus.

Fidem amitti non poſſe.

Sicut enim FIDES accipit incrementum, juxta illud. *Adauge nobis fidem*, Luc 17.5. Sic etiam accipere quidē poteſt decrementum, & veluti deliquium pati, ut nonnunquam variarum tentationum procellis concutiatur, obſcuretur, obruatūr, languida fiat. Imò etiam in ſanctis haut aliter quàm in ebriis in fantibus ratio ſopiatur & ſepeliatur, quemadmodū in *Davide*, quū adulterium admiſiſſet, & Petro quando ter Chriſtum abnegavit, accidiſſe liquet. Sed tamen nunquam penitus excutitur, nec prorſum extinguitur & deficit. *Dona enim Dei* (inter quæ & fides eſt) *& vocatio Dei ſunt* ἀμεταμέλητα, id eſt, *talia, ut Deum eorum non pœniteat.* Rom.11.29. Et Chriſtus *quum oraſſet pro fide Petri, ne deficiat*, non minùs pro noſtra oravit, Luc.22.23. Joh.17.17.& 20.

2.Sam 11.4. Math.26.

Hinc Tertullianus de fuga in perſequutione cap.20. *Ecce*, inquit Chriſtus, *poſtulavit Satanas, ut vos cerneret ſicut frumentum; Verum ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua, id eſt, ne tantum diabolo permitteretur. Quo oſtenditur, utrumque apud Deū eſſe & concuſſionem fidei, & protectionem. Quum utrumque ab eo petitur, concuſſio à diabolo, protectio à Filio.*

Ambroſius inquit. *In Euangelio ſecundum Lucam, Deum dare, ut in fide perſeveretur, ita promitur, Dixit autem Jeſus; Simon, Simon, Satanas poſtulavit, ut cerneret vos ſicut triticum, ſed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.*

Lib.1 de vocations Gen. c.9.

Chryſoſtomus homil.72. in Johannem: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, id eſt, ne in fine pereas.*

Lyranus exponit eadem Chriſti verba: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, ſcilicet finaliter. Non enim rogavit, ut Petrus non caderet; ſed in caſu non remaneret.* Ex his manifeſtum eſt, Chriſtum hoc loco in ſua precatione tū pro perſeverantia Petri in fide oraſſe, tū pro omnibus Apoſtolis ac fidelibus Chriſtianis oraſſe, ut ſemper in veritate & fide permanerent, hancque nunquam perderent.

Adhæc Paulus Epheſ.1.13.& 14. ait; *Nos poſtquam credidimus, obſignatos fuiſſe Spiritu promiſſionis ſancto, & Spiritum hūc arrhabonem in nobis eſſe perpetuum, uſque dum in libertatem aſſeramur.* Et Philip.1.6. *Quod incipit bonum opus Deus in ſuis Electis, illud etiam perficit uſque in diem Jeſu Chriſti.* Quapropter etſi exigua ſit & debilis ſæpè in electis fides, tamen quia Spiritus Dei certa illis arrha eſt ac ſigillum ſuæ adoptionis, nunquam ex eorum cordibus deleri poteſt ejus ſculptura.

Poſtremò, quum Electorum fides *temporaria* opponatur, ſequitur eam itaque perpetuam & perſeverantem eſſe.

Adverſarii autem contra luctantur, & ſtatuunt fideles, ſeu baptizatos ſiſe prædictos & juſtificatos verè de ſua finali perſeverantia in fide & ad ſalutem prædeſtinatione, perſuaſos eſſe non

Objectio de defectu fidei.

Digitized by Google

poſſe,ſed fidem peccatis amittere. Inprimis Bellarminus lib.3.de Juſtificat. cap.12. inter alia argumenta contra perſeverantiam fidei & certitudinem prædeſtinationis hoc pro quarto adducit: *Multi dicuntur ad tempus credere & poſtea deficere*, prout Math.13.21.1.Tim. 1.19.& 4.1.patet.

Cap.14. aſſerit fidem & juſtitiam ſemel habitam totaliter & finaliter,ſive in perpetuum & prorſus amitti poſſe. Imo reipſa interdum ſic amitti ſolere & proinde non eſſe immutabile, nec electorum propriam, &c.Hæcque argumenta urget.

1 Ezech. 18.26. dicitur; *Quum averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa*. Ergo niſi fruſtra hæc à Deo dicta ſunt,fieri poteſt & ſolet,ut juſtus fiat injuſtus, atque ita gratiâ Dei finaliter excidat.

2. Luc.8.15. *dicuntur quidam ad tempus credere, & tempore tentationis deficere*,&c.Sic Mathæi 24.dicit Chriſtus: *Refrigeſcet charitas multorum*. Et Gal.5.4. *Excidiſtis à gratia*. Si 1.Tim.1.19.ac 4.1.& 6. *ſæpè mentio fit eorum, qui à fide deficiunt quicque ab ea aberrant*. Ergo defectio hæc & poſſibilis eſt,& nimis uſitata.

3. Joh.15.2.dicuntur *palmites quidam in Chriſto eſſe,nec tamen fructum ferre:quos etiam Dominus ablaturus dicitur & in ignē abjecturus*,&c. Ergo juſtitia & fides amitti poſſunt.

4.1 Cor.9,27. *Apoſtolus dicit,ſe contundere corpus ſuum,ne quum aliis prædicaverit, ipſe reprobus fiat*. Ergo ſciebat ſe reprobum fieri poſſe, licet fide præditus & electus eſſet.

5.Heb.6.4.5.6.& 10.26. *dicuntur quidam poſt acceptum Spiritum ſanctum, & guſtata Dei dona ,rurſus in peccata prolabi,atque ita juſtiſſimum judicium Dei ſibi acceſſere*. Ergo fieri poteſt & ſolet, ut juſti prorſus à juſtitia deficiant, & ſic æternum exitium incurrant.

6 Sic 2 Pet.2 21.dicuntur *quidam inſtar canū reverti ad vomitū, & inſtar porcorum redire ad volutabrum luti*,&c. videlicet *qui jam verè hujus ſeculi corruptionem effugerunt*. Ergo tales deficere omnino poſſunt.

7. Idem docent exempla quorundam *Angelorum*. Item *primorum parentum in paradiſo*. Item *Saulis, Davidis, Salomonis, Apoſtoli Petri, Judæ proditoris, Simonis Magi*, &c. qui licet antea juſti fuiſſent, in peccata tamē teterrima inciderunt; Et quidam eorum ſalvificam fidem, atque omnem prorſus juſtitiam, in totum ac finaliter amiſerunt. Ergo hæc fides & juſtitia mutabilis eſt.

8. *Patres* idem docent, præſertim *Hieronymus & Auguſtinus* contra JOVINIANUM quippe quem ex profeſſo refutarunt & damnarunt,eò quod cōtrariam ſententiam tenuit, *Juſtos poſt Baptiſmum non poſſe peccare & deficere*. Auguſt.hæreſ. 82.

9.Denique *ratio* idem docet,quum nec fidei aut juſtitiæ natura talis ſit,ut nunquam amitti poſſint: nec ulla extet Dei promiſſio de impedienda juſtorum voluntaria defectione. Imò quum experientia teſtetur, multos quotidie à fide deficere,& infantes in Baptiſmo juſtificatos, poſtquam adoleverint,ſæpè degenerare. Quum denique futura perſeverantia,per ipſa juſtorum peccata,in quæ ſæpius ſua ſpōte incidunt,incerta & dubia eſſe convincatur,&c.

His

Digitized by Google

Solutio argumentorũ de defectu fidei veræ.

His itaque argumentis ſanè plauſibilibus ita reſpondemus. In 1.3. & 4. non unius generis inconſequentiam latere:tum quia ex hypotheticis enunciatis ineptè concluditur, hypotheſi nondum probata: vel potiùs quia ex illis abſoluta enunciata perperam conficiuntur,tum quia ad verè fideles & electos ea transferuntur, quæ tantùm ad hypocritas, opinione ſua & aliorũ aliquandiu juſtos & fide nonnihil prædit os, revera pertinent, &c.In 2.ac eo ex 1.19.&.4.1.citato,ac 5.& 6.Tim.1.tũ eandem fallaciã,tum homonymiam in voce fidei(quæ hîc vel fidem temporariam,vel temerariam præſumptionem vel doctrinam potiùs, quàm πληροφορίαν & cordis fiduciam ſignificat)item in vocabulo illuminationis & Spiritus ſancti contineri. Nam conſtat etiam hypocritas profeſſionem veræ fidei & multa Spiritus ſancti dona,quæ electorum propria non ſunt, ad tempus habere,eaque tandem abjicere poſſe. In 7.partim diſſimilia,partim falſa exempla afferri,eoque nihil ex iis concludi poſſe.In 8. & 9.verum ſtatum non attingi,immò calumnias admiſceri.Nam noſtri nunquam(ut ſupra explicatum) negaverunt, baptizatos, imò juſtos & regeneratos etiam lethaliter interdũ peccare. Præterea nec finalem electorum perſeverantiam vel ipſi fidei per ſe,vel ulli alii rei potiùs, quàm divinæ electioni, & conſtantiſſimæ Dei erga ſuos benevolentiæ aſcribunt.

Malitioſè ergo,& calumnioſè de cõſtantia & contraria mutabilitate tum veræ fidei, tum juſtitiæ jam ſemel perceptæ, Noſtrorum ſententia pervertitur. Quippe qui ultrò agnoſcunt,juſtos & fide excultos, naturalis ſuæ mutabilitatis & ordinatæ Dei permiſſionis reſpectu, non modò poſſe verè Dei gratiâ excidere,ſed etiam reipſa non rarò in graviſſima peccata prolabi, & ſic conſcientiam ſuam miſerè lædere,ut efficacem ſenſum gratiæ & donorum Spiritus ſancti prorſus ad tempus amittant,& fiduciæ curſum interrumpant.

Conſolatio in mutabilitate ſeu lapſu fidei ac juſtitiæ electorum. Gal.2.20. Epheſ.3.17.

Simul autem hoc ad conſolationẽ & confirmationem ſummam piorum aſſerere ſolemus,eos qui ſecundũ propoſitum Dei ſemel vocati ſunt, & Chriſtum verè intra ſe fide habitantem habuerunt, licet aliquando vel à diabolo vel à mundo illecti atque impulſi, peccata quædam ex infirmitate committant,imò nonnunquam graviter & fœdè delinquant, ac periculoſis carnis tentationibus ſuccumbant: non propterea tamen penitus à Deo deſeri,nec omnia Spiritus ſancti dona totaliter ac finaliter amittere,ſed tandem in rectam viam redire, atque ita deſtinatam ſibi ſalutem certò adipiſci, nullo quidem ipſorum meritò, ſed merâ Dei gratiâ idipſum procurante & efficiente.Hujus dulciſſima & ſolidiſſima argumenta præcipuè duodecim antitheſi Adverſariorum opponimus.

1.Math. 24.24. negat Chriſtus *electos in errorem pernicioſum ſeduci poſſe.* Imò docet,*propter illos ſæpè tentationum dies abbreviari,ne una cum aliis pereant,*&c.Intelligit autem verè credentes, uti locus ipſe demonſtrat. Ergo verè credentes non ſolent omnino ac finaliter à Deo vel fide deficere.

2.Joh.10 28.docet idem Chriſtus, *oves ſuas perire non poſſe,nec quenquam eas ſibi*

ſibi de manu ſua rapturum, imò ſe iis vitam æternam certò daturum. Ergo nulla tentatio eos prorſus à Chriſto, nedum fide in illum abſtrahere poteſt.

3. Rom. 8.35.36. gloriatur Apoſtolus, quod nec mors, nec vita, nec perſequutio, nec Angeli, nec ulla creatura poſſit electos à charitate Dei abſtrahere. Ergo conſtat, eos in fide & charitate Dei ad extremum uſque perſeveraturos.

4. Idem Rom. 9. & 10. non ſemel teſtatur, electos tandem certò aſſequi ſalutem divinitùs ipſis deſtinatam. Nec Deũ abjicere populum ſuum, queḿ præcognovit. Adeoque dona & vocationem Dei (puta, quæ fluunt ex propoſito electionis) eſſe ἀμεταμέλητα (ut & ſupra diximus) hoc eſt, immutabilia & quorum ipſum non pœniteat. Ergo nõ ſinit Deus ſuos vel fidem juſtificantem penitus amittere, vel ipſos omnino ac finaliter perire.

5. Idem Apoſtolus præter ea, quibus Philip. 1.6. & 2.13. docet *Deum ſolere in ſuis perficere bonum illud opus, quod in ipſis inchoavit, idq; pro bona ſua voluntate*, teſtatur etiam 1. Theſſ. 1.3. & 5.9.10. *Deum non conſtituiſſe electos & pios ſuos cultores ad iram, ſed ad ſalutem obtinendam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum eo vivamus.* Ac 1. Cor. 10. 13. *Deum ſuos nunquam tentare ſupra vires, ſed exitum felicem ſemper præſtare.* Ergo non patitur eos omnino deficere, & fidem gratiamque ſuam amittere.

6. Sic 1. Petri 1.5. dicitur, *nos virtute Dei cuſtodiri ad vitam æternam*, &c. Et 1. Johan. 5.4. FIDES *noſtra vocatur victoria, qua mundum vincimus.* Ergo patet donũ perſeverantiæ cum fide vera in electis conjunctum eſſe, & proinde iſtam non omnino unquam in electis exſtingui.

7. Ita 1. Joh. 2.19. dicitur, *eos qui finaliter à fide diſcedunt, non fuiſſe ex numero verorum fidelium*, hoc eſt, electorum, *quia alioqui manſiſſent.* Ergo qui verè ſunt electi, in fide vera perſeverant.

8. Non minùs 1. Joh. 3.5.6.9. *eum qui ex Deo natus eſt non peccare, nec poſſe peccare* dicitur, videlicet ita, ut data opera in peccatis perſeveret. Et ratio additur. *Quia ſemen Dei in ipſo manet*, nempe ſemẽ illud incorruptibile, ex quo filii Dei gignuntur, de quo 1 Pet. 1.23. Ergo, &c.

9. Adde, quod electis tribuitur ejuſmodi Spiritus ſancti gratia, *quæ ſemper apud ipſos maneat.* Joh. 14.6.20.23. & 15. 4.6.7.16. Item 1. Joh. 2. *Quæq; fons aquæ vivæ in ipſis efficiatur*, Joh. 4.14. Joh. 7.38. Ergo finaliter & penitus eam non amittunt.

10. Accedit, quod Deus promiſit, *ſuum verbum & Spiritum nunquã à populo ſuo* (videlicet quem præcognovit) *receſſurum, ſeq; effecturum; ut in præceptis ſuis ambulemus, neque unquam à ſe recedamus.* Iſa. 54. & 55. & 59.21. Jerem. 31.34.36. 37. Ezech. 26.27.

11. Adde, quod incredibile eſt, *vel ipſum Deum velle opus manuum ſuarum in nobis omnino deſerere, contra quam dicitur Pſ. 138.7.8 vel* hominem verè fidelem, & qui ſuavitatem Domini verè guſtavit, ſua ſponte velle à Deo deficere, atque ita non modò fidem & pietatem, ſed æternam quoque felicitatem ſuam ultrò abjicere, ut quam in Dei & Chriſti communione poſitam eſſe noverit. 1 Joh. 1.7. &c. Ergo ratio etiam huic inſtantiæ contraria eſt.

10. Auguſt-

Digitized by Google

De corrept. & gratia cap. 7.

10. Auguſtinus ſinceriſſimus ſacræ Scripturæ amator, diligentiſſimusque earum ſcrutator ait: *Horum* FIDES, *quæ per dilectionem operatur, aut omnino nō deficit, aut reparatur, priuſquam hæc vita finiatur.* Adhæc è Pontificiis ipſis Ambroſius Catharinus aliquando de myſteriis fidei bene ſentiens, hac in ejuſdem cauſſa quoque cum ſacra Scriptura ſenſit. Nam de eo ipſe Antagoniſta Bellarminus lib. 3. de juſtif. cap. 9. locum Rom. 8 ✝. 15. *Accepiſtis Spiritū adoptionis* citans, ſcribit: CATHARINUS *ex hoc loco docuit,* FIDELES *in perſuaſione de ſua ſalute non poſſe falli.*

Diffidentia in fide cauſſa & reparatio.

Etſi igitur nonnunquam incertitudine, inquietudine & diffidētia impetitur electorum fides: tamen id tum certis de cauſſis fit, Deo permittēte, tū à Deo ipſo corrigitur, & ad ſalutem illorum rurſus convertitur. Nam David Pſal. 32. 22. ait: *Dixi in mea præcipitatione, projectus ſum à conſpectu oculorum tuorum ô Deus.* Et nunquam in præſentis vitæ curſu tam bene nobiſcum etiā, qui baptizati, juſtificati, renatique ſumus, agitur, ut omni diffidentiæ morbo curati, fide toti repleamur, aut nunquam vel cogitationibus, vel verbis, vel factis peccemus.

Sed hanc tam incertitudinem & inquietudinem, quàm ad peccandum pronitatem, non habet à ſe fides, ſed ex noſtra humana infirmitate.

Deinde, nec propterea electi quidē deſciſcere poſſunt, à plena ac certa illa πληροφορίᾳ, παῤῥησίᾳ & πεποιθήσει, quā de miſericordia Dei conceperunt *fiduciâ*, quamque Apoſtolus Epheſ. 3. 14. ſic laudat: *Per fidem habemus παῤῥησίαν, audaciam ſeu libertatem, & aditum ἐν πεποιθήσει, in fiduciâ, quæ eſt per fidem illius.* Ideò etiam ipſe David lapſus graviſſimè rurſus ſe erigit, ac Pſal. 42. 6. dicit: *Quid trepidas anima mea, & quid tumultuaris in me? Spera in Deo,* vel; *expecta Deum: quia adhuc confitebor ei propter ſalutē faciei ejus.*

Palmæ enim vicem fides veræ obtinet, ut contra quælibet onera nitatur, ſurſumque ſe attollat, nec ſibi divinæ miſericordiæ fiduciam & fidei *mercedem*, quæ eſt (teſte Petro. 1. epiſt. 9.) *ſalus animarum*, excuti unquam patitur. Hinc Jobi 13. 15. quiſque pius ac fidelis Chriſti ſe confirmare jubetur his verbis: *Etiam ſi me occidat Deus, non deſinam in eo ſperare.* Et Pſal. 23. 4. *Si ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Quare nihil obſtat, quin ſimul peccent & terreantur fideles, dum in ſuā indignitatem & vanitatem cum infirmitate conjunctam oculos conjiciunt: & rurſus ſecuriſſima conſolatione & confirmatione potiantur, dū *Joh. 6. 4.* in Dei bonitatem, veritatem, potentiam, tum Chriſti virtutem, *quâ neminem ſuorum rejicit foras,* Joh. 6 37. *nec patitur unicam ovem ſibi eripi,* Joh. 10. 28. animi cogitationem referunt.

Evicimus ergo, nec Calvinum, nec nos Euangelicos quoſcunque circa opinionem Joviniani, *non poſſe hominem peccare poſt baptiſmum verè ſuſceptum,* id eſt, ſi revera fidem & gratiam baptizatus ſuſceperit, haud ullo modo quicquam hæreticum alere. Nam utut Jovinianus iſtam ſuam opinionem mente tenuerit, & ore profeſſus ſit: Calvinus & nos Euangelici nunquam ſenſimus & docuimus, omnes ritè baptizatos peccare poſt baptiſmum non

Digitized by Google

poſſe: ſed omnes etiam baptiſmo regenitos, juſtificatos atque in gratiam fœduſque Dei receptos, aliquando in delicta & peccata labi agnoſcimus. Deinde, ut nemo noſtrûm unquam docuit, omnes quum baptizantur, vera ac viva fide præditos eſſe: ſic qui vera ac viva fide donati ſunt, eam amittere non poſſe, etiamſi poſt baptiſmum verè acceptum peccent, cum ſacris Scripturis & Patribus ſanctis piè credimus, & ingenuè profitemur. Ac quantumvis in hac ſententia à Papiſtis hæreſeos condemnemur: tamen à S. Scriptura & S. Auguſtino, aliis peritis veritatis inveſtigatoribus & propugnatoribus abſolvimur.

II. *Jejunia non tollunt Euangelici, ſed diſcrimen ciborum, dierúmque, & meritum in iis negant jure cum Joviniano.*

Secundò (dicitur à Bellarmino lib. de notis Eccleſiæ, cap. 9. & in oratione poſt tractatum de bonis operibus) *Jovinianus docuit, ciborum delectum & jejunium non eſſe meritorium. Idem Calvinus inſtitut. lib. 4. c. 12. § 19. & confeſſio Auguſtana art. de diſcrimine ciborum.*

Et lib. 2. de bonis operibus, cap. 5. ubi hæreſes circa ciborum delectum enumerat, dicit: *Hæreſis Nicolaitarum & Valentinianorum, qui nullos omnino cibos, neque in perpetuum, neque omnibus, neque quibuſdam, neque abſolutè, neque certa de cauſſa interdici patiuntur. Ad hanc claſſem pertinet* Jovinianus, *& hujus temporis hæretici*, Calvinus, Brentius.

At cap. 11. ejuſdem lib. agens de fructibus & utilitate jejunii, quæ ab Euãgelicis iſto modo, quo Papiſtæ ſentiũt, negatur, dicit: *Proteſtantes ſequuti ſunt Patriarcham ſuum Jovinianum.*

Respondemus ergo: In iis, in quibus ex Dei verbo rectè ſenſit Jovinianus, quis non illi aſſentiatur? Hujuſmodi autem eſt ſententia ejus de jejunio. Ille enim & nos Euangelici circa id triplicis criminis inſimulamur: videlicet, quod ipſum jejunium, modum ejus, ac meritum ejuſdem rejiciamus.

1. Jejuniũ ipſum nec Jovinianus nec Euangelici damnant.

Prioris inſimulatio, quaſi jejunium omne repudiemus, calumnia vel inanis perſuaſio eſt. Jovinianus enim ne ab Hieronymo & Auguſtino quidem accuſari videtur, quod jejunium in totum rejiciat, ſed tantùm ejus adjacentia. Calvinus reus ipſe ſe in inſtitutionib. loco à Bellarmino citato purgat. Nam inquit: *Jejunium commune ad diſciplinam, de qua nunc tractamus, pertinet, quoties de re aliqua magna Deo ſupplicandum eſt. Jejunium cum oratione indicare expediret, ut Scriptura oſtendunt, Act. 13. Nehem. 1. Hoc alacriores ad precandum reddimur. Imminente aut graſſante ulla calamitate Paſtorum officium eſt, hortari ad jejunium Eccleſiam, quo ſuppliciter iram Dei deprecemur. Hoc Dei gloria & publica ædificationis intereſt, tum etiam nobis ipſis utile, & ſalutare*, ut Joël. 2. Itaque tam privatum, quàm publicum jejunium Calvinus probat, ut & omnes Euangelici.

Harm. conf. ſect. 15. 16.

Commendant pari ſtudio jejunium verum Doctores omnes, idque etiam publicè in Harmonia confeſſionum noſtrarum profitemur. Legatur Apologia Auguſtana, Martyr, Muſculus, Aretius in locis communibus, de jejunio, &c. Pererius Jeſuita comment. in Rom. 1. cap. 14. diſput. 3. num. 20. ſcribit: *Philippus Melanchthon* Non Negat Jejunii *& rerum indifferentium* Observationem. Hoc nos proximè antecedenti capite etiam oſten-

Digitized by Google

oſtendimus: ubi & Aërium & Euangelicos ab hæreſi circa jejunium purgavimus.

Joviniani & Calvini ſententia de jejunio comparatur.

Si qua in re tamen Jovinianus hæreticè ſenſit, & ſi circa jejunium cenſetur Jovinianus & Calvinus conſentire, conferamus utriuſque ſententias è confeſſione ipſorum & Papiſtarum. Nam ampliùs de Calvino Bellarmin. lib.2. de bonis operibus, cap.3. ait: *Proteſtantes exiſtimant, in jejunio maximè à cibis lautioribus abſtinendum, & proinde meliùs eum jejunare, qui carne fumo durata, quàm qui piſcibus & variis condimentis gulam irritantibus utitur.* Et cap.2. in principio: *Calvinus vult, ut jejunium non ſolvatur, antequam res illa peracta ſit, cujus gratia ſuſceptum eſt, ut ſi propter ſolennem precationem ſuſcipiatur.*

Jam, ſi placet, Jovinianum & Calvinum inter ſe conferamus. Jovinianus ſenſit, *à nullis omnino cibis abſtinendum eſſe*, Calvinus, *imò à lautioribus maximè.* Ille *per nullum tempus.* Calvinus *per tempus ſupplicationis.* Jovinianus *neque omnibus, nec quibuſdam.* Calvinus *toti Eccleſiæ.* Jovinianus *neque abſolutè, neque certa de cauſſa.* Calvinus *quoties de re aliqua magna ſupplicandum eſt Deo.*

Quæ ſi ex ore & calamo Bellarmini de Joviniano excepta vera ſunt, erravit ſanè Jovinianus in nonnullis. Ut, quod per nullum tempus cenſuit à cibo abſtinendum, nec à nullis, &c. At cur iidem errores Calvino impinguntur, qui ab illis liber eſt? Qui ab Joviniani ſententiis erroneis δὶς διὰ πασῶν diſſentit? Cur Proteſtantes & Jovinianum Adverſarii ad eandem claſſem hæreticorum pertinere judicant? Calumnia certè eſt & mendacium jejunio ac pœnitentia expiandum. Hæc in genere.

1. Jejunii modum in delectu ciborum Jovinianus & Euangelici jure reprehendunt.

Nunc ad *modum* reſpondeamus. Eũ Deus in Scriptura novi Teſtamenti ita liberum relinquit, ut nec in obſervatione certi temporis, nec in ciborum, uti carnis, lacticiniorum, ovorum, leguminum piſcium, nec in vini, aquæ, cereviſiæ, aliuſque potus diſcrimine ac delectu collocatum velit; ſed tum gravi afflictione aut magno negotio premente, tum abſtinentia omni cibi à ſummo mane uſque ad crepuſculum veſpertinum peragi jejunium concedat. Col. 2.16.16. Gal. 4.10. & 5.1. Math. 9.15. Levit. 16.29. & 23.27. Act. 13.3. & 14.23. Math. 6.17. Hoc modo nos Euangelici jejunium celebrare & ſolemus & docemus.

Eodem priſca Eccleſia Chriſti ab Apoſtolorum ætate jejunare conſuevit. Theodoretus in epitome divinorum decretorum: *Eccleſia*, inquit, *nec vini nec eſus carnium participationem prohibet. Et ideò alii quidem permiſſis à lege bonis & voluptatib. ſecurè fruuntur: alii verò ab iis abſtinent: nullus autem, qui ſapit & rectè ſentit, condemnat eum, qui comedit. Nam & abſtinentia & ejus participatio ſunt in mentis poteſtate.*

Auguſtinus de moribus Eccleſiæ ait: *Abſtinentias inſtitutas & menſas charitatis lege & ratione. Nec quenquam coactum, ut hoc vel illo cibo & potu non uteretur: ſed fuiſſe liberum, ut quiſque valetudinis rationem haberet.* *Lib.1. c.33.*

Primaſius in Rom. cap.14. *De jejunio lex non eſt poſita, ſed quomodo poteſt unuſquiſque & vult.*

Jejuniũ quadrageſimale fuit quondam obſervatum admodum ſeverè in

Digitized by Google

ſicco & aqua, ſine vino aut piſcibus. Teſte enim Epiphanio in fine Panarii, *veteres ſiccorum eſu utebantur*: id eſt, pane & ſale cum aqua. Et jejunatum eſt *à carnibus & vino*: ut Greg. Nyſſenus oratione de amandis pauperibus, ac Concil. Carthag. 4. cap. 85. ait: Hieronymus ad Lætam: *In jejuniis ab oleo & pomis abſtinebant.* Et in Epitaphio Paulæ, *à vino, liquamine, piſcibus, melle, ovis* jejunatum ſuo tempore ſcribit. Chryſoſtomus ſerm. de jejunio ait: *A vino & carne jejunare Eccleſiam.*

Micrologus cap. 49. inquit: *Nec juxta canones quadrageſimaliter jejunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimur.* Ergo Euangelici, quum hoc modo à veteri Eccleſia uſitato jejunent, id eſt, liberè, nihil hæretici admittunt, ſed Catholicè agunt.

Jejunandi modus Papiſticus. Papiſtæ quomodo ſe in jejunio gerunt? Ex adverſo. Unde non Euangelici, ſed Papiſtæ in jejunandi modo peccant. Probatur dilucidiſſimè ipſorummet Papiſtarum verbis, quibus de jejunio contendunt.

De bonis operibus lib. 2. cap. 3. in fine. Bellarminus: *Proteſtantibus*, inquit, *non placet, quod abſtinentiam à carne, ovis, caſeo, jejunium dicimus. Reprehendunt in nobis delectum ciborum.* At prudens ſciensque ille fallitur. Non enim omnem ciborũ delectum Euangelici reprehendunt. Nam idem Bellarminus lib. 2. de bonis operibus cap. 5. in initio: *Adverſarii*, inquit, *admittunt abſtinentiam in genere*, A NIMIO ET LAUTO CIBO. Quanquam omnimodam potiùs abſtinentiam ſuadent uſque ad veſperã, ex authoritate Levit. 16. 24. & 23. 27. quæ eſt valentibus lex jejunii ſacratiſſima. Ac nobis ſuffragatur Polydorus Virgilius, dicens: *In omni jejunio non tam à quo abſtineas, quàm à quo non abſtineas, quæri debet.* Et mox diſcrimen ac delectum ciborum introductum referens, ſubdit: *Eſt hic delectus abſque delectu.* Certè.

De rerum invent. in jejunio.

In jejunio Papiſtarũ jejunium deſideratur. Primò, quod lautitias & vini hauſtũ indulgent Pontificii, & tamen Chriſtianis carnis ac lacticiniorum omniũ guſtu interdicunt. Fatetur hoc Bellarminus loco, quo ſuprà, dicens: *Finis jejunii eſt, corporis concupiſcentias edomare, neque Adverſarii* (Euangelici) *id negant. Jam Eccleſia noſtra non conſtituit regulam de lautitiis.* At mox: *Sed abſtinentiam præcepit carnium, ovorum, caſei.* At paulò poſt: *Non autem in frigidioribus regionibus vini, quod calefaciendo corpus incitat ad libidinem.*

Secundò, quod abſtinentia illa, quã obtrudunt Pontificii, obſervari ſine jejunio poſſit. Toletus enim lib. 6. de inſtruct. ſacerdotum cap. 3. *Aliquando*, inquit, *prohibentur caro & lacticinia, quũ tamen non eſt jejunium: ut in quadrageſima Dominicis.*

Tertiò, quia certi ciborum generis exactio in antiquis hæreticis damnabatur. Bellarminus enim: *Montaniſtæ*, inquit, *tempore jejunii cogebant homines ad cibos tantùm aridos ſumendos. Item feria quarta & ſexta jubebant omnes uſque ad veſperam jejunare. In his eos Catholici dicebant non rectè facere.* De quo vide ampliùs Tertullianum, ubi Montaniſta impugnans ſententiam Catholicorum de libertate cibi in jejunio, leges jejunii imponit.

Inde pedetentim mores cum temporibus à primæva puritate & ſimplicitate deflexerunt, ut mirum ſit tot & tantis

Digitized by Google

tantis gradibus id factum. Maldonatus enim: *Quod attinet ad ciborum delectum*, inquit, *ſemper in jejunio obſervatum eſt, ut ab iis abſtineatur, qui maximè finē jejunii impedire poterant.* Id Mutatis Temporibus Mutatum Est.

In ſummula q.23. art. 2.

Jejunii genera 5.

1. *Nam perfectum & verum jejunium & quaſi exemplar omnium fuit aliud, quod ipſo nomine declaratur:* Nihil Comedere. *Nam propriè eſſe jejunium,* Est Nihil Prorsus Edere. *Tale jejunium Moſis, Pauli & aliorum* Sine Cibo Et Potu.
2. *Secundum genus jejunii inter Monachos uſitatum, nihil igni admotum edere, ne panem quidem.*
3. *Tertium, fuit panis & aqua.*
4. *Quartum, fuit magis* (en Papiſticum jejunium, potiùs convivium) Delicatum, *conſtans ex oleribus, & leguminibus, & pomis.* Hæc Maldonatus.
5. Addam quintum, quod fatetur etiã Papiſta & Jeſuita. Nam Johannes Azorius: *Certè negari non poteſt*, inquit, *conſueta Chriſtianorum jejunia carnium eſu & vini potu caruiſſe. At verò jam* (ô tempora, ô mores!) *in more poſitum eſt, ut cum piſcibus, herbis, fructibus,* Vino *ſimiliter* Utamur. Lib. 7. Inſtit. cap. 21. §. certè.

In Practica Theolog. tract. 3. c. 11. n. 69.

Pariter Molanus teſtatur & monet: *Meminerint jejunaturi, majores noſtros jejunaſſe à vino & deliciis.* Rurſus de canonicis lib. 1. cap. 26. *Si ad veterem diſciplinam*, inquit, *atque rigorem reſpiciamus, vix ullus hoc tempore jejunare cenſebitur. Illi enim uſque ad veſperam jejunarunt, nos prandemus.*

Delicatam ergo hanc & vix ſobriã jejunandi novitatem faſtidiamus, & ſanctam atque antiquam imitemur tam à Verbo Dei quàm probatiorum Patrum choro ſancitam & præſcriptã. Commonefacit nos hujus Eraſmus, qui in 1. Corinth. 8. ſcribit: *Mihi purioris Chriſtianiſmi, magis coſentaneum Euangelica & Apoſtolica doctrina jejunium videatur, ſi nullum certum cibi genus præſcribatur.*

Jejunii igitur Papiſtici modus eſt ille quidem totus à verè priſca conſuetudine abſtractus, ac jejunii Chriſtiani nihil præter nomen habet. Nam ciborum delectum habere religionis cauſſa & dies certos ſtatosque præſcribere, in quib. neceſſariò jejunemus, alterũ inſanũ, alterũ ſuperſtitioſum eſt. Quis n. q; judiciũ, omnem q; ſenſum amiſit, eũ jejunare exiſtimet, cui liceat, modò à carnibus abſtineat, in omnes ſeſe delitias ingurgitare? Aut quis jejunium ſextę quàm quartæ feriæ ſanctius arbitretur, qui non palam judaizat? Si Galatas Paulus reprehendit, *quod dies & menſes & tempora obſervarent*, num noſtros ille Papiſtas ferret, improbiùs & turpiùs hallucinantes? Si Coloſſenſes præmonuit, ne illorum ſuperſtitione caperentur, qui cibos quoſdam non guſtandos, non contractandos cenſerent, an ciborum Papiſticum delectũ probaret? Si certis cibis abſtinere diabolicum atque hypocriticũ olim eſſe ſtatuit, an nunc, ſi viveret, ſententiam mutaret? Pium eſſe diceret atque iſtam abſtinentiam Chriſtiano imperaret?

Luc. 18. 12.

Gal. 4. 10.

Col. 2. 21.

1. Tim. 4. 2.

Tuentur quidem ex Scripturis ſuũ jejunandi modum Papiſtæ exemplo *Moſis, Davidis, Heliæ, Danielis, Baptiſtæ & Apoſtolorum*: Sed quid obſecro id illorum jejunium veſtro Papiſtico ſimile habuit? Si enim jejunium in ciborum delectu & dierum præſcriptione verſatur, quemadmodum Papiſtę ſtatuũt, doceant & oſtendant illos aut carni-

Exod. 24.

Digitized by Google

bus piſces prætuliſſe, aut hebdomodariis ac anniverſariis ſtatiſque jejuniis uſos eſſe. Nam Johannes perpetuum jejunium celebravit. Cæteri pro temporis ratione ipſaque occaſione jejunarunt, in quo non magis à carnibus, quàm piſcibus abſtinuerunt. Eſt igitur hæc fallacia παρὰ τὸ ἑπόμενον & λέξεως, &c. Hæc de modo.

3. Jejunii meritum Jovinianus & Euangelici merito rejiciunt. Jam de *merito* differamus. *Jovinianus* ait Robertus Bellarminus de Notis Eccleſiæ cap 9. hæreticus eſt, quod *docuit* non modò non eſſe habendum delectum jejuniorum, ſed *etiam jejuniũ non eſſe meritorium.* Ac ſic Calvinus & Proteſtantes Inſtit. cap. 8. §. 201. 202. 203. 204. 205. Confeſſio Auguſtana de Diſcrimine ciborum. Libro 2. autem de Bon. Operibus. cap. 11. ſcribit. *Proteſtantes obſtinatè contendunt jejunium nihil valere ad ſatisfaciendum pro peccatis, nihil ad impetrandum auxilium, nihil ad cœleſte præmium promerendum. Hæreſis Joviniana eſt.*

Lib Conſult. art. 16. Sed Patronus in hoc adeſt Euangelicis Georgius Cassander, qui calumniam Bellarmini magna ex parte diluit. Scribit enim, *In confeſſióne Saxonica: Proteſtãtes damnãt traditiones de rebus indifferentibus, quatenus iis accedit opinio meriti: Et Proteſtantium Principes apertè ſcribunt, ſe publicæ pacis cauſſa* Stata Jejunia *& hujuſmodi traditiones libenter obſervare velle, his conditionibus, ut doctrina Euangelii* De Justificatione *per fidem Chriſti ſincerè tradatur, nec in illarum traditionum obſervatione fiducia collocetur.* Ex quibus quid proteſtantes ſeu Euangelici poſtulent vides, quo jure id velint attende.

Conqueruntur Papiſtæ Euangelicos more Joviniani hæretici ſtatuere ciborum diſcrimen & delectus non eſſe meritorium. Respondemus; An ciborum delectus eſt meritorius? Si affirmant, ſuperiora noſtra in præcedenti capite legant, quæ contra totum ſlibrum Bellarmini de Jejunio attulimus. Profecto ut diſcrimen dierum & delectum ciborum ineptum eſt jejunio Chriſtiano tribuere, ſic meritum ei ineſſe exiſtimare, eſt ineptiſſimum. Nam jejunare in eum finem, ut remiſſionem peccatorum mereare, ut delicta expies, ut vitam æternam adipiſcare, eſt jejunio abuti. Nos cum Joviniano libenter hac in re ſentimus, ſed tamen ut nec ille, ſic neque nos propterea hæretici ſumus. Veritatem hoc eſſe tum Verbum Dei, tum Patres pii, tum Pontificii quidam prudentiores teſtimonium ferunt.

Unicum enim meritum paſſionis Chriſti, ad quam etiam eſuries & jejunium ipſius pertinet, acquirit ac meretur nobis perfectiſſimam peccatorũ condonationem & expiationem, Dei gratiam & auxilium, vitamque æternam. Ut Geneſ. 3. 15. *ipſum conteret ſerpẽtis caput.* Iſaias 53. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras, attritus eſt propter iniquitates noſtras; caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum, & livor ejus ſanitas fuit nobis.* Rom. 4. 25. *Traditus eſt propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter juſtificationẽ noſtri.* Ac Petrus 1. Epiſt. 2. 24. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiæ viveremus: cujus vibice ſancti fuiſtis.* *Jejunii meritum evertitur Chriſti merito.*

Regerunt Adverſarii: At jejunium eſſe mediorum & inſtrumentorum unum, quo ſatisfactionem Chriſti pro noſtris *Bell. lib. 2. de bonis operibus c. 11.*

Digitized by Google

noſtris peccatis nobis applicemus. Falſiſſimum. Inſtrumentum vel medium nobis hoc Chriſti meritum applicans eſt, FIDES Joh.3. cap.5. cap.6. cap. Act. 10.43. & 15.39. Atque cap.26. Act. ℣.18. teſtatur Chriſtus ſe Paulum Apoſtolũ elegiſſe: Ut *aperiat oculos Gentium, quo ſe convertant à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum, ut remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctificatos accipiant.* Per Fidem *quæ eſt erga ſe* Chriſtum. Ac Gal.3.2. *Ex operibus legis*, inter quę & jejunium eſt, *Spiritum accepiſtis, an ex fide*
Gen.15.6. *per auditum percepta?* Ac reſpondet mox
Rom.4.7. verſu 6.7. *Sicut Abraham credidit Deo, &*
Jac 2.13. *imputatum eſt ei ad juſtitiam: ita noſtis, quod qui* EX FIDE *ſunt, ii ſunt Filii Abrahæ.*

In 1. Cor. 1. Unde Ambroſius: *Hoc conſtitutum eſt*, inquit, *à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere* (nempe jejunii vel alterius rei) *ſola fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum.*

Jejunii finis uſus & fructus. Alii igitur ſunt fines, uſus & fructus jejunii, quàm ut aliquid à Deo promereatur. PRIMO facit ad macerandam, ſubigendam ſeu affligendam & caſtigandam carnem, ne laſciviat, ſeu ut caro ſpiritui ſubjiciatur, ne corpus ut a-
Pſ.109.24. nimæ jumentum, quemadmodum veteres loquuntur, nimis delicata tractatione obeſum & ferox factum mẽtem obruat, & ſpiritui recalcitret, ut Iſraëlitis Deut. 32.15. accidiſſe dicitur. Ideò Eſdræ 8.21. hunc in finem jejuniũ
1.Cor.9.27. expreſſe indictum ſcribitur *ut affligeremus nos coram Domino.* Et Paulus, *Contundo*, inquit, *corpus meum & redigo in ſervi-*
Joel. 2. Jon. 3. *tutem*, tum animæ, tum Spiritus. Ac credentes Veteris Teſtamenti carni cum cibo conſueto alia quoque omnia ſubtraxerunt, quibus hanc delectari & petulantiorem fieri ſentiebant: nimirum ut ſpiritui minùs adverſari poſſit. Et hunc finem S. Auguſtinus reſpicit, quando ait: *Non quæro, quo cibo abſtineas, ſed quo cibo delecteris.*

DEINDE, quia carnis cogitationes ferè precantibus obrepunt, & animi devotionem impediunt, jejuniis quaſi præparatione quadam ad preces utendum eſt, quo eæ ardentiores & attentiores fiant. Huc pertinet conſociatio orationis & jejunii, quod in Scripturis frequenter conjunguntur. Nam Joëlis 2.17. primò jejunium verum indicitur, deinde formula quoque orationis præſcribitur. Et Math. 19.21. ait
Dominus de dæmonio: *Hoc genus non e-* Luc.2 37.
greditur, niſi per orationem & jejunium Ac 1.Cor.7.4. 1.Cor.7.5.
Paulus conjugibus rationem ſeſe gerendi in arctioribus & durioribus rerum difficultatibus exponens, ſuadet, ut communi cum conſenſu alter ab altero ſecubet ad tempus, quo vacent jejunio & precibus; & ſimul tamen rurſus conveniant, ne tentet eos Satan ob incontinentiam. Exemplum quoque præclarum præbet Anna Propheteſſa, de qua Lucas cap. 2 37. prædicat, *quod, non diſceſſerit de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens.*

TERTIO, demonſtranda eſt jejunio reſipiſcentia noſtra in peccatis cõmiſſis, quibus iram & pœnam Dei provocavimus, ut cervicibus impendeat. Sic enim contritionem & humiliationem animi noſtri teſtamur, qua inter precandum & pœnitentiam agendam omnino opus eſt. Nam Iſaiæ 57.15. ait Deus: *Excelſum & ſanctum locum habito, & cum contrito ac humili ſpiritu, ut vivi-*

ficem

Digitized by Google

ficem ſpiritum humilium & contritorum. Et Pſalm. 51.19. *Sacrificia Domino ſpiritus confractus, cor contritum & comminutum Deus non deſpicies*. Quapropter Veteris Teſtamenti fideles, non ſolùm à cibis abſtinebant, verùm etiam veſtes ſcindebant, ſaccis induebantur, humi cubabant, terram & cineres capitibus inſpergebant, de cunctis inſtitutis ac operis, gaudiis, delitiis, voluptatibúsque remittebant? & alia hujus generis faciebant, quæ luctum, contritionem, ſubmiſſionemq; animi teſtabantur. Et

Joël.2.12. huncper Joëlē prophetam Deus commēdavit dicēs: *Sed & nunc dicit Dominus, convertimini uſque ad me in toto corde veſtro, cum jejunio fletu & lamento. Et ſcindite cor veſtrum, & nō veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum*.

Jejunii forma vera. Quibus clarè tria junguntur. *Unum* requiri ad verum jejunium quidem externam humiliationem in ſacco, lachrymis & hujuſmodi feriæ pœnitentiæ ſignis ac ceremoniis. *Alterum*, ſed verum jejunium & ſeriam ſalutiferamque pœnitentiam non in iis eſſe poſitam: quum ſint tantummodò ejus accidentia. Et hæc eſt argumentatio Papiſtarum & hypocritarum. *Quibus in rebus ſacra Scriptura jejunium ponit, in iis omnino conſiſtit. At ſacra Scriptura jejunium ponit in ſacco, cinere, luctu & lamento, &c, Ergo jejunium in his externis rebus conſiſtit*. Ubi majorem non negamus. Minorem autem limitamus. Nam etſi Dan.9.3. Joël 2.12. Joſ.7 6. 1. Reg.21. 27. Jonæ 3.8. iſta externa jejunii opera

Calvinus lib.3. c.4. Inſtitut. & exercitia requiruntur, tamen nondū ſunt vera jejunii natura & ſubſtantia vel forma, ſed tantùm accidens jejunii. Quare etiam à Chriſto Math.6.16. ex Joëlis 2,12. ſi nudè abſque interna forma peragi ſolent, reprehenduntur, & hypocritis ſolummodò tribuuntur. *Tertium* itaque, utpote vera jejunii eſſentia ſeu natura & forma additur, nempe ut *ut cor ſcindatur, & in contritione ejus ac humilitate vera & non fucata converſio ad Deum* à peccatis, iræ divinæ cauſis, inſtituatur & *fiat*. Hocque veram *Joël 2.12.13.* jejunio formam dare, Propheta aſſerit. Eodem reſpicit Chriſtus dicens: *Quum* *Math.6, 16.17.* *autem jejunatis, ne ſitis ut hypocritæ tetrici, obſcurant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunare. Amen dico vobis, referunt mercedem ſuam. Tu verò cum jejunas, unges caput tuum, & faciem tuam lava. Ut ne appareas hominibus jejunare, ſed Patri tuo, qui eſt in occulto. Et Pater tuus, qui aſpicit in occulto, reddet tibi in propatulo*. Nā 1. Phariſæi & eorū ſectatores, aliæq; ſectæ ante Chriſtum natū inter Judæos exortæ non contenti jejuniis, quæ vel ſponte ipſi ſuſcipiebant, quando opus erat, aut quæ neceſſitas publica exigebat, certos & ſtatos jejuniorū dies inſtituerunt, & hos quidem admodū frequētes, ut ex eorum verbis apparet. Nam *Luc.18.13.* apud Luc. Phariſæus ſuorum operū catalogū recenſens ait: *Jejuno bis in hebdomade*. Deinde, ut veri Patrum imitatores putarentur, *tetrici & auſteri erant* (ut in præſenti eis Chriſtus exprobrat) *& facies ſuas aſcititia quadam triſtitia obſcurabant*, quaſi hæc jejuniis ipſorum gratiam & ſanctimoniam majorem apud Deum conciliaret. Finis verò illis propoſitus fuit, *non ut carnem ſubigerent* (nā intus turgebant ſuperbia & ambitione, ardebant odio, horrebant rapinis *Math.23.* & cædibus) *non ut ardentius & rectius precarentur* (nam preces quoque illorū

Fuca-

Digitized by Google

fucatas fuiſſe, & inanis garrulitatis plenas ſuprà Mathæi 6 ℣.5.6.7.&c. indicatur) *multò minùs ut in Dei conſpectu humiliarentur, déque pœnitentia ſeriò agenda cogitarent* (nam ut hominibus aliis ſeſe pręferebant, ita juſtitiam ſuam adverſus Deum ipſum extollebant, adeoque per propriam ſe ſalutem conſequututos, ac ideò Chriſto ſervatore ſibi opus eſſe minimè opinabantur) ſed ut hominib. apparerent jejunare, Deique gratiam abundantiorem promererentur, ut ex Math 6.16. Luc.18.11.12.13.14. conſtat. Quin ut populi applauſum per fucatæ ſanctimoniæ exiſtimationem captabant: ita eâdem occaſione quæſtum majorem facere turpi ſacrorum ſimul & ſuorum operum nundinatione, quâ templum ipſum jampridem domum mercatus, imò ſpelũcam latronũ fecerant, ſolebant: quod ex Matthæi 23 & 15. cap. 5.7.8. patet.

Math.5.20.

Vult ergo Chriſtus, ne veri fideles ita more hypocritarum vultu, habitu & moribus auſteritatem præ ſe ferant: verùm iſtis omiſſis, diſciplinam jejunii hilares in ſe recipiant, humileſque exequantur, ſed diſſimulent, ne cui appareat, eos ſibiipſis diſciplinam ſeveriorem adhibere. Quin non inviti carnẽ ſubigant, ſed potiùs gaudeant ſibi ejus caſtigandæ & emendationis vitæ ſuæ teſtificandæ occaſionem atque facultatem dari, ut ſe totos Chriſto ſponſo ſuo conſecrent, & huic uni vivant.

Jejunii uſus & finis à Patribus declaratur.

Hanc jejunandi formam & finem Patres quoque oſtendunt. EPIPHANIUS in fine Panarii contra hæreſes: *Non ut gratiam,* inquit, *& beneficium exhibeamus ei, qui pro nobis paſſus eſt, jejunium nobis conſtitutum eſt: ſed ut confiteamur ad noſtram ſalutem Domini paſſionem, quam pro nobis ille ſuſcepit.*

Hom.19. ad populum Antioch.

CHRYSOSTOMUS: Huc, inquit, *jejunium & quadrageſima, huc tot dierum ſacri conventus ſpectant, & auditio, huc preces & præceptiones, ut divinorum mandatorum diligenti meditatione, abſterſis omni ratione quas per univerſum annum contraximus peccatorum ſordibus, ſpirituali libertate freti, incruentum illud ſacrificium* (ſcilicet cœnam Dominicam, quæ commemoratio eſt ſacrificii Chriſti in cruce peracti, ac ideò commemorativum ſacrificium) *piè religioſéque participemus.* *Heb.13.15.*

Idem Tomo 4. homilia 3. fol.9. de jejunio à Propheta Joële & Ninivitis indicto atque præſtito multis diſſerẽs, ait: *Videamus quid tandem ſit, quod inevitabilem illam iram ſolverit. Num jejunium ſolum & ſaccus? Non eſt dicendum. Sed totius vitæ mutatio. Unde hoc manifeſtum. Ab ipſis Propheticis verbis. De Dei enim ira loquutus, & illorum jejunio, idem conciliationem dicens, & conciliationis cauſſam indicans, ſic inquit: Et vidit Deus opera ipſorum.* *Jona.3.10.* *Qualia opera? Quod jejunaverunt? Quod ſaccum induerunt? Nihil horum. Sed hæc omnia tacens, intulit: Quoniam converſus eſt quiſque à viis ſuis malis, pœnituit mali, quod dixerat facere ipſis Dominus. Cernis, quod non jejunium periculo eripuit, ſed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & benevolum reddidit? Hæc dixi: Non ut jejunium contemnamus: ſed ut jejunium honoremus. Honor enim jejunii* NON CIBORUM ABSTINENTIA, SED PECCATORUM FUGA. *Jejunas? Demonſtra mihi per ipſa opera. Qualia,* inquis, *opera? Si pauperem videris, miſerere.* *Iſa.58.5.6.7.8.* *Si inimicum videris, conciliare. Si amicum laudabiliter agentem videris,*

Digitized by Google

ris,ne invideas. Si mulierem videris ſpecioſam,tranſcende. Non enim os tantùm jejunet,ſed & oculus,& auditus,& pedes,& manus,& omnia corporis noſtri membra. Jejunent *manus à rapina & avaritia munda.* Jejunent pedes ad illicita ſpectanda curſum reprimentes. Jejunent oculi, diſcentes nunquam formoſis obtutibus inſilire: nec alienas curioſè pulchritudines ſpectare. Cibus enim oculorum ſpectatio: ſed ſi illegitima ſit & prohibita, jejunio nocet, & omnem animæ ſalutem ſubvertit: ſi verò legitima & conceſſa, ornat jejunium. Etenim abſurdiſſimum eſſet, cibis & cōceſſa abſtinere eſca per jejunium, oculorum verò prohibitam attingere. Non comedis carnem? Neque laſciviam per oculos haurias. Jejunet & AURIS. Aurium autem jejunium, detractiones & calumnias non ſuſcipere. Auditum enim vanum non ſuſcipit, inquit. Jejunet quoque os à verbis turpibus & cōvitio. Quæ enim utilitas, quum avibus quidem & piſcibus abſtineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi autem carnem momordit. *Propterea & Paulus terruit dicens: Si autē vos invicem mordetis & comeditis, videte ne invicem conſumamini. Non infixiſti dentes carni: ſed animæ maledictum, improbam ſuſpicionem infixiſti, vulneraſti, & teipſum, & illum & alios plures, &c.* Ac aliquantum poſt: *Eliminemus igitur,* inquit, *omnem ex ore noſtro detractionem, ſcientes, quod & ſic cinerem comedamus. Nulla nobis aſpera vita hujus utilitas proderit, niſi detractione abſtineamus. Non enim quæ intrant, coinquinant hominem, ſed quæ exeunt ex ore.* Et fol. 10. deinceps: TRIA *vobis mandata commendare volo, ut hæc mihi in jejunio præſtetis.* Ut *nemini detrahatis, inimicum habeatis neminem: & omnem prorſus ex ore malam juramentorum conſuetudinem expellatis.* Hæc Chryſoſtomus.

Gal 5.15.

Quæ volui de verbo ad verbum lōgiùs recitare ex iſto Patre ſanctiſſimo, ut evidentiùs conſtet, veteres ab Apoſtolorum tempeſtate eundem jejunii uſum, finem, atque effectum nobiſcū, nulla meriti mentione facta, inculcare.

AUGUSTINUS enim & iiſdem aſtipulatur, & clariùs mentem eorundem exponit, ſcribens: *Quædam bona propter ipſa expetēda ſunt, ut ſapientia: quædam propter aliud, ut* JEJUNIUM: *quod tum probatur, quando eo refertur, ut carnis petulantia coërceatur.*

Lib. de bono conjugii.

Concordes etiā in hoc eſſe noſtros Doctores, præſertim Calvinum & Lutherum, ſuprà ex inſtitutione Calvini intelleximus, & nunc è Luthero cognoſcemus. Hic enim dicit eodem ferè, quo Calvinus, modo: *Omnino per jejunium corporis caſtigatio & moderatio nobis commendatur, ubi ſanctus Paulus dicit:* CASTIGO CORPUS ET IN SERVITUTEM REDIGO. *Sed nequaquam eo animo ſuſcipiendum eſt, quaſi aliquid per ea velis vel ſalutis, vel juſtitiæ meritum putare: ſed duntaxat ad caſtigandum corpus & commodandum proximis. Atque hoc pacto verè ſervis in jejunio tuo Deo, dum illud gratuitò in honorem ipſius, ad extinguenda peccata & domandum carnem ſuſcipis. Qui edendo jejunant, carnem ſuam citiùs irritant, quàm domant.*

Lection. Evang. die Dominico à natali Chriſti proximo.

1.Cor.9.25.

Papiſtarū autem de jejunii effectu atque uſu meritorio opiniones, ipſi quidem Doctores Papiſtici apertè redarguunt.

Digitized by Google

arguunt. Henricus enim Pererius: *Quartum genus abſtinentiæ*, inquit, *hodie colunt multi* PERVERSA RATIONE, *quippe vel errore opinionis exiſtimant, ſummam perfectionis Chriſtianæ in unius abſtinentiæ cultu & exercitatione contineri, vel hominum laudem aucupantur, ut incautis & ſimplicibus falſa ſua dogmata faciliùs perſuadeant.*

Comment. in Daniel.

Lib Conſult. art. 16. CASSANDER: *Et diffi endum non eſt*, inquit, *nonnullos fuiſſe homines* SUPERSTITIOSOS *& imperitos, qui hujuſmodi Eccleſiæ ritibus, ad ſalutem hominũ factis, ad tyrannidem & conſcientiarum laqueum abuſi ſunt. Atque etiam ex vulgo multi in earum obſervatione fiduciam collocarunt. Nec defuêre, qui eas etiam divinis præceptis anteponerent. In quos rectè torqueri illud Chriſti poſſit: Fruſtrà me colunt docentes mandata hominum.* Math. 15. 9.

In 1. Cor. 8. ERASMUS denique: *Nihil pietatis*, inquit, *aut addit aut adimit ciborum delectus.* SUPERSTITIOSUM *facere poteſt, pium non poteſt.*

Col. 2. 16. 1. Cor. 8. 8. Quidni enim, quum Apoſtolus dicat: *Nemo vos judicet ob cibum & potum.* Item: *Eſca nos non commendat Deo: neque ſi veſcamur, abundantiores ſumus, neque ſi nõ veſcamur, quicquam nobis deeſt.* Et alibi: *Non regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium per Spiritum ſanctum.* Rom. 14. 27.

Jejunii ſummaria declaratio. Cæteris autem, qui contendunt delectum ciborum & abſtinentiam à carnibus ac aliis eſculentis in perſona legitimè præparata, prorſus eſſe partem cultus divini, expreſsè dicimus tot ſacræ Scripturæ & Patrum ac recentiorum argumentis convicti, eſſe rem indifferentem in ſeipſa, ac proinde nequaquam partem aliquam cultus divini. Quod ſi tamen legitimè uſurpetur, ſentimus & dicimus eſſe adjumentum & præparationem quandam noſtri ad cultum Deo meliùs & decentiùs præſtandum, idque quia corpore ſubacto jejuniis aptiores ad ſerviendum Deo ac precandum ſumus. Unde etiam quidam doctiorum inter Papiſtas concedunt: Non opus jejunii operatum (ut loqui ſolent) ſed devotionem jejunantis reputandam eſſe pro parte cultus Dei.

Qui autem inſuper pertinaciter aſſerunt & credunt, jejunium eſſe opus ſatisfaciens juſtitiæ Dei pro pœnis tẽporalibus aut æternis peccatorum noſtrorum, eos manifeſtè horribiliter in Chriſtum contumeliam jacere dicimus: qui eſt perfecta & integra ſatisfactio pro peccatis noſtris, tam reſpectu pœnæ quàm culpæ. 1. Joh. 2. 2. 2. Cor. 5. 19. Rom. 3. 22. 24. cap. 5. 18. 19. 18. 34.

Maximè hîc Adverſarii rurſus objiciunt exemplum Ninivitarum & Achabi, qui jejunio indicto & obſervato iram Dei per Prophetas denunciatã averterunt. *Sed reſpondemus* ad prius ex Chryſoſtomo, iram Dei contra Ninivitas placatam fuiſſe non per ipſorum jejunium: ſed per pœnitentiam & fidem ſinceram manu quodammodo injecta miſericordiæ Dei in Chriſto, atque ita per hunc judicio Dei ſuſpenſo. Jejunium autem ipſorum non fuit, niſi externum reſipiſcentiæ indicium. Reſipiſcentia autem & ſignum & fructus eſt fidei, quia illi prædicationi Jonæ crediderunt. Humiliatio verò Achabi 1. Reg. 21. ℣. antipenult. nihil facit ad rem: erat enim mera hypocriſis. Quomodo ſi & ipſi Adverſarii quicquam

quam poſſunt luctari, licet experian-
1. Reg. 21. tur. Adhæc non ſublatæ, ſed dilatæ fuerunt Achabi pœnæ, quæ poſtea palàm ſunt ſequutæ. Verùm, ut concedamus juxta hanc objectionem, aliquid Achabo contuliſſe ſuum jejunium: tamen oſtendit tantùm, Deum ſe miſericordem ac beneficum etiam erga impios judicia ſua extimeſcentes & pœnitentiam ſimulantes præbere, ut eiuſmodi beneficia documẽto ſint, quàm grata acceptaque illi ſit vera reſipiſcentia.

Et quum hæc de jejunii ratione ac merito ita ſe habeant, annon verum eſt, nos abſque hæreſeos labe in iis Joviniano conſentire? Et quod addit Bellarminus: *Arguit Calvinus omnes veteres, quod laudaverint jejunium, quaſi eſſet meritorium*, falſum eſt. Nam contra Calvinus eò *Manichæos* reprehendit, quod jejunia meritoria eſſe ſtatuerent. His Patribus, credo, Bellarminus non gloriabitur. At quoniam & ipſe & Papiſtæ omnes pro merito jejunii pugnãt non minùs ac Manichæi hæretici veri, ea propter tam hæretici ſunt Papiſtæ, ac Manichæi, quos hæreticos fuiſſe negare non poſſunt.

De aliis veteribus autem ſic ait Calvinus: *Tertius error non adeò quidem impius, periculoſus tamen tanquam unum ex præcipuis officiis moroſius ac rigidius exigere ac immodicis encomiis ſic extollere, ut homines ſe aliquid eximium feciſſe putẽt, quum jejunaverint. Quia in parte non in totum excuſare audeo veteres*(non dicit ut Bellarminus, omnes) *quin & ſuperſtitionis quædam ſemina jecerint, & occaſionem præbuerint tyrannidi, quæ poſtea exorta eſt.* Non ergo tam veteres reprehendit, quàm poſteros *κακοζήλους*. Qui demegorica illorum gravitate ad ſuperſtitionem ac tyrannidem ſuam conſtabiliendam abuſi ſunt: nec tam ipſos, quàm iniquos ipſorum interpretes arguit.

Eadem planè & confeſſionis Auguſtanæ & locorum Philippi ratio. Nam illa ſic habet poſt negotium de diſcrimine ciborum orthodoxè expoſitum. *Hic objiciunt Adverſarii, quod noſtri prohi-*
beant diſciplinam & mortificationem carnis Jejunii ſuperſtitioſi negatio an prohibeat diſciplinam.
ſicut JOVINIANUS. *Verum aliud deprehendetur ex ſcriptis noſtrorum. Semper nã que docuerunt de cruce quod Chriſtianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc eſt vera & ſeria non ſimulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri & crucifigi cum Chriſto. Inſuper docent quod quilibet Chriſtianus debeat ſe corporali diſciplina, aut corporalibus exercitiis & laborib. ſic exercere & coërcere, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandum. Non ut per illa exercitia* Mereamur *gratiam aut ſatisfaciamus pro peccatis, & hanc corporalem diſciplinam oporteat ſemper urgeant, non ſolem paucis & conſtitutis*
diebus. Sicut Chriſtus præcepit, Cavete ne Luc. 21. 34.
corpora veſtra graventur crapula. Item: Hoc Math. 17.
genus dæmoniorum non ejicitur niſi jejunio 21.
& oratione. Et Paulus ait: Caſtigo corpus meum & redigo in ſervitutem. Ubi clarè oſtendit, ſe ideo caſtigare corpus, non ut per eã diſciplinam mereatur remiſſionem peccatorum ſed ut corpus habeat obnoxium & idoneum ad res ſpirtuales, & ad faciendum officium ſecundum relationem ſuam. Itaque nõ damnantur ipſa jejunia, ſed traditiones, quæ dies certos præſcribunt, cum periculo conſcientiæ, tanquam iſtiuſmodi opera ſint neceſſarius cultus. Sic Auguſt. Confeſſio. Vide etiam Confeſſionem B. zæ de Eccleſia ſect. 40. p. 156. & ſect. 41. p. 157.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò hæreticus habetur & ab aliis & à Bellarmino Jovinianus, quia docuerit: *Conjugium virginitati dignitate & merito æquari.* ut teſtetur de eo Auguſtinus hæreſi 82. & Hieronymus lib. 1. & 2. contra Jovinianum. Et addit Jeſuita *Sic Lutherus conjugatum coram Deo præſtare virginibus, & ſtatum conjugatorum velut durum, cœlibatum veluti lutum æſtimat, in Epithalam. Similia Calvinus & alii,* &c.

3. *Conjugium virginitati dignitate æquare Jovinianum & Euangelicos jure ac merito.*

RESPONDEMUS: Sic etiam Paulus 1. Cor. 7. 2. 9. Heb. 13. 4. Sic Chriſtus Math. 19. 4. 5. 6. Math. 10. 6. 7. 8. 9. Cur ergo non etiam Jovinianus, Lutherus, Calvinus? Cur non nos omnes ita ſentiremus & profiteremur?

Dan 11. 37. Annón Deus per Danielem diviniſſimum vatem, ut à virginitate aut cœlibatu matrimonium haud ſuperari dignitate doceat, prædicit legem de prohibitione conjugii propriam fore tyrannidis *Antichriſti*, quem ait dominaturum in Eccleſia, nec Deum, *nec mulieres* (nempe in conjugii honeſto uſu) *curaturum*, ſed fœdis & inceſtis libidinibus Eccleſiam eſſe contaminaturum.

1. *Tim.* 4. 3. Annón Paulus Apoſtolus ſelectiſſimus, ut matrimonium dignitate non inferius aut minus eſſe virginitate ac cœlibatu oſtendat, dicit prohibitionē conjugii eſſe doctrinam dæmoniorum?

Ad Philadelphienſes Unde Apoſtolico proſſus ſpiritu ab Ignatio dicitur: *Si quis Deum & Chriſtū confitetur corruptionem autem immunditiē vocet legitimam conjugii mixtionem & liberorum procreationem, aut cibos quoſdam abominabiles, talis habet incolam ſeu inhabitatorem Draconem illum Apoſtatam.*

Et idem virginitatem quidem extollit, ſed ut interea matrimonium minimè deprimat. Nam *Gratulor vobis*, inquit *virgines ſanctimoniam, ut Heliæ, Joſuæ Melchiſedech, Eliſæi, Jeremiæ, Baptiſtæ, Johannis, Timothei, Titi, Enochi, Clementis, qui cœlibes vixerunt.* Verum mox addit: *Horum facta à me mentio eſt non quo vituperatos velim reliquos ſanctos, qui nuptiis copulati fuerunt. Opto enim Deo dignus ipſorum veſtigiis inveniri in regno Dei ut Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Joſephi, Eſaiæ & aliorum Apoſtolorum, qui in conſuetudine conjugali vixerunt.*

Poſtponit autem grex Papiſtarum conjugium virginitate equo, Bellarminus potiſſimum ſub finem capitis 28. de Monachis duabus nititur argumentis. Harum *prima* ex dignitate continentiæ, *ſecunda* ex utilitate vovendi ſumitur. Sed utraque non ſolùm infirma eſt, verùm etiam inepta ac inſulſa. *Cœlibatū conjugio præſtare rationibus duabus Papiſta docet.*

Primò, non eſt verum, vel cœlibatū vel virginis ſtatum præſtare conjugio ſi ſimpliciter & in ſe conſideres. Iis enim qui non poſſunt continere, diſertiſſimè dicitur à Spiritu divino; præſtare *ut nubant, quàm urantur.* Et Clemēs Alexandrinus inquit: *Εὐνουχία ſeu continentia à conjugio non eſt bonum nec ex virtute, niſi fiat propter dilectionem Dei.* At plerunque à Monachis, Sanctimonialibus, ſacrificulis & eorum æqualibus non ob Dei dilectionem ſuſcipitur cœlibatus, ſed otii, voluptatis, rerum affluentiæ, ſuperſtitioniſque gratia. Nā quando optimi ſunt circa ceremonias contra verbū Dei inſtitutas occupantur, quæ ſola corporali exercitatione & idololatrica intentione conſtant, quam nihil aut parum utilitatis habere Apoſtolus teſtatur. 1. Tim. 4. 8. *1. Ratio & objectio 1.* *1. Cor. 7. 9.* *Strom. 3.*

Digitized by Google

poſſe: ſed omnes etiam baptiſmo regenitos, juſtificatos atque in gratiam fœdusque Dei receptos, aliquando in delicta & peccata labi agnoſcimus. Deinde, ut nemo noſtrûm unquam docuit, omnes quum baptizantur, vera ac viva fide præditos eſſe: ſic qui vera ac viva fide donati ſunt, eam amittere non poſſe, etiamſi poſt baptiſmum verè acceptum peccent, cum ſacris Scripturis & Patribus ſanctis piè credimus, & ingenuè profitemur. Ac quantumvis in hac ſententia à Papiſtis hæreſeos condemnemur: tamen à S. Scriptura & S. Auguſtino, aliis peritis veritatis inveſtigatoribus & propugnatoribus abſolvimur.

II. *Jejunia non tollunt Euangelici, ſed diſcrimen ciborum, dierúmque, & meritum in iis negant jure cum Joviniano.*

Secundò (dicitur à Bellarmino lib. de notis Eccleſiæ, cap. 9. & in oratione poſt tractatum de bonis operibus) *Jovinianus docuit, ciborum delectum & jejunium non eſſe meritorium. Idem Calvinus inſtitut. lib. 4. c. 12. § 19. & confeſſio Auguſtana art. de diſcrimine ciborum.*

Et lib. 2. de bonis operibus, cap. 5. ubi hæreſes circa ciborum delectum enumerat, dicit: *Hæreſis Nicolaitarum & Valentinianorum, qui nullos omnino cibos, neque in perpetuum, neque omnibus, neque quibuſdam, neque abſolutè, neque certa de cauſſa interdici patiuntur. Ad hanc claſſem pertinet* Jovinianus, *& hujus temporis hæretici*, Calvinus, Brentius.

At cap. 11. ejuſdem lib. agens de fructibus & utilitate jejunii, quæ ab Euãgelicis iſto modo, quo Papiſtæ ſentiũt, negatur, dicit: *Proteſtantes ſequuti ſunt Patriarcham ſuum Jovinianum.*

Respondemus ergo: In iis, in quibus ex Dei verbo rectè ſenſit Jovinianus, quis non illi aſſentiatur? Hujuſmodi autem eſt ſententia ejus de jejunio. Ille enim & nos Euangelici circa id triplicis criminis inſimulamur: videlicet, quod ipſum jejunium, modum ejus, ac meritum ejuſdem rejiciamus.

1. Jejuniũ ipſum nec Jovinianus nec Euangelici damnant.

Prioris inſimulatio, quaſi jejunium omne repudiemus, calumnia vel inanis perſuaſio eſt. Jovinianus enim ne ab Hieronymo & Auguſtino quidem accuſari videtur, quod jejunium in totum rejiciat, ſed tantùm ejus adjacentia. Calvinus reus ipſe ſe in inſtitutionib. loco à Bellarmino citato purgat. Nam inquit: *Jejunium commune ad diſciplinam, de qua nunc tractamus, pertinet, quoties de re aliqua magna Deo ſupplicandum eſt. Jejunium cum oratione indicare expediret, ut Scriptura oſtendunt, Act. 13. Nehem. 1. Hoc alacriores ad precandum reddimur. Imminente aut graſſante ulla calamitate Paſtorum officium eſt, hortari ad jejunium Eccleſiam, quo ſuppliciter iram Dei deprecemur. Hoc Dei gloria & publica ædificationis intereſt, tum etiam nobis ipſis utile, & ſalutare,* ut Joël. 2. Itaque tam privatum, quàm publicum jejunium Calvinus probat, ut & omnes Euangelici.

Harm. conf. ſect. 15. 16.

Commendant pari ſtudio jejunium verum Doctores omnes, idque etiam publicè in Harmonia confeſſionum noſtrarum profitemur. Legatur Apologia Auguſtana, Martyr, Muſculus, Aretius in locis communibus, de jejunio, &c. Pererius Jeſuita comment. in Rom. 1. cap. 14. diſput. 3. num. 20. ſcribit: *Philippus Melanchthon* Non Negat Jejunii *& rerum indifferentium* Observationem. Hoc nos proximè antecedenti capite etiam oſten-

Digitized by Google

oſtendimus: ubi & Aërium & Euangelicos ab hæreſi circa jejunium purgavimus.

Joviniani & Calvini ſententia de jejunio comparatur.

Si qua in re tamen Jovinianus hæreticè ſenſit, & ſi circa jejunium cenſetur Jovinianus & Calvinus conſentire, conferamus utriuſque ſententias è confeſſione ipſorum & Papiſtarum. Nam ampliùs de Calvino Bellarmin. lib.2. de bonis operibus, cap.3 ait: *Proteſtantes exiſtimant, in jejunio maximè à cibis lautioribus abſtinendum, & proinde meliùs eum jejunare, qui carne fumo durata, quàm qui piſcibus & variis condimentis gulam irritantibus utitur.* Et cap.2. in principio: *Calvinus vult, ut jejunium non ſolvatur, antequam res illa peracta ſit, cujus gratia ſuſceptum eſt, ut ſi propter ſolennem precationem ſuſcipiatur.*

Jam, ſi placet, Jovinianum & Calvinum inter ſe conferamus. Jovinianus ſenſit, *à nullis omnino cibis abſtinendum eſſe*, Calvinus, *imò à lautioribus maximè*. Ille *per nullum tempus*. Calvinus *per tempus ſupplicationis*. Jovinianus *neque omnibus, nec quibuſdam*. Calvinus *toti Eccleſiæ*. Jovinianus *neque abſolutè, neque certa de cauſſa*. Calvinus *quoties de re aliqua magna ſupplicandum eſt Deo*.

Quæ ſi ex ore & calamo Bellarmini de Joviniano excepta vera ſunt, erravit ſanè Jovinianus in nonnullis. Ut, quod per nullum tempus cenſuit à cibo abſtinendum, nec à nullis, &c. At cur iidem errores Calvino impinguntur, qui ab illis liber eſt? Qui ab Joviniani ſententiis erroneis δὶς διὰ πασῶν diſſentit? Cur Proteſtantes & Jovinianum Adverſarii ad eandem claſſem hæreticorum pertinere judicant? Calumnia certè eſt & mendacium jejunio ac pœnitentia expiandum. Hæc in genere.

1. Jejunii modum in delectu ciborum Jovinianus & Euangelici jure reprehendunt.

Nunc ad *modum* reſpondeamus. Eũ Deus in Scriptura novi Teſtamenti ita liberum relinquit, ut nec in obſervatione certi temporis, nec in ciborum, uti carnis, lacticiniorum, ovorum, leguminum piſcium, nec in vini, aquæ, cereviſiæ, aliuſque potus diſcrimine ac delectu collocatum velit; ſed tum gravi afflictione aut magno negotio premente, tum abſtinentia omni cibi à ſummo mane uſque ad crepuſculum veſpertinum peragi jejunium concedat. Col.2.16.16. Gal.4.10. & 5.1. Math.9.15. Levit.16.29. & 23.27. Act. 13.3. & 14.23. Math.6.17. Hoc modo nos Euangelici jejunium celebrare & ſolemus & docemus.

Eodem priſca Eccleſia Chriſti ab Apoſtolorum ætate jejunare conſuevit. Theodoretus in epitome divinorum decretorum: *Eccleſia*, inquit, *nec vini nec eſus carnium participationem prohibet. Et ideò alii quidem permiſſis à lege bonis & voluptatib. ſecurè fruuntur: alii verò ab iis abſtinent: nullus autem, qui ſapit & rectè ſentit, condemnat eum, qui comedit. Nam & abſtinentia & ejus participatio ſunt in mentis poteſtate.*

Auguſtinus de moribus Eccleſiæ ait: *Abſtinentias inſtitutas & menſas charitatis lege & ratione. Nec quenquam coactum, ut hoc vel illo cibo & potu non uteretur: ſed fuiſſe liberum, ut quiſque valetudinis rationem haberet.* *Lib.1. c.33.*

Primaſius in Rom. cap.14. *De jejunio lex non eſt poſita, ſed quomodo poteſt unuſquiſque & vult.*

Jejuniũ quadrageſimale fuit quondam obſervatum admodum ſeverè in

Digitized by Google

ſicco & aqua, ſine vino aut piſcibus. Teſte enim Epiphanio in fine Panarii, *veteres ſiccorum eſu utebantur*: id eſt, pane & ſale cum aqua. Et jejunatum eſt *à carnibus & vino*: ut Greg. Nyſſenus oratione de amandis pauperibus, ac Concil. Carthag. 4. cap. 85. ait: Hieronymus ad Lætam: *In jejuniis ab oleo & pomis abſtinebant*. Et in Epitaphio Paulæ, *à vino, liquamine, piſcibus, melle, ovis* jejunatum ſuo tempore ſcribit. Chryſoſtomus ſerm. de jejunio ait: *A vino & carne jejunare Eccleſiam*.

Micrologus cap. 49. inquit: *Nec juxta canones quadrageſimaliter jejunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimur*. Ergo Euangelici, quum hoc modo à veteri Eccleſia uſitato jejūnent, id eſt, liberè, nihil hæretici admittunt, ſed Catholicè agunt.

Jejunandi modus Papiſticus.

Papiſtæ quomodo ſe in jejunio gerunt? Ex adverſo. Unde non Euangelici, ſed Papiſtæ in jejunandi modo peccant. Probatur dilucidiſſimè ipſorummet Papiſtarum verbis, quibus de jejunio contendunt.

De bonis operibus lib. 2. cap. 5. in fine.

Bellarminus: *Proteſtantibus*, inquit, *non placet, quod abſtinentiam à carne, ovis, caſeo, jejunium dicimus. Reprehendunt in nobis delectum ciborum*. At prudens ſciénsque ille fallitur. Non enim omnem ciborũ delectum Euangelici reprehendunt. Nam idem Bellarminus lib. 2. de bonis operibus cap. 5. in initio: *Adverſarii*, inquit, *admittunt abſtinentiam in genere*, A NIMIO ET LAUTO CIBO. Quanquam omnimodam potiùs abſtinentiam ſuadent uſque ad veſperã, ex authoritate Levit. 16. 24 & 23. 27. quæ eſt valentibus lex jejunii ſacratiſſima. Ac nobis ſuffragatur Polydorus Virgilius, dicens: *In omni jejunio non tam à quo abſtineas, quàm à quo non abſtineas, quæri debet*. Et mox diſcrimen ac delectum ciborum introductum referens, ſubdit: *Eſt hic delectus abſque delectu*. Certè.

De rerum invent. in jejunio.

Primò, quod lautitias & vini hauſtũ indulgent Pontificii, & tamen Chriſtianis carnis ac lacticiniorum omniũ guſtu interdicunt. Fatetur hoc Bellarminus loco, quo ſuprà, dicens: *Finis jejunii eſt, corporis concupiſcentias edomare, neque Adverſarii* (Euangelici) *id negant. Jam Eccleſia noſtra non conſtituit regulam de lautitiis*. At mox: *Sed abſtinentiam præcepit carnium, ovorum, caſei*. At paulò poſt: *Non autem in frigidioribus regionibus vini, quod calefaciendo corpus incitat ad libidinem*.

In jejunio Papiſtarũ jejunium deſideratur.

Secundò, quod abſtinentia illa, quã obtrudunt Pontificii, obſervari ſine jejunio poſſit. Toletus enim lib. 6. de inſtruct. ſacerdotum cap. 3. *Aliquando*, inquit, *prohibentur caro & lacticinia, quũ tamen non eſt jejunium: ut in quadrageſima Dominicis*.

Tertiò, quia certi ciborum generis exactio in antiquis hæreticis damnabatur. Bellarminus enim: *Montaniſtæ*, inquit, *tempore jejunii cogebant homines ad cibos tantùm aridos ſumendos. Item feria quarta & ſexta jubebant omnes uſque ad veſperam jejunare. In his eos Catholici dicebant non rectè facere*. De quo vide ampliùs Tertullianum, ubi Montaniſta impugnans ſententiam Catholicorum de libertate cibi in jejunio, leges jejunii imponit.

Inde pedetentim mores cum temporibus à primæva puritate & ſimplicitate deflexerunt, ut mirum ſit tot & tantis

Digitized by Google

tantis gradibus id factum. Maldonatus enim: *Quod attinet ad ciborum delectum*, inquit, *ſemper in jejunio obſervatum eſt, ut ab iis abſtineatur, qui maximè finẽ jejunii impedire poterant.* ID MUTATIS TEMPORIBUS MUTATUM EST.

In ſummula q. 23. art. 2.

Jejunii genera 5.

1. *Nam perfectum & verum jejunium & quaſi exemplar omnium fuit aliud, quod ipſo nomine declaratur:* NIHIL COMEDERE. *Nam propriè eſſe jejunium,* EST NIHIL PRORSUS EDERE. *Tale jejunium Moſis, Pauli & aliorum* SINE CIBO ET

2. POTU. *Secundum genus jejunii inter Monachos uſitatum, nihil igni admotum edere,*

3. *ne panem quidem. Tertium, fuit panis &*

4. *aqua. Quartum, fuit magis* (en Papiſticum jejunium, potiùs convivium) DELICATUM, *conſtans ex oleribus, & leguminibus & pomis.* Hæc Maldonatus.

5. Addam quintum, quod fatetur etiã Papiſta & Jeſuita. Nam Johannes AZORIUS: *Certè negari non poteſt*, inquit, *conſueta Chriſtianorum jejunia carnium eſu & vini potu caruiſſe. At verò jam* (ô tempora, ô mores!) *in more poſitum eſt, ut cum piſcibus, herbis fructibus,* VINO *ſimiliter* UTAMUR. Lib. 7. Inſtit. cap. 21. § certè. Pariter Molanus teſtatur & monet: *Meminerint jejunaturi, majores noſtros jejunaſſe à vino & delitiis.* Rurſus de canonicis lib. 1. cap. 26. *Si ad veterem diſciplinam*, inquit, *atque rigorem reſpiciamus, vix ullus hoc tempore jejunare cenſebitur. Illi enim uſque ad veſperam jejunarunt, nos prandemus.*

In Practica Theolog. tract. 3. c. 11. n. 69.

Delicatam ergo hanc & vix ſobriã jejunandi novitatem faſtidiamus, & ſanctam atque antiquam imitemur tam à Verbo Dei quàm probatiorum Patrum choro ſancitam & præſcriptã. Commonefacit nos hujus Eraſmus, qui in 1. Corinth. 8. ſcribit: *Mihi purioris Chriſtianiſmi, magis coſentaneum Euangelica & Apoſtolica doctrina jejunium videatur, ſi nullum certum cibi genus præſcribatur.*

Jejunii igitur Papiſtici modus eſt ille quidem totus à verè priſca conſuetudine abſtractus, ac jejunii Chriſtiani nihil præter nomen habet. Nam ciborum delectum habere religionis cauſſa & dies certos ſtatosque præſcribere, in quib. neceſſariò jejunemus, alterũ inſanũ, alterũ ſuperſtitioſum eſt. Quis n. q judiciũ, omnemq; ſenſum amiſit, eũ jejunare exiſtimet, cui liceat, modò à carnibus abſtineat, in omnes ſeſe delitias ingurgitare? Aut quis jejunium ſextę quàm quartæ feriæ ſanctius arbitretur, qui non palam judaizat? Si Galatas Paulus reprehendit, *quod dies & menſes & tempora obſervarent*, num noſtros ille Papiſtas ferret, improbiùs & turpiùs hallucinantes? Si Coloſſenſes præmonuit, ne illorum ſuperſtitione caperentur, qui cibos quoſdam non guſtandos, non contractandos cenſerent, an ciborum Papiſticum delectũ probaret? Si certis cibis abſtinere diabolicum atque hypocriticũ olim eſſe ſtatuit, an nunc, ſi viveret, ſententiam mutaret? Pium eſſe diceret atque iſtam abſtinentiam Chriſtiano imperaret?

Luc. 18. 12.

Gal. 4. 10.

Col. 2. 21.

1. Tim. 4. 2.

Tuentur quidem ex Scripturis ſuũ jejunandi modum Papiſtæ exemplo *Moſis, Davidis, Heliæ, Danielis, Baptiſtæ & Apoſtolorum*: Sed quid obſecro id illorum jejunium veſtro Papiſtico ſimile habuit? Si enim jejunium in ciborum delectu & dierum præſcriptione verſatur, quemadmodum Papiſtę ſtatuũt, doceant & oſtendant illos aut carni- *Exod. 24.*

bus piſces prætuliſſe, aut hebdomodariis ac anniverſariis ſtatiſque jejuniis uſos eſſe. Nam Johannes perpetuum jejunium celebravit. Cæteri pro temporis ratione ipſaque occaſione jejunarunt, in quo non magis à carnibus, quàm piſcibus abſtinuerunt. Eſt igitur hæc fallacia παρὰ τὸ ἑπόμενον & λέξεως, &c. Hæc de modo.

3. Jejunii meritum Jovinianus & Euangelici merito rejiciunt.

Jam de *merito* diſſeramus. *Jovinianus* ait Robertus Bellarminus de Notis Eccleſiæ cap 9. hæreticus eſt, quod *docuit* non modò non eſſe habendum delectum jejuniorum, ſed *etiam jejuniũ non eſſe meritorium.* Ac ſic Calvinus & Proteſtantes Inſtit. cap. 8. §. 201. 202. 203. 204. 205. Confeſſio Auguſtana de Diſcrimine ciborum. Libro 2. autem de Bon. Operibus. cap. 11. ſcribit. *Proteſtantes obſtinatè contendunt jejunium nihil valere ad ſatisfaciendum pro peccatis, nihil ad impetrandum auxilium, nihil ad cœleſte præmium promerendum. Hæreſis Joviniana eſt.*

Lib Conſult. art. 16.

Sed Patronus in hoc adeſt Euangelicis Georgius CASSANDER, qui calumniam Bellarmini magna ex parte diluit. Scribit enim, *In confeſſiõne Saxonica: Proteſtãtes damnãt traditiones de rebus indifferentibus, quatenus iis accedit opinio meriti: Et Proteſtantium Principes apertè ſcribunt, ſe publicæ pacis cauſſa* STATA JEJUNIA *& hujuſmodi traditiones libenter obſervare velle, his conditionibus, ut doctrina Euangelii* DE JUSTIFICATIONE *per fidem Chriſti ſincerè tradatur, nec in illarum traditionum obſervatione fiducia collocetur.* Ex quibus quid proteſtantes ſeu Euangelici poſtulent vides, quo jure id velint attende.

Conqueruntur Papiſtæ Euangelicos more Joviniani hæretici ſtatuere ciborum diſcrimen & delectus non eſſe meritorium. RESPONDEMUS; An ciborum delectus eſt meritorius? Si affirmant, ſuperiora noſtra in præcedenti capite legant, quæ contra totum librum Bellarmini de JEJUNIO attulimus. Profectò ut diſcrimen dierum & delectum ciborum ineptum eſt jejunio Chriſtiano tribuere, ſic meritum ei ineſſe exiſtimare, eſt ineptiſſimum. Nam jejunare in eum finem, ut remiſſionem peccatorum mereare, ut delicta expies, ut vitam æternam adipiſcare, eſt jejunio abuti. Nos cum Joviniano libenter hac in re ſentimus, ſed tamen ut nec ille, ſic neque nos propterea hæretici ſumus. Veritatem hoc eſſe tum Verbum Dei, tum Patres pii, tum Pontificii quidam prudentiores teſtimonium ferunt.

Jejunii meritum evertitur Chriſti merito.

Unicum enim meritum paſſionis Chriſti, ad quam etiam eſuries & jejunium ipſius pertinet, acquirit ac meretur nobis perfectiſſimam peccatorũ condonationem & expiationem, Dei gratiam & auxilium, vitamque æternam. Ut Geneſ. 3. 15. *ipſum conteret ſerpẽtis caput.* Iſaias 53. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras, attritus eſt propter iniquitates noſtras; caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum, & livor ejus ſanitas fuit nobis.* Rom. 4. 25. *Traditus eſt propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter juſtificationẽ noſtri.* Ac Petrus 1. Epiſt. 2. 24. *Qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiæ viveremus: cujus vibice ſanati fuiſtis.*

Bell. lib. 2. de bonis operibus c. 11.

Regerunt Adverſarii: At jejunium eſſe mediorum & inſtrumentorum unum, quo ſatisfactionem Chriſti pro noſtris

Digitized by Google

noſtris peccatis nobis applicemus. Falſiſſimum. Inſtrumentum vel medium nobis hoc Chriſti meritum applicans eſt, FIDES Joh.3. cap.5. cap.6. cap. Act. 10.43. & 15.39. Atque cap.26. Act. v.18. teſtatur Chriſtus ſe Paulum Apoſtolũ elegiſſe: Ut *aperiat oculos Gentium, quo ſe convertant à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum, ut remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctificatos accipiant.* Per Fidem *quæ eſt erga ſe* Chriſtum. Ac Gal.3.2. *Ex operibus legis,* inter quę & jejunium eſt, *Spiritum accepiſtis, an ex fide per auditum percepta?* Ac reſpondet mox verſu 6.7. *Sicut Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam: ita noſtis, quod qui* EX FIDE *ſunt, ii ſunt Filii Abrahæ.*

Gen.15.6. Rom.4.7. Jac 2.13.

In 1. Cor. 1. Unde Ambroſius: *Hoc conſtitutum eſt,* inquit, *à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere* (nempe jejunii vel alterius rei) *ſola fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum.*

Jejunii finis uſus & fructus. Alii igitur ſunt fines, uſus & fructus jejunii, quàm ut aliquid à Deo promereatur. PRIMO facit ad macerandam, ſubigendam ſeu affligendam & caſtigandam carnem, ne laſciviat, ſeu ut caro ſpiritui ſubjiciatur, ne corpus ut animæ jumentum, quemadmodum veteres loquuntur, nimis delicata tractatione obeſum & ferox factum mẽtem obruat, & ſpiritui recalcitret, ut Iſraëlitis Deut.32.15. accidiſſe dicitur. Ideò Eſdræ 8.21. hunc in finem jejuniũ expreſſe indictum ſcribitur, *ut affligeremus nos coram Domino.* Et Paulus, *Contundo,* inquit, *corpus meum & redigo in ſervitutem,* tum animæ, tum Spiritus. Ac credentes Veteris Teſtamenti carni cum cibo conſueto alia quoque omnia ſubtraxerunt, quibus hanc delectari & petulantiorem fieri ſentiebant: nimirum ut ſpiritui minùs adverſari poſſit. Et hunc finem S. Auguſtinus reſpicit, quando ait: *Non quæro, quo cibo abſtineas, ſed quo cibo delecteris.*

Pſ.109.14. 1.Cor.9.27. Joel.2. Jon.3.

DEINDE, quia carnis cogitationes ferè precantibus obrepunt, & animi devotionem impediunt, jejuniis quaſi præparatione quadam ad preces utendum eſt, quo eæ ardentiores & attentiores fiant. Huc pertinet conſociatio orationis & jejunii, quod in Scripturis frequenter conjunguntur. Nam Joëlis 2.17. primò jejunium verum indicitur, deinde formula quoque orationis præſcribitur. Et Math.19.21. ait Dominus de dæmonio: *Hoc genus non egreditur, niſi per orationem & jejunium* Ac Paulus conjugibus rationem ſeſe gerendi in arctioribus & durioribus rerum difficultatibus exponens, ſuadet, ut communi cum conſenſu alter ab altero ſecubet ad tempus, quo vacent jejunio & precibus; & ſimul tamen rurſus conveniant, ne tentet eos Satan ob incontinentiam. Exemplum quoque præclarum præbet Anna Propheteſſa, de qua Lucas cap.2.37. prædicat, *quod, non diſceſſerit de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens.*

Luc.2 37. 1.Cor.7.4. 1.Cor.7.5.

TERTIO, demonſtranda eſt jejunio reſipiſcentia noſtra in peccatis cõmiſſis, quibus iram & pœnam Dei provocavimus, ut cervicibus impendeat. Sic enim contritionem & humiliationem animi noſtri teſtamur, qua inter precandum & pœnitentiam agendam omnino opus eſt. Nam Iſaiæ 57.13. ait Deus: *Excelſum & ſanctum locum habito, & cum contrito ac humili ſpiritu, ut vivifi.em*

Digitized by Google

ficem ſpiritum humilium & contritorum. Et Pſalm. 51. 19. *Sacrificia Domino ſpiritus confractus, cor contritum & comminutum Deus non deſpicies.* Quapropter Veteris Teſtamenti fideles, non ſolùm à cibis abſtinebant, verùm etiam veſtes ſcindebant, ſaccis induebantur, humi cubabant, terram & cineres capitibus inſpergebant, de cunctis inſtitutis ac operis, gaudiis, delitiis, voluptatibúſque remittebant? & alia hujus generis faciebant, quæ luctum, contritionem, ſubmiſſionemq; animi teſtabantur. Et hunc per Joëlé prophetam Deus commēdavit dicēs: *Sed & nunc dicit Dominus, convertimini uſque ad me in toto corde veſtro, cum jejunio fletu & lamento. Et ſcindite cor veſtrum, & nō veſtimenta veſtra. & convertimini ad Dominum Deum veſtrum.*

Joël 2. 12.

Jejunii forma vera.

Quibus clarè tria junguntur. *Unum* requiri ad verum jejunium quidem externam humiliationem in ſacco, lachrymis & hujuſmodi ſeriæ pœnitentiæ ſignis ac ceremoniis. *Alterum*, ſed verum jejunium & ſeriam ſalutiferamque pœnitentiam non in iis eſſe poſitam: quum ſint tantummodò ejus accidentia. Et hæc eſt argumentatio Papiſtarum & hypocritarum. *Quibus in rebus ſacra Scriptura jejunium ponit, in iis omnino conſiſtit. At ſacra Scriptura jejunium ponit in ſacco, cinere, luctu & lamento, &c, Ergo jejunium in his externis rebus conſiſtit.* Ubi majorem non negamus. Minorem autem limitamus. Nam etſi Dan. 9. 3. Joël 2. 12. Joſ. 7 6. 1. Reg. 21. 27. Jonæ 3. 8. iſta externa jejunii opera & exercitia requiruntur, tamen nondū ſunt vera jejunii natura & ſubſtantia vel forma, ſed tantùm accidens jejunii. Quare etiam à Chriſto Math. 6. 16. ex Joëlis 2, 12. ſi nudè abſque interna forma peragi ſolent, reprehenduntur, & hypocritis ſolummodò tribuuntur. *Tertium* itaque, utpote vera jejunii eſſentia ſeu natura & forma additur, nempe ut *ut cor ſcindatur, & in contritione ejus ac humilitate vera & non fucata converſio ad Deum* à peccatis, iræ divinæ cauſis, inſtituatur & *fiat*. Hocque veram jejunio formam dare, Propheta aſſerit. Eodem reſpicit Chriſtus dicens: *Quum autem jejunatis, ne ſitis ut hypocritæ tetrici, obſcurant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunare. Amen dico vobis, referunt mercedem ſuam. Tu verò cum jejunas, unges caput tuum, & faciem tuam lava. Ut ne appareas hominibus jejunare, ſed Patri tuo, qui eſt in occulto. Et Pater tuus, qui aſpicit in occulto, reddet tibi in propatulo.* Nā 1. Phariſæi & eorū ſectatores, aliæq; ſectæ ante Chriſtum natū inter Judæos exortæ non contenti jejuniis, quæ vel ſponte ipſi ſuſcipiebant, quando opus erat, aut quæ neceſſitas publica exigebat, certos & ſtatos jejuniorū dies inſtituerunt, & hos quidem admodū frequētes, ut ex eorum verbis apparet. Nam apud Luc. Phariſæus ſuorum operū catalogū recenſens ait: *Jejuno bis in hebdomade.* Deinde, ut veri Patrum imitatores putarentur, *tetrici & auſteri erant* (ut in præſenti eis Chriſtus exprobrat) *& facies ſuas aſcititia quadam triſtitia obſcurabant,* quaſi hæc jejuniis ipſorum gratiam & ſanctimoniam majorem apud Deum conciliaret. Finis verò illis propoſitus fuit, *non ut carnem ſubigerent* (nā intus turgebant ſuperbia & ambitione, ardebant odio, horrebant rapinis & cœdibus) *non ut ardentius & rectius precarentur* (nam preces quoque illorū

Joël 2. 12. 13.

Math. 6. 16. 17.

Luc. 18. 12.

Math. 23.

Calvinus lib. 3. c. 4. Inſtitut.

Digitized by Google

ſucatas fuiſſe, & inanis garrulitatis plenas ſuprà Mathæi 6 ✝.5.6.7. &c. indicatur) *multò minùs ut in Dei conſpectu humiliarentur, déque pœnitentia feriò agenda cogitarent* (nam ut hominibus aliis ſeſe præferebant, ita juſtitiam ſuam adverſus Deum ipſum extollebant, adeoque per propriam ſe ſalutem conſequuturos, ac ideò Chriſto ſervatore ſibi opus eſſe minimè opinabantur) ſed ut hominib. apparerent jejunare, Deique gratiam abundantiorem promererentur, ut ex Math 6.16. Luc.18.11.12.13.14. conſtat. Quin ut populi applauſum per ſucatæ ſanctimoniæ exiſtimationem captabant: ita eâdem occaſione quæſtum majorem facere turpi ſacrorum ſimul & ſuorum operum nundinatione, quâ templum ipſum jampridem domum mercatus, imò ſpelũcam latronũ fecerant, ſolebant: quod ex Matthæi 23. & 15. cap. 5.7.8. patet.

Math.5.20.

Vult ergo Chriſtus, ne veri fideles ita more hypocritarum vultu, habitu & moribus auſteritatem præ ſe ferant: verùm iſtis omiſſis, diſciplinam jejunii hilares in ſe recipiant, humileſque exequantur, ſed diſſimulent, ne cui appareat, eos ſibiipſis diſciplinam ſeveriorem adhibere. Quin non inviti carnẽ ſubigant, ſed potiùs gaudeant ſibi ejus caſtigandæ & emendationis vitæ ſuæ teſtificandæ occaſionem atque facultatem dari, ut ſe totos Chriſto ſponſo ſuo conſecrent, & huic uni vivant.

Jejunii uſus & finis à Patribus declaratur.

Hanc jejunandi formam & finem Patres quoque oſtendunt. Epiphanius in fine Panarii contra hæreſes: *Non ut gratiam,* inquit, *& beneficium exhibeamus ei, qui pro nobis paſſus eſt, jejunium nobis conſtitutum eſt: ſed ut confiteamur ad noſtram ſalutem Domini paſſionem, quam pro nobis ille ſuſcepit.*

Hom.19. ad populum Antioch.

Chrysostomus: *Huc,* inquit, *jejunium & quadrageſima, huc tot dierum ſacri conventus ſpectant, & auditio, huc preces & praeceptiones, ut divinorum mandatorum diligenti meditatione, abſterſis omni ratione quas per univerſum annum contraximus peccatorum ſordibus, ſpirituali libertate freti, incruentum illud ſacrificium* (ſcilicet cœnam Dominicam, quæ commemoratio eſt ſacrificii Chriſti in cruce peracti, ac ideò commemorativum ſacrificium) *piè religioſéque participemus.* *Heb.13.15.*

Idem Tomo 4. homilia 3. fol. 9. de jejunio à Propheta Joële & Ninivitis indicto atque præſtito multis diſſerẽs, ait: *Videamus quid tandem ſit, quod inevitabilem illam iram ſolverit. Num jejunium ſolum & ſaccus? Non eſt dicendum. Sed totius vita mutatio. Unde hoc manifeſtum. Ab ipſis Propheticis verbis. De Dei enim ira loquutus, & illorum jejunio, idem conciliationem dicens, & conciliationis cauſſam indicans, ſic inquit: Et vidit Deus opera ipſorum.* *Jona.3.10.* *Qualia opera? Quod jejunaverunt? Quod ſaccum induerunt? Nihil horum. Sed hac omnia tacens, intulit: Quoniam converſus eſt quiſque à viis ſuis malis, pœnituit mali, quod dixerat facere ipſis Dominus. Cernis, quod non jejunium periculo eripuit, ſed vita mutatio Deum barbaris placatum & benevolum reddidit? Hac dixi: Non ut jejunium contemnamus: ſed ut jejunium honoremus. Honor enim jejunii* Non Ciborum Abstinentia, Sed Peccatorum Fuga. *Jejunas? Demonſtra mihi per ipſa opera. Qualia,* inquis, *opera? Si pauperem videris, miſerere. Si inimicum videris, conciliare. Si amicum laudabiliter agentem videris,* *Iſa.58.5.6.7.8.*

ris,ne invideas. Si mulierem videris ſpecioſam,tranſcende. Non enim os tantùm jejunet,ſed & oculus,& auditus,& pedes,& manus,& omnia corporis noſtri membra. Jejunent *manus à rapina & avaritia munda.* Jejunent pedes ad illicita ſpectanda curſum reprimentes. Jejunent oculi, diſcentes nunquam formoſis obtutibus inſilire: nec alienas curioſè pulchritudines ſpectare. Cibus enim oculorum ſpectatio: ſed ſi illegitima ſit & prohibita, jejunio nocet, & omnem animæ ſalutem ſubvertit: ſi verò legitima & conceſſa, ornat jejunium. Etenim abſurdiſſimum eſſet, cibis & cōceſſa abſtinere eſca per jejunium, oculorum verò prohibitam attingere. Non comedis carnem? Neque laſciviam per oculos haurias. Jejunet & AURES. Aurium autem jejunium, detractiones & calumnias non ſuſcipere. Auditum enim vanum non ſuſcipit, inquit. Jejunet quoque os à verbis turpibus & cōvitio. Quæ enim utilitas, quum avibus quidem & piſcibus abſtineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi autem carnem momordit. *Propterea & Paulus terruit dicens: Si autē vos invicem mordetis & comeditis, videte ne invicem conſumamini.* [Gal 5.15.] *Non infixiſti dentes carni: ſed anima maledictum, improbam ſuſpicionem infixiſti, vulneraſti, & teipſum, & illum & alios plures,* &c. Ac aliquantum poſt: *Eliminemus igitur,* inquit, *omnem ex ore noſtro detractionem, ſcientes, quod & ſic cinerem comedamus. Nulla nobis aſpera vita hujus utilitas proderit, niſi detractione abſtineamus. Non enim quæ intrant, coinquinant hominem, ſed quæ exeunt ex ore.* Et fol. 10. deinceps: TRIA *vobis mandata commendare volo, ut hæc mihi in jejunio præſtetis. Ut nemini detrahatis, inimicum habeatis neminem: & omnem prorſus ex ore malam juramentorum conſuetudinem expellatis.* Hæc Chryſoſtomus.

Quæ volui de verbo ad verbum lōgiùs recitare ex iſto Patre ſanctiſſimo, ut evidentiùs conſtet, veteres ab Apoſtolorum tempeſtate eundem jejunii uſum, finem, atque effectum nobiſcū, nulla meriti mentione facta, inculcare.

AUGUSTINUS enim & iiſdem aſtipulatur, & clariùs mentem eorundem exponit, ſcribens: [*Lib. de bono conjugii.*] *Quædam bona propter ipſa expetēda ſunt, ut ſapientia: quædam propter aliud, ut* JEJUNIUM: *quod tum probatur, quando eo refertur, ut carnis petulantia coërceatur.*

Concordes etiā in hoc eſſe noſtros Doctores, præſertim Calvinum & Lutherum, ſuprà ex inſtitutione Calvini intelleximus, & nunc è Luthero cognoſcemus. Hic enim dicit eodem ferè, quo Calvinus, modo: *Omnino per jejunium corporis caſtigatio & moderatio nobis commendatur, ubi ſanctus Paulus dicit:* [*Lection. Evang. die Dominico à natali Chriſti proximo.*] CASTIGO CORPUS ET IN SERVITUTEM REDIGO. [*1. Cor. 9. 25.*] *Sed nequaquam eo animo ſuſcipiendum eſt, quaſi aliquid per ea velis vel ſalutis, vel juſtitiæ meritum putare: ſed duntaxat ad caſtigandum corpus & commodandum proximo. Atque hoc pacto verè ſervis in jejunio tuo Deo, dum illud gratuitò in honorem ipſius, ad extinguenda peccata & domandum carnem ſuſcipis. Qui edendo jejunant, carnem ſuam citiùs irritant, quàm domant.*

Papiſtarū autem de jejunii effectu atque uſu meritorio opiniones, ipſi quidem Doctores Papiſtici apertè redarguunt.

Digitized by Google

arguunt. Henricus enim Pererius: *Quartum genus abſtinentiæ*, inquit, *hodie colunt multi* PERVERSA RATIONE, *quippe vel errore opinionis exiſtimant, ſummam perfectionis Chriſtianæ in unius abſtinentia cultu & exercitatione contineri, vel hominum laudem aucupantur, ut incautis & ſimplicibus falſa ſua dogmata faciliùs perſuadeant.*

Comment. in Daniel.

Lib Conſult. art. 16. CASSANDER: *Et diffitendum non eſt*, inquit, *nonnullos fuiſſe homines* SUPERSTITIOSOS *& imperitos, qui hujuſmodi Eccleſiæ ritibus, ad ſalutem hominũ factis, ad tyrannidem & conſcientiarum laqueum abuſi ſunt. Atque etiam ex vulgo multi in earum obſervatione fiduciam collocarunt. Nec defuêre, qui eas etiam divinis præceptis anteponerent. In quos rectè torqueri illud Chriſti poſſit: Fruſtrà me colunt docentes mandata hominum.* Math. 15. 9.

In 1. Cor. 8. ERASMUS denique: *Nihil pietatis*, inquit, *aut addit aut adimit ciborum delectus.* SUPERSTITIOSUM *facere poteſt, pium non poteſt.*

Col. 2. 16. 1. Cor. 8. 8. Quidni enim, quum Apoſtolus dicat: *Nemo vos judicet ob cibum & potum.* Item: *Eſca nos non commendat Deo: neque ſi veſcamur, abundantiores ſumus, neque ſi nõ veſcamur, quicquam nobis deeſt.* Et alibi: *Non regnum Dei eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium per Spiritum ſanctum.* Rom. 14. 27.

Jejunii ſummaria declaratio. Cæteris autem, qui contendunt delectum ciborum & abſtinentiam à carnibus ac aliis eſculentis in perſona legitimè præparata, prorſus eſſe partem cultus divini, expreſſè dicimus tot ſacræ Scripturæ & Patrum ac recentiorum argumentis convicti, eſſe rem indifferentem in ſeipſa, ac proinde nequaquam partem aliquam cultus divini. Quod ſi tamen legitimè uſurpetur, ſentimus & dicimus eſſe adjumẽtum & præparationem quandam noſtri ad cultum Deo meliùs & decẽtiùs præſtandum, idque quia corpore ſubacto jejuniis aptiores ad ſerviendum Deo ac precandum ſumus. Unde etiam quidam doctiorum inter Papiſtas concedunt: Non opus jejunii operatum (ut loqui ſolent) ſed devotionem jejunantis reputandam eſſe pro parte cultus Dei.

Qui autem inſuper pertinaciter aſſerunt & credunt, jejunium eſſe opus ſatisfaciens juſtitiæ Dei pro pœnis tẽporalibus aut æternis peccatorum noſtrorum, eos manifeſtè horribiliter in Chriſtum contumeliam jacere dicimus: qui eſt perfecta & integra ſatisfactio pro peccatis noſtris, tam reſpectu pœnæ quàm culpæ. 1. Joh. 2. 2. 2. Cor. 5. 19. Rom. 3. 22. 24. cap. 5. 18. 19. 18. 34.

Maximè hîc Adverſarii rurſus objiciunt exemplum Ninivitarum & Achabi, qui jejunio indicto & obſervato iram Dei per Prophetas denunciatã averterunt. *Sed reſpondemus* ad prius ex Chryſoſtomo, iram Dei contra Ninivitas placatam fuiſſe non per ipſorum jejunium: ſed per pœnitentiam & fidem ſinceram manu quodammodo injecta miſericordiæ Dei in Chriſto, atque ita per hunc judicio Dei ſuſpenſo. Jejunium autem ipſorum non fuit, niſi externum reſipiſcentiæ indicium. Reſipiſcentia autem & ſignum & fructus eſt fidei, quia illi prædicationi Jonæ crediderunt. Humiliatio verò Achabi 1. Reg. 21. v. antipenult. nihil facit ad rem: erat enim mera hypocriſis. Quomodo ſi & ipſi Adverſarii quic-

Tertiò hæreticus habetur & ab aliis & à Bellarmino Jovinianus, quia docuerit: *Conjugium virginitati dignitate & merito æquari.* ut teſtetur de eo Auguſtinus hæreſi 82. & Hieronymus lib. 1. & 2. contra Jovinianum. Et addit Jeſuita *Sic Lutherus conjugatum coram Deo præſtare virginibus, & ſtatum conjugatorum velut aurum, cœlibatum veluti lutum æſtimat, in Epithalam. Similia Calvinus & alii,* &c.

3. Conjugium virginitati dignitate æquare Jovinianum & Euangelicos jure ac merito.

RESPONDEMUS: Sic etiam Paulus 1. Cor. 7. 2. 9. Heb. 13. 4. Sic Chriſtus Math. 19. 4. 5. 6. Math. 10. 6. 7. 8. 9. Cur ergo non etiam Jovinianus, Lutherus, Calvinus? Cur non nos omnes ita ſentiremus & profiteremur?

Annón Deus per Danielem diviniſſimum vatem, ut à virginitate aut cœlibatu matrimonium haud ſuperari dignitate doceat, prædicit legem de prohibitione conjugii propriam fore tyrannidis *Antichriſti*, quem ait dominaturum in Eccleſia, nec Deum, *nec mulieres* (nempe in conjugii honeſto uſu) *curaturum*, ſed fœdis & inceſtis libidinibus Eccleſiam eſſe contaminaturum.

Dan 11. 37.

Annón Paulus Apoſtolus ſelectiſſimus, ut matrimonium dignitate non inferius aut minus eſſe virginitate ac cœlibatu oſtendat, dicit prohibitionẽ *conjugii eſſe doctrinam dæmoniorum?*

1. Tim. 4. 3.

Unde Apoſtolico prorſus ſpiritu ab Ignatio dicitur: *Si quis Deum & Chriſtũ confitetur corruptionem autem immunditiẽ vocet legitimam conjugii mixtionem & liberorum procreationem, aut cibos quoſdam abominabiles, talis habet incolam ſeu inhabitatorem Draconem illum Apoſtatam.*

Ad Philadelphienſes

Et idem virginitatem quidem extollit, ſed ut interea matrimonium minimè deprimat. Nam *Gratulor vobis*, inquit *virgines ſanctimoniam, ut Heliæ, Joſuæ Melchiſedech, Eliſæi, Jeremiæ, Baptiſtæ, Johannis, Timothei, Titi, Enochi, Clementis, qui cœlibes vixerunt.* Verum mox addit: *Horum facta à me mentio eſt non quo vituperatos velim reliquos ſanctos, qui nuptiis copulati fuerunt. Opto enim Deo dignus ipſorum veſtigiis inveniri in regno Dei ut Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Joſephi, Eſaiæ & aliorum Apoſtolorum, qui in conſuetudine conjugali vixerunt.*

Poſtponit autem grex Papiſtarum conjugium virginitate equo, Bellarminus potiſſimum ſub finem capitis 28. de Monachis duabus nititur argumentis. Harum *prima* ex dignitate continentiæ, *ſecunda* ex utilitate vovendi ſumitur. Sed utraque non ſolùm infirma eſt, verùm etiam inepta ac inſulſa.

Cœlibatũ conjugio præſtare rationibus duabus Papiſta docet.

Primò, non eſt verum, vel cœlibatũ vel virginis ſtatum præſtare conjugio ſi ſimpliciter & in ſe conſideres. Iis enim qui non poſſunt continere, diſertiſſimè dicitur à Spiritu divino; præſtare *ut nubant, quàm urantur*. Et Clemẽs Alexandrinus inquit: *Εὐνουχία ſeu continentia à conjugio non eſt bonum, nec ex virtute, niſi fiat propter dilectionem Dei.* At plerunque à Monachis, Sanctimonialibus, ſacrificulis & eorum æqualibus non ob Dei dilectionem ſuſcipitur cœlibatus, ſed otii, voluptatis, rerum affluentiæ, ſuperſtitioniſque gratia. Nã quando optimi ſunt circa ceremonias contra verbũ Dei inſtitutas occupantur, quæ ſola corporali exercitatione & idololatrica intentione conſtant, quam nihil aut parum utilitatis habere Apoſtolus teſtatur. 1. Tim. 4. 8.

1. Ratio & objectio 1.

1. Cor. 7. 9.

Strom. 3.

Digitized by Google

Deinde non ſine impudẽtia cœlibes Monachi & ſacrificuli ſe vel Abrahamo, qui Pater erat Fidelium, vel Apoſtolo Petro, qui primus erat inter Apoſtolos, & uterq; connubio junctus uxori fuerat, præponere poſſunt. Adhæc, ſi tanta eſſet perfectio & dignitas vitæ cœlib:s, quantam Adverſarii prædicant, tum omnes ad hoc vitæ genus aſpirare deberent. At hoc omnes non poſſunt, nec debent: ut nos Deus Pater Gen. 2. 18. ac ℣. 20. 21. 22. 22. item cap. 9. ℣. 1. ac Deus Filius Math. 19. 4. 5. 6. Joh. 2. docuit.

Object. 2. At, inquit Bellarminus, Scriptura divina clamat 1. Cor. 7: 38. de virginitate per Apoſtolum diſſerens. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit.* Et infra verſu 39. *Cui vult nubat in Domino; Sed beatior eſt; ſi ita maneat.* At eadem etiam clamat: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: & mulierem fortem *beatiſſimã eſſe.* Item: *Propterea homo relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt in carnem unam.* Geneſ. 2. 22. Math. 19. 4 5. 6.

Gen 2. 18. Prov. 31.

Cœlibatus ut matrimonio præſtet. Deinde, non ſignificat Apoſtolus, virginitatem vel cœlibem vitam eſſe magis cultum Dei aut magis mereri Dei gratiam, præſtantiusque dignitate eſſe quàm conjugium. Sed de externis tantùm quibuſdam vitæ cœlibis commodis loquitur, propter quæ illa iniis, qui donum continentiæ habent, certa quadam ratione matrimonio ſit præferenda. Nam 1. etſi votũ continentiæ non probetur; tamen qui certi & ſecuri ſunt de dono ſuæ continẽtiæ, ſive viri ſint, ſive fœminæ, poſſunt tales firmiter apud ſeipſos proponere ac conſtituere, velle ſe vitam ſolitariam vivere. Sic dicit Apoſtolus: *Qui ſtat firmus in corde, nec adigitur neceſſitate, ſed in poteſtate habet propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde ſuo ut ſervet ſuã virginẽ, bene facit.* *1. Cor. 7. 37.* Quare amplectimur, quod pronunciat Theodoretus in 1 Tim. 4. 3. *Apoſtolũ* id loci, *non condemnare vitam ſolitariam aut continentiam, ſed reprehendere eos, qui lege & præcepto quidem homines cogunt ad eã ſectandã.* Atque ita, *qui ſe caſtrabant propter regnum cœlorum,* faciebant id non ex voto, ſed ex certo & firmo cordis propoſito: id quod longè minus eſt voto. Nam hoc mutari poteſt ob cauſſam aliquam illud non poteſt, niſi manifeſtò ſit illicitum. *Math 19. 12.* *Votum & propoſitum cordis differunt.*

2. Quamvis donum continentiæ & vitæ ſolitariæ ob fines ſupra enumeratos conſilium perfectionis non ſit, eſt tamen aliquatenus conſilium utile & externa libertas. Quomodo & S. Paulus dicit: *De vobis quod ſentio,* &c. & ℣. 35. *Hoc autem dico veſtro commodo, non ut laqueum vobis injiciam.* *Verſ 25.*

3. Etiamſi ita Apoſtolus continentiam vel vitam cœlibem quaſi liberam conditionem concedat: tamen non ſimpliciter eam, vel virginitatem, meliorem conjugio dicit, ſed κατά τι, ſecundùm quid, *Primo* videlicet *propter inſtãtem neceſſitatem,* id eſt, ob imminentes perſequutiones. Nam qui genus cœlibis vitæ amplectitur, ſi donum continentiæ habet, expeditior eſt ad pericula confeſſionis æquiori ac liberiori animo ferenda, ubi nec liberorum, nec cõjugis illecebris vel ſarcinis impeditur, aut abducitur. *Deinde,* quia cœlibatus liberum facit hominem curis, moleſtiis ac diſtractionibus rei familiaris. Nam ibidem Apoſtolus, poſtquam dixit, *ſi nupſe-* *Verſ. 26. 1.* *2.* *Verſ 28.*

Digitized by Google

nupſerit virgo, non peccavit, ac ita matrimonio relicto vitam cœlibem ſuaſit, ſubiungit: *Sed afflictionem in carne habituri ſunt tales ego vero vobis parco.* Hoc eſt, quam primum verò matrimonium inivistis, trahit id ſecum θλῖψιν, afflictionem ac moleſtias vitæ conjugalis puta moroſam interdũ uxorem, liberos non obſequentes, curam alendæ familiæ & rerum agendarum, gravia negotiorum & laborum onera, aliaq; ie infinita, quæ conjugatum diſtrahunt, & ſpeciatim à me commemorari fuſius poſſent. Sed intermittẽdo iſtarum moleſtiarum commemorationẽ, quas ſi perſequerer, deterrerẽ potiùs à matrimonio licito, quàm illud concedere viderer, malo vobis relinquere libertatem cœlibatus eligen-
5. di præ illis, ut eas evitetis ſi vultis. *Tertiò* quia perſonæ liberæ & conjugio non conſtrictæ ſerviunt plerumque Deo majori cum fidelitate, ac libertate corporali: ſemper adhuc præſuppoſito, quod donum continentiæ habeant.
Verſ. 34. Nam inquit: *Innupta curat ea, quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta tũ corpore tum ſpiritu, quæ verò nupta eſt curat ea quæ ſunt mundi.* Harum, inquimus, rerum reſpectu cœlibatus ſeu virginitas melior conjugio videri poteſt, atque huic præſtat.

Conjugium cur cœlibatui præſtet. Interea tamen vitæ conjugalis ſtatus nihil minor abjectior, vilio quæ eſt cœlibatu aut virginitate, ſed multis etiã de cauſſis cœlibatum antecellit. Quia Deus & natura ipſa hominem ad conjugium informat & ab ipſo Deo univerſo hominum generi conjugium eſt inſtitutum in vitæ adjumentum & cõdimentum, ſicut vox Dei ipſius Gen. 2. 18. 20. 21. 22. &c. exprimit. 2. Quia Deus etiam poſt Diluvium præclarè ac ſuaviter conjugium confirmavit, eique benedixit: *Creſcite & multiplicamini.* 3 Quia certis legibus tam divinis quàm humanis munitum eſt, omnibus hominibus piis vel ſaltem cordatis id neceſſarium atque utile & honeſtum judicantibus. 4. Quia laborum & dolorum in partu atque educatione liberorum ſuſtinendorum laus ac cõpenſatio à Spiritu ſancto jucunda proponitur, Gen. 3. 16. 1. Tim. 2. ultimo. 5. Quia ipſe Filius Dei, quũ collapſum nonnihil eſſet, id inſtauravit, & ſua præſentia ac miraculorum primitiis cohoneſtavit. 6. Quia ſanctiſſimi & prudentiſſimi viri, ut Patriarchæ omnes, Reges cuncti populi Dei, Prophetæ plerique & Apoſtoli, ac Martyres nonnulli tum in conjugii ſtatu ſuſcepto ætatem tranſegerunt, tum eũ ſingularibus encomiis atque exemplis exornarunt, approbarunt & commendarunt, tum à vagis libidinibus extra illud graſſantibus vehementiſſimè abhorruerunt, ac pœnitentiam ſinceram in iis inculcarunt. 7. Quia eſt inſtitutum à Deo, ad cohibendam frenandamque incontinentiam omnium, qui ſe continere nequeunt, 1. Cor. 7. 2. & 9. Ex adverſo ſanctus Bernardus ſerm. 66. in Cantica: *Tolle de Eccleſia honorabile conjugiũ*, inquit, *& thorũ immaculatum, nónne reples omnia concubinariis, inceſtuoſis, ſeminifluis, mollibus, maſculorum concubitoribus, & omni genere immundorũ?* 8. Quia Deus non modò conjugium inſtituit, ſed adhuc omni tempore, die, atque adeò momento mutuum amorem ſponſi & ſponſæ excitat, nuptiaſque conciliat ac conſervat. Gen. 24. 14. cap.

Gen. 1. 28. 29 1. Heb. 13. 4.

Math. 19. Joh. 2.

Gen. 2. uſq; ad finem Exodi per totum. Jud. Reg. Paralip. per totos lib. Math. 8. 1. Cor. 9.

Digitized by Google

cap.50 51. Prov.19.14. Unde proverbium: *Conjugia ſunt fatalia.* 9. Quia cōjugium eſt ſeminarium tam Eccleſiæ quàm reipublicæ, ex quo ſemē quoddam augendo & conſervando regno Dei progerminat. 10 Quia in eo nihil eſt, quod per ſe fidei Chriſtianæ & ſanctitati repugnet, ac ſacræ orationi, divinis in Eccleſia officiis vel pietati obſtet atque officiat. Quin potiùs eſt pulcherrima ſchola quarumvis Chriſtianarum virtutum, iſque planè ſtatus, ſine quo eæ ipſæ & omnia bona opera ut & totum genus humanum atque Eccleſia Chriſti, non poſſunt honeſtè & legitimè propagari ac conſervari.

Ephes.5.32. 11. Præſtat ingentia bona tum reipub. tum Eccleſiæ, tum Oeconomiæ, tum denique ſingulis hominibus. Adeoq; plenum eſt var[illegible] documentorum divini erga homines amoris, teſtimoniumq; arctiſſimæ Chriſti cum Eccleſia conjunctionis. 12. Quia ſummè Deo diſplicet, & in pœnas temporales atque æternas incurrit, quicquid huic ordini adverſatur. Heb.13.4. Levit.18. 20.22.23. & 20.10.11. Rom.1.26.27. Math.19.9.

Nonnulla igitur differentia quidē donorum iſtorum Dei eſt, nempe cœlibatus ſeu virginitatis & conjugii: ſed talis ut neuter ſtatus alteri ſimpliciter & per ſe, ſed κατά τι & ſecundùm quid præſtet atque excellat.

Alioqui quum ſint oppoſita, oppoſitorum eſt ædæquatio. Nam in genere boni conveniunt, ideoque liberam eſſe uniuſcujuſque electionem Apoſtolus 1.Cor.7. tum paſſim, tum præcipuè verſu 27. oſtendit. Id enim vult, ꝙ dicit: *Habes uxorem, ne quæras ſolutionem,* id eſt, ne affectatè quæras divortium, aut diſceſſum ab ea, ne ſit tibi moleſtū matrimonium, quod eſt contra carnis incontinentiam neceſſarium & utile, totque rebus ſuprà recitatis honeſtum atque expetendum. Bonum igitur eſt, alioqui ad id conſervandum malè hortaretur Apoſtolus. Sic de virginitate: *Solutus es,* inquit, *ab uxore, ne anxiè quæras aliquam.* Bona igitur & eadem eſt: atque hoc utrique commune eſt. Deinde in eligendo quoque libertas eſt, ut in conſervando. *Qui ducit uxorem, non peccat, & virgo nubens, non peccat.* Sunt igitur in eo æquata bona, quia utrumque ſine peccato eligi poteſt.

Hinc quoque argumentum depromitur de ſecundis nuptiis. Si ducere & retinere uxorem ductam: etiam de novo uxorem ducere, non eſt peccatum, ſed res libera. At prius verum. Ergo & poſterius. 1.Cor.7.39. Denique omnia huc recidunt: Igitur virginitas non debet omnibus obtrudi, neque potior præſtantiorque conjugio ſimpliciter exiſtimari.

Et quoniam ſic cum ſacra ſcriptura Euangelici conjugium virginitati dignitate ac merito æquari ſentiunt, qui hæretici eſſent? Hoc enim nemo neſcit, eos conjugium ſanctum ſuperſtitioſè tantum, coactæ & plerunque vix virginali virginitati anteponere, non autē verā virginitatē extenuare, ac cōjugio poſt habere. Agnoſcunt & laudant hoc in iis ex ipſis quoque Pontificiis non infimi, quorum G. LINDANUS *In confeſſion. Wittenbergenſi.* inquit, *manifeſtum eſt, ſcribunt, quod etſi cœlibum ſtatus ſit in publicis periculis tranquillior, & ad peragenda publica Eccleſiæ mini-*

Cœlibatus conjugio à quibuſdam Pontificiis æquatur.

Panopl. lib 4.

ſteria

ſteria his, qui non uruntur, aptior & accommodatior, tamen non eſt ſentiendum, quod hoc genus vitæ per ſeſit coram tribunali Dei excellentius aut ſanctius quàm conjugium.

Comment. in 1. Cor. 7. Cur ita? Quia hæc eſt illa beatitudo quam S. Paulus 1. Cor. 7. prædicat, & de qua ARIAS MONTANUS, *Beatior autem erit*, inquit, *ſi ſic, id eſt, Virgo permanſerit.* BEATIOR *ut pote quæ minus moleſtiarũ, minúſque impedimenti habitura eſt, & ſpiritu & corpore ſeſe totam in pietatis exercitationem tradet.*

Comment. in 1. Tim. 3. Propius tamen Euangelicis accedit Claudius Eſpenſæus Epiſcopus, ſcribens: *Nuptiæ licet plurimum difficultatis habent, ſic tamen aſſumi poſſint, ut vitæ perfectiori impedimento* NON *ſint, rarò licet & planè difficile id fit. Apoſtolus ad Titum* HÆRETICIS *nuptias damnantibus ora obſtruit, rem adeò pretioſam oſtendens, ut cum ea poſſit quis ad ſanctum Epiſcopatus ſolium ſubvehi.* Et ſic Chryſoſt. Homilia 2. in Titum.

Jovinianus virginitatem conjugio æquans à Papiſtis ipſis defenditur. Quia autem Euãgelici dicunt perperam reprehendi Jovinianum ab Hieronymo & Auguſtino, qui eũ hæreſeos propterea notant, quod conjugium virginitati dignitate & merito æquet, tum aſſentientes ſibi, tum defendentes Jovinianum etiam præcipuos quoſdam Papiſtas habent. DES. ERASMUS enim adverſus Albertum Pighium de virginitate: *Hieronymus*, inquit, *fervido quodam affectu ita interdum rapiebatur in admirationem virginitatis, ut piis etiã viris videretur lædere matrimoniũ. Sit hoc vanum, niſi in Hieronymi ſcriptis inveniantur ea verba, quæ ſunt apud Tertullianum eo nomine damnata.*

Sed quoniam ERASMI verba in ſpongiam *deleatur* incidere poſſent apud Adverſarios, nihil veri & orthodoxi ferre valentes, alius etiam Papiſta quærendus eſt, qui & pro candore velit, & pro eruditione poſſit, & pro authoritate ſua valeat verum fateri, ac perſuadere. Eſt is JOSEPHUS ACOSTA, qui lib. 2. de Chriſto revelato cap. 20. ait: *Hieronymus videtur aliquanto matrimonio iniquior.*

Poſtremò Auguſtinus ipſe meliora Papiſtas edocet, ſcribẽs: *Cave, melior eſt in Scriptura Dei veritas, quàm in cujuſquam mente aut carne virginitas.* De virginit. cap. 18.

Progreditur verò Bellarminus in ratione ſua debili, quod votum continentiæ propter cœlibatus dignitatẽ & præſtantiã conjugio majorem licitũ ſit, probãda, ac tertiò objicit: *Patres paſſim dicere, virginitatem eſſe perfectam vitam.* At Patrum & dicta & ſententiæ ipſum falſum loqui docent. Clemens Alexandrinus conjugatos non minùs eſſe perfectos oſtendit, quàm cœlibes. *Non neceſſario*, inquit, *à liberorum abducit procreatione, qui credentes per unum baptiſmum ad conſuetudinem omni ex parte perfectam abluit Dominus.* Strom. 3. in fine. *Object. 3.* *De Monachis cap. 28.*

Sed nec Bellarmini teſtes pro ipſo aliquid loquuntur. Cyprianus lib. de habitu virginum ne verbum quidem unũ facit de perfectione vitæ cœlibis.

Dionyſius Areopagita vulgò dictus dicit. *Sacerdotem Monacho perfectiſſimam vitam exponere.* Sed hoc etiam populo faciunt Eccleſiæ paſtores & Epiſcopi. Num ergo veriſimile eſt, eum exiſtimaſſe Monachos & Sactimoniales vitam perfectiſſimam agere. Quod etiam inde colligitur, quia Epiſcoporum ordinẽ ibidem dicit eſſe πλειχιλώ τά- *Eccl. Hierarch. c. 6.*

Digitized by Google

ξιν, & Monachos Diaconis inferiores facit.

Demonſt. Euangel. lib.1. cap 8. Euſebius de ſui temporis Monachis præclarè exiſtimavit, & illud vitæ genus perfectius eſſe ſenſit. Sed quæritur hoc loco de perfectione vitæ cœlibis. *Præterea* hoc vitæ genus à præcepto & lege Chriſti profectum eſſe dicit. At Adverſarii longè aliter de eo philoſophantur. *Poſtremò* multum intereſt inter primos & noſtri temporis Monachos.

Conſtit. Monach. cap.19. Baſilius non cœnobitas, ſed *eremitas dicit perfectorum Philoſophorum formam adeptos.* Adhæc dubitari poteſt, ut ante diximus, an illæ conſtitutiones fuerint Baſilii.

Gregorius Nazianzenus in Orat. de obitu Baſilii, nihil de vitæ Monaſticæ perfectione ſignificat, licet eo tempore multo meliores eſſent Monachi, quã qui nunc vivũt. At ſignificat eos ſchiſma in Eccleſia excitaſſe, & Baſilium oppugnaſſe.

Lib. 3. adv. vituperat. vita Monaſtica. Chryſoſtomus dicit, *& Monachos & ſeculares pariter ad ſupremum perfectionis faſtigium per divinas leges cogi.* Tantum abeſt, ut vel Baſilius, vel Gregorius Nazianzenus *vitam perfectam, imò perfectiſſimam* appellarit Monaſticam, vel ut Chryſoſtomus *in ea poſuerit perfectionis culmen,* ut tamen Bellarminus aſſerit.

Epiſt. 1. ad Heliod. Hieronymus dicit, Heliodorum pollicitum eſſe *ſe perfectum fore, cúmque perfectam vitam ſequutum eſſe.* Sed & hoc reliqui Chriſtiani & polliceri & ſequi tenentur. Omnes enim Chriſtus ad perfectionem hortatur, Math. 5. 48. Præterea non in cœlibatu, ſed in conjugio quoque Math. 19. 4. 5. 6. 9. 14. & multis aliis in rebus perfectionem poſuit, Math. 5. ab exordio uſque ad finẽ, & 6. ac 7. capitibus.

Auguſtinus Monachis *Chriſtianorum perfectorum* appellationem tribuit, & virgines *in via ſublimitatis* incedere dicit. Sed ex Auguſtini Monachis nullus mendicabat, nullus voto aſtringebatur, aut ſub regula certa vixit. Præterea nec aliis Chriſtianis perfectorum nomen negat. Aliud eſt denique per ſublimia incedere, aliud perfectionem adipiſci, quæ in hac vita non planè habetur. Phil. 3. 12. 13. 14. 15. *De morb. Eccl. cath. c.31. lib.1.*

Sulpitius virginitatem laudat, *& ei nihil dicit eſſe comparandum.* Non tamen ideò ſequitur in ea perfectionem eſſe ſitam. *Dial. 1.*

Ambroſius denique lib. 1. de virginibus, & Cyrillus Catech. & Nazianzenus in carm. de virginitate, & Athanaſius lib. de virginitate, & Hieronymus epiſt. 8. ad Demetriadem, & Auguſtinus de ſancta virginitate cap. 13. & alii nonnulli *virginitatem cum vita Angelica comparant.* Sed nec certum eſt, omnia hæc teſtimonia ex libris genuinis eſſe deprompta, nec omnia illa urgenda ſunt, quæ Patres panegyricè in laudem virginitatis dixerunt. Nõ ſunt denique ad virginitatis profeſſores extendenda, quæ illi de caſtitate mentis & corporis propter Chriſtum ſolum electa dixerunt, & intellexerunt. Sic de primæ rationis arce Pontificii ſunt dejecti.

Altera ratio, quã votum continentiæ propter majorem cœlibatus dignitatem quàm matrimonii licitum eſſe conantur evincere Pontificii, *ex utilitate vovendi* ab illis ſumitur. Sed non eſt ſimpliciter concedendum, *omne illud* *2. Altera ratio pro cœlibatus dignitate conjugium ſuperante.*

illud

Digitized by Google

ud *Deo eſſe vovendũ, ꝙ eſt illi gratius, ſi fiat, quàm ſi non fiat.* Adverſarii enim negant, *quæ præcipiuntur*, vovenda eſſe. At ea Deo gratiſſima eſſe conſtat. Illis enim ampliſſima promittitur merces. Ezech. 20. 19 Levit. 18. 5. Nos etſi ad carnis concupiſcentiam frenandam, & quando hoc conducit, aliquid lege præceptum voveri poſſe doceamus: non tamen omnia cervicibus noſtris imponenda, nec temerè animas Chriſtianorum illaqueandas eſſe cenſemus. Sutlivius de Monachatu cap. 17. 19. &c.

De Monachis. c. 28. Verùm ut liceret vovere, quicquid Deo gratum fore putamus, *non tamen melius eſt & gratius ex voto aliquid facere, quàm ſine voto*, ut aſſerit Bellarminus. Nam *præſtat obedientia ſacrificio*, ut in- *1. Sam 15. 22.* quit Samuel, *& melius eſt obedire, quàm offerre adipem arietum.* Et Deus non vult ad legem ſuam quicquam addi, aut præceptis hominum coli. Deut. 4. 2. Math. 15. 9. Præterea valdè abſurdum eſt, plus placere obedientiam inſulſi Monachi, quàm Abrahami, qui pater erat fidelium, & cœlibatum ac virginitatem Bellarmini vel Papiſtarum, quàm virginitatem Johannis Apoſtoli, aut Chriſti Jeſu, quia nihil iſti ex voto, ille ex voto virginitatem colit. Nihil denique eſſet Chriſti lege imperfectius, ſi poſſunt Monachi res Deo gratas extra eam excogitare.

Pſal. 76. 11. At, inquit Bellarminus *Scriptura hor- August. tatur ad vovendum, ut & Auguſtinus*, ac alii *epiſt. 45.* multis in locis. At neque Scriptura, neque Auguſtinus de votis Monaſticis, cujuſmodi nunc Monachi emittunt, loquitur. Deinde Scriptura hortatur *ad canendum*, Pſal. 33. 2 3. & 68. 5. & *ad pſallendũ in cithara*, Pſal. 98. 5. & 147. & *ad levandum manus*, Iſa. 13. 2. & Threnor. 2. 19. nec tamen omnia, quæ fiunt cum cantu & manuum elevatione meliora ſunt, & Deo gratiora, quàm quæ aliter fiunt.

Dicit ſecundò *opus eſſe melius, quo ex pluribus aut ex majore virtute procedit.* At neque Scriptura, neque Patres de votis Monaſticis id intelligunt: ſed de rebus à Deo præceptis. Ut Math. 18. 20. ubi Chriſtus de congregatione fidelium in ſuo nomine dicens, *ubi ſunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic ſum in medio illorum*: colligendum inde innuit, multò magis ſe in medio futurum, ſi plures in ſuo nomine coëant. Deinde ineptiſſimè ratiocinatur Bellarminus. Nam ſi Deum laudare vellet citharis, tympanis & campanis: non plus tamẽ aut fortaſſe minùs placeret, quàm ſi ex intimo corde aut voce humili ejus laudes celebraret. Et in cultu divino ſpectare debemus, non quid nobis pulchrum videtur, ſed quid Deus præcepit, & à nobis poſtulat. Deut. 12. 31. Iſa. 29. 13. Math. 15. 6. Auguſtinus dicit: *Virginitatem, quia Deo dicata eſt, plus placere, quàm quia virginitas eſt.* At nihil hoc ad votum. Nam ſine voto & virginitas, & omnia noſtra Deo dicari poſſunt. Negamus denique, *quicquid ex voto fit, ex virtute procedere.* Vovere enim & capita ſua devovere etiã Ethnici ac Pagani ſunt ſoliti, licet nec ex fide, nec charitate id fecerint. *De virginit. cap. 8.*

Dicit tertiò, *quod ex voto fit, majori fieri charitate, quàm quod ſine voto.* Sed nobis ſomnium ſuum narrat. Malè enim actum eſſet cum republica Chriſtiana, niſi reliqui Chriſtiani plus Deum &

Digitized by Google

proximum amarent, quàm plerique Monachi, qui omnia ſub virginitatis & ſanctitatis ſuæ fictæ prætextu ad ſe ſolos trahunt. Et planè actum eſſet de pietate & ſanctitate, niſi rectiùs crederent, & ſanctiùs viverent, quàm iſti votis obſtricti. Vide Hoſpinianum de origine Monachatus, & Heliam Haſenmillerum in hiſtoria Jeſuitica.

Dicit quartò, *melius eſſe, quod fit voluntate confirmata in bonum, quàm quod fit ſine ejuſmodi firmitate.* Sed ſi voluntatem Monachorum in bonum confirmatã eſſe putet, toto cœlo errat, & non tantùm in Monaſticæ vitæ inſtituto. Vide ibidem.

Dicit poſtremò *homines paratiores & magis munitos ex voto reddi ad reſiſtendum* Math. 15. 6. *adverſus tentationes diaboli.* At hoc illud eſt, quod Chriſtus aſſerit, irritum fieri mandatum Dei per traditionem humanam, quia homines in hac obſervãda paratiores & confirmatiores ſeſe gerant, quàm in præſtando Dei mandato. Deinde, ſi illud de ſuis Monachis affirmat, citiùs illud optarit, quàm probarit, quoad diaboli tentationes. Neque enim ullum hominum genus diaboli tentationibus magis eſt obnoxium, ut ex legendis liquet, & res ipſa docet. Nõ eſt ergo melius, quicquid fit Strom. 3. de virgin. c. 8. ex voto, quã quod ſine voto fit. Præterea virginitas, ut antea ex Scriptura & *Clemente* oſtendimus, *ex ſe nihil valet.* Et *Auguſtinus* aſſerit, *ipſam quia virginitas eſt, nõ honorari.* Fruſtrà ergo quæritur, utrũ virginitas melior ſit ex voto, quàm ſine voto. Ex ſe enim, nec ſine voto, nec cum voto Deo placet. Atque ita ut pro voto continentiæ omnes Bellarmini argutias diſcuſſas videre licet: ita virginitatem nec dignitate nec merito conjugium antecellere propter votũ aut propter ſeſe, haud obſcurè jam conſtat.

Quod autem de Luthero Bellarminus in hac controverſia dicit, fatetur De notis Eccleſ. c. 9. *Articulo 38. Lutherus, caſtitatem eſſe nobilius donum,* indicat abſolutè Lutherum cum Joviniano non ſenſiſſe, ſed κατά τι, & diverſo reſpectu, quo ſuprà à nobis explicatum.

Subjungens addere Lutherum: *Statum verò cœlibum eſſe ſecularem, terrenum & quaſi lutum,* ſciat hæc de religioſis & Eccleſiaſticis Lutherum dixiſſe, prout vitam vivebant per illud tempus quãplurimi.

Repetamus igitur concluſionis loco pauciſſimis praxin vetuſtiſſimæ Eccleſiæ Chriſtianæ, in qua Anno à Chriſto 200. de dignitate & merito cœlibatus præ conjugio nulla fuit vel quæſtio, vel recepta jam opinio. Clemens enim Alexandrinus: *Quis fuerit,* inquit, *perfectus, exẽpla habet Apoſtolos, & revera vir oſtenditur, non in eo, quod vitam elegerit Monaſticam: ſed illa viros vincit, qui in matrimonio & liberorum procreatione, & domus cura ac providentia citra voluptatem & dolorem ſe exercet.*

De cœlibatus dignitate præ conjugio epilogus hiſtoricus.

Strom. 7.

Poſtea aliquot veterum virginitatẽ conjugio ſtatum eſſe perfectiorem defendere videntur, ſed in ejus laudibus hyperbolicis loquuntur. Cyprianus: *Virginitas,* inquit, *æquat ſe Angelis: ſi ultra exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata, victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli.* Lib. de bono pudicitiæ. Sed de veris ac conſtantibus virginibus ille loquitur, & hyperbolicè (ut diximus) ſtatum earum extollit. Ideò cæteras quidem

ſacras

ſacras virgines nubentes poſt votum reprehendit alibi ob inconſtantiam, ut tamen minimè illarum conjugia damnet. *Quod ſi ex fide,* inquit, *ſe Chriſto dedicaverunt, pudicè & caſtè ſine ulla fabula perſeverent: ita fortes & ſtabiles præmium expectent. Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt* (ſcilicet præ inconſtantia) Melius Est Ut Nubant, *quàm in ignem delictis ſuis cadant.*

Lib. 1. epiſt. 11.

Lib. de virginit.

Athanaſius: O *continentia*, inquit, *gaudium Prophetarum, Apoſtolorum gloria! O continentia Angelorum vita, & ſanctorũ hominum corona!* Sed 1. hîc valere debet illud Theodoreti Dial. 3. *Non ego dogmatum & decretorum regulã ea duco, quæ in Eccleſia panegyricè & declamatoriè dicũtur.* 2. Nõ præjudicat Athanaſius incõtinentibus, ſed iis idem, quod Apoſtolus 1. Cor. 7. 2. & 9. ac Cyprianus loco modò citato, ſuadet.

Lib. 8. in Rom.

Qua de cauſſa alii de virginitate moderatiùs loquuntur. Ut Origines: *Quoniam videmus*, inquit, *nonnullos ſanctorum, aliquos etiam Apoſtolorum habuiſſe conjugia, non uſque adeò poſſumus de ſola virginitate ſentire.* Chryſoſtomus hom. 7. ad Heb. Utere, inquit, *cum moderatione nuptiis, & primus eris in regno, & omnibus frueris bonis.*

Patres denique virginitati nimium aliquando tribuerunt, ut extremum, vitio communi maximè contrarium eligerent. Nondum enim erat depoſita apud populum polygamia ethnica. Deinde ut ſuſpicionem concubitus vitarent. Poſtremò, quia cœlibes minori cum moleſtia perſequutionẽ ferebãt. Ea ceſſante, conjugii uſum commendabant, & pro ratione doni continentiæ liberum relinquebant, ut ſupra oſtenſum. Ac ita plus ſatis Euangelicorum innocentiam adverſus eam quoque calumniam proteximus, qua in dignitate conjugii & cœlibatus æquanda hæreſin Joviniani, quæ nulla hac in re, fovere inſimulantur.

Hinc quod Bellarminus de Magdeburgenſibus, Auguſtinum ac Hieronymum Jovinianis præter rationem hoc in negotio hæreſin tribuere dicẽtibus, ſcribit: *Quum ipſi potius* (nempe Auguſtinus & Hieronymus, quod dicant Magdeburgẽſes) *ſi contrarium ſenſerunt, fuerint hæretici*, non bene referuntur, ſed gravius & invidioſius ipſorum verba. Sic enim illi ad verbum: *Tribuerunt, inſuper Hieronymus & Auguſtinus Jovinianis propoſitiones, quaſi erroneas & falſas, quæ ſi non acceſſerunt circumſtantiæ aliquæ malæ & reprehenſibiles, à verbo Dei non diſcrepãt,* &c. Conditionem itaque illam expungi non oportuit. Nam *ex circumſtantiis* (ut cum Auguſtino loquamur lib. 2. de doctr. Chriſtiana) *facta æſtimantur, atque ex eis meliora aut deteriora cenſeri juſtum eſt.* Nullæ autem circumſtantiæ quum appareant in doctrina Joviniani de æqualitate dignitatis in conjugio & virginitate, quæ eum aliquid à verbo Dei diſſentiens dixiſſe convincant nequaquam ipſe, ſed Hieronymus & Auguſtinus hîc erraviſſe deprehenditur, &c. Nam omnino Jovinianus tantùm virginitatem ſimulatam Monachorum & Monialium irridebat, eamque male ſervari, inter eorum greges educatus experientia cognoſcebat, conjugium verò dignitate virginitati par eſſe è ſacra Scriptura diſcebat.

At Quarto ſenſiſſe Jovinianum hæreticè ait Bellarminus, *quod B. Mariæ*

4. *Mariam in partu virginitatem amiſiſſe non ſentiunt Euangelici. Lib. de notis Eccleſ. c. 9.*

in partu virginitatem amiſerit. Reſpondemus ergo: Tum, ſi ita Jovinianus ſenſit & docuit, audaciſſimus atque impudentiſſimus hæreticus & Cynicus fuit.

Sed addit Bellarminus: *Idem Bucerus & Molinæus, dicentes Jeſum naſcentē in partu vulvam adaperuiſſe B. Mariæ. Et Maldonatus* Cōment in Luc. 2. *Inter alias innumerabiles hæreſes*, inquit, *Calviniſtarum hæc una eſt, quod Matrem Chriſti in partu Virginem fuiſſe negant.*

Verùm *primo* hoc dictum non Buceri, quātum quidem in ipſius ſcriptis videre licuit, ſed MOLINÆI particulare eſt, in Harm. 4. Euangeliſtarum parte 3. Dicere igitur poſſumus. Ipſe viderit. Nihil iſtud ad communes Eccleſias Euangelicas.

Deinde, etſi Bucerus cum Molinæo ſic dicere à Papiſtis arguatur, ac etiam Theodorus Beza, qui contra Brentiū ſcribat: *quod Chriſtus divulſis diſtractiſque uteri materni partibus egreſſus ſit*: tamen peccat Bellarminus & alii & ſimiles Ignoratione Elenchi & cauſſæ pro cauſſa.

Error Papiſticus in violatione virginitatis ineptè deſcribenda.

Nam *primò* affingunt nobis Adverſarii, quod S. Mariam virginali integritate læſa Chriſtum genuiſſe dicamus ſicut Jovinianum, Mariam *amiſiſſe virginitatem in partu* dicentem, quia non admittimus fictam illam partus virginei B. Mariæ rationem, quam Pontificii & in primis Jeſuitæ tenent, nempe *Chriſtum naſcentem non aperuiſſe vulvam Mariæ.* Quæ illorum opinio ex Lucæ Euangeliſtæ capite 2. ℣. 23. facilè refelli poteſt. Nam Chriſtus *διήνοιξε τὴν μήτραν*, id eſt, *adaperuit vulvā*, ut in illo loco habetur, dum lex Moſaica ex Exodi 13. 2. & Num. 8. 6. de primogenito uterū vel vulvam matris aperiente, eidē applicatur. Sed tamen Maria poſtea virgo permanſit, ut etiam nos cum omnibus orthodoxis ſentimus ac profitemur.

Quare Molinæus in Harmon. Euangeliſtarum iis verbis inſiſtens, ſic ſcribit: *Rejecto Papiſtarum figmento, quod filius Mariæ, ut radius ſolis per vitrum ſic per uterum illæſum tranſivit: dicendum & credendum eſt, quod naturaliter, & ruptis obicibus, & apertis locis exivit & natus eſt.* Similiter Beza contra Brentium ſcribit, *quod Chriſtus divulſis diſtractiſque uteri partibus egreſſus ſit.*

De partu virgineo Patres Euangelicis ſuffragantur.

Neuter verò horum, ut nec quiſquā alius noſtrum dixit, vel ſcripſit, docuit aut ſtatuit, virginalem Mariæ integritatem in partu violatam fuiſſe, licet aperto & revulſo Mariæ utero Chriſtū natum dicant. Nam noſtra ſententia etiā tum veteris orthodoxæ Eccleſiæ, tum recentioris ſuffragiis confirmatur; Papiſtarum autem opinio confutatur.

Origenes enim ſuper Lucam: *Matris* inquit, *Domini uterus eo tempore reſeratus eſt.*

Tertullianus de carne Chriſti; *Virgo*, inquit, *in partu nupſit, ipſa patefacti corporis lege.*

Ambroſius lib. 2. cap. 7. in Lucam: *Aperuit Chriſtus genitale ſecretum*, inquit.

Hieronymus quidem alicubi dubitare videtur, utrum Chriſtus ex Matre Maria cruentatus exierit? Sed ad Euſtachium, *Dei Filius*, inquit, *in utero novem menſibus expectat, faſtidia ſuſtinet,* CRUENTUS EGREDITUR, *pannis involvitur.*

CHRYSOSTOMUS inquit, *Dentero*

tero prodire, commune habet nobiſcum Chriſtus.

Proclus Cyzicenus Epiſcopus orationem habens coram Patribus in Synodo Epheſina congregatis: *Iſte Immanuel*, inquit, *natura quidem portas aperuit ut homo, virginitatis autem clauſtra non fregit ut Deus. Sic naſcitur ut eſt conceptus. Impaſsibiliter introiit, ineffabiliter exivit, ſecundum quod Propheta Ezechiel dixit, convertit me Deus ad viam portæ ſanctuarii, &c.* Hactenus veteres.

Annot. in Luca 2. Inter recentiores Eraſmus in Luc. 2. ℣. 23. ſcribit *De Chriſto ſcriptum eſt: Quicunque primum* APERUERIT VULVAM *Sanctus Domino vocabitur. Origenes Homil. 14. putat, Chriſtum virginis matris* VULVAM ADAPERUISSE, *ſed non more cæterorum. Cæterorum enim conceptus quoque mulieris uterum aperit, quum Chriſtus clauſo virginis utero ſit conceptus, citra virilem operam. Porrò naſcens,* APERUIT *uterum ut* NON CONVELLERIT CLAUSTRA *pudicitiæ* VIRGINITATIS *Hæc eſt Origenis ſententia, quæ ſanè pugnat cum eo, quod tam pia credulitas omnium ferè animis infixit, Chriſtum ſine nixu & labore parturientis, clauſo virginis utero prodiiſſe. Quæ ſane ut eſt plauſibilis, nec irreligioſa, ita ſanè Scripturarum ſacrarum teſtimoniis doceri* NON *poſsit. Certè & Ambroſius ab Origenis ſententia non abhorruit.* Et profectò virginitas S. Mariæ non magis per hunc partum quàm per antegreſſam uteri geſtationem læſa fuit.

Error Papiſticus in virginitate malè definienda. Etenim *deinde* Adverſarii aut neſciunt, aut ſe neſcire fingunt, quidnam ſit virginalis integritas, & quomodo hæc eadem violetur. Nempe illa in hoc poſita eſt *ſi virgo virum nō cognoſcat*, prout S. Maria de ſeipſa apud Angelum Gabrielem Luc. 1. ℣. 34. teſtabatur Non igitur illa magis per partum, quā per conceptionem, perque uteri geſtationem, violari potuit. Nam ut multæ ſunt non virgines, quæ eſſe videantur, quippe quæ viros cognoſcunt, quæ tamen nec concipiunt, nec pariunt; ita contrà hæc ſola Virgo verè concepit quidem, & verè peperit, atq; ita verè mater evaſit, non tamen vera virgo per hoc eſſe deſiit, quia quod cōcepit & peperit, non ex admiſſione & commixtione viri, aut ex virili ſemine, ſed ex Dei Spiritu procreatum fuit.

Agnoſcit & prædicat hoc nobiſcum CORNELIUS JANSENIUS, ſcribens: *Patres aliqui dicunt, Chriſtum propriè adaperuiſſe vulvam Matris ſuæ, quum aliis mulieribus ſoleant* VIRI *uterum aperire, quæ eſt ſententia Theophylacti in hunc locum. Similis eſt ſententia Ambroſii ſic ſcribentis: Non enim virilis coitus Virginis ſecreta reſeravit, ſed immaculatum ſemen inviolabiliter utero Spiritus ſanctus infudit. Hic ergo ſolus* APERUIT VULVAM, *ut immaculatus exiret. Similia habet Origenes. Tertullianus dicit,* MARIAM PATEFACTI CORPORIS *lege peperiſſe, quum omnes hodie Theologorum centuria Chriſtum clauſo virginis utero prodiiſſe velint. Tametſi Tertulliano Ambroſius ſubſcribit. Sed quis divinare potuit, quid ſubtiles iſti Theologi tot poſt ipſum ſeculis eſſent definituri? Eo vix alium antiquiorem ſcriptorem Chriſtianus orbis habet.* Concord. in Luc. 2. Rhenanus in Arg. 3. ad lib. de carne Chriſti.

Antiquitas imò Adverſariis in hoc tam inviſa fuit, ut cenſores ex authoritate Concilii Tridentini ad hoc munus delegati, ſatis pro imperio ſic decreverint. *Deleantur ſequentia iſta in Beato Rhenano in argumēto libri* (Tertulliani) Index expurgat. de pag. 78.

de carne Chriſti, quod officit perfectioni virginis matris. Nec tu igitur Beate Rhenane potuiſti divinare, quid rigidi iſti de te decreturi eſſent.

Stupor Jeſuitarum.

Contendente igitur & accuſante Bellarmino: *Jovinianus dixit, B. Mariam virginitatem perdidiſſe, idem communiter hodie Calviniſta, quum dicunt, Chriſtum matris vulvam adaperuiſſe,* diſputamus. Si hæc non ſunt idem, tum Bucerus, Molinæus & Beza hæreticus in hoc non fuit. Sin idem, tum Tertullianus, Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Theophylactus, B. Rhenanus, atque adeò B. LUCAS (quod abſit) hæretici fuêre.

Adhæc, ut ex unius Jeſuitæ ore, ora Jeſuitis omnibus occludamus, ut non habeant, quod contra vel muſſitent, attendite. Bellarminus & Gregorius Valentianus aſſerunt: *Notandum eſt,* FOEMINA *quantumvis ab alio* SUPERETUR, *ſi non conſentiat interiùs in actu turpi, non peccat,* NEC VIRGINITATEM AMITTIT, *ſi virgo erat.* E quibus ſtupiditas Jeſuitarum cum malitia conjuncta ſeſe prodit. Ubi enim vulva etiam per turpem coitum aperitur, Jeſuitæ virginitatem ſervari confidenter docent. Euangelici & orthodoxi, qui authoritate Euãgelica & Apoſtolica ſacris literis expreſſa, & antiquorum Patrum conſenſu ferè unanimi, ſine virili opera, ſed per exitum ſacroſancti corporis JESU CHRISTI apertionem vulvæ illibatam & immaculatam beatæ virgini MARIÆ tribuunt, hæreſeos ab iiſdem damnantur. At quod ex noſtra doctrina hoc colligunt, nos ita ſentire, quaſi Chriſtus natus ſit ex Maria non virgine, & Maria ipſa in nixu & partu virgo non permanſerit, ex mera malitia profectum eſt. Nam nullus unquam inter noſtros inventus eſt, qui de vera & intemerata ſanctæ Mariæ virginitate vel tantillum dubitaverit, nedum quicquam adverſus eam ſcripſerit, aut docuerit.

Bellarm. ut ſuprà. & Gregor Valent. T. 4. diſp. 2. q. 2. puncto 1.

Adjiciunt tamen Jeſuitæ Monaſterienſes in Theſibus *de credo Calvini ſequarum,* quibus tres primi fidei noſtræ articuli examinantur, theſi 16. diſput. 3. *Proinde* (quum ſcilicet, Calviniſtæ doceant, Chriſtum per uterum apertum exiviſſe) *non eſt quod miremur, ſi ex partu, uti cateræ mulieres in peccato concepta & concipientes, maledictioni Evæ obnoxia, ita & ipſa benedicta Mater Jeſu infirmata ſit, eáque cauſſa ejus in Ægyptum fugã Deus tantiſper, dum à puerperio revaleſceret, viréſque itineri neceſſarias repararet, diſtulerit: ut nihil divinum cogitans Philoſophatur Calvinus,* in Harm. Euangelica ad cap. 2. Matthæi.

De conceptione & infirmatione Maria puerpera.

Reſpondemus hîc inſigne mendacium latere in eo, quod Mariam cæteris mulieribus in hoc etiam ſimilem vel parem facere dicitur Calvinus, quod ipſa quoque in peccato, ut aliæ mulieres conceperit. Impudens ſanè & manifeſtum mendacium: quod auctor ille etiam ex profeſſo ibidem, & paſſim alibi, refutat. *Conceptam* quidem *eſſe* Mariam virginem ſentit in peccato originis: quippe cui omnes homines (excepto ſolo Chriſto, & quidem propter ſingularem conceptionem è Spiritu ſancto) obnoxii ſunt, Rom. 5. 12 ut nos infrà ſecundo libro etiam fusè circa Pelagianiſmum probamus. At *concepiſſe Mariam in peccato* (nempe Chriſtum, quem ſolum, ex hypotheſi loquendo,

Vide infrà lib. 2. de Pelagianiſmo Pontificiis inhærente circa originis peccatum.

quendo,

quendo, concepit) idem ille omnino pernegat, & nos conſtanter pernegamus. Ergo de *activa* (ut ſic appellemus) conceptione, mendaciũ apertum eſt. De *paſſiva* autem error eſt manifeſtus, ex mera ſuperſtitione natus. De quo tamen errore nondum inter ipſos Adverſarios convenit, prout apud Bellarminum lib. 4. de ſtatu peccati, cap. 15. 16. 17. &c. videre eſt: & à nobis erroris infrà lib. 2. in hæreſi Pelagiana convincitur.

De infirmationis Mariæ modo.

Jam de *infirmatione* virginis ex puerperio, quod hîc dicitur, ſaltem non eodem modo, nec iiſdem verbis apud Calvinum extat. Nam pro laxa & laciniosa hac Sophiſtarum oratione (ad invidiam Euangelicis conflandam ſtudioſè ita concinnata) Calvinus ſic paucis, & quidem dubitanter, inquit: Probabile eſt, Deum Mariæ pepercisse, donec ex puerperio convaluit, ut iter facere poſſet. Nihil hîc de comparatione Mariæ cum aliis mulieribus (inter quas ipſam ſingulari benedictione excellere novimus) nihil de maledictione Evæ, &c. audis. Sed probabilem tantùm interpretis conjecturam ſine præjudicio allatam, audis. Ut non immeritò *novum* mendacium in hac invidioſa exaggeratione, quæ nuſquam in auctore apparet, ſtatuere poſſimus: præſertim quum quidam etiam partus dolor, & quæ inde neceſſariò ſequitur infirmatio puerperæ, merè naturalis ſit: quum etiam Calvinus ipſe excellentiam quandam non vulgarem Mariæ virgini, præ cæteris omnibus mulieribus, diſertè tribuat: uti mox pleniùs audiemus.

Remotis igitur his mendaciis, quid jam quæſo abſurdi in eo eſt, *quod S. virgo*, quæ verè & naturaliter Chriſtum pepererat, *ex partu nonnihil infirmata fuiſſe dicitur*? Nihil profectò. Tamen *Jeſuitis* nimium alta ſemper & pluſquã metaphyſica ſpeculantibus, imò *Mariolatriam* quandam animo agitantib. aliter hîc videatur. Sed quiſnam ipſis hoc myſterium revelavit? Equidem in ſacra Scriptura nullum hujus rei vel leviſſimum indicium extat. Neque miracula nobis abſque neceſſitate, imò abſque ullo fine vel uſu fingenda ſunt. Denique ſana ratio dictat, in ordinariis viis incedendum eſſe, ubi ad extraordinarias non diſertè vocamur. Et qui plura cupit de hac re, videat interpretes ad caput 2. Lucæ ac Matthæi 1. & 2.

De virginitate Mariæ perpetua.

Objiciunt per calumniam Adverſarii è Beza: *Nec intereſt in fide Euangelica, ſecundùm Euangelium Beza (in quo nulla diu poteſt incorrupta virgo perſiſtere) ut poſt Chriſtum natum in virginitate vixerit.* Et citant Bezam in præfatione ad novum Teſtamentum. Ergo ſic à diſputatione de virginitate beatæ Mariæ in partu, tranſiliunt ad aliam diſputationem de perpetua ejus virginitate in reliqua vita. Sed in poſteriore æquè calumnioſè & nequiter, ac in priore.

RESPONDEMUS itaque, novum hîc ſubeſſe mendacium Papiſticum, quia fides Euangelica dicitur *in Euangelio Bezæ*, hoc eſt, cùm Beza auctor ſit, conſiſtere. Nam contra planiſſimè conſtat, fidei noſtræ fundamentum unicum eſſe, non privatam doctrinam Bezæ, ſed verum illud JESU CHRISTI Euangelium, quod ipſi etiam Papiſtæ (ſaltem verbis, ſive externa con-

feſſione oris) amplectuntur. *Deinde,* aliud non minùs evidẽs mendacium in eo continetur, quod juxta noſtrum Euangelium, nulla virgo diu poſſit illæſa perſiſtere. Nam hoc potiùs in doctrinam ſimul & vitam Papiſticam aptiſſimè quadrat. Hîc enim ſcortationes, & aliæ id genus impudicitiæ, maximè vigẽt, inprimis inter eos, qui virginitatem perpetuam voverunt, ſed *propoſſe & velle,* ut ipſi loquuntur. Certè indignum eſt, ſophiſtas id nobis objicere, cujus ipſi potiſſimùm rei ſunt, & à civitatibus, vicis, ædibusque frequẽtioribus paſſim convincuntur. Deus novit, quales in *Clero Papali* virgines ſint, maximè inter *Monachos & Moniales*: Nempe ubi virgines optimæ ſunt, quæſi *non caſtæ ſaltem cautæ ſunt,* &c.

Ad rem ipſam verò (reſectis jam calumniis) quod attinet, non negat *Beza,* aut quiſquam noſtrûm, Mariam virginem etiam poſt natum Chriſtum in ſtatu virginali perſeveraſſe. Imò verò & piè & probabiliter id credi, ſtatuunt noſtri omnes: contraque non immeritò *Helvidium,* & alios olim propterea reprehenſos fuiſſe dicimus, quod ineptis quibuſdam ratiunculis freti, pertinaciter adverſam ſententiam defenderent. Vide Gualtherum in Mathæum homilia 7. & 8.

Patrum teſtimonia. Sic enim Patres & veteris Eccleſiæ Doctores, interpretesque Scripturæ, piis ac probabilibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis hoc confirmant. Cyprianus in expoſitione ſymboli ait: *Partus ipſius mirabilẽ modũ Ezechiel Propheta ante formaverat, Mariam figuraliter portam Domini nominans, per quam ſcilicet Dominus ingreſſus eſt in mundum. Dicit ergo hoc modo: Porta autem, quæ reſpicit, ad Orientem clauſa erit, & non aperietur, & nemo tranſibit, & clauſa erit. Quid tam evidens dici de conſecratione virginis potuit? Clauſa fuit in ea virginitatis porta, per ipſam introivit Dominus Deus Iſraël, & per ipſam proceſſit, & in æternum porta virginitatis clauſa ſervata virginitate permanſit,* &c

AMBROSIUS *De via perverſitatis,* inquit, *produntur dicere, virgo concepit, ſed non virgo generavit. Sed ſi non creditur doctrinis ſacerdotum, credatur oraculis Chriſti, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non eſt impoſſibile Deo omne verbum. Credatur ſymbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana iteratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Et paulò poſt: *Hæc eſt virgo, quæ in utero concepit, virgo quæ peperit filium. Sic enim ſcriptum eſt. Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium. Non enim concepturam tantummodò virginem, ſed parituram virginem dixit. Quæ eſt autem porta ſanctorum ad orientem, quæ manet clauſa? Et nemo,* inquit, *tranſibit per eam, niſi ſolus Deus Iſraël. Hæc* PORTA *eſt beata Maria, de qua ſcriptum eſt: Quia Dominus pertranſivit per eam, & erit clauſa poſt partum. Quia virgo concepit, & genuit. Quid autem incredibile, ſi contra uſum originis naturalis peperit Maria, & virgo permanet, quando contra uſum naturæ mare vidit & fugit? Nõ ergo excedit fidem, quod virgo peperit,* &c.

Epiſt. lib. 10. epiſt. 81. — *Luc. 1. 37.* — *Iſa. 7. 14.* — *Ezech. 44. 2.* — *Pſal. 114. 5.*

EPIPHANIUS multa quidem dilucida profert pro perpetua virginitate Mariæ argumenta, ſed inter alia: *Matrem,* inquit, *in cruce pendentem commendat Johanni: hic accepit ipſam ad ſeipſum. Si verò habuiſſet virum (quem dudum ait idem eſſe mortuum) ſi habuiſſet domum, ſi habuiſſet filios, in ſua ſeceſſiſſet, non ad alienum,* &c. Et Ambroſius lib. 10. epiſt. 79. mul-

Hæreſi 78. — *Joh. 19. 26.*

Digitized by Google

multis tractans hanc Domini commēdationem, quâ Johanni Mater Maria eſt à filio tradita: *Meritò abhorruit*, inquit, *ſanctitas veſtra, quod ex eodem utero virginali, ex quo ſecundùm carnem Chriſtus natus, alius partus effuſus ſit.* Et mox: *Teſtis eſt ergo*, inquit, *idem materni pudoris aſſertor, quod deſponſata tantummodò fuerit viro Joſeph, nulla tamen conjugalis coitus conſuetudine thori jura cognoverit: Neque enim eam ſuſcepturam ex Joſeph filios à viri conſortio ſeparare voluiſſet. Sed ſi hoc parum eſt, addit teſtimonium Euangeliſta, dicens: Quod ſuſcepit eam diſcipulus in ſuum. Nunquid ergo divortium fecit? Nunquid à vero abduxit, atque abſtulit? Hoc ergo teſtamentum Filii eſt de matris integritate. Hæc Maria locuples integri pudoris hæreditas*, &c.

Enchir. ad Laurent. cap. 34. Auguſtinus: *Quod ſi per naſcentem*, inquit, *corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine naſceretur, eúmque falsò, quod abſit, de virgine Maria natum tota confiteretur Eccleſia*, &c. Mox remittit ipſe lectorem ad legendum ſuas ad Volutianum de virginitate ſanctæ Mariæ literas. Extant præterea illuſtria ejus teſtimonia tract. in Joh. 10. & 28. & 120.

Serm. de laudibus Mariæ. Fulgentius: *De cælis*, inquit, *medicus tranſiens per virginem, poſt tranſitum ſuum illæſam facit virginem permanere. Qui enim diſrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in ſua matre, quod invenit integrum, potuit non violare naſcendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potiùs, quàm decrevit. Et virginitas ampliata eſt potiùs, quàm fugata*, &c.

Dogmata Eccleſiaſtica cap. 69. ſic definierunt: *Integra fide credendum eſt, beatam Mariam Dei Chriſti matrem, & virginem concepiſſe, & virginem genuiſſe, & poſt partum virginem permanſiſſe.*

Quamobrem etſi virginitas Mariæ ad tertium articulum ſymboli Apoſtolici fidei Chriſtianæ, de INCARNATIONE DOMINI referenda eſt, nihilque proſus intereſt, quid poſtea acciderit: omnino tamen pietatem & modeſtiam noſtram decet, receptæ huic opinioni vel ſententiæ, utpote honeſtari ſimul & magis probabili (nō enim deſunt plures pro ea rationes) adhærere. Contrarias Helvidii & cōplicū ejus ſententias tum ſanctus Hieronymus, tum RODOLPHUS GUALTHERUS homilia in Math. 8. fusè & ſolidè refutavit: ut non opus ſit hanc camarinam ulteriùs hîc etiam movere. Sufficiat probatum eſſe à nobis, de virginitate ſanctæ Mariæ & ante partum, & in partu, & poſt partum Chriſti filii Dei Euangelicos orthodoxè & Catholicè ſentire. Sit ergo hæreticus in ſua opinione Jovinianus de perdita ſanctæ Mariæ à partu virginitate, nos hanc illibatam & immaculatā perſtitiſſe ſentientes ac docentes, orthodoxi & Catholici verique Chriſtiani ſumus.

Quintò ait Bellarminus: *Jovinianus docuit, præmia beatorum eſſe paria, & ſic Lutherus in ſerm. de natali beatæ Mariæ, & comment. in 1. Pet. Omnes ſancti æquè ſancti ſunt*, inquit, *atque mater Dei. Ex quo ſine dubio ſequitur, fore omnes æquè beatos.* 5. *Præmia beatorum eſſe paria Euangelici non ſentiunt, ut Jovinianus.*

RESPONDEMUS *primùm* ad Joviniani opinionem: *deinde* ad Lutheri ſententiam. Quibus cognitis, Euangelicos hîc tam procul ab hæreſi diſſitos perſpiciemus, quàm longe ortus ab occaſu eſt ſemotus.

PRIMO, ſi Jovinianus ſenſit, æquali menſura electis omnibus mercedem

cap.50 51. Prov.19.14. Unde proverbium: *Conjugia ſunt fatalia.* 9. Quia cõjugium eſt ſeminarium tam Eccleſiæ quàm reipublicæ, ex quo ſemẽ quoddam augendo & conſervando regno Dei progerminat. 10 Quia in eo nihil eſt, quod per ſe fidei Chriſtianæ & ſanctitati repugnet, ac ſacræ orationi, divinis in Eccleſia officiis vel pietati obſtet atque officiat. Quin potiùs eſt pulcherrima ſchola quarumvis Chriſtianarum virtutum, isque planè ſtatus, ſine quo eæ ipſæ & omnia bona opera ut & totum genus humanum atque Eccleſia Chriſti, non poſſunt honeſtè & legitimè propagari ac conſervari. 11. Præſtat ingentia bona tum reipub. tum Eccleſiæ, tum Oeconomiæ, tum denique ſingulis hominibus. Adeoq; plenum eſt var. .n documentorum divini erga homines amoris, teſtimoniumq; arctiſſimæ Chriſti cum Eccleſia conjunctionis. 12. Quia ſummè Deo diſplicet, & in pœnas temporales atque æternas incurrit, quicquid huic ordini adverſatur. Heb.13.4. Levit.18. 20.22.23. & 20.10.11. Rom.1.26.27. Math.19.9.

Epheſ.5.32.

Nonnulla igitur differentia quidẽ donorum iſtorum Dei eſt, nempe cœlibatus ſeu virginitatis & conjugii: ſed talis ut neuter ſtatus alteri ſimpliciter & per ſe, ſed κατά τι & ſecundùm quid præſtet atque excellat.

Alioqui quum ſint oppoſita, oppoſitorum eſt ædæquatio. Nam in genere boni conveniunt, ideoque liberam eſſe uniuſcujuſque electionem Apoſtolus 1.Cor.7.tum paſſim, tum præcipuè verſu 27.oſtendit. Id enim vult, qd dicit: *Habes uxorem, ne quæras ſolutionem,* id eſt, ne eff. ctatè quæras divortium, aut diſceſſum ab ea, ne ſit tibi moleſtũ matrimonium, quod eſt contra carnis incontinentiam neceſſarium & utile, to:que rebus ſuprà recitatis honeſtum atque expetendum. Bonum igitur eſt, alioqui ad id conſervandum malè hortaretur Apoſtolus. Sic de virginitate: *Solutus es,* inquit, *ab uxore, ne anxiè quæras aliquam.* Bona igitur & eadem eſt: atque hoc utrique commune eſt. Deinde in eligendo quoque libertas eſt, ut in conſervando. *Qui ducit uxorem, non peccat, & virgo nubens, non peccat.* Sunt igitur in eo æquata bona, quia utrumque ſine peccato eligi poteſt.

Hinc quoque argumentum depromitur de ſecundis nuptiis. Si ducere & retinere uxorem ductam: etiam de novo uxorem ducere, non eſt peccatum, ſed res libera. At prius verum. Ergo & poſterius. 1.Cor.7.39. Denique omnia huc recidunt: Igitur virginitas non debet omnibus obtrudi, neque potior præſtantiorque conjugio ſimpliciter exiſtimari.

Cœlibatus conjugio à quibuſdam Pontificiis æquatur.

Et quoniam ſic cum ſacra ſcriptura Euangelici conjugium virginitati dignitate ac merito æquari ſentiunt, qui hæretici eſſent? Hoc enim nemo neſcit, eos conjugium ſanctum ſuperſtitioſè tantum, coactæ & plerunque vix virginali virginitati anteponere, non autẽ verã virginitatẽ extenuare, ac cõjugio poſt habere. Agnoſcunt & laudant hoc in iis ex ipſis quoque Pontificiis non infimi, quorum G. LINDANUS *In confeſſion. Wittenbergenſi, inquit, manifeſtum eſt, ſcribunt, quod etſi cœlibum ſtatus ſit in publicis periculis tranquillior, & ad peragenda publica Eccleſiæ miniſteria*

Panopl. lib 4.

ſteria his, qui non uruntur, aptior & accommodatior, tamen non eſt ſentiendum, quod hoc genus vitæ per ſe ſit coram tribunali Dei excellentius aut ſanctius quàm conjugium.

Comment. in 1. Cor. 7. Cur ita? Quia hæc eſt illa beatitudo quam S. Paulus 1. Cor. 7. prædicat, & de qua ARIAS MONTANUS, *Beatior autem erit*, inquit, *ſi ſic, id eſt, Virgo permanſerit.* BEATIOR *ut pote quæ minus moleſtiarũ, minúsque impedimenti habitura eſt, & ſpiritu & corpore ſeſe totam in pietatis exercitationem tradet.*

Comment. in 1. Tim. 3. Propius tamen Euangelicis accedit Claudius Eſpenſæus Epiſcopus, ſcribens: *Nuptiæ licet plurimum difficultatis habent, ſic tamen aſſumi poſſint, ut vitæ perfectiori impedimento* NON *ſint, rarò licet & planè difficile id fit. Apoſtolus ad Titum* HÆRETICIS *nuptias damnantibus ora obſtruit, rem adeò pretioſam oſtendens, ut cum ea poſſit quis ad ſanctum Epiſcopatus ſolium ſubvehi.* Et ſic Chryſoſt. Homilia 2. in Titum.

Jovinianus virginitatem conjugio æquans à Papiſtis ipſis defenditur. Quia autem Euãgelici dicunt perperam reprehendi Jovinianum ab Hieronymo & Auguſtino, qui eũ hæreſeos propterea notant, quod conjugium virginitati dignitate & merito æquet, tum aſſentientes ſibi, tum defendentes Jovinianum etiam præcipuos quoſdam Papiſtas habent. DES. ERASMUS enim adverſus Albertum Pighium de virginitate: *Hieronymus*, inquit, *fervido quodam affectu ita interdum rapiebatur in admirationem virginitatis, ut piis etiã viris videretur lædere matrimoniũ. Sit hoc vanum, niſi in Hieronymi ſcriptis inveniantur ea verba, quæ ſunt apud Tertullianum eo nomine damnata.*

Sed quoniam ERASMI verba in ſpongiam *deleatur* incidere poſſent apud Adverſarios, nihil veri & orthodoxi ferre valentes, alius etiam Papiſta quærendus eſt, qui & pro candore velit, & pro eruditione poſſit, & pro authoritate ſua valeat verum fateri, ac perſuadere. Eſt is JOSEPHUS ACOSTA, qui lib. 2. de Chriſto revelato cap. 20. ait: *Hieronymus videtur aliquanto matrimonio iniquior.*

Poſtremò Auguſtinus ipſe meliora Papiſtas edocet, ſcribẽs: *Cave, melior eſt in Scriptura Dei veritas, quàm in cujuſquam mente aut carne virginitas.* De virginit. cap. 18.

Progreditur verò Bellarminus in ratione ſua debili, quod votum continentiæ propter cœlibatus dignitatẽ & præſtantiã conjugio majorem licitũ ſit, probãda, ac tertiò objicit: *Patres paſſim dicere, virginitatem eſſe perfectam vitam.* At Patrum & dicta & ſententiæ ipſum falſum loqui docent. Clemens Alexandrinus conjugatos non minùs eſſe perfectos oſtendit, quàm cœlibes. *Non neceſſario*, inquit, *à liberorum abducit procreatione, qui credentes per unum baptiſmum ad conſuetudinem omni ex parte perfectam abluit Dominus.* Strom. 3. in fine. *Object. 3.* *De Monachis cap. 18.*

Sed nec Bellarmini teſtes pro ipſo aliquid loquuntur. Cyprianus lib. de habitu virginum ne verbum quidem unũ facit de perfectione vitæ cœlibis.

Dionyſius Areopagita vulgò dictus dicit. *Sacerdotem Monacho perfectiſſimam vitam exponere.* Sed hoc etiam populo faciunt Eccleſiæ paſtores & Epiſcopi. Num ergo veriſimile eſt, eum exiſtimaſſe Monachos & Sãctimoniales vitam perfectiſſimam agere. Quod etiam inde colligitur, quia Epiſcoporum ordinẽ ibidem dicit eſſe πλεςικὴν τά- *Eccl. Hierarch. c. 6.*

Digitized by Google

ξιν, & Monachos Diaconis inferiores facit.

Demonſt. Euangel. lib.1.cap 8. Euſebius de ſui temporis Monachis præclarè exiſtimavit, & illud vitæ genus perfectius eſſe ſenſit. Sed quæritur hoc loco de perfectione vitæ cœlibis. *Præterea* hoc vitæ genus à præcepto & lege Chriſti profectum eſſe dicit. At Adverſarii longè aliter de eo philoſophantur. *Poſtremò* multum intereſt inter primos & noſtri temporis Monachos.

Conſtit. Monach. cap.19. Baſilius non cœnobitas, ſed *eremitas dicit perfectorum Philoſophorum formam adeptos.* Adhæc dubitari poteſt, ut ante diximus, an illæ conſtitutiones fuerint Baſilii.

Gregorius Nazianzenus in Orat. de obitu Baſilii, nihil de vitæ Monaſticæ perfectione ſignificat, licet eo tempore multo meliores eſſent Monachi, quã qui nunc vivũt. At ſignificat eos ſchiſma in Eccleſia excitaſſe, & Baſilium oppugnaſſe.

Lib.3. adv. eſ vituperat. vita Monaſtica. Chryſoſtomus dicit, *& Monachos & ſeculares pariter ad ſupremum perfectionis faſtigium per divinas leges cogi.* Tantum abeſt, ut vel Baſilius, vel Gregorius Nazianzenus *vitam perfectam, imò perfectiſſimam* appellarit Monaſticam, vel ut Chryſoſtomus *in ea poſuerit perfectionis culmen,* ut tamen Bellarminus aſſerit.

Epiſt.1. ad Heliod. Hieronymus dicit, Heliodorum pollicitum eſſe *ſe perfectum fore, cúmque perfectam vitam ſequutum eſſe.* Sed & hoc reliqui Chriſtiani & polliceri & ſequi tenentur. Omnes enim Chriſtus ad perfectionem hortatur, Math. 5. 48. Præterea non in cœlibatu, ſed in conjugio quoque Math. 19. 4. 5. 6. 9. 14. & multis aliis in rebus perfectionem poſuit, Math. 5. ab exordio uſque ad finẽ, & 6. ac 7. capitibus.

Auguſtinus Monachis *Chriſtianorum perfectorum* appellationem tribuit, & virgines *in via ſublimitatis* incedere dicit. Sed ex Auguſtini Monachis nullus mendicabat, nullus voto aſtringebatur, aut ſub regula certa vixit. Præterea nec aliis Chriſtianis perfectorum nomen negat. Aliud eſt denique per ſublimia incedere, aliud perfectionem adipiſci, quæ in hac vita non planè habetur. Phil. 3. 12. 13. 14. 15. *De morb. Eccl. cath. c.31. lib.1.*

Sulpitius virginitatem laudat, *& ei nihil dicit eſſe comparandum.* Non tamen ideò ſequitur in ea perfectionem eſſe ſitam. *Dial.1.*

Ambroſius denique lib. 1. de virginibus, & Cyrillus Catech. & Nazianzenus in carm. de virginitate, & Athanaſius lib. de virginitate, & Hieronymus epiſt. 8. ad Demetriadem, & Auguſtinus de ſancta virginitate cap. 13. & alii nonnulli *virginitatem cum vita Angelica comparant.* Sed nec certum eſt, omnia hæc teſtimonia ex libris genuinis eſſe deprompta, nec omnia illa urgenda ſunt, quæ Patres panegyricè in laudem virginitatis dixerunt. Nõ ſunt denique ad virginitatis profeſſores extendenda, quæ illi de caſtitate mentis & corporis propter Chriſtum ſolum electa dixerunt, & intellexerunt. Sic de primæ rationis arce Pontificii ſunt dejecti.

2. Altera ratio pro cœlibatus dignitate conjugium ſuperante. Altera ratio, quã votum continentiæ propter majorem cœlibatus dignitatem quàm matrimonii licitum eſſe conantur evincere Pontificii, *ex utilitate vovendi* ab illis ſumitur. Sed non eſt ſimpliciter concedendum, *omne illud*

Digitized by Google

ud Deo eſſe vovendũ, quod eſt illi gratius, ſi fiat, quàm ſi non fiat. Adverſarii enim negant, *quæ præcipiuntur*, vovenda eſſe. At ea Deo gratiſſima eſſe conſtat. Illis enim ampliſſima promittitur merces. Ezech. 20. 19 Levit. 18. 5. Nos etſi ad carnis concupiſcentiam frenandam, & quando hoc conducit, aliquid lege præceptum voveri poſſe doceamus: non tamen omnia cervicibus noſtris imponenda, nec temerè animas Chriſtianorum illaqueandas eſſe cenſemus. Sutlivius de Monachatu cap. 17. 19. &c.

De Monachis. c. 28. Verùm ut liceret vovere, quicquid Deo gratum fore putamus, *non tamen melius eſt & gratius ex voto aliquid facere, quàm ſine voto*, ut aſſerit Bellarminus. Nam *præſtat obedientia ſacrificio*, ut inquit Samuel, *& melius eſt obedire, quàm offerre adipem arietum*. *1. Sam 15. 22.* Et Deus non vult ad legem ſuam quicquam addi, aut præceptis hominum coli. Deut. 4. 2. Math. 15. 9. Præterea valdè abſurdum eſt, plus placere obedientiam inſulſi Monachi, quàm Abrahami, qui pater erat fidelium, & cœlibatum ac virginitatem Bellarmini vel Papiſtarum, quàm virginitatem Johannis Apoſtoli, aut Chriſti Jeſu, quia nihil iſti ex voto, ille ex voto virginitatem colit. Nihil denique eſſet Chriſti lege imperfectius, ſi poſſunt Monachi res Deo gratas extra eam excogitare.

Pſal. 76. 11. Auguſt. epiſt. 45. At, inquit Bellarminus *Scriptura hortatur ad vovendum, ut & Auguſtinus*, ac alii multis in locis. At neque Scriptura, neque Auguſtinus de votis Monaſticis, cujuſmodi nunc Monachi emittunt, loquitur. Deinde Scriptura hortatur *ad canendum*, Pſal. 33. 2 3. & 68. 5. & *ad pſallendũ in cithara*, Pſal. 98. 5. & 147. & *ad levandum manus*, Iſa. 13. 2. & Threnor. 2. 19. nec tamen omnia, quæ fiunt cum cantu & manuum elevatione meliora ſunt, & Deo gratiora, quàm quæ aliter fiunt.

Dicit ſecundò *opus eſſe melius, quo ex pluribus aut ex majore virtute procedit*. At neque Scriptura, neque Patres de votis Monaſticis id intelligunt: ſed de rebus à Deo præceptis. Ut Math. 18. 20. ubi Chriſtus de congregatione fidelium in ſuo nomine dicens, *ubi ſunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic ſum in medio illorum*: colligendum inde innuit, multò magis ſe in medio futurum, ſi plures in ſuo nomine coëant. Deinde ineptiſſimè ratiocinatur Bellarminus. Nam ſi Deum laudare vellet citharis, tympanis & campanis: non plus tamẽ aut fortaſſe minùs placeret, quàm ſi ex intimo corde aut voce humili ejus laudes celebraret. Et in cultu divino ſpectare debemus, non quid nobis pulchrum videtur, ſed quid Deus præcepit, & à nobis poſtulat. Deut. 12. 31. Iſa. 29. 13. Math. 15. 6. Auguſtinus dicit: *Virginitatem, quia Deo dicata eſt, plus placere, quàm quia virginitas eſt.* *De virginit. cap. 8.* At nihil hoc ad votum. Nam ſine voto & virginitas, & omnia noſtra Deo dicari poſſunt. Negamus denique, *quicquid ex voto fit, ex virtute procedere.* Vovere enim & capita ſua devovere etiã Ethnici ac Pagani ſunt ſoliti, licet nec ex fide, nec charitate id fecerint.

Dicit tertiò, *quod ex voto fit, majori fieri charitate, quàm quod ſine voto.* Sed nobis ſomnium ſuum narrat. Malè enim actum eſſet cum republica Chriſtiana, niſi reliqui Chriſtiani plus Deum &

 proxi-

proximum amarent, quàm plerique Monachi, qui omnia ſub virginitatis & ſanctitatis ſuæ fictæ prætextu ad ſe ſolos trahunt. Et planè actum eſſet de pietate & ſanctitate, niſi rectiùs crederent, & ſanctiùs viverent, quàm iſti votis obſtricti. Vide Hoſpinianum de origine Monachatus, & Heliam Haſenmillerum in hiſtoria Jeſuitica.

Dicit quartò, *melius eſſe, quod fit volūtate confirmata in bonum, quàm quod fit ſine ejuſmodi firmitate.* Sed ſi voluntatem Monachorum in bonum confirmatā eſſe putet, toto cœlo errat, & non tantùm in Monaſticæ vitæ inſtituto. Vide ibidem.

Dicit poſtremò *homines paratiores & magis munitos ex voto reddi ad reſiſtendum* [Math. 15. 6.] *adverſus tentationes diaboli.* At hoc illud eſt, quod Chriſtus aſſerit, irritum fieri mandatum Dei per traditionem humanam, quia homines in hac obſervāda paratiores & confirmatiores ſeſe gerant, quàm in præſtando Dei mandato. Deinde, ſi illud de ſuis Monachis affirmat, citiùs illud optarit, quàm probarit, quoad diaboli tentationes. Neque enim ullum hominum genus diaboli tentationibus magis eſt obnoxium, ut ex legendis liquet, & res ipſa docet. Nō eſt ergo melius, quicquid fit [Strom. 3. de virgin. c. 8.] ex voto, quā quod ſine voto fit. Præterea virginitas, ut antea ex Scriptura & *Clemente* oſtendimus, *ex ſe nihil valet.* Et *Auguſtinus* aſſerit, *ipſam quia virginitas eſt, nō honorari.* Fruſtrà ergo quæritur, utrū virginitas melior ſit ex voto, quàm ſine voto. Ex ſe enim, nec ſine voto, nec cum voto Deo placet. Atque ita ut pro voto continentiæ omnes Bellarmini argutias diſcuſſas videre licet: ita virginitatem nec dignitate nec merito conjugium antecellere propter votū aut propter ſeſe, haud obſcurè jam conſtat.

Quod autem de Luthero Bellarminus in hac controverſia dicit, fatetur [De notis Eccleſ. c. 9.] *Articulo 38. Lutherus, caſtitatem eſſe nobilius donum,* indicat abſolutè Lutherum cum Joviniano non ſenſiſſe, ſed κατά τι, & diverſo reſpectu, quo ſuprà à nobis explicatum.

Subjungens addere Lutherum: *Statum verò cœlibum eſſe ſecularem, terrenum & quaſi lutum,* ſciat hæc de religioſis & Eccleſiaſticis Lutherum dixiſſe, prout vitam vivebant per illud tempus quāplurimi.

Repetamus igitur concluſionis loco pauciſſimis praxin vetuſtiſſimæ Eccleſiæ Chriſtianæ, in qua Anno à Chriſto 200. de dignitate & merito cœlibatus præ conjugio nulla fuit vel quæſtio, vel recepta jam opinio. Clemens enim [De cœlibatus dignitate præ cōjugio epilogus hiſtoricus.] Alexandrinus: *Quis fuerit,* inquit, *perfectus, exēpla habet Apoſtolos, & revera vir oſtenditur, non in eo, quod vitam elegerit Monaſticam: ſed illa viros vincit, qui in matrimonio & liberorum procreatione, & domus cura ac providentia citra voluptatem & dolorem ſe exercet.* [Strom. 7.]

Poſtea aliquot veterum virginitatē conjugio ſtatum eſſe perfectiorem defendere videntur, ſed in ejus laudibus hyperbolicūs loquuntur. Cyprianus: *Virginitas,* inquit, *æquat ſe Angelis: ſi ultra exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata, victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli.* [Lib. de bono pudicitiæ.] Sed de veris ac conſtantibus virginibus ille loquitur, & hyperbolicè (ut diximus) ſtatum earum extollit. Ideò cæteras quidem ſacras

ſacras virgines nubentes poſt votum reprehendit alibi ob inconſtantiam, ut tamen minimè illarum conjugia damnet. *Quod ſi ex fide*, inquit, *ſe Chriſto dedicaverunt, pudicè & caſtè ſine ulla fabula perſeverent: ita fortes & ſtabiles præmium expectent. Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt* (ſcilicet præ inconſtantia) MELIUS EST UT NUBANT, *quàm in ignem delictis ſuis cadant*.

Lib.1. epiſt. 11.

Athanaſius: O *continentia*, inquit, *gaudium Prophetarum, Apoſtolorum gloria! O continentia Angelorum vita, & ſanctorũ hominum corona!* Sed 1. hîc valere debet illud Theodoreti Dial. 3. *Non ego dogmatum & decretorum regulã ea duco, quæ in Eccleſia panegyricè & declamatoriè dicũtur.* 2. Nõ præjudicat Athanaſius incõtinentibus, ſed iis idem, quod Apoſtolus 1. Cor. 7. 2. & 9. ac Cyprianus loco modò citato, ſuadet.

Lib. de virginit.

Qua de cauſſa alii de virginitate moderatiùs loquuntur. Ut Origines: *Quoniam videmus*, inquit, *nonnullos ſanctorum, aliquos etiam Apoſtolorum habuiſſe conjugia, non uſque adeò poſſumus de ſola virginitate ſentire.* Chryſoſtomus hom. 7. ad Heb. *Utere*, inquit, *cum moderatione nuptiis, & primus eris in regno, & omnibus frueris bonis.*

Lib. 8. in Rom.

Patres denique virginitati nimium aliquando tribuerunt, ut extremum, vitio communi maximè contrarium eligerent. Nondum enim erat depoſita apud populum polygamia ethnica. Deinde ut ſuſpicionem concubitus vitarent. Poſtremò, quia cœlibes minori cum moleſtia perſequutionẽ ferebãt. Ea ceſſante, conjugii uſum commendabant, & pro ratione doni continentiæ liberum relinquebant, ut ſupra oſtenſum. Ac ita plus ſatis Euangelicorum innocentiam adverſus eam quoque calumniam proteximus, qua in dignitate conjugii & cœlibatus æquanda hæreſin Joviniani, quæ nulla hac in re, fovere inſimulantur.

Hinc quod Bellarminus de Magdeburgenſibus, Auguſtinum ac Hieronymum Jovinianis præter rationem hoc in negotio hæreſin tribuere dicẽtibus, ſcribit: *Quum ipſi potius* (nempe Auguſtinus & Hieronymus, quod dicant Magdeburgẽſes) *ſi contrarium ſenſerunt, fuerint hæretici*, non bene referuntur, ſed gravius & invidioſius ipſorum verba. Sic enim illi ad verbum: *Tribuerunt, inſuper Hieronymus & Auguſtinus Jovinianis propoſitiones, quaſi erroneas & falſas, quæ ſi non acceſſerunt circumſtantiæ aliquæ malæ & reprehenſibiles, à verbo Dei non diſcrepãt*, &c. Conditionem itaque illam expungi non oportuit. Nam *ex circumſtantiis* (ut cum Auguſtino loquamur lib. 2. de doctr. Chriſtiana) *facta æſtimantur, atque ex eis meliora aut deteriora cenſeri juſtum eſt.* Nullæ autem circumſtantiæ quum appareant in doctrina Joviniani de æqualitate dignitatis in conjugio & virginitate, quæ eum aliquid à verbo Dei diſſentiens dixiſſe convincant nequaquam ipſe, ſed Hieronymus & Auguſtinus hîc erraviſſe deprehenditur, &c. Nam omnino Jovinianus tantùm virginitatem ſimulatam Monachorum & Monialium irridebat, eamque male ſervari, inter eorum greges educatus experientia cognoſcebat, conjugium verò dignitate virginitati par eſſe è ſacra Scriptura diſcebat.

At QUARTO ſenſiſſe Jovinianum hæreticè ait Bellarminus, *quod B. Maria*

Digitized by Google

4. *Mariam in partu virginitatem amiſiſſe non ſentiunt Euangelici. Lib. de notis Eccleſ. c. 9.*

in partu virginitatem amiſerit. Reſpondemus ergo: Tum, ſi ita Jovinianus ſenſit & docuit, audaciſſimus atque impudentiſſimus hæreticus & Cynicus fuit.

Sed addit Bellarminus: *Idem Bucerus & Molinæus, dicentes Jeſum naſcentē in partu vulvam adaperuiſſe B. Mariæ. Et Maldonatus* Cōment in Luc. 2. *Inter alias innumerabiles hæreſes*, inquit, *Calviniſtarum hæc una eſt, quod Matrem Chriſti in partu Virginem fuiſſe negant.*

Verùm *primo* hoc dictum non Buceri, quātum quidem in ipſius ſcriptis videre licuit, ſed MOLINÆI particulare eſt, in Harm. 4. Euangeliſtarum parte 3. Dicere igitur poſſumus. Ipſe viderit. Nihil iſtud ad communes Eccleſias Euangelicas.

Deinde, etſi Bucerus cum Molinæo ſic dicere à Papiſtis arguatur, ac etiam Theodorus Beza, qui contra Brentiū ſcribat: *quod Chriſtus divulſis diſtractiſque uteri materni partibus egreſſus ſit*: tamen peccat Bellarminus & alii & ſimiles Ignoratione Elenchi & cauſſæ pro cauſſa.

Error Papiſticus in violatione virginitatis ineptè deſcribenda.

Nam *primò* affingunt nobis Adverſarii, quod S. Mariam virginali integritate læſa Chriſtum genuiſſe dicamus ſicut Jovinianum, Mariam *amiſiſſe virginitatem in partu* dicentem, quia non admittimus fictam illam partus virginei B. Mariæ rationem, quam Pontificii & in primis Jeſuitæ tenent, nempe *Chriſtum naſcentem non aperuiſſe vulvam Mariæ.* Quæ illorum opinio ex Lucæ Euangeliſtæ capite 2. ℣. 23. facilè refelli poteſt. Nam Chriſtus διήνοιξε τὴν μήτραν, id eſt, *adaperuit vulvā*, ut in illo loco habetur, dum lex Moſaica ex Exodi 13. 2. & Num. 8. 6. de primogenito uterū vel vulvam matris aperiente, eidē applicatur. Sed tamen Maria poſtea virgo permanſit, ut etiam nos cum omnibus orthodoxis ſentimus ac profitemur.

Quare Molinæus in Harmon. Euangeliſtarum iis verbis inſiſtens, ſic ſcribit: *Rejecto Papiſtarum figmento, quod filius Mariæ, ut radius ſolis per vitrum ſic per uterum illæſum tranſivit: dicendum & credendum eſt, quod naturaliter, & ruptis obicibus, & apertis locis exivit & natus eſt.* Similiter Beza contra Brentium ſcribit, *quod Chriſtus divulſis diſtractiſque uteri partibus egreſſus ſit.*

De partu virgineo Patres Euangelicis ſuffragantur.

Neuter verò horum, ut nec quiſquā alius noſtrum dixit, vel ſcripſit, docuit aut ſtatuit, virginalem Mariæ integritatem in partu violatam fuiſſe, licet aperto & revulſo Mariæ utero Chriſtū natum dicant. Nam noſtra ſententia etiā tum veteris orthodoxæ Eccleſiæ, tum recentioris ſuffragiis confirmatur; Papiſtarum autem opinio confutatur.

Origenes enim ſuper Lucam: *Matris* inquit, *Domini uterus eo tempore reſeratus eſt.*

Tertullianus de carne Chriſti; *Virgo*, inquit, *in partu nupſit, ipſa patefacti corporis lege.*

Ambroſius lib. 2. cap. 7. in Lucam: *Aperuit Chriſtus genitale ſecretum*, inquit.

Hieronymus quidem alicubi dubitare videtur, utrum Chriſtus ex Matre Maria cruentatus exierit? Sed ad Euſtachium, *Dei Filius*, inquit, *in utero novem menſibus expectat, faſtidia ſuſtinet,* CRUENTUS EGREDITUR, *pannis involvitur.*

CHRYSOSTOMUS inquit, *Dentero*

Digitized by Google

tero prodire, commune habet nobiſcum Chriſtus.

PROCLUS Cyzicenus Epiſcopus orationem habens coram Patribus in Synodo Epheſina congregatis: *Iſte Immanuel*, inquit, *natura quidem portas aperuit ut homo, virginitatis autem clauſtra non fregit ut Deus. Sic naſcitur ut eſt conceptus. Impaſſibiliter introiit, ineffabiliter exivit, ſecundum quod Propheta Ezechiel dixit, convertit me Deus ad viam portæ ſanctuarii*, &c. Hactenus veteres.

Annot. in Luca 2. Inter recentiores Eraſmus in Luc. 2. ℣. 23. ſcribit *De Chriſto ſcriptum eſt: Quicunque primum* APERUERIT VULVAM *Sanctus Domino vocabitur. Origenes Homil. 14. putat, Chriſtum virginis matris* VULVAM ADAPERUISSE, *ſed non more cæterorum. Cæterorum enim conceptus quoque mulieris uterum aperit, quum Chriſtus clauſo virginis utero ſit conceptus, citra virilem operam. Porrò naſcens*, APERUIT *uterum ut* NON CONVELLERIT CLAUSTRA *pudicitiæ* VIRGINITATIS. *Hæc eſt Origenis ſententia, quæ ſanè pugnat cum eo, quod tam pia credulitas omnium ferè animis infixit, Chriſtum ſine nixu & labore parturientis, clauſo virginis utero prodiſſe. Quæ ſane ut eſt plauſibilis, nec irreligioſa, ita ſanè Scripturarum ſacrarum teſtimoniis doceri* NON *poſſit. Certè & Ambroſius ab Origenis ſententia non abhorruit*. Et profecto virginitas S. Mariæ non magis per hunc partum quàm per antegreſſam uteri geſtationem læſa fuit.

Error Papiſticus in virginitate malè definienda. Etenim *deinde* Adverſarii aut neſciunt, aut ſe neſcire fingunt, quidnam ſit virginalis integritas, & quomodo hæc eadem violetur. Nempe illa in hoc poſita eſt *ſi virgo virum nō cognoſcat*, prout S. Maria de ſeipſa apud Angelum Gabrielem Luc. 1. ℣. 34. teſtabatur. Non igitur illa magis per partum, quā per conceptionem, perque uteri geſtationem, violari potuit. Nam ut multæ ſunt non virgines, quæ eſſe videntur, quippe quæ viros cognoſcunt, quæ tamen nec concipiunt, nec pariunt; ita contrà hæc ſola Virgo verè concepit quidem, & verè peperit, atq; ita verè mater evaſit, non tamen vera virgo per hoc eſſe deſiit, quia quod cōcepit & peperit, non ex admiſſione & commixtione viri, aut ex virili ſemine, ſed ex Dei Spiritu procreatum fuit.

Agnoſcit & prædicat hoc nobiſcum CORNELIUS JANSENIUS, ſcribens: *Patres aliqui dicunt, Chriſtum propriè adaperuiſſe vulvam Matris ſuæ, quum aliis mulieribus ſoleant* VIRI *uterum aperire, quæ eſt ſententia Theophylacti in hunc locum. Similis eſt ſententia Ambroſii ſic ſcribentis: Non enim virilis coitus Virginis ſecreta reſeravit, ſed immaculatum ſemen inviolabiliter utero Spiritus ſanctus infudit. Hic ergo ſolus* APERUIT VULVAM, *ut immaculatus exiret. Similia habet Origenes. Tertullianus dicit*, MARIAM PATEFACTI CORPORIS *lege peperiſſe, quum omnes hodie Theologorum centuriæ Chriſtum clauſo virginis utero prodiiſſe velint. Tametſi Tertulliano Ambroſius ſubſcribit. Sed quis divinare potuit, quid ſubtiles iſti Theologi tot poſt ipſum ſeculis eſſent definituri? Eo vix alium antiquiorem ſcriptorem Chriſtianus orbis habet.* *Concord. in Luc. 2.* *Rhenanus in Arg. 3. ad lib. de carne Chriſti.*

Antiquitas imò Adverſariis in hoc tam inviſa fuit, ut cenſores ex authoritate Concilii Tridentini ad hoc munus delegati, ſatis pro imperio ſic decreverint. *Deleantur ſequentia iſta in Beato Rhenano in argumēto libri* (Tertulliani) *Index expurgat. de pag. 78.*

de carne Chriſti, quod officit perfectioni virginis matris. Nec tu igitur Beate Rhenane potuiſti divinare, quid rigidi iſti de te decreturi eſſent.

Stupor Jeſuitarum. Contendente igitur & accuſante Bellarmino: *Jovinianus dixit, B. Mariam virginitatem perdidiſſe, idem communiter hodie Calviniſtæ, quum dicunt, Chriſtum matris vulvam adaperuiſſe,* diſputamus. Si hæc non ſunt idem, tum Bucerus, Molinæus & Beza hæreticus in hoc non fuit. Sin idem, tum Tertullianus, Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Theophylactus, B. Rhenanus, atque adeò B. LUCAS (quod abſit) hæretici fuêre.

Adhæc, ut ex unius Jeſuitæ ore, ora Jeſuitis omnibus occludamus, ut non habeant, quod contra vel muſſitent, attendite. Bellarminus & Gregorius Valentianus aſſerunt: *Notandum eſt,* FOEMINA *quantumvis ab alio* SUPERETUR, *ſi non conſentiat interiùs in actu turpi, non peccat,* NEC VIRGINITATEM AMITTIT, *ſi virgo erat.* E quibus ſtupiditas Jeſuitarum cum malitia conjuncta ſeſe prodit. Ubi enim vulva etiam per turpem coitum aperitur, Jeſuitæ virginitatem ſervari confidenter docent. Euangelici & orthodoxi, qui authoritate Euãgelica & Apoſtolica ſacris literis expreſſa, & antiquorum Patrum conſenſu ferè unanimi, ſine virili opera, ſed per exitum ſacroſancti corporis JESU CHRISTI apertionem vulvæ illibatam & immaculatam beatæ virgini MARIÆ tribuunt, hæreſeos ab iiſdem damnantur. At quod ex noſtra doctrina hoc colligunt, nos ita ſentire, quaſi Chriſtus natus ſit ex Maria non virgine, & Maria ipſa in nixu & partu virgo non permanſerit, ex mera malitia profectum eſt. Nam nullus unquam inter noſtros inventus eſt, qui de vera & intemerata ſanctæ Mariæ virginitate vel tantillum dubitaverit, nedum quicquam adverſus eam ſcripſerit, aut docuerit.

Bellarm. ut ſuprà. & Gregor Valent. T. 4. diſp. 2. q. 2. puncto 1.

De conceptione & infirmatione Maria puerpera. Adjiciunt tamen Jeſuitæ Monaſterienſes in Theſibus *de credo Calvini ſequarum,* quibus tres primi fidei noſtræ articuli examinantur, theſi 16. diſpur. 3. *Proinde* (quum ſcilicet, Calviniſtæ doceant, Chriſtum per uterum apertum exiviſſe) *non eſt quod miremur, ſi ex partu, uti cæteræ mulieres in peccato conceptæ & concipientes, maledictioni Evæ obnoxia, ita & ipſa benedicta Mater Jeſu infirmata ſit, eáque cauſſa ejus in Ægyptum fugã Deus tantiſper, dum à puerperio revaleſceret, viréſque itineri neceſſarias repararet, diſtulerit: ut nihil divinum cogitans Philoſophatur Calvinus,* in Harm. Euangelica ad cap. 2. Matthæi.

Reſpondemus hîc inſigne mendacium latere in eo, quod Mariam cæteris mulieribus in hoc etiam ſimilem vel parem facere dicitur Calvinus, quod ipſa quoque in peccato, ut aliæ mulieres conceperit. Impudens ſanè & manifeſtum mendacium: quod auctor ille etiam ex profeſſo ibidem, & paſſim alibi, refutat. *Conceptam* quidem *eſſe* Mariam virginem ſentit in peccato originis: quippe cui omnes homines (excepto ſolo Chriſto, & quidem propter ſingularem conceptionem è Spiritu ſancto) obnoxii ſunt, Rom. 5. 12 ut nos infrà ſecundo libro etiam fusè circa Pelagianiſmum probamus. At *concepiſſe Mariam in peccato* (nempe Chriſtum, quem ſolum, ex hypotheſi loquendo,

Vide infrà lib. 2. de Pelagianiſmo Pontificiis inhærente circa originis peccatum.

quendo,

Digitized by Google

quando, concepit) idem ille omnino pernegat, & nos conſtanter pernegamus. Ergo de *activa* (ut ſic appellemus) conceptione, mendaciũ apertum eſt. De *paſſiva* autem error eſt manifeſtus, ex mera ſuperſtitione natus. De quo tamen errore nondum inter ipſos Adverſarios convenit, prout apud Bellarminum lib. 4. de ſtatu peccati, cap. 15. 16. 17. &c. videre eſt: & à nobis erroris infrà lib. 2. in hæreſi Pelagiana convincitur.

De infirmationis Mariæ modo.

Jam de *infirmatione* virginis ex puerperio, quod hîc dicitur, ſaltem non eodem modo, nec iiſdem verbis apud Calvinum extat. Nam pro laxa & laciniosa hac Sophiſtarum oratione (ad invidiam Euangelicis conflandam ſtudiosè ita concinnata) Calvinus ſic paucis, & quidem dubitanter, inquit: Probabile eſt, Deum Mariæ peperciſſe, donec ex puerperio convaluit, ut iter facere poſſet. Nihil hîc de comparatione Mariæ cum aliis mulieribus (inter quas ipſam ſingulari benedictione excellere novimus) nihil de maledictione Evæ, &c. audis. Sed probabilem tantùm interpretis conjecturam ſine præjudicio allatam, audis. Ut non immeritò *novum* mendacium in hac invidioſa exaggeratione, quæ nuſquam in auctore apparet, ſtatuere poſſimus: præſertim quum quidam etiam partus dolor, & quæ inde neceſſariò ſequitur infirmatio puerperæ, merè naturalis ſit: quum etiam Calvinus ipſe excellentiam quandam non vulgarem Mariæ virgini, præ cæteris omnibus mulieribus, diſertè tribuat: uti mox pleniùs audiemus.

Remotis igitur his mendaciis, quid jam quæſo abſurdi in eo eſt, *quod S. virgo*, quæ verè & naturaliter Chriſtum pepererat, *ex partu nonnihil infirmata fuiſſe dicitur*? Nihil profectò. Tamen *Jeſuitis* nimium alta ſemper & pluſquã metaphyſica ſpeculantibus, imò *Mariolatriam* quandam animo agitantib. aliter hîc videatur. Sed quiſnam ipſis hoc myſterium revelavit? Equidem in ſacra Scriptura nullum hujus rei vel leviſſimum indicium extat. Neque miracula nobis abſque neceſſitate, imò abſque ullo fine vel uſu fingenda ſunt. Denique ſana ratio dictat, in ordinariis viis incedendum eſſe, ubi ad extraordinarias non diſertè vocamur. Et qui plura cupit de hac re, videat interpretes ad caput 2. Lucæ ac Matthæi 1. & 2.

De virginitate Mariæ perpetua.

Objiciunt per calumniam Adverſarii è Beza: *Nec intereſt in fide Euangelica, ſecundùm Euangelium Bezæ (in quo nulla diu poteſt incorrupta virgo perſiſtere) ut poſt Chriſtum natum in virginitate vixerit.* Et citant Bezam in præfatione ad novum Teſtamentum. Ergo ſic à diſputatione de virginitate beatæ Mariæ in partu, tranſiliunt ad aliam diſputationem de perpetua ejus virginitate in reliqua vita. Sed in poſteriore æquè calumnioſè & nequiter, ac in priore.

RESPONDEMUS itaque, novum hîc ſubeſſe mendacium Papiſticum, quia fides Euangelica dicitur *in Euangelio Bezæ*, hoc eſt, cùm Beza auctor ſit, conſiſtere. Nam contra planiſſimè conſtat, fidei noſtræ fundamentum unicum eſſe, non privatam doctrinam Bezæ, ſed verum illud JESU CHRISTI Euangelium, quod ipſi etiam Papiſtæ (ſaltem verbis, ſive externa con-

multis tractans hanc Domini commēdationem, quâ Johanni Mater Maria eſt à filio tradita: *Meritò abhorruit*, inquit, *ſanctitas veſtra, quod ex eodem utero virginali, ex quo ſecundùm carnem Chriſtus natus, alius partus effuſus ſit.* Et mox: *Teſtis eſt ergo*, inquit, *idem materni pudoris aſſertor, quod deſponſata tantummodò fuerit viro Joſeph, nulla tamen conjugalis coitus conſuetudine thori jura cognoverit: Neque enim eam ſuſcepturam ex Joſeph filios à viri conſortio ſeparare voluiſſet. Sed ſi hoc parum eſt, addit teſtimonium Euangeliſta, dicens: Quod ſuſcepit eam diſcipulus in ſuum. Nunquid ergo divortium fecit? Nunquid à vero abduxit, atque abſtulit? Hoc ergo teſtamentum Filii eſt de matris integritate. Hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas*, &c.

Enchir. ad Laurent. cap. 34. Auguſtinus: *Quod ſi per naſcentem*, inquit, *corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine naſceretur, eúmque falsò, quod abſit, de virgine Maria natum tota confiteretur Eccleſia*, &c. Mox remittit ipſe lectorem ad legendum ſuas ad Volutianum de virginitate ſanctæ Mariæ literas. Extant præterea illuſtria ejus teſtimonia tract. in Joh. 10. & 28. & 120.

Serm. de laudibus Mariæ. Fulgentius: *De cœlis*, inquit, *medicus tranſiens per virginem, poſt tranſitum ſuum illæſam facit virginem permanere. Qui enim diſrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in ſua matre, quod invenit integrum, potuit non violare naſcendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potiùs, quàm decrevit. Et virginitas ampliata eſt potiùs, quàm fugata*, &c.

Dogmata Eccleſiaſtica cap. 69. ſic definierunt: *Integra fide credendum eſt, beatam Mariam Dei Chriſti matrem, & virginem concepiſſe, & virginem genuiſſe, & poſt partum virginem permanſiſſe.*

Quamobrem etſi virginitas Mariæ ad tertium articulum ſymboli Apoſtolici fidei Chriſtianæ, de INCARNATIONE DOMINI referenda eſt, nihilque proſus interſit, quid poſtea acciderit: omnino tamen pietatem & modeſtiam noſtram decet, receptæ huic opinioni vel ſententiæ, utpote honeſtari ſimul & magis probabili (nō enim deſunt plures pro ea rationes) adhærere. Contrarias Helvidii & cōplicū ejus ſententias tum ſanctus Hieronymus, tum RODOLPHUS GUALTHERUS homilia in Math. 8. fusè & ſolidè refutavit: ut non opus ſit hanc camarinam ulteriùs hîc etiam movere. Sufficiat probatum eſſe à nobis, de virginitate ſanctæ Mariæ & ante partum, & in partu, & poſt partum Chriſti filii Dei Euangelicos orthodoxè & Catholicè ſentire. Sit ergo hæreticus in ſua opinione Jovinianus de perdita ſanctæ Mariæ à partu virginitate, nos hanc illibatam & immaculatā perſtitiſſe ſentientes ac docentes, orthodoxi & Catholici verique Chriſtiani ſumus.

Quintò ait Bellarminus: *Jovinianus docuit, præmia beatorum eſſe paria, & ſic Lutherus in ſerm. de natali beatæ Mariæ, & comment. in 1. Pet. Omnes ſancti æquè ſancti ſunt*, inquit, *atque mater Dei. Ex quo ſine dubio ſequitur, fore omnes æquè beatos.* *5. Præmia beatorum eſſe paria Euangelici non ſentiunt, ut Jovinianus.*

RESPONDEMUS *primùm* ad Joviniani opinionem: *deinde* ad Lutheri ſententiam. Quibus cognitis, Euangelicos hîc tam procul ab hæreſi diſſitos perſpiciemus, quàm longe ortus ab occaſu eſt ſemotus.

PRIMO, ſi Jovinianus ſenſit, æquali menſura electis omnibus mercedem

Digitized by Google

Æqualis & inæqualis ut ſit vita æterna.

& gloriam æternæ vitæ communem eſſe, nos ei in hac opinione minimè cõſentimus. Præmia enim beatorum & vitæ æternæ fore paria, nequaquam ſentimus aut docemus. Nam etſi hac de re nolumus aliquid abſque manifeſta auctoritate Scripturæ commentari: tamen unam quidem vitam æternam, & unam etiam beatitudinem ac felicitatem illorum omnium, qui in illam transferentur & ſuſcipientur, ſed diſcrimen ac gradus honorum, majoremque lucem & notitiam in aliis quàm in aliis futuram, loci quidam Scripturæ non obſcurè docent. Quẽadmodum enim Deus ſua dona electis in hac vita inæqualiter communicat: ſic inæquali gloriæ modo in cœlis illa dona ſua in electis coronabit. Nam Chriſti illud peculiare eſt ad Apoſtolos: *Sedebitis judicantes duodecim tribus Iſraël.* Et Paulus ſingularem ſibi *coronam* pro laborum ratione repoſitam eſſe non dubitat. Sic & Daniel 12. 3. *Erudientes,* inquit, *fulgebunt ut ſplendor firmamenti, & juſtificantes multos tanquam ſtella in ſeculum & in æternum.* Et Scriptura non modò vitam æternam promittit fidelibus, ſed in ea etiam ſpeciale cuique præmium Math. 19. 29. 1. Tim. 4. 8. obventurum ſignificat. Id probabiliter quoq; ex ratione contrariorum intelligitur, Math 11. 22. 24. Huc etiam pertinet illud Pauli: *Stella enim à ſtella differt decore.*

Math. 19. 28.

1. Theſſ. 2. 19.

1. Cor. 15 41.

Pontificios de Præmiis Beatorum idem affirmare & negare, ac propè ad hæreſin Jovinianam accedere.

Ipſi verò Pontificii, ſi eorum doctrina penitius inſpiciatur: ita ambiguè de præmiis beatorum loquuntur & ſcribunt, ut parum ab hæreſi Joviniana videantur abeſſe. Nam modò diſcrimẽ eorum fatentur, modò negant & parem beatudinis conditionem aſſerunt.

Præmia beatorum diſcrimen habere ambiguè Papiſtæ ſentiunt.

Catecheſis Romana part. 1. ad 12. artic. Fidei quæſt. 9. pagina 109. quærit; *Præmiis ne iiſdem citra illud diſcrimen beati afficientur?* Et reſpondet: *In domo Patris mei, inquit Dominus, manſiones multæ ſunt, in quibus majora & minora præmia, ut quiſque promeritus erit, reddentur: Qui enim parcè ſeminat, parcè metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Hæc illa admodum orthodoxè, ſi opinionẽ meriti excipias, ut paulo poſt explanabitur. Et Bellarminus lib. 1. de Sanct. Beat. cap. 3. locum Joh. 14. *In domo Patris manſiones multæ ſunt,* explicat, id eſt, *diverſi gradus beatitudinis.*

Joh. 14. 2.
1. Cor. 9. 6.

At Bellarminus in controverſia de Eccleſia Triumphante, libro 1. qui eſt de Beatitudine & canonizatione ſanctorum, æqualitatem beatitudinis apertè ſtatuit: Primò diluenda ſibi ſumit argumenta hæreticorum, id eſt, Euangelicorum, quibus negant ſanctos jam eſſe Beatos in præſente Beatitudine & gloria Sanctorum in Chriſto mortuorum, &c.

Cap. 1. lib. 1. de ſanct. beatitud.

1.

Respondemus: Noſtri homines ultro fatentur, ſanctos in Chriſto hac vita terrena defunctos jam revera ſuo modo *beatos*, & aliquatenus *glorioſos* eſſe, contraque divertè negant animas Sanctorum in morte penitus *extingui*, aut uſq; ad diem Reſurrectionis abſque omni ſenſu dormire, &c. Non tamen *talem & tantam* illorum felici-

Digitized by Google

felicitatem ac gloriam præſentem eſſe concedunt, *qualem & quantam* Adverſarii Chriſtianis depingere ſolent. Unde videlicet illorum *Canonizationem*, item *religioſum cultum & invocationem* protſus iddolatricam, &c. exſtruere conſueverunt.

Cur ita rationes noſtri bonas & graves afferunt, quarum ſumma eſt. In hoc argumento inter *Beatitudinem perfectam & inchoatam*, ſive *partialem & totalem*, accuratè diſtinguendum eſſe ſentimus. Nam illam tantùm (puta, partim vacuitatem omnis doloris & & cruciatus, partim fruitionem illius cœleſtis gaudii & gloriæ, cujus animæ ſeparatæ capaces ſunt) non autem *iſtam* mortuis ſanctis attribuere ſolemus.

Falſum enim eſt, ſanctos mortuos, ſive iſtarum animas jam *plenam & perfectam* illam gloriam, quæ nobis in Chriſto, ſempiterni præmii loco promiſſa eſt, verè & reipſa obtinuiſſe. Nam S. literæ eam diſertè ad tempus extremi judicii, ſeu beatæ reſurrectionis, ſemper rejicere ſolent. Vide Math. 20. ubi *denarius ſub veſperam demum datur*, hoc eſt, in fine hujus ſeculi. Quum omnes *operarii ſimul ab Oeconomo convocabuntur*, ſicut Math. 25. plenius explicatur. Sic Rõ. 2. 2. Cor. 5. 10. Gal. 6. 1. Pet. 1. & 5. ac paſſim alibi diſerta fit mentio ultimi *judicii, extremi diei*, itemque *ultimæ apparitionis*, ſive *reditus Chriſti ad judicium*, ubi demum *perfectam* beatitudinem, tãquam veram juſtitiæ coronam acce- *(Act. 1. 11. & 3. 21.)*
» pturi eſſe dicimus, &c. Atq; hoc ipſum
» eſt, quod Lutherus in commentariis
» ſuper Geneſin & *Calvinus* lib. 2. Inſtit.
» cap. 25. & alii noſtrates intelligunt, dũ
negant aut negare videntur, Sanctos «
in Chriſto mortuos jam nunc revera «
gloriam ac beatitudinem *cœleſtem* ade- «
ptos eſſe. De perfecta enim ſeu *conſum-* «
mata gloria loquuntur, quæ uſque ad «
diem reſurrectionis omnino differe- «
tur, ſecundùm illud in 1. Joh. 3. *Quum apparuerit Filius Dei* (nempe ad judiciũ) *tum ſimiles ei erimus*, &c. gradibus tamẽ & ordinibus beatorum conſtitutis, ut ſupra ex Math. 19. 28. 1. Theſſal. 2. 19. Dan. 12. 3. & 1. Corinth. 15. 41. probavimus.

Quanquam *Antiquiores* Eccleſiæ *Doctores*, quorum aliqui à Bellarmino nominantur, animas omnium mortuorum in communem quendam locum inviſibilem commigrare, ibique uſque ad diem extremi judicii dormire ſeu quieſcere, apertè tradiderunt. Quę ſententia licet aliquatenus excuſari poſſit, quaſi directè nullum fidei articulum oppugnet, & fundamentum ſalutis per ſe minimè convellat, à noſtris Eccleſiis tamen nullatenus admittitur. Imò à noſtris hominibus etiam publicè refutata eſt. Vide Calvini tractatum de ψυχοπαννυχία, ſive adverſus dormitionem animarum, & Chemnitium part. 3. Examinis, &c.

Objectiones pro exceſſiva & pari ſanctorum præſenti beatitud.

Sed Bellarminus lib. 1. de Sanct. Beat. cap. 2. 3. 4 5. 6. &c. coacervat *argumenta contraria*, quibus efficere vult, Sanctos in Chriſto piè mortuos, ſive animali & terrena hac vita defunctos, jam revera S. Angelis in gloria & beatitudine pares eſſe, jamque reipſa divina & humana omnia noſſe, ſive plenè in cœlo *beatifica Dei viſione* perfrui, & quidem eo *modo & gradu*, quem ipſe Bellarm. cum ſuis intelligit, &c.

Digitized by Google

1. Petit *à teſtimonio totius Eccleſiæ* quæ perpetuo ita crediderit ſicut ex *conciliis & pontificibus* aliquot probat, &c. Atque hac occaſione pro Pontifice Johanne 22. multa diſſerit, nominatim adverſus *Calvinum*, qui lib. 4. Inſtit cap. 7. Pontificem iſtum animarum immortalitatem negaſſe tradit: & teſtibus minimè ſuſpectis evincit.

2. Sumit ex aliquot *Scripturæ locis* quorum *primus* eſt 2. Cor. 5. 1. 2. ubi Apoſtolus ait: *Quum terrena hac domus noſtra fuerit diſſoluta, habere nos ædificium ex Deo in cœlis. Secundus* Luc. 23. 43. *Tertius* Philip. 1. 23. *cupere nos è corpore migrare, ut præſentes eſſe poßimus apud Dominum*, &c. *Quartus* Epheſ. 4. 8. *Quintus* Heb. 9. 8. *Sextus* Heb. 12. 18 23. *Septimus* Act. 7. 60. *Octavus* Apoc. 6. 9. 36. *Nonus*, Apoc. 7. 13. 15. ubi *Sanctorum animæ dicuntur ante thronum Dei ſtare*, &c. & proinde omnia videre & audire, quæ illic geruntur, &c. *Decimus* Eccleſ. 11. ubi aſſeritur, *Deũ unicuique ſecundùm vias ſuas in die obitus retribuere*, &c. Unde pateat, Sanctos ſtatim à morte gloriam cœleſtem obtinere, & in ipſo cœlo faciem Dei clarè videre, &c.

3. Depromit ex teſtimoniis *Patrum*, tum *Græcorum*, tum *Latinorum*, qui ferè omnes apertè docent, Sãctos in cœlo jam nunc verè exiſtere, ibique ipſo Dei aſpectu frui, ac revera inſtar Angelorum beatos eſſe, &c. Vide *Hieronymum* contra Vigilantium, &c. *Auguſtinum* in Enchiridio ad Laurẽt. & libris de civit. Dei paſſim. *Epiphanium* hæreſi 78. *Theodoretum* lib. 8. de Martyribus. *Chryſoſtomum*, &c. & alios plures à Bellarm. citatos, Interim fatetur Adverſarius,
" quoſdam Patrum, nempe *Irenæum*,
" *Tertullianum*, *Lactantium*, *Victorinum* & "
non paucos alios, in contraria opinione fuiſſe: ſed quæ pro hæreſi ipſis tunc "
imputari non potuerit. Quare? Quia "
nimirum Eccleſia Theſin hanc nondum definiviſſet, prout deinde ſeculis "
ſequentibus ab ipſa factum fuit. Vide "
nominatim Lact. lib. 7. Inſtit. cap. 21. Iren. lib. 5. ſub finem, &c. "

4. Continet aliquot *rationes* præſertim verò *duas*. Quarum *prima* petitur ab Antitheſi Impiorum, qui ſtatim à morte ad inferos releganter, ibique verè cruciantur, prout Luc. 16. 23. 24. 25. 26. eſt videre. Ergo, inquit, neceſſe eſt etiam pios jam ſatis expiatos in cœlum omnino transferri, ibique ſtatim à morte coronari & ſic quidem, ut ipſi noſtra omnia norint, & ſalutem noſtrã procurent, eoque à nobis invocandi ſint, &c. *Altera* ducitur *à praxi* Eccleſiæ, quæ hactenus Sanctos, in Chriſto mortuos, & privatim & publicè colere, imò tanquam Patronos invocare, &c. conſueverit. Quod certè non faceret, niſi de illorum cœleſti gloria & præſenti fœlicitate perſuaſa eſſet.

Solutio & reſponſio Euangelica.

Verũ 1. judicet ex his jã prudẽs & doctus Lector, an non in his æqualitas præmiorum vitæ æternæ ſtatuatur, quæ tamen alibi ſub titulo diſcriminis atque inæqualitatis cõmendatur? Tam non enim hæc quatuor argumenta Bellarmini differunt à Joviniani ſententia, quàm ovum anatis à gallinæ. *Deinde* etſi non omnia hæc Bellarm. argumenta ſimpliciter, ut quidem ab ipſo propoſita ſunt, hoc loco probamus, aut ſaltem non pro *Apodicticis* habemus, quia tamen de ſumma rei conveni t (ſi modò *diſtinctio* illa ſupra dicta

Digitized by Google

ſervetur) idcirco nihil neceſſe eſt ſingulis excutiendis diu immorari.

Interim ad 1. argumentum obiter notandum eſt, neque dogmata fidei ullo modo auctoritate Eccleſiæ niti, neque hanc Auctoritatem ex ſententia quorundam *Pontificum* aut etiam *Conciliorum*, ritè concludi poſſe. Vide Sibrandum de principiis Chriſtianorum Dogmatum, & Witakerum de ſacra Scriptura, &c. Adhæc animadvertendum de *Papa Johanne* XXII. nullum hîc eſſe CALVINI mendacium, ſicut ex ipſo Platina & Gerſone, aliiſque Hiſtoricis abundè conſtat. Vide Sibrand. Lubertum de Pontifice Romano lib. 8. cap. 6. ſub finem, & Witakerum de Pontifice Romano Controverſia 4. quæſt. 6. à pag. 810. uſque ad 813. & noſtri præſentis Tractatus librum tertium. Quod excipit Bellarminus: Johannem ψυχοπαννυχίαν ſenſiſſe extra hæreſin, quia Eccleſia de ea re nihil dum definierit, eſt abſurdum & ridiculum. Qui enim hæreticum ſentit & docet, hæreticus eſt, etiam ſi Eccleſia id nunquam definiat. Deinde, Arrius, quum doceret Chriſtum non eſſe verum Deum, erat hæreticus, priusquam Eccleſia hoc definiret, ac illum hæreticum proclamaret, & hoc concedent omnes qui rectè ſciunt, quid ſit *αἵρεσις*.

Ad 2. & Scripturæ loca hic citata obſervandum eſt, non omnia pertinenter ad propoſitam theſin accommodari. Nam in nonnullis eorũ de *futura*, hoc eſt, perfecta totius hominis beatitudine perſpicuè agitur. In aliis autem *ſola exiſtentia*, ſive *immortalitas* animarum abſque ſpeciali qualitatum aut modi præſentis explicatione aſſeritur. In aliis denique per figuratam quandã *hypotypoſin* ſtatus futuri ſeculi interdum etiam ſtatus Eccleſiæ militantis, emphaticè depingitur.

Ad 3. obſervatur; Infirmã eſſe in hac cauſſa probationem à *Teſtimoniis Patrũ* petitam, præſertim ſi conſtat poſteriores patres à priorib. apertè diſſentire: Imò ipſos etiã modũ hac in re nonnunquã excedere. Ac ii Patres, qui cũ Evangelicis hodie perfectã præſentẽ beatitudinẽ ſanctorum & beatorũ negãt, non ſunt hæretici etiamſi ab Eccleſia hæretici definiantur. Nam ut qui hæreticum quid ſentit & docet, is hæreticus eſt, licet ab Eccleſia nondum hæreticus ſit cognitus, & pronũciatus ita è diverſo, q nihil hæreticũ ſentit & docet, hæreticus ne quaquã eſt, tametſi ab Eccleſia hæreticus judicetur & traducatur.

Ad 4. denique hoc eſt, geminam rationem, tenendum eſt, *Priorem* quidẽ nihil ad rem facere, quum univerſa illa parabola Luc. 16. planè figurata ſit, & potius ad futurum ſeculum, quàm ad intermedium animarum ſtatum referri debeat. In *altera* verò eatenus principium peti, quatenus cultus & invocatio mortuorum, &c. tanquam & verbo Dei & perpetuæ totiùs Eccleſiæ praxi conſentanea, pro fundamento hic ſubſternitur, &c. Quanquam enim de beatitudine Sanctorum mortuorũ neutiquam ambigimus, eoſque imitatione fidei ac pietatis ipſorum omnique honore ac veneratione, quæ quidem moderata & legitima ſit, dignos exiſtimamus, tamen ex ſacra Scriptura Deut. 6. Math. 4. Gal. 4 8. 1. Theſſ. 1. 9. Luc. 1. 74. Heb. 10, Exod. 20. Col. 2.

Act.

Digitized by Google

Act.3.12.13.26.& 10.25.26.& 14.13.14. 15.16.& 17.24.25.26. &c. evidenter diſcimus, nulli mortalium fas eſſe quẽquam hominum, ſeu vivum ſeu mortuum, in peculiarem Sanctorum catalogum ita referre, ut *religioſus* cultus ſive privatus ſive publicus ei exhibeatur, hoc eſt, more Pontificio quiſquam *canonizetur*, eique cultus adorationis, una cum Templis, cereis, Altaribus, Imaginibus, votis, Feſtis, &c. decernatur & deferatur.

In ſumma, neque ipſa immortalitas, ſeu vera & viva exiſtentia, neque qualiſcunque inchoata felicitas, animabus Sanctorum à nobis detrahitur, ſed de *modo* tantùm & *gradu* hujus felicitatis ac beatitudinis controvertitur. Hoc eſt, gloria & beatitudo ipſarum animarum *talis* & *tanta* eſſe negatur, *qualem* & *quantam* Adverſarii volunt. Nos enim felicitatem iſtam ex ſacris literis (puta ex Apoc. 14. &c.) *duplicem* eſſe ſtatuimus, nempe vacuitatem ſeu carentiam omnium dolorum, ac curarum, itemque certam expectationem ſeu infallibilem ſpem beatæ reſurrectionis, quâ peractâ, electi in ſtatum glorioſum recipientur, ac Chriſto capiti ſuo pleniſſimè, conjuncti, Deum in cœlis cum Angelis modo nobis hodie ἀῤῥήτῳ cognituri, eoque præſente diſtinctis ordinibus & gradibus perfruituri, & in æternum obtenturi ſunt. Nunc enim in cœlis Angeli quidem eadem beatitudine fruuntur, ſed gradibus ineffabilibus differunt. Ut Coloſſ. 1. 16. nominantur ab Apoſtolo *Throni, Dominia, Imperia, poteſtates.* Et Luc. 1. 11. 26. ac Judæ 9. nuncupantur *Angeli & Archangeli.* Iidemque appellantur *virtutes.* Sed Auguſtinus ingenuè fatetur, ſe ignorare, quomodo habeat illa beatiſſima & ſuperna ſocietas, & quæ ſint ibi differentiæ perſonarum. Ac concludit: *Dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare, quod dicunt.* Ego Me Ista Ignorare Fateor. Ita igitur una quidem eſt vita æterna, & una beatitudo omnium ſanctorum, qui in cœleſtia illa tabernacula recipiuntur. At diſcrimen & gradus ſunt honorum, majorque lux, claritas & cognitio in aliis, quàm in aliis: ut ſuprà & alibi pluribus explanatum & oſtenſum.

Enchirid. ad Laur. cap. 28.

Gradus æternæ vitæ unde ſint.

Nec merita iſtos gradus faciunt, ſed diverſa officia & vocationes ſeu conditiones, in quibus hac vita Sancti verſantur. Alius enim erit ordo Patriarcharum, alius Prophetarum, alius Apoſtolorum, alius Martyrum. Atque alius Doctorum excellentium, &c. Hi ſuo quiſque loco & ordine longè antecellent reliquæ credentium multitudini & vulgo, qui & ipſe eadem vitæ æterna & felicitate perpetua perfruetur. Secundùm ergo differentiam officiorum, differentes erunt etiam honorũ gradus in una & eadem beata vita. Hoc & pluribus & firmioribus argumentis Rod. Gualtherus in 1. Cor. 15. fol. 244. probat atque illuſtrat. Et hæc de Joviniani opinione, à qua Euangelici longiſſimè abſunt ipſis Pontificiis Accuſatoribus ad eam propè accedentibus.

De æqualitate vel inæqualitate juſtitiæ & quatenus coram Deo omnes juſti pares ſint, quive in eo magis hodie ad Joviniani hæreſin accedant?

Quod

Digitized by Google

Æqualis ut ſit ſancta Maria aliis hominibus.

Quod autem Adverſarius nos vitæ & felicitatis æternæ præmia paria ſtatuere inde concludit, quod Lutherus docuerit, *eſſe omnes homines æquè ſanctos & juſtos, ac eſt B. Maria Virgo*, negamus ſequi ex Elenchi Ignoratione. Nam Lutherus de virgine Maria agit, prout nata eſt, & nos naſcimur, id eſt, ſecundùm naturam abſolutè. Et docet, eam ex communi maſſa nobiſcum prognatam, quæ omnibus eſt uniuſmodi naturæ lege. Præmia verò beatorum ex GRATIA, non ex NATURA ſunt. De illa autem quæſtione, quæ ad inæqualem Mariæ conceptionem ac nativitatem, quâ à Papiſtis nonnullis è communi hominum ſorte exempta, utpote immaculata & ſine originali peccato ſtatuitur, inter Franciſcanos & Prædicatores fratres bene conveniat. Nos libro 2. in hæreſi Pelagiana orthodoxos & verè Catholicos ab ea alieniſſimos eſſe demonſtraturi Deo favente ſumus.

Pares juſtitia, ut ſint homines aut non.

Porrò dictum Lutheri, omnes æquè ſanctos & juſtos eſſe, ac fuit Maria Chriſti mater, ſi inhærentem juſtitiam & ſanctitatem intelligamus, non eſt verum: ſed ſi Chriſti ſanctitatem & juſtitiam reſpiciamus nobis imputatā, tum eſt veriſſimum. Tamen non hinc ſequitur æqualitas præmiorum. Nam tum propter Chriſti obedientiam vita donamur æterna: tum virtutibus etiam præmia tribuuntur varia, non ut merita, ſed dona gratuita ac laborum fructus. Et hîc etiam Jovinianus fuit in nullo antiquo conſilio pro hæretico damnatus: quod & nobis Euangelium Jeſu Chriſti amplectentibus & profitentibus jure poteſt accidere.

Meliùs autem, ut hæc intelligantur, & Lutherus ac Proteſtantes ſeu Euangelici planiùs ab hæreſi hîc mundi cernantur, ſtatum accuſationis & ſententiam Lutheri ac noſtrorum paulò altiùs etiam ex ipſius Lutheri & aliorum doctrinâ excellentium ſcriptis repetemus & exponemus.

Henricus Pererius Bellarmino cōſentiens à ſpecie, id eſt, ſancta Maria, ad genus, nempe omnes ſanctos cauſſam & quæſtionem refert, dicens: *Volunt Proteſtantes, omnes qui juſtificantur, æqualiter fieri juſtos, & æqualem eſſe omnium coram Deo juſtitiam & ſanctitatem.* *Comment. in Rom. 3. num. 103.*

Reſpondemus *primò* ad antecedēs, illud eſſe neceſſariò falſum: *ſecundò*, ad conſequentiam, hanc non eſſe verè neceſſariam. Ideoque Papiſtas ſe in hoc ſophiſtas ridiculos, in illo vſaros accuſatores deprehendi.

De *primo*, quum docent Euangelici, fideles omnes æquè juſtos eſſe coram Deo, dupliciter (ut & ſuprà monuimus) accipiendi ſunt. Vel ut intelligant par veritatis, non æqualitatis: id eſt, æquè, licet non æqualiter, membra Chriſti. Vel, non tamen, ſi eorum ſimpliciter inter ſe, ſed cum Chriſto capite & corpore ejus myſtico ratio habeatur.

Prodeat Reus Lutherus, qui accuſatoris criminationem ipſe ſententiam ſuam apertè exponendo depellit. Nā: *Quantumvis inter ſe*, inquit, *corporis membra omnia imparia ſint, & officiis atque dignitate plurimum* DISTENT: *in eo tamē paria ſunt, quod ejuſdem corporis membra pariter exiſtunt, neque poteſt oculus ſibi plus in corpore juris vendicare, quàm conteptiſſimū quodq; membrū, neq; plus ſuū eſſe corpus* *Lect. ex Rom 12. 1. Dominica ab Epiphan.*

 affirma-

Digitized by Google

4\. *in partu virginitatem amiſerit.* Reſpondemus ergo: Tum, ſi ita Jovinianus ſenſit & docuit, audaciſſimus atque impudentiſſimus hæreticus & Cynicus fuit.

Mariam in partu virginitatem amiſiſſe non ſentiunt Euangelici. Lib. de notis Eccleſ. c. 9.

Sed addit Bellarminus: *Idem Bucerus & Molinæus, dicentes Jeſum naſcentē in partu vulvam adaperuiſſe B. Mariæ. Et Maldonatus* Cōment in Luc. 2. *Inter alias innumerabiles hæreſes*, inquit, *Calviniſtarum hæc una eſt, quod Matrem Chriſti in partu Virginem fuiſſe negant.*

Verùm *primo* hoc dictum non Buceri, quātum quidem in ipſius ſcriptis videre licuit, ſed MOLINÆI particulare eſt, in Harm. 4. Euangeliſtarum parte 3. Dicere igitur poſſumus. Ipſe viderit. Nihil iſtud ad communes Eccleſias Euangelicas.

Deinde, etſi Bucerus cum Molinæo ſic dicere à Papiſtis arguatur, ac etiam Theodorus Beza, qui contra Brentiū ſcribat: *quod Chriſtus divulſis diſtractiſque uteri materni partibus egreſſus ſit*: tamen peccat Bellarminus & alii & ſimiles Ignoratione Elenchi & cauſſæ pro cauſſa.

Error Papiſticus in violatione virginitatis ineptè deſcribenda.

Nam *primò* affingunt nobis Adverſarii, quod S. Mariam virginali integritate læſa Chriſtum genuiſſe dicamus ſicut Jovinianum, Mariam *amiſiſſe virginitatem in partu* dicentem, quia non admittimus fictam illam partus virginei B. Mariæ rationem, quam Pontificii & in primis Jeſuitæ tenent, nempe *Chriſtum naſcentem non aperuiſſe vulvam Mariæ.* Quæ illorum opinio ex Lucæ Euangeliſtæ capite 2. ℣. 23. facilè refelli poteſt. Nam Chriſtus διήνοιξε τὴν μήτραν, id eſt, *adaperuit vulvā*, ut in illo loco habetur, dum lex Moſaica ex Exodi 13. 2. & Num. 8. 6. de primogenito uterū vel vulvam matris aperiente, eidē applicatur. Sed tamen Maria poſtea virgo permanſit, ut etiam nos cum omnibus orthodoxis ſentimus ac profitemur.

Quare Molinæus in Harmon. Euangeliſtarum iis verbis inſiſtens, ſic ſcribit: *Rejecto Papiſtarum figmento, quod filius Mariæ, ut radius ſolis per vitrum ſic per uterum illæſum tranſivit: dicendum & credendum eſt, quod naturaliter, & ruptis obicibus, & apertis locis exivit & natus eſt.* Similiter Beza contra Brentium ſcribit, *quod Chriſtus divulſis diſtractiſque uteri partibus egreſſus ſit.*

De partu virgineo Patres Euangelicis ſuffragantur.

Neuter verò horum, ut nec quiſquā alius noſtrum dixit, vel ſcripſit, docuit aut ſtatuit, virginalem Mariæ integritatem in partu violatam fuiſſe, licet aperto & revulſo Mariæ utero Chriſtū natum dicant. Nam noſtra ſententia etiā tum veteris orthodoxæ Eccleſiæ, tum recentioris ſuffragiis confirmatur; Papiſtarum autem opinio confutatur.

Origenes enim ſuper Lucam: *Matris* inquit, *Domini uterus eo tempore reſeratus eſt.*

Tertullianus de carne Chriſti; *Virgo*, inquit, *in partu nupſit, ipſa patefacti corporis lege.*

Ambroſius lib. 2. cap. 7. in Lucam: *Aperuit Chriſtus genitale ſecretum*, inquit.

Hieronymus quidem alicubi dubitare videtur, utrum Chriſtus ex Matre Maria cruentatus exierit? Sed ad Euſtachium, *Dei Filius*, inquit, *in utero novem menſibus expectat, faſtidia ſuſtinet*, CRUENTUS EGREDITUR, *pannis involvitur.*

CHRYSOSTOMUS inquit, *Dextero*

Digitized by Google

tero prodire, communem habet nobiſcum Chriſtus.

Proclus Cyzicenus Epiſcopus orationem habens coram Patribus in Synodo Epheſina congregatis: *Iſte Immanuel*, inquit, *natura quidem portas aperuit ut homo, virginitatis autem clauſtra non fregit ut Deus. Sic naſcitur ut eſt conceptus. Impaſſibiliter introiit, ineffabiliter exivit, ſecundum quod Propheta Ezechiel dixit, convertit me Deus ad viam portæ ſanctuarii, &c.* Hactenus veteres.

Annot. in Luca 2. Inter recentiores Eraſmus in Luc. 2. ℣. 23. ſcribit *De Chriſto ſcriptum eſt: Quicunque primum* APERUERIT VULVAM *Sanctus Domino vocabitur. Origenes* Homil. 14. *putat, Chriſtum virginis matris* VULVAM ADAPERUISSE, *ſed non more cæterorum. Cæterorum enim conceptus quoque mulieris uterum aperit, quum Chriſtus clauſo virginis utero ſit conceptus, citra virilem operam. Porrò naſcens*, APERUIT *uterum ut* NON CONVELLERIT CLAUSTRA *pudicitiæ* VIRGINITATIS. *Hæc eſt Origenis ſententia, quæ ſanè pugnat cum eo, quod tam pia credulitas omnium ferè animis infixit, Chriſtum ſine nixu & labore parturientis, clauſo virginis utero prodiiſſe. Quæ ſane ut eſt plauſibilis, nec irreligioſa, ita ſanè Scripturarum ſacrarum teſtimoniis doceri* NON *poſſit. Certè & Ambroſius ab Origenis ſententia non abhorruit.* Et profecto virginitas S. Mariæ non magis per hunc partum quàm per antegreſſam uteri geſtationem læſa fuit.

Error Papiſticus in virginitate malè definienda. Etenim *deinde* Adverſarii aut neſciunt, aut ſe neſcire fingunt, quidnam ſit virginalis integritas, & quomodo hæc eadem violetur. Nempe illa in hoc poſita eſt *ſi virgo virum nō cognoſcat*, prout S. Maria de ſeipſa apud Angelum Gabrielem Luc. 1. ℣. 34. teſtabatur. Non igitur illa magis per partum, quā per conceptionem, perque uteri geſtationem, violari potuit. Nam ut multæ ſunt non virgines, quæ eſſe videantur, quippe quæ viros cognoſcunt, quæ tamen nec concipiunt, nec pariunt; ita contrà hæc ſola Virgo verè concepit quidem, & verè peperit, atq; ita verè mater evaſit, non tamen vera virgo per hoc eſſe deſiit, quia quod cōcepit & peperit, non ex admiſſione & commixtione viri, aut ex virili ſemine, ſed ex Dei Spiritu procreatum fuit.

Agnoſcit & prædicat hoc nobiſcum CORNELIUS JANSENIUS, ſcribens: *Concord. in Luc. 2.* *Patres aliqui dicunt, Chriſtum propriè adaperuiſſe vulvam Matris ſuæ, quum aliis mulieribus ſoleant* VIRI *uterum aperire, quæ eſt ſententia Theophylacti in hunc locum. Similis eſt ſententia Ambroſii ſic ſcribentis: Non enim virilis coitus Virginis ſecreta reſeravit, ſed immaculatum ſemen inviolabiliter utero Spiritus ſanctus infudit. Hic ergo ſolus* APERUIT VULVAM, *ut immaculatus exiret. Similia habet Origenes. Tertullianus dicit*, MARIAM PATEFACTI CORPORIS *lege peperiſſe, quum omnes hodie Theologorum centuria Chriſtum clauſo virginis utero prodiiſſe velint. Tametſi Tertulliano Ambroſius ſubſcribit. Sed quis divinare potuit, quid ſubtiles iſti Theologi tot poſt ipſum ſeculis eſſent definituri? Eo vix alium antiquiorem ſcriptorem Chriſtianus orbis habet.* *Rhenanus in Arg. 1. ad lib. de carne Chriſti.*

Antiquitas imò Adverſariis in hoc tam inviſa fuit, ut cenſores ex authoritate Concilii Tridentini ad hoc munus delegati, ſatis pro imperio ſic decreverint. *Deleantur ſequentia iſta in Beato Rhenano in argumēto libri* (Tertulliani) *Index expurgat. de pag. 78.*

de carne Chriſti, quod efficit perfectioni virginis matris. Nec tu igitur Beate Rhenane potuiſti divinare, quid rigidi iſti de te decreturi eſſent.

Stupor Jeſuitarum. Contendente igitur & accuſante Bellarmino: *Jovinianus dixit, B. Mariam virginitatem perdidiſſe, idem communiter hodie Calviniſtæ, quum dicunt, Chriſtum matris vulvam adaperuiſſe*, diſputamus. Si hæc non ſunt idem, tum Bucerus, Molinæus & Beza hæreticus in hoc non fuit. Sin idem, tum Tertullianus, Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Theophylactus, B. Rhenanus, atque adeò B. LUCAS (quod abſit) hæretici fuêre.

Adhæc, ut ex unius Jeſuitæ ore, ora Jeſuitis omnibus occludamus, ut non habeant, quod contra vel muſſitent, attendite. Bellarminus & Gregorius Valentianus aſſerunt: *Notandum eſt,* FOEMINA *quantumvis ab alio* SUPERETUR, *ſi non conſentiat interiùs in actu turpi, non peccat*, NEC VIRGINITATEM AMITTIT, *ſi virgo erat.* E quibus ſtupiditas Jeſuitarum cum malitia conjuncta ſeſe prodit. Ubi enim vulva etiam per turpem coitum aperitur, Jeſuitæ virginitatem ſervari confidenter docent. Euangelici & orthodoxi, qui authoritate Euãgelica & Apoſtolica ſacris literis expreſſa, & antiquorum Patrum conſenſu ferè unanimi, ſine virili opera, ſed per exitum ſacroſancti corporis JESU CHRISTI apertionem vulvæ illibatam & immaculatam beatæ virgini MARIÆ tribuunt, hæreſeos ab iiſdem damnantur. At quod ex noſtra doctrina hoc colligunt, nos ita ſentire, quaſi Chriſtus natus ſit ex Maria non virgine, & Maria ipſa in niſu & partu virgo non permanſerit, ex mera malitia profectum eſt. Nam nullus unquam inter noſtros inventus eſt, qui de vera & intemerata ſanctæ Mariæ virginitate vel tantillum dubitaverit, nedum quicquam adverſus eam ſcripſerit, aut docuerit.

Bellarm. ut ſuprà. & Gregor Valent. T. 4. diſp. 2. q. 2. puncto 1.

De conceptione & infirmatione Mariæ puerperæ. Adjiciunt tamen Jeſuitæ Monaſterienſes in Theſibus *de credo Calvini ſequarum*, quibus tres primi fidei noſtræ articuli examinantur, theſi 16. diſput. 3. *Proinde* (quum ſcilicet, Calviniſtæ doceant, Chriſtum per uterum apertum exiviſſe) *non eſt quod miremur, ſi ex partu, uti cæteræ mulieres in peccato conceptæ & concipientes, maledictioni Evæ obnoxia, ita & ipſa benedicta Mater Jeſu infirmata ſit, eáque cauſſa ejus in Ægyptum fugã Deus tantiſper, dum à puerperio revaleſceret, viréſque itineri neceſſarias repararet, diſtulerit: ut nihil divinum cogitans Philoſophatur Calvinus*, in Harm. Euangelica ad cap. 2. Matthæi.

Reſpondemus hîc inſigne mendacium latere in eo, quod Mariam cæteris mulieribus in hoc etiam ſimilem vel parem facere dicitur Calvinus, quod ipſa quoque in peccato, ut aliæ mulieres conceperit. Impudens ſanè & manifeſtum mendacium: quod auctor ille etiam ex profeſſo ibidem, & paſſim alibi, refutat. *Conceptam* quidem *eſſe* Mariam virginem ſentit in peccato originis: quippe cui omnes homines (excepto ſolo Chriſto, & quidem propter ſingularem conceptionem è Spiritu ſancto) obnoxii ſunt, Rom. 5. 12 ut nos infrà ſecundo libro etiam fusè circa Pelagianiſmum probamus. At *concepiſſe Mariam in peccato* (nempe Chriſtum, quem ſolum, ex hypotheſi loquendo,

Vide infrà lib. 2. de Pelagianiſmo Pontificiis inhærente circa originis peccatum.

Digitized by Google

quendo, concepit) idem ille omnino pernegat, & nos conſtanter pernegamus. Ergo de *activa* (ut ſic appellemus) conceptione, mendaciū apertum eſt. De *paſſiva* autem error eſt manifeſtus, ex mera ſuperſtitione natus. De quo tamen errore nondum inter ipſos Adverſarios convenit, prout apud Bellarminum lib. 4. de ſtatu peccati, cap. 15. 16. 17. &c. videre eſt: & à nobis erroris infrà lib. 2. in hæreſi Pelagiana convincitur.

De infirmationis Mariæ modo.

Jam de *infirmatione* virginis ex puerperio, quod hîc dicitur, ſaltem non eodem modo, nec iiſdem verbis apud Calvinum extat. Nam pro laxa & laciniosa hac Sophiſtarum oratione (ad invidiam Euangelicis conflandam ſtudioſè ita concinnata) Calvinus ſic paucis, & quidem dubitanter, inquit: Probabile eſt, Deum Mariæ pepercisse, donec ex puerperio convaluit, ut iter facere poſſet. Nihil hîc de comparatione Mariæ cum aliis mulieribus (inter quas ipſam ſingulari benedictione excellere novimus) nihil de maledictione Evæ, &c. audis. Sed probabilem tantùm interpretis conjecturam ſine præjudicio allatam, audis. Ut non immeritò *novum* mendacium in hac invidioſa exaggeratione, quæ nuſquam in auctore apparet, ſtatuere poſſimus: præſertim quum quidam etiam partus dolor, & quæ inde neceſſariò ſequitur infirmatio puerperæ, merè naturalis ſit: quum etiam Calvinus ipſe excellentiam quandam non vulgarem Mariæ virgini, præ cæteris omnibus mulieribus, disertè tribuat: uti mox plenius audiemus.

Remotis igitur his mendaciis, quid jam quæſo abſurdi in eo eſt, *quod S. virgo*, quæ verè & naturaliter Chriſtum pepererat, *ex partu nonnihil infirmata fuiſſe dicitur*? Nihil profectò. Tamen *Jeſuitis* nimium alta ſemper & pluſquā metaphyſica ſpeculantibus, imò *Mariolatriam* quandam animo agitantib. aliter hîc videatur. Sed quisnam ipſis hoc myſterium revelavit? Equidem in ſacra Scriptura nullum hujus rei vel leviſſimum indicium extat. Neque miracula nobis abſque neceſſitate, imò abſque ullo fine vel uſu fingenda ſunt. Denique ſana ratio dictat, in ordinariis viis incedendum eſſe, ubi ad extraordinarias non disertè vocamur. Et qui plura cupit de hac re, videat interpretes ad caput 2. Lucæ ac Matthæi 1. & 2.

De virginitate Mariæ perpetua.

Objiciunt per calumniam Adverſarii è Beza: *Nec intereſt in fide Euangelica, ſecundùm Euangelium Beza (in quo nulla diu poteſt incorrupta virgo perſiſtere) ut poſt Chriſtum natum in virginitate vixerit.* Et citant Bezam in præfatione ad novum Teſtamentum. Ergo ſic à diſputatione de virginitate beatæ Mariæ in partu, tranſiliunt ad aliam diſputationem de perpetua ejus virginitate in reliqua vita. Sed in poſteriore æquè calumnioſè & nequiter, ac in priore.

RESPONDEMUS itaque, novum hîc ſubeſſe mendacium Papiſticum, quia fides Euangelica dicitur *in Euangelio Bezæ*, hoc eſt, cùm Beza auctor ſit, conſiſtere. Nam contra planiſſimè conſtat, fidei noſtræ fundamentum unicum eſſe, non privatam doctrinam Bezæ, ſed verum illud JESU CHRISTI Euangelium, quod ipſi etiam Papiſtæ (ſaltem verbis, ſive externa con-

Digitized by Google

multis tractans hanc Domini commẽdationem, quâ Johanni Mater Maria eſt à filio tradita: *Meritò abhorruit*, inquit, *ſanctitas veſtra, quod ex eodem utero virginali, ex quo ſecundùm carnem Chriſtus natus, alius partus effuſus ſit.* Et mox: *Teſtis eſt ergo*, inquit, *idem materni pudoris aſſertor, quod deſponſata tantummodò fuerit viro Joſeph, nulla tamen conjugalis coitus conſuetudine thori jura cognoverit: Neque enim eam ſuſcepturam ex Joſeph filios à viri conſortio ſeparare voluiſſet. Sed ſi hoc parum eſt, addit teſtimonium Euangeliſta, dicens: Quod ſuſcepit eam diſcipulus in ſuum. Nunquid ergo divortium fecit? Nunquid à vero abduxit, atque abſtulit? Hoc ergo teſtamentum Filii eſt de matris integritate. Hæc Maria locuples integri pudoris hæreditas*, &c.

Enchir. ad Laurent. cap. 34.

Auguſtinus: *Quod ſi per naſcentem*, inquit, *corrumperetur ejus integritas, non jam ille de virgine naſceretur, eúmque falsò, quod abſit, de virgine Maria natum tota confiteretur Eccleſia*, &c. Mox remittit ipſe lectorem ad legendum ſuas ad Volutianum de virginitate ſanctæ Mariæ literas. Extant præterea illuſtria ejus teſtimonia tract. in Joh. 10. & 28. & 120.

Serm. de laudibus Mariæ.

Fulgentius: *De cœlis*, inquit, *medicus tranſiens per virginem, poſt tranſitum ſuum illæſam facit virginem permanere. Qui enim diſrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in ſua matre, quod invenit integrum, potuit non violare naſcendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potiùs, quàm decrevit. Et virginitas ampliata eſt potiùs, quàm fugata*, &c.

Dogmata Eccleſiaſtica cap. 69. ſic definierunt: *Integra fide credendum eſt, beatam Mariam Dei Chriſti matrem, & virginem concepiſſe, & virginem genuiſſe, & poſt partum virginem permanſiſſe.*

Quamobrem etſi virginitas Mariæ ad tertium articulum ſymboli Apoſtolici fidei Chriſtianæ, de INCARNATIONE DOMINI referenda eſt, nihilque proſus interſit, quid poſtea acciderit: omnino tamen pietatem & modeſtiam noſtram decet, receptæ huic opinioni vel ſententiæ, utpote honeſtari ſimul & magis probabili (nõ enim deſunt plures pro ea rationes) adhærere. Contrarias Helvidii & cõplicũ ejus ſententias tum ſanctus Hieronymus, tum RODOLPHUS GUALTHERUS homilia in Math. 8. fusè & ſolidè refutavit: ut non opus ſit hanc camarinam ulteriùs hîc etiam movere. Sufficiat probatum eſſe à nobis, de virginitate ſanctæ Mariæ & ante partum, & in partu, & poſt partum Chriſti filii Dei Euangelicos orthodoxè & Catholicè ſentire. Sit ergo hæreticus in ſua opinione Jovinianus de perdita ſanctæ Mariæ à partu virginitate, nos hanc illibatam & immaculatã perſtitiſſe ſentientes ac docentes, orthodoxi & Catholici veríque Chriſtiani ſumus.

Quintò ait Bellarminus: *Jovinianus docuit, præmia beatorum eſſe paria, & ſic Lutherus in ſerm. de natali beatæ Mariæ, & comment. in 1. Pet. Omnes ſancti æquè ſancti ſunt*, inquit, *atque mater Dei. Ex quo ſine dubio ſequitur, fore omnes æquè beatos.*

5. *Præmia beatorum eſſe paria Euangelici non ſentiunt, ut Jovinianus.*

RESPONDEMUS *primùm* ad Joviniani opinionem: *deinde* ad Lutheri ſententiam. Quibus cognitis, Euangelicos hîc tam procul ab hæreſi diſſitos perſpiciemus, quàm longe ortus ab occaſu eſt ſemotus.

PRIMO, ſi Jovinianus ſenſit, æquali menſura electis omnibus mercedem

Digitized by Google

Æqualis & inæqualis ut ſit vita æterna.

& gloriam æternæ vitæ communem eſſe,nos ei in hac opinione minimè cõſentimus. Præmia enim beatorum & vitæ æternæ fore paria, nequaquam ſentimus aut docemus. Nam etſi hac de re nolumus aliquid abſque manifeſta auctoritate Scripturæ commentari: tamen unam quidem vitam æternam,& unam etiam beatitudinem ac felicitatem illorum omnium, qui in illam transferentur & ſuſcipientur,ſed diſcrimen ac gradus honorum, majoremque lucem & notitiam in aliis quàm in aliis futuram,loci quidam Scripturæ non obſcurè docent. Quẽadmodum enim Deus ſua dona electis in hac vita inæqualiter communicat: ſic inæquali gloriæ modo in cœlis illa dona ſua in electis coronabit.Nam Chriſti illud peculiare eſt ad Apoſtolos: *Sedebitis judicantes duodecim tribus Iſraël.* Et Paulus ſingularem ſibi *coronam* pro laborum ratione repoſitam eſſe non dubitat. Sic & Daniel 12.3. *Erudientes,*inquit,*fulgebunt ut ſplendor firmamenti, & juſtificantes multos tanquam ſtellæ in ſeculum & in æternum.* Et Scriptura non modò vitam æternam promittit fidelibus,ſed in ea etiam ſpeciale cuique præmium Math. 19.29.1. Tim.4.8. obventurum ſignificat. Id probabiliter quoq; ex ratione contrariorum intelligitur, Math 11.22.24. Huc etiam pertinet illud Pauli: *Stella enim à ſtella differt decore.*

Math.19.28. — *1.Theſſ.2.19.* — *1.Cor.15 41.*

Pontificios de Præmiis Beatorum idem affirmare & negare, ac propè ad hæreſin Jovinianam accedere.

Præmia beatorum diſcrimen habere ambiguè Papiſtæ ſentiunt.

Ipſi verò Pontificii,ſi eorum doctrina penitius inſpiciatur:ita ambiguè de præmiis beatorum loquuntur & ſcribunt,ut parum ab hæreſi Joviniana videantur abeſſe. Nam modò diſcrimẽ eorum fatentur, modò negant & parem beatudinis conditionem aſſerunt.

Catecheſis Romana part. 1. ad 12. artic. Fidei quæſt. 9. pagina 109. quærit; *Præmiis ne iiſdem citra illud diſcrimen beati afficientur?* Et reſpondet: *In domo Patris mei, inquit Dominus, manſiones multæ ſunt, in quibus majora & minora præmia, ut quiſque promeritus erit, reddentur: Qui enim parcè ſeminat, parcè metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Hæc illa admodum orthodoxè,ſi opinionẽ meriti excipias,ut paulo poſt explanabitur. Et Bellarminus lib.1.de Sanct. Beat. cap. 3. locum Joh. 14. *In domo Patris manſiones multæ ſunt,* explicat,id eſt,*diverſi gradus beatitudinis.*

Joh.14.2. — *1.Cor.9.6.*

Cap.1.lib.1. de ſanct. beatitud.

At Bellarminus in controverſia de Eccleſia Triumphante, libro 1. qui eſt de Beatitudine & canonizatione ſanctorum, æqualitatem beatitudinis apertè ſtatuit: Primò diluenda ſibi ſumit argumenta hæreticorum, id eſt, Euangelicorum, quibus negant ſanctos jam eſſe Beatos in præſente Beatitudine & gloria Sanctorum in Chriſto mortuorum,&c. 1.

RESPONDEMUS: Noſtri homines ultro fatentur, ſanctos in Chriſto hac vita terrena defunctos jam revera ſuo modo *beatos*, & aliquatenus *glorioſos* eſſe, contraque disertè negant animas Sanctorum in morte penitus *extingui*, aut uſq; ad diem Reſurrectionis abſque omni ſenſu dormire, &c. NON tamen *talem & tantam* illorum felici-

felicitatem ac gloriam præſentem eſſe concedunt, *qualem & quantam* Adverſarii Chriſtianis depingere ſolent. Unde videlicet illorum *Canonizationem*, item *religioſum cultum & invocationem* prorſus iddolatricam, &c. exſtruere conſueverunt.

Cur ita ? rationes noſtri bonas & graves afferunt, quarum ſumma eſt. In hoc argumento inter *Beatitudinem perfectam & inchoatam*, ſive *partialem & totalem*, accuratè diſtinguendum eſſe ſentimus. Nam illam tantùm (puta, partim vacuitatem omnis doloris & & cruciatus, partim fruitionem illius cœleſtis gaudii & gloriæ, cujus animæ ſeparatæ capaces ſunt) non autem *iſtam* mortuis ſanctis attribuere ſolemus.

Falſum enim eſt, ſanctos mortuos, ſive iſtarum animas jam *plenam & perfectam* illam gloriam, quæ nobis in Chriſto, ſempiterni præmii loco promiſſa eſt, verè & reipſa obtinuiſſe. Nam S. literæ eam disertè ad tempus extremi judicii, ſeu beatæ reſurrectionis, ſemper rejicere ſolent. Vide Math. 20. ubi *denarius ſub veſperam demum datur*, hoc eſt, in fine hujus ſeculi. Quum omnes *operarii ſimul ab Oeconomo convocabuntur*, ſicut Math. 25. plenius explicatur. Sic Rō. 2. 2. Cor. 5. 10. Gal. 6. 1. Pet. 1. & 5. ac paſſim alibi diſerta fit mentio ultimi *Act. 1. 11. & 3. 21.* *judicii, extremi diei*, itemque *ultimæ apparitionis*, ſive *reditus Chriſti ad judicium*, ubi demum *perfectam* beatitudinem, tāquam veram juſtitiæ coronam acce» pturi eſſe dicimus, &c. Atq; hoc ipſum » eſt, quod Lutherus in commentariis » ſuper Geneſin & *Calvinus* lib. 2. Inſtit. » cap. 25. & alii noſtrates intelligunt, dū « negant aut negare videntur, Sanctos « in Chriſto mortuos jam nunc revera « gloriam ac beatitudinem *cæleſtem* ade« ptos eſſe. De perfecta enim ſeu *conſum« mata gloria* loquuntur, quæ uſque ad « diem reſurrectionis omnino differetur, ſecundùm illud in 1. Joh. 3. *Quum apparuerit Filius Dei* (nempe ad judiciū) *tum ſimiles ei erimus*, &c. gradibus tamē & ordinibus beatorum conſtitutis, ut ſupra ex Math. 19. 28. 1. Theſſal. 2. 19. Dan. 12. 3. & 1. Corinth. 15. 41. probavimus.

Quanquam *Antiquiores* Eccleſiæ *Doctores*, quorum aliqui à Bellarmino nominantur, animas omnium mortuorum in communem quendam locum inviſibilem commigrare, ibique uſque ad diem extremi judicii dormire ſeu quieſcere, apertè tradiderunt. Quę ſententia licet aliquatenus excuſari poſſit, quaſi directè nullum fidei articulum oppugnet, & fundamentum ſalutis per ſe minimè convellat, à noſtris Eccleſiis tamen nullatenus admittitur. Imò à noſtris hominibus etiam publicè refutata eſt. Vide Calvini tractam de ψυχοπαννυχία, ſive adverſus dormitionem animarum, & Chemnitium part. 3. Examinis, &c.

Sed Bellarminus lib. 1. de Sanct. Beat. cap. 2. 3. 4 5. 6. &c. coacervat *argumenta contraria*, quibus efficere vult, Sanctos in Chriſto piè mortuos, ſive animali & terrena hac vita defunctos, jam revera S. Angelis in gloria & beatitudine pares eſſe, jamque reipſa divina & humana omnia noſſe, ſive plenè in cœlo *beatifica Dei viſione* perfrui, & quidem eo *modo* & *gradu*, quem ipſe Bellarm. cum ſuis intelligit, &c. *Objectiones pro exceſſiva & pari ſanctorum præſenti beatitud.*

 1. Petit

Digitized by Google

1. Petit à *teſtimonio totius Eccleſiæ* quæ perpetuo ita crediderit ſicut ex *conciliis & pontificibus* aliquot probat, &c. Atque hac occaſione pro Pontifice Johanne 22. multa differit, nominatim adverſus *Calvinum*, qui lib. 4. Inſtit cap. 7. Pontificem iſtum animarum immortalitatem negaſſe tradit: & teſtibus minimè ſuſpectis evincit.

2. Sumit ex aliquot *Scripturæ locis* quorum *primus* eſt 2. Cor. 5. 1. 2. ubi Apoſtolus ait: *Quum terrena hac domus noſtra fuerit diſſoluta, habere nos ædificium ex Deo in cœlis. Secundus* Luc. 23. 43. *Tertius* Philip. 1. 23. *cupere nos è corpore migrare, ut præſentes eſſe poßimus apud Dominum*, &c. *Quartus* Epheſ. 4. 8. *Quintus* Heb. 9. 8. *Sextus* Heb. 12. 18 23. *Septimus* Act. 7. 60. *Octavus* Apoc. 6. 9. 36. *Nonus*, Apoc. 7. 13. 15. ubi *Sanctorum animæ dicuntur ante thronum Dei ſtare*, &c. & proinde omnia videre & audire, quæ illic geruntur, &c. *Decimus* Eccleſ. 11. ubi aſſeritur, *Deũ unicuique ſecundùm vias ſuas in die obitus retribuere*, &c. Unde pateat, Sanctos ſtatim à morte gloriam cœleſtem obtinere, & in ipſo cœlo faciem Dei clarè videre, &c.

3. Deptomit ex teſtimoniis *Patrum*, tum *Græcorum*, tum *Latinorum*, qui ferè omnes apertè docent, Sãctos in cœlo jam nunc verè exiſtere, ibique ipſo Dei aſpectu frui, ac revera inſtar Angelorum beatos eſſe, &c. Vide *Hieronymum* contra Vigilantium, &c. *Auguſtinum* in Enchiridio ad Laurẽt. & libris de civit. Dei paſſim. *Epiphanium* hæreſi 78. *Theodoretum* lib. 8. de Martyribus. *Chryſoſtomum*, &c. & alios plures à Bellarm. citatos. Interim fatetur Adverſarius, » quoſdam Patrum, nempe *Irenæum*, » *Tertullianum*, *Lactantium*, *Victorinum* & « non paucos alios, in contraria opinione « fuiſſe: ſed quæ pro hæreſi ipſis tunc « imputari non potuerit. Quare? Quia « nimirum Eccleſia Theſin hanc non- « dum definiviſſet, prout deinde ſeculis « ſequentibus ab ipſa factum ſuit. Vide « nominatim Lact. lib. 7. Inſtit. cap. 21. I- « ren. lib. 5. ſub finem, &c. «

4. Continet aliquot *rationes* præſertim verò *duas*. Quarum *prima* petitur ab Antitheſi Impiorum, qui ſtatim à morte ad inferos relegantur, ibique verè cruciantur, prout Luc. 16. 23. 24. 25. 26. eſt videre. Ergo, inquit, neceſſe eſt etiam pios jam fatis expiatos in cœlum omnino transferri, ibique ſtatim à morte coronari & ſic quidem, ut ipſi noſtra omnia norint, & ſalutem noſtrã procurent, eoque à nobis invocandi ſint, &c. *Altera* ducitur *à praxi* Eccleſiæ, quæ hactenus Sanctos, in Chriſto mortuos, & privatim & publicè colere, imò tanquam Patronos invocare, &c. conſueverit. Quod certè non faceret, niſi de illorum cœleſti gloria & præſenti fœlicitate perſuaſa eſſet.

Solutio & reſponſio Euangelica.

Verũ 1. judicet ex his jã prudẽs & doctus Lector, an non in his æqualitas præmiorum vitæ æternæ ſtatuatur, quæ tamen alibi ſub titulo diſcriminis atque inæqualitatis cõmendatur? Tam non enim hæc quatuor argumenta Bellarmini differunt à Joviniani ſententia, quàm ovum anatis à gallinæ. *Deinde* etſi non omnia hæc Bellarm. argumenta ſimpliciter, ut quidem ab ipſo propoſita ſunt, hoc loco probamus, aut ſaltem non pro *Apodicticis* habemus, quia tamen de ſumma rei conveni t (ſi modò *diſtinctio* illa ſupra dicta ſervetur

Digitized by Google

ſervetur) idcirco nihil neceſſe eſt ſingulis excutiendis diu immorari.

Interim ad 1. argumentum obiter notandum eſt, neque dogmata fidei ullo modo auctoritate Eccleſiæ niti, neque hanc Auctoritatem ex ſententia quorundam *Pontificum* aut etiam *Conciliorum*, ritè concludi poſſe. Vide Sibrandum de principiis Chriſtianorum Dogmatum, & Whitakerum de ſacra Scriptura, &c. Adhæc animadvertendum de *Papa Johanne* XXII. nullum hîc eſſe CALVINI mendacium, ſicut ex ipſo Platina & Gerſone, aliiſque Hiſtoricis abundè conſtat. Vide Sibrand. Lubertum de Pontifice Romano lib. 8. cap. 6. ſub finem, & Witakerum de Pontifice Romano Controverſia 4. quæſt. 6. à pag. 810. uſque ad 813. & noſtri præſentis Tractatus librum tertium. Quod excipit Bellarminus: Johannem ψυχοπαννυχίαν ſenſiſſe extra hæreſin, quia Eccleſia de ea re nihil dum definierit, eſt abſurdum & ridiculum. Qui enim hæreticum ſentit & docet, hæreticus eſt, etiam ſi Eccleſia id nunquam definiat. Deinde, Arrius, quum doceret Chriſtum non eſſe verum Deum, erat hæreticus, priusquam Eccleſia hoc definiret, ac illum hæreticum proclamaret, & hoc concedent omnes qui rectè ſciunt, quid ſit *αἵρεσις*.

Ad 2. & Scripturæ loca hic citata obſervandum eſt, non omnia pertinenter ad propoſitam theſin accommodari. Nam in nonnullis eorũ de *futura*, hoc eſt, perfecta totius hominis beatitudine perſpicuè agitur. In aliis autem *ſola exiſtentia*, ſive *immortalitas* animarum abſque ſpeciali qualitatum aut modi præſentis explicatione aſſeritur. In aliis denique per figuratam quandã *hypotypoſin* ſtatus futuri ſeculi interdum etiam ſtatus Eccleſiæ militantis, emphaticè depingitur.

Ad 3. obſervatur; Infirmã eſſe in hac cauſſa probationem à *Teſtimoniis Patrũ* petitam, præſertim ſi conſtat poſteriores patres à priorib. apertè diſſentire: Imò ipſos etiã modũ hac in re nonnunquã excedere. Ac ii Patres, qui cũ Euangelicis hodie perfectã præſentẽ beatitudinẽ ſanctorum & beatorũ negãt, non ſunt hæretici etiamſi ab Eccleſia hæretici definiantur. Nam ut qui hæreticum quid ſentit & docet, is hæreticus eſt, licet ab Eccleſia nondum hæreticus ſit cognitus, & pronũciatus ita è diverſo, q nihil hæreticũ ſentit & docet, hæreticus nequaquã eſt, tametſi ab Eccleſia hæreticus judicetur & traducatur.

Ad 4. denique hoc eſt, geminam rationem, tenendum eſt, *Priorem* quidẽ nihil ad rem facere, quum univerſa illa parabola Luc. 16. planè figurata ſit, & potius ad futurum ſeculum, quàm ad intermedium animarum ſtatum referri debeat. In *altera* verò eatenus principium peti, quatenus cultus & invocatio mortuorum, &c. tanquam & verbo Dei & perpetuæ totiùs Eccleſiæ praxi conſentanea, pro fundamento hic ſubſternitur, &c. Quanquam enim de beatitudine Sanctorum mortuorũ neutiquam ambigimus, eoſque imitatione fidei ac pietatis ipſorum omnique honore ac veneratione, quæ quidem moderata & legitima ſit, dignos exiſtimamus, tamen ex ſacra Scriptura Deut. 6. Math. 4. Gal. 4 8. 1. Theſſ. 1. 9. Luc. 1. 74. Heb. 10, Exod. 20. Col. 2.

Digitized by Google

Æqualis ut ſit ſancta Maria aliis hominibus.

Quod autem Adverſarius nos vitæ & felicitatis æternæ præmia paria ſtatuere inde concludit, quod Lutherus docuerit, *eſſe omnes homines æquè ſanctos & juſtos, ac eſt B. Maria Virgo*, negamus ſequi ex Elenchi Ignoratione. Nam Lutherus de virgine Maria agit, prout nata eſt, & nos naſcimur, id eſt, ſecundùm naturam abſolutè. Et docet, eam ex communi maſſa nobiſcum prognatam, quæ omnibus eſt uniuſmodi naturæ lege. Præmia verò beatorum ex GRATIA, non ex NATURA ſunt. De illa autem quæſtione, quæ ad inæqualem Mariæ conceptionem ac nativitatem, quâ à Papiſtis nonnullis è communi hominum ſorte exempta, utpote immaculata & ſine originali peccato ſtatuitur, inter Franciſcanos & Prædicatores fratres bene conveniat. Nos libro 2. in hæreſi Pelagiana orthodoxos & verè Catholicos ab ea alieniſſimos eſſe demonſtraturi Deo favente ſumus.

Pares juſtitia, ut ſint homines aut non.

Porò dictum Lutheri, omnes æquè ſanctos & juſtos eſſe, ac fuit Maria Chriſti mater, ſi inhærentem juſtitiam & ſanctitatem intelligamus, non eſt verum: ſed ſi Chriſti ſanctitatem & juſtitiam reſpiciamus nobis imputatã, tum eſt veriſſimum. Tamen non hinc ſequitur æqualitas præmiorum. Nam tum propter Chriſti obedientiam vita donamur æterna: tum virtutibus etiam præmia tribuuntur varia, non ut merita, ſed dona gratuita ac laborum fructus. Et hîc etiam Jovinianus fuit in nullo antiquo conſilio pro hæretico damnatus: quod & nobis Euangelium Jeſu Chriſti amplectentibus & profitentibus jure poteſt accidere.

Meliùs autem, ut hæc intelligantur, & Lutherus ac Proteſtantes ſeu Euangelici planiùs ab hæreſi hîc mundi cernantur, ſtatum accuſationis & ſententiam Lutheri ac noſtrorum paulò altiùs etiam ex ipſius Lutheri & aliorum doctrinâ excellentium ſcriptis repetemus & exponemus.

Comment. in Rom. 3. num. 103.

Henricus Pererius Bellarmino cõſentiens à ſpecie, id eſt, ſancta Maria, ad genus, nempe omnes ſanctos cauſſam & quæſtionem refert, dicens: *Volunt Proteſtantes, omnes qui juſtificantur, æqualiter fieri juſtos, & æqualem eſſe omnium coram Deo juſtitiam & ſanctitatem.*

Reſpondemus *primò* ad antecedẽs, illud eſſe neceſſariò falſum: *ſecundò*, ad conſequentiam, hanc non eſſe verè neceſſariam. Ideoque Papiſtas ſe in hoc ſophiſtas ridiculos, in illo vafros accuſatores deprehendi.

De *primo*, quum docent Euangelici, fideles omnes æquè juſtos eſſe coram Deo, dupliciter (ut & ſuprà monuimus) accipiendi ſunt. Vel ut intelligant par veritatis, non æqualitatis: id eſt, æquè, licet non æqualiter, membra Chriſti. Vel, non tamen, ſi eorum ſimpliciter inter ſe, ſed cum Chriſto capite & corpore ejus myſtico ratio habeatur.

Lect. ex Rom 12. 2. Dominica ab Epiphan.

Prodeat Reus Lutherus, qui accuſatoris criminationem ipſe ſententiam ſuam apertè exponendo depellit. Nã: *Quantumvis inter ſe*, inquit, *corporis membra omnia imparia ſint, & officiis atque dignitate plurimum* DISTENT: *in eo tamẽ paria ſunt, quod ejuſdem corporis membra pariter exiſtunt, neque poteſt oculus ſibi plus in corpore juris vendicare, quàm conteptiſſimũ quodq; membrũ, neq; plus ſuũ eſſe corpus affirma-*

Digitized by Google

affirmare, quàm cujuſlibet alterius. Ita habet res Chriſtianorum, qualeſcunque ſint, ſive firmi fide, ſive infirmi, ſive conſummati moribus, ſive morbis gravati, tantundem quilibet in Chriſto & Chriſtianiſmo poſſidet, quantum alii. Unde equidem non minùs poſſum de Chriſto gloriari, quàm divus Petrus, aut virgo Deipara. Perplacet ſanè divum Petrum nobilius eſſe in Chriſti corpore membrum, QUAM *ſim* EGO: *at ille rurſus* ME *non contemnit, quod ſim humilis & abjectus, quandoquidem ejuſdem corporis membrum ſum.*

Lect. in die nativit. Mariæ. Rurſus idem: *Tam beata Maria ad gratiam per Chriſti ſanguinem aſpirandū fuit, quàm nobis.* Quæ ſententia Lutheri tam humilis & orthodoxa eſt, ut nemo niſi malitioſè perverſus, poſſit in ea aut arrogantiam, aut hæreſin notare.

Quid ergo opus eſt advocatis? Quum adſint, non reſpuendi. Præcedit inter eos accuſator Bellarminus, qui inquit: *Quum dicunt Proteſtantes, omnes ſanctos æquè juſtos eſſe coram Deo, loquuntur de juſtitia imputativa.* *Lib. 3 de juſtif. cap. 1. & 16.* Atque hac ratione juſtificati omnes etiam æqualiter ſunt juſti.

VEGA lib. 10. de juſtif. fol. 680. *Per quam juſtitiam*, ſcilicet imputativā, *intelligunt* REMISSIONEM PECCATORUM. Cui accinit Bellarminus in controv. de ſatisfactione. *Deus*, inquit, *quib. unicum peccatum remittit remittit univerſa, ut Auguſtinus docet. Impietas*, inquit, *infidelitatis eſt ab eo, qui eſt ſummè miſericors, dimidiatam ſperare veniam.*

Et Aquinas part. 3. q. 86. art. 3. *Quia hæc eſt perfectio*, inquit, *miſericordia Dei, unde cujus miſeretur,* TOTALITER *miſeretur, quod ſignificavit Dominus, quum ſimul mutum & ſurdum ſanabat.* Marc. 7. Unde in promptu eſt concludere: Ergo omnes quoad imputativam juſtitiam, æqualiter juſti cenſentur coram Deo.

Quid tandem de inhærente juſtitia & ſanctificatione Evangelici ſentiunt? *Concedunt Deum remunerare juſtos juxta opera eorum; ſed propter opera, id eſt, ex meritis operum, negant.* Bellarminus de juſtificatione paſſim lib. 4. & 5. Et jam ſuprà inæqualitatem ſanctificationis Lutherus conceſſit, & noſtri omnes eam largiuntur.

Adverſarius autem contra contendit, non omnes juſtificatos inter ſe æquales, ſed alios eſſe aliis juſtiores, *tum* quoad ipſas virtutes inhærentes, *tum* quoad juſtitiam formatam, ſive imputatam attinet. Quæ ergo prolixè de hac opinione ſuorum, lib. 3. de juſtif. cap. 16. tractat, in compendium redacta paucis, quanti momenti ſint, nempe parvi, expendemus. *Objectiones pro inæqualitate juſtitiæ, quibus ſe Papiſtæ Joviniani-ſmi reos faciunt.*

Argumenta pro priore parte hæc ordine affert.

1. Jobi 1. 8. dicitur *Jobus non habuiſſe parem in ſtudio juſtitiæ.* Et 1. Sam. 9. idem dicitur de *Saule*, &c. Et Math. 11. 11. dicitur: *Non ſurrexit major Johanne Baptiſta.* Et paſſim virtutes diverſorum hominum inæquales eſſe dicuntur.

2. Similia illa, de *quadruplici ſemine*, ejusque inæquali fructificatione, deque corporis humani variis membris & membrorum operationibus, idem comprobant: quia imparia hominum dona & officia declarant. *Math. 13. 1. Cor. 12 Rom. 12.*

3. Idem ex inæqualibus juſtorum præmiis (de quibus Joh. 14. 2. & 1. Cor. 15. agitur) non obſcurè probatur. Etſi enim

Digitized by Google

Math.10. enim omnes eundem denarium, hoc eſt, eandem vitam æternam accipient: alii tamen præ aliis excellentiorem in eo gradum obtinebunt.

„ 4. *Patres* idem docent, præſertim „ *Hieronymus* lib. 2. contra Joviniа- „ num: ubi ex profeſſo error ipſius, „ quod virtutes omnes pares ſint, re- „ futat.

Jam *poſterioris* partis argumenta hæc ſunt. 1. Prov. 4. dicitur juſtorum *ſemita quaſi lux ſplendens procedere & creſcere.* Ergo non eſt in omnibus æqualis, nec ſemper in eodem gradu.

2. Apoſtolus 2. Cor. 9. 10. ait, *Deum aucturum incrementa frugum juſtitiæ noſtræ*, &c. Ergo hæc intendi & remitti poteſt.

3. Apoc. 22. 11. monentur ii, *qui juſti, ut juſtificentur adhuc* vel ampliùs, &c. Non ergo omnes juſti inter ſe pares ſunt.

4. Charitas in uno major eſt, quàm in alio, ut conſtat. Ipſa verò juſtitia formalis eſt. Ergo & juſtitia hæc in diverſis eſt inæqualis.

5. Varia eſt corona juſtitiæ in cœlo apud Deum repoſita. Ergo & varia, ſive inæqualis eſt juſtitia ipſa.

6. Patres idem docent. Ut Ambroſius lib. 10. epiſt. 81. *Agreſtis ululatus eſt,* inquit, *nullam virginitatis gratiam, nullum caſtitatis ordinem ſervare: promiſcuè omnia velle confundere: diverſorum gradus abrogare meritorum.* Et Hieronymus 2. in Jovinianum ex profeſſo. Auguſtinus ad Hieronymum. epiſt. 29. Item ſerm. 16. de verbis Apoſt. & epiſt. 29. *Unde*, inquit, *in omnibus ſanctis alii aliis ſanctiores, niſi abundantius habendo habitatorem Deum?* Item: *Induti ſunt ſancti juſtitia, alii magis, alii minus.*

Gregorius Moral. 42. *Quia in hac vita nobis eſt diſcretio operum, erit proculdubio in illa diſcretio dignitatum: ut quo hîc alius alium merito ſuperat, illic alius alium retributione tranſcendat.* Ergo hæc Eccleſiæ ſententia eſt, eoque rectè tenenda. Ad quæ numquid reſponderi poteſt?

Solutio. Hîc quoad *prius* membrum attinet, ultrò Euangelici aſſentiuntur. Nam & peccata in impiis, & virtutes in piis impares eſſe cognoſcunt. Tametſi quaſdam rationes Bellarmini, præſertim quartam, non per omnia firmas eſſe judicant, &c. Sed in *poſteriore* membro perpetuam *æquivocationem*, & per hoc *petitionem principii*, eſſe ſtatuunt: quum omnia loca citata non de imputata, ſed tantùm de *inhærente* juſtitia agant, prout cuivis ea tantùm obiter inſpicienti, manifeſtum eſſe poteſt.

Hoc igitur eſt, quod Nostri aſſerunt: Omnes homines in ſe ſpectatos, excepto Chriſto, coram Deo reos & peccatores eſſe. Quare omnes eadem ratione juſtificati, quatenus omnes ex pura Dei gratia per fidem in Chriſtum à reatu ſuo abſolvuntur, &c. Quæ ſententia in ſacris literis teſtatiſſima eſt: præſertim in epiſtolis Pauli ad Rom. 3. & 4. & 5. ac ad Gal. 2. & 3. Neque hinc tamen efficitur, juſtos ſimpliciter & per omnia pares eſſe, ſive quoad ſenſum divinæ hujus gratiæ: ſive etiã quoad inhærentem ſanctitatem, & alia ejuſmodi Spiritus ſancti dona habitualiter in nos effuſa pertinet, quæ dicitur opinio fuiſſe *Joviniani*, &c. Sed hoc tantùm rectè colligitur, 1. Cor. 1. 9. neminem habere, de quo coram Deo & 4. 7. gloriari poſſit, quaſi qui ſuo ipſius me- Epheſ. 2. 8

 ritò,

ritò, pretio & dignitate ſalutem æternam ſibi comparaverit, aut propria ſua virtute juſtitiam coram Deo adeptus ſit.

Juſtificationem conſtare ſola remiſſione peccatorũ.

Adverſarii autem, dum noſtrã ſententiam de formali juſtitia, in remiſſione peccatorum gratuita & imputatione juſtitiæ Chriſti, per miſericordiã omnibus fide eam amplectentibus, communi atque æquali, odioſè exagitant & pertinaciter negant, manifeſtũ hæreſeos laqueum inducunt. Nam etſi Bellarminus lib. 2. de juſtificatione cap.1.2.3.5.6. ad invidiam noſtris conflandam, diverſas horum ſententias adeoque inter ſe pugnantes, ſpecioſè producit: conſtat tamen ex publicis Eccleſiarum noſtrarum confeſſionibus, unam tantùm & eandem hîc noſtrorum omnium doctrinam eſſe, eam videlicet, quæ Rom. 4. & 5. ac 2. Cor. 5. 18.19.20.1. Pet. 2.24.25. Act. 13.38. Epheſ. 1. Coloſſ. 1. & paſſim alibi in ſacris Scripturis docetur. Quam etiam Auguſtinus ſic commendat: *Juſtitia noſtra potiùs remiſſione peccatorum conſtat, quàm perfectione virtutum.* Et ſanctus Bernardus: *Sufficit mihi,* inquit, *ad omnem juſtitiam ſolùm habere propitium, cui ſoli peccavi,* &c. Item, *Hominis juſtitia eſt indulgentia Dei,* &c. Illud quidem fatemur, aliquos olim ſigulare quiddam attuliſſe, verbi gratiâ, *Oſiandrum* de eſſentiali Dei juſtitia, intra nos habitante, &c. Sed iſti continuò poſt inſtitutum ſuæ ſententiæ examen ab Eccleſiis noſtris omnibus exploſi fuerunt. Et licet adhuc contentio quædam ſit *de imputatione juſtitiæ Chriſti,* an ſcilicet & quatenus admittenda ſit: in eo tamẽ omnes conſentiunt, ipſam JUSTIFICATIONIS ESSENTIAM ſeu FORMAM, non in aliqua charitatis infuſione, ſed in ipſa PECCATORUM CONDONATIONE, ſeu juſtitiæ cujuſdam, ſaltem in genere dictæ, imputatione, ſeu denique judiciali hominis coram Deo abſolutione, revera conſiſtere.

Lib. 19 de civit. Dei, cap. 17. Serm. 23. in Cantic.

Status controv. de juſtificationis forma cum Papiſtis.

Negat verò Bellarminus, formam juſtificationis (prout Calvinus, Lutherus, Zuinglius & alii tradũt) in ſola remiſſione peccatorum conſiſtere: ſed requirit etiam internam renovationẽ, tanquam verè formalem juſtitiam, aut ſaltem præcipuam hujus partem, atque hanc lib. 3. de juſt. cap. 6. his argumentis evincere molitur.

1. Rom. 4.25. dicitur *Chriſtus traditus propter peccata noſtra, & reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram,* &c. Porrò, ut mors illius ad remiſſionem peccatorum; ſic reſurrectio ad vitæ noſtræ novitatem refertur, Rom. 6. Ergo utraque pars ad juſtificationem pertinet, & præcipuè poſterior. Ac proinde non conſiſtit illa in ſola peccatorum remiſſione.

2. Rom. 8.10. dicitur *Spiritus vita eſſe propter juſtificationem.* Nempe, quia juſtitia eſt quiddam internum, quod nos vivificat, & ſpiritualiter operari facit. Quomodo etiam Gal. 3.21. dicitur, *Lex juſtificatura, ſi vivificare poſſet.* Ergo præcipua juſtificationis pars eſt interna *vivificatio,* hoc eſt, *ſanctificatio,* &c.

3. Epheſ. 4.23 jubemur *renovari ſpiritu mentis noſtræ, & induere novum hominẽ, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Ergo renovatio interna eſt formalis juſtitia noſtra.

4. *Auguſtinus* in Enchiridio cap. 52. & epiſt. 105. & paſſim idem docet de

morte

Digitized by Google

morte & reſurrectione Chriſti, quarũ illa remiſſioni peccatorum, hæc juſtificationi reſpondeat. Ergo forma juſtificationis non eſt ſola peccatorum remiſſio.

5. Juſtificatio eſt verus & perfectus modus, cujus terminus à quo, eſt remiſſio peccatorum: terminus autem ad quem, eſt infuſio juſtitiæ. At ſi hæc pars deeſſet, perfectus modus appellari non poſſet. Ergo, &c.

6. Remiſſio peccatorum liberat tãtùm à pœna gehennæ. Ergo quum juſtificatio etiam gloriam, ſeu vitam æternam conferat (juxta illud Rom. 8. 30. *quos juſtificavit, eos glorificavit,* &c.) ſequitur in ea aliquid amplius requiri, videlicet inhærentem juſtitiam, quæ nos iſto præmio dignos efficiat. Non igitur eſt ſola peccatorum remiſſio.

Rom. 6. 22. 7. Juſtificatio facit *ex inimicis amicos & filiis* Dei, Rom. 5. 10. &c. Ergo non ſola peccatorum remiſſione abſolvitur. Nam non continuò dignus eſt amore, cui debitum condonatur. Nec ſtatim fit hæres & domeſticus, qui à commerita pœna liberatur. Ergo, &c. Hæc & ſimilia argumenta etiam immoderatiùs effundunt in cenſura Colonienſi pag. 186. 166. 149.

Reſponſio orthodoxa. In hac parte apertiſſimum diſſidiũ noſtrorum eſt à Papiſtica doctrina: quia omnes Euangelici cum Luthero & Calvino (licet aliud narret Bellarminus) in eo revera conſentiunt, propriam juſtificationis formam in imputatione juſtitiæ, ſive in non imputatione, hoc eſt, remiſſione peccatorum, poſitam eſſe. Et licet alii *imputationem juſtitiæ* Chriſti, hoc eſt, morte & paſſione Chriſti comparatæ ab hac *peccatorũ remiſſione*, tanquam rem diverſam interdum diſtinguant; tamen plerique doctores id non faciunt. Et qui faciunt, impropriè loquuntur: quatenus unà cum *formali* cauſſa proximam *efficientem* ſeu meritoriam, conjungunt.

Bellarmini autem rationes levi brachio diſſolvuntur. In 1. & 3. & 4. res cõjunctas quidem, ſed tamen diverſas imperitè Adverſarii confundunt. Videlicet juſtificationem & regenerationem. Nec fructum mortis & reſurrectionis Chriſti diſtinctè utrique parti (prout fieri debebat) aſſignãt. In 5. & 6. & 7. *partim* principium petitur, quatenus in juſtificatione per ſe ſeorſum conſiderata, hoc eſt, in ipſa remiſſione peccatorum, duo diſtincti termini eſſe negantur. Item, quatenus ipſe tantùm à pœna liberare, non autem amicitiam Dei, & conſequenter neque æternam ſalutem, ſecum afferre aſſeritur. *Partim* fallacia conſequentis latet, quatenus ex eo, quod regeneratione etiam peccatum expurgatur, & ſanctitas nobis infunditur, quæ nos etiam Deo chariores omnino efficit, &c. perperam concluditur, hanc eſſe cauſſam formalem juſtificationis.

Sic igitur habendum eſt. *Activam* Dei juſtificationem, quum ſit *univerſalis* abſolutio noſtri ab omni peccatorũ reatu, peccatorum, inquam, & *omiſſionis & commiſſionis* (ut validè Balthazar Mézerus contra Joh. Piſtoriũ diſput. 5 Vorſtius in Antibellarmino, &c. probat) idcirco neceſſariò ſecũ trahere Dei amicitiã, & jus obtinendæ hæreditatis cœleſtis atque ita inter duos terminos (ut ita dicamus) reales verſari. Nã qui coram Deo juſtificatur, is non modò

Digitized by Google

non ampliùs reus peccatorumcommiſſorum cenſetur : ſed etiam pro perfectè juſto & innocente habetur: quaſi qui nihil eorum, quæ ſibi præcepta fuerint, unquam omiſerit. Ac proinde non modo à damnatione liberatur, ſed & hæres æternæ ſalutis efficitur. Unde etiam meritò *beati* prædicantur, quibus peccata remiſſa ſunt, Pſalm. 32. Rom. 4 &c. Et promiſſa benedictio ad eoſdē pertinere dicitur, Gal. 22. 23. 26. &c. In *forenſi* autem abſolutione, quippe quæ ſemper eſt *particularis*, nihil mirum eſt, ſi non ſtatim omnia præmia & beneficia conferantur iis, qui per *judicem* abſolvuntur. Quanquam ut *Judex* ſecularis iſtis ea præmia tribuit, quæ innocentibus per legem conſtituta ſunt. Verbi gratia defenſionem vitæ & honoris, &c. Sic etiam *Deus* omnibus juſtificatis ea præmia tribuit, quæ innocentibus & juſtis (quales certè ſunt, qui nulla amplius peccata habent, neque commiſſionis neque omiſſionis) in verbo ſuo promiſit, verbi gratia, liberationē à morte & poſſeſſionem vitæ æternæ. Denique hæc ipſa ſalutis & veniæ peccatorū connexio, præcipua cauſſa eſt, cur remiſſio peccatorum per *imputationem juſtitiæ* deſcribatur, uti jam plenuùs dicemus.

Contra imputationem juſtitiæ objectiones Papiſticæ.

Sicut enim antea inficiatus eſt Bellarminus, juſtificationem noſtri conſiſtere in remiſſione peccatorum ita nūc cap. 8. 9. 10. 11. 12. negat eam ſitam eſſe in *imputatione* juſtitiæ Chriſti, hoc eſt, ejus, qua Chriſtus ipſe in ſe juſtus eſt. Quaſi videlicet Chriſtus nos ſua juſtitia tegat, ut eo modo tectos nos Deus videns pro juſtis habeat, licet alioqui reipſa injuſtos, &c. Sic enim Adverſario libet ſententiam noſtram explicare. Argumenta autem hæc affert præcipua.

1. Nuſquam vel in ſcripturis vel Patribus hæc phraſis occurrit. Nam nec Rom. 4. (ubi ex profeſſo *de imputatione* agitur) nec uſquam alibi reperitur. Ergo nova, inſolens, ſuſpecta, adeoque damnanda nobis eſt.

2. Nulla eſt imputationis hujus *neceſſitas*, quum homo poſt remiſſionem peccatorum non ſit ampliùs peccator, ſed verè juſtus, quippe cujus peccata dicuntur *ablata*, *deleta*, *expurgata*, *in profundum demerſa*. Iſaias 44. 22. Mich. 7. 18. 19. Pſalmo. 32. 2. & 51. 4. 11. Joh. 1. 29. Act 3. 19. & 22. 16. Heb. 1. 3. & 9. 14. 28. Ergo non hærent in eo peccata, quæ tegi opus habeant per alienam aliquam juſtitiam.

3. Nec dici poteſt, idcirco juſtitiam Chriſti nobis imputari, quia juſtitia nobis inhærēs ſit imperfecta & mutila quū etiā fides, & ſpes, & charitas noſtra paſſim firmæ & perfectæ, &c. dicantur prout Joh. 14 & 15. Item 1. Joh 2. & 4. & 5. videre eſt. Vel, Quia hic, juſtitia in nobis tam perfecta eſſe poteſt, ut vere juſtificet. Nam juſtitia perfecta ſita eſt in perfecta Fide, Spe & charitate quas perfectè in hac vita poſſumus habere. Ergo, &c.

4. Impoſſibilis quoque eſt iſta *imputatio*, quatenus per eam formaliter juſti conſtitui dicimur. Nam omnis forma ſuo proprio ſubjecto inhæret, & ulla res ab extrinſeca forma denominari poteſt, verbi gratiâ Æthiops albus ab alba veſte, quam fortè geſtat: item, quum alioqui prorſus nos ipſi Chriſto in

Digitized by Google

in ratione juſtitiæ æquiparari poſſemus, & proinde etiam mundi redemptores appellari, &c.

5. Per Chriſtum nobis reſtituitur ea juſtitia, quam in Adamo perdidimus, At illa non fuit imputata ſed verè inhærens, quippe per quam Deo reipſa ſimiles eramus. Ergo & juſtitia fidei verè inhærens eſt, & non imputata.

6. Ut Chriſtus non poteſt dici peccator & injuſtus quia ipſi peccata, noſtra fuerunt imputata. Sic neque nos juſti eſſe poſſumus, etiamſi juſtitia Chriſti aliquatenus nobis imputaretur, nempe quia par utrobique ratio eſt, prout 2. Cor. 5. 21. docetur. Quum igitur verè juſti & ſancti paſſim appellemur (Rom. 8. Epheſ. 1. Col. 3.) non poteſt hoc ad imputatam, ſed ad inhærentem juſtitiam referri, & proinde forma juſtificationis non eſt imputatio.

7. Ut Chriſtus Eccleſiæ ſponſus habet ſuam propriam & virilem pulchritudinē; ſic etiam Eccleſiæ ſua propria venuſtas attribuitur, qualis ſolet eſſe ſponſæ ſeu mulieris, prout Epheſ. 5. 27. Cant. 1. & 2. &c. docetur. Ergo Chriſti juſtitia non eſt noſtra formalis juſtitia, præſertim quum abſurdum ſit, Chriſtum, qui ſanctiſſimus eſt, habere ſponſam in ſe impuram & peccatis infectam.

8. Per juſtificationem mundatur cor noſtrum, ut aptum & diſpoſitum ſit ad Deum videndum, &c. Math. 5. 7. Act. 15 9. 10. 11. Quare ſicut ad corporalem lucem videndam opus eſt oculo verè mundo, non qui putetur eſſe mundus; ſic etiam vera & habituali mundicie cordis opus eſt iis, qui Deum ejusque ſpiritualem lucem videre cupiunt.

9. Chriſtus idcirco mortuus eſt, ut nos verè ſanctificaret Epheſ. 17. 19. Ephes. 5. 26. Heb. 13. Tit. 2. & 3. Niſi igitur verè ſancti ſimus, Chriſtus finem ſuum aſſequutus eſt. Ergo non imputata, ſed inhærens & habitualis eſt juſtitia noſtra.

10. Denique veteres juſtitiam noſtram formalem inhærentem, imputativā eſſe docent, ut Ambroſ. 6. Hexaemer. 8. Baſil. lib. 1. de Baptiſma. Chryſoſt. Homil. 16. in 1. Cor. ad illud; *Et hac quidem fuiſtis*, &c. Hieronymus 1. adverſus Pelagianos. Auguſtinus lib. 15. de Trinit cap. 8. & lib. 19. de civit. cap. 27. & 12. Confeſ. 15. 1. ad Simplic. quæſt. 2. ac lib. de hæreſibus cap. 88. tomo 7. de Peccator. meritis 10. Tomo 8. in Pſalm. 118. tom. 9. Bernhardus ſerm. 4. de dedicat. Eccleſiæ. Leo Epiſt. 91. cap. 1. Theoph. in 1. Cor. 7. Ergo dogma de imputata juſtitia novum eſt.

Nunc quàm firma iſta ſint, videamus. Certè juſtificationem gratuitam non in ſanctitatis infuſione, ſed injuſtitiæ imputatione ſitam eſſe optima ratione concludimus. Nam imputatio juſtitiæ, quod ſupra diximus, in S. literis verè idem eſt, quod remiſſio peccatorum, prout neceſſar ò juſtus eſt, qui non amplius eſt injuſtus ſeu peccator, quippe cui nulla peccata imputantur. Quo ſenſu Apoſtolus Rom. 4. tanquā æquipollētes phraſes uſurpat, *alicui juſtitiam imputari* & *eidem peccata non imputari, ſive condonari*. Quod autem hæc *juſtitia Chriſti* nominatur, eo fit, quia per obedientiam Chriſti nobis parta ſeu per modum meriti comparata & *Reſponſio.*

acquiſita

Digitized by Google

acquiſita eſt,&c. Alioqui,ſi nomine *juſtitiæ Chriſti*,ipſam pro nobis præſtitam Chriſti obedientiá intelligas,jam verbum *imputandi* latiore ſignificatione pro verbo *donandi*, vel *accommodandi*, vel *impertiendi* accipere omnino oportet.Sed prior interpretatio ſimplicior eſt,& diluendis Adverſariorum calumniis accommodatior. Itaque ſic ad argumenta Bellarmini reſpondemus.

In 1. principium petitur, quatenus de ſententia phraſeos agitur. Nam revera non ſemel ſed *ſepties* ſcriptum eſt Rom.4.*juſtitiam nobis imputari*.Iſta verò juſtitia non immeritò Chriſti juſtitia dicitur,quippe qui ſolus eam nobis acquiſivit & comparavit.

In 2.& 3.ſimiliter petitur principiũ, quum *neceſſitas* hujus imputationis vel ex eo ſatis appareat, quod peccata ſemel facta, non poſſunt fieri infecta;& proinde non aliter,quàm per remiſſionem deleri queunt.Quæ quum ſit perfecta, hoc eſt,ad omnia omnino peccata ſe extẽdat,& proinde ſit ipſa juſtitiæ *imputatio*,rectè per eam ex peccatoribus juſti,& quidem perfectè juſti cõſtitui dicimur. Id quod de inhærente ſanctitate noſtra dici non poteſt,quæ licet vera & ſincera,& hoc etiam ſenſu perfecta ſit,propriè tamen loquendo imperfecta eſt, & per ſe divinum judiciũ (excluſa juſtitiæ imputatione) ſuſtinere non poteſt.

In 4.& 6.fallacia homonymiæ,aut figuræ dictionis latet,quum imputatio *juſtitiæ Chriſti* (uti ſuprà dictum eſt) ipſam remiſſionem peccatorum,morte Chriſti partam, revera hic ſignificet. Non autem propriè inhærentem Chriſti ſanctitatẽ nobis ſubjectivè attribui, aut ſimili modo aſcribi declaret.

In 5.7.8.9.ſtatus quæſtionis revera non attingitur, quum nos quoque fateamur,per Chriſtum non modò imputatam,ſed etiam habitualem juſtitiam nos adipiſci,& per hanc etiá verè juſtos & ſanctos eſſe,ac meritò tales appellari, &c.Sed hoc unum negamus hanc inhærentem juſtitiam vel ſolam, vel per ſe ſimpliciter acceptam, eſſe perfectam illam juſtitiam, per quam formaliter in Dei judicio juſti & inculpati reputamur.Eſt quidem *utraque* neceſſariò conjuncta, ſed tamen altera plurimum differt ab altera. Et quanquam Chriſtus utroque modo finem ſuum in electis ſuis aſſequitur,non tamen vult ſua beneficia confundi,præſertim quum iſta confuſio gratiam Dei non parum obſcuret, & ſimul pacem conſcientiæ conturbet

In 10.tum ſententiæ hominum verbo Dei perperam opponuntur,tũ aliæ eorum phraſes non ſatis bona fide diſſimulantur. Etſi enim Patres inhærenti juſtitiæ multum (imò etiam interdum plus quàm par ſit)aliquando tribuere videntur: tamen non raró univerſam juſtitiam noſtram, vel ſaltem præcipuam juſtitiæ parem,in remiſſione peccatorum conſtituunt.

Patres juſtitiam noſtram in Chriſto & remiſſione peccatorum conſtituunt

Nam Auguſtino quidem & Patribus, pugnantibus cum Pelagio, *juſtitia* eſt inhærens ſanctitas, vel nova obedientia, gratia, auxilium Spiritus ſancti *juſtificare*, ex injuſto juſtum facere. Reipſa tamen nobiſcum faciunt & ſentiunt, novam obedientiam non eſſe perfectam in hac vita, Nosque ſolâ obedientiâ mortis Chriſti ſatisfa-

cere

Digitized by Google

cere judicio Dei,& acceptari ad vitam æternam aſſerunt. Vide veterum ex poſitiones in 2.Cor.5.21.& quæ ſuprà poſita.

De verbis Apoſt. ſerm.6.

Auguſtinus: Ut *nos,*inquit,*ſimus juſtitia Dei in ipſo. Videte duo,* JUSTITIAM DEI, *& non noſtram: In* IPSO, *& non in* NOBIS.

De Spiritu & lit. c.26

Rurſus: *Juſtificatio factoribus legis non accidit,ſed factores legis juſtificatio præcedit.* Et mox: *Aut certè ita dictum eſt,* JUSTIFICABUNTUR *ac ſi diceretur,juſti habebuntur,juſti* REPUTABUNTUR.

Et de fide ac operibus cap.14.epiſt. 120.cap.30. *Bona opera,*inquit,*ſequuntur juſtificatum, & non præcedunt juſtificandum.*

Expoſit. inchoat. epiſt.ad Rom.*Homines,*inquit,CREDENDO JUSTIFICATI,*deinceps juſtè vivere incipiunt.*

Hieronymus in 2.Cor.5.Ita & Chriſtus, inquit, pro peccatis noſtris oblatus,peccati nomen accepit. Ac mox: Ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo, NON NOSTRA NEC IN *NOBIS.

** Marius Victorinus ſine ſenſu legit* VOBIS.

Chryſoſtomus ibidem: *Juſtum fecit,* inquit,*peccatorem,ut peccatores faceret juſtos. Imò neque ſic dixit,ſed quod multò majus erat. Non enim* QUALITATEM *poſuit,ſed ſubſtantiam. Non dixit* PECCATOREM,*ſed* PECCATUM,*ut nos fieremus, non dixit* JUSTI,*ſed* JUSTITIA ET JUSTITIA DEI. *Dei enim eſt iſta,quando non ex operibus,quando neceſſarium eſt etiam* MACULAM NULLAM *inveniri,ſed à gratia juſtificatio ſit.*

Idem hom.17.in Rom.10.ait: *Quod ſi Chriſto credideris, & legem impleſti, & multò plura quàm ea præceperat, multo ſiquidem majorem jam accepiſti juſtitiam.*

Anſelmus: *Deus fecit Chriſtum peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo. Ipſe ergo factus eſt peccatum,ſicut* NOS JUSTITIA: *nec noſtra: ſed Dei(id eſt,non à nobis,ſed à Deo)nec* IN NOBIS, ſed IN IPSO: *ſicut ipſe factus eſt peccatum, nec* SUUM,*ſed* NOSTRUM: *nec in ſe,ſed* IN NOBIS *conſtitutum.*

In 2.Cor.5.

Bernardus: Porrò, inquit, mors Chriſti morte fugatur,& Chriſti nobis juſtitia imputatur. Epiſt.190. *Aſſignata eſt homini* ALIENA JUSTITIA,*quia caruit ſua.* Et poſt: *Satisfactio unius omnibus imputatur.*

Serm.cap. ad milit. templi 11.

Serm.61.in cantic. *Domine memorabo juſtitiæ tuæ ſolius; ipſa eſt enim & mea. Nempe factus es mihi tu juſtitia à Deo. Numquid mihi verendum,ne non* UNA *ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breve,quod non poteſt operire duos. Juſtitia tua juſtitia in æternum,&* ME & TE PARITER OPERIET *largiter & larga & æterna juſtitia.*

Neoterici etiam juſtitiam imputatam agnoſcunt: ut Antididagma Colonienſe. PIGHIUS controverſia 2. cujus verba ſunt: *Si formaliter & propriè loquamur,nec fide,nec charitate noſtra juſtificamur,ſed* UNA *Dei in Chriſto* JUSTITIA, UNA CHRISTI NOBIS COMMUNICATA JUSTITIA.

De juſtitia inhærentis ratione & vi.

Cæterùm ne quid relinquatur adverſariis, quod iſti noſtrorum ſententiæ incommodet, ipſorum fulcire videatur,excutiemus & ſolvemus etiam Bellarmini objectiones de duplici juſtitia inhærente, quam lib.2. de juſtif. cap.15.16.17. pertractat.

Docet juſtitiam inhærentem, quâ formaliter coram Deo juſti ſimus,non eſſe *actualem*, ſed *habitualem*: operibus autem bonis non *formaliter*, ſed tantū *meritoriè* juſtificari nos ſolere. Hócque

que his argumentis obtinere contendit.

1. Joh 3 5. Ephes. 5. 26. Tit 3 5. dicuntur ipſa ſacramenta nos juſtificare, tāquam gratiæ organa, quæ nobis infunduntur. Sacramenta autem etiam infantibus, & aliis rationis uſu carentibus, rectè conferuntur. Ergo ad actualem juſtitiam immediatè non proſunt: ſed tantùm ad habitualem.

De fide & operibus. cap. 14. 2. Auguſtinus ait: *Sequuntur opera juſtificatum, non præcedunt juſtificandum.* Et in Pſalm. 100. *Homo non operatur bene, niſi juſtificatus.* Ergo bonis operibus formaliter non juſtificamur.

3. Ratio idem docet, quia etiam infantes & dormientes juſti eſſe poſſunt: nec ab uno aut altero actu quiſquam denominari ſolet. Ergo formalis juſtitia eſt merè habitualis, & non actualis.

Quia autem graves objectiones his opponuntur, eas ille confutandas ſumit, ac ordine hæ ſunt.

1. Rom. 2. 13 *Factores legis juſtificabuntur,* &c. Reſpondet, eos vel promerituros augmentum juſtitiæ, vel olim in extremo judicio coronam juſtitiæ adepturos: vel per factores legis intelligi debere, qui legem præſtare cupiunt, atque ita habituali juſtitia præditi ſunt.

2 Jacob. 2 24. *Videtis, quod ex operibus homo juſtificetur,* &c. Reſpondet, id de ſecunda juſtificatione accipiendum eſſe, quâ quis ex juſto fit juſtior, non autem de prima, &c.

3. 1. Joh 3. 7. *Juſtus eſt qui juſtitiam facit.* Reſpondet, non de formali juſtitia hîc agi, ſed de eo, unde cognoſci poſſit aliquem eſſe juſtum: quomodo ex bonis fructibus arborem bonam eſſe judicamus.

4 Habitualis juſtitia nō rectè privativè opponitur peccato: nec rectè dicitur nos Deo gratos efficere, quum à prædeſtinatione fluat, &c. Reſpondet, utrumque falſum eſſe, quum peccatū verè tolli non poſſit, niſi per habitum juſtitiæ, quem videlicet ante peccatum habuimus: Quumque Deus in exequutione decreti ſui neminem accepter ad gloriā, niſi juſtitia ſeu charitate præditum, &c. Ad quæ quid Euangelici dicunt?

Quod ad theſin *negativam* attinet, omnes Euangelici aſſentiuntur, eoque ſolutiones objectionum in ſano etiam ſenſu admittunt. Theſin verò *affirmativam*, cum ſuis rationibus, excepta ſecunda, non approbant: tum quia Sacramentis iſtam juſtificandi aut ſanctificandi virtutem non aſcribit ſacra Scriptura, niſi per metonymiam effecti, quod effectum pro cauſſa efficiente ponitur: tum præcipuè, quia formā juſtificationis non in habituali aliqua ſanctitate, ſed in remiſſione peccatorū (quæ tamen, quoad ſenſum & cognitionem, in nobis inſtar habitus inhæreat) ſitam eſſe, ſacra Scriptura docet, ut ſuprà indicatum. *Reſponſio Euangelica.*

Et nobis etiam ſancti Patres ſuffragari ſolent. Ex quibus Ambroſius: *Nemo glorietur in operibus,* inquit, *quia nemo factis ſuis juſtificatur, ſed qui* JUSTUS EST, *donatum habet, quia poſt lavacrum juſtificatus eſt. Fides ergo eſt, quæ liberat per ſanguinem Chriſti, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & veniæ donatur.* *Epiſt. 71.*

Hilarius: *Non illa juſtitia opera ſufficiet ad perfectæ beatitudinis meritum, niſi miſericordiæ* *In Pſal. 51.*

Digitized by Google

cordia Dei etiam in hac juſtitia voluntate, humanarum demutationum & motuum vitia non reputet.

De lege ſpirituali. Marcus Heremita: *Quicunque*, inquit, *regenerationis lavacro dignati ſumus, bona opera non propter retributionem facimus, ſed propter cuſtodiam concessæ nobis puritatis & munditia.*

Moral. lib. 4. cap. 14. & lib. 21. cap. 15. Gregorius: *Omnis humana juſtitia*, inquit, *injuſtitia eſſe deprehenditur, ſi divinitus diſtinctè dijudicetur.* Ac lib. 5. cap. 7. *Ipſa juſtitia noſtra*, inquit, *ad examen divinæ juſtitiæ deducta, injuſtitia eſt: & ſordes in diſtrictione judicis, quod in æſtimatione fulget operantis.*

Serm 23. in cantic. Bernardus: *Sufficiet mihi ad omnem juſtitiam*, inquit, *ſolum habere propitium, cui ſoli peccavi. Omne quod mihi ipſe non imputare decreverit, ſic eſt quaſi non fuerit. Non peccare, Dei juſtitia eſt: hominis juſtitia indulgentia Dei.*

In ſumma: duo extrema hîc potiſſimùm cavenda ſunt. Ne *vel* juſtificari quenquam ſtatuamus, qui non ſimul verè à peccatis convertatur, hoc eſt, ne juſtitiam cuiquam à Deo imputari, ſeu peccata per Chriſtum condonari credamus abſque vera & viva fide (quæ fides rectè intellecta eſt juſtitia illa inhærens, quam Adverſarii ſemper hîc urgent, licet ipſi plerumque id negent: eoque nomine Lutherum, Calvinum & reliquos noſtros injuſtè exagitent) *vel* propterea juſtificationem ipſam cum vivæ fidei conditione, hoc eſt, cauſſam formalem cum cauſſa efficiẽte vel inſtrumentali, confundendam putemus. Nam *illud* quidem contra vanam fidei jactantiam & inanem hypocritarum perſuaſionem: *hoc* verò contra gratiæ divinæ obſcurationem & conſcientiæ perturbationem arctè tenendum eſt.

Jam ergo tandem in accuſatione hæreſeos Jovinianæ ad *conſequentiam* revertimur. Si ex æqualitate remiſſionis peccatorum ſequitur paritas præmii cœleſtis, tum vos, Bellarmine, *Jovinianiſtæ* eritis. Si ex inæqualitate gratiæ infuſæ gloriæ inæqualitas ſequitur, tũ Euangelici *Jovinianiſtæ* non ſunt. Nã & hi inæqualitatem gratiæ infuſæ, & vos æqualitatem imputativæ gratiæ poſuiſtis. Ex inæqualitate ſanctificationis neceſſariò inæqualis ſanctorum dignitas cœleſtis efficitur, non quidem ex merito *operantis*: ſed ex benignitate *miſerentis*, qui coronat munera ſua, & gratiam pro gratia, id eſt, gratiam beatitudinis, juxta analogiam gratiæ ſanctificationis miſericorditer remunerabit. Hanc cauſſam itaque & Auguſtino & ſcholæ judicio permittamus. *Dilemma.*

Augustinus de grat. & lib. arbit. cap. 7. *Si ergo dona Dei*, inquit, *ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, ſed tanquam* Dona *ſua.*

Vega lib. 10. de juſt. cap. 7. *Gloria cœleſtis*, ait, *quoad ſubſtantiam ſuam, quæ eſt viſio Dei æterna, abſque relatione ad opera datur, atque gradus gloriæ pro diverſa proportione gratiæ infuſæ confertur.*

Perventum eſt ſic ad ſextam Joviniani ſententiam hæreticam, quam Pontificii etiam Euangelicis inurere ſatagunt. Refertur ea à Bellarmino lib. 1. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati, c. 4. ſtatim in principio, ubi ut ſequentibus aliquot capitibus grandem librum extra oleas evagando conficiat, ſentẽtias hæreticorum, quos vocat, de veniali peccato, recenſet. *6. Peccata eſſe paria Euangelicos non cum Joviniano docere.*

Digitized by Google

Primam eſſe ſcribit *Joviniani*, qui teſte Auguſtino de hæreſibus cap.82. & Hieronymo 2.lib.adverſus Jovinianũ, docuerit: *Peccata omnia eſſe paria.* Ac poſtea ad *nonam* tranſiens, dicit, eam eſſe *Joh.Calvini*, quem dicit partim Luthero, partim JOVINIANO, partim Wiclefo aſſentiri, &c. Vide ipſius verba ibi. RESPONDEBIMUS nos 1.in genere de hoc accuſationis capite. 2. de Joviniano. 3 de Calvino & Euangelicis: unde calumnia multiplex Adverſarii apparebit.

Peccata eſſe per ſe omnia mortalia, ex gratia Dei venalia.

I. Poterat verbo dicere adverſarius, omnes iſtos, quos perſtringit, conſentire in hoc: *Omnia peccata eſſe mortalia, nulla venialia ſua natura in Dei judicio:* quod ultrò profitemur. Ergo ut hoc doceret, tanta verboſitate opus non erat, niſi fortè ad hoc, ut per ſententias in ſpeciem diſcrepantes ſchiſma inter nos concitaret. Sed errat. Omnes ſummâ concordiâ hanc ſententiam: *Omnia peccata non renatorum eſſe ſua natura, de jure & de facto mortalia, hoc eſt, mortem inducere: Renatorum eſſe mortalia de jure in foro juſtitiæ: fieri venialia de facto, in foro miſericordiæ Dei propter λύτρον & ſatisfactionem filii ipſius* JESU CHRISTI. Nam prius Rom.6.23. poſterius cap.8 ✝.1. docetur. Vide Vorſtium in Antibellarmino ad iſtud Bellarmini caput, fol. 510 511. 512. 513. 514. 515. & Bucanũ in inſtit. Theologica peg.181.182.

Jovinianus ut ſenſerit de peccati æqualitate Rom.6.23. Jac.2.10.

II. Ad Jovinianum quod attinet, ſi *omnia peccata eſſe paria* verè ſenſit, tum graviter erravit. Etſi enim eo omnia peccata paria ſunt, quod minimum æquè ac maximũ mortis æternæ & temporalis reũ facit: tamen comparatione unius ad alterum, unum alio eſt gravius ac nocentius, prout peccata magis minúsve à lege Dei aberrant, & prout objecta variant. Ut gravius eſt peccatum, quo immediatè contra Deum, quàm contra hominem delinquitur. Et gravius, quod contra parẽtes, quàm quod adverſus alios committitur. Contra levius peccat, qui fame coactus furatur, quàm qui libidinis cauſſa uxori proximi ſtuprum infert. Prov.6.30.

Differunt etiam gradibus peccata, ut iraſci, vel concupiſcere uxorem alterius, peccatum eſt: ſed gravius, occidere vel mœchari. Diſcrimen item habent circumſtantiarum & cauſſarũ varietate. Quinetiam lex ipſa opera primæ & ſecundæ tabulæ diſcernit. Et Dominus dicit ad Pilatum Joh.19.11. *Qui tradidit me tibi, minus peccatum habet.* Proinde illa nec paribus pœnis afficiẽda ſunt: quemadmodum alibi quoq; expoſuimus. Si ergo Jovinianus *peccata eſſe paria* docuit, parum Scripturas attendit, & errore gravi ſe ac alios fefellit.

Math.5.21.22.27.28.

Math.11.21.24. Exod.20.

Sed inde non ſequitur neceſſariò (quod Bellarminus inde colligi vult) eum venialia negaſſe. Potuit enim omnia pariter mortalia vel venialia facere. Illud eum docuiſſe, probat ex Hieronymi libris contra Jovinianum, & ex Epiſtola 29. Auguſtini ad Hieronum. [a] Verba Hieronymi quæ citat, ibi reperiri fatemur. Sed valdè dubitamus, an Joviniani ea mens fuerit, quã ei Hieronymus adverſarius tribuit. Dubitandi rationes habemus *primò*: quia hæc opinio de paritate peccatorum, inter quatuor capita Joviniano ab Hieronymo initio libri primi objecta, non legitur. Nec omiſiſſet Hieronymus

[a] *Lib.2. cont. Jovinianum.*

nymus tam plauſibilem errorem, ſi Jovinianus ita ſenſiſſet. *Deinde* quia in refutatione quarti capitis de æqualitate gloriæ ſalvandorum, argumentum à paritate peccatorum, quaſi fuerit Joviniani, Hieronymus refellit quidẽ: ſed in enumeratione argumentorum ejus, quam præmiſerat, nullo verbo ejus meminit. Unde ſuſpicio eſſe poteſt, ea verba aliunde irrepſiſſe. *Tertiò*, quia etiam Alphonſus de Caſtro doctor Põtificius non ignobilis *Jovinianum ab hoc errore excuſat*: quem quia Bellarminus ideò reprehendit, viderit ipſe, quàm rectè id faciat. Libros Joviniani deſideramus, ex quibus de ejus ſententia judicare poſſemus. Nam in *Hieronymo*, quũ quædam ex illis allegando nimis variet, & cauſſam adverſus illum adeò intemperanter agat, ut maledicentiæ potius, quàm eloquentiæ laudem Romæ etiam apud amicos inde tulerit, fidem deſiderare cogimur. Verùm oppreſſi libri fuerunt cum authore ab æmulis, poſtquam Syricius Papa eum cum octo presbyteris aliis urbe pulſum anathemate refutaſſet. Quod ad *Auguſtinum*, is, fatente Eraſmo, libros Joviniani non viderat, ſed ex rumore habuit, quæ de ejus erroribus ſcripſit. Fatetur & ipſe Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 82, *Jovinianum* ſe puero Romæ fuiſſe. Nihil igitur probat Auguſtini teſtimonium.

Lib. de hæreſ. titulo BEATITUDO, *hæreſ.* 4.

Argumento Eraſ. in lib. contra Jovinianũ.

III. Quod Calvinum, qu... id ſit de Joviniano, Calvinum Wiclefo & Luthero conſentire agnoſcimus. *Omne peccatum ex ſua natura mortale eſſe, quia eſt adverſus Dei voluntatem rebellio, quia ejus iram neceſſariò provocat, quia eſt Legis prævaricatio, in qua edictum eſt ſine exceptione Dei judicium: Sanctorum delicta venialia eſſe, non quia non merentur mortem, ſed quia Dei miſericordia nulla eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, quia non imputantur, quia venia deleantur.* Lib. 2. Inſtit. cap. 8. §. 59. Et lib. 3. cap. 8. §. 28. Et Antid. Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 12. Hæc doctrinæ Lutheranorum conſentanea eſſe fatetur Bellarminus.

Calvinus nihil hæretici de paritate peccati, neque fidei defectu docet.

Rom 8. 1.

Quæ addit, Calvinum præterea docere 1. *Fidem eſſe donum proprium electorũ*, 2. *Semel verè habitam nunquam perire* (adde penitus & finaliter) unde colligit 3. *omnia reproborum peccata eſſe mortalia, electorum autem venialia*: duo priora licet ſint vera, nihil ad rem præſentem: In tertio duplex latet calumnia, quam tacitè hic ſtruit Calvino, infra cap. 7. palã ſed nefariè oppugnabit.

§ Atque hæc quidẽ.

Primò, quod omnia tantùm reproborum peccata dicat eſſe mortalia, quũ Calvinus abſolutè omnia *tam electorum quàm reproborum* faciat mortalia ſuâ naturâ. *Deinde*, quod electorum peccata dicat eſſe venialia: Imò ſanctorum fidelium delicta in ſe mortalia dicit, ex miſericordia Dei fieri venialia. Nec caret calũnia, quòd Wiclefi & Calvini ſententiam in hoc divellit, quaſi ille omnia electorum peccata fecerit abſolutè venialia, iſte tantùm poſt fidem adeptam, non autem ante fidem admiſſa. Nam nec illud ſenſit Wiclefus, nec iſtud Calvinus. Sanctos enim per fidẽ & miſericordiam Dei omnium ſuorũ peccatorum tam ante, quàm poſt fidem admiſſorum veniam conſequi docet. Nam ita ſacræ Scripturæ: *Qui remittit omnes iniquitates tuas.* Pſalm. 103 3. Et 1. Joh. 1. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti Filii Dei purgat nos ab omni peccato.*

Digitized by Google

5. Itaque opinione.

Ut denique omnia ſint plena calumniarum, addit: *Opinione Calvini peccata fidelium electorum eſſe venialia non tam quia electi ſunt, quàm quia manent in fide.* Nuſquam tale Adverſarius, ſat ſcio, legit in Calvino: neque ſequitur ex allegatis ejus verbis lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 11. Ubique Calvinus docet peccata ſanctorum ex mortalibus fieri venialia, quantum ad Deũ per ejus miſericordiam, quantum ad ſanctos, per eorum reſipiſcentiam, quæ eſt, ex fide & per fidem & cum fide. Quod ideò eorum peccata ſint venialia, quia manent in fide, etſi verum ſenſum habere poſſit, & verum ſit, ſanctos ideò manere in fide, quia ſunt electi, nuſquam tamen ita loquitur Calvinus.

Baptizatus verè non excidit gratia.

Quòd ſubdit, *Calvinum in eo, quòd fides ſit propria electorum, quæ ſemel habita nunquam pereat, ſequi* JOVINIANUM *qui docuerit hominem ſemel Baptizatum* (hoc eſt, illuminatum & regeneratum) *non poſſe unquam à gratia excidere* (nempe penitus & finaliter) licet ſit calumniis prioribus affine (neq; enim JOVINIANUM, ſed Scripturam S. ducem in hoc ſequitur Calvinus) eſto tamen. JOVINIANUM igitur in hoc crimine hæreſis liberat Adverſarius, Hieronymum accuſat. Eſt enim hæc non hæreſis ſed conſolationis plena Scripturæ ſacræ & Auguſtini de perſeverantia ſanctorum veritas, de qua legimus *Impoßibile eſt ſeduci electos* Math. 24. 24. *Juſtus ſi ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manũ* Pſalmo. 37. 24. *Qui virtute Dei cuſtodimini per fidem in diem uſque*, &c. 1. Pet. 1. 6.

Jer. 32. 4. *Dabo timorem meum in corde eorum, ut nunquam recedant à me, hoc eſt, ut mihi perſeveranter adhæreant*, Auguſtino de bono Perſeverantia cap. 2. interprete. Hanc veritatem Scripturæ & Calvini, ſi Jovinianus tenuit, non ideò fuit hæreticus, ut nec Scriptura & Calvinus. Et viderit Adverſarius, quomodo Hieronymum à calumnia liberet. Pro hoc igitur paragrapho ab Joviniano optima ab Hieronymo peſſima debetur Bellarmino gratia, &c.

Capite tamen 5. libri 1. de Amiſſione Gratiæ Bellarminus ſententiam *Joviniani*, ut & Pelagii, refellit. Exinde cap. 7. *Wiclefi & Calvini*, atque 8. *Lutheranorum*, ut vocat, de peccato veniali refutandam ſumit. Sed à clariſſ. D. D. Davide Pareo multis & ſolidis teſtimoniis S. ſcripturæ ipſe errorum plurimorum convincitur, ac, *Jovinianus*, *Calvinus*, *Wiclefus*, *Lutherus & Lutherani* ab ipſius calumniis vindicantur. Quare Lectorem ad Parei Explicationem & Caſtigationem librorum Bellarmini de Amiſſione Gratiæ & Statu peccati remittimus, unde plenam horum cognitionem haurire poterit.

CAP. IV.

Neque Vigilantium reliquias Sanctorum violaſſe, Sanctorum nomina depravaſſe, Sanctorum invocationem temerè repuliſſe, Sacerdotum cælibatum falsò impugnaſſe, votum denique paupertatis præter rationem abſtuliſſe, & quicquam hæretici in his rebus docuiſſe: Neque Euangelicos Vigilantii doctrinam amplexos, poſſe in iiſdem ejuſdem ſententiis pro hæreticis jure haberi.

QUOD

Digitized by Google

QUOT tamen hæreſes abſque confirmatione ulli ſolida Pontificii Joviniano tribuerunt, totidem inſuper Vigilantio præter rationem ac meritum ſuum aſcribunt, quin & nobis Euangelicis Vigilantii doctrinam ſanam ſequentibus injuſtè atque impiè propterea culpam hæreſeos irrogant.

I. *De reliquiis Vigilantio & Euangelicis falsò tributa hæreſis.*

Tertia decima hæreſis Vigilantii eſt, (inquit Bellarminus lib. de notis Eccleſiæ cap. 9. *qui quatuor docuit, quæ omnia Sectarii docent.* PRIMUM *eſt, Sanctorum reliquias non eſſe venerandas, teſte Hieronymo lib. contra Vigilantium. Proteſtantes corpora Sanctorum combuſſerunt, & reliquias contempſerunt.* Ac Præfat. in controv. de Eccleſia triumphante lib. 2. §. *Atque ut*, &c. ſcribit Bellarminus * LUTHERUS *monet reliquias, tanquam populi ſeductiones, altiſſimè ſub terram abſcondendas eſſe: quod quid aliud eſt quàm omnium Sanctorum memoriam abolere?*

Serm. de ſanctis.

Item lib. 2. de ſanct. Beatitudine c. 1. dicit: *Primo hæreſis oppugnantis reliquias Sanctorum, author fuit Eunomius, quem poſtea ſequuti ſunt Vigilãtius, Conſtãtinus Copronymus, teſte Suida in Copronymo; Claudius Taurinenſis, ut eſt apud Jonam lib. 1. de cultu Imaginum, Wicleſiſtæ, ut habetur apud Waldum tom. 3. tit. 14. Lutherani, Calviniſtæ.*

Et Baronius, 1. Annal. pag. 427. Euangelicos non ſolum vocat *Hagiomachos*, ſed etiam cum Bellarmino annumerat *Juliano, Porphyrio, Hæreticis, inprimis Eunomio, Vigilantio, Baſilidi, Cajanis*, &c.

RESPOND*primo* de Vigilantio *deinde* orthodoxam noſtram de reliquiis ſentẽtiã exponemus; *tertiò* hanc aliorũ teſtimoniis comprobabimus: quartò argumenta Adverſariorum pro cultu reliquiarũ refutabimus: unde omnes qui reliquias unquam oppugnarunt, à calumniis Adverſariorum vindicabuntur.

Ad *primum* quod attinet, dicimus Reliquias Sanctorum colere, eſt idololatriam committere; ſed abjicere, eſt profanum. Si hoc poſtremum docuit Vigilantius, erravit, ſi prius vetuit quod feciſſe videtur, bene & piè egit. Nam *primum* Hieronymus quidem in Epiſtola ad *Riparium* ſtomachatur, *Vigilantium* (quam κατ' ἀντίφρασιν DORMITANTIUM nominat) contra Martyrum reliquias quædam protuliſſe, & eos, qui illas ſuſpicerent *cinerarios & idololatras* appellaſſe, qui mortuorum oſſa venerarentur. At opinionẽ illam cõtra Vigilãt. nõ fuiſſe vel tunc totius Eccleſiæ propriam, ſed particularem Hieronymi, & aliorum aliquot, vel eo ipſo oſtenditur, quod *Riparius*, quum Romæ eſſet, præſidium ſententiæ ſuæ adverſus Vigilantium ex intima Syria poſtulabat, quum tamen Romæ & in Occidente non neglecta fuiſſet, ſi publicus in hac cauſſa conſenſus authoritasque extitiſſet.

1. *Vigilantii & Hieronymi lis de reliquiis.*

Iniquum eſt, privata judicia in errore aut ſuperſtitione aſcribi toti Eccleſiæ, publicamque ſententiam & authoritatem & conſenſionem privatæ cedere. Particulare autem hoc, non publicum fuiſſe Eccleſiæ judicium adverſus Vigilantium, demonſtrat D. Eraſmus Roterodamus in libros Hieronymi contra Vigilantium his verbis utens: *Vigilantius natione Gallus, Barcilonenſis Eccleſiæ, quæ in Hiſpania eſt Presbyter, librum ſcripſit, in quo docebat, non eſſe ſic ado-*

Vigilantius quis fuerit.

Digitized by Google

adorandas Martyrum reliquias, nec ad horũ ſepulchra vigilandum, id quod id temporis magna religione fiebat à Chriſtianis. Et paulo poſt: *Vigilias nocturnas non placuiſſe viris Eccleſiaſticis, vel illud ſatis arguit, quòd horum authoritate ſublata ſunt, nomine duntaxat ſuperſtite,* &c. Hæc Eraſmus.

Deinde, ipſe Hieronymus reliquiarũ cultum atque adorationem nec docet nec defendit, adeò ut in eadem ad Riparium Epiſtola dicat: *Nos non dico Martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur & in præſenti ſeculo & in futuro colimus, & adoramus, ne ſerviamus creaturæ potiùs, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula.*

Quod autem ſubjungit: *Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit,* Math. 10.40. eſt hoc idipſum particulare judicium, de quo antea diximus.

Et à Vigilantio explicatur atque exploditur his verbis, ut ipſe Hieronymus ex libro Vigilantii citat: *Quid neceſſe eſt, te tanto honore non ſolùm honorare, ſed etiam adorare illud, neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis?* Et rurſum: *Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oſcularis? Et prope ritum Gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum in Eccleſiis, Sole adhuc fulgente moles cereorum accenditur, & ubicunque pulviſculum, neſcio quod, in modico vaſculo precioſo linteamine circumdatũ oſculantes adorant, magnum honorem præbent hujuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos agnus, qui eſt in medio throni, cum omni fulgore majeſtatis ſua illuſtrat.*

Quæ Hieronymus miro ſtomacho excipit, huc & illuc torquet & retorquet, ut iracundiſſimè in Vigilantium invehatur. Sed Eraſmus cenſura ſua ejus verba ponderans, & interpretans ait; *Ita in Vigilantium convitiis debachatur Hieronymus, ut pluſculum in eo modeſtiæ cogar deſiderare. Utinam argumentis duntaxat egiſſet, & à convitiis temperaſſet.*

Hinc Centuriatores Magdeburgenſes in ipſa præfatione Deut. 6. probant, poſt annum demum 500. à nato Chriſto reliquiarum cultum cœpiſſe. Hoc & alia verò Bellarminus lib. 2. de Sanct. Beat. cap. 2. negat, ſed Franciſcus Junius in ſuis ad iſtum librum Animadverſionibus verè eos ſcribere & probare demonſtrat.

Doctrina igitur orthodoxa de reliquiis Sanctorum eſt, quod *trium* ſint generum. Etenim vel *ſcripta* ſunt, quæ doctrinam eorum continẽt, vel partes & *membra* aliqua corporis, vel *res* aliquę *externæ*, quibus uſi ſunt, ut veſtes & ſimilia. SCRIPTA, quæ comprehendunt ipſorum doctrinam, ſunt veræ reliquiæ, imò ingens theſaurus Chriſtianorum, quæ ſummo in honore habenda, legenda, audienda ac fide & vita, quatenus veritatem continent, exprimenda ſunt. Oſſa vel corpora ſanctorum & membra eorundem etiam ipſa ſuo honore digna ſunt, utpote, quæ partem habent in reſurrectione mortuorum, eamque expectant, & domus fuerunt tam excellentis ac ſancti Spiritus, quo ſancti illi præditi fuerunt. Verùm has cum reverentia ſeponendas & ſervandas eſſe dicimus reli-

3. Reliquiæ ſanctorum veræ, ut ſint tractandæ.

1. Scripta ſanctorum.

2. Oſſa ſanctorum.

Digitized by Google

reliquias, non colendas & adorandas. Quemadmodum autem Patriarcharum corpora, Moſis, Aaronis, Joſuæ, Regum, Prophetarum, & ſanctum Chriſti corpus, Johannis item & Stephani atque Apoſtolorum honorificè ſepulta ſunt: ita etiam oſſa ſanctorum maximè ad reſurrectionem terræ mãdanda ſunt, neq; effodiẽda & Eccleſiæ ad venerandũ proponenda. Sic Athanaſius docuit in vita ſancti Antonii.

3. Veſtes ſanctorum. Præterea ſi VESTES aut quicquam aliud habemus, quod certò ſanctorum fuiſſe ſcimus, ac ab ipſis in vita uſurpatum conſtat, id tanquam charitatis, pietatisque eorum opus ac veſtigium commendari, & in ſuperſtitum uſum, præcipuè pauperum ſolatium atque adjumentum adhiberi debet. De his enim Apocalypſ. 14. 13. dicitur, quod mortuos ſequi, & his ſublatis ſupereſſe ſoleant. Ac magna ſanctorum & piorum laus eſt, charitatis veſtigia & exẽpla apud poſteros relinquere: turpe autem & miſerum, ſi quis avaritiæ, libidinis, injuſtitiæ, luxus, intemperantiæ & ſuperſtitionis ſigna poſt ſe relinquat. In ſumma, ſuum omnes humanis corporibus, eorumque reliquiis, ac præſertim ſanctorum, honorem habemus ac deferimus, id eſt, juſtum atque legitimum, quem & religioſum dici καταχρηστικῶς non iniquè ferimus.

Reliquiis, quis honor denegandus. Sed illum ὑπερβάλλοντα, ſive exceſſivum (ut vocant) & ſuperſtitioſum, qui in Eccleſia Romana obtinet, improbamus. Oſſa enim & membra ſanctorum è ſepulchris eruere, veſtium partes ad cultum aſſervare, & vel illa, vel hac, aut aliquid aliud quod fuit ſanctorum thecis precioſis includere, & ſub altaribus aſſervare, &c. id omnino nec pium, nec neceſſarium & utile, ſed vanum & ſuperſtitioſum ducimus. Religiosè autem eadem adorare, hoc eſt, ſuppliciter ante ea procumbere, ipſaque palàm deoſculari, & in proceſſionibus circumgeſtare, & tanquam, ſi virtute quadam divina nos & noſtra ſanctificandi, item morbos ſanandi, & cacodæmones fugandi, &c. prædita eſſent, ſolenniter venerari, item cereos coram iis accendere, baſilicas iis extruere, thus adolere, &c. id certam idololatriæ ſpeciem eſſe non dubitamus.

Hinc 1. reus ipſe Lutherus ſe & doctrinam ſuam defendit, dicit lect. in feſto Exaltationis: *Non reclamo divorum oſſa* SANCTA *eſſe, ſed hoc deteſtor, quod plerique omnes majori ſtudio ad illa exornãda rapiuntur, quàm ad proximi neceſſitatem ſublevandam. Quapropter ut abuſus tollatur, & dilectionis opera proferantur, vellem terra iſtas ſanctorum reliquias contectas eſſe.* *3. Reliquias Papiſtico more non colendas probant doctiores & pietate præſtantiores.*

2. Nuſquam vel in veteri vel novo Teſtamento, ubi de ſanctis mortuis agitur, præter honeſtam *funerationem & ſepulturam* quidquam honoris illorum coporibus habitum fuiſſe legimus. Vide Gen. 5. de morte 10. Patriarcharum. Et cap. 23. de morte Saræ. Et cap. 25. de morte Abrahami. Et cap. 35. de obitu Iſaaci. Et cap. 50. de morte Jacobi & Joſephi. Item Joſ. 24. de morte Joſuæ. Et 2. Sam. 2 de morte Davidis, &c. Sic Math. 14. de morte Johannis Baptiſtæ, itẽ Joh. 11. de Lazaro, & Act. 7. de Stephani, &c. Ergo nos ſimiliter in tractandis ſanctorũ corporibus, aut corporum particulis, ſeu lipſanis, id eſt, reliquiis gerere debemus.

Digitized by Google

3. Ipſius Chriſti corpus, poſtquam mortuum fuiſſet, olim non aliter à ſanctis tractatum fuit. Neque *ipſe* aliũ honorem ſuo corpori poſt mortem exhiberi voluit, quàm honorificam *ſepulturã & funerationem*, &c. prout partim ex hiſtoria unctionis illius, de qua Math. 26. agitur, partim ex ipſius jam mortui ſepulturâ, per viros pios inſtinctu Spiritus ſancti procurata, Math. 27. partim denique ex propoſito & facto illo piarum mulierum, Chriſtum in ſepulchro quærentium, de quo Mathæi 28. legimus, evidenter apparet. Ergo nec aliis ſanctis alius honor à morte exhibendus eſt: niſi fortè vel iſtos Chriſto præſtantiores eſſe, vel illos olim parum pios parumq; ue prudentes fuiſſe, aſſerere libeat.

4. Deut. 34. legimus, abſconditum fuiſſe ab ipſo Deo corpus *Moſis*: idque haud dubiè idcircò, ne Judæi illo ad idololatriam abuterentur. Sicut ex epiſtola Judæ ampliùs colligitur: ubi Satanas cum Archangelo Michaële de corpore Moſis diſceptaſſe, ṽ. 9. dicitur, &c. prout Chryſoſtomus atque alii Patres ibidem fatentur. Ergo exẽplum Dei nobis hac in parte imitandũ eſt, hoc eſt, corpora ſanctorum ſepulchris ſuis includenda, nec inde unquã ad cultum eximenda ſunt.

5. Col. 2. prolixè damnatur omnis ἐθελοθρησκεία, qualis certè religioſa veneratio eſt reliquiarum &c. Et paſſim alibi docetur, ſuperſtitioſam rerũ externarum, ab hominibus inventarum obſervationem à vero Chriſtianiſmo prorſus alienam eſſe. Vide Math. 15. & 23. &c. Ergo, &c.

6. Imò 2. Cor. 5. 16. dicuntur veri Chriſtiani jam ampliùs neminem, ac ne ipſum quidem Chriſtum *ſecundùm carnem noſſe*, &c. Ergo nec carnalem illum cultum, qui reliquiis defertur, curare ſolent.

7. Ne vivi quidem ſancti admiſerũt eos homines, qui nunc oſſibus, aut veſtibus, aliisve exuviis illorum, à Papiſtis exhibentur. Vide Act. 3. & 10. & 14. Ergo hic cultus illicitus eſt.

8. Hypocritarum & Phariſæorum proprium eſt, in ornandis ſanctorum ſepulchris occupari, Chriſto Math. 23. teſte. Ergo multò magis illorum proprium eſt, altaria & tumulos, ad cadavera ſanctorum meliùs colenda, extruere: ipſaque oſſa & reliquias ſanctorum publicè venerari. Quapropter idipſum nobis fugiendum eſt, niſi hypocritarum ſimiles eſſe velimus.

9. Pleræque reliquiæ aut ſuppoſititiæ ſunt, aut dubiæ ſaltem & incertæ: ſicut ex inventario earum facilè oſtendi poteſt. Vide Joh. Calvini librum, de inventis reliquiis, ubi perſpicuè probatur, quoſdam ex ſanctis Pontificiis oſtendi tricorpores, alios tricipites, alios aliâ quapiam ratione monſtroſos &c. adeoque nihil hîc niſi incertum, aut fabuloſum extare. Ergo res tota vaniſſima eſt: & conſequenter hominibus cordatis ſimpliciter fugienda.

10 *Patres* cultum hunc reliquiarum, tanquam omnino ſuperſtitioſum, apertè repræhendunt. Nam antiquiores illi *Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Arnobius, Lactantius*, &c. paſſim hunc aut ſimilem morem in gentibus damnant. Et *Auguſtinus* de moribus Eccleſiæ cap. 34. ſpeciatim reprehendit *adoratores ſepulchrorum*, qui *ſupra mortuos convivia agitabant*.

gitabant. Idem de opere Monach. cap. 28. ait: *Monachos jam tum paſſim venditaſſe corpora Martyrum, ſi tamen Martyrum*, Et Hieronymus contra Vigilantium tum paſſim modum excedit, tum cereorum molem coram Martyribus accenſam excuſare non poteſt. Inquit enim, *eos, qui id faciunt, habere zelum, ſed nõ ſecundùm ſcientiam*, &c. Unde patet, ex ſuperſtitione morem hunc initio profectum, ſed viris gravibus nunquam probatum fuiſſe. Idq; eò magis, quod de reliquiis ſanctorum idem dici poteſt, quod de Judæorum ceremoniis Auguſtinus in epiſt. ad Hieronymum inquit: *Judaica ceremonia, tanquam defunctorum corpora, non impiorum obloquiis, tanquam canum morſibus, projicienda erant, ſed cum honore ſepelienda. Quas tamen quiſquis jam rurſus celebrare voluerit, tanquam ſopitos cineres eruens, erit non modò nõ pius bajulus corporis, ſed ſepulturæ violator.*

Lib. conſultat. art. 21. II. Cauſſam Euangelicorum contra reliquiarum cultum eximia prudẽtia & eruditione viri Pontificii ſtrenuè agunt & propugnant. GEORGIUS CASSANDER: *Legimus*, inquit, *ad loca Martyrum, reliquiis inſignia, vota nuncupata, & peregrinationes ſuſceptas: quæ omnia tum utilia erant, quum adhuc recens & certa memoria Martyrũ vigeret, & Deus, qui indubitatis miraculis eos qui mortui videbantur, ſibi vivere declararet, quibus fides, quam ipſi profeſſi ſunt, confirmabatur. Verùm in hac paulatim* ABUSUS *irrepſit. Nam queritur Baſilius, hanc conſuetudinem ſuo tempore corruptam fuiſſe. Et temporibus Auguſtini & Ambroſii mos ferendi epulas ad Martyrum memorias ab Ambroſio interdictus erat, ut apud* [a] *Auguſtinum patet. Poſterioribus etiã temporibus memoriis ſanctorum* NIMIUM *indultum eſt, quum ab impiis hominibus falſa fiducia in cultu* INEPTO *& ſuperfluo collocabatur, qui abuſus reprehenditur in Concilio Cabilocenſi cap. 47. Acceſſerunt & alia mala, quod avaritiæ cauſſa falſæ reliquiæ ſupponebantur, ficta miracula prædicabantur,* SUPERSTITIO *inde alebatur, & magis in miraculorum admirationem, quàm ſanctorum imitationem rapiebantur. Nonnunquam illuſione dæmonis, hominum ſuperſtitione abutentis,* NOVÆ *reliquiæ indies revelabantur: qui abuſus damnatur in Concilio Lugdunenſi c. 62. & Concilio Carthagin. 5 cap. 14.* HODIE *verò, quum omnia reliquiis ſanctorum plena eſſe videntur, verendum eſt, ne diligenti examinatione adhibita, deteſtandæ impoſturæ patefiant, quemadmodum in nonnullis locis patefactum eſt. Ut olim B. Martino accidit, qui in loco nomine Martyris celebri, deprehẽdit non Martyris, ſed ſcelerati latronis monumentum. Multò conſultius videtur, ut ab omni reliquiarum oſtentatione* ABSTINEATUR, *& populus ad veras reliquias colendas, id eſt ad* EXEMPLA *ſanctitatis, quæ in Scripturis vel ab ipſis Apoſtolis, vel de ipſis extant,* IMITANDA *provocetur.*

[a] *De civit. lib. 8. c. ult. Et lib. 2. confeſſ. cap. 64.*

PERALDUS Epiſcopus: *Si veſtes, inquit, quæ tetigerunt Salvatorem, pro reliquiis habemus, cur* VERBA, *quæ ex ore ejus proceſſerunt, pro reliquiis non habemus? Quum ſcriptum ſit Luc. 4. 22. Et mirabantur omnes de verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ejus.* In quorum teſtimonio nulla ferè vox eſt, quàm non facilè poſſemus ejuſdem profeſſionis teſtibus locupletiſſimis confirmare. *In ſumma tom. 1 de beatitud.*

At Gabriel Vaſquez lib. 3. de cultu adorationis diſputat. 3. & Bellarminus de ſancta beatitudine lib. 2. cap. 3. & 4. contra docet, oſſa, cineres, veſtes, alias *4. Antitheſis Bellarm. pro reliquiarum cultu.*

Digitized by Google

que ſanctorum reliquias precioſis capſis includendas, in altaribus publicè cuſtodiendas, ſive honorificè aſſervãdas, & religioſè venerandas eſſe: ſed minore tamen cultu, quàm ipſos ſanctorum ſpiritus. Quibus rationibus hæc tuetur? His præcipuis.

1. Exod. 13. 19. dicitur Moſes, ſive populus Iſraëlis *oſſa Joſephi* religioſè jã diu aſſervata, ſecum ex Ægypto in terra Chanaan honoris & cultus ergo tranſtuliſſe, &c. Ergo etiam nunc ſanctorum oſſa ſimiliter aſſervare nobis, ac publicè venerari licet: & conſequẽter reliquiarum cultus legitimus eſt.

2. Deut. 34. ℣ 6. dicitur Deus ipſe corpus *Moſis* honoraſſe, &c. ſuis videlicet ipſum manibus ſepeliendo, &c. Ergò & nobis ſanctorum corpora ſub altaribus condenda, & religioſè colenda ſunt.

3. Sic 2. Reg. 13. 21. dicuntur *oſſa Eliſæi* ſuo contactu mortuum quendam in vitam revocaſſe, &c. Et cap. 23. dicitur Rex Joſias *oſſa* cujuſdam *pii Prophetæ* religioſè conſervaſſe, &c. Ergo vis quædam divina latet in corporibus ſanctorum, eoq; ipſa colenda ſunt.

4. Iſaiæ 11. 10. dicitur *ſepulchrũ Chriſti fore glorioſum*, hoc eſt, à Chriſtianis glorioſè colendum eſſe. Ergo rectè faciunt, qui Chriſti & ſanctorum reliquias ſupra dicto modo colunt, iiſque pretioſa ſepulchra, hoc eſt, altaria ædificant.

5. Math. 9. 21. 22. dicitur mulier quędam *hæmorrhouſa* attactu veſtiũ Chriſti ſanata, &c. Et Act. 5. 15. ac 19. 12. ſimilia quædam de *umbra Petri*, deque ſudariis & veſtibus ſancti Pauli narrantur: quod videlicet ægroti per hæc ſanati fuerint, &c. Ergo vera miracula fiunt per reliquias ſanctorum: conſequenter ipſæ, ſicuti dictum eſt, omnino colendæ ſunt, atque in hunc finem publicè in templis aſſervandæ.

6. Utile nobis eſt, & ſimul per ſe honeſtum, ſanctorum corpora, aut lipſana, è ſepulchris eruta, paſſim in templis aſſervari, inque locis conſpicuis exſtare, & religioſè à nobis honorari. Nempe, ut ipſi tanto libentiùs nobis opitulentur, quanto reliquiæ ipſorum à nobis ſolenniùs coluntur. Item ut virtutes illorum tanto meliùs in animis hominum conſerventur. Uque Spiritus ſanctus in ſuis hiſce tẽplis (ſic enim corpora ſanctorum vocantur, 1. Cor. 3. & 6.) reverenter & dignè colatur.

7. Patres hunc reliquiarum cultum probarunt, & eundem ipſi de facto exercuerunt: ſicut ex *Baſilio, Chryſoſtomo, Ambroſio, Euſebio, Nyſſeno, Nazianzeno,* & aliis: Inprimis autem ex *Hieronymo* cõtra Vigilantium, &c. apparet. Ergo haud dubiè legitimus eſt, & proinde nobis etiam nunc retinendus.

8. Denique res ipſa ſive *experientia* publica pro hoc cultu facit: quia Deus ipſe multa miracula per ſanctorum reliquias jam olim edidit: prout ſuprà dictus *Hieronymus* contra Vigilantium, & quidem alii Patres atteſtantur. Et nunc idem paſſim fieri, à multis fide dignis aſſeritur. Vide inter alios Juſtum Lipſium de Diva Hallenſi, deque Diva Aſpricolli, &c. Ergo cultus hic ſanctus & legitimus eſt.

Ad hæc Bellarmini argumenta Reſpondemus. In pleriſque, præſertim in *primo*, ſecundo & tertio craſſam eſſe *ἀ-* *Solutio objectionum.*

νανο-

ἀκολούθηση & conſequentis fallaciam, quum ex qualicunque generali honore, qui ſanctorum corporibus aut olim præſtitus eſt, aut adhuc præſtari debet, *ſpecialis* eorundem ſeu religioſa in templis aſſervatio & ſuperſtitioſa illa veneratio, de qua nunc quæritur, minimè concludi poſſit. Neque enim *Moſes* aut *Deus* ipſe, aut *Joſias* aliter ſanctorũ cadavera honorarunt, quàm qualiter nos honoranda eſſe fatemur. Nec quicquam ſimile ſuperſtitioni Papiſtiſticæ in locis citatis invenitur. Non enim *Joſephi* corpus ólim adoratum fuit, ſed ad tempus in tumba cuſtoditum, donec in terra promiſſa ſepeliretur. Videlicet eodem ferè modo & fine, quo cadavera magnorum Principum, præſertim extra patriam mortuorum, etiamnunc aſſervari, ſive ad tempus interdum inhumata cuſtodiri ſolent. De *Moſis* autem & *Eliſæi*, aliorunque Prophetarum corporibus, jam ante vidimus, nihil præter honeſtam ſepulturam iis à Deo aut Sanctis impenſam fuiſſe.

In 4. textus Iſaiæ 11. torquetur, quatenus requies, ſive habitatio Chriſti, in ſepulchrũ ejuſdem commutatur. Et ſimul tamen ſupra dicta fallacia committitur, quatenus ex affirmato genere ſpecies controverſa ineptè concluditur, &c.

In 5. & 8. partim vivi pro mortuis ſubſtituuntur, partim falſus finis miraculorum, olim per Chriſtum & Apoſtolos editorum, tacitè pro verò ſupponitur & ſimul incerta pro certis, aliquatenus ſaltem obtruduntur, puta quatenus de miraculis hodiernis, aut etiam iis, quæ tempore *Hieronymi* contigiſſe dicuntur, aliquid certi præcisè affirmatur.

In 6. illicita media ab bonum finem obtinendum abhibentur puta illicitũ reliquiarum cultum, ad aſſerendum legitimum ipſorum Sanctorum cultum, &c.

In 7. Patrum & præſertim poſteriorum hyperbole, ſive exceſſus tum in verbis, tum in factis, pro lege ſeu regula nobis, ſimpliciter obſervanda, perperam adducitur, quippe qui potiùs ex Dei verbo corrigendus eſt, prout iidẽ Patres ſæpè numero ſapientes admonere ſolent. Vide eorundem Bellarmini argumentorum pro reliquiarum cultu refutationem apud Hoſpinianũ de Origine Erroris lib. 2. cap. 7. fol. 129. 130. 131. 132. &c. uſque ad 143.

De Baſilide, Cajanis, Porphyrio Juliano & Eunomio, qui Vigilantio in oppugnatione Reliquiarum accenſentur: quámque falſo aut ſiniſtrè id fiat argumentis contra Reliquiarum cultum firmiter ſtantibus.

Quod ergo corpora Sanctorum in Veteri & novo Teſtamento neque tranſlata, neque aſſervata ſint ad cultum & venerationem aliquam negare tandem non poteſt Bellarminus, & propterea ne uno quidem verbo ad id reſpondet, argumenta Euãgelicorum adverſus eam producta cap. 4. lib. 2. de Sanct. Beatitud. ſolvens. Similiter et ã ea, quæ à Chemnitio & noſtris de hujus erroris Origine & progreſſu dicuntur, prorſus intacta relinquit. Nihilominus tamen *tranſlationem & cultum Reliquiarum* ipſe cum Baronio di-

cere audet, *ſemper in Eccleſia uſu fuiſſe* quod falſiſſimum eſt,ut à RODOLPHO HOSPINIANO Tomo 1. de Origine erroris lib. 2. cap. 6. fol. 120.121. 122.&c.probatur.

Reliquiarũ oppugnatores vetuſti opinione Papiſtarũ.

Deinde,cap.1 & 2.ac 4.Bellarminus cultum Reliquiarum primum *Eunomium*, cui etiam ab ali s *Baſilides, Cajani, Porphyrius & Julianus* annumerantur, reprehendiſſe, ac propterea in veteri Eccleſiæ damnatos fuiſſe, ut Baronius 1.Annal. pag.427.affirmat.Sed hoc etiam falſum eſt. Nam hiſtoriæ verę oſtendunt cauſſas damnationis illorum non fuiſſe illas, de quibus Pontificii hodie contendunt,ſed longè alias. Ut igitur major lux huic controverſiæ accedat, hanc illorum damnationem paulò diligentiùs perſcrutabimur & perpendemus.

Baſilides ideò damnatus fuit, quod Martyria, hoc eſt, paſſiones propter Chriſtum non neceſſarias, ſed inutiles & vanas eſſe diceret,ac propterea ipſos Martyres,ſicut Irenæus teſtatur, ſperneret.

Cajani etiam damnati ſunt,quod reliquias Martyrum non honorarent. Illos verò Auguſtinus dicit, *carnis reſurrectionem negaſſe.* Ratio igitur & cauſſa non obſcura eſt.

Porphyrium, Julianum & alios Ethnicos in hac controverſia damnarunt, quod dicerent *corpora & oſſa Sanctorum eſſe rem immundam & abominabilem, & contaminantem & urbes & homines,* ſicut ex Cyrillo contra Julianum & Theodoreto contra Græcos intelligitur.

Eunomius etiam cum ſuis ſectatoribus Baſilicas Apoſtolorum & Martyrum non ingrediebatur, quod *divinitatem Chriſti negabant.* Quum verò Martyres doctrinam & fidem de ejus divinitate ſanguine ſuo obſignaſſent, & Deus miraculis,quæ ad ſepulchra Martyrum fiebant, fidem hanc Martyrum confirmaret, *Eunomii* diſcipuli, ne ea, quæ præceptoris ſuæ doctrinæ contraria eſſent, ipſo facto approbare viderentur, nolebant intereſſe cœtibus fidelium,qui tum in Memoriis ſeu ad ſepulchra Martyrum celebrabantur, quia ibi præcipuè Martyrum fides de Chriſto vero Deo & homine propter imitationem prædicabatur. Tales hæreticos in hac cauſſa ab Eccleſia olim damnatos eſſe conſtat. Illud verò Pontificios cultus reliquiarum nihil juvat, aut defendit. Cauſſæ enim damnationis aliæ fuerunt, quàm quibus illi Reliquias hodie tueri conantur,& à Bellarmino referuntur.

Vigilantius Cajanis injuriâ accenſus.

Hæc ſcitu perneceſſaria ſunt,ut ſatis conſtet, Bellarminum falſo atque injuria Eunomio & aſſeclis ejus annumerare *Vigilantium*, qui etiam cultum Reliquiarum reprehenderit, & propterea jure quoque damnatus ſit. Nam *Vigilantius* propter improbatum cultum Reliquiarum à nemine unquam tùm improbatus & damnatus fuit, quàm ab uno Hieronymo,ſed ita,ut ſimul ei hîc multa affingat, à quibus ille alieniſſimus fuit.

Sic enim inter alia argumentatur Hieronymus: *Scribit adverſum hæreſin tuam, quæ olim erupit adverſum Eccleſiam, ne & in hoc quaſi reperor novi ſceleris glorieris, Tertullianus vir eruditiſſimus inſigne volumẽ, quod Scorpiacũ vocat, rectiſſimo nomine, quia arcuato vulnere in Eccleſia corpus venena diffudit, quæ olim appellabatur Caina hæreſis*

Digitized by Google

hæreſis, & multo tempore dormiens vel ſepulta nunc à Dormitantio eſt ſuſcitata. Sic Hieronymus. Exſtat autem liber de Hæreſibus, in quo nihil tale de Cainis legitur. Nam quum agit de Orphitarum & Chaldæorum erroribus, qui Caini ſũt, dicit (ut antea etiam indicavimus) *Cainos docuiſſe carnis non eſſe ſperandam ſalutem.* Unde Hieronymus fortaſſe occaſionem ſumpſit, hæreſin affingendi Vigilantio, quaſi is carnis reſurrectionem neget, quia carnis & Reliquiarum cultum improbavit. Hoc inde quoque colligi poteſt, quod paulo ante idem Hieronymus, *Mortuum*, inquit, *ſuſpicaris & idcirco blaſphemas. Lege Euangelium;* Math. 22. 32. *Deus Abrahã, & Deus Iſaac & Deus Jacob nõ eſt Deus mortuorum, ſed vivorum.* Rurſus ibidem dicit, ſed εἰρωνικῶς, *Errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Baſilicas mortuorum, in quibus pulvis viliſſimus.* Non negabat autem Vigilantius carnis ſalutem vel reſurrectionem, ſed cultui carnis & reliquiarum ſuperſtitioſo ſaltem reſiſtebat. Quare ſophiſticè contra Vigilantium agit Hieronymus, dum hæc de ipſo refert invidiæ faciundæ gratia. Huc etiam ſequentia pertinent, *Miror*, inquit, *quod non dicas nequaquam perpetranda eſſe Martyria. Quod quum dixeris imò etſi non dixeris, ita habeberis quaſi dixeris*, &c.

Scorpiacus Tertulliani qualis liber.

Quod autem Tertulliani librum attinet, qui citatur ab Hieronymo & *Scorpiacus* inſcribitur, ne apicem quidẽ ille habet de Reliquiis Sanctorum eorumque cultu. Oppugnat tantùm Gnoſticos, negantes faciundum Martyrium. Sed & multis mox ab initio libri Scripturæ teſtimoniis probat ſolũ Deum eſſe colendum, nullaq; re honoranda idola, ac potiùs quidvis ſubeundum & alacriter ſanguinem fundendum. Quantum igitur ex omnibus colligere licet, inurit hãc maculam Vigilantio Hieronymus, quaſi negarit cum Gnoſticis faciendum Martyrium, qui tantùm negavit Martyrum colendas reliquias. Nam hanc ſuam diſputationem his verbis concludit. *Qui reliquias Martyrum aſſeris calcandas eſſe, prohibes ſanguinẽ fundi, qui nullo honore dignus eſt.* Non autem juſſit Vigilantius conculcare pretioſum Martyrum ſanguinem, neque ullo prorſus honore dignum exiſtimavit, qui Martyrum reliquias negat proponendas eſſe ad cultum, ſed honorificè terra mandandas in noviſſimo die ad gloriam reſuſcitãdas. Et hoc Tertullianus maximè urget. Licet autem carni humanæ plurimum tribuerit, quod Hieronymus videri vult, reſuſcitandam credit, colẽdam minimè credit. Quamvis etiam ab ipſis Apoſtolorum temporibus hæreſis eorum cœperit, qui carnis reſurrectionem negarunt: nemo tamen ante Hieronymum extitit, qui tanta confidentia oſſium, favillarum & cinerum cultum defenderit. Auguſtinus tradit, *Cainos nimia mentis caligine cæcatos, hominem Cain adoraſſe:* & Hieronymus Vigilantium Cainitis annumerat, qui homines & hominum oſſa adorare prohibuit, quum ipſe potiùs eis annumerari debuiſſet, qui hominum mortuorum cultum, eorumque reliquiarum nimio vincendi ſtudio propugnavit. *Lib. de hæreſ.*

Eodem modo peccavit Hieronymus, attingendo Eunomii hæreſin Vigilantio. *Rides*, inquit, *de Reliquiis Martyrum, & cum authore hujus hæreſeos Eunomio*

Vigilantius Eunomio falsò annumeratur.

Digitized by Google

mio, Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis, nec tali ſocietate terreris, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Eccleſiam loquitur? Omnes enim ſectatores ejus baſilicas Apoſtolorum & Martyrum non ingrediuntur, ut ſcilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris authoritatis arbitrantur, quam Euangelia. Hæc quidem Hieronymus: res autē in veritate ſic ſeſe habet. Eunomius cum Arrianis Divinitatem Chriſti (uti ſupra quoque diximus) negabat, adeoque non ſolum Apoſtolorum & Martyrum teſtimonia de Chriſti divinitate contemnebat, ſed etiam ipſorum corpora; & quæ circa hæc miracula Chriſtus in argumentum Divinitatis ſuæ fecit. Ediderat quoq; libros contra Chriſti Deitatem, & miracula Apoſtolorum Satanæ tribuebat. Sic enim rurſus Hieronymus: *Niſi forte in morem gentilium impiorumq; Porphyrii & Eunomii, has præſtigias dæmonum eſſe, confingas & non verè clamare dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta.* Sophiſtam igitur hîc rurſus agit Hieronymus. Non enim cum Eunomio divinitatem Chriſti negabat Vigilantius, neque rejiciebat, aut calcanda eſſe dicebat corpora Martyrum, aut quæ circa ipſa fiebant miracula: *ſed unum jubebat colere Deum, quem Martyres prædicaſſent, quo & miracula referenda eſſent. Oſſa autem mortuorum venerari prohibebat.* Hoc autem Catholicum eſſe ex Smyrnenſium Epiſtola intelligitur. *Chriſtum*, ajunt, *aliquando*, hoc eſt, nunquam, *poſſumus deſerere, ut qui mortem pro totius mundi ſalute ſuſtinuit.* Rurſus: *Non poſſumus*, inquiunt, *alium quemcunque colere. Quoniam verum Deum, qui ſolus colendus ſit, novimus.* Quod Martyres autem, *Eos*, ajunt, *ut Domini diſcipulos veneramur, ac diligimus, veluti eos qui magiſtro ac Domino fidem ſervarunt. Optamúsque in fide & conſtantia illorum fieri conſortes:* In quem igitur finem Polycarpi oſſa collegerunt? Num ut ea colerent, venerarentur ac adorarent, ut Hieronymus faciendum cenſet? Minimè ſed *ut ex more ea conderent & ſepelirent.* Nam apud omnes gentes, præſertim à Deo electam Judæorum, pietatis officium & ultimus videbatur honor, corpora honeſtè ſepelire. Nihilominus tamen Hieronymus idem cum Smyrnenſibus ſentientem Vigilantium hæreticum appellare audet, quum minimè ignoraret, Eunomii & Vigilantii doctrinam longiſſimè inter ſe diſtare.

Nec eſt, quod Bellarminus impietatis nos accuſet erga ſanctiſſimum Patrem Hieronymum. Nam & ipſe initio ſtatim capite. 1. duplicis mendacii accuſat eundem Hieronymum. *Primum* eſt, quod is voluit, etiam ante Eunomium contradictum fuiſſe Reliquiarum venerationi. *Alterum*, quod à Samaritis & Judæis hoc profectum fuiſſe dixit, in libro contra Vigilantium, & Epiſtola ad Riparium. Adhæc Hieronymus perinde ac in Vigilantium ſtomachoſe invehitur in *Agapetos*, qui Monachorum erant quoddam genus, ac tamen eo nomine hæretici non ſunt habiti. *Epiſt. ad Euſtochiũ.* Præterea tam firmis rationibus & argumentis, ſupra recitatis, doctrina adverſus cultum Reliquiarum Pontificium, qualem & Hieronymus voluit, nititur adeò & S. Scripturæ, & Patrum ſeu antiquitatis Eccleſiaſticæ ſincerioris authoritate, ut convelli ac refutari nunquam ullo modo ab omni Sophi-

ſtica

Digitized by Google

ſtica poſſit. Profert quidem contra eam Bellarminus reſponſiones & refutationes ſuas, argumenta noſtra omni vi infirmare & evertere connitentes: ſed ea viciſſim à R o d. Hoſpiniano lib. 2. cap. 7. de origine erroris, fol. 122. 123. 124. 125. 126. contra Bellarmini gryphos, ſtrophas, ſophiſticamque defenditur, addita vindicatione argumentorum noſtrorum ab Adverſariis oppugnatorum, ut prorſus ille Pontificius reliquiarum cultus non poſſit ab idololatriæ crimine & impoſturæ ſcelere liberari atque excuſari, niſi abrogetur, & oſſa, cineresque ſanctorum ſimplici tantùm ſepulturâ cohoneſtêtur, veſtes autem relictæ ad uſus viventium neceſſarios impendantur, librique eorum orthodoxi & pietas ac ſanctitas vitæ ad pium imitationis exemplum proponantur & uſurpentur. Porrò, ſi *Vigilantius* modum in reprehêſione reliquiarũ exceſſiſſet, Martyres contempſiſſet, & inhumanè cineres projiciendos è tumulis exiſtimaviſſet, meritò ejus intemperantiam Hieronymus repreſſiſſet, ſi temperanter ſtylum rexiſſet. At quia duntaxat pullulantem in Eccleſia ſuperſtitionem circa venerationem oſſiculorum, cinerum & veſtium à ſanctis reſiduarum mortuis notaviſſe legitur in veterum ſcriptis, merito ac jure hoc fecit Vigilantius, Hieronymus autem nimis præceps eum eſt inſectatus. Eodem modo, ſi Euangelici (ut accuſantur à Bellarmino lib. 2. de ſanct. beat. cap. 1. ac de notis Eccleſiæ cap. 9. art. 86.) *Reliquias ſanctorũ exuſſiſſent, & cineres in flumẽ abjeciſſent, imò Vulcano corpora ſanctorũ Irenæi* (ut loquitur) *Martini, Hilarii, Bonaventuræ, &c. tradidiſſent*, non parva eſſet eorum culpa, ac jure accuſati à Papiſtis videri poſſent. Verùm *primò*, dicebantur quidem nonnulla ſanctorũ illorum corpora vel oſſa & membra eſſe, ſed falsò pleraque: ut Calvinus in ſuo reliquiarum inventario, ac Eccleſiæ ipſæ alicubi demonſtrant. Vide etiam Junii animad. in 1. cap. de reliquiis ſanct. pag. 164. 165. *Deinde*, non eſt æquum tumultuaria militum, aut particularia hominum privatorum facta toti corpori Eccleſiarum noſtrarũ objici, ac tribui. Nam quod interdum ab avaro aut furente milite privatim geſtum eſt, non poteſt niſi mala fide & malo animo toti exercitui imputari, aut univerſo corpori reipublicæ atque Eccleſiæ aſſignari. *Tertiò*, certius & gravius in hoc ipſorummet eſt Pontificiorum facinus. Nam quàm multi Pontificiorum Biblia ipſa, verbum ipſum Dei, noſtrorum pectori impoſita globis furenter transfixerunt? Si judicio publico, reum eſt Pontificiorum corpus: ſi privato æſtu, quis ſapiens eo nomine defigat Eccleſiam Pontificiam? Etſi locis innumeris auctoritate publica libri ſacri fuerunt concremati unà cum ſuis poſſeſſoribus, quos hæreticos immeritò & non auditos atque convictos pronunciaverant. *Quartò*, veras ſanctorum reliquias noſtri publica auctoritate plerumque honorificè terræ mandarunt, aut in pauperum, ſcholarum & Eccleſiarum uſ[illegible] (præſertim aurum, argentum, preti[illegible]que illis adjuncta, & veſtes) retulerunt, nec ulla unquam contumelia affecerunt. Quin ſi nobis quis demonſtrare poteſt reliquias veras corporales alicujus

Contumacia in reliquias Euangelicis tributa, vana eſt.

Cccc ſancti

ſancti, idque probare, licet eos adoraturi non ſimus: tamen ut monumentum conſervare vellemus. Nec deſunt exempla, curatum eſſe à noſtris, ut pœnas ii exolverint atroces, qui veras reliquias ſanctorum ſordidè, nedum calumnioſè tractârunt. *Quintò*, quum veterum poſt Hieronymi ætatem propoſitum fuerit, hoc pacto propagare Dei gloriam & ſanctorum honorem: jure ac merito abuſum in eo ſuſtulerunt Euangelici, uſum verum retinuerunt. Nam antiquato abuſu eruendi è ſepulchris ſanctorum oſſa, capſis vel thecis pretioſis includendi, ſub altaribus aſſervandi, denique adorandi, & dæmones ac morbos depellendi virtutem transferendi, quæ tamen nihil aliud eſt, quàm audaciſſima & impudentiſſima nundinatio: quum ex verbo Dei didicerint, Deum & ſanctos his externis non coli, ſed in Spiritu & veritate, Chriſtum quoque hæc externa non commendaſſe, ſed pauperes, tanquam ſeipſum, idemque ſanctos docere ac poſtulare, hunc uſum alacriter aggreſſi ſunt, & omnem reliquiarum ornatum in verè pauperes, ſcholas & Eccleſias tranſtulerunt. Ita rectiùs veterum & majorum conſilio in reliquiis honorandis ſatiſfit.

5. *In honorãdis ſanctis nec Vigilãtium, ne Euangelicos hæreſin committere.*

Procedunt tamen ulteriùs Papiſtæ ad accuſandos Euangelicos Hagiomachiæ univerſalis, quæ hæreſin Vigilantii redoleat. Bellarminus enim in præfatione ad lib. de Eccleſia triumphante: *Imitantur*, inquit, *Lutherani majores ſuos Julianum*, VIGILANTIUM, *& quotquot tanquam nefaria bella contra ſanctos geſſerunt*, EOS OMNI HONORE SPOLIANTES. Ac poſtea §. Jam verò: *Proteſtantes*, inquit, *evomunt in omnes horribiles blaſphemias. Vocat eas Calvinus umbras, larvas, colluviẽ, monſtra, carnifices, beſtias. Hac contumeliâ blaſphemia vix ulla major eſſe poſſit.* Fevardentius comment. in Jacobi 5. ℣. 10. *Errant*, inquit, *Hugonotici, qui ſanctorum virtutes & mores ne quidem prædicari ſuſtinent.* Ac cap. 15. lib. 1. de Eccleſia triumphante, de Wiclefo Euangelicorum doctrinæ anteſignano ſcribit: *Wiclefus ſanctos obiter ſcurris conferebat, quod eſt hæreticis proprium.* Sic Euangelicos ſanctis omnẽ honorem, etiam commemorationem ac honeſtam eorum nominis mentionem denegare, Papiſtæ innuunt, imò aſſeverant.

RESPONDEMUS. *Primùm* de Vigilantio nihil ejuſmodi in Hieronymi ac veterum ſcriptis, niſi quod hujus rei accuſatio ex eodem fonte, quo ſuperior de reliquiis, profluxiſſe videtur. Nam Vigilantius legitimum & germanum honorem ſanctis tribuit: at res non neceſſarias in ſanctorum honorem excogitatas, quibus is potiùs imminuitur quàm provehitur, improbavit. Non igitur jure propterea dicitur ac cenſetur hæreticus, ut ſuprà pluribus demonſtravimus.

Lect. in ferius Job. Euang.

Lutherus liberat ſeipſum & ſuos ab hoc crimine, inquiens: *Si ritè docere plebem velimus, ſic exempla ſanctorum prædicari oportebit, ut in iis Deus magnificetur, nos verò invitemur ad ſimilem Dei gratiam, opera eorum ſic prædicari convenit, ut obedientia, quâ ſuæ vocationi inſervierunt ſancti, & mandatis ſibi operibus ſtuduerunt*, NOBIS COMMENDETUR. Nam ſanctos profectò & cœlites nec contemnimus, nec parvi ducimus, nec blaſphemamus, dum

Digitized by Google

dum ea quæ malè affinguntur ipſis, rejicimus bona fide, & Deum ſolum adoramus, ſanctos autem pro ipſius miniſtris fidis habemus, illorumque vitam & mores ſanctos ſequi ſtudemus.

Sancti mortui dicuntur. Calvinus ſanctos rectè vocat, auctore Deo ipſo in Scripturis ſacris paſſim & ſine crimine, *mortuos.* Sic enim vocat Chriſtus Johan.5. & Apoſtoli ejus, ut Paulus 1.Cor.15. aliquoties, Petrus 1. epiſt. cap.4 5. Apoc.11.18. & 14. 13. & 20.5. & 12. & 13. Quin & Chriſtus ipſe, ex cujus verbis hîc fruſtrà argutari volunt, eoſdem & mortuos & viventes vocat, diverſo reſpectu dicens: *De reſurrectione verò mortuorum nō legiſtis, quod vobis dictum eſt à Deo, dicente: Ego ſum Deus Abrahami & Deus Iſaaci, & Deus Jacobi? Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Quorum mortuorum reſurrectionem appellat, eoſdem non mortuos, ſed viventes dicit. Tam piè dicũtur mortui, qui ex hac vita migrarunt, quàm piè dicuntur mortales, qui in hac vita ſunt. *Math. 22. 32.*

Umbra non dicuntur. Nuſquam verò Calvinus eoſdem vocavit *umbras*, ſi bene obſervavimus. Proferri locum oportuit.

Larvæ ut ſancti vocentur. *Larvas* idem mortuos ullos non appellat, ſed eos ſolùm, quos nunquam putabat extitiſſe, quum ait Inſtit. lib.3. cap.20. §.27. *Inde colligimus, nihil eos Chriſto reliquum facere, qui pro nihilo ducunt ejus interceſſionem, niſi accedant Georgius & Hyppolitus, aut ſimiles larvæ.*

Lib. de Eccleſia Triumph. cap.10. Quod notandum contra aliam ſingularem Bellarmini calumniam, quâ dicit: *Calvinus & Melanchthon ſic ratiocinantur. Multi, inquiunt, ut Georgius & Catharina invocantur, qui non modò* NON SANCTI, *ſed nec unquam homines fuerunt.* Et in præfatione ſcribit: *Multa templa inquit, Calvinus Chriſtophoro, & Catharinæ, aliiſque* FICTITIIS *nominibus dicata ſunt, & talibus monſtris. Omitto Dominicum, & Medardum & ſimiles beſtias.* Etenim ex iſtis clarè conſtat, Calvinum nō omnes ſanctos perſtrinxiſſe, imò ne ſanctos quidem, ſed ſceleratos, aut ſaltem eos, qui non modò non ſcelerati homines, ſed non omnino homines unquam exſtiterunt. Videmus enim quidem universè & particulariter de Martyribus ab Eccleſia receptis hiſtoriam Eccleſiaſticam dicere: ſed de hoc *Georgio* nullum verbum ſingulariter. Contra verò Georgium iſtum Cappadocem hæreticum Arianum fuiſſe, hominem ſceleratiſſimum, qui à Conſtantio miſſus Epiſcopatum Alexandrinæ Eccleſiæ militari manu occupaverit, teſtantur Athanaſius in utraque Apologia, & Gregorius Nazianzenus in laudem Athanaſii. Qui poſt ab Ethnicis peremptus Juliano imperante, audierit Martyr etiam apud imprudentes Chriſtianos: quod Epiphanius hæreſi 76. reprehendit. Gelaſius enim recordatur ab hæreticis commẽdatum & ſcripto & cultu. Quapropter etiam Baronius in Martyrologiũ Romanum fabulam fuiſſe & Arianorum commentum pronunciat. Unde & ea, quæ de illo Hoſpinianus lib. de origine Feſtorum Chriſtianorum fol. 68. de veteribus quibuſdam aliis, ac præſertim ex Jacobo de Voragine legenda 56. & Petro de Natalibus lib. 4. cap.81. recitat, ſuſpecta ſunt. Et ipſe Hoſpinianus commentum eſſe exponit, quæ de Dracone, Georgio ejus victore, & virgine liberata traduntur *Georgius pro ſancto habitus.*

Digitized by Google

Aut nõniſi allegoricè explicanda ſentit. Quod ad illum *alterum Georgium* attinet, quem cum Felice, Lilioſa, Aurelio & Sabigothone fuiſſe paſſum, refert Eulogius Toletanus lib. 2. memorialis ſanctorum cap. 10. diu vixit poſt illud ſeculum Gelaſii, æra Hiſpanica dcccxc. ut apud eundem Eulogium habetur.

Chriſtophorus. *Chriſtophorus* eſt ſimilis. Quid enim de eo portentoſæ magnitudinis viro, & rebus geſtis illius dicemus? Quàm variè enim fabulentur de eo hiſtorici, quàm falsò Martyrologium, ipſe ſentit Baronius. Dagnum regem inauditum, Samon novum hic in Cilicia, ille in Lycia, & alia verborum monſtra Chriſtophoro ſuo attexuerunt: quæ omnia corrigit Baronius in Martyrologio ſatis pro imperio, in Annalibus verò cautè diſſimulat contra morem ſuum, his ſolùm verbis utens: *Paſſi ſunt eâdem urgente perſequutione* DECIANA, *in Aſia, Apollonia. Lucius Thyrſus, & Callinicus: in Lycia Chriſtophorus, Perga Pamphilia Papios, &c.* Qui martyria tam diligenter collecta narrat, hîc quaſi pudore fabularum tactus prætervehitur, qui jam ante in Martyrologio fuerat faſſus *ſe non habere, quid dicat de gigantea ſtatura, quâ pingi conſuevit &c. picturámque ſymbolicam vel figurativam* (non audebat dicere fabulam) *eſſe ſtatuerat.* Reliqua de eo vide apud Hoſpinianũ de Origine Feſtorum fol. 85.

Catharina. De *Catharina*, quam Baronius in tomo 3. Annalium infelice conjecturâ Hecaterinam vocat, & eſſe eandem ſtatuit cum Dorothea, cujus hiſtoriam Ruffinus tradidit, quid multis opus eſt? Ipſum Martyrologium, ipſa narratio Metaphraſtæ in Breviario Romano poſita, de Maxentio (pro quo Maximinum ſubſtituit Baronius mendacium videns, non corrigens) de quinquaginta Philoſophis converſis ex collatione illius, de ſtilis rotæ ad orationem Catharinæ fractis, de corpore in montem Sinai tranſportato, fabulã eſſe clamitat. Innuit Baronius obſcurè, quum hiſtoriam ejus quamvis perbrevem, pluribus locis interpolat, etiam diſſimulato Coſti regis, ex quo prognatã prædicant, nomine. Quouſque tandem iſtis ſcriptoribus homines videbuntur eſſe corpus ſine pectore? Poterit autem lector plura ex Hoſpiniano de Origine erroris Feſtorum, fol. 103. b. de ea cognoſcere.

Suffragatur in hoc nobis etiam celeberrimus Pontificius Georgius Caſſander, qui lib. conſult. art. 21. ait: *In ſanctorum hiſtoriis commemorantur ii, qui an unquam fuerint, meritò dubitatur.*

Colluvies an ſancti dicantur. *Colluviẽ* ſanctos à Calvino dici, falſum eſt. Sic ille inſtit. lib. 3. cap. 20. §. 25. *Scire*, inquit, *ex illis velim, cur in tanta turba ne minimum quidem apud eos locum obtineat Abraham. Ex qua colluvie ſibi advocatos ſumant, minimè ignotum eſt. Abraham, quem Deus aliis omnibus prætulit, & quem evexit in ſummum honoris gradum, negligi ac ſupprimi, quàm conſentaneum ſit, mihi reſpondeant.* Primum non dicit, omnes advocatos: ſed indefinitè, *advocatos*: de quibuſdam puta intelligens. Secundò advocatos non dicit colluviem eſſe, ſed *ex colluvie ſumi*, puta communi hominum. Poſtremò non ſimpliciter, ſed κτ̃ π, atque comparativè colluviem nominat. Quum enim Abraham in populo Dei familiam ducat

cat, ut pater credentium dictus & factus à Domino, ſi eorum omnium, qui ſancti apud Pontificios cenſentur, turbam contuleris, ex bonis, malis, veris, falſis, celebribus, obſcuris confuſam, cum illo credentium patre (quem tamen non accenſuit Pontificùm Canō) quis eam turbam rectè dici præ illo colluviem neget? Quemadmodum & Tullius de ſenectute: *O præclarum*, inquit, *diem quum ad illud divinum animorum concilium, cœtúmque proficiſcar, quúmque ex hac turba & colluvione diſcedam.*

Monſtra an Euangelici ſanctos vocent.

Monſtra etiam, carnifices & beſtias appellavit Calvinus Sanctos, ait Jeſuita in eadem Præfat. numero 40. Sed falſa omnia. Hęc ipſa ſunt Calvini verba. *Itáne cum Deo ludetur, ut qui nulli unquam fuerunt, obtrudantur ad Deum exorandum patroni: Talibus monſtris, qui fomenta ſuppeditant, guſtúmne aliquem unquam habuiſſe credendi ſunt ſeriæ ſinceræq; Dei invocationis? Omitto Dominicū, & ſimiles carnifices. Omitto Medardum, Lubinū & ſimiles ejus beſtias.* Quis enim finis eſſet, &c. Equidem ſi Calvinus eos appellaret *monſtra*, qui ſancti cenſentur, & tamen nunquā in rerum natura exſtiterunt, nemini injuriam faceret, quia omnes perſonæ, res, ſermones commentitii atque fabuloſi παροιμιωδῶς & proverbialiter tragelaphi & monſtra vocari ſolent. Quo modo *monſtra dicere, narrare, nunciare* Tullius uſurpavit Tuſcul. Quæſt. 4. & ad Atticum ſcribens: *Monſtroſas fabulas* Claudianus dicit, *Lamiæ Turres* Tertullianus. Atque hoc in numero Calvinus Chriſtophorum & Catharinam recenſuit. Propterea non omnes Sanctos, pauculos hoc nomine perſtringeret.

Sed nobis propiùs ad rem attendentibus videtur magis Calvinus hac odioſa voce fabulas monſtroſas quàm perſonas ipſas fabuloſas notaviſſe, præſertim quum fomenta illa non perſonis, quæ nuſquam ſunt, ſed monſtris opinionum ſuperſtitionumque præbeantur propemodum Eccleſiam Dei peſſumdantibus. Hæc monſtra, qui alunt, omnino expertes ſunt ſeriæ invocationis Dei, quum ludificentur Deum. Non ergo homines, ne fabuloſos quidem, ſed fabulas monſtroſas *monſtra* Calvinus appellavit. Quid autem quæſo hoc ad ſanctos?

Carnifices verò non veros ſanctos vocat, ſed falsò recenſos ſanctorum numero, qui lanienam Sanctorum crudeliter exercuerunt. Cujuſmodi fuerunt Dominicus in Hiſpania & Narbonenſi Gallia ſimiles huic hirudines ſanguinis humani ſitientiſſimæ. Quid hoc ad chorum ſanctorum ſervorum Dei? Verè enim, ſi Vincētio credimus, mater antequam ipſum conciperet, in ſomnis videre viſa eſt, ſe catulū ardentem facē ore geſtantem portare, qua totus mundus accenderetur. Nam etiam contra Albigenſes copias duxit in comitatu Simonis de Monteforti, *eóſque mirabili zelo*, inquit auctor Faſciculi temporum, *perſequutus eſt*. At quæ perpetrarunt Albigenſes, cur eos ita Dominicus ſanctulus perſequeretur? *Antoninus* quidē prodidit. In ſumma 4. quæſt. 11. § 5. eos duo feciſſe principia, bonum & malum, Senſiſſe bonum Deū non creaſſe viſibila, non creare & infundere novas animas, Chriſtum nō eſſe Deum: non ſenſiſſe verè noſtras

Carnifices putatitii ſancti.

Albigenſes ſunt & Waldenſes, quorum reliquiæ fratres Bohemi vulgò putantur.

pœnas, nec reſurrexiſſet verè nec mortuos reſurrecturos. Adamũ non fuiſſe à Deo, &c. At minimè dubitamus, hæc puta puta de Albigenſibus mendacia eſſe. Nam ex hiſtoriis veteribus & recentibus conſtat, Eccleſias Albigenſium, quas hominum memoria in Gallia Pontificius furor oppreſſit, neque Scholas aut Sophiſtas habuiſſe, qui talia portenta traderent & defenderent. Neque argutiarum hæreticarum gnaras fuiſſe, ſed poſt abjectam idolomaniam Pontificiam ſimpliciſſimè quæ ad fidem ſalutis & pietatem colendam pertinent, juxta divinas Scripturas humiliter tenuiſſe. Cui ſẽtẽtiæ non obſcurum documentum præbet lepida *Antonini* fabula ibidem, quod poſt lõgas inter S. Dominicum & Albigenſes hæreticos diſceptationes tandem πυρομαντία dirimere convenerit. Ignibus verò excitatis, & libris utrinque in eoſdem conjectis victoria S. Dominico ceſſerit, quippe cujus liber ter in flammas projectus, ter reſilierit incolumis; Albigenſiũ libro protinus abſumpto. Hunc igitur hominem Dominicum, utrum mavis dici? Carnificẽ, ut Calvinus dixit, an verò ut ſomniavit mater, incendiarium? Conſulantur Theodoricus de Appoldiâ in vitâ S. Dominici, & Vincentius Bellovacenſis.

Beſtia nomen falſis ſanctis conveniens.

Reſtat *beſtiarum* nomen, quod nonnullis Sanctis ψευδωνύμως dictis Calvinus tribuit. Beſtiam autem ille non à veritate (nam de carnificibus proximè dixerat) ſed ab inſulſa, fatua, barda conſtitutione animi appellavit. Quẽadmodum & Græci recentiores dixerunt ἄλογα. Sic beſtiarum nomen Tullius accepit Tuſcul. 5. & lib. 1. de Nat. Deorum & alibi. Atque hoc ſenſu Calvinus *Lubinum* vocavit beſtiam & *ejus ſimiles*. Ut paucis abſolvam, Calvinus ſanctos ἐπιχωρίους & indigenas notat in Picardia ſua & Francia celebres, qui memoria hac noſtra in ore ſunt omni populo à beſtialitate (ut ita loquamur) celebres ac decantati. Nam de Medardo (cujus corpus Sueſſione eſſe dicitur) quis neſcit eum velut inſipidum atque ἀναίσθητον notari proverbio pervulgatiſſimo, quod extremis dentibus rideat? Sic autem ringuntur canes. Ac in Gallia vulgare eſt dicere: Similis eſt Medardo, ridet extremis dentibus. De Lubino, non beſtia ſed ſtipite, verſus ſunt in ore omnium, quos vulgus jam olim decantavit, & in ſuis etiam poëmatis diſtrinxit aliquoties Clemẽs Marottus & alii. Non igitur ſanctos petit Calvinus conviciis, ſed eos ſolùm notat, qui aut nunquam extiterunt, aut certè ſi extiterunt, planè indigni ſunt, quibus tribuatur ſanctorum nomen, & fama publica conteſtante. Iniquè ergo Bellarminus & ſocii ejus Calvinum excipiunt, tanquã ſi aut veros ſanctos, aut omnes ſermone ſuo (quod falſiſſimum eſt) defigeret. Nulla eſt in ſanctos Dei ſervos propriè contumelia.

Sancti fictitii cur in calendariis etiam apud Evangelicos ponantur.

Objicit Bellarminus inter alia cap. 20. lib. 1. de Eccleſ. triumph. *Si iſti verè Sancti non ſint, cur etiam in ſuis ipſi Evangelici Calendariis eos ponant?* Reſpondemus Aut imprudentes faciunt, aut prudentes. Si imprudẽtes, quia anticipati ſunt errore apud Pontificios recepto & ab eis tradito & vulgo obſequuntur. Si prudentes, faciũt quia nec opes Græciæ in eo putant poſitas, nec commodiorem

Digitized by Google

diorem ferme viam obvenire arbitrâtur poſſe, qua mundus ad videndas ψευδωνύμου Eccleſiæ technas & debellandas traducatur, quàm ſi has nugas ponant in oculis omnium, ut appareât tandem nugaciſſimæ.

Sanctos ab Euangelicis rectè honorari teſtantur Pontificii doctiores.

Cognitum ergo ſatis uberè ex ipſiuſmet Lutheri & Calvini verbis, quàm ſit illis mens recta & ſtudium piũ in honore Sanctis tribuendo, aut non. *Wiclefus* ſeipſum etiam purgat. *Sancti,* inquit, *in cœlis licet non ſint ſcurræ, ſed incorporati in Chriſto per gratiam Salvatoris tamen minus ſe habent in comparatione ad Chriſtum, quã Scurra ad Regem.* Eadem igitur etiam hujus mens, quæ illorum, ut advocatus Wiclephi Thomas Waldenſis cõment. Tit.3.12. cap. 111. & 114. teſtatur.

Quã præterea vera ſit, ex verbis Pontificiis ipſis eorum Adverſariis, ac inde è ſacris Scripturis perdiſcemus. Hen. PERERIUS certè comment. in Gen. 35.ỳ.19. *Duabus in rebus,* inquit, *Mortuorum memoriam quodammodo immortalem facere poſſemus, Primò, magnifica iis cõdendo ſepulchra, Verùm tamen mortuorum memoria* PERPETUATUR *maximè ingenii operibus, quum ſcriptis diſertiſſimis eorum* VIRTUTES & FACTA *celebrantur.* Hoc autem poſteriore modo annon Euangelici Sanctos honore afficiunt? Teſtatur meliùs & veriùs Georgius CASSANDER, dicens: *In Apologia ſua Proteſtantes* TRIPLICEM HONOREM *Sanctorum probant, quorum primus eſt gratiarum actio, quod Deus eos tantũ gratiis cumulabat. Secundus, ex eorum exemplis fidei confirmatio. Tertius, Imitatio fidei atque virtutum, earúmque* HONORIFICA COMMEMORATIO. Eſtne hæc non Sanctos verè honorare.

Lib. conſult. art. 21.

Locis Theol. 11. cap. 6.

Accedit quod M. CANUS non diffitetur, à Papiſtis ſuis ſecundùm traditas, & omnium ore decantatas de Sanctis hiſtorias, nihil profectò aliud, quã umbras, larvas & monſtra coli. *Gelaſius,* inquit, *Pontifex, hujus generis hiſtorias multas in Concilio reprobavit, quæ, ut ipſe refert, ab infidelibus ſcripta eſſe putantur. Sicut Georgii aliorúmque paſſiones, quæ ab Hæreticis probantur, conſcriptæ.*

Balæus in Marcello 1.

Vergerius in concilio Tridentino *Legendas Georgii & Chriſtophori veras eſſe negabat.*

Art. 21.

Ac rurſus Caſſander: *Multa,* inquit, *hujuſmodi figmenta hiſtorias Sanctorum conſpurcarunt.*

Denique Johannes Ferus in Joh. 25. *Homo,* inquit, *comparatione ad Deum eſt putredo, ut ſanctus Job loquitur.*

Sanctorum legitimus cultus apud Euangelicos, docetur Scripturis ſacris.

Quid ergo potiſſimum circa Sanctorum venerationem ab Euangelicis requirunt Pontificii? De modo honorandi Sanctos à nobis diſcrepant, nos verò quem uſurpamus, non ſolùm ſic à Pontificiis æquioribus & doctiorib. probari, verùm etiam ſacris Scripturis doceri convincere poſſumus. Papiſtæ enim duos cultus religioſi gradus conſtituunt. Unum *excellentiſſimum*, quem appellatione *Latriæ* commendare ſolent, quemque ſoli Deo, nec cuiquam alii competere ajunt. Alterum *inferiorem*, quem nominant *Duliam*, quo ſanctos Dei homines jam defunctos, & Angelos, qui ſingulari Dei viſione ac gloria æterna in cœlo nunc perfruuntur, afficiendos honorandoſque docent. Hanc *Duliam* ajunt conſiſtere in adoratione exteriore, videlicet in genuflexione & inclinatione corporis ipſos verſus jam in cœlo exiſtentes, in invo-

Latria.

Dulia.

Digitized by Google

invocatione, in dedicatione templorum ædium que aliarum religioſarum in diebus feſtis ipſorum memoriæ cōſecratis, denique in peregrinationibus ad ipſorum reliquias aut imagines ſuſceptis. Hæc illi. Vide Bellarmin. lib. 1. de Sanct. Beat. c. 11. 12. 13. Summa eſt ſententiæ Pontificiorum. Adoratio ſive cultus aliquis minor divino, & major civili debetur Angelis & Sanctis.

Latria idem quod Dulia

Nos verò omnino ex ſacris Scripturis & Patribus aſſerere conſuevimus diſtinctionem cultus religioſi in *Latriā & Duliam* ignotam fuiſſe ipſis Apoſtolis & Patribus Græcis Latinisque, per annos 400. à Chriſto nato ad minimū. Nā *Latria* hominibus tribuitur Deut. 18. 48. Levit. 23. 8. Math. 4. 10. & *Dulia* Deo, Rom. 16. 18. Ac Auguſtinus *Latriam* hominibus tribuit, de civit. Dei lib. 10. cap. 1. & *Duliam* religioſam iiſdē negat de vera Relig. cap. 55. dicens. *Honoramus Sanctos charitate non ſervitute. Nec eis templa conſtruimus.* Et paulo poſt: *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.*

Hîc obſervandum *primò* Auguſtinum non cōcedere Sanctis atq; Angelis *Duliam*, quam illis Papiſtæ tam præfractè tribuunt. Et quæſt. 94. in Exod. dicit, tam *Latriam*, *quàm Duliam Deo tribui, Latriam ut Deo, Duliam ut Domino.* Deinde Per *Latriam* & *Duliam* diſtinguit cultum religioſum à cultu civili de Civit. Dei Lib. 10. cap. 10. & 4.

Tertio, *Latriam* ſemper in Scripturis pro ſervitute uſurpari affirmat, nedum ut *latria* ſit, neſcio quid, *duliâ* majùs & excellentius de civit lib. 5. cap. 15. & lib. 6. cap. 1. & lib. 7. cap. 1. & lib. 7. c. 32. & lib. 10. cap. 1. ac 4. *Dulia* quidem politica ſemper fuit recepta, & ab hominibus recipienda eſt, Gal. 5. 14. Sed *dulia* illa, quæ *ſublimior civili cultu* eſt, nō fuit hominibus per annos 400. tributa. Nec mirum, quia δουλεύειν communiter majus quiddam eſt. Et ſignificat eam ſervitutem, quæ eſt ſine mercede, propterea, quod is qui ſervit, in alterius poteſtate eſt. Suidas autem ait λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ, *Latriam eſſe duliam pro mercede.*

De Trad. part. 3. Conſid. 7.

Hinc Martinus Pereſius improbat nomen *duliæ* ſumptum pro cultu Sanctorum, quod Deo, non hominibus, utpote ſervis Dei, dandum eſſe vult, niſi *ſervitutis* nomen metaphoricè velis ſumere, non propriè.

Laurentius Valla, Ludovic. Vives in Auguſtinum de Civitate Dei lib. 10. c. 1. pro eodem ponunt *latriam* & *duliam*. Ergo diſtinctio poſterioribus ſeculis & inventa & recepta fuit, idque ipſe fatetur Bellarminus de ſanct. Beat. lib. 1. c. 11. Habetur etiam apud Bedam in cap. 4. Lucæ & Lombardum ac totam Scholam in 3. Sen. d. 9.

Sanctorum cultus & honor manifeſtè ab Euangelicis expreſſus.

Diſtinguunt itaque rectiùs Euangelici cultum ſive adorationem. Dicimus enim, eum eſſe aut *Religioſum*, aut *Politicum* ſeu civilem. *Adoratio religioſa* ſive *cultus religioſus* eſt, qui debetur ei ſoli, qui Dominus eſt univerſarum rerūm, qui corda & renes ſcrutatur, qui eſt omnipotens & omnibus rebus præſens, qui exaudire ac juvare poteſt *Religioſus.*

quo

Digitized by Google

çunque tandem loco omnes ii conſiſtant, qui ipſum inclamant aut & implorant: qui denique eſt auctor primaque origo omnis boni, idque abſolutè & à ſemetipſo, ut qui ſit ipſiſſima bonitas. Quare hic cultus debetur ſoli Deo, ut cui hæc omnia ſoli conveniunt, penes quem ſolum hæc omnia ſunt, ac ideò hanc adorationem & hũc cultum in primæ tabulæ Dialogi mandatis præcepit. *Adoratio* verò *politica*, ſive cultus politicus & civilis, eſt honor ille, qui debetur iis, qui à Deo nobis præfecti ſunt: ſive propter excellentiam donorum, ipſis à Deo tributorũ, ſive etiam propter officium, quo aliis gubernandis funguntur.

Exod. 10. *à verſu* 1. *ad* 12.

Politicus.

Finis verò & ſcopus hujus cultus eſt, ut teſtificemur & demonſtremus, nos reverentiâ aliquâ erga Dei dona affectos eſſe, & honore proſequi eam poteſtatem, quam Deus in ipſos contulit. Et hoc genus honoris ſeu cultus mandatur tantummodò in ſecunda tabula, in quinto ſcilicet præcepto his verbis: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Exod. 20. 20.

Ex hac jam diſtinctione facilè patet, quis honor cuiquam conveniat. Nam honorari debet & Deus, & cui Deus honorem tribui jubet. Mandat verò, ut qui inferioris conditionis ſunt, honore afficiant eos, qui excellentiores ſunt atque ſuperiores. Ut principibus & magiſtratibus debetur honor ſive adoratio politica, quæ ipſis abſque offenſa adimi nequit. Hoc adorationis genere adorabat Abraham Hetthæos Gen. 23. 7. Joſeph. fratres Gen. 50. Qua de cauſſa creaturæ irrationales, ac inter has imagines præcipuè, non debent ullo honore affici, nec politico, inquam, nec religioſo, quum longè ſint inferiores ipſo homine.

Ex eadem ratione Spiritus immundi, quum ſint inimici Dei, non debent ullo modo honorari: uſque adeò, ut honore illos afficere, ſit Deum afficere contumelia.

Hinc etiam Angeli, quia hominibus tam naturâ, quàm donis excellunt, quando apparebant, licitè honorabãtur: ita tamen, ut ſi quando vel minima ſpecies honoris Deo ſoli convenientis ipſis exhibebatur, ipſimet eum recuſarent. Quúmque hodie non ampliùs, ut olim ſe conſpiciendos præbeant, non debemus illos religioſa, nedum politica adoratione, corporis nimirum inflexione aut compoſitione honorare.

Act. 10. 25. 26. *Apoc.* 19. 10 *ac* 22. 8. 9.

Similiter ſanctis hominibus, Dei ſervis ac Martyribus, à nobis abſentibus & in cœlo agentibus, talem aliquem honorem politicum, qualis eſt genuflexio corporis, &c. deferre non licet: Multò verò minùs cultum aliquem religioſum puta invocationem ſigno aliquo externo aut adoratione ſignificatam exhibere fas eſt. Hæc enim uni ſoli Deo propria eſt, ſive *Duliam*, ſive *Latriam*, ſive quocunque alio nomine eam appellent.

Recuſat enim Angelus Apoc. 19. 10. & 22. 9. adorationem. Et Petrus Act. 10. 25. 26. Cornelium coram ipſo procidentem adorandi cauſſa manu ſua elevat, inquiens: *Surge: nam & ego homo ſum.* Et Paulus ac Barnabas, Act. 14. 11. 12. 13. 14. 15. quum Lyſtrenſes ipſos Deos appellarent, & ſacrificare ipſis inſtituerent, conſciſſis veſtibus

Digitized by Google

ſuis exſiliunt in turbas, clamantes: *Quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines.* Reprehendit & Chriſtus Phariſæos Math. 23. *ædificantes ſepulchra Prophetarum, & ornantes monumenta juſtorum*, quum doctrinam ab illis traditam palàm perſequerentur. Et *Moyſen*, cujus memoriam Judæi honorificè celebrabant, doctrinam autem ejus non ſequebantur, *ait accuſaturum ipſos*, Joh 5. 45.

Gradus honoris debiti ſanctis.

Hoc modo itaque quum ſacra Scriptura doceat, *honorandos quidem eſſe ſanctos, verùm non quoſlibet honores ſanctis tributos Deo gratos eſſe, ſed in honorandis ſanctis facilè ac ſæpè* peccari poſſe: attentiſſimè conſiderant & circumſpiciunt Euangelici, qui ſint GRADUS veri honoris ſanctorum, qui verè & citra Dei cõtumeliam eis competant, atque impẽdi debeant. Præcipuè autem *quinque* legitimos gradus in ſacris Scripturis reperiunt.

1. Memoria ſanctorum honeſta.

PRIMUS gradus eſt, ut honorificè & cum veneratione quâdam memoria ſanctorum retineatur, deque ipſis nonniſi ſanctè, piè ac honeſtè unuſquiſque loquatur & ſcribat. Hoc inſtillatur Pſal. 112. 6. ubi dicitur: *In memoria æterna erit juſtus.* Ac Prov. 10. 7. *Memoria juſti erit in benedictionem.* Quod Siracides cap. 45. repetit. Et cap. 46. ait: *Sit memoria illorum in benedictione.* Quâ formâ verborum adhuc hodie in elogiis virorum præſtantium utimur. Sapient. 4. 78. *Juſtus etiam, ſi præmatura morte obeat, quiete tamen perfruetur. Honorata enim eſt ſenectus non diuturnam adepta vitam: neque numero annorum definita. Quoniam Deo ille placuit, charus ei fuit*, &c. Et cap. 8. 13. *Immortalitatem obtinebit, ac relinquet poſteris memoriam ſempiternam.* Hocque ſibi vult virgo Maria, quum Prophetico ſpiritu prædicet: *Ecce, beatam me dicent omnes gentes.* Similiter quãdo mulier quædam vas unguento plenum in caput Chriſti effudiſſet, prædicit de ipſa Chriſtus: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, etiam hoc, quod iſta fecit, dicetur in memoriam ipſius.* Et hac ratione honoravit David Moſem, Aaronem, Phineas & reliquos, quos Pſal. 105. & 106. ac alibi commemorat. Eodem modo Apoſtolus Patriarchas, Prophetas & complures alios ſanctos, Heb. 11. honore afficit, quando eorum fidem ſingularem, aliaſque virtutes prolixè ibi percenſet & deprædicat. In ſumma, de ſanctis ſcribendum, loquendum & ſentiendum, ſicut Paulus 2. Tim. 4. ac Phil. 1. & 2. Cor. 5. de ſeipſo & aliis dicit: *Bonum certamen certaverunt, fidem ſervarunt, curſum conſummarunt, jámque præſentes ſunt apud Dominum.*

Luc. 1 48
Math. 26. 6.
Mart. 14. 3. 9.

2. Glorificatio Dei in ſanctis.

ALTER gradus eſt, ut Deus ipſe in ſanctis celebretur. Hoc eſt, ut Deo gratiæ agantur pro ipſis beneficiis, quę Deus per illos in Eccleſiam ſuam contulit. Et hoc eſt, quod ſanctus Paulus ait de Eccleſiis, ubi audiviſſent ſuam vocationem & converſionem: *Glorificabant in me Deum.* Sic igitur verè honorantur ſancti, quum Deo agimus gratias, quod per eos ſe patefecit, quod doctrinã ſuam per eos tradidit, quod edidit evidentia teſtimonia per miniſterium eorum, quod Eccleſiam ſubinde per aliquos inſtauravit, quod dona diverſa in Eccleſia diſtribuit.

Gal. 1. 24.

Hæc & ſimilia opera Dei celebranda ſunt in ſanctis, quin etiam laudandi ipſi

Digitized by Google

ipſi ſancti, quod donis Dei fideliter uſi ſunt. Quæ tamen laus verè ad Deum pertinet, ut dicitur:

Quos ego quum laudo, laus ea tota Dei eſt. In quam ſententiam & 1. Cor. 15. 10. 11. inquit Paulus: *Gratia Dei ſum, quod ſum. Non fuit enim in me gratia ejus vacua, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi. Non ego autem, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.*

3. Confirmatio fidei è ſanctorū exemplo & doctrina.

TERTIUS gradus honoris ſanctorum eſt confirmatio fidei noſtræ è doctrina & exemplo illorum. Ut quum genus doctrinæ conſideramus, quod ſancti profeſſi ſunt, & pro quo certamina ſubierunt, & quum hujus doctrinæ teſtimonia intuemur. Item quum cogitamus exempla divinæ miſericordiæ, quæ Deus oſtendit receptis lapſis. Quumque exempla colligimus, quæ docent exaudiri preces noſtras in periculis, & verè impetrari liberationes, &c. Talibus exemplis confirmãda eſt fides noſtra, & invocatio ad Deum exſuſcitanda. Sic 2. Pet. 1. 15. ſcriptum eſt à ſancto Petro: *Studebo, ut vos poſt exitum meum horum mentionem facere poſſitis. Non enim arte compoſitas fabulas ſequuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & adventum: ſed qui oculis aſpeximus illius majeſtatem.* Et ſanctus Paulus exemplum ſuæ receptionis gratuitæ. 1. Tim. 1. 15. proponit, dicens: *Fidus hic eſt ſermo & modis omnibus dignus, quem amplectamur, quod Chriſtus Jeſus venit in mundum, ut peccatores ſervaret, quorum primus ſum ego. Verùm ideò miſertus eſt mei, ut in me primo oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem clementiam, ut eſſem exemplar iis, qui crediturì eſſent ipſi in vitam æternam.* David etiam exempla liberationum ſuarum proponit toti Eccleſiæ, Pſalm. 34. dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtra non confundentur. Iſte pauper clamavit ad Dominum, & exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum.*

Imitatio exempli ſanctorum.

QUARTUS honoris gradus eſt imitatio fidei, humilitatis, manſuetudinis, reſipiſcentiæ, timoris Dei aliarúmque virtutum, quibus ſancti excellebant. Hæc imitatio ad honorem ſanctorum vel maximè pertinet, ut ad Philip. 2. 15. ſcriptum eſt: *Sitis irreprehenſibiles in medio nationis pravæ, inter quos lucete tãquam luminaria, in mundo, ad gloriam meam in die Chriſti.* Et 1. Theſſ. 2. 14. *Vos imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei,* &c. Et ℣. 20. *Vos eſtis gloria noſtra, & corona gloriationis noſtræ.* Paſſim etiam alibi hanc imitationem præcipit Scriptura, ut Heb. 6. 12. *Ne ſitis ſegnes, ſed imitatores eorum, qui per fidem & per patiẽtiam hæreditatem acceperunt promiſſionum.* Et Heb. 13. 7. *Memores eſtote ducum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis ſermonem Dei, quorum imitemini fidem, conſiderantes qui fuerit exitus converſationis ipſorum.* Et Philip. 3. 17. *Eſtote pariter imitatores mei, & conſiderate eos, qui ita incedunt, ſicut habetis nos pro exemplari.* Atque hac de cauſſa Apoſtolus exempla ſanctorum veteris & novi Teſtamenti appellat *nubem teſtium*, alluſione ac ſimilitudine quadam. Nam quemadmodum nubes filios Iſraël per deſertum in terram Chanaan ducebat: ſic etiam nunc fideles ad cœleſtem Chanaan ducuntur exemplis piorum, qui Deo ante nos crediderunt, & ambularunt anguſtum illum callem, qui ducit ad vitam æternam. Quò pertinet etiam hoc dictum Auguſtini de vera religione c. 15. *Heb. 13.*

Sancti honorandi ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Et Chryſoſtomi, qui ait: *Non eſt juſtitia ſanctos colere, & ſanctitatem contemnere. Primus ad pietatem gradus eſt ſanctitatem diligere.*

5. *Obſequiū doctrinæ ſanctorum.* QUINTUS gradus eſt obſequium doctrinæ orthodoxæ ſanctorū, quam ore & ſcripto traditam poſteritati reliquerunt. Commēdat enim hoc Chriſtus, dicens: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur: qui non crediderit, condemnabitur.* Et Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos rejicit, me rejicit: qui autem me rejicit, rejicit eum, qui miſit me.* Hinc laudat hoc nomine Theſſalonicenſes ſanctus Paulus: *Vos imitatores noſtri facti fuiſtis & DOMINI, admiſſo ſermone cum oppreſſione multa, cum gaudio Spiritus ſancti, adeò ut fueritis quaſi exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & Achaia.* Ac capite 2. ℣. 13. *Acceptum ſermonem quem audiſtis à nobis de Deo, excepiſtis non pro ſermone hominum ſed (ſicut erat verè) pro Dei ſermone, qui etiam agit in vobis qui creditis. Vos enim imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa, in Chriſto Jeſu: quod eadem paſſi ſitis & vos,* &c. Vide de his etiam corpus doctrinæ Chriſtianæ à Philippo editum, fol. 271.

Marc. 16. 16.

1. Theſſ. 1. 6.

Hos non eſſe veros gradus honoris ſanctorum oſtendant Adverſarii, aut ſi plures & diverſos ab his ſanctis convenire ſentiunt (ut quidem ſentiunt & docent) ex ſacra Scriptura comprobent. Reliquiaſne ſanctorum etiam adorandas cenſent? At nos in principio hujus capitis hanc adorationem à ſacra Scriptura potiùs rejici demonſtravimus? Imaginéſne ſanctorum quoque colendas & honorandas ſtatuunt? Verùm hoc hæreticum eſſe, & nominatim hæreſin *Simonianorū, Carpocratianorum, Baſilidianorum, Gnoſticorum, Armenianorum ſeu Jacobitarum*, aliorumque veterum hæreticorum redolere, infrà libro 2. docebimus. Adorationémne & invocationem ſanctorū eſſe honorem ac cultum illis competētem, exiſtimant & credunt? Videbimus nunc de hoc in quarta calumnia, quam Pontificii Vigilantio & Euangelicis intendunt.

Bellarminus enim lib. 4. de Eccleſia milit. cap. 9. ait: *Vigilantius docuit orationes mortuorum pro aliis non exaudiri. Ex quo ſequitur, fruſtrà ſanctos invocari.* Et hoc in crimen hæreſeos rapiens, addit: *Idē nihil Proteſtantes.* Fuſiùs autem de ſanctorū beatitudine lib. 1. cap. 1. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. *Hæreticos hujus temporis* (id eſt) Euangelicos, quos modò ante vocavit Proteſtantes) *dicit invocationem ſanctorū oppugnare*, quam ipſe propugnat.

4. *De invocatione & interceſſione ſanctorum nihil Euāgelicos hæretici tenere.*

Reſpondemus *primò* ad antecedēs: *deinde* ad conſequens. Antecedens, ſi ita à Vigilantio fuit intellectum, quaſi ſancti in cœlis omnino non orent pro nobis, neque exaudiantur, tum erravit. Nam PRIMUM ſancti mortui orant Deum in genere pro Eccleſia univerſa in terris agente, non verò ſpeciatim pro hoc aut illo. Sic dicitur Apoc. 6 ℣. 9. & 10. *Vidi ſub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod tuebantur. Clamabant autem voce magna, dicentes: Uſque quò Domine, qui ſanctus es & verax, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra.* Ex quibus verbis colligimus, eos expetere & magno deſiderio

1. Sancti mortui adorant Deū gratias agendo.

Digitized by Google

ſiderio deſiderare completam liberationem Eccleſiæ, & extirpationem inimicorum ejus, ut ipſi cum univerſo populo Dei plenitudinem gloriæ tam in corpore quàm in anima tandem cõſequantur. Quumque de creaturis nullo ſenſu præditis pronunciet Apoſtolus Rom. 8. ℣. 22. *quod gemant & ſuſpirent, expectantes adoptionem, hoc eſt, redemptionem corporis noſtri*, multo igitur magis ſancti, qui jam in cœlo beati exſiſtunt, deſiderant idipſum.

2. Sancti mortui adorant Deũ gratias agendo.

DEINDE, Sancti mortui orant Deũ agendo ipſi gratias pro ſua redemptione, imò & pro redemptione Eccleſiæ in terra adhuc militantis: conſtat hoc ex his Apoc. 5. ℣. 8. & 9. verbis, *Quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores prociderunt corã Agno, habẽtes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas ſuffituũ*, QUÆ SUNT PRECES SANCTORUM. *Et cecinerunt canticum novum; Dignus es, qui accipias librũ, & aperias ejus ſigilla, quoniam mactatus es, & redemiſti nos per ſanguinem tuum ex omni tribu*, &c. Et ℣. 19. *Et audivi omnẽ creaturam quæ in cœlo eſt, &c. dicentẽ. Seſſori throni & Agno benedictio, & honor, & gloria & robur in ſecula ſeculorum.*

Has orationes & gratiarum actiones generales quum Sancti defuncti in cœlis peragant, tum nimirum quoque exaudiuntur: Nam Pſalm. 145. 18. 19 & 34. 6. teſtatur David. *Propinquus eſt Jehova* OMNIBUS *invocantibus eum*, OMNIBUS, inquam, *qui invocant eum in veritate. Voluntatem timentium ſe facit, & clamorem eorum exaudit, & ſervat.* Si enim de agentibus & militantibus ſanctis adhuc in terra verum eſt, quod S. Johannes Apoſtolus 1. Epiſt. 5. 14. 15. ait: *Hæc eſt fiducia quam habemus apud Deũ, quod ſi quid petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos. Et ſi ſcimus, quod audit nos quicquid petierimus, ſcimus quod habemus petitiones, quas petiimus ab eo*; cur non verum eſſet de Sanctis demortuis, qui jã in cœlis triumphant?

Quare antecedens illud, quod Vigilantio tribuunt Pontificii, Proteſtãtes vel Euangelici planè reſpuunt, ſi Vigilantius (uti diximus) intellexit, Sanctos mortuos licet orent, tamen non exaudiri. Et ita quoad antecedens illud egregium teſtimonium perhibet Euangelicis Georgius Caſſander, qui Art. 21. dicit: *Proteſtantes largiuntur Sanctos in cœlis orare pro Eccleſia in genere.* Idẽ de Euangelicis teſtatur Guil. Lindanus in panopliæ lib. 3. cap. 30.

Sanctos non eſſe invocandos.

Verùm quoad *conſequens*, ex ſententia Vigilantii, quod orationes mortuorum pro aliis exaudiantur, ſic collectũ à Bellarmino: *Ex quo ſequitur fruſtra Sanctos invocari*, affirmant hoc liberè & apertè Proteſtantes ſeu Euangelici. Quod rectè tam Caſſander & Lindanus verbis illis. *Proteſtantes largiũtur Sanctos in cœlis orare pro Eccleſia in genere*, ſic ſubjiciunt, *Sed ex eo conſequens eſſe negant, Sanctos eſſe invocandos.* Nam non eſſe invocandos rationibus evincitur neceſſariis, ſi tam *adorationem* quàm *interceſſionem* Sanctorum, quarum utraque à Pontificiis recepta eſt conſideremus, ac argumenta pro & contra invocationem & interceſſionem excutiamus.

Rationes Euãgelicorum contra ſanctorum invocationẽ & interceſſionẽ aſtruuntur. Papiſtarum verò pro ea deſtruuntur.

1. Omnis vera invocatio & adoratio duo habere debet, *Mandatum* & *Promiſſionem*. Mandatum quidem, quod nos adorandum & invocandum Sanctos mortuos commoveat Promiſſionem, ut certi eſſe de exauditione poſſimus.

 Etenim

Digitized by Google

Etenim omnis precatio debet fieri in *fide*. Abſque mandato autem & pro miſſione fides eſſe nequit. Hoc tam infallibili & invicto fundamento poſito, jam concludo: *quod non debeamus invocare Sanctos jam defunctos:* quia NULLUM extat in universa ſacra Scriptura talis invocationis MANDATUM. Adhæc, quia NULLA etiam PROMISSIO certos nos reddens de exauditione, in ea invenitur. Præterea quia præceptum eſt nobis invocare ſolum Deum. Etenim *Dominum Deum tuũ adorabis, & ei ſoli ſervies*, inquit Chriſtus Math. 4. 10. Et Apoſtolus Rom. 10. ℣. 14. *Quomodo ergo eum invocabunt, in quem non crediderunt*. Poſtremo, reperiuntur promiſſiones claræ in univerſo Dei verbo, quæ nos exaudiri per ſolum Chriſtum teſtantur. Math. 18. 19. Joh. 14. 13. & 16. 16. 23. 24. Rom. 8 34. Ob hæc igitur orationes ad Sanctos præſenti vita jam defunctos fuſæ, omnino ſunt illicitæ & reprobatæ.

Sed excipiunt Papiſtæ. Invocationem Sanctorum confirmatam eſſe plurimis miraculis & revelationibus, quæ idem omnino cum ipſis mandatis & promiſſionibus valeant. Verùm *Reſpondemus*; Miracula & revelationes veræ & indubitatæ finem ſuum habuerunt prius, quàm hoc genus invocationis locum aliquem in Eccleſia obtineret. II. Ex miraculis & revelationibus judicare de veritate alicujus doctrinæ, fallax admodum ratio eſt, niſi hæc tria concurrant. 1. Confirmatio doctrinæ de fide & pietate 2. Precatio ad Deum pro re aliqua, quæ fiat ad confirmationem illius doctrinæ. 3. Manifeſta Eccleſiæ ædificatio per duo priora. Quod ſi verò horum trium aliquod defuerit, miracula pro ſuſpectis haberi debent. Nam nonnunquam etiam falſis Prophetis permittitur edere miracula, ut homines probentur, num firmiter Deo adhæreant, necne. Adhæc miracula non fiunt, nec debent fieri propter eos qui credũt, ut docet S. Paulus 1. Cor. 14. 22 *Linguæ igitur ſunt ſignum, nõ iis qui credunt, ſed infidelibus*. Cui aſſentiuntur Chryſoſt. in hunc locum, Ambroſ. in procœm. Lucæ, & ad Rom. c. 1. ſæpè & Iſidorus, *qui negant ſigno opus eſſe fidelibus, ſed infidelibus*. Ultimò, diſertè monemur, ne fides noſtra confirmetur aut nitatur apparitionibus & revelationibus hominum mortuorum, ſed ſcriptis proheticis & Apoſtolicis, Luc. 16. ℣. 29. *Deut. 13. 1.*

2. Precari & invocare Sanctos jam defunctos genuaque ipſis, dum à nobis abſentes in cœlo exſiſtant, flectere, eſt tribuere eis id, quod ſoli Deo proprium eſt. Scilicet corda hominum internosque eorum motus ac deſideria intueri, mores etiam ac vitam hominum, qui ubivis terrarum, ac quovis tempore degunt, inſpicere ac ſcire. *Speculum viſionis an ſancti habeant.*

Reſpondent Papiſtæ: Sanctos in cœlo conſtitutos videre & cognoſcere ea, quæ in terris fiunt, non in & per ſeipſos (hoc enim eſſet facere Deos ex ipſis) ſed per Deum & in ipſius eſſentia, in qua tanquam in ſpeculo inſpiciant orationes hominum expreſſas.

Sed regerimus, 1. Etiam hac ratione Sancti majus quippiam & excellentius conſtituuntur, quàm creaturæ cõvenit. Nam tribuitur illis hoc modo cognitio omnium cogitationum & actionum, quæ ab univerſis hominibus qu ocun-

Digitized by Google

quocunque tempore fiunt, quas omnes ſimul comprehẽdere nullius eſt potentiæ creatæ. 2. Speculum de quo nugantur merum eſt figmentum humanum. Nam ne ipſi quidem Angeli creatura longè excellentior, quàm ullus unquam Sanctorum, ſunt donati, non potuerunt, neque poſſunt omnia in Deo videre. Cujus rei certiſſima probatio hæc eſt. Tempore veteris Teſtamenti poſiti erant ſuper arcam fœderis duo Cherubines, qui typus erant Sanctorum Dei Angelorum. Hi arcam (quæ typus erat Chriſti) cooperientes facie deorſum verſa ipſam intuebantur. Hoc ipſo ſignificabant deſiderium Angelorum, tenebantur ad videndum myſterium Incarnationis in & per ipſum. Huc enim abſque omni dubio
1. Pet. 1. 12. alludit S. Petrus, quum ait: *In quæ deſide-*
Epheſ. 3. 10. *rant Angeli introſpicere.* Et S. Paulus: *Ut nota nunc fiat*, inquit, *per Eccleſiam imperiis ac poteſtatibus, quæ in cœlo ſunt, multiformis illa Dei* ſapientia: hoc eſt, Angelis. Quomodo hoc? aut quibus mediis? Reſpondet Apoſtolus: *Per Eccleſiam.* Quod fit duobus modis. 1. Per Eccleſiam, tanquam per exemplum. Vident enim Angeli in Eccleſia manifeſtatam infinitam illam Dei ſapientiam & miſericordiam, dum is gentes ad ſe vocat. 2. Per Eccleſiam etiam, in quantum ea fundata & condecorata prædicatione Apoſtolorum. Videntur enim miniſterio Apoſtolorum quædam, quæ Chriſtum ejuſque regnum concernunt, Angelis innotuiſſe, quæ antea haudquaquam cognoverant. Certè S. Chryſoſtomus audacter pro-
Prologo in Johan. nũciat *S. Johannẽ Euangeliſtã talia de profundis & abditis Spiritus Sancti theſſauris protuliſſe, quæ neq; ipſi Angeli, vocẽ priusquã hic diceret cognoverit* Namque (ſubjungit) *& ipſi nobiſcum per Johannis vocem & per* N o s *didicerunt, quæ cognovimus & quod nobiſcum B etiam Paulus his verbis ſignificavit,* Ut *innoteſcat Principatibus cœleſtibus per Eccleſiam multiformis Dei ſapientia. Si igitur Principatus & poteſtates, Cherubim & Seraphim hæc per Eccleſiam didicerunt, planè conſtat ipſos Angelos ſumma cum attentione ejus ſeſe auditores exhibere.*

Videantur ibi plura in eandem ſententiam.

Quid quod Chriſtus ipſe de Angelis pronũciat ꝙ *neſciant diẽ judicii.* Si igitur ne Angeli quidẽ omnia in Deo cognoſcunt, aut cognoſcere poſſunt, multo ergo minus Sancti. Et hinc eſt, quod Sancti dicũtur *jacere ſubtus altari*, atque magna voce clamare & dicere. *Domine ſancte & verax, quouſque non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum? quaſi qui ignorent.* (ut & ignorant) diem perfectæ ac completæ ſuæ redemtionis. Hocque eo certius eſt, quia hoc modo & Judæi olim in afflictionibus conſtituti fatebãtur, ſe ſuamque conditionem Abrahamum atque Jacobum neſcire, Iſa. 63. ℣. 16.

Math. 24. 36. Marc. 13. Apoc. 6. 41.

3. Math. 4. 10. Chriſtus Satanæ petenti recuſavit ſaltem genua flectere, ex hac ratione, *quod ſcriptum ſit, Dominũ Deum tuum adorabis, eique ſoli ſervies.* Quod latius ad generoſiores creaturas Dei extendi quoque poteſt, nempe ad Sanctos, quod hi eandem ob rationem vel genu flexione vel alia ſimili veneratione non ſint colendi & adorandi. *Act. 10.* Nam inde S. Petrus Cornelio non permiſit, ut ſe ante ipſum inclinaret, non quantumvis mens Cornelii non eſſet, Petrum adorare ut Deum. Ac propterea neque Sancti, neque angeli ſunt vene-

Digitized by Google

Aut nõniſi allegoricè explicanda ſentit. Quod ad illum *alterum Georgium* attinet, quem cum Felice, Lilioſa, Aurelio & Sabigothone fuiſſe paſſum, refert Eulogius Toletanus lib. 2. memorialis ſanctorum cap. 10. diu vixit poſt illud ſeculum Gelaſii, æra Hiſpanica dcccxc. ut apud eundem Eulogium habetur.

Chriſtophorus. *Chriſtophorus* eſt ſimilis. Quid enim de eo portentoſæ magnitudinis viro, & rebus geſtis illius dicemus? Quàm variè enim fabulentur de eo hiſtorici, quàm falsò Martyrologium, ipſe ſentit Baronius. Dagnum regem inauditum, Samon novum hic in Cilicia, ille in Lycia, & alia verborum monſtra Chriſtophoro ſuo attexuerunt: quæ omnia corrigit Baronius in Martyrologio ſatis pro imperio, in Annalibus verò cautè diſſimulat contra morem ſuum, his ſolùm verbis utens: *Paſſi ſunt eâdem urgente perſequutione* DECIANA, *in Aſia, Apollonia Lucius Thyrſus, & Callinicus: in Lycia Chriſtophorus, Perga Pamphilia Papios*, &c. Qui martyria tam diligenter collecta narrat, hìc quaſi pudore fabularum tactus prætervehitur, qui jam ante in Martyrologio fuerat faſſus: *ſe non habere, quid dicat de gigantea ſtatura, quâ pingi conſuevit &c. picturámque ſymbolicam vel figurativam* (non audebat dicere fabulam) *eſſe ſtatuerat*. Reliqua de eo vide apud Hoſpinianũ de Origine Feſtorum fol. 85.

Catharina. De *Catharina*, quam Baronius in tomo 3. Annalium infelice conjecturâ Hecaterinam vocat, & eſſe eandem ſtatuit cum Dorothea, cujus hiſtoriam Ruffinus tradidit, quid multis opus eſt? Ipſum Martyrologium, ipſa narratio Metaphraſtæ in Breviario Romano poſita, de Maxentio (pro quo Maximinum ſubſtituit Baronius mendacium videns, non corrigens) de quinquaginta Philoſophis converſis ex collatione illius, de ſtilis rotæ ad orationem Catharinæ fractis, de corpore in montem Sinai tranſportato, fabulã eſſe clamitat. Innuit Baronius obſcurè, quum hiſtoriam ejus quamvis perbrevem, pluribus locis interpolat, etiam diſſimulato Coſti regis, ex quo prognatã prædicant, nomine. Quouſque tandem iſtis ſcriptoribus homines videbuntur eſſe corpus ſine pectore? Poterit autem lector plura ex Hoſpiniano de Origine erroris Feſtorum, fol. 103. b. de ea cognoſcere.

Suffragatur in hoc nobis etiam celeberrimus Pontificius Georgius Caſſander, qui lib. conſult. art. 21. ait: *In ſanctorum hiſtoriis commemorantur ii, qui an unquam fuerint, meritò dubitatur*.

Colluvies an ſancti dicantur. *Colluviẽ* ſanctos à Calvino dici, falſum eſt. Sic ille inſtit. lib. 3. cap. 20. §. 25. *Scire*, inquit, *ex illis velim, cur in tanta turba ne minimum quidem apud eos locum obtineat Abraham. Ex qua colluvie ſibi advocatos ſumant, minimè ignotum eſt. Abraham, quem Deus aliis omnibus prætulit, & quem evexit in ſummum honoris gradum, negligi ac ſupprimi, quàm conſentaneum ſit, mihi reſpondeant*. Primum non dicit, omnes advocatos: ſed indefinitè, *advocatos*: de quibuſdam puta intelligens. Secundò advocatos non dicit colluviem eſſe, ſed *ex colluvie ſumi*, puta communi hominum. Poſtremò non ſimpliciter, ſed κατ' τι, atque comparativè colluviem nominat. Quum enim Abraham in populo Dei familiam ducat

cat, ut pater credentium d ctus & factus à Domino, ſi eorum omnium, qui ſancti apud Pontificios cenſentur, turbam contuleris, ex bonis, malis, veris, falſis, celebribus, obſcuris confuſam, cum illo credentium patre (quem tamen non accenſuit Pontificùm Canõ) quis eam turbam rectè dici præ illo colluviem neget? Quemadmodum & Tullius de ſenectute: O *praclarum*, inquit, *diem quum ad illud divinum animorum concilium, cœtúmque proficiſcar, quúmque ex hac turba & colluvione diſcedam.*

Monſtra an Euangelici ſanctos vocent.

Monſtra etiam, carnifices & beſtias appellavit Calvinus Sanctos, ait Jeſuita in eadem Præfat. numero 40. Sed falſa omnia. Hęc ipſa ſunt Calvini verba. *Itáne cum Deo ludetur, ut qui nulli unquam fuerunt, obtrudantur ad Deum exorandum patroni: Talibus monſtris, qui fomenta ſuppeditant, guſtúmne aliquem unquam habuiſſe credendi ſunt ſeria ſinceraq; Dei invocationis? Omitto Dominicũ, & ſimiles carnifices. Omitto Medardum, Lubinũ & ſimiles ejus beſtias.* Quis enim finis eſſet, &c. Equidem ſi Calvinus eos appellaret *monſtra*, qui ſancti cenſentur, & tamen nunquã in rerum natura exſtiterunt, nemini injuriam faceret, quia omnes perſonæ, res, ſermones commentitii atque fabuloſi παροιμιωδῶς & proverbialiter tragelaphi & monſtra vocari ſolent. Quo modo *monſtra dicere, narrare, nunciare* Tullius uſurpavit Tuſcul. Quæſt. 4. & ad Atticum ſcribens: *Monſtroſas fabulas* Claudianus dicit, *Lamia Turres* Tertullianus. Atque hoc in numero Calvinus Chriſtophorum & Catharinam recenſuit. Propterea non omnes Sanctos, pauculos hoc nomine perſtringeret.

Sed nobis propiùs ad rem attendentibus videtur magis Calvinus hac odioſa voce fabulas monſtroſas quàm perſonas ipſas fabuloſas notaviſſe, præſertim quum fomenta illa non perſonis, quæ nuſquam ſunt, ſed monſtris opinionum ſuperſtitionumque præbeantur propemodum Eccleſiam Dei peſſumdantibus. Hæc monſtra, qui alunt, omnino expertes ſunt ſeriæ invocationis Dei, quum ludificentur Deum. Non ergo homines, ne fabuloſos quidem, ſed fabulas monſtroſas *monſtra* Calvinus appellavit. Quid autem quæſo hoc ad ſanctos?

Carnifices verò non veros ſanctos vocat, ſed falsò recenſos ſanctorum numero, qui lanienam Sanctorum crudeliter exercuerunt. Cujuſmodi fuerunt Dominicus in Hiſpania & Narbonenſi Gallia ſimiles huic hirudines ſanguinis humani ſitientiſſimæ. Quid hoc ad chorum ſanctorum ſervorum Dei? Verè enim, ſi Vincẽtio credimus, mater antequam ipſum conciperet, in ſomnis videre viſa eſt, ſe catulũ ardentem facẽ ore geſtantem portare, qua totus mundus accenderetur. Nam etiam contra Albigenſes copias duxit in comitatu Simonis de Monteforti, *eóſque mirabili zelo*, inquit auctor Faſciculi temporum, *perſequutus eſt.* At quæ perpetrarunt Albigenſes, cur eos ita Dominicus ſanctulus perſequeretur? *Antoninus* quidẽ prodidit. In ſumma 4. quæſt. 11. § 5. eos duo feciſſe principia, bonum & malum, Senſiſſe bonum Deũ non creaſſe viſibila, non creare & infundere novas animas, Chriſtum nõ eſſe Deum: non ſenſiſſe verè noſtras

Carnifices putatitii ſancti.

Albigenſes ſunt & Waldenſes, quorum reliquia fratres Bohemi vulgò putantur.

Digitized by Google

pœnas, nec reſurrexiſſet verè nec mortuos reſurrecturos. Adamũ non fuiſſe à Deo, &c. At minimè dubitamus, hæc puta puta de Albigenſibus mendacia eſſe. Nam ex hiſtoriis veteribus & recentibus conſtat, Eccleſias Albigenſium, quas hominum memoria in Gallia Pontificius furor oppreſſit, neque Scholas aut Sophiſtas habuiſſe, qui talia portenta traderent & defenderent. Neque argutiarum hæreticarum gnaras fuiſſe, ſed poſt abjectam idolomaniam Pontificiam ſimpliciſſimè quæ ad fidem ſalutis & pietatem colendam pertinent, juxta divinas Scripturas humiliter tenuiſſe. Cui ſentẽtiæ non obſcurum documentum præbet lepida *Antonini* fabula ibidem, quod poſt lõgas inter S. Dominicum & Albigenſes hæreticos diſceptationes tandem πυρομαντίᾳ dirimere convenerit. Ignibus verò excitatis, & libris utrinque in eoſdem conjectis victoria S. Dominico ceſſerit, quippe cujus liber ter in flammas projectus, ter reſilierit incolumis; Albigenſiũ libro protinus abſumpto. Hunc igitur hominem Dominicum, utrum mavis dici? Carnificẽ, ut Calvinus dixit, an verò ut ſomniavit mater, incendiarium? Conſulantur Theodoricus de Appoldiâ in vitâ S. Dominici, & Vincentius Bellovacenſis.

Beſtia nomen falſis ſanctis conveniens.

Reſtat *beſtiarum* nomen, quod nonnullis Sanctis ψευδονύμως dictis Calvinus tribuit. Beſtiam autem ille non à veritate (nam de carnificibus proximè dixerat) ſed ab inſulſa, fatua, barda conſtitutione animi appellavit. Quẽadmodum & Græci recentiores dixerunt ἄλογα. Sic beſtiarum nomen Tullius accepit Tuſcul. 5. & lib. 1. de Nat. Deorum & alibi. Atque hoc ſenſu Calvinus *Lubinum* vocavit beſtiam & *ejus ſimiles*. Ut paucis abſolvam, Calvinus ſanctos ἐπιχωρίους & indigenas notat in Picardia ſua & Francia celebres, qui memoria hac noſtra in ore ſunt omni populo à beſtialitate (ut ita loquamur) celebres ac decantati. Nam de Medardo (cujus corpus Sueſſione eſſe dicitur) quis neſcit eum velut inſipidum atque ἀναίσθητον notari proverbio pervulgatiſſimo, quod extremis dentibus rideat? Sic autem ringuntur canes. Ac in Gallia vulgare eſt dicere: Similis eſt Medardo, ridet extremis dentibus. De Lubino, non beſtia ſed ſtipite, verſus ſunt in ore omnium, quos vulgus jam olim decantavit, & in ſuis etiam poëmatis diſtrinxit aliquoties Clemẽs Marottus & alii. Non igitur ſanctos petit Calvinus conviciis, ſed eos ſolùm notat, qui aut nunquam extiterunt, aut certè ſi extiterunt, planè indigni ſunt, quibus tribuatur ſanctorum nomen, & fama publica conteſtante. Iniquè ergo Bellarminus & ſocii ejus Calvinum excipiunt, tanquã ſi aut veros ſanctos, aut omnes ſermone ſuo (quod falſiſſimum eſt) deſigeret. Nulla eſt in ſanctos Dei ſervos propriè contumelia.

Sancti fictitii cur in calendariis etiam apud Evangelicos ponantur.

Objicit Bellarminus inter alia cap. 20. lib. 1. de Eccleſ. triumph. *Si iſti verè Sancti non ſint, cur etiam in ſuis ipſi Evangelici Calendariis eos ponant?* Reſpondemus Aut imprudentes faciunt, aut prudentes. Si imprudẽtes, quia anticipati ſunt errore apud Pontificios recepto & ab eis tradito & vulgo obſequuntur. Si prudentes, faciũt quia nec opes Græciæ in eo putant poſitas, nec commodiorem

diorem ferme viam obvenire arbitrātur poſſe, qua mundus ad videndas ψευδωνύμου Eccleſiæ technas & debellandas traducatur, quàm ſi has nugas ponant in oculis omnium, ut appareāt tandem nugaciſſimæ.

Sanctos ab Euangelicis rectè honorari teſtantur Pontificii doctiores.

Cognitum ergo ſatis uberè ex ipſiuſmet Lutheri & Calvini verbis, quàm ſit illis mens recta & ſtudium piū in honore Sanctis tribuendo, aut non. *Wiclefus* ſeipſum etiam purgat. *Sancti,* inquit, *in cœlis licet non ſint ſcurræ, ſed incorporati in Chriſto per gratiam Salvatoris tamen minus ſe habent in comparatione ad Chriſtum, quā Scurra ad Regem.* Eadem igitur etiam hujus mens, quæ illorum, ut advocatus Wiclephi Thomas Waldenſis cōment. Tit. 3. 12. cap. 111. & 114. teſtatur.

Quā præterea vera ſit, ex verbis Pontificiis ipſis eorum Adverſariis, ac inde è ſacris Scripturis perdiſcemus. Hen. PERERIUS certè comment. in Gen. 35. ✝. 19. *Duabus in rebus,* inquit, *Mortuorum memoriam quodammodo immortalem facere poſſemus, Primò, magnifica iis cōdendo ſepulchra. Verùm tamen mortuorum memoria* PERPETUATUR *maximè ingenii operibus, quum ſcriptis diſertiſſimis eorum* VIRTUTES & FACTA *celebrantur.* Hoc autem poſteriore modo annon Euangelici Sanctos honore afficiunt? Teſtatur meliùs & veriùs Georgius CASSANDER, dicens: *In Apologia ſua Proteſtantes* TRIPLICEM HONOREM *Sanctorum probant, quorum primus eſt gratiarum actio, quod Deus eos tantū gratiis cumulabat. Secundus, ex eorum exemplis fidei confirmatio. Tertius, Imitatio fidei atque virtutum, earúmque* HONORIFICA COMMEMORATIO. Eſtne hæc non Sanctos verè honorare.

Lib. conſult. art. 21.

Locis Theol. 11. cap. 6.

Accedit quod M. CANUS non diffitetur, à Papiſtis ſuis ſecundùm traditas, & omnium ore decantatas de Sanctis hiſtorias, nihil profectò aliud, quā umbras, larvas & monſtra coli. *Gelaſius,* inquit, *Pontifex, hujus generis hiſtorias multas in Concilio reprobavit, quæ, ut ipſe refert, ab infidelibus ſcripta eſſe putantur. Sicut Georgii aliorúmque paſſiones, quæ ab Hæreticis probantur, conſcripta.*

Balæus in Marcello 2.

Vergerius in concilio Tridentino *Legendas Georgii & Chriſtophori veras eſſe negabat.*

Art. 21.

Ac rurſus Caſſander: *Multa,* inquit, *hujuſmodi figmenta hiſtorias Sanctorum conſpurcarunt.*

Denique Johannes Ferus in Joh. 25. *Homo,* inquit, *comparatione ad Deum eſt putredo, ut ſanctus Job loquitur.*

Sanctorum legitimus cultus apud Euangelicos, docetur Scripturis ſacris.

Quid ergo potiſſimum circa Sanctorum venerationem ab Euangelicis requirunt Pontificii? De modo honorandi Sanctos à nobis diſcrepant, nos verò quem uſurpamus, non ſolùm ſic à Pontificiis æquioribus & doctiorib. probari, verùm etiam ſacris Scripturis doceri convincere poſſumus. Papiſtæ enim duos cultus religioſi gradus conſtituunt. Unum *excellentiſſimum*, quem appellatione *Latriæ* commendare ſolent, quemque ſoli Deo, nec cuiquam alii competere ajunt. Alterum *inferiorem*, quem nominant *Duliam*, quo ſanctos Dei homines jam defunctos, & Angelos, qui ſingulari Dei viſione ac gloria æterna in cœlo nunc perfruuntur, afficiendos honorandoſque docent. Hanc *Duliam* ajunt conſiſtere in adoratione exteriore, videlicet in genuflexione & inclinatione corporis ipſos verſus jam in cœlo exiſtentes, in invo-

Latria.

Dulia.

Digitized by Google

invocatione, in dedicatione templorum ædium q[ue] aliarum religioſarum in diebus feſtis ipſorum memoriæ cō ſecratis, denique in peregrinationibus ad ipſorum reliquias aut imagines ſuſceptis. Hæc illi. Vide Bellarmin. lib. 1. de Sanct. Beat. c. 11. 12. 13. Summa eſt ſententiæ Pontificiorum. Adoratio ſive cultus aliquis minor divino, & major civili debetur Angelis & Sanctis.

Latria idem quod Dulia.

Nos verò omnino ex ſacris Scripturis & Patribus aſſerere conſuevimus diſtinctionem cultus religioſi in *Latriā & Duliam* ignotam fuiſſe ipſis Apoſtolis & Patribus Græcis Latiniſque, per annos 400. à Chriſto nato ad minimū. Nā *Latria* hominibus tribuitur Deut. 28. 48. Levit. 23 8. Math. 4. 10. & *Dulia* Deo, Rom. 16. 18. Ac Auguſtinus *Latriam* hominibus tribuit, de civit. Dei lib. 10. cap. 1. & *Duliam* religioſam iiſdē negat de vera Relig. cap. 55. dicens. *Honoramus Sanctos charitate non ſervitute. Nec eis templa conſtruimus.* Et paulo poſt: *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.*

Hîc obſervandum *primò* Auguſtinum non cōcedere Sanctis atq; Angelis *Duliam*, quam illis Papiſtæ tam præfractè tribuunt. Et quæſt. 94. in Exod. dicit, tam *Latriam*, *quàm Duliam Deo tribui, Latriam ut Deo, Duliam ut Domino.* Deinde Per *Latriam* & *Duliam* diſtinguit cultum religioſum à cultu civili de Civit. Dei Lib. 10. cap. 10. & 4.

Tertio, *Latriam* ſemper in Scripturis pro ſervitute uſurpari affirmat, nedum ut *latria* ſit, neſcio quid, *duliâ* majus & excellentius de civit lib. 5. cap. 15. & lib. 6. cap. 1. & lib. 7. cap. 1. & lib. 7. c. 32. & lib. 10. cap. 1. ac 4. *Dulia* quidem politica ſemper fuit recepta, & ab hominibus recipienda eſt, Gal. 5. 14. Sed *dulia* illa, quæ *ſublimior civili cultu* eſt, nō fuit hominibus per annos 400. tributa. Nec mirum, quia δυλέυειν communiter majus quiddam eſt. Et ſignificat eam ſervitutem, quæ eſt ſine mercede, propterea, quod is qui ſervit, in alterius poteſtate eſt. Suidas autem ait λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ, *Latriam eſſe duliam pro mercede.*

Hinc Martinus Pereſius improbat nomen *duliæ* ſumptum pro cultu Sanctorum, quod Deo, non hominibus, ut pote ſervis Dei, dandum eſſe vult, niſi *ſervitutis* nomen metaphoricè velis ſumere, non propriè. *De Trad. part. 3. Conſid. 7.*

Laurentius Valla, Ludovic. Vives in Auguſtinum de Civitate Dei lib. 10. c. 1. pro eodem ponunt *latriam* & *duliam*. Ergo diſtinctio poſterioribus ſeculis & inventa & recepta fuit, idque ipſe fatetur Bellarminus de ſanct. Beat. lib. 1. c. 11. Habetur etiam apud Bedam in cap. 4. Lucæ & Lombardum ac totam Scholam in 3. Sen. d. 9.

Sanctorum cultus & honor manifeſtè ab Evangelicis expreſſus.

Diſtinguunt itaque rectiùs Evangelici cultum ſive adorationem. Dicimus enim, eum eſſe aut *Religioſum*, aut *Politicum* ſeu civilem. *Adoratio religioſa* ſive *cultus religioſus* eſt, qui debetur ei ſoli, qui Dominus eſt univerſarum rerum, qui corda & renes ſcrutatur, qui eſt omnipotens & omnibus rebus præſens, qui exaudire ac juvare poteſt *Religioſus.*

quo

Digitized by Google

çunque tandem loco omnes ii conſiſtant, qui ipſum inclamant aut & implorant: qui denique eſt auctor primaque origo omnis boni, idque abſolutè & à ſemetipſo, ut qui ſit ipſiſſima bonitas. Quare hic cultus debetur ſoli Deo, ut cui hæc omnia ſoli conveniunt, penes quem ſolum hæc omnia ſunt, ac ideò hanc adorationem & hũc cultum in primæ tabulæ Dialogi mandatis præcepit. *Adoratio* verò *politica*, ſive cultus politicus & civilis, eſt honor ille, qui debetur iis, qui à Deo nobis præfecti ſunt: ſive propter excellentiam donorum, ipſis à Deo tributorũ, ſive etiam propter officium, quo aliis gubernandis funguntur.

Exod. 10. *à verſu* 1. *ad* 12.

Politicus.

Finis verò & ſcopus hujus cultus eſt, ut teſtificemur & demonſtremus, nos reverentiâ aliquâ erga Dei dona affectos eſſe, & honore proſequi eam poteſtatem, quam Deus in ipſos contulit. Et hoc genus honoris ſeu cultus mandatur tantummodò in ſecunda tabula, in quinto ſcilicet præcepto his verbis: *Honora patrem tuum & matrem tuam*. Exod. 20. 20.

Ex hac jam diſtinctione facilè patet, quis honor cuiquam conveniat. Nam honorari debet & Deus, & cui Deus honorem tribui jubet. Mandat verò, ut qui inferioris conditionis ſunt, honore afficiant eos, qui excellentiores ſunt atque ſuperiores. Ut principibus & magiſtratibus debetur honor ſive adoratio politica, quæ ipſis abſque offenſa adimi nequit. Hoc adorationis genere adorabat Abraham Hetthæos Gen. 23. 7. Joſeph. fratres Gen. 50. Qua de cauſſa creaturæ irrationales, ac inter has imagines præcipuè, non debent ullo honore affici, nec politico, inquam, nec religioſo, quum longè ſint inferiores ipſo homine.

Ex eadem ratione Spiritus immundi, quum ſint inimici Dei, non debent ullo modo honorari: uſque adeò, ut honore illos afficere, ſit Deum afficere contumelia.

Hinc etiam Angeli, quia hominibus tam naturâ, quàm donis excellunt, quando apparebant, licitè honorabãtur: ita tamen, ut ſi quando vel minima ſpecies honoris Deo ſoli convenientis ipſis exhibebatur, ipſimet eum recuſarent. Quúmque hodie non ampliùs, ut olim ſe conſpiciendos præbeant, non debemus illos religioſa, nedum politica adoratione, corporis nimirum inflexione aut compoſitione honorare.

Act. 10. 25. 26. *Apoc.* 19. 10 *ac* 22. 8. 9.

Similiter ſanctis hominibus, Dei ſervis ac Martyribus, à nobis abſentibus & in cœlo agentibus, talem aliquem honorem politicum, qualis eſt genuflexio corporis, &c. deferre non licet: Multò verò minùs cultum aliquem religioſum puta invocationem ſigno aliquo externo aut adoratione ſignificatam exhibere fas eſt. Hæc enim uni ſoli Deo propria eſt, ſive *Duliam*, ſive *Latriam*, ſive quocunque alio nomine eam appellent.

Recuſat enim Angelus Apoc. 19. 10. & 22. 9. adorationem. Et Petrus Act. 10. 25. 26. CORNELIUM coram ipſo procidentem adorandi cauſſa manu ſua elevat, inquiens: *Surge: nam & ego homo ſum*. Et Paulus ac Barnabas, Act. 14. 11. 12. 13. 14. 15. quum Lyſtrenſes ipſos Deos appellarent, & ſacrificare ipſis inſtituerent, conſciſſis veſtibus

Digitized by Google

ſuis exſiliunt in turbas, clamantes: *Quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines.* Reprehendit & Chriſtus Phariſæos Math. 23. *ædificantes ſepulchra Prophetarum, & ornantes monumenta juſtorum*, quum doctrinam ab illis traditam palàm perſequerentur. Et *Moyſen*, cujus memoriam Judæi honorificè celebrabant, doctrinam autem ejus non ſequebantur, *ait accuſaturum ipſos*, Joh 5. 45.

Gradus honoris debiti ſanctis. Hoc modo itaque quum ſacra Scriptura doceat, *honorandos quidem eſſe ſanctos, verùm non quoſlibet honores ſanctis tributos Deo gratos eſſe, ſed in honorandis ſanctis facilè ac ſæpè* peccari poſſe: attentiſſimè conſiderant & circumſpiciunt Euangelici, qui ſint GRADUS veri honoris ſanctorum, qui verè & citra Dei contumeliam eis competant, atque impendi debeant. Præcipuè autem *quinque* legitimos gradus in ſacris Scripturis reperiunt.

1. Memoria ſanctorum honeſta. PRIMUS gradus eſt, ut honorificè & cum veneratione quâdam memoria ſanctorum retineatur, deque ipſis nonniſi ſanctè, piè ac honeſtè unuſquiſque loquatur & ſcribat. Hoc inſtillatur Pſal. 112. 6. ubi dicitur: *In memoria æterna erit juſtus.* Ac Prov. 10. 7. *Memoria juſti erit in benedictionem.* Quod Siracides cap. 45. repetit. Et cap. 46. ait: *Sit memoria illorum in benedictione.* Quâ formâ verborum adhuc hodie in elogiis virorum præſtantium utimur. Sapient. 4. 78. *Juſtus etiam, ſi præmatura morte obeat, quiete tamen perfruetur. Honorata enim eſt ſenectus non diuturnam adepta vitam: neque numero annorum definita. Quoniam Deo ille placuit, charus ei fuit*, &c. Et cap. 8. 13. *Immortalitatem obtinebit, ac relinquet poſteris memoriam ſempiternam.* Hocque ſibi vult virgo Maria, quum Prophetico ſpiritu prædicet: *Ecce, beatam me dicent omnes gentes.* (Luc. 1 48) Similiter quãdo mulier quædam vas unguento plenum in caput Chriſti effudiſſet, prædicit de ipſa Chriſtus: (Math. 26. 6. Marc. 14. 3. 9.) *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, etiam hoc, quod iſta fecit, dicetur in memoriam ipſius.* Et hac ratione honoravit David Moſem, Aaronem, Phineas & reliquos, quos Pſal. 105. & 106. ac alibi commemorat. Eodem modo Apoſtolus Patriarchas, Prophetas & complures alios ſanctos, Heb. 11. honore afficit, quando eorum fidem ſingularem, aliaſque virtutes prolixè ibi percenſet & deprædicat. In ſumma, de ſanctis ſcribendum, loquendum & ſentiendum, ſicut Paulus 2. Tim. 4. ac Phil. 1. & 2. Cor. 5. de ſeipſo & aliis dicit: *Bonum certamen certaverunt, fidem ſervarunt, curſum conſummarunt, jámq; præſentes ſunt apud Dominum.*

2. Glorificatio Dei in ſanctis. ALTER gradus eſt, ut Deus ipſe in ſanctis celebretur. Hoc eſt, ut Deo gratiæ agantur pro ipſis beneficiis, quę Deus per illos in Eccleſiam ſuam contulit. Et hoc eſt, quod ſanctus Paulus ait de Eccleſiis, ubi audiviſſent ſuam vocationem & converſionem: (Gal. 1. 24.) *Glorificabant in me Deum.* Sic igitur verè honorantur ſancti, quum Deo agimus gratias, quod per eos ſe patefecit, quod doctrinã ſuam per eos tradidit, quod edidit evidentia teſtimonia per miniſterium eorum, quod Eccleſiam ſubinde per aliquos inſtauravit, quod dona diverſa in Eccleſia diſtribuit.

Hæc & ſimilia opera Dei celebranda ſunt in ſanctis, quin etiam laudandi ipſi

Digitized by Google

ipſi ſancti, quod donis Dei fideliter uſi ſunt. Quæ tamen laus verè ad Deum pertinet, ut dicitur:

Quos ego quum laudo, laus ea tota Dei eſt. In quam ſententiam & 1. Cor. 15. 10. 11. inquit Paulus: *Gratia Dei ſum, quod ſum. Non fuit enim in me gratia ejus vacua, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi. Non ego autem, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.*

3. Confirmatio fidei è ſanctorũ exemplo & doctrina.

TERTIUS gradus honoris ſanctorum eſt confirmatio fidei noſtræ è doctrina & exemplo illorum. Ut quum genus doctrinæ conſideramus, quod ſancti profeſſi ſunt, & pro quo certamina ſubierunt, & quum hujus doctrinæ teſtimonia intuemur. Item quum cogitamus exempla divinæ miſericordiæ, quæ Deus oſtendit receptis lapſis. Quumque exempla colligimus, quæ docent exaudiri preces noſtras in periculis, & verè impetrari liberationes, &c. Talibus exemplis confirmãda eſt fides noſtra, & invocatio ad Deum exſuſcitanda. Sic 2. Pet. 1. 15. ſcriptum eſt à ſancto Petro: *Studebo, ut vos poſt exitum meum horum mentionem facere poſſitis. Non enim arte compoſitas fabulas ſequuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & adventum: ſed qui oculis aſpeximus illius majeſtatem.* Et ſanctus Paulus exemplum ſuæ receptionis gratuitæ. 1. Tim. 1. 15. proponit, dicens: *Fidus hic eſt ſermo & modis omnibus dignus, quem amplectamur, quod Chriſtus Jeſus venit in mundum, ut peccatores ſervaret, quorum primus ſum ego. Verùm ideò miſertus eſt mei, ut in me primo oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem clementiam, ut eſſem exemplar iis, qui credituri eſſent ipſi in vitam æternam.* David etiam exempla liberationum ſuarum proponit toti Eccleſiæ, Pſalm. 34. dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtra non confundentur. Iſte pauper clamavit ad Dominum, & exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum.*

Imitatio exempli ſanctorum.

QUARTUS honoris gradus eſt imitatio fidei, humilitatis, manſuetudinis, reſipiſcentiæ, timoris Dei aliarúmque virtutum, quibus ſancti excellebant. Hæc imitatio ad honorem ſanctorum vel maximè pertinet, ut ad Philip. 2. 15. ſcriptum eſt: *Sitis irreprehenſibiles in medio nationis pravæ, inter quos lucete tãquam luminaria, in mundo, ad gloriam meam in die Chriſti.* Et 1. Theſſ. 2. 14. *Vos imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei,* &c. Et ℣. 20. *Vos eſtis gloria noſtra, & corona gloriationis noſtræ.* Paſſim etiam alibi hanc imitationem præcipit Scriptura, ut Heb. 6. 12. *Ne ſitis ſegnes, ſed imitatores eorum, qui per fidem & per patiẽtiam hæreditatem acceperunt promiſſionum.* Et Heb. 13. 7. *Memores eſtote ducum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis ſermonem Dei, quorum imitemini fidem, conſiderantes qui fuerit exitus converſationis ipſorum.* Et Philip. 3. 17. *Eſtote pariter imitatores mei, & conſiderate eos, qui ita incedunt, ſicut habetis nos pro exemplari.* Atque hac de cauſſa Apoſtolus exempla ſanctorum veteris & novi Teſtamenti appellat *nubem teſtium*, alluſione ac ſimilitudine quadam. *Heb. 13.* Nam quemadmodum nubes filios Iſraël per deſertum in terram Chanaan ducebat: ſic etiam nunc fideles ad cœleſtem Chanaan ducuntur exemplis piorum, qui Deo ante nos crediderunt, & ambularunt anguſtum illum callem, qui ducit ad vitam æternam. Quò pertinet etiam hoc dictum Auguſtini de vera religione c. 15.

Digitized by Google

Sancti honorandi ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Et Chryſoſtomi, qui ait: *Non eſt juſtitia ſanctos colere, & ſanctitatem contemnere. Primus ad pietatem gradus eſt ſanctitatem diligere.*

5. Obſequiũ doctrinæ ſanctorum.

QUINTUS gradus eſt obſequium doctrinæ orthodoxæ ſanctorũ, quam ore & ſcripto traditam poſteritati reliquerunt. Commẽdat enim hoc Chriſtus, dicens: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur: qui non crediderit, condemnabitur.* Et Luc.10.16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos rejicit, me rejicit: qui autem me rejicit, rejicit eum, qui miſit me.* Hinc laudat hoc nomine Theſſalonicenſes ſanctus Paulus: *Vos imitatores noſtri facti fuiſtis & DOMINI, admiſſo ſermone cum oppreſſione multa, cum gaudio Spiritus ſancti, adeò ut fueritis quaſi exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & Achaia.* Ac capite 2. ℣.13. *Acceptum ſermonem quem audiſtis à nobis de Deo, excepiſtis non pro ſermone hominum ſed (ſicut erat verè) pro Dei ſermone, qui etiam agit in vobis qui creditis. Vos enim imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa, in Chriſto Jeſu: quod eadem paſſi ſitis & vos,* &c. Vide de his etiam corpus doctrinæ Chriſtianæ à Philippo editum, fol. 271.

Marc.16. 16.

1.Theſſ.1.6.

Hos non eſſe veros gradus honoris ſanctorum oſtendant Adverſarii, aut ſi plures & diverſos ab his ſanctis convenire ſentiunt (ut quidem ſentiunt & docent) ex ſacra Scriptura comprobent. Reliquiáſne ſanctorum etiam adorandas cenſent? At nos in principio hujus capitis hanc adorationem à ſacra Scriptura potiùs rejici demonſtravimus? Imaginéſne ſanctorum quoque colendas & honorandas ſtatuunt? Verùm hoc hæreticum eſſe, & nominatim hæreſin *Simonianorũ, Carpocratianorum, Baſilidianorum, Gnoſticorum, Armenianorum ſeu Jacobitarum*, aliorumque veterum hæreticorum redolere, infrà libro 2. docebimus. Adorationémne & invocationem ſanctorũ eſſe honorem ac cultum illis competẽtem, exiſtimant & credunt? Videbimus nunc de hoc in quarta calumnia, quam Pontificii Vigilantio & Euangelicis intendunt.

Bellarminus enim lib.4. de Eccleſia milit. cap. 9. ait: *Vigilantius docuit orationes mortuorum pro aliis non exaudiri. Ex quo ſequitur, fruſtrà ſanctos invocari.* Et hoc in crimen hæreſeos rapiens, addit: *Idẽ Proteſtantes.* Fuſiùs autem de ſanctorũ beatitudine lib. 1. cap. 1. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. *Hæreticos hujus temporis* (id eſt) Euangelicos, quos modò ante vocavit Proteſtantes) *dicit invocationem ſanctorũ oppugnare*, quam ipſe propugnat.

4. *De invocatione & interceſſione ſanctorum nihil Euãgelicos hæretici temere.*

Reſpondemus *primò* ad antecedẽs: *deinde* ad conſequens. Antecedens, ſi ita à Vigilantio fuit intellectum, quaſi ſancti in cœlis omnino non orent pro nobis, neque exaudiantur, tum erravit. Nam PRIMUM ſancti mortui orant Deum in genere pro Eccleſia univerſa in terris agente, non verò ſpeciatim pro hoc aut illo. Sic dicitur Apoc. 6 ℣.9. & 10. *Vidi ſub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod tuebantur. Clamabant autem voce magna, dicentes:* Uſque quò Domine, *qui ſanctus es & verax, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra.* Ex quibus verbis colligimus, eos expetere & magno deſiderio

1. Sancti mortui adorant Deũ gratias agendo.

Digitized by Google

ſiderio deſiderate completam liberationem Eccleſiæ, & extirpationem inimicorum ejus, ut ipſi cum univerſo populo Dei plenitudinem gloriæ tam in corpore quàm in anima tandem cõſequantur. Quumque de creaturis nullo ſenſu præditis pronunciet Apoſtolus Rom. 8. ỳ. 22. *quod gemant & ſuſpirent, expectantes adoptionem, hoc eſt, redemptionem corporis noſtri*, multo igitur magis ſancti, qui jam in cœlo beati exſiſtunt, deſiderant idipſum.

2. Sancti mortui adorant Deũ gratias agendo.

Deinde, Sancti mortui orant Deũ agendo ipſi gratias pro ſua redemptione, imò & pro redemptione Eccleſiæ in terra adhuc militantis: conſtat hoc ex his Apoc. 5. ỳ. 8. & 9. verbis, *Quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores procidèrunt corã Agno, habẽtes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas ſuffituũ*, Quæ Sunt Preces Sanctorum. *Et cecinerunt canticum novum; Dignus es, qui accipias librũ, & aperias ejus ſigilla, quoniam mactatus es, & redemiſti nos per ſanguinem tuum ex omni tribu*, &c. Et ỳ. 19. *Et audivi omnẽ creaturam qua in cœlo eſt, &c. dicentẽ. Seſſori throni & Agno benedictio, & honor, & gloria & robur in ſecula ſeculorum.*

Has orationes & gratiarum actiones generales quum Sancti defuncti in cœlis peragant, tum nimirum quoque exaudiuntur: Nam Pſalm. 145. 18. 19 & 34. 6. teſtatur David. *Propinquus eſt Jebova* Omnibus *invocantibus eum*, Omnibus, inquam, *qui invocant eum in veritate. Voluntatem timentium ſe facit, & clamorem eorum exaudit, & ſervat.* Si enim de agentibus & militantibus ſanctis adhuc in terra verum eſt, quod S. Johannes Apoſtolus 1. Epiſt. 5. 14. 15. ait: *Hac eſt fiducia quam habemus apud Deũ, quod ſi quid petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos. Et ſi ſcimus, quod audit nos quicquid petierimus, ſcimus quod habemus petitiones, quas petiimus ab eo*; cur non verum eſſet de Sanctis demortuis, qui jã in cœlis triumphant?

Quare antecedens illud, quod Vigilantio tribuunt Pontificii, Proteſtãtes vel Euangelici planè reſpuunt, ſi Vigilantius (uti diximus) intellexit, Sanctos mortuos licet orent, tamen non exaudiri. Et ita quoad antecedens illud egregium teſtimonium perhibet Euangelicis Georgius Caſſander, qui Art. 21. dicit: *Proteſtantes largiuntur Sanctos in cœlis orare pro Eccleſia in genere.* Idẽ de Euangelicis teſtatur Guil. Lindanus in panopliæ lib. 3. cap. 30.

Verùm quoad *conſequens*, ex ſententia Vigilantii, quod orationes mortuorum pro aliis exaudiantur, ſic collectũ à Bellarmino: *Ex quo ſequitur fruſtra Sanctos invocari*, affirmant hoc liberè & apertè Proteſtantes ſeu Euangelici. Quod rectè tam Caſſander & Lindanus verbis illis. *Proteſtantes largiũtur Sãctos in cœlis orare pro Eccleſia in genere*, ſic ſubjiciunt, *Sed ex eo conſequens eſſe negant, Sanctos eſſe invocandos.* Nam non eſſe invocandos rationibus evincitur neceſſariis, ſi tam *adorationem* quàm *interceſſionem* Sanctorum, quarum utraque à Pontificiis recepta eſt conſideremus, ac argumenta pro & contra invocationem & interceſſionem excutiamus. *Sanctos non eſſe invocandos.*

Rationes Euãgelicorum contra ſanctorum invocationẽ & interceſſionẽ aſtruuntur. Papiſtarum verò pro ea deſtruuntur.

1. Omnis vera invocatio & adoratio duo habere debet, *Mandatum* & *Promiſſionem*. Mandatum quidem, quod nos adorandum & invocandum Sanctos mortuos commoveat Promiſſionem, ut certi eſſe de exauditione poſſimus.

 Etenim

Digitized by Google

quocunque tempore fiunt, quas omnes ſimul comprehēdere nullius eſt potentię creatæ. 2. Speculum de quo nugantur merum eſt figmentum humanum. Nam ne ipſi quidem Angeli creatura longè excellentior, quàm ullus unquam Sanctorum, ſunt donati, non potuerunt, neque poſſunt omnia in Deo videre. Cujus rei certiſſima probatio hæc eſt. Tempore veteris Teſtamenti poſiti erant ſuper arcam fœderis duo Cherubines, qui typus erant Sanctorum Dei Angelorum. Hi arcam (quæ typus erat Chriſti) cooperientes facie deorſum verſa ipſam intuebantur. Hoc ipſo ſignificabant deſiderium Angelorum, tenebantur ad videndum myſterium Incarnationis in & per ipſum. Huc enim abſque omni dubio
1. Pet. 1. 12. alludit S. Petrus, quum ait: *In quæ deſide-*
Epheſ. 3. 10. *rant Angeli introſpicere.* Et S. Paulus: *Ut nota nunc fiat*, inquit, *per Eccleſiam imperiis ac poteſtatibus, quæ in cælo ſunt, multiformis illa Dei* ſapientia: hoc eſt, Angelis. Quomodo hoc? aut quibus mediis? Reſpondet Apoſtolus: *Per Eccleſiam.* Quod fit duobus modis. 1. Per Eccleſiam, tanquam per exemplum. Vident enim Angeli in Eccleſia manifeſtatam infinitam illam Dei ſapientiam & miſericordiam, dum is gentes ad ſe vocat. 2. Per Eccleſiam etiam, in quantum ea fundata & condecorata prædicatione Apoſtolorum. Videntur enim miniſterio Apoſtolorum quædam, quæ Chriſtum ejuſque regnum concernunt, Angelis innotuiſſe, quæ antea haudquaquam cognoverant. Certè S. Chryſoſtomus audacter pro-
Prologo in Johan. nūciat *S. Johannē Evangeliſtā talia de profundis & abditis Spiritus Sancti theſſauris protuliſſe, quæ neq; ipſi Angeli, vocē priusquā hic diceret cognoverit.* Namque (ſubjungit) *& ipſi nobiſcum per Johannis vocem & per* N o s *didicerunt, quæ cognovimus & quod nobiſcum B etiam Paulus his verbis ſignificavit, Ut innoteſcat Principatibus cæleſtibus per Eccleſiam multiformis Dei ſapientia. Si igitur Principatus & poteſtates, Cherubim & Seraphim hæc per Eccleſiam didicerunt, planè conſtat ipſos Angelos ſumma cum attentione ejus ſeſe auditores exhibere.* *Videantur ibi plura in eandem ſententiam.*

Quid quod Chriſtus ipſe de Angelis pronūciat ꝙ *neſciant diē judicii.* Si igitur ne Angeli quidē omnia in Deo cognoſcunt, aut cognoſcere poſſunt, multo ergo minus Sancti. Et hinc eſt, quod Sancti dicūtur *jacere ſubtus altari*, atque magna voce clamare & dicere. *Domine ſancte & verax, quouſque non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum? quaſi qui ignorent.* (ut & ignorant) diem perfectæ ac completæ ſuæ redemtionis. Hocque eo certius eſt, quia hoc modo & Judæi olim in afflictionibus conſtituti fatebātur, ſe ſuamque conditionem Abrahamum atque Jacobum neſcire, Iſa. 63. ℣. 16. *Math. 24. 26. Marc. 13. Apoc. 6. 41.*

3. Math. 4. 10. Chriſtus Satanæ petenti recuſavit ſaltem genua flectere, ex hac ratione, *quod ſcriptum ſit, Dominū Deum tuum adorabis, eique ſoli ſervies.* Quod latius ad generoſiores creaturas Dei extendi quoque poteſt, nempe ad Sanctos, quod hi eandem ob rationem vel genuflexione vel alia ſimili veneratione non ſint colendi & adorandi. Nam inde S. Petrus Cornelio non permiſit, ut ſe ante ipſum inclinaret, non quantumvis mens Cornelii non eſſet, Petrum adorare ut Deum. Ac propterea neque Sancti, neque angeli ſunt *Act. 10.*

vene-

Digitized by Google

venerandi, aut poplites illis flectendi, ſi talis reverentia quàm minimam etiam divini honoris ac cultus ſpeciem aut ſignificationem habeat.

Patres Eccleſiæ veteris invocationem & interceſſionem ſanctorum mortuorũ reprobarunt.

4. Veteris quoque Eccleſiæ purioris Patres, neque invocationem neque interceſſionem Sanctorum defunctorum agnoverunt, aut approbaverunt, ſed neſciverunt & rejecerunt, ut Speculi Trinitatis, in quo ſancti in cœlo dicuntur videre preces noſtras, nullã mentionem faciant, & Sanctos in cœlo ſingulariter intercedere pro nobis & omnibus ac ſingulis neceſſitatibus noſtris nuſquam ſignificent. Auguſtinus libro de cura pro mortuis agenda cap.13. ait *neſcire animas defunctorum, quæ geruntur apud vivos.* Ad hoc probandum adducit Iſaiæ verba cap.63 16. *Abraham etſi ignoret nos, & Iſrael nos non cognoſcat, tu tamen Jehova pater noſter es.* Et 2.Reg.22. ℣ 20. ubi prædicit Hulda Propheteſſa Joſiæ Regi, fore ut *congregetur ad patres ſuos, & ponatur in ſepulchro ſuo in pace, ne videant oculi ejus totum iſtud malum, quod Deus inducturus eſſet ſuper Jeruſalem.* Unde rectiſſimè concludimus. Quod ſi Abraham non norat poſteritatem ſuam in beatitate locatus, utique nec S.Maria, neque S.Petrus, neque S.Paulus, S. Jacobus aut ullus Sanctorum demortuorum noverit nos, multo minus ſciverit neceſſitates noſtras, ac proinde etiam non poterit ullam ſpecialem pro nobis apud Deum interceſſionem præſtare.

Exceptio Papiſtarũ.

Si exceperint. Non mirum eſſe, ſi Abraham & Jacob Patriarcha ſtatum populi Iſraëlitici ignoraverint, & Joſias rex mortuus non viderit aut cognoverit ſtatum Eccleſiæ aut populi poſt ſe relictum, multo minus noverit cogitata aut preces hominum. Nam fuiſſe eos tum in *Limbo*, quem ipſi Papiſtæ unum de ſupremis inferni contignationibus eſſe volunt. Tum viciſſim quærimus & nos ex ipſis, ecquid ergo gaudii habere potuerit Lazarus in ſinu Abrahæ conſtitutus? Luc. 16. 25. Aut quo tanto animi ſolatio dicere potuerit Jacob jam jam vitæ huic valedicturus. *Salutem tuam expecto ô Jehova.* Gen.49.18.

Idem: *Nos Martyribus noſtris,* inquit, *non templa ſicut Diis, ſed* Memorias *ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus. Neque ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed* Uni Deo *& Martyrum & noſtro, ſacrificium immolamus. Ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur,* Non *tamen à ſacerdote, qui ſacrificat,* Invocantur. *De civit. Dei lib.22. cap.10.*

Ac Deum alloquens is Pater ait: *Quem invenirem, qui me reconciliaret Deo? an eundum mihi fuit ad Angelos? at qua prece? quibus Sacramentis?* *Lib. confeſſ. 10. cap 42.*

Cyrillus *Sanctos Martyres,* inquit, *neq; Deos eſſe dicimus, neq; adorare conſuevimus.* Et Theſſauri lib. 2. c.1. *Nemo ignorat*, ait, *nulli prorſus naturæ præterquam Dei adorationem à Scriptura tribui.* *Cont. Jul. lib.6.*

Chryſoſtomus in genuinis ſcriptis nec uſurpat, nec defendit invocationem iſtam ſanctorum, ſed improbat magis. Nam Homilia de profectu Euangelii; *Cæterum,* inquit, *non opus tibi patronis apud Deum, neque multum diſcurſu, ut blandiare aliis, licet ſolus ſis, patronoq; careas, & per teipſum Deum preceris, omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facilè Deus annuit, quum alii pro nobis orant*

Digitized by Google

orant, ut quum ipſimet oramus, etiamſi plurimis pleniſſimus malis.

Contra Celſum, lib. 5. Origenes: *Omnia vota,* inquit, *omnes interpellationes, deprecationes & gratiarum actiones deſtinanda ſunt ad* DEUM *rerum omnium Dominum, per majorem omnibus Angelis Pontificem, vivum verbum & Deū.* Rurſus: *Hoc ipſum cohibebit, ne quis audeat preces offerre niſi ſoli Domino Deo, qui unus omnibus abundè ſufficit per ſervatorem Dei Filium.*

Athanaſius ſermone 30. contra Arianos, *Chriſtum Deum aſſerit, quia fuit invocatus, quum creatura adorari non debeat.*

In Rom. 1. 22. Ambroſius denique dementes & ſalutis ſuæ immemores pronunciat, qui honorem Deo debitum conſervis deferunt. *Nunquid tam demens,* inquit, *eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicet Comiti, quum de hac re, ſi qui etiam fuerint inventi, jure ut rei damnentur majeſtatis? Et iſti ſe non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conſervos adorant: quaſi ſit aliquid plus, quod reſervetur Deo.*

5. Recentiores quoque, ut Durandus in 4. diſt. 49. q. 3. Sotus ibidem q. 3. art. 3. con. 8. Cajetanus in 3. part. 1. Thomæ q. 10. art. 2. *negant piorum animas preces noſtras cognoſcere in verbo, vel eſſentia divina, ſed tantùm in proprio genere per ſingulares revelationes.* Accommodatius tamen veritati diſputat & pronunciat Alexander ab Alex. q. 92. memb. 1. art. 4. *ſolum Deum ſimpliciter eſſe invocandum, & ſanctos ſe habere magis ex parte orantium, quàm illius, qua oratur,* & hoc in illo obſervavit Georg. *Caſſander,* in conſultatione art. 21. Plura Patrum in hanc ſententiam poſt ſequentur.

6. Epiphanius hæreſi 79. etſi venerationem & honorem Mariæ tribuit, non ſolùm tamen negat adorandam & invocandam, ſed etiam pro hæreſi habet, ſi adoretur & invocetur. Ac Petrus Gnaphæus quum inveniſſet, *ut in animi precatione Maria Dei genetrix nominaretur, ejúſque nomen divinum invocaretur,* miſcuiſſetque invocationes ſanctorum publicis Eccleſiæ precibus, eſt eo nomine hæreticus judicatus: ut videre eſt apud Niceph. lib. 15. cap. 28. *Invocatio ſanctorum pro hæreſi habita olim.*

Explodunt iſta Papiſtæ objicientes varia, quibus ſtupidè & obſtinatè innixi, præter rationem ſuam ſanctos mortuos implorandi, & loco interceſſorū ponendi conſuetudinem tuētur. Hæc ſunt potiſſima illorum argumenta. *Objectiones Papiſtarū.*

1. Gen. 48. 16. ſcriptum eſt: *Angelus, qui me eripuit ab omni malo, benedicat pueris iſtis.* Hic, inquiunt, invocatio dirigitur ad Angelum. Ergo invocatio Angelorum recta eſt.

RESPONDEMUS. Per Angelum ibi intelligitur Chriſtus, qui ſe appellat *Angelum fœderis* Mal. 3 ỳ, 1. Qui etiā alibi Angelus, à quo Iſraëlitæ per deſertum deducti ſint, appellatur 1. Cor. 10. 9. Exod. 23. 20.

2. Moſes Exod. 32. & 13. orat, ut Deus propitius eſſe velit populo ſuo propter Abraham, Iſaacum & Iſraëlem ſervos ſuos, qui tamen jam olim erant mortui. Ergo, &c.

RESPONDEMUS. Precatur & orat Moſes non Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, ſed Deum, ut miſericordiam faciat populo ſuo. Hocque non ob interceſſionem Abrahami, Iſaaci aut Jacobi, ſed própter fœdus quod cum illis icerat. *Deinde,* ex Papiſtarum doctrina argumentum hoc nihili eſt.

Digitized by Google

pœnas, nec reſurrexiſſet verè nec mortuos reſurrecturos. Adamũ non fuiſſe à Deo, &c. At minimè dubitamus, hæc puta puta de Albigenſibus mendacia eſſe. Nam ex hiſtoriis veteribus & recentibus conſtat, Eccleſias Albigenſium, quas hominum memoria in Gallia Pontificius furor oppreſſit, neque Scholas aut Sophiſtas habuiſſe, qui talia portenta traderent & defenderent. Neque argutiarum hæreticarum gnaras fuiſſe, ſed poſt abjectam idolomaniam Pontificiam ſimpliciſſimè quæ ad fidem ſalutis & pietatem colendam pertinent, juxta divinas Scripturas humiliter tenuiſſe. Cui ſentẽtiæ non obſcurum documentum præbet lepida *Antonini* fabula ibidem, quod poſt lõgas inter S. Dominicum & Albigenſes hæreticos diſceptationes tandem *πυρομαντίᾳ* dirimere convenerit. Ignibus verò excitatis, & libris utrinque in eoſdem conjectis victoria S. Dominico ceſſerit, quippe cujus liber ter in flammas projectus, ter reſilierit incolumis; Albigenſiũ libro protinus abſumpto. Hunc igitur hominem Dominicum, utrum mavis dici? Carnificẽ, ut Calvinus dixit, an verò ut ſomniavit mater, incendiarium? Conſulantur Theodoricus de Appoldiâ in vitâ S. Dominici, & Vincentius Bellovacenſis.

Beſtiæ nomen falſis ſanctis conveniens.

Reſtat *beſtiarum* nomen, quod nonnullis Sanctis ψευδωνύμως dictis Calvinus tribuit. Beſtiam autem ille non à veritate (nam de carnificibus proximè dixerat) ſed ab inſulſa, fatua, barda conſtitutione animi appellavit. Quẽadmodum & Græci recentiores dixerunt ἄλογα. Sic beſtiarum nomen Tullius accepit Tuſcul. 5. & lib. 1. de Nat. Deorum & alibi. Atque hoc ſenſu Calvinus *Lubinum* vocavit beſtiam. & *ejus ſimiles*. Ut paucis abſolvam, Calvinus ſanctos ἐπιχωρίους & indigenas notat in Picardia ſua & Francia celebres, qui memoria hac noſtra in ore ſunt omni populo à beſtialitate (ut ita loquamur) celebres ac decantati. Nam de Medardo (cujus corpus Sueſſione eſſe dicitur) quis neſcit eum velut inſipidum atque ἀναίσθητον notari proverbio pervulgatiſſimo, quod extremis dentibus rideat? Sic autem ringuntur canes. Ac in Gallia vulgare eſt dicere: Similis eſt Medardo, ridet extremis dentibus. De Lubino, non beſtia ſed ſtipite, verſus ſunt in ore omnium, quos vulgus jam olim decantavit, & in ſuis etiam poëmatis diſtrinxit aliquoties Clemẽs Marottus & alii. Non igitur ſanctos petit Calvinus conviciis, ſed eos ſolùm notat, qui aut nunquam extiterunt, aut certè ſi extiterunt, planè indigni ſunt, quibus tribuatur ſanctorum nomen, & fama publica conteſtante. Iniquè ergo Bellarminus & ſocii ejus Calvinum excipiunt, tanquã ſi aut veros ſanctos, aut omnes ſermone ſuo (quod falſiſſimum eſt) deſigeret. Nulla eſt in ſanctos Dei ſervos propriè contumelia.

Sancti fictitii cur in calendariis etiam apud Euangelicos ponantur.

Objicit Bellarminus inter alia cap. 20. lib. 1. de Eccleſ. triumph. *Si iſti verè Sancti non ſint, cur etiam in ſuis ipſi Euangelici Calendariis eos ponant?* Reſpondemus Aut imprudentes faciunt, aut prudentes. Si imprudẽtes, quia anticipati ſunt errore apud Pontificios recepto & ab eis tradito & vulgo obſequuntur. Si prudentes, faciũt quia nec opes Græciæ in eo putant poſitas, nec commodiorem

Digitized by Google

diorem ferme viam obvenire arbitrātur poſſe, qua mundus ad videndas ψευδωνύμου Eccleſiæ technas & debellandas traducatur, quàm ſi has nugas ponant in oculis omnium, ut appareāt tandem nugaciſſimæ.

Sanctos ab Euangelicis rectè honorari teſtantur Pontificii doctiores.

Cognitum ergo ſatis uberè ex ipſiuſmet Lutheri & Calvini verbis, quàm ſit illis mens recta & ſtudium piū in honore Sanctis tribuendo, aut non. Wiclefus ſeipſum etiam purgat. *Sancti,* inquit, *in cœlis licet non ſint ſcurræ, ſed incorporati in Chriſto per gratiam Salvatoris tamen minus ſe habent in comparatione ad Chriſtum, quā Scurra ad Regem.* Eadem igitur etiam hujus mens, quæ illorum, ut advocatus Wiclephi Thomas Waldenſis cōment. Tit.3.12. cap. 111. & 114. teſtatur.

Quā præter ea vera ſit, ex verbis Pontificiis ipſis eorum Adverſariis, ac inde è ſacris Scripturis perdiſcemus. Hen. PERERIUS certè comment. in Gen. 35. ℣. 19. *Duabus in rebus,* inquit, *Mortuorum memoriam quodammodo immortalem facere poſſemus, Primò, magnifica iis cōdendo ſepulchra. Verùm tamen mortuorum memoria* PERPETUATUR *maximè ingenii operibus, quum ſcriptis diſertiſſimis eorum* VIRTUTES & FACTA *celebrantur.* Hoc autem poſteriore modo annon Euangelici Sanctos honore afficiunt? Teſtatur meliùs & veriùs Georgius CASSANDER, dicens: *In Apologia ſua Proteſtantes* TRIPLICEM HONOREM *Sanctorum probant, quorum primus eſt gratiarum actio, quod Deus eos tantis gratiis cumulabat. Secundus, ex eorum exemplis fidei confirmatio. Tertius, Imitatio fidei atque virtutum, eorúmque* HONORIFICA COMMEMORATIO. Eſtne hoc non Sanctos verè honorare.

Lib. conſult. art. 21.

Accedit quod M. CANUS non diſfitetur, à Papiſtis ſuis ſecundùm traditas, & omnium ore decantatas de Sanctis hiſtorias, nihil profectò aliud, quā umbras, larvas & monſtra coli. *Gelaſius,* inquit, *Pontifex, hujus generis hiſtorias multas in Concilio reprobavit, quæ, ut ipſe refert, ab infidelibus ſcripta eſſe putantur. Sicut Georgii aliorúmque paſſiones, quæ ab Hæreticis probantur, conſcriptæ.*

Locis Theol. 11. cap. 6.

Vergerius in concilio Tridentino *Legendas Georgii & Chriſtophori veras eſſe negabat.*

Balæus in Marcello 2.

Ac rurſus Caſſander: *Multa,* inquit, *hujuſmodi figmenta hiſtorias Sanctorum conſpurcarunt.*

Art. 21.

Denique Johannes Ferus in Joh. 25. *Homo,* inquit, *comparatione ad Deum eſt putredo, ut ſanctus Job loquitur.*

Sanctorum legitimus cultus apud Euangelicos, docetur Scripturis ſacris.

Quid ergo petiſſimum circa Sanctorum venerationem ab Euangelicis requirunt Pontificii? De modo honorandi Sanctos à nobis diſcrepant, nos verò quem uſurpamus, non ſolùm ſic à Pontificiis æquioribus & doctiorib. probari, verùm etiam ſacris Scripturis doceri convincere poſſumus. Papiſtæ enim duos cultus religioſi gradus conſtituunt. Unum *excellentiſſimum*, quem appellatione *Latriæ* commendare ſolent, quemque ſoli Deo, nec cuiquam alii competere ajunt. Alterum *inferiorem*, quem nominant *Duliam*, quo ſanctos Dei homines jam defunctos, & Angelos, qui ſingulari Dei viſione ac gloria æterna in cœlo nunc perfruuntur, afficiendos honorandoſque docent. Hanc *Duliam* ajunt conſiſtere in adoratione exteriore, videlicet in genuflexione & inclinatione corporis ipſos verſus jam in cœlo exiſtentes, in invo-

Latria.

Dulia.

Digitized by Google

invocatione, in dedicatione templorum ædium q[ue] aliarum religioſarum in diebus feſtis ipſorum memoriæ cõſecratis, denique in peregrinationibus ad ipſorum reliquias aut imagines ſuſceptis. Hæc illi. Vide Bellarmin. lib. 1. de Sanct. Beat. c. 11. 12. 13. Summa eſt ſententiæ Pontificiorum. Adoratio ſive cultus aliquis minor divino, & major civili debetur Angelis & Sanctis.

Latria idem quod Dulia

Nos verò omnino ex ſacris Scripturis & Patribus aſſerere conſuevimus diſtinctionem cultus religioſi in *Latriã & Duliam* ignotam fuiſſe ipſis Apoſtolis & Patribus Græcis Latiniſque, per annos 400. à Chriſto nato ad minimũ. Nã *Latria* hominibus tribuitur Deut. 28.48. Levit. 23.8. Math. 4.10. & *Dulia* Deo, Rom. 16.18. Ac Auguſtinus *Latriam* hominibus tribuit, de civit. Dei lib. 10. cap. 1. & *Duliam* religioſam iiſdẽ negat de vera Relig. cap. 55. dicens. *Honoramus Sanctos charitate non ſervitute. Nec eis templa conſtruimus.* Et paulo poſt: *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.*

Hîc obſervandum *primò* Auguſtinum non cõcedere Sanctis atq; Angelis *Duliam*, quam illis Papiſtæ tam præfractè tribuunt. Et quæſt. 94. in Exod. dicit, tam *Latriam, quàm Duliam Deo tribui, Latriam ut Deo, Duliam ut Domino.* Deinde Per *Latriam* & *Duliam* diſtinguit cultum religioſum à cultu civili de Civit. Dei Lib. 10. cap. 10. & 4.

Tertio, *Latriam* ſemper in Scripturis pro ſervitute uſurpari affirmat, nedum ut *latria* ſit, neſcio quid, *duliâ* majus & excellentius de civit lib. 5. cap. 15. & lib. 6. cap. 1. & lib. 7. cap. 1. & lib. 7. c. 32. & lib. 10. cap. 1. ac 4. *Dulia* quidem politica ſemper fuit recepta, & ab hominibus recipienda eſt, Gal. 5.14. Sed *dulia* illa, quæ *ſublimior civili cultu* eſt, nõ fuit hominibus per annos 400. tributa. Nec mirum, quia δουλεύειν communiter majus quiddam eſt. Et ſignificat eam ſervitutem, quæ eſt ſine mercede, propterea, quod is qui ſervit, in alterius poteſtate eſt. Suidas autem ait λατρείαν δουλείαν εἶναι ἐπὶ μισθῷ, *Latriam eſſe duliam pro mercede.*

Hinc Martinus Pereſius improbat nomen *duliæ* ſumptum pro cultu Sanctorum, quod Deo, non hominibus, ut pote ſervis Dei, dandum eſſe vult, niſi *ſervitutis* nomen metaphoricè velis ſumere, non propriè.

De Trad. part. 3. Conſid. 7.

Laurentius Valla, Ludovic. Vives in Auguſtinum de Civitate Dei lib. 10. c. 1. pro eodem ponunt *latriam* & *duliam*. Ergo diſtinctio poſterioribus ſeculis & inventa & recepta fuit, idque ipſe fatetur Bellarminus de ſanct. Beat. lib. 1. c. 11. Habetur etiam apud Bedam in cap. 4. Lucæ & Lombardum ac totam Scholam in 3. Sen. d. 9.

Sanctorum cultus & honor manifeſtè ab Euangelicis expreſſus.

Diſtinguunt itaque rectiùs Euangelici cultum ſive adorationem. Dicimus enim, eum eſſe aut *Religioſum*, aut *Politicum* ſeu civilem. *Adoratio religioſa ſive cultus religioſus* eſt, qui debetur ei ſoli, qui Dominus eſt univerſarum rerum, qui corda & renes ſcrutatur, qui eſt omnipotens & omnibus rebus præſens, qui exaudire ac juvare poteſt

Religioſus,

quo

Digitized by Google

cunque tandem loco omnes ii conſiſtant, qui ipſum inclamant aut & implorant: qui denique eſt auctor primaque origo omnis boni, idque abſolutè & à ſemetipſo, ut qui ſit ipſiſſima bonitas. Quare hic cultus debetur ſoli DEO, ut cui hæc omnia ſoli conveniunt, penes quem ſolum hæc omnia ſunt, ac ideò hanc adorationem & hũc cultum in primæ tabulæ Dialogi mandatis præcepit. *Adoratio* verò *politica*, ſive cultus politicus & civilis, eſt honor ille, qui debetur iis, qui à Deo nobis præfecti ſunt: ſive propter excellentiam donorum, ipſis à Deo tributorũ, ſive etiam propter officium, quo aliis gubernandis funguntur.

Exod. 20. *à verſu* 1. *ad* 12.

Politicus.

Finis verò & ſcopus hujus cultus eſt, ut teſtificemur & demonſtremus, nos reverentiâ aliquâ erga Dei dona affectos eſſe, & honore proſequi eam poteſtatem, quam Deus in ipſos contulit. Et hoc genus honoris ſeu cultus mandatur tantummodò in ſecunda tabula, in quinto ſcilicet præcepto his verbis: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Exod. 20. 20.

Ex hac jam diſtinctione facilè patet, quis honor cuiquam conveniat. Nam honorari debet & Deus, & cui Deus honorem tribui jubet. Mandat verò, ut qui inferioris conditionis ſunt, honore afficiant eos, qui excellentiores ſunt atque ſuperiores. Ut principibus & magiſtratibus debetur honor ſive adoratio politica, quæ ipſis abſque offenſa adimi nequit. Hoc adorationis genere adorabat Abraham Hetthæos Gen. 23. 7. Joſeph. fratres Gen. 50. Qua de cauſſa creaturæ irrationales, ac inter has imagines præcipuè, non debent ullo honore affici, nec politico, inquam, nec religioſo, quum longè ſint inferiores ipſo homine.

Ex eadem ratione Spiritus immundi, quum ſint inimici Dei, non debent ullo modo honorari: uſque adeò, ut honore illos afficere, ſit Deum afficere contumelia.

Hinc etiam Angeli, quia hominibus tam naturâ, quàm donis excellunt, quando apparebant, licitè honorabãtur: ita tamen, ut ſi quando vel minima ſpecies honoris Deo ſoli convenientis ipſis exhibebatur, ipſimet eum recuſarent. Quùmque hodie non ampliùs, ut olim ſe conſpiciendos præbeant, non debemus illos religioſa, nedum politica adoratione, corporis nimirum inflexione aut compoſitione honorare.

Act. 10. 25. 26. *Apoc.* 19. 10 *ac* 22. 8. 9.

Similiter ſanctis hominibus, Dei ſervis ac Martyribus, à nobis abſentibus & in cœlo agentibus, talem aliquem honorem politicum, qualis eſt genuflexio corporis, &c. deferre non licet: Multò verò minùs cultum aliquem religioſum puta invocationem ſigno aliquo externo aut adoratione ſignificatam exhibere fas eſt. Hæc enim uni ſoli Deo propria eſt, ſive *Duliam*, ſive *Latriam*, ſive quocunque alio nomine eam appellent.

Recuſat enim Angelus Apoc. 19. 10. & 22. 9. adorationem. Et Petrus Act. 10. 25. 26. CORNELIUM coram ipſo procidentem adorandi cauſſa manu ſua elevat, inquiens: *Surge: nam & ego homo ſum.* Et Paulus ac Barnabas, Act. 14. 11. 12. 13. 14. 15. quum Lyſtrenſes ipſos Deos appellarent, & ſacrificare ipſis inſtituerent, conſciſſis veſtibus

Digitized by Google

ſuis exſiliunt in turbas, clamantes: *Quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines.* Reprehendit & Chriſtus Phariſæos Math. 23. *ædificantes ſepulchra Prophetarum, & ornantes monumenta juſtorum,* quum doctrinam ab illis traditam palàm perſequerentur. Et *Moyſen,* cujus memoriam Judæi honorificè celebrabant, doctrinam autem ejus non ſequebantur, *ait accuſaturum ipſos,* Joh 5.45.

Gradus honoris debiti ſanctis. Hoc modo itaque quum ſacra Scriptura doceat, *honorandos quidem eſſe ſanctos, verùm non quoſlibet honores ſanctis tributos Deo gratos eſſe, ſed in honorandis ſanctis facilè ac ſæpè* peccari poſſe: attentiſſimè conſiderant & circumſpiciunt Euangelici, qui ſint Gradus veri honoris ſanctorum, qui verè & citra Dei cõtumeliam eis competant, atque impẽdi debeant. Præcipuè autem *quinque* legitimos gradus in ſacris Scripturis reperiunt.

1. Memoria ſanctorum honeſta. Primus gradus eſt, ut honorificè & cum veneratione quâdam memoria ſanctorum retineatur, deque ipſis nonniſi ſanctè, piè ac honeſtè unuſquiſque loquatur & ſcribat. Hoc inſtillatur Pſal. 112. 6. ubi dicitur: *In memoria æterna erit juſtus.* Ac Prov. 10. 7. *Memoria juſti erit in benedictionem.* Quod Siracides cap. 45. repetit. Et cap. 46. ait: *Sit memoria illorum in benedictione.* Quâ formâ verborum adhuc hodie in elogiis virorum præſtantium utimur. Sapient. 4. 78. *Juſtus etiam, ſi præmatura morte obeat, quiete tamen perfruetur. Honorata enim eſt ſenectus non diuturnam adepta vitam: neque numero annorum definita. Quoniam Deo ille placuit, charus ei fuit,* &c. Et cap. 8. 13. *Immortalitatem obtinebit, ac relinquet poſteris memoriam ſempiternam.* Hocque ſibi vult virgo Maria, quum Prophetico ſpiritu prædicet: *Ecce, beatam me dicent omnes gentes.* *Luc. 1 48* Similiter quãdo mulier quædam vas unguento plenum in caput Chriſti effudiſſet, prædicit de ipſa Chriſtus: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, etiam hoc, quod iſta fecit, dicetur in memoriam ipſius.* *Math. 26. 6. Marc. 14. 3. 9.* Et hac ratione honoravit David Moſem, Aaronem, Phineas & reliquos, quos Pſal. 105. & 106. ac alibi commemorat. Eodem modo Apoſtolus Patriarchas, Prophetas & complures alios ſanctos, Heb. 11. honore afficit, quando eorum fidem ſingularem, aliasque virtutes prolixè ibi percenſet & deprædicat. In ſumma, de ſanctis ſcribendum, loquendum & ſentiendum, ſicut Paulus 2. Tim. 4. ac Phil. 1. & 2. Cor. 5. de ſeipſo & aliis dicit: *Bonum certamen certaverunt, fidem ſervarunt, curſum conſummarunt, jámq; præſentes ſunt apud Dominum.*

2. Glorificatio Dei in ſanctis. Alter gradus eſt, ut Deus ipſe in ſanctis celebretur. Hoc eſt, ut Deo gratiæ agantur pro ipſis beneficiis, quæ Deus per illos in Eccleſiam ſuam contulit. Et hoc eſt, quod ſanctus Paulus ait de Eccleſiis, ubi audiviſſent ſuam vocationem & converſionem: *Glorificabant in me Deum.* *Gal. 1. 24.* Sic igitur verè honorantur ſancti, quum Deo agimus gratias, quod per eos ſe patefecit, quod doctrinã ſuam per eos tradidit, quod edidit evidentia teſtimonia per miniſterium eorum, quod Eccleſiam ſubinde per aliquos inſtauravit, quod dona diverſa in Eccleſia diſtribuit.

Hæc & ſimilia opera Dei celebranda ſunt in ſanctis, quin etiam laudandi ipſi

Digitized by Google

ipſi ſancti, quod donis Dei fideliter uſi ſunt. Quæ tamen laus verè ad Deum pertinet, ut dicitur:

Quos ego quum laudo, laus ea tota Dei eſt. In quam ſententiam & 1. Cor. 15. 10. 11. inquit Paulus: *Gratia Dei ſum, quod ſum. Non fuit enim in me gratia ejus vacua, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi. Non ego autem, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt.*

3. Confirmatio fidei è ſanctorũ exemplo & doctrina.

TERTIUS gradus honoris ſanctorum eſt confirmatio fidei noſtræ è doctrina & exemplo illorum. Ut quum genus doctrinæ conſideramus, quod ſancti profeſſi ſunt, & pro quo certamina ſubierunt, & quum hujus doctrinæ teſtimonia intuemur. Item quum cogitamus exempla divinæ miſericordiæ, quæ Deus oſtendit receptis lapſis. Quumque exempla colligimus, quæ docent exaudiri preces noſtras in periculis, & verè impetrari liberationes, &c. Talibus exemplis confirmãda eſt fides noſtra, & invocatio ad Deum exſuſcitanda. Sic 2. Pet. 1. 15. ſcriptum eſt â ſancto Petro: *Studebo, ut vos poſt exitum meum horam mentionem facere poſſitis. Non enim arte compoſitas fabulas ſequuti, notam vobis fecimus Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & adventum: ſed qui oculis aſpeximus illius majeſtatem.* Et ſanctus Paulus exemplum ſuæ receptionis gratuitæ. 1. Tim. 1. 15. proponit, dicens: *Fidus hic eſt ſermo & modis omnibus dignus, quem amplectamur, quod Chriſtus Jeſus venit in mundum, ut peccatores ſervaret, quorum primus ſum ego. Verùm ideò miſertus eſt mei, ut in me primo oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem clementiam, ut eſſem exemplar iis, qui credituri eſſent ipſi in vitam æternam.* David etiam exempla liberationum ſuarum proponit toti Eccleſiæ, Pſalm. 34. dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtra non confundentur. Iſte pauper clamavit ad Dominum, & exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum.*

Imitatio exempli ſanctorum.

QUARTUS honoris gradus eſt imitatio fidei, humilitatis, manſuetudinis, reſipiſcentiæ, timoris Dei aliarúmque virtutum, quibus ſancti excellebant. Hæc imitatio ad honorem ſanctorum vel maximè pertinet, ut ad Philip. 2. 15. ſcriptum eſt: *Sitis irreprehenſibiles in medio nationis pravæ, inter quos lucete tãquam luminaria, in mundo, ad gloriam meam in die Chriſti.* Et 1. Theſſ. 2. 14. *Vos imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei,* &c. Et ℣. 20. *Vos eſtis gloria noſtra, & corona gloriationis noſtræ.* Paſſim etiam alibi hanc imitationem præcipit Scriptura, ut Heb. 6. 12. *Ne ſitis ſegnes, ſed imitatores eorum, qui per fidem & per patiẽtiam hæreditatem acceperunt promiſſionum.* Et Heb. 13. 7. *Memores eſtote ducum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis ſermonem Dei, quorum imitemini fidem, conſiderantes qui fuerit exitus converſationis ipſorum.* Et Philip. 3. 17. *Eſtote pariter imitatores mei, & conſiderate eos, qui ita incedunt, ſicut habetis nos pro exemplari.* Atque hac de cauſſa Apoſtolus exempla ſanctorum veteris & novi Teſtamenti appellat *nubem teſtium*, alluſione ac ſimilitudine quadam. Nam quemadmodum nubes filios Iſraël per deſertum in terram Chanaan ducebat: ſic etiam nunc fideles ad cœleſtem Chanaan ducuntur exemplis piorum, qui Deo ante nos crediderunt, & ambularunt anguſtum illum callem, qui ducit ad vitam æternam. Quò pertinet etiam hoc dictum Auguſtini de vera religione c. 15. *Heb. 13.*

Sancti honorandi ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Et Chryſoſtomi, qui ait: *Non eſt juſtitia ſanctos colere, & ſanctitatem contemnere. Primus ad pietatem gradus eſt ſanctitatem diligere.*

5. Obſequiū doctrinæ ſanctorum. QUINTUS gradus eſt obſequium doctrinæ orthodoxæ ſanctorũ, quam ore & ſcripto traditam poſteritati reliquerunt. Commẽdat enim hoc Chriſtus, dicens: *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur: qui non crediderit, condemnabitur.* (*Marc.16. 16.*) Et Luc.10.16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos rejicit, me rejicit: qui autem me rejicit, rejicit eum, qui miſit me.* Hinc laudat hoc nomine Theſſalonicenſes ſanctus Paulus: (*1.Theſſ.1.6.*) *Vos imitatores noſtri facti fuiſtis & DOMINI, admiſſo ſermone cum oppreſſione multa, cum gaudio Spiritus ſancti, adeò ut fueritis quaſi exemplaria omnibus credentibus in Macedonia & Achaia.* Ac capite 2.℣.13. *Acceptum ſermonem quem audiſtis à nobis de Deo, excepiſtis non pro ſermone hominum ſed (ſicut erat verè) pro Dei ſermone, qui etiam agit in vobis qui creditis. Vos enim imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa, in Chriſto Jeſu: quod eadem paſſi ſitis & vos,* &c. Vide de his etiam corpus doctrinæ Chriſtianæ à Philippo editum, fol. 271.

Hos non eſſe veros gradus honoris ſanctorum oſtendant Adverſarii, aut ſi plures & diverſos ab his ſanctis convenire ſentiunt (ut quidem ſentiunt & docent) ex ſacra Scriptura comprobent. Reliquiáſne ſanctorum etiam adorandas cenſent? At nos in principio hujus capitis hanc adorationem à ſacra Scriptura potiùs rejici demonſtravimus? Imaginéſne ſanctorum quoque colendas & honorandas ſtatuunt? Verùm hoc hæreticum eſſe, & nominatim hæreſin *Simonianorũ, Carpocratianorum, Baſilidianorum, Gnoſticorum, Armenianorum ſeu Jacobitarum,* aliorumque veterum hæreticorum redolere, infrà libro 2. docebimus. Adorationémne & invocationem ſanctorũ eſſe honorem ac cultum illis competẽtem, exiſtimant & credunt? Videbimus nunc de hoc in quarta calumnia, quam Pontificii Vigilantio & Euangelicis intendunt.

Bellarminus enim lib.4. de Eccleſia milit. cap.9. ait: *Vigilantius docuit orationes mortuorum pro aliis non exaudiri. Ex quo ſequitur, fruſtrà ſanctos invocari.* Et hoc in crimen hæreſeos rapiens, addit: *Idẽ Proteſtantes.* Fuſiùs autem de ſanctorũ beatitudine lib.1. cap.1.15.16.17.18.19. & 20. *Hæreticos hujus temporis* (id eſt) Euangelicos, quos modò ante vocavit Proteſtantes) *dicit invocationem ſanctorũ oppugnare,* quam ipſe propugnat. *4. De invocatione & interceſſione ſanctorum nihil Euãgelicos hæretici tenere.*

Reſpondemus *primò* ad antecedẽs: *deinde* ad conſequens. Antecedens, ſi ita à Vigilantio fuit intellectum, quaſi ſancti in cœlis omnino non orent pro nobis, neque exaudiantur, tum erravit. Nam PRIMUM ſancti mortui orant Deum in genere pro Eccleſia univerſa in terris agente, non verò ſpeciatim pro hoc aut illo. Sic dicitur Apoc. 6 ℣.9. & 10. *Vidi ſub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod tuebantur. Clamabant autem voce magna, dicentes: Uſque quò Domine, qui ſanctus es & verax, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra.* Ex quibus verbis colligimus, eos expetere & magno deſiderio *1. Sancti mortui adorant Deũ gratias agendo.*

Digitized by Google

ſiderio deſiderate completam liberationem Eccleſiæ, & extirpationem inimicorum ejus, ut ipſi cum univerſo populo Dei plenitudinem gloriæ tam in corpore quàm in anima tandem cõſequantur. Quumque de creaturis nullo ſenſu præditis pronunciet Apoſtolus Rom. 8. ṽ. 22. *quod gemant & ſuſpirent, expectantes adoptionem, hoc eſt, redemptionem corporis noſtri*, multo igitur magis ſancti, qui jam in cœlo beati exſiſtunt, deſiderant idipſum.

2. Sancti mortui adorant Deũ gratias agendo.

DEINDE, Sancti mortui orant Deũ agendo ipſi gratias pro ſua redemptione, imò & pro redemptione Eccleſiæ in terra adhuc militantis: conſtat hoc ex his Apoc. 5. ṽ. 8. & 9. verbis, *Quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores procidentes corã Agno, habẽtes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas ſuffituũ*, QUÆ SUNT PRECES SANCTORUM. *Et cecinerunt canticum novum; Dignus es, qui accipias librũ, & aperias ejus ſigilla, quoniam mactatus es, & redemiſti nos per ſanguinem tuum ex omni tribu*, &c. Et ṽ. 19. *Et audivi omnẽ creaturam qua in cœlo eſt, &c. dicentẽ. Seſſori throni & Agno benedictio, & honor, & gloria & robur in ſecula ſeculorum.*

Has orationes & gratiarum actiones generales quum Sancti defuncti in cœlis peragant, tum nimirum quoque exaudiuntur: Nam Pſalm. 145. 18. 19 & 34 6. teſtatur David. *Propinquus eſt Jehova* OMNIBUS *invocantibus eum*, OMNIBUS, inquam, *qui invocant eum in veritate. Voluntatem timentium ſe facit, & clamorem eorum exaudit, & ſervat.* Si enim de agentibus & militantibus ſanctis adhuc in terra verum eſt, quod S. Johannes Apoſtolus 1. Epiſt. 5. 14. 15. ait: *Hæc eſt fiducia quam habemus apud Deũ, quod ſi quid petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos. Et ſi ſcimus, quod audit nos quicquid petierimus, ſcimus quod habemus petitiones, quas petiimus ab eo*; cur non verum eſſet de Sanctis demortuis, qui jã in cœlis triumphant?

Quare antecedens illud, quod Vigilantio tribuunt Pontificii, Proteſtãtes vel Euangelici planè reſpuunt, ſi Vigilantius (uti diximus) intellexit, Sanctos mortuos licet orent, tamen non exaudiri. Et ita quoad antecedens illud egregium teſtimonium perhibet Euangelicis Georgius Caſſander, qui Art. 21. dicit: *Proteſtantes largiuntur Sanctos in cœlis orare pro Eccleſia in genere.* Idẽ de Euangelicis teſtatur Gul. Lindanus in panopliæ lib. 3. cap. 30.

Verùm quoad *conſequens*, ex ſententia Vigilantii, quod orationes mortuorum pro aliis exaudiantur, ſic collectũ à Bellarmino: *Ex quo ſequitur fruſtra Sanctos invocari*, affirmant hoc liberè & apertè Proteſtantes ſeu Euangelici. Quod rectè tam Caſſander & Lindanus verbis illis. *Proteſtantes largiũtur Sãctos in cœlis orare pro Eccleſia in genere*, ſic ſubjiciunt, *Sed ex eo conſequens eſſe negant, Sanctos eſſe invocandos.* Nam non eſſe invocandos rationibus evincitur neceſſariis, ſi tam *adorationem* quàm *interceſſionem* Sanctorum, quarum utraque à Pontificiis recepta eſt conſideremus, ac argumenta pro & contra invocationem & interceſſionem excutiamus.

Sanctos non eſſe invocandos.

Rationes Euãgelicorum contra ſanctorum invocationẽ & interceſſionẽ aſtruuntur. Papiſtarum verò pro ea deſtruuntur.

1. Omnis vera invocatio & adoratio duo habere debet, *Mandatum* & *Promiſſionem*. Mandatum quidem, quod nos adorandum & invocandum Sanctos mortuos commoveat Promiſſionem, ut certi eſſe de exauditione poſſimus.

 Etenim

quocunque tempore fiunt, quas omnes ſimul comprehẽdere nullius eſt potentię creatæ. 2. Speculum de quo nugantur merum eſt figmentum humanum. Nam ne ipſi quidem Angeli creatura longè excellentior, quàm ullus unquam Sanctorum, ſunt donati, non potuerunt, neque poſſunt omnia in Deo videre. Cujus rei certiſſima probatio hæc eſt. Tempore veteris Teſtamenti poſiti erant ſuper arcam fœderis duo Cherubines, qui typus erant Sanctorum Dei Angelorum. Hi arcam (quæ typus erat Chriſti) cooperientes facie deorſum verſa ipſam intuebantur. Hoc ipſo ſignificabant deſiderium Angelorum, tenebantur ad videndum myſterium Incarnationis in & per ipſum. Huc enim abſque omni dubio alludit S. Petrus, quum ait: *In quæ deſiderant Angeli introſpicere.* Et S. Paulus: *Ut nota nunc fiat*, inquit, *per Eccleſiam imperiis ac poteſtatibus, quæ in cœlo ſunt, multiformis illa Dei* ſapientia: hoc eſt, Angelis. Quomodo hoc? aut quibus mediis? Reſpondet Apoſtolus: *Per Eccleſiam.* Quod fit duobus modis. 1. Per Eccleſiam, tanquam per exemplum. Vident enim Angeli in Eccleſia manifeſtatam infinitam illam Dei ſapientiam & miſericordiam, dum is gentes ad ſe vocat. 2. Per Eccleſiam etiam, in quantum ea fundata & condecorata prædicatione Apoſtolorum. Videntur enim miniſterio Apoſtolorum quædam, quæ Chriſtum ejuſque regnum concernunt, Angelis innotuiſſe, quæ antea haudquaquam cognoverant. Certè S. Chryſoſtomus audacter pronũciat *S. Johannẽ Euangeliſtã talia de profundis & abditis Spiritus Sancti theſſauris*

1. Pet. 1. 12. Epheſ. 3. 10.

Prologo in Johan.

protuliſſe, quæ neq; ipſi Angeli, vocẽ priusquã hic diceret cognoverit Namque (ſubjungit) *& ipſi nobiſcum per Johannis vocem & per* NOS *didicerunt, quæ cognovimus & quod nobiſcum B etiam Paulus his verbis ſignificavit,* Ut *innoteſcat Principatibus cœleſtibus per Eccleſiam multiformis Dei ſapientia. Si igitur Principatus & poteſtates, Cherubim & Seraphim hæc per Eccleſiam didicerunt, planè conſtat ipſos Angelos ſumma cum attentione ejus ſeſe auditores exhibere.*

Videantur ibi plura in eandem ſententiam.

Quid quod Chriſtus ipſe de Angelis pronũciat *q; neſciant diẽ judicii.* Si igitur ne Angeli quidẽ omnia in Deo cognoſcunt, aut cognoſcere poſſunt, multo ergo minus Sancti. Et hinc eſt, quod Sancti dicũtur *jacere ſubtus altari*, atque magna voce clamare & dicere. *Domine ſancte & verax, quouſque non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum? quaſi qui ignorent.* (ut & ignorant) diem perfectæ ac completæ ſuæ redemtionis. Hocque eo certius eſt, quia hoc modo & Judæi olim in afflictionibus conſtituti fatebãtur, ſe ſuamque conditionem Abrahamum atque Jacobum neſcire, Iſa. *63. ℣. 16.*

Math. 24. 16. Marc. 13.

Apoc. 6. 41.

3. Math. 4. 10. Chriſtus Satanæ petenti recuſavit ſaltem genua flectere, ex hac ratione, *quod ſcriptum ſit, Dominũ Deum tuum adorabis, eique ſoli ſervies.* Quod latius ad generoſiores creaturas Dei extendi quoque poteſt, nempe ad Sanctos, quod hi eandem ob rationem vel genuflexione vel alia ſimili veneratione non ſint colendi & adorandi. Nam inde S. Petrus Cornelio non permiſit, ut ſe ante ipſum inclinaret, non quantumvis mens Cornelii non eſſet, Petrum adorare ut Deum. Ac propterea neque Sancti, neque angeli ſunt vene-

Act. 10.

Digitized by Google

orant, ut quum ipſimet oramus, etiamſi plurimis pleniſſimus malis.

Contra Celſum, lib. 5. Origenes: *Omnia vota,* inquit, *omnes interpellationes, deprecationes & gratiarum actiones deſtinanda ſunt ad* DEUM *rerum omnium Dominum, per majorem omnibus Angelis Pontificem, vivum verbum & Deũ.* Rurſus: *Hoc ipſum cohibebit, ne quis audeat preces offerre niſi ſoli Domino Deo, qui unus omnibus abundè ſufficit per ſervatorem Dei Filium.*

Athanaſius ſermone 30. contra Arianos, *Chriſtum Deum aſſerit, quia fuit invocatus, quum creatura adorari non debeat.*

In Rom. 1. 22. Ambroſius denique dementes & ſalutis ſuæ immemores pronunciat, qui honorem Deo debitum conſervis deferunt. *Nunquid tam demens,* inquit, *eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicet Comiti, quum de hac re, ſi qui etiam fuerint inventi, jure ut rei damnentur majeſtatis? Et iſti ſe non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conſervos adorant: quaſi ſit aliquid plus, quod reſervetur Deo.*

5. Recentiores quoque, ut Durandus in 4. diſt. 49. q. 3. Sotus ibidem q. 3. art. 3. con. 8. Cajetanus in 3. part. 1. Thomæ q. 10. art. 2. *negant piorum animas preces noſtras cognoſcere in verbo, vel eſſentia divina, ſed tantùm in proprio genere per ſingulares revelationes.* Accommodatius tamen veritati diſputat & pronunciat Alexander ab Alex. q. 92. memb. 1. art. 4. *ſolum Deum ſimpliciter eſſe invocandum, & ſanctos ſe habere magis ex parte orantium, quàm illius, qua oratur,* & hoc in illo obſervavit Georg. *Caſſander,* in conſultatione art. 21. Plura Patrum in hanc ſententiam poſt ſequentur.

6. Epiphanius hæreſi 79. etſi venerationem & honorem Mariæ tribuit, non ſolùm tamen negat adorandam & invocandam, ſed etiam pro hæreſi habet, ſi adoretur & invocetur. Ac Petrus Gnaphæus quum inveniſſet, *ut in animi precatione Maria Dei genetrix nominaretur, ejúſque nomen divinum invocaretur,* miſcuiſſetque invocationes ſanctorum publicis Eccleſiæ precibus, eſt eo nomine hæreticus judicatus: ut videre eſt apud Niceph. lib. 15. cap. 28. *Invocatio ſanctorum pro hæreſi habita olim.*

Explodunt iſta Papiſtæ objicientes varia, quibus ſtupidè & obſtinatè innixi, præter rationem ſuam ſanctos mortuos implorandi, & loco interceſſorũ ponendi conſuetudinem tuentur. Hæc ſunt potiſſima illorum argumenta. *Objectiones Papiſtarũ.*

1. Gen. 48. 16. ſcriptum eſt: *Angelus, qui me eripuit ab omni malo, benedicat pueris iſtis.* Hic, inquiunt, invocatio dirigitur ad Angelum. Ergo invocatio Angelorum recta eſt.

RESPONDEMUS. Per Angelum ibi intelligitur Chriſtus, qui ſe appellat *Angelum fœderis* Mal. 3 ℣, 1. Qui etiã alibi Angelus, à quo Iſraëlitæ per deſertum deducti ſint, appellatur 1. Cor. 10. 9. Exod. 23. 20.

2. Moſes Exod. 32. & 13. orat, ut Deus propitius eſſe velit populo ſuo propter Abraham, Iſaacum & Iſraëlem ſervos ſuos, qui tamen jam olim erant mortui. Ergo, &c.

RESPONDEMUS. Precatur & orat Moſes non Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, ſed Deum, ut miſericordiam faciat populo ſuo. Hocque non ob interceſſionem Abrahami, Iſaaci aut Jacobi, ſed propter fœdus quod cum illis icerat. *Deinde,* ex Papiſtarum doctrina argumentum hoc nihili eſt.

Digitized by Google

Juxta Dei enim verbum, Patres veteris Teſtamenti vita hac defuncti ante Chriſti adventum, non norant quis eſſet ſtatus hominum in terra. Nec etiã orabant pro vivis, ut qui erant in cœlo, juxta Papiſtarum doctrinam & ſentẽtiam, ſed in *Limbo Patrum*, quem Papiſtæ comminiſcuntur.

3 Homo aliquis vivus, inquiunt Pontificii, intercedit pro vivo. Multo igitur magis intercedunt & orant pro nobis ſancti in gloria conſtituti, ac perfectione charitatis erga nos præditi. Ut ergo licet vivum aliquem rogare, ut Deum pro nobis interpellet: ſic etiam & longè juſtiùs, ſanctos defunctos rogare licet, ut pro nobis intercedant.

1. RESPONDEMUS. Conſequutio argumenti nulla eſt. Nam ut alii pro aliis Deum deprecemur, alios etiam vivos, ut Deum pro nobis precentur ſollicitemus, ejus rei mandatum habemus in Scripturis Rom.15 30. Epheſ. 6.19. Col.4.3 1.Theſſ.5 25. 2.Theſſ.3.1. At ut mortuos invocemus, quò & iſti pro nobis apud Deum precibus ſuis intercedant, ejus nullum habemus mandatum,
2. nec exemplum. *Deinde*, ingens & infinitum diſcrimen eſt inter hæc duo, rogare amicum vivum ſive viva voce, ſive per literas, ut Deo pro nobis ſupplicet; & inter inclamare ac rogare eos, qui à nobis ſunt abſentes, atque ex hac vita diſceſſerunt, ut pro nobis rogent. Nam iſtud aliud nihil eſt, quàm opus mutuæ charitatis, quâ Chriſtiani inter ſe devincti eſſe debent, ut alii pro aliis in anguſtiis Deum deprecentur atque invocent ad auxilium ferendũ, & gratiam conferendum. Hoc nihil aliud eſt, quàm tribuere facultatem ac potentiam audiendi & juvandi omni tempore, & quovis loco, creaturis iis, qui hac tali ratione invocantur & honorantur: & per conſequens etiam corda hominum inſpicere, in omni loco adeſſe, adeoque infinita quadam potentia auxilio eſſe omnibus invocantibus. Quæ omnia & ſingula nulli omnino creaturæ, ſed ſoli Deo competunt. 3. *Tertiò*, quum vivus aliquis alium quempiam vivum rogat, ut Deum pro ſe invocet, facit eũ ſolummodò ſocium ac conſervum in ſupplicatione, quæ fit in nomine unici mediatoris Jeſu Chriſti. At quum invocantur ſancti in cœlo nunc verſantes, & abſentes à nobis, ampliùs aliquid quàm ſocii & conſervi conſtituuntur: utpote qui inſtar mediatorum inter homines & Deum adhibentur, contra dictum Dei Iſa.43 8. & Chriſti Joh.16.23. ac Pauli 1.Tim.2.5. ac Johannis 15. 1.epiſt.2.5.

4. Quartò refellitur etiam id Papiſtarum argumentum à piis patribus antiquioris Eccleſiæ. Ex quibus Auguſtinus: *Homines, inquit, omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus verusq; mediator eſt.* Et in Johan. tractatu 22. *Hoc dicit tibi ſalvator tuus: Non eſt quò eas, niſi ad me: non eſt quà eas, niſi per me.* Lib.2 cont. Parmen. cap 8.

Et ſanctus Chryſoſtomus: *Vis diſcere, inquit, quod etiam per nos ipſos orantes plus apud Deum efficimus, quàm dum alii pro nobis orant: Clamavit Chananaa, & acceſſerunt diſcipuli, & ad illos quidem dixit: Nõ ſum miſſus niſi ad oves perditas domus Iſraël. Quando autem* IPSAMET *acceſſit, tum beneficium dedit. Vides quomodo repulit, quum alii precarentur: ubi verò* IPSAMET *orans* Homil de profect Evangelii. Math.15. 24.

Digitized by Google

orans clamavit, annuit. Quum hæc omnia non ignoremus, licet peccatores ſimus indigni, licet ſoli ſimus, & interceſſoribus careamus: ne deficiamus, ne deſpondeamus animum. Ac tractans illud: *Si quis peccaverit, advocatum apud Patrem habemus* Jeſum Chriſtum *juſtum*: diſertè ait, *noſtras orationes nullum ſortiri effectum, niſi eas Patri ſuo Chriſtus commendet.* Sanctus quoque Auguſtinus ſimiliter eum locum explicans, dicit: *Johannes ille talis vir non dixit, advocatum habetis apud Patrem, ſed ſi quis peccaverit,* ADVOCATUM, *inquit,* HABEMUS. *Non dixit, habetis, nec me habetis dixit.*

1. Joh. 2. 1.

Lib. 4. hiſt. cap. 15.

Euſebius ex communi omnium Chriſtianorum ſententia dicit: *Ignorant miſerrimi Judæi, qui Polycarpi corpus negant nobis reddendum, ne eum colere incipiamus.* QUOD NOS NEQUE CHRISTUM UNQUAM RELINQUERE POSSIMUS, *qui paſſus eſt pro ſervandis omnibus in mundo,* NEQUE ALIUM QUEMPIAM COLERE.

Et annón Lactantius lib. 2. inſtit. c. 18. ait: *Eos, qui mortuis ſupplicant, impietatis & ſceleris ſui ſupplicia penſuros?* Eant igitur Papiſtæ, & adhuc dicant, ut fas ſit vivum hominem Chriſtianum pro advocato ad Deum adſciſcere: ita multo magis & juſtiùs ſanctos defunctos loco interceſſorum conſtitui.

4. Objiciunt Adverſarii, Apoc. 5. 8. dicitur: *Viginti quatuor ſeniores proſtraverunt ſe coram Agno, tenentes manibus ſuis citharas & phialas aureas, plenas ſuffituum, quæ ſunt preces ſanctorum.* Hinc inferunt Romanenſes, ſanctos in cœlo excipere orationes noſtras, atque eas Deo Patri offerre. RESPONDEMUS. Per *orationes ſanctorum* intelliguntur hoc loco ipſorummet, qui offerunt, orationes: quib. nimirum Deo & Agno laudem ac gloriam tribuunt: quod ex verſibus ſequentibus clarè patet. Et tamē iſtæ ipſorum orationes non aliter offeruntur, quàm per manum Angeli, qui ipſe Chriſtus eſt, ut Apoc. 8. 4. docetur.

5. Luc. 16. 27. *rogat Dives in inferno conſtitutus pro fratribus ſuis,* qui adhuc erant ſuper terram: multo ergo magis orant ſancti in cœlo exſiſtentes pro nobis. RESPOND. Ex parabolis amplius nihil poteſt aut debet concludi, quàm quod ex ſcopo & fine earum deducitur. Aliàs enim liceret etiam nobis ex hac ipſa parabola concludere, animā Divitis avari in inferno poſitam habere linguam. *Deinde,* ſi adverſarii rectè quod volunt ex hac parabola colligūt, poſſumus & nos ex eadem inferre, eos qui ad pœnas inferni cum condemnati ſunt, affici condolentia, commiſeratione & amore fratrum ſuorum in terra adhuc exſiſtentium: item habere eos zelum gloriæ Dei. Quæ omnia falſa eſſe, ipſi Pontificii non diffitentur.

6. Angeli in cœlo conſtituti norunt ſtatum & conditionem quorumcunque hominum: adeò ut ſi quis reſipiſcat, ſuper eo lætentur: rogantque pro his aut illis hominibus in ſpecie. Ergo faciunt idem etiam ipſi ſancti in cœlo. Dicuntur enim Angelis bonis æquales Luc. 20. 36. RESPOND. I. Locus iſte apud Lucam debet intelli de ſtatu ſanctorum, qualis futurus eſt in die ultimi judicii. Hoc apparet ex Math. 22. 30. ubi dicitur, ſervos Dei futuros, ut Angelos in cœlo *in reſurrectione.* II. Reſpondemus. Sancti ſunt æquales Angelis

Luc. 15. 7. & 10.

Digitized by Google

gelis, non ratione officii ac miniſterii, per quod Angeli miniſtratorii Spiritus ſunt hominum piorum, ut Heb. 1.14. dicitur: ſed ſunt illis æquales in gloria & beatitudine æterna.

Part. 3. ad 1. præcept. quæſt. 5. pag. 197. 7. *Ob eam cauſſam*, inquit Catechiſmus Romanus, *magis etiam colendi & invocandi ſunt ſancti, quod pro ſalute hominum preces aſſiduè faciunt, multáque eorum merito & gratia Deus in nos confert beneficia.* Idem Lomb. lib. 4. ſent. d. 45 docet. Resp. Homines adhuc in vivis exſiſtentes nullum conſequuntur auxilium aut beneficium à Deo propter fidem, pietatem & merita ſanctorum defunctorum, quæ exercuerunt dum eſſent in hac vita. Nam *primò* facit Deus miſericordiam iis, qui mandata ejus obſervant, in mille generationes. Et hinc eſt, quod ſanctus Auguſtinus ait: *Profuiſſe populo Judaico, quod ſic à Moſe diligerentur, quem Deus ſic diligebat.* *Quæſt. 149. in Exod.* Nos igitur inficiamur prorſus amari nos & beneficiis affici propter merita ſanctorum, ſive ii vivi adhuc ſint, ſive jam mortui. Nam ſi quæ fuerunt ſanctorum merita (quæ tamen nulla fuerunt) recompenſationem ac præmium receperunt pleniſſimè, ad gloriam illam ineffabilem traducti. Ac proinde nihil ampliùs habent, quo mereri poſſint. *Deinde*, Chriſtus potiùs noſter mediator & redemptor eſt radix, fons & origo omnis meriti. Imò unicum & verè meritum, quo favorem Dei, beneficium ac bonum qualecunque & quodcunque Dei, vitam deniq; ipſam æternam cõſequi nos poſſe ſperamus, in ſolo Jeſu Christo reperitur, cujus ſolius ea eſt prærogativa, ut Deus eo ſit contentus. Col. 1.13.17.18.19.20.21. &c. 1. Cor. 1.30. Math. 3.17. *Tertiò*, Patres vetuſti quoque nullius meritũ coram Deo præter Chriſti agnoſcunt. Ut Auguſtinus: *Tota ſpes mea*, inquit, *in morte Domini mei. Mors ejus* Meritum Meum, *vita & reſurrectio mea.* Meritum Meum Miseratio Domini. *Non ſum* Meriti *inops, quamdiu ille miſerationum Dominus non defuerit.* *In manuali.* Et Baſilius in Pſal. 114. *Manet ſempiterna requies illos*, inquit, *qui in hac vita legitimè certaverunt: Non ob eorum merita factorum, ſed de munificentiſſimi Dei gratia, in qua ſperaverunt.* *Quintò*, non reſpicit Deus favorem, gratiam & merita ſanctorum ullorum, ſed fidem, quâ ſui filii meritum & ſuam erga nos dilectionem ac miſericordiam apprehendunt, eique innituntur. Ideò Apoſtolus ait: *Gratia eſtis ſalvati* Per Fidem, *idq́, non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* Epheſ. 2.1.9.10. Rom. 3.28.

Plura argumenta objiciunt Pontificii, quæ apud Bellarminum lib. 1. de Sanct. Beat. à cap. 14. uſque ad finem, in Catecheſi Romana parte 3 quæſt. 4.5.6.7. & alibi exſtant. Verùm peregregiè refutantur cum ſuperioribus, tum à *Conrado Vorſtio* in Antibellarmino à fol. 279. uſque ad 299. Teſſaradec. Antipiſtor. pag. 2. cap. 6. à pag. 193. uſque ad 192. tum à *Franciſco Junio* in Animadverſionibus ad libros Bellarmini de Eccl. Triumphante, præſertim librum 1. de Sanct. Beat. tum à *Chriſtophoro Pezelio*, In Refutatione Catechiſmorum Jeſuiticorum à pag. 136. uſque ad 196. tum denique à *Balthaſaro Menzero* Diſputat. 6. adverſus Johan. Piſtorii Ducem ſeductorum Chriſtianorum, &c. ubi omnis Papiſtarum idololatria hoc jure ſolidiſſimè refellitur.

Cum

Digitized by Google

Præfat. in Euangel.

Cum Fabro igitur Stapulenſi hoc dogma concludimus: *Utinam credendi forma à Sacra Scriptura & à primitiva peteretur Eccleſia, quæ tot Martyres Chriſto conſecravit, quæ nullum ſcopum præterquam Chriſtum habuit, nulli cultum præterquam uni Trinóque Deo impendit.*

5. *Euangelicos cum Vigilantio ſentientes debere ſacerdotes eſſe uxoratos, nullam hæreſin fovere.*

De accuſatione iſtorum criminũ depulſi Pontificii, aggrediuntur novum circa Eccleſiaſticorum matrimonium. Bellarminus lib. de Notis Eccleſiæ cap. 9. *Docuit Vigilantius*, inquit, *ſacerdotes debere eſſe uxoratos, idem docent nunc ſectarii, Lutherus, Calvinus*, &c. Ergo ſunt cum Vigilantio Hæretici.

Respondemus, tripliciter Pontificios in hac accuſatione ſe loquaces talpas præbere. *Primò* ſibiipſis turpiter contradicunt, dum de Antiquitate cœlibatus concertant. Nam Greg. Valentianus Tom. 4. diſp. 9. quæſt. 5. punct. ſcribit, *Clichtovæus aſſeruit votum continentiæ annexũ ſacris ordinibus jure divino. Michaël Medina & Johannes Major tenuerunt eſſe juris divini, ſaltem ut nequeat quis ſimul uti ſacro ordine & matrimonio vacare.* De eodem tamen Clichtovæo ibi juri divino cœlibatum tribuente ſcribit, eum humano, nempe Syricio Papæ, id alibi tribuere. Nam ait; *Clichtovæus, qui tum cœlibatus legem ſtrenuè defendere voluit, putat legem cœlibatus primùm fuiſſe à Syricio Papa, id eſt, circiter annum 390, inventum.* Ex eodem ore ergo Clitovæus & calidum & frigidum evomuit. Sed & alii Doctores Pontificii eoſdem oppugnant. Ipſe enim Valentianus, *Communior*, inquit, *ſententia & verior eſt.* Non Esse Juris Divini, Ecclesiastici Tantum. Et huic ſubſcribẽs Bellarminus; Non *jure* Divino *ſed* Tantum Humano *probibitum eſt conjugium Sacerdotibus.* Bene eſt igitur, quod duorum nempe Johannis Majoris in Diſt. 24. quæſt. 2. & Clichtovæi lib. de continent. Sacerdotum cap. 4. errorem vi veritatis coacti hi duo poſteriores, agnoſcunt, fatenturque hunc Miniſtrorum ſacrorum cœlibatum non eſſe de jure Divino, ſed merè humano, & quidem poſt Apoſtolorum ætatem & ſeculum ſancito ac poſito, quicquid & Syricius Epiſt. 1. & Innocentius primus, Epiſt. 2. cap. 9. & in Can. *Propoſuiſti* Diſt. 82. & can. *Tenere* Diſt 31. perſuadere & ſibi & aliis fruſtra conati ſint. Ergo rectè Thomas quoque in 2. tertiæ quæſtion. 88. Artic. 9. hoc votum *non à Deo, ſed ab hominibus* Clericis præſcribi ait. Et ſic de Vetuſtate cœlibatus initio Pontificii ipſi inter ſe certantes, eum ſuſpectum faciunt, imò in nihilum redigunt.

1 Antiquitas falsò allegatur.

Valent. lib. de cœlibat. pag. 159.

Loco quo ſuprà.

Lib. 1. de Clericis, cap. 81.

2. Vigilantius falsò cum Euangelicis confertur.

Secundò, diffident Papiſtæ in ſententia Euangelicorum cum Vigilantii ſententia conferenda, unde eos non eſſe hîc Vigilantianos ipſimet probãt. Etenim Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 19. *Error erat*, inquit, Oportere *Clericos uxores ducere, antequam ordines ſuſcipiant, quia poſt ordines non licuit. Hic fuit, ut alii volunt, error Nicolaitarum hæreticorum.* Quem Constat Vigilantium Expresse Docuisse. Similiter Coſterus: *Ex Hieronymo conſtat* inquit, *Vigilantium Hæreticum docuiſſe*, Non *eſſe Diaconos ab Epiſcopis ordinandos, niſi priùs duxiſſent uxores.* Num autem ſic ſentiunt etiam Euangelici? Minimè, ut ipſi agnoſcunt fatenturq; Pontificii. Nam Bellarmin. loco, quo ſuprà *Lutherani docent*, inquit, *non modo ante, verùm etiam poſt ordinationem* Licere *u-*

In Enchir. cap 15.

 xorem

Digitized by Google

Lib. de cœlib. can. 4 diſp. 9 q. 5 part. 5.

xorem ducere. Ac Greg. de Valentia; *Volunt proteſtantes,* inquit, LIBERUM ESSE UXORES DUCERE, *nec quenquam lege continendi aſtrictum eſſe debere.* Annon ergo ex his patet, Pontificios tum falsò Euangelicos in ſententia de cœlibatu cum Vigilantii ſententia conferre, tū hoc ipſo ab hæreſi Vigilantiana, ſi quæ eſſet, eoſdem purgare? Ac ſi proferentes etiam ſuam ſententiam Pontificios audiamus, licet clariùs diſcrepantes diſcernere. Bellarminus loco ſupra citato, *Nos tenemus,* inquit, *Nec maritos in ſacros ordines admittendos eſſe, nec ordinatis licere poſtea uxores ducere.* Tres itaque ſententiç δὶς διὰ πασῶν diſſidentes. Primò, Vigilātius oportere omnes Clericos uxores ducere. Secundò Bellarm. oportere prorſus non ducere. Tertiò proteſtantes vel Euangelici, ut ſæpe Chriſtus in medio peiſtant. Licere, vel liberum eſſe Eccleſiaſticis ducere uxores. Ille neceſſitatem conjugii vendicabat, hi cœlibatus, nos in utroque Chriſtianam libertatem profitemur.

3. Æquitas conjugii injuriâ Eccleſiaſticis denegatur.

Tertiò, æquitatem matrimonii injuria Papiſtæ Miniſtris Eccleſiæ vel Eccleſiaſticis denegant, ac ideò tam Vigilantio quàm Euangelicis præter fas & & jus hac in cauſſa hæreſin impingunt. Nam etſi ſupra in tertia hæreſi Joviniani de dignitate Conjugii ac virginitatis multis errorem Pontificium de cœlibatu vel Virginitate oſtendimus, ac conjugii libertatem etiam Eccleſiaſticis vindicavimus, tamen hoc loco pluribus id præſtare, plurimum ad veritatis cognitionem atque aſſertionem prodeſt.

Si enim Vigilantius legitimum cōjugium Paſtoribus vel Eccleſiæ Miniſtris deberi intellexit, in eo non hæreticè ſed juſtè & rectè ſenſit. Nam Deus eos etiam idoneos ad conjugium condit. Et conjunctio maris ac fœminç juris divini ac naturæ eſt. Deinde, ſanctum eſt matrimonium, bonum, & in omnibus, vel inter omnes honorabile thorus que conjugum impollutus. *Heb. 13. 4.* Chriſtus enim conjugium vocat conjunctionem divinam, quum ait. *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet,* ac proinde ſanctam & cuivis ordini hominū conceſſam. *Math. 19. 6.* Et Paulus conjugium, cibos & ſimilia ait ſanctificari per verbū & creationem divinam, de qua Gen. 1. & 2. extat. *1. Tim. 4. 5.* Nominatim verò matrimonium Eccleſiæ Miniſtris non modò in Veteri, verùm etiam Novo Teſtamēto permittitur. Nam Apoſtolus Gentium expreſſè docet: *Epiſcopum oportet eſſe irreprehenſibilem, unius uxoris maritum.* *1. Tim. 3. 2.* Non unius Eccleſiæ, ut ἀλληγορίζοντες volunt Pontificii. Eo enim loco Apoſtolus non de officio Epiſcopi, ſed de qualitate perſonæ Epiſcopi ſermonem habet. Ac Chriſtus Math. 15. ỳ. 9. ait *Fruſtra colunt me mandatis hominum.* Et cap. 19. 12. vult omnes uti cōjugio, niſi quos vel natura ineptos ad id genuit, vel caſus impotentes fecit, vel gratia ſingularis verè continentes reddidit, ut caſtè etiam ſine cōjugio vivere poſſint. De cæteris omnibus valet dictum Chriſti verſu 11. *Non omnes capiunt hunc ſermonem, ſed ii quibus datum eſt.* Et Paulus: *Unuſquiſque,* inquit, *proprium donum habet, alius quidem ſic, alius autem ſic.* *1. Cor. 7. 7.*

Quod ergo ſcribit Bellarminus: *Peccavit Antiquitas, inquit Calvinus, immodica ſeveritate, quod plus requireret in Epiſcopis quàm* *Lib. 4 de Eccleſ. milit. cap. 9.*

Digitized by Google

quàm Paulus requirat, ac præſertim ſucceſſu temporis cœlibatum, genuinam Calvini mentem aſtutè diſſimulat. Calvinus enim antiquitatem Apoſtolicam vendicat, taxat verò Eccleſiaſticam, nec tamen primitivam, ſed quam SUCCESSUS TEMPORIS invexit novam.

T. 4 diſp. 9. q. 5 punct. 5. ſect. 2. In hoc Advocatum habet Gregorium de Valentia, qui ait: *Calvinus in inſtitut.* (nempe lib. 4. cap. 12. §. 25.) *non eſt veritus affirmare*, OMNES VETERES APPROBASSE CONJUGIUM IN SACERDOTIBUS, *& intelligit etiam quoad* USUM. Sed quod addit Valentinus: *Quod ſi verum eſt, ſequitur legem cœlibatus eſſe antiquam*, longiſſimè errat. Nam ut veritatem inquiramus & teneamus, integra quæſtio ſic diſcutienda eſt.

Lex cœlibatus { ante / poſt } Ordinationem.

Supra igitur audivimus Dogmatiſtas Pontificios, qui permirabilem contentionem legē cœlibatus modò juris divini, modò Eccleſiaſtici tantummodò eſſe concertent. Iis addo Concilii Tridentini decretum, de quo Valentianus,

Loco quo ſuprà Seſſ. 24. *Accedat authoritas Concilii Tridentini, in quo dicitur* LEX ECCLESIASTICA. Quare Georgius Caſſander lib. conſultationum Art. 21. *Non eſt igitur*, inquit, *audiendus* NOVUS *ille* Dogmatiſtes, *qui matrimonium vult Sacerdotibus jure divino prohiberi.*

Obtendunt itaque legem Eccleſiaſticam. Qualem verò tandem, & quā antiquam? Cognoſcite quæſo ipſos inter ſe Pontificios de eo digladiantes.

Gratia 26. q. 2 can. Sors. GRATIANUS: *Copula*, inquit, *Sacerdotalis nec legali, nec Euangelica, nec Apoſtolica authoritate prohibetur.* Recentiores verò quàm diverſo modo ſentiunt? Bellarminus quo ſup. cap. 19. de clericis. *Cælibatus jure Apoſtolico annexus eſt Sacerdotibus.* Et Valentinianus quo ſupra cap. 3. *Lege planè Apoſtolica.* Cæterum Coſterus *Antiquiſſimis*, inquit, *Eccleſiæ temporibus viventibus adhuc Apoſtolis, & poſt Apoſtolos, aliquot adhuc annos*, Admiſſi fuerunt *ad ſacros ordines* viri conjugati, *non quidem promiſcuè, ſed electi, qui unicam tantùm duxiſſent uxorem, eámque virginem.* *In Enchir. de cœlib.* Cajetanus Tom. 1. opuſ. Tract. 17. *Diu licuit in Eccleſia Orientali contrahere poſt ordinationem.* Claudius Eſpenſeus: *Multis annorum centuriis*, inquit, *poſt Apoſtolos Eccleſia primitiva defectu cælibum* Sacerdotes *habuit* Maritos. *Commentar. in Tit. c. 1.*

Atqui jam maximè addunt Jeſuitæ: *Maritos illos ſacerdotes non uſos eſſe copula matrimonii poſt ordinationem*: quæ verba ſunt Valentiani. *Valent. quo ſuprà.* Et Coſterus; *Nunquam licuit Sacerdoti*, inquit, *jam ſacris ordinibus initiato uxorem ducere, neque ullus eſt antiquorum Patrum, qui aliter ſcripſiſſe, vel ſenſiſſe legitur:* Ac Bellarminus loco ſupra adducto, *Nullum*, inquit, *probati viri exemplum afferre poſſunt.*

In utroque ergo pontificiis ſatisfaciendum eſt, I. Licuiſſe maritis uti uxoribus ſuis, quas ante ordinationem duxiſſent. II. Licuiſſe etiam poſt hanc uxores ducere. *I Ante ordinationem. Conſult. artic. 13.* GEORGIUS CASSANDER *De maritis*, inquit, *ad Eccleſiæ miniſterium eligendis non tantopere quidam reluctantur, quum ea res exemplum habeat* PRISCÆ ECCLESIÆ, *& ab* ORIENTALIBUS *omnibus Eccleſiis hujuſmodi ſervetur, quum res in pleriſque ita comparatæ ſint, ut conjugum piarum conſortio non modò ad functiones Eccleſiaſticas non impediantur, ſed etiam ad earum procurationem* ADJUVENTUR *ab iis, quemadmodum*

Digitized by Google

dum de Patre ſuo Gregorio & matre Nomia Gregorius Nazianzenus teſtatur.

Idem ibidem: *Reſtat*, inquit, *ut in ordinādis hoc ſtatutum cœlibatus* RELAXETUR, *&* MORE VETERIS ECCLESIÆ, *& huc uſque Orientalium Eccleſiarum honeſti quoque Mariti ad Eccleſia miniſteriū admittātur. Gravior, quæſtio eſt de iis, qui poſt Sacerdotium uxores duxerunt, utrū iis in Miniſterio permanendi & uxoris familiaritate opportuno tempore utendi, facultas permitti poſſit. Primum hoc* DIVINO NULLO JURE PROHIBETUR, *ut exempla priſca teſtantur, hujuſmodi ſtatuta non tam anxiè obſervata fuiſſe, quin ob Eccleſiæ neceſſitatem aliquando* RELAXATA *fuerint.*

De S. Hilario ſic canit poëta Pontificius Baptiſta Mantuanus:

Non nocuit tibi progenies, non obſtitit uxor,
Legitimo conjuncta thoro.

Et de Nazianzeno ſuavius.

Præſule Patre ſatus, nā tunc id jura ſinebant,
Paſtoralepedum geſſit poſt funera Patris.

Paulo poſt.

Non horruit ILLA TEMPESTATE *Deus thalamos, cunabula,* *(tædas,*

Concludit.

Tutius eſſe volunt, quia lex divina ſinebat,
Iſſe via, VETERUMQUE *ſeq. veſtigia Patrū.*

Deinde, quod in confeſſo eſt apud omnes, teſtatur Æneas Sylvius ipſe poſtea Papa Pius 2. factus. *Fuerunt ex noſtris Pontificibus aliqui in matrimonio.* Et Gratianus, loquens de decreto Pelagii Pontificis: *Ecce*, inquit, *hac authoritate electus in Epiſcopum* NON PROHIBETUR HABERE UXOREM, *& filios.* Itē Diſt. 56. cō. Cenomanſis; *Sacerdotibus*, ait, *ante prohibitionem* UBIQUE *liciet* ERANT *& in Orientali Eccleſia* USQUE HODIE *licere probatur.* Accedat Pontificis judicium. Leo papa Epiſ. 87. *Epiſcopus ordinetur, quem unius uxoris virum eſſe conſtiterit.* Paulò poſt: *Ut virginem uxorem accipiat, & alterius thorum neſciat conjugis, quæ futura eſt uxor Pontificis.*

De Geſtis Concil. Baſil.

Diſt. 38. cā. de Syracuſana.

Poſt ordinationem autem quam certò permiſſum fuerit Eccleſiaſticis connubiū, teſtatur cum Cajetano (ut paulo ante citavimus) Caſſander, dicens: *Matrimonii contractio poſt ordinationem* SOLO STATUTO *probibita fuit: & exempla priſca extant, quæ teſtantur hujuſmodi ſtatuta non tam anxiè obſervata fuiſſe, quin ob Eccleſiæ neceſſitatem aliquando relaxata fuerint.* EPIPHANIUS *ait etiā* SUA ÆTATE (Anno 390.) *quibuſdā in locis Presbyteros matrimonio uti,* LIBEROS GIGNERE, *quamvis id fiat contra Canones Eccleſiaſticos idque fieri propter inopiam Miniſtrorum.*

2. Poſt ordinationē.

BALSAMON: *Ante ſextum Synodum*, ait, *quæ fuit in Trullo,* LICEBAT EPISCOPIS HABERE UXORES ETIAM POST EPISCOPALEM DIGNITATEM, *quemadmodum, qui poſt matrimonium ordinantur Sacerdotes.*

Can. Apoſt. 5.

Novitatis tamen, id eſt, invecti cœlibatus faciē ſi contemplemur, meliùs indignitas prohibiti Eccleſiaſticis matrimonii apparebit. SIGIBERTUS ſcribit: *Gregorius 7. Papa celebrata Synodo uxoratos Sacerdotes à divino officio removit & Laicis Miſſas eorum audiri interdixit,* NOVO EXEMPLO, *& ut multis viſum eſt,* INCONSIDERATO *contra ſanctorum Patrum ſententiam.*

Cœlibus ſanctio turpulentat.

Anno DN. 1074.

Schafnaburgenſis de eo tempore, *Contra hoc decretum*, inquit, *quo ſtatuitur, ne quiſquam ad ſacros ordines admittatur, qui non perpetuam continentiam vitamq; cœlibem*

Digitized by Google

NB. *cœlibem profiteatur, tota Clericorum factio vehementer infremuit, hominem eſſe* HÆRETICUM *clamitans, qui oblitus ſermonis Domini; Non omnes capiunt: & Apoſtoli, qui non continet, nubat, violenta coactione hominibus vitam Angelicam imponeret.*

Math. 19. 11. 1. Cor. 7. 9.

GLOSSA ordinaria diſt. 82. *Ante Syricium*, inquit, *conjugium ſacerdotibus permittebatur.* Ac Polydorus Virgilius: *Syritius*, inquit, *circa annum ſalutis 363. ſedere cœpit, ſacerdotibus conjugio interdixit, nec ante Gregorium ſeptimum Anno Domini 1074. conjugium occidentalibus ſacerdotibus adimi potuit.*

De inventoribus lib. 5. cap. 4.

Quid ergo? Quum hîc hæreſin tam Vigilantio quàm Euangelicis Bellarminus impingat, ipſe (ut de Vigilantio olim dixit Hieronymus) non Vigilantem ſe præbet, ſed dormitantem. Ac proinde obſequendum illi Pontifici, qui ſtatuit: *Sacerdotibus magna ratione ſublatas eſſe nuptias, majore* RESTITUENDAS *videri.* Platina in Pio II. Argumenta Pontificiorum contraria tum nos ſuprà præſenti hoc libro, & infrà libro 2. circa Tatianorum & Encratitarum hæreſin ſatis refutavimus, tum fusè à Lamberto Danæo ad V. controverſiam Bellarmini à pag. 861 uſue ad 888. refutata ſunt, ubi de Clericis ille agit.

Neque hoc prætereundum, ex cœlibatu illo ficto perſonarum Eccleſiaſticarum atque ſacratum, totam Eccleſiam Romanam ea & infamia & inſania flagitioſarum prodigioſarumque libidinum laborare, qua flagrant in ea ejuſmodi Patres, Antiſtites & homines religioſi, qui

Curios ſimulant, & Bachanalia vivunt.

Si quis ergo pertinaciter hanc opinionem, ſeu potiùs doctrinam, decero Eccleſiaſticos & religioſos, ut honeſtis conjugibus copulati ſint, hæreſin eſſe dicit, is certè & Scripturam ipſam ſanctiſſimam damnat, & ipſe hæreticus perditiſſimus eſt, ut infrà Encratitarū & Tatianorum, aliorumque veterum hæreticorum hæreſi pleniùs oſtendemus.

6. Quartò Vigilantium nimis exagitans, ſed ipſe turpiter dormitans nimis Bellarminus, ſic Euangelicos accuſat lib. de notis Eccleſiæ cap. 9: *Quartus Vigilantii error,* NON EXPEDIRE RELINQUERE OMNIA, ET DARE PAUPERIBUS, ET AD RELIGIONEM RELICTO SECULO PROPERARE. Idem (ait Jeſuita) docet Lutherus & Sectarii.

Euangelicos cum Vigilantio paupertatē votivam vel aſcititiam improbantes non eſſe hæreticos.

RESPONDEMUS: Sanè ſic omnia relinquere, ut relinquunt Monachi, Monachæ, Jeſuitæ, aliique Papiſtarū religioſi, non expedit. Nam illi ſua relinquunt amicis, & religionem ſuſcipiunt, omnibus tamen abundè affluunt. Aut bonis ſuis immobilibus venditis, ac pretio inde comparato cum bonis mobilibus in Monaſteria tranſlato, ſeſe omnia relinquere fingunt & ſimulant, ac dehinc pluribus & opibus & voluptatibus ſine omni paupertate & inopia utuntur ac fruuntur.

Ad pleniorem autem inſtructionē de tribus agemus ad hanc rem ſpectātibus, è quibus vanitas accuſationis illius Jeſuiticæ apparebit. Primò, paupertatem rem eſſe mediā docebimus. Deinde, Euangelicos non modò aliquam, verùm etiam ſummam perfectionem Chriſtianam defendere. Tertiò, doctrinam Pontificiam de perfe-

Digitized by Google

ctione per deſertionem bonorum ſecularium conſequenda, magis hæreſin, quàm religionem ſapere.

1. Paupertas res media. *Job 1. Marc 10. 29. 1 Pet. 2.*

I. Nam ſi ob fidei confeſſionem, aut injuſtitiam alienam opes deſerendæ, vel ob caſum inopinatum ac triſtem relinquendæ ſunt, tum eſt paupertas patientiæ exercitium. Si enim tum eam homo Chriſtianus patienter tolerat: ſi eam non tantùm æquo animo fert, ſed etiam grato amplectitur, menteque contẽta ea ſorte, quam Deus attribuerit, ſua vocatione fideliter fungitur, ac integritate, fide, modeſtia & ſinceritate gubernari ſeſe patitur, tum ejuſmodi paupertatem ſummis virtutibus æquari poſſe contendimus: ut ex Jobi cap. 1. & 19. ac Pauli 2. Cor. 11. exemplo patet. Et Deus talem penuriam eleemoſyna ſuſtentandam docet. At ſua culpa accerſitam paupertatem, vel hypocriſi & fiducia opinioneque meriti ac religionis ſponte abſque neceſſitate ſuſceptam, exiſtimamus eſſe divinam peccati pœnam. Quocirca Deus ipſe etiam mendicos tolerari vetat, & Apoſtoli validos mendicantes coercere jubent, Deut. 15. Epheſ. 4. 2. Theſſ. 3. Ac 1. Tim 5 dicit Apoſtolus ſanctiſſimus: *Infidelibus deteriores eſſe, qui domeſticis ſuis non proſpiciunt.*

Math. 6. Iſa. 58. 1. Cor. 16. 29.

2. Veram perfectionẽ ab Euangelicis defendi, etiãſi paupertatẽ ſponte accerſitã improbant.

II. Etiamſi verò Euangelici paupertatem ſponte accerſitam non probent: tamen non modò aliquam, ſed etiam veram ac ſummam profectionẽ & docent & tuentur. Eo enim fine Põtificii paupertatem, ac ſtudium derelinquẽdi omnia bona temporalia tradunt & ſuadent, quia ad perfectionis metam eo contendatur, cultuſque Dei præcipuus ita inſtituatur. Ut Joh. Maldonatus Jeſuita cõment. in Math. 5. ait: *Hic eſt primus Euangelicæ perfectionis gradus, vendere omnia, & dare paupertatẽ,* &c. Verùm ibidem advocatus Euangelicorum fit, ac dicit: *Secundus paupertatis Euangelicæ gradus eſt, non quidem vendere omnia, ſed, ne Chriſtum amittamus, omnia amittere. Tertius eſt, quum malis artibus divites eſſe poſſumus, perituris opibus Dei timorem anteponere. Quartus, ſorte noſtra eſſe contentos, & æquo propter Chriſtum animo paupertatem ferre.* Quæ annon priorem gradum evertunt, & falſitatis arguunt? Nemo enim rectè baptizatus eſt, qui non hujuſmodi tribus poſterioribus paupertatis votis ſe obſtrinxerit, nec nos Euangelici ſtudium iis ſeſe obſtringendi ullo modo improbamus. Sed apprimè dijudicandum, quæ ſumma Euangelicæ paupertatis perfectio ſit, pergens Maldonatus ipſe ibidem teſtatur: Math. 6. 33. *Dicto, Quærite primũ regnum Dei, &c. Chriſtus non omnino voluit cætera quærere, ſed ut eorum ſollicitudo nos non à regno Dei quærendo evertat, ita quærere ut iis ſervire velimus. Non enim poſſumus duobus Dominis ſervire. Verſu 24. Quærere autem ſecundo loco propter regnum Dei non vetuit, ſed docuit. Nam in oratione Dominica præcepit dicere, adveniat regnum tuum, præcepit etiam dicere: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* &c. Videant ergo pii lectores, in quos ſe laqueos induerit Maldonatus. Qui præcepit neceſſaria quærere, præcepit non abjicere. At primum ipſe concedit. Ergo Pontificium illud: *Omnia date* (quod gradum ejus ſecundum ſuperat) illi Dominicæ petitioni; *Da nobis hodie,* quã Dominus pro ſua miſericordia præcepit, apertiſſimè repugnat. Sed quid vi extor-

Paupertas Euangelica quæ ſit germana.

Digitized by Google

extorquemus nos, quod Adverſarius etiam ipſe benignè largitur?

Aquin 2.2. q 184. art. 7.

Alius igitur itidem: Abrenunciatio, inquit, propriarum facultatum dupliciter conſideratur. Uno modo ut eſt in actu. Sic in ea non conſiſtit eſſentialiter perfectio, & jam nihil prohibet ſtatum perfectionis eſſe ſine abrenunciatione propriorum. Alio modo ſecundùm præparationem animi, ut nimirum homo ſit paratus, ſi opus fuerit, omnia dimittere, vel diſtribuere, & hoc pertinet directè ad perfectionem, ut ex Auguſtino patet, &c. Imò hanc perfectionem ex voto Baptiſmi omnibus Chriſtianis communem eſſe etiã ex Hieronymo liquet. Et Claudius Epiſcopus Eſpenſeus comment. in Titũ cap. 2. ait: *Nihil intereſt, ubi ſitis in ſeculo, qui extra ſeculum eſtis.*

3 Paupertas votiva perfectionē Euangelicam gloriãs ab ipſis Papicolis damnatur.

III. Habent tamen ipſi Papiſtæ, quo & paupertas illorum votiva, & perfectionis opinio, quam ei tribuere ſolent, condemnatur. Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 16. §. 2. cauſſa: Diſcimus, inquit, tribulationem & perſequutionem non eſſe quidem utilem, ſed periculoſam, & NON EXPETENDAM, ſed tolerandam, quum aliter fieri non poſſit. Unde Math. 6. jubemur orare: *Ne nos inducas in tentationem.* Hinc ita diſputamus. Si jam Monaſticæ vitæ & diſciplinæ conſecrati OMNIA RELIQUISTIS, ut etiam verè pauperes ſitis (quum præſertim omnis extrema paupertas in tribulationis & tẽtationis gradu non infimo ponatur) quomodo petitione illa Dominica uti poſſitis? Si non eſt omnino PAUPERTAS (neque enim ad paupertatem Euangelicam pertinet ea paupertas, in qua propter maximas ejus delitias & otium nemo vel ſeculariſſimus vobis non invideat) quomodo perfectionem jactare poſſitis? Equidem quando hanc veſtram jactantiam cogitamus, non facilè intelligimus, utrũ potiùs doleamus populi ſtoliditatem & ſtupiditatem, quod eam admirantur, an veſtram futilitatem derideamus, quod eam perfectionem, ceu ſummam, verbis prædicatis, quam tamen, ſi cum aliis comparetur, longè eſſe infimam probatis.

Objicit Bellarmins: *Sic teſtantur de hoc genere divinæ literæ, accipiens nomen in regno cœlorum majus atque nobilius.* Quare? Quia ſubjungit lib. 2. de Monachis cap. 2. *Religio eſt ſtatus hominum ad perfectionem Chriſtianam paupertatis, obedientiæ, continentiæ vota tendentium* Et idẽ dem: *Tres hæ non ſufficiunt, niſi his tribus votum accedat, id eſt ſacra promiſſio Deo ſacta, qua quis obſtringit ſe ita perpetuò victurum. Religio enim eſt ſtatus, & rem ſignificat immobilem.* Ac cap. 9. §. Neque obſtat: *Hæc,* inquit, *perfectio, quæ cõſiſtit in obſervatione conſiliorum: ut paupertatis, &c. neceſſaria eſt ad excellentiorem gradum gloriæ in regno cœlorum.* Hæc ille. *In præfatione ante controverſ. de Monachis.*

At mox vulneratur ab Azorio, qui: *Accidit nonnunquam,* inquit, *ut Monachus vel religioſus ad Cardinalis dignitatem evehatur, aut ad Epiſcopi munus eligatur.* Agedum ergo Epiſcopi & Cardinales non omnia relinquunt & abjiciunt, ſed ſuis propriis quidem, iiſque ampliſſimis beneficiis fruuntur. Religioſi negligunt: Epiſcopi obedientiæ regulam præſcribunt: Religioſi obtemperant. Quæritur igitur, uter horum ſtatus ſit perfectior? Epiſcoporum, an Mona- *Inſtit lib. 12.c.7.§. Secundo quæritur.*

Ffff 2 chorum

Digitized by Google

chorum? Loquatur & decidat Bellarminus Ipſe, qui l b.2. de Monachis cap. 2. §. *Tertius gradus*, ſcribit, *Status Epiſcoporum eſt ſtatus perfectionis adepta: Status religioſorum & Monachorum, eſt ſtatus perfectionis acquirendæ. Hi nondum ſunt perfecti: Illi ſunt, quia ad eum gradum charitatis pervenerunt, ad quem religioſi per ſua vota & exercitia contendunt. Qui per paupertatem, continentiam, obedientiam, impedimēta ſalutis removent, quæ ex divitiis, conjugiis, imperiis oriuntur.*

Loco quo ſuprà.

Azorius ait: *Cœleſtinus Pontifex Romanus, Pontificatu depoſito, ad priſtinum ordinis ſtatum ſe retulit, quod & alii Epiſcopi permulti feciſſe perhibētur.* Quorſum hæc? inquies, quorſum? Ut teipſum, Bellarmine, agnoſcas. Tu olim inter religioſos, nunc cuculla abjecta, Galero Cardinalitio inſignitus Rabbi ſalutaris. Teſtis eſt Pererius, qui in epiſtola nuncupatoria comment. ſuorum in Exodum ad Bellarminum ſcribit: *Unum dicam, illuſtriſſime Cardinalis, vitam egiſti in noſtra ſocietate Jeſuitâ inculpabilem. Aſſumptus es poſtea in Cardinalatum.* Eras igitur in ſtatu religionis conſtitutus: *Cujus eſt*, inquit, *voto obſtringi perpetuo, ita vos vos eſſe victuros.* Quodque eſt veſtro ordini peculiare, nullam dignitatem Eccleſiaſticam unquam admittere velle, & in hac perfectionis prærogativa ordines alios Monaſticos excellere, aliquamdiu ordo veſter non mediocriter gloriabatur. Tu igitur, obſecro, reſponde. *Status Monaſticus Perfectionem*, inquis, *Euangelicam profitetur, & præ aliis centuplum meretur, id eſt, gradum in cœlo excellentiorem.* Cardinalis ergo jam factus non modò tuammet regulam tuapte praxi evertis, ſed etiam à cœleſti gradu te dejici ſinis. Sin minùs profeſſionem Monaſticam, quam integro libro ſtabilire conaris, uno hoc exemplo tuo, & confeſſione labefactaſti. Et quum voti obligationem perpetuam aſſeris, quam ipſe violaſti, te aut ſcriptis tuis palinodiam accinere oportet, aut in vita tua ſacrilegam tuam deſertionē confiteri pluribus poſſumus, hanc quoque de Monachiſmo gloriolam veſtram profligare.

Bellarmin. ſua praxi theſin ſuam evertit.

His de cauſis ipſi etiam Religioſi ſeu Monachi mendicantes, paupertatis altiſſimæ theoriam eſſe jucundā, praxin verò difficilimam, moleſtiſſimam, graviſſimamque experti ſunt, hacque tandem ſe liberare ſummis viribus connixi. PRIMUM igitur certamen regulę de proprietate rerum non habenda rectè intelligendæ ſubierunt. DEINDE à nonnullis furti acriter accuſati ſunt. Inde ut liberentur ab altiſſima paupertate, Nicolaum 3. pro auxilio adierunt. De hinc quum & Pontifex & alii objectiones ac rationes illorum quodammodo diluiſſent, nihilominus autem rerum oblatarum & donatarum uſum illis conceſſiſſent, Mendicantes legatis & redditibus inſtar vulturum atque accipitrum inhiare cœperunt, ita ut etiam Clerici de ſubtractis ſibi legatis, &c. à Mendicātibus apud Bonifacium 8. graviſſimè queſti ſint. Hic partem quartam legatorum Mendicantes Curatis, id eſt, Eccleſiarum curatoribus vel confeſſionariis ſolvere jubet, ex quo majores rixæ ortæ. Clerici & Mendicantes Benedictum 2. arbitrum adeunt, qui Bonifacii decretum abrogat. Verum inde atrocoire rixâ commotâ,

Certamen Monaſticū de paupertatis regula votiva.

Clemens

Digitized by Google

Clemens 5. abrogata rurſus Benedicti 2. lege, decretum Bonifacii reſtituit. Sequutus Clementem Johannes 22. planè ad peram & mendicitatem Mēdicantes relegat. Hi Alexadri 5. opem implorant. Alexander quicquid petūt Mendicantes, bullis ſuis confirmat. Illæ ab his expoſitæ impugnantur, ut iterum Mendicantes cauſſa cadant, ac CAROLUS VI. Galliæ rex contra eos pronunciet. Quo facto, pauperculi ad Sixti 4. opē confugiunt, cujus authoritate tandem Mendicantes & curati reconciliantur. Hinc illi etiam contra votum ſuum divites facti ſunt. De quibus vide pleniùs Rodolphum Hoſpinianum lib. 6. cap. 17. de Origine Monachatus. Qui & ſequenti capite mira narrat, quomodo Mendicantib. Monachis etiam in ipſo Papatu multi pii & docti viri ſeſe oppoſuerint, & eorū fraudes, dolos, hypocriſin, impietatē, ſcelera, atque omnis generis nequitias detexerint.

Ac mirandum ſanè, quid adeò Monachi & alii Papatus Clerici velint videri mundum reliquiſſe, & toti ſpirituales, caſti, religioſiſſimi, pudiciſſimique omnium mortalium haberi, quum ideò votis talibus ſeſe obſtringāt, & in latibula cœnobiorum abdāt, ut revera vix ulli álii magis in mundo vivant, certius omnis inopiæ, moleſtiæ laboris, curæque expertes ſint, quibus reliqui mortales ſubjacent ac gravantur? Quos enim dabis alios, quibus meliùs conveniat impiorum deſcriptio, quæ in Pſalm. 73. ad hunc modū exſtat? *Non ſunt eis nexus ad mortem, pingues ſunt & prævalidi. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellantur.* Item Pſal. 144 *Promptuaria illorum plena eructantia ex hoc in illud, oves eorum fœcundæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boves eorum craſſæ,* &c. Habent certè hæc omnia ſancti illi ſcilicet fratres, & tamen Deo ſimul ac hominibus illudunt, dum hoc ſuum vitæ genus plus quàm Sardanapalicum, Cræſeum & Epicuræum egregiis voluntariæ paupertatis, obedientiæ ac caſtitatis elogiis exornant.

Ac omitto permulta alia, quibus Pontificii, qui conducere dicunt relictis propriis religionem amplecti ſolitariam, pudore ampliùs ſuffunduntur. Sed ipſorum adverſariorum & Clemētis Alexandrini tantùm ſententiis concludam. COR. JANSENIUS *Erat,* inquit, *quidam error, qui docuit Eccleſiaſticos non poſſe poſſidere ullas divitias, quia talis fuit vita Chriſti, ut refert Auguſtinus.* Vadiani autem alias etiam dicti ſunt Audiani, & Antropomorphitæ. Quomodo igitur Nicolaus Pontifex & ejus aſſeclæ non ſunt hæretici? Nam teſte Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. *Nicolaus quartus Romanus Pontifex ſentiebat illam paupertatem eſſe ſanctam & meritoriam, Johannes 22. planè negat.* Ubi tamen Pontificii plerique magis in Nicolai, id eſt, (ſi Auguſtino & Johanni Papæ credimus) in hæreticam ſententiam propendent.

Concordātia Euangelic. c. 29. Auguſt. lib. de hæreſib.

Clemens verò Alexandrinus: *Qui enim perfectus fuerit,* inquit, *exempla habet Apoſtolos, & revera vir oſtenditur, non in eo, quod vitam elegerit Monaſticam, ſed ille viros vincit, qui in matrimonio, & liberorum procreatione & domus cura ac providentia, citra voluptatem & dolorem, ſe exercet. & cum Domus curatione eſt indivulſus à Dei charitate, inſurgens adverſus omnem tentationem*

Strōmat. 7. fol. 152.

Digitized by Google

tionem, quæ affertur per filios, uxorem, famulos. Ei autem qui hæc non habet, evenit magna ex parte, ut non tentetur. Profeſſio itaque paupertatis Monaſticæ, quomodo non ad hæreſin propiùs accederet?

Neque hîc etiam Vigilantius fuit unquam ab antiquis ſanioribus publicè hæreſeos damnatus. Et Eraſmus in Hieronymo talium rerum improbationis Vigilantium accuſante, modeſtiam requirit. Nec mirum, quum qui Hieronymum legerit, reperiet illum convitiis & calumniis uti, Vigilantiũ verò argumentis, ut verè hic adverſus exorituras hæreſes vigilaverit.

CAP. V.

Pelagianiſmi nihil habere Euangelicos.

Lib de notis Eccl c.9. §. prolog.

PROGREDITUR Jeſuita, & in Euangelicos decimam quartã hæreſin Pelagianorum producit, qui duo inter alia docebant admodum hæretica, ſed convincere non poteſt, eadem Euangelicos ſentire & docere.

I. *Accuſantur Euangelici hæreſeos Pelagianæ circa originale peccatum.*

PRIUS Pelagianæ hæreſeos ſcelus Auguſtinus lib. de Hæreſ. cap. 88. ſic recitat. *Pelagiani in infantibus negabant eſſe originale peccatum, & propterea eis promittebant vitam æternam, etiamſi abſque Baptiſmo morerentur.* Hinc infert Bellarminus: ***Hunc errorem tenent Calvinus & Bucerus, qui negant eſſe in filiis fidelium peccatum originale. Nam dicunt ſanctos naſci, & ſalvari etiam ſine Baptiſmo.*** Addit etiam Guil. Lindanus Panopliæ lib. 4. cap. 15. ***Pelagianam hæreſin Calvinus revocat, qui docet parvulos non perire, quibus ſubita morte abreptis dempta eſt facultas Baptiſmatis.*** Idem de Pelagianis Greg. Valentianus de orig. pecc. cap. 2. & Tom. 2. Diſp. 6. quæſt. 12. punct. 1. dicit, ac litera d. adjicit: ***Omnes proteſtantes reipſa conſentiunt, ut colligo ex Auguſtana confeſſione, Calvino & aliis, &c.*** At ibid. cap. 8 & in Tomo 2. Diſp. 6. quæſt. 11. punct. 1. §. *Quam quæſtionem* ſubjungit: ***Calvinus & Lutherus, cæteríque Proteſtantes adeò non negaverunt peccatum originale, ut etiam prodigioſis loquendi modis illud exagitent. Etiam in renatis manere dicunt, quamdiu hanc vitam degunt.*** Et Gab. Vaſquez Tom. 1. Diſp. 131. num. 2. Stupenda adverſantium perverſitas, ait: *Vocantes hoc peccatum* MAXIMUM, *quo totus homo inficitur.*

RESP. tripliciter. *Primum* apparere in iſtis mirificam Adverſariorum vertiginem. Etenim Bellarminus & Lindanus Calvinum accuſant, quaſi omnino negaverit Originale peccatum. Valentianus verò & Vaſquez eundem Calvinum accuſant, quaſi is peccatum originale nimis eſſe peccatum magnum affirmet. Quis ergo horum hominum ingeniũ vafrum atque diſtortum non animadvertat? Nam ne Euangelicis non ſint Adverſarii, ſunt etiam ſibi, ac eadem in re calidum & frigidum evomunt. *Vertigo Pontificiorum Doctorum.*

Deinde, ut maximè tamen data opera ipſi VERITATI Adverſarii videãtur, ex ipſorummet agminibus non pauci Euangelicos hac in accuſatione abſolvunt. VEGA lib. 2. de Concil. Trid. cap. 6. ***In hac doctrina,*** inquit, ***quod ſciam, nihil à nobis diſſentiunt Lutherani, cõſtanter ubique docent Proteſtantes in ſuis Confeſſionibus & Apologiis, damnati vero ſunt in hac Tridentina Synodi definitione Pelagiani, Armenii, Albanenſes & alii, qui originale*** *2. Euangelici ab ipſis Pontificiis abſolvuntur.*

Digitized by Google

riginale peccatum negaverunt. Sic Vega, qui Synodo Tridentinæ interfuit, illius Expoſitor poſtea electus.

Quod confitetur non minus ingenuè alius Georg. Caſſander conſult. art 2. *Eſt in hoc*, inquit, *Proteſtantium articulus Catholicæ traditioni conſentaneus, ut agnoſcit Echius.* Annon itaque ex his cõſtat, Bellarminum, Lindanum & cæteros ſimiliter ſentientes ipſi manifeſtiſſimæ Veritati adverſari? Ut autem Vegam & Caſſandrum cum ſuis Veritati aſtipulari cernatur, perſpiciemus quomodo Adverſarii ipſi quoque Calvini & Euangelicorum mentem hac in re exponant, & qua ratione originale peccatum ineſſe in Renatis, quave nõ ineſſe judicaverit, explicent.

De Origin. peccato.

Thomas Stapletonus: *Etiam in renatis*, inquit, *peccatum originale proteſtantes aſſerunt vim habere, ut ſua natura nos morti addicat, niſi quod non imputatur.*

Mira cæcitas accuſatorum.

Accuſator loquatur Bellaminus lib. 4. de Amiſſ. gratiæ cap. 14. dicens: *Calvinus negat filiis fidelium imputari originale peccatum, idem Bucerus.* Bene habet. *Pelagius verè in filiis fidelium*, inquit Bellarminus de Notis Eccleſiæ cap. 9. *negabat eſſe originale peccatum.* Calvinus verò & Bucerus non (ut noſti) negant eſſe, ſed tantùm ajunt (ut ipſe fateris Bellarmine) *non imputari.* Et tamen affirmare audes, idem cum Pelagianis ſentiunt? Quæ hæc eſt vertigo? quæ cæcitas? quæ inſania?

At refutata Bellarmini calumnia ab ipſiſmet Pontificiis, etiam Lindani ab iiſdem refutanda venit. Ait enim Lindanus: *Filios fidelium Baptiſmi expertes non per re (quæ eſt Pelagiana hæreſis) tenet Calvinus contra neceſſitatem Baptiſmi.* Bellarminus autem quaſi advocatum Calvini agens, dicit: *Calvinus defendit neceſſitatem Baptiſmi contra contemptum.* Nunquid hoc hæreſin ſapit? Nunquid non ratione orthodoxa confirmatur? Dicit ergo ibidem: *Ratio Zuinglii eſt, quod non baptizati ſalvari poſſint, quia Deus* (in tali caſu neceſſitatis) *non eſt alligatus Sacramentis.* Sed reſpondemus illi. Atqui Aquinas veſter: *Deus*, inquit, *non alligavit gratiam ſuam Sacramentis.* Imò etiam ipſe Bellarminus lib. 4. de Chriſto: *Deus*, inquit, *non eſt alligatus Sacramentis.* Sic modò ait, modò negat; in veritate autem ipſa fundamentum Calviniſmi, ſeu potiùs Chriſtianiſmi ponit. Nam & lib. 1. de Baptiſmo cap. 4. §. 1. Argumentum, ait: *Pereant, quotquot (qui ſunt inſtituti) Baptiſmo carent, hoc (inquiunt Cajetanus, Gabriel & alii Catholici) eſt à Dei miſericordia alienum.* Quibus tamen reſpondet. *Quum infantes non baptizati ſine ſua culpa pereunt, hoc occulto Dei judicio tribuendum eſt.* Quod etiamſi Dei juſtitiam aſſerere poſſit: tamen Eccleſiam qui poſſit à ſacrilega impietate vindicare, quod non huic neceſſitati (quoad fieri poſſit) ſemper occurrat? Sed infantes ſæpè in dies aliquot; adultos verò *per annum aut ampliùs* (ut ait Acoſta Jeſuita lib. 3. de procurand. Indicorum ſalute cap. 3.) *ubi diſcrimen mortis nõ urget, diſtineri.* Ac Greg. de Valent. Tom. 4. diſp. 5. quæſt. 3. punct. 1 §. Quod ſi, ait: *Legimus de ſanctis olim hominibus, eos diu diſtuliſſe Baptiſmum.* Sic præcipitis, quum tamen nihil eſt ipſa morte ſæpè inſtantius.

De Amiſſ. gratia 4. c. 14. Secunda ratio.

Aquin par. 3 quæſt. 64.

Ac certè alii de hinc ardentius & evidentius Euangelicorum cauſſam vindicãt. Ut Alphonſus de Caſtro, *Negabat*

Digitized by Google

gabat Pelagius,inquit,*filios ante Baptiſmũ in gratiam recipi*. Ac Vaſquez Tom.1. diſput.130.num.2. *Dicebat Pelagius*,ait, *neceſſarium eſſe Baptiſma infantibus ad conſequendum regnum cœlorum*. Bellarminus verò lib. de notis Eccleſiæ cap.9. *At Calvinus*,inquit,*& Bucerus dicunt,filios fidelium etiam ſine Baptiſmo ſanctos eſſe & ſalvari,& non perire*. Attendite ergo, aliam cæcitatem vel dementiam Pontificiorum, quod Pelagiani negant, id Proteſtantes vel Euangelici aſtruunt: quod aſſerunt Proteſtantes ac Euangelici, id Pontificii oppugnant. Ergo magis Pelagianis cum Pontificiis in hac quæſtione, quàm cum Proteſtantibus convenit, ut in Pelagianiſmum apertè hìc prolabantur.

Adverſ. hære ſes lit. peccatum.

Obſtat nobis alia criminatio Bellarmini,qui lib.4.de Baptiſ. & Euchar.c.1.ait: *Ex Calvini doctrina ſequitur,Sacramenta novæ legis eſſe indifferentia*. Ac Cãpianus ratione 8. *Apud hos valet hoc axioma,Baptiſma ſi habeas,rectè,ſi careas,nihil damni eſt*. Maldonatus ergo comment. in Marcum cap.6.13. *Quid eſt*,inquit, *aliud Sacramentum, etiam confitentibus Proteſtantibus, quàm externa ceremonia à Chriſto inſtituta, tanquam* ORDINARIUM REMEDIUM SALUTIS. Hinc ſanè nihil damni in privatione Baptiſmatis,ubi nulla culpa accidit.

3. Diluitur crimen Pelagianiſmi circa originale peccatum per explicationem orthodoxã hujus peccati, & refutationem argumentorũ Adverſariorum, atque aſſertionem argumentorum Euangelicorum.

Prorſum itaque Euangelici à ſententia Pelagianorum in negatione peccati Originalis totali abhorrent,ut ne unum quidem ex Euangelicis proferre poſſint adverſarii,qui infantes originalis peccati reos eſſe negarit. Si autem aliqui infantes piorum ante Baptiſmum decedentes, ubi nulla intervenit negligentia,ſalvos fore exiſtimarint,hoc ideò factum eſt,quia originale peccatum in eis deletum exiſtimabant,ut iis non imputetur. Tales enim non contemnebant Baptiſmum, ſed in voto & propoſito parentum & propinquorum habentes baptiſmum, tẽporis excludebantur anguſtiis.

Si autem nihilominus pergunt Pontificii, Euangelicis tribuere, quaſi inſtar Pelagianorum ſentiant, dum aſſerunt,*ſanctos naſci & ſalvari etiam ſine baptiſmo*, tum hæc calumnia Apoſtolum Paulum attingit, non minùs quàm Bucerum & Calvinum, ut patet 1.Cor.7.14. Nam hi non negant originale peccatum in filiis fidelium,qui fatentur illud etiam in ipſis fidelibus hærere & remanere. Sed tamen cum Apoſtolo dicunt,*eſſe ſanctos*,quia ſunt in fœdere Dei. Si hoc ſit non habere peccatum, tum Apoſtolus eſt Pelagianus. Negatur igitur in verbis Bellarmini conſequens: ſi ſancti naſcuntur,ſi etiã ſine Baptiſmo ſervantur,eos ergo non habere peccatum originale. Nam quicunque naſcuntur in fœdere Dei, utrumque ſimul habent, & peccatum originale natura in ſe,& ſanctificationem per gratiam fœderis in Chriſto Jeſu Angelo fœderis ſalutaris noſtri. Fallit ergo prior argumentationis locus elenchi ignoratione. Poſterior verò fallit homonymia. Nam Baptiſmi nomẽ accipitur trib. modis. Aut de baptiſmo integro abſolutè dicitur,aut de interno externoq; ſimul,aut de interno ſolùm. Duobus prioribus modis quum dicitur,certo certius eſt ſine baptiſmo neminem fieri ſalvum: iſti verò de externo dicunt,ſtatuentes ſine baptiſmo externo neminem ſervari: quod

Infantes fidelium,ut in peccato originali ſalvantur.

Mal.3.

Digitized by Google

quod eſſe falſiſſimū Scriptura docet. Nam ſic maxima fit injuria gratiæ Dei, & virtuti fœderis ipſius, quo ſe Deum fore fidelium & ipſorum ſobolis, atq; extenturum ſuam miſericordiam ad mille generationes uſque Gen. 17. Exodi 20 6 pollicetur. Ac latro converſus, baptiſmo quidem viſibili caruit, ſed tamen re ſignata, ſeu interno & inviſibili baptiſmo non fuit deſtitutus. Unde & Thomas Aquinas 3. part. quæſt. 60. diſt. 4. ait: *Tunc infantes baptizari Baptiſmo flaminis, quum non poſſunt baptiſmo fluminis.* Et nos idem ſentientes ac profitentes hæretici eſſemus?

Adverſarii verò Pontificii ἀνασκευαστικῶς pro peccato originis diſputantes contra Pelagianos non modò ſua argumenta proponunt, verùm etiam cū Calvino & Buzero etiam Huldericħū Zuinglium Pelagianiſmum ſequi hac in re garriunt, & refutare eos proponunt, ut invidia eos gravent. Quare tum Zuinglii, tum Buzeri & Calvini ſententiam atque adeò verba ipſa cōcluſionis loco eo ordine excutiemus & refellemus, quo Bellarminus in libris de amiſſione gratiæ ea recitat & inſectatur.

Zuinglii ſententia temerè à Papiſtis exagitatur.

PRIMÒ paucis oſtendam, quid Zuinglii ſententia à Pelagianorum errore & ſcholaſticorum opinione differat. *Pelagiani* peccatum originis ſimpliciter negabant: *Zuinglius* minimè negat, ſed eſſe peccatum originis fatetur. *Pelagiani* dicebant, Adami lapſum nulli nocuiſſe niſi ipſi: *Zuinglius* dicit, peccatum originis tanquam noxam & mulctam primi lapſus in poſteros propagatam eſſe. *Pelagiani* dicebant, infantes hodie naſci tales, qualis erat Adam ante prævaricationem: *Zuinglius* dicit, infantes omnes naſci morbidos, pravos, & ab Adamo naturam peccatricem habere. *Pelagiani* dicebant, peccatum originis nihil eſſe: Zuinglius dicit eſſe morbum, vitium, depravationem naturæ. *Pelagiani* dicebant, mortem non eſſe pœnam peccati, ſed ſequelā naturæ: Zuinglius dicit, mortem eſſe pœnam primi peccati. Hæc omnia ex libris tum Auguſtini de hæreſibus ad Quod vult Deū, ac aliis, tum Zuinglii variis, ac cum primis *ex Declaratione de peccato originis*, manifeſtè habentur. Improbè igitur Zuinglius cū Pelagianis ſociatur.

Zuinglius à Sophiſtis in ſententia de originali peccato differt.

A Sophiſtis verò Zuinglius diſcrepat in tribus. *Primò* Sophiſtæ contendunt, peccatum originis eſſe peccatum propriè dictum: ipſe cum Auguſtino peccatū vocat metonymicè, quia eſt ex peccato ortum. In quo tamen revera nihil hic & illi diſſident. Per peccatum enim propriè dictum Zuinglius intelligit actualem tranſgreſſionem legis: quam infantibus convenire negat. Idē verò Sophiſtæ volunt. Licet enim verbis dicant, peccatum originis eſſe peccatum propriè dictum (quanquā hoc vix quiſquam præter Bellarminum dicit) tamen rurſus negant, quum duntaxat concupiſcentiā, vel reatum, vel maculam, vel vitium naturæ eſſe contendunt. Multi etiam Patres idem cū Zuinglio ſenſerunt, ut deinceps demonſtrabitur.

Deinde, Sophiſtæ contendunt, peccato originali omnes abſolutè infantes ſine baptiſmo è vita migrantes damnari: ut lib. 6. cap. 2. de amiſſione gratiæ videre eſt. ZUINGLIUS negat

Gggg qui-

Digitized by Google

quidem fidelium infantes peccato originis damnari, ſed ex accidenti, propter remedium ſanguinis Chriſti: infidelium infantes relinquit Dei judicio.

Tertiò, Sophiſtæ docent, peccatum originale prorſus tolli per Baptiſmum ex opere operato. ZUINGLIUS aſſerit, omne peccatum ſolo Chriſti ſanguine expiari & tolli. Infantes verò fidelium quia ſunt in fœdere, ideò ſigno fœderis baptiſmo initiandos eſſe. Hinc patet malitioſus Bellarmini & aliorum Pontificiorum fucus, quo Zuinglium cum Pelagianis facere criminatur, ideò quia ſe à ſcholarum opinione diſſentire alicubi profitetur.

Redarguitur Bellarmini accuſatio in Zuinglium torta.

Hæc ex accurata collatione verborum Bellarmini & ipſius Zuinglii dilucidiùs patebunt. Libro de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati 4. cap. 2. Bellarminus HULDERICHO ZUINGLIO tria theoremata præcipuè impingit. PRIMÒ, peccatum originis non eſſe propriè peccatum, ſed morbum, defectũ, vitium, vitioſitatem naturæ, pronitatẽ ad peccandum ab Adamo in omnes homines derivatam. DEINDE, dici vero peccatum metonymicè, quia ex primi parentis peccato in poſteros eſt tranſfuſum. TERTIÒ, non inducere reatum, ſeu non damnare ullos homines. *Etiamſi enim* (verba Bellarmini recitamus) alicubi dicat, *ſolùm Chriſtianorum liberos propter iſtum morbum non addici æterno ſupplicio: contendit tamen* (ſic inquit de Zuinglio) *æquè de filiis infidelium, atque de filiis fidelium id ſe intelligere, quia filios fidelium excipiat, à damnatione, non propter pactum aliquod à Deo cum parentibus initum, vel propter fidem parentum aut ſuam, vel propter ſpeciale aliquod Chriſti beneficium: ſed quia legem & legis ſententiam ignorant. Ratio* (inquit) *quâ Zuinglius probat, peccatum originis non poſſe damnare infantem, non fundatur in beneficio Chriſti, ſed in eo, quod ubi non eſt prævaricatio, ibi non eſt damnatio: & non eſt prævaricatio, ubi nõ eſt cognitio legis, &c.*

Ad quæ reſpondemus, PRIMUM ponẽdo, omnia quæ adverſarius in Zuinglium dicit, ita eſſe. Erravit ergo Zuinglius circa naturam tantùm peccati originalis, de qua Bellarminus lib. 5. de amiſſione gratiæ diſputat, ut infrà ſequetur. Peccatum verò originis eſſe, & ex Adamo in poſteros naturaliter derivari, nequaquam negavit. Nihil igitur contra præſentem quæſtionem Zuinglius deliquit, ſed capillis huc trahitur.

SECUNDÒ, peccatum originis eſſe morbum, defectum, vitium, concupiſcentiam pravam, pronitatem ad peccandum ab Adamo in omnes poſteros propagatam, licet ſufficiens non ſit: tamen falſum nõ eſt. Nec ita ſolus Zuinglius ſenſit initio, quum ex Papatu prodiret, ſed opinionem eam hauſerat ex Lombardo, ſententiarum magiſtro, qui peccatum originale fomitem peccati, concupiſcentiam, concupiſcibilitatem, languorem, vitium naturæ definivit. *Lib. 2. diſt. 30. 31.*

TERTIÒ, quod dicit Zuinglius, vitium illud eſſe non propriè peccatum, ſed metonymicè, quia ex peccato eſt ortum, id non habet ex ſe, ſed ex Auguſtino, qui idem de nuptiis & concupiſcentia 1. cap. 23 dicit. Adverſarius fatetur, Zuinglium in hoc non diſſentire à Papiſtis. Quid igitur eum accuſat? Imò infrà cap. 7. 8. 9. acriter contendit Bellar-

Digitized by Google

Bellarminus adverſus Euangelicos: *vitium concupiſcentiæ non eſſe peccatum propriè, ſed metonymicè dictum.*

Quartò, peccatum propriè dictũ Zuinglius intelligit peccatũ actuale, & hoc ſenſu, non alio, peccatum originale peccatum propriè dictum negat. Patet ex eo, quod dicit in declaratione: *Ingenium eſt peccatum ſeu vitium originale: rapina verò peccatum, quod ex ingenio dimanat, idipſum peccatum actu eſt, quod recentiores actuale vocant: quod & propriè peccatum eſt.* Vides, quod peccatum originale & actuale, ut peccatum impropriè & propriè dictum diſtinguat.

Quintò, licet libro de Baptiſmo Zuinglius contagium peccati originalis ponat ſine reatu, & culpa in liberis fidelium: tamen in declaratione ad Urbanum Regium mentem ſuam perſpicuè ita declaravit, quod peccatum originale non tantùm morbum, ſed & Culpam ſtatuat damnabilem per ſe. Quod ergo filii fidelium à damnatione liberentur, id fieri ſingulari Privilegio per redemptionem Jesu Christi. Gentilium verò liberos extra Eccleſiam Judicio Dei relinquit.

Hæc ita ſe habere, & non aliter, ut Chriſtianus lector cognoſcat, ipſius Zwinglii verba breviter proferam. *Adam*, inquit, *uno peccato nos omnes condemnat.* Hoc unico aphoriſmo tota Bellarmini calumnia profligatur. Agnoſcit enim Zuinglius, ex uno Adami peccato peccatum originale omnibus poſteris damnabile. In declaratione clarius circa medium: Ex hac *reſponſione*, inquit, *quâ concedimus, peccato originali* Damnari, *quicquid eo affectum naſcitur,*

Comment. in cap. 5. ad Rom.

duplex nobis oritur quæſtio. Una, *cur paulò ante dixerimus, non temerè eſſe damnandos, qui circumciſi aut tincti non ſint, quum aut temeri ſunt, aut operibus oſtendunt, legem Dei in corde ſuo ſcriptam eſſe; at nunc ipſi omnes in univerſum damnemus?* Altera, *cur diximus in libro de Baptiſmo peccatum originale non damnare?* Ad Priorem *ſic reſpondemus, nos hactenus de ingenio atque vi peccati originalis ſic locutos eſſe, ut quidnam eſſet, unde eſſet, quæq́; potentia ejus pro noſtra parvitate aperiremus: quo ſcilicet probè cognoſceremus iſtud, de quo agitur. De remedio verò, quo iſti morbo occurritur, nondum dici cœptum eſt. Non immeritò autem damnamus, qui nec morbum, nec remedium penitus cognitum habentes, damnant, quæ ignorant.* Damnat *quidem peccatum originale, quod ad vim ingeniũmque ejus attinet. Sed ſervat ac ſulcit præſentiſſimum remedium, quod non ſerò nimis, ſed tempeſtivè eſt adhibitum. Originali morbo* Perdimur Omnes: Remedio *verò, quod contra ipſum invenit Deus, incolumitati reſtituimur.*

Et paulò poſt: *Non eſt ergo mirum, ſi diximus, quod ad peccati originalis vim attinet,* Damnari *ipſo omnes. Dato autem remedio, quod omnia reſtituit, errare eos, qui temerè damnant omnes.*

Et poſtea: Ad Alteram *objectionẽ ſic reſpondemus, nos nunquam abſolutè dixiſſe, peccatum originale non poſſe* Damnare. *Sic enim in lib. de Baptiſmo teſtatus ſum, me ſolummodò de Chriſtianorum natis loqui, quod ipſos originalis culpa damnare non poſſit: quod liber ipſe duobus locis palàm teſtatur. Unde non parùm admirabar tragica iſta: Videtis quo Zuinglius eat in quæſtione peccati originalis? & quid is niſi Chriſtum evacuat? Id autem non alia cauſſa adjecimus, quàm quod de Chriſtianorum natis certi ſumus*

gaverit: Illudque in primis luculentũ mendacium eſſe, quod liberos non ſolùm fidelium, ſed infidelium ex æquo à reatu peccati originalis abſolverit: vel ſaltem quod liberos Chriſtianorum non propter PACTUM aliquod à Deo cum parentibus initum, vel propter ſpeciale aliquod Chriſti beneficium à damnatione exceperit. Omnia iſtis contraria ex diſertis ejus verbis habentur. I. Quod omnes homines ex Adamo naſcantur peccato originali inquinati. II. Quod peccatum ſit morbus, vitium, ingenium, culpa originalis omnes ſecundùm legem damnans tanquam hoſtes & adverſarios Dei. III. Quòd liberi fidelium peccato originali, quo naſcuntur, non damnentur ex accidenti, propter remedium CHRISTI ſanguine paratum. IV. Quod de liberis Gentilium nihil pronunciare velit, ſed relinquat eos DEI JUDICIO.

Bucerus Zuinglium piè de peccato originis ſentire teſtatur.

His in gratiam eorum, qui ſunt pietatis & candoris amantes, ſubjiciemus ex commentario MARTINI BUCERI ad Romanos, quæ magnus ille Theologus ſub finem c. 5. tractatui de peccato originis de Zuinglii ſententia ſubjecit. HULDRICHO ZUINGLIO inquit, *viro pro reformatione Eccleſia non vulgariter zelanti impingitur, quod peccatum originale morbum tantùm & pœnam eſſe voluerit, qua nemini ſit exitio. Sed profecto errant. Eſt enim* CHRISTIANO *citra omnem perſona reſpectum veritas in omnibus agnoſcenda & defendenda.* Ut quidẽ *videre poſſum,* HIC VIR (Zuinglius) *nunquam ſcripſit, id quod peccatum originale vocamus, per ſe non eſſe noxium. Ex parte quidem gratia Dei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum adſirmavit, innoxium fieri hunc morbum iis, qui redemtionis Chriſti redduntur participes. Idem docet omnis Eccleſia. Quod verò hoc malum* MORBUM *potiùs quàm peccatum vocandum putavit, inde fuit, quòd peccati nomine intelligitur vulgo peccatum propria voluntate admiſſum. Morbum itaque vocavit peccatum originis, ſed eum lethiferũ, niſi ſuccurrat* SANGUIS CRISTI. *Porrò extant articuli de præcipuis religionis noſtra dogmatis Marpurgi Cattorũ ſubſcripti, in quibus orthodoxam fidem de peccato originali & ipſe confeſſus eſt. Oro itaque Chriſti ſtudioſos qua hic vir antea ſcripſit, unde ejuſmodi de eo oriri poſſit ſuſpicio, quaſi non ritè de hoc malo natura noſtra ſenſerit, velint ea juxta iſtam piam & ſanam ejus confeſſionẽ intelligere, ne vel hunc vel alios falſo hic crimine infament. Quod indubiè nemo* CHRISTIANUS (audin Bellarmine!) *facere ſummopere horreat.*

Habet verò articulus ille, quem Zuinglius cum Dn. Luthero & aliis confeſſus eſt, adhunc modum. CREDIMUS peccatum originale ab Adam nobis innatũ eſſe & perceptum hæreditariò, eſſeq; peccatum ejuſmodi, ut condemnet omnes homines, &c.

Sic quum habeat viri hujus confeſſio & judicandus quiſque ſit ex ore ſuo, merito abſolvi debet apud omnes Chriſti ſtudioſos, iſto crimine negati, aut non planè agniti peccati originalis, etiamſi inſit in libris ante hanc cõfeſſionem editis, quod admittat aliquam hujus erroris ſuſpicionem. Quanquam idem & ad D. URBANUM REGIUM *ſuam hac in re ſententiam clarè expoſuerit, teſtatus ſe eo, quod hoc malum morbum non peccatum vocat & liberis Chriſtianorum innoxium facit, nihil minus velle ſtatuere, quàm malum hoc per ſe non damnare, ſed quum Chriſtianorum*

Digitized by Google

norum liberos agnoſcat fœderis gratia per Chriſtum conſt tui participes. ſentire ſe, meritum Chriſti eo noſtris infantibus valere, ut malo illo originis non pereant, ex illo prorſus perituri, ſi id per REDEMPTIONEM CHRISTI *non aboleatur.* Hactenus Bucerus.

Refutatio ſophiſmatum Zuinglio cũ Pelagianis falſo tributorum.

Hæc pro Huldrichi Zuinglii innocentia ſatis eſſent piis, æquis & non cõtentioſiis. At quoniam Bellarminus ipſa Pelagianorũ ſophiſmata Zuinglio attribuit, quaſi hic eadem contra originale peccatum uſurpet, proderit ea etiam brevibus diſcutere, & quàm falſo Zuinglio aſſignantur, palàm facere.

PRIMUM citat Bellarminus lib. 4. de Amiſſ. Gratiæ & Statu peccati capite 3. locum Rom. 5. 12. *Propter ea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*, &c. Unde noſtri Euangelici probiſſimum hoc argumentum conficiunt.

Pareus in Bell. de Amiſſ. Gratia pag. 533.

Peccatum illud, quod per unum hominem introiit in mundum, quod mortem in omnes homines invexit, quo omnes homines peccaverunt, quo denique omnes conſtituuntur peccatores ad mortem & damnationem (hac omnia enim cõjungi ex textu Apoſtoli oportet, ut ratio conſtet) fuit vel actuale tantùm, vel originale tantùm, vel utrumque ſimul.

At non fuit actuale tantùm quia eo etiam infantes moriuntur, qui ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, hoc eſt, actualiter peccare nondum potuerunt. Nec originale tantùm, quia peccatum primi hominis, quod primò mundum polluit, & propriè mortem in omnes homines invexit, fuit tranſgreſſio præcepti de non guſtanda arbore vetita.

Ergo fuit utrumque diverſo reſpectu, tum actuale reſpectu Adami, qui actualiter violavit præceptum Dei, tum originale reſpectu poſterorũ, qui omnes in Adamo ut in maſſa peccaverunt. &c.

Sed ait Bellarm. tribus modis hoc cum peccato Originis infirmari poſſe. Nã verbis: *Per unum hominẽ peccatum introiit in mundum*, non ſignificare peccatum originale filiorum Adami, ſed ipſum actuale peccatum Adami, quod per unum hominem dicitur introiſſe in mundum, quia tunc primum cœpit peccatum eſſe in mundo, quoniam fuit in Adamo, qui erat pars mundi. Hanc explicationem dicit indicari à *Zuinglio* lib. de Baptiſmo.

RESPONDEMUS. Ea verò neque ſimpliciter eſt falſa, quia veriſſimum eſt, peccatum primum Adami primo introiſſe in mundum, mortem invexiſſe & omnes homines polluiſſe, neque hoc infirmat peccatum originale, quia primum peccatum hominis fuit non ſolùm perſonalis Adami, ſed & univerſalis hominum tranſgreſſio, uti ex ſequentibus Apoſtoli verbis colligitur quæ ſunt: *Et ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccarunt.* Et habet quidem illam *Zuinglius*, ſed adverſarius eam non bona fide refert. *Zuinglius* enim verba Apoſtoli conjungit. Adamum quidem primo peccatum invexiſſe, quod dicitur colo priore ver. 12. in ipſo verò ſimul omnes homines peccaſſe, hoc eſt, pravos & mortales factos eſſe, quod dicitur colo poſteriore ℣. 12. & ℣. 19. Duos enim morbos ex primo peccato in omnes homines dicit redundaſſe, *vitioſitatem naturæ & mortem*, quod eſt veriſſimum. Sub morte verò reatum includi, quis non intelligat?

Secundò

Secundo modo dicit argumentum à Paulo ſumptum poſſe eludi, ſi quis cõtenderet peccatũ hoc loco ſignificare peccatũ originale, & Apoſtolũ non propriè, ſed metonymicè eſſe locutũ: *per unũ hominẽ in hunc mundũ intraſſe peccatum*, hoc eſt, morbũ quendã, ſeu pronitatem ad peccandum & mortalitatẽ quoque, &c. Quam explicationem dicit eſſe *Zuinglii & Pelagianorum*.

Sed PRIMÒ hæc expoſitio nihil lædit, imò confirmat argumentum. Sive enim peccatum originale ſtatuatur tantùm eſſe morbus, ſive præterea aliquid aliud, ſemper manet verum, peccatum originale per unum hominem intraſſe in mundum & in omnes homines, &c. quod vult argumentum. DEINDE, quod *Zuinglio & Pelagianis* eã tribuit, nempe ut illum iſtis aſſociet, utrumque eſt falſum. PELAGIANI enim tam veteres quàm recentes nec morbũ ullum naturæ, nec mortem ex Adami peccato in homines redundaſſe concedunt *Zuinglius* verò licet peccatum originale morbum & vitioſitatem naturæ dixerit: id tamen non ex his verbis, *peccatum per unum hominem intravit*, &c. confecit, neque per adverſarium conficere potuit. Si enim voluit, peccatum illud eſſe peccatum actuale Adami, ꝙ modo dicebat adverſarius, falſum quod peccatnm illud intelligat peccatum originale impropriè dictum. Peccatum enim actuale Adami etiam ſecundùm *Zuinglium* fuit propriiſſimè peccatum. Sic adverſarius nimia calumniandi libidine *Zuinglio* ἀσύϛατα tribuendo, turpiter ſibi contradicit. Quæ igitur à §. *am altera expoſitio*, uſq; ad §. *Tertia expoſitio* pro infirmaitone ſecundæ & tertiæ expoſitionis differit, tanquam inanes nugas omittimus.

Capite 8. libri 4. de Amiſſ. Gratiæ & Statu peccati rurſus Pelagianos & Zuinglium Bellarminus refutare proponit, in medium adducens argumenta vel teſtimonia, quæ Pelagiani contra peccatum Originis venditant. PRIMUM Pelagianorum teſtimonium erat ex Ezech. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris ſed anima, quæ peccaverit, morietur*. Idem dicit *Zuinglium* noſtro ſeculo protuliſſe. Sed ſubeſt calumnia. *Julianus* enim Pelagianus inferebat, Ergo poſteri non debent luere, quod Adamus peccavit. Nullum eſt ergo peccatum originis. *Zuinglius* nequaquam hoc voluit, ſed tantùm, morbũ ex Adamo propagatum in poſteros, non eſſe culpam actualem Adami peccato ſimilem. Vide *Digreſſionem* Zuinglii de Baptiſmo & peccato Originis ſub finẽ. Rurſus igitur per calumniam cum Juliano Pelagiano copulatur *Zuinglius*. &c. Cum 2. 3. 4. Pelagianorum argumento nihil Zuinglium commune habere innuit.

At quinto Loco dicit *Zuinglium* proferre duo loca Rom. 3. 20. *Per legem agnitio peccati*: Et Rom. 4 15. *Ubi non eſt lex, ibi nec trangreſſio*: & fingit hæc eum adferre contra peccatum originis. Sed eſt falſum. Tantum inde conficit, morbum peccati originalis damnationem non inferre liberis infidelium, de quibus ſolis ſe loqui aliquoties disertis verbis teſtatum fecit. *Quæcunque*, inquit, *hoc loco de originali infantium vel parvulorum peccato loquimur, ad fidelium* dũtaxat *infantes referri debent & de ſolis illis intelligi*. Et poſtea: *Nos liberationem ab originali* *In Digreſſ. de Baptiſ. pag. 89b.*

ginali peccato iſtis tantùm (fidelium liberis) *tribuimus, aliis* DEI JUDICIO *relictis.* Cauſſam hujus immunitatis à damnatione in *Digreſſione* quidem ſtatuit ignorantiam legis, ſed monitus ab *Urbano Regio* in Declaratione veram cauſſam dixit eſſe *privilegium* CHRISTI *ſanguine fidelium liberis partum*. Diſertè enim ibi ſcribit: Hoc modo dixi Chriſtianorum liberos damnare non poſſe peccatũ originale, hac ex cauſſa, quod etſi peccatum ſecundùm legem nos damnaret, tamen propter remedium perhibitum damnare non poteſt. Pag. 120.b. Intelligis lector Bellarmini calumniam.

SEXTO loco dicit *Zuinglium* proferre ex Apoſtoli verbis Rom. 7. 8. *Abſque lege peccatum erat mortuum, ego autem vivebam ſine lege quondam, veniente autem mandato, peccatum revixit*, &c. Sed neſcit Bellarminus, quid inde eliciat. Ideò, alia Zuinglii verba arripit, ex Declaratione, *parvulos non Baptizatos eſſe in ſtatu innocẽtiæ.* Quod ita torquet adverſarius quaſi *Zuinglius* peccatum originale in parvulis eſſe neget, parvulos omnes ſine diſcrimine in ſtatu innocentiæ ponat. Sed eſt aperta calumnia. Quicquid enim ſit de Apoſtoli loco obſcuriſſimo Rom. 7. 9. *Ego autem vivebam abſque lege aliquando*, &c. peccatum originale in parvulis Zuinglius minimè negat, ſed in omnibus ponit; fidelium verò parvulos, ſi ante baptiſmum decedant, nõ damnat, ſed in ſtatu innocentiæ collocat non ſua natura, ſed beneficio Chriſti. *Hæc*, inquit, *noſtra eſt de peccato originali ſententia: Vitium eſſe ac morbum, qui ceu mulcta primis parentibus inflictus eſt: quorum propagatio ſic vitiata eſt trangreſſione, ut quicquid inde naſcitur, ad peccandũ propendeat, ac niſi divina clementia maturè de remedio providiſſet, periiſſent quotquot ex hoc fonte nati fuerunt. Dei ergo bonitas per filii ſui mortem huic cladi occurrit, ut tametſi reliquiæ peccati, puta* φιλαυτίας *tenaciter adhæreſcant, non tamen nocere poſſint his qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Et mox: *Venenum ei ademptum eſt per Chriſtum. In Chriſto autem ſunt non modò parentes, quos miſericordia divina in fidei lumen & gratiam induxit, ſed eorum quoque liberi, non minus, quàm qui ex Abraham ſecũdùm promiſſionẽ nati ſunt.* Ex quibus manifeſta ſunt hæc tria Zuinglii theoremata, I. Peccatũ originale ceu morbum & vitium naturæ in omnes propagari ex Adamo. II. Per ſe omnes perdere, niſi accedat remediũ. III. Ἀντίδοτον peccati originalis eſſe ſolius Chriſti gratiã, hancq; ex æquo ad fideles Chriſtianoſque parentes & liberos pertinere, infidelium liberos Dei Judicio relinquendos eſſe. Quæ omnia calumnias adverſarii in *Zuingliũ* evidenter elidunt.

SEPTIMO loco à *Zuinglio* dicit, produci locum Rom. 5. 15. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moſem, in eos quoque, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adami*, & inde colligi, mortem quidem ex primo peccato trahi, non autem peccatum. Sed nullus eſt calumniarum finis. Non negat *Zuinglius*, peccato in nos transfundi peccatum originale, hoc eſt, *peccatricem naturam & degenerem, morbúmque genitalem* (ſic ibi deſcribit) ſed tantùm negat, ex Adamo in nos transfundi culpam ſeu tranſgreſſionem Adamico illi peccato ſimilem, hoc eſt, actuale peccatũ, quod ex tota ejus diſputatione liquet.

Tan-

Digitized by Google

Sententiã de peccato originis tã ad fidelium quàm infidelium liberos pertinẽte, non hæreticè ab Euangelicis capi.

Tandem capite 14.lib.4.de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati tranſit Bellarminus ad tractationem, peccatum originis tam ad fidelium, quàm infideliũ liberos pertinere. Ibi autem ſubdit: *Non paucos ex hæreticis* (Euangelicos doctores intelligit) *velle, ſine peccato originis concipi & naſci omnes filios fidelium.* Sed hoc noſtris impingẽs, committit atrox mendacium. Nulli enim noſtrûm in mentem venit, vel excidit, ut ſcriberet, diceret, vellet, *ſine peccato originali concipi & naſci omnes filios fidelium*: quum hoc privilegium unius ſervatoris JESU CHRISTI ſecundùm carnem ex Scriptura ſciamus & doceamus eſſe proprium. Adverſario igitur mendacii tam magni atque improbi incumbit probatio, niſi mendax haberi velit.

Ad probandum mendacium quinque nominat authores. PRIMO *Hulderichus Zuinglius*, ait, *in libro de Baptiſmo, & in declaratione de peccato originis, tanquã rem certam & explicatam docet, nihil eſſe in filiis fidelium, etiam ante Baptiſmum, quod propriè peccatum dici poſſit. Quanquam probabiliter idem dici poſſe cenſeat de filiis infidelium, quin eſſe abſolutè peccatum originis negat, ut ſuprà demonſtravimus.* RESPONDEMUS. Hoc purum putum mendacium eſſe, ipſius Zuinglii verbis evicimus ſuprà. Quomodo igitur mendacium mendaico probat adverſarius?

SECUNDO *Johannes Calvinus*, inquit, *in Antidoto Concilii Tridẽtini ad cap. 5. Seſſ. 6. & lib. 4. Inſtit. cap. 6. §. 24 & 25. docet, filiis fidelium non imputari peccatum originis, & etiam ante baptiſmum eſſe ſanctos & mẽbra Eccleſiæ.* RESPONDEMUS: Quæſo te lector, require loca allegata Calvini, præſertim Inſtit. lib. 4. cap. 16. §. 24. & 25. ac videbis adverſarium in aëre piſcari, & tibi turpiter illudere, imò ſe turpiſſimè dare. Nam apparet, ipſum Calvini Inſtitutionem minimè legiſſe, ſed allegata ex collectaneis collegiorũ temerè congeſta deſcripſiſſe. Etenim cap. 16. §. 24. & 25. de peccato originis, vel ejus imputatione, vel infantum ſanitate nihil prorſus habetur. Voluit fortè allegare ex cap. 16. §. 31. hæc verba: *Paulo quidem teſte licet natura perditi ſint, qui naſcuntur ex fidelibus, ſupernaturali tamen gratia ſancti ſunt, 1. Cor. 7. 14.* Sed his verbis mendacium adverſarii evidenter refellitur. Dicit enim Calvinus, *infantes fidelium naturâ perditos eſſe*: Ergo falſum, quod dicat, eos concipi & naſci ſine peccato originis. Dicit *eos ſupernaturali gratia eſſe ſanctos*: Ergo falſum, quod doceat, eos natura tales eſſe. Idem in Antidoto dicit, infantes Eccleſiæ eſſe ſanctos, nempe gratiâ, nõ naturâ: idque cum Apoſtolo 1. Cor. 7. 14. *Ideò Concilii decreto eos malè à regno Dei arceri, ſi vita excedant, antequam offerri ad Baptiſmum potuerint.* Imò ſi dicit, quod vult adverſarius, *infantibus fideliũ* NON IMPUTARI *peccatum originis*: concedit igitur eos cum peccato originis concipi & naſci: quia ſi peccatũ non haberent, fruſtrà diceretur eis nõ imputari. Rurſus igitur falſum, quod velit eos ſine peccato originali concipi & naſci. Quid verbis opus? Calvinus profectò ipſe: *Omnes*, inquit, *qui ab impuro ſemine deſcendimus, peccati contagione naſcimur infecti. Imò antequam lucem hanc vita aſpicimus, & ſumus in Dei conſpectu fœdati & inquinati.* Quis enim daret mundum de immundo? Ne unus quidem, ut eſt in libro Job. cap. 14. 4.

Digitized by Google

Et mox: *Audimus ita in filiis tranſmitti parentum immunditiem*, ut OMNES *citra ullam exceptionem ſua origine ſint inquinati.* Et poſtea: *Quod autem cavillantur Pelagiani, veriſimile non eſſe, à parentibus piis corruptionem ducere liberos, quum magis eorum puritate ſanctificari debeant; facilè refutatur. Non enim ex eorum regeneratione ſpirituali deſcendunt, ſed generatione carnali.* Hæc eſt aperta & perpetua ſententia Calvini de peccato originis. Judicet nunc lector, doceat ne Calvinus, infantes fidelium ſine peccato originis concipi & naſci: an verò calumnietur Bellarminus?

TERTIO *ſimilia*, inquit, *docent* MARTINUS BUZERUS, *in cap. 3. Math.* PETRUS MARTYR, ET HENRICUS BULLINGERUS *in cap. 7 prioris ad Corinthios.* RESPOND. Hos etiam falſo citat ſui mendacii teſtes: ideò verba eorum proferre erubuit. BUCERUS comment in 3. Math. contra Anabaptiſtas probat ex dicto Apoſtoli 1. Cor. 7. 14. infantes fidelium eſſe baptiſmo tingẽdos, quia ſunt ſancti, hoc eſt, quia ad Eccleſiam pertinent. Peccatum originis in illis nequaquam negat, ſed disertè in omnibus ponit prolixo tractatu ſub finem comment. in 5. cap. ad Rom. MARTYR disertè: *Ab Anabaptiſtis*, inquit, *plurimum diſſentimus. Nam & peccatum, quod illi negant, confitemur, &* Cor. 7. 14. *pueros tingendos eſſe tradimus.* BULLINGERUS denique: *Hac*, inquit, *ſententiâ: Filii veſtri ſancti ſunt*, non negatur originale peccatum, id quod per gratiã & ſanguinem Chriſti tollitur, &c. Sic igitur quinq; præſtantiſſimorũ Theologorum Euangelicorum teſtimonia producendo, Bellarminus non eos quicquam inſtar Pelagianorum hæreticè de peccato originali docuiſſe aut ſenſiſſe convincit, ſed ſe mendacia de illis ſpargere mera ac pudenda oſtendit.

Quid in ruborem datus adverſarius? Traducit Euangelicos nihilo minus confidenter hæreſeos Pelagianæ, circa doctrinam de peccato mortali. PELAGIANI, inquit *ſecundò dicunt, per quodlibet peccatum, etiamſi leviſſimum, perdi juſtitiam, ac proinde omne peccatum eſſe mortale. Hunc errorem ſectarii omnes tenent, Lutherus, Melanchthon & Calvinus.* Bellarm. de notis Eccleſ. cap. 9. — *II. Inſimulantur Euangelici hæreſeos Pelagianæ circa peccatum mortale.*

RESPONDEMUS: Erat explorata Pelagii hæreſis, docere omne peccatũ vel minimum ac tenuiſſimum ita juſtitiam labefactare, ut nullo modo ne per gratiam quidem expiari potuerit. At nos Euangelici ab iſta opinione ac hæreſi longiſſimè abſumus. Nos enim nõ dicimus, perdi juſtitiam per quodlibet peccatum, *ſed peccata tamen omnia eſſe mortalia.* Nam Pelagiani illa minutiora & leviora ne in peccatis quidem numerabant, quod vitioſum.

Ut autem melius conſtet tum de reipſa, tum de Euangelicorum innocẽtia, primum exponemus? An peccata omnia ſint paria? Deinde, An omnia ſint mortalia? Tertiò etiam ipſos Pontificiorum Doctores nonnullos hac in cauſſa utrinque Euangelicos inſontes & orthodoxos pronunciare.

Quoad *primum*, quia Pelagiani quodcunque peccatum juſtitiam adeò violare aſſerunt, ut expiari nequeat, certè omnia peccata paria eſſe ſtatuunt. Et hanc Stoicorum opinionem & Joviniani hæreſin etiam eſſe alibi dicitur — *1. Peccata utrum ſint paria.* — *Joviniani hæreſis.*

Digitized by Google

citur, ac Roffenſis Luthero articulo tertio objicit. Campianus autem Ratione 8. *Hoc quoque tritum eſt*, inquit, *in hac face Proteſtantium*, id eſt, Euangelicorum, Peccata Eſſe Paria. *Hac trutina non levius in Deum deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceum, quàm qui hominem occiderit*. Sed ut antecedens, quod Pelagiani aſſeverant, eſt falſum ita conſequens, quod Edmundus Campianus & Adverſarii inde deducunt, eſt mendacium ſplendidiſſimum, ut par potiùs Papiſtis videatur leviter & inſigniter mentiri. Nam comparatione unius peccati ad alterum facta, aliis alia ſunt peccata graviora, prout magis minùsve à Deus volintate & inſtitutis aberrant, longius aut brevius legem Dei transgrediuntur, ac prout objecta variant. Verbi gratiâ, gravius eſt peccatũ, quo immediatè contra Deum, quàm contra homines, & gravius quo contra parentes, quàm quo adverſus alios delinquitur. Contra leviùs peccat, qui fame coactus furatur, quàm qui libidinis cauſſa uxori proximi ſtuprum infert, Prov. 6. 30. Differunt etiam gradibus peccata; ut iraſci vel concupiſcere uxorem alterius peccatum eſt, ſed gravius & atrocius occidere vel mœchari ut Math: 5. habetur. Adhæc diſcrimen inter ſe magnum ſortiuntur peccata varietate circumſtantiarum & cauſſarum, quod ex Math. 11. 22. 24. conjicitur. Quinetiam lex ipſa opera primæ tabulæ & ſecundæ diſcernit, ac proinde peccata, Exod. 34. 1. 2. &c. Et Dominus dicit ad Pilatum: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*. Joh. 19. 11.

Math 5. 21. 27. 28.

Jam ergo etiam *ſecundum* patet, nẽpe, Utrum peccata omnia ſint mortalia? quod Pelagianos & Euangelicos hæreticè ſentire Papiſtæ clamãt. Certè enim, ſi peccata omnia inter ſe nõ ſunt æqualia ſed variant, & diſcrimen variũ ac magnum propter objecta, circumſtãtias, cauſſas, leges ſimiliaque habẽt, tum equidem etiam non paria & æqualia ſunt quoad mulctas vel pœnas, ſed diverſis & imparibus pœnis ſunt plectenda. Quo reſpectu Deus ipſe imparibus & diverſis peccatis inæqualia & diverſa ſupplicia conſtituit, nec unas ſed in æquales ac diverſas calamitates & ærumnas peccatis minatur, ut morbos, bellum, peſtem, famem & alia privata vel publica mala, quibus homines propter peccata involvuntur. Inprimis coram humano judicio vel tribunali non omnia peccata ſunt mortalia, id eſt, capitalia, &c. Hoc que ex divinis & humanis legibus cõſtat. Quæ quum ita ſint, & nos Euangelici ita ſentiamus, hactenus nec Stoicæ opinioni adhæremus, nec Pelagianam & Jovinianam hæreſin ſectamur.

2. Peccata an ſint ſimul omnia mortalia.

Cæterùm τὸ κρινόμενον & ſtatus controverſiæ ſive cauſſæ, ad quem ſpectãt & tendunt hîc Pontificii, eſt potiſſimũ diſtinctio peccati in veniale & mortale, quam mordicus illi & ſtatuunt & retinent, ac diſſidentes à ſe pro hæreticis inſtar Pelagianorum & Jovinianorum habent. Veniale definiunt tum cupiditatem carnis, ſine deliberato aſſenſu, quæ non diu cordi inſideat: tum omne peccatum extra ſeptẽ mortalia admiſſum, quod quantum in ſe eſt, veniam non excludat. Mortale dicunt, regnantia opera carnis, quando homo ſervit & quum frenum laxat

Venialis & mortalis peccati diſtinctio.

Digitized by Google

peccato, & toto corde, totaque προαιρέσει & conſilio, propoſito atq; aſſenſu deſtinato fertur ad peccandum. Ideò tantùm *ſeptem* ſtatuunt peccata mortalia: ut *gulam, ſuperbiam, luxuriam, avaritiam, invidiam, iram, acediam*, id eſt, pigritiam: Sic venialibus peccatis Deum venialiter offendi tradunt: mortalibus ad pœnam mortis irrogandam tam tẽporaliter quàm æternùm eundem cõmoveri crepant. In ſumma ex iis peccatis, quæ ipſi mortalia non eſſe opinantur ac dicũt phantaſmata peccatorũ fingũt, quæ aut nulla ſint revera aut levicula & minutula, nullaq; omnino pœnâ digna, ſeu exili & minima. Hinc uſque adeò delirant etiam, aut excandeſcunt & ſtomacho moventur, ut nõ admittentes hanc ipſorum diſtinctionem in peccata *Venialia* ac *Mortalia*, protinus hæreticos Pelagianos ſeu Jovinianos eſſe vociferentur.

1. Admitti diſtinctio illa ut poſſit. Eâ de cauſſa ſane pergravi & permagna res ad Heraclium lapidem ſacræ Scripturæ eſt exigenda. Hæc docet, diviſionem in peccatum *Veniale* & *Mortale* aliquatenus admittendam, & aliquatenus non admittendam. *Admitti* poſſe non qualitatis peccati, ſed peccantium perſonarum reſpectu, quatenus vel credunt, vel nõ credunt. Nam *Veniale peccatum verè.* peccatum *Veniale* docet & pronunciat ſacra Scriptura, non quod quantum in ſe eſt, veniam non excludat, aut quo venialiter Deus offendatur, aut quod veniam per ſe mereatur, ſed quod gratis propter CHRISTUM credentibus & regeneratis remittatur, & condonetur, quale eſt omne credentium ac verè fidelium peccatum. Nam quod ſua natura & per ſe eſt *mortale*, in credentibus ex gratia & miſericordia Dei fit *veniale*, dum eis propter fidem in Chriſtum, ſeu fide apprehenſam Chriſti ſatisfactionem & explicationem, remittitur atque condonatur. Nam ut Apoſtolus ait: *Nulla eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*: ſic Chriſtus teſtatur: *Rom. 8. 1.* *Amen, Amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & CREDIT ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed tranſit à morte in vitam.* *Math. 3. 19. & 17. 5.* Et hoc ſenſu aliqui ſcriptores ac ſectatores Chriſti orthodoxi, etiam interdum diviſionem & appellationem venialis peccati retinent.

Mortale peccatum verè. *Mortale* peccatum verò dicit Scriptura divina omne, quod non credentes ſeu non renati perpetrant, ac eos ob infidelitatem & impœnitentiam reos facit æternæ mortis. Et talia ſunt peccata omnium hominum, donec credunt, id eſt, donec fide per miſericordiam & gratiam Dei accipiunt remiſſionem peccatorum. Summatim: Electis omnia peccata, etiam graviſſima per Chriſtum ſunt venialia, Joh. 3. 16. 1. Joh. 2. 1. 2. Reprobis verò nulla non mortalia. Rom. 6. 23. Eatenus igitur diſtinctio peccati in veniale & mortale tolerari atque uſurpari poteſt. Hocq. ſenſu nonnulli orthodoxi quoque & Euangelici diſtinctionem & appellationem illam non omittunt, ſed retinent. Et hactenus hoc modo Euangelici non ſunt hæreſi inquinati, ſive Pelagiana ſive Joviniana, ſive alia dici poſſit. Nam ſecundùm ſacras Scripturas planè & verè & recto ſenſu peccatum eſſe veniale & mortale ſtatuunt, nec ullam in eo hæreſin ſapiunt.

Per ſe autem & ex ſua natura, ſi omne

Digitized by Google

2. Ut non poſſit admitti illa diſtinctio. mne peccatum conſideretur & judicetur, tum profectò omne peccatum ſive magnum ſive parvum, ſive grave ſive leve, hominem reum æternæ mortis facit, ac propterea MORTALE eſt, & dici debet. Primò, quia cupiditas ipſa natura ſua peccatum eſt. Pugnat enim cum lege Dei: *Non concupiſces.* Ac Gen. 6. 5. & 8. 21. *Omnis cogitatio humani cordis à pueritia tantùm malum eſt.* Deinde, quia Jacobi 2. 10. dicitur: *Quiſquis omnem legem ſervarit, offenderit autem uno, factus eſt omnium reus.* Etſi enim non totum legis, tamen totam legem tranſgreſſus eſt, violata videlicet in uno ſive parvo legiſlatoris voluntate & majeſtate. Tertiò, quia legiſlator DEUS expreſsè ac clarè pronunciat: *Maledictus omnis, qui non permãſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Et Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors eſt.* Quartò, quia tum divinæ naturæ, tũ peccati ratione omne peccatum meretur mortem. Nam infinitam Dei majeſtatem nullus venialiter violare poteſt, quin infinitæ pœnæ ſit obnoxius, & infinita Dei puritas vel minimam in peccatore labeculam ferre non poteſt. Nullum itaque tam minutum & leviculum eſt peccatum, quod non ſupplicium æternum mereatur: nullumque eſt prorſus veniale per ſe & ſua natura, ſed omnia mortalia ſua natura & in ſeſe ac per ſeſe. Et fallitur turpiſſimè, qui coram Deo ullum peccatum eſſe exiſtimat, quod æternæ iræ & mortis ſeu damnationis pondus non ſecum trahet.

Exod. 20. 17. Rom. 3. 14. & 6. 13.

Deut. 27. Gal. 3. 10.

Hoc Pelagiani negabant, aut non ſentiebant, illa autem leviora ne pro peccatis quidem habebant. Quare merito hæretici & ſunt & cenſentur. At nos Euangelici hoc nequaquam facimus, ſed illis jam recitatis Scripturarum ſententiis & teſtimoniis inſiſtentes, orthodoxè ac verè omnia peccata, etiam levicula & minutula eſſe mortalia per ſe & ſua natura ſentimus, credimus, profitemur. Quapropter ſic quoque Pelagianiſmi reatum & maculam à nobis manifeſtè & præclarè repellimus.

Nec perperam aut noſtro tantùm judicio in his Pelagiana & Joviniana hæreſi purgamur, ſed ſtudio atque acumine ſummo & dexterrimo ipſorũ quoque Pontificiorum abſolvimur. Etenim Bellarminus lib. 3. de juſtif. c. 16. in principio: *Lutherani*, inquit, *non dicunt, quod ſciam, virtutes eſſe pares, aut paria peccata: neque negant hominem poſſe creſcere ſpe, dilectione, aliíſque virtutibus.* Et Epiſcopus Roffenſis loco ſuprà adducto: *Non opinor, Luthere*, inquit, *te velle cũ Joviniani ſectatoribus aſſerere, cunctas animas parem immundiciem contraxiſſe.* Oculi ergo Campiani credo pares non erant, quum peccatorum paritatem colligere ex Proteſtantium ſeu Euangelicorum ſcriptis videbantur. Sed aliquid erat, quod aciem oculorum ejus perſtrinxit. Idque an malitiæ an inſcitiæ aſcribendum ſit, facilè erit conjicere. Verùm non eſt mirum, quum ſuos etiam non obſcuros theologos falsò Jovinianiſmi in hac re inſimulét. Nam Gab. Vaſquez in Thomam Diſp. 42. num. 8. ſcribit: *Quum* GERSON *planè affirmat, omnia peccata in ratione offenſa ex ſe eſſe infinita, quia contra Dei bonitatem infinitam commiſſa, ſequitur in ejus ſententia* OMNIA PECCATA ESSE Æ-

3. Euangelici abſolvuntur à Pelagianiſmo ab ipſis Adverſariis.

QUALIA, *ut Stoici dicebant: cujus erroris ipſum Gerſonē merito inſimulat Petrus Soto.* Sed eſt ſequela perinfirma atque prorſum elūbis, quod advocatus Gerſonis, Azorius Jeſuita, inſtitut. lib. 4. c. 9. apertè indicat. Nam: *Quidnam*, inquit, *dicere non dubitant, Gerſonis opinionē accedere Stoicarum ſententia omnia peccata aqualia eſſe, dicentium: quia ſi omnia aternam pœnam merentur, omnia ſunt paria. Quod certè illi authores* MALE *contra Gerſonem inſerendo concludunt, quia unum peccatum* (etiam mortale) *acerbius & gravius quàm alterum mulctari & puniri queat.* Itaque ἀπάθεια planè Stoica Sotum æquè ac Vaſquez totum occupavit, quū eos Gerſoni Stoiciſmum falsò objicere nihil puduerit. Ac ſi hoc, tum eundē errorem multò magis falsò & mera malitia Euangelicis affingunt Pontificii, quū præſertim (vel opinione ipſorum) ipſa mortalia peccata etiam in æterna pœna inæqualitatem pœnarum mereantur. Hocque ita exponit Maldonatus comment. in Math 5. dicens: *Etiam in inferno pœnarum gradus diſtinguūtur, & ut apud Judæos quatuor ſunt capitalium pœnarum genera, Strangulatio, Gladius, Lapidatio, Combuſtio: ſic Chriſtus ſignificat tria peccata eadem inferni pœna,* LICET NON EADEM GRAVITATE *digna, puniri.*

Porrò accuſationem Pelagianiſmi in articulo, an peccata omnia ſint mortalia, ſic ab Euangelicis Pontificii ſaniores removent. Lindanus, Alphonſus, Valentianus & Vaſquez Jeſuitæ diligentiſſimè hæreſes omnes obſervant, opiniones proteſtantium vel Euangelicorum legunt, examinant, exagitant, & præter omnem modum atq; modeſtiam ſæpè damnant: ſed eos tamen puduit in hac quæſtione ullam Euangelicis hæreſin Pelagianā aſpergere. Quin ipſe Bellarminus eſt Euangelicis proſper advocatus. Nam: *Habeant, inquit Calvinus, filii Dei omne peccatū mortale eſſe, quia rebellio eſt adverſus Dei voluntatem, quæ iram Dei provocat, ſanctis quadam venialia, non ſuapte natura, ſed miſericordia: Et eſſe in regeneratis verè peccata, licet voluntariè peccantibus non imputentur.* Lib. 1. de amiſſione gratiæ c. 4. Ac in his quidem partim Joviniano, partim Luthero, partim Wiclefo Calvinum aſſentiri dicit. Sed quicquid ſit de Joviniano, certè cum Luthero & Wiclefo rectè ſentit: ut eodem capite horum ſententiæ recitantur. Et nunquid non eſt orthodoxa Calvini ſententia? Reſpondet Vaſquez: *Error manifeſtus: nos verò tenemus aliqua peccata eſſe venialia ex ſe, non ex miſericordia Dei.* In Thom. diſp. 142. num. 7. Tom. 1. Ac Suarez Tom. 3. in Thom. diſp. 11. ſect. 2 *Quod veniale*, inquit, *in eo diſtinguitur à mortali, quod formaliter loquendo non eſt dignum pœna æterna.* Et Azorius inſtit. lib. 4. cap. 4. *Hac ratione, ait, verè propriéque diſtinguitur à mortali, veriſſima hac ſententia, à qua non eſt ullo modo recedendū.* Imò eam maximè, ita tamen ut Doctores veſtros ſi minùs duces, attamen hujus veritatis teſtes & advocatos habeamus. Ut Vaſquez loco quo ſuprà, numero 4. *Ex Doctoribus Catholicis*, inquit, *nonnulli graves etiam & pii, Gerſon, Almarius, Roffenſis dicunt, omnia peccata* EX SE MORTALIA *eſſe*, & SOLA MISERICORDIA *ad æternam pœnā non imputari. Idem docet Michaël Baius.* Unum pro omnibus loqui permittamus, ut ex acerrimo Lutheri adverſario orthodoxæ veritatis teſtimonium luculentum

lentum teneamus. Epiſcopus Roffenſis art.32. *Quod peccatum veniale*, inquit, SOLUM *ex Dei* MISERICORDIA *veniale ſit, hoc ego tecum Luthere ſentio.* An igitur ex natura ſua? Azorius ait inſtit. lib. 4. cap. 8. in principio: *Potiùs quod* VENIA *dimitti* SOLEAT *ſemper in juſtis.* Potiùs igitur, quod SOLEAT quàm quod debeat hoc naturæ meritum, innuit, ac illud donum miſericordiæ cœleſtis ac divinæ eſſe oſtendit. Quibus quis planè Euangelicos à Pelagianiſmo abſolvi inficiabitur?

Sed nos ideò fortaſſis Pontificii Pelagianæ hæreſeos accuſant, ut nobis hanc accuſationem præriperent, nóſque tardiores in quamplurimis opinionibus Papiſticis, Pelagianiſmum fœtidiſſimè ac manifeſtiſſimè redolentibus, patefaciendis & redarguendis facerent. At ne hoc moliantur, neque inertiæ noſtræ in hac accuſatione inſtituenda & pertexenda confidant. Sequenti enim libro nos in ea quantum Dei ſpiritus, lectio antiquiorum & recentiorum Scriptorum, ipſaque experientia dabit, noſtrum ingenium, tempus, curam, operam, laborem, ac ſtudium inſumere haud pigebit.

CAP. VI.

Neſtorianiſmum à Papiſtis falſiſſimè in Euangelicos detorqueri.

SICUT autem abyſſus abyſſum ſequitur in mari: ita ſuperiorem calumniam calumnia nova apud Pontificios in Euangelicos comitatur. Excerpit enim deinceps Bellarminus Neſtorianiſmum, ut ejus nævo Euangelicos coinquinatos aſſerat. *Hæreſes*, inquit, *decima quinta Neſtorianorum, qui docuerunt in Chriſto duas eſſe perſonas. Idem egregiè præſtiterunt Lutherus, Calvinus, Beza.* Ac in præfatione ad libros de Chriſto §. *Quid quod, &c.* ſcribit confidenter: *Lutherus Neſtorio favet, ubi vocat Chriſtum hominem omnipotentem.*

Bell. de notis Eccl. c. 9.

Antequam igitur ad hanc calumniã reſpondeamus, videndum eſt, quæ ſit ipſa Neſtorii hæreſis. Neſtoriani dicti ſunt à Neſtorio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui anno ſalvatoris 424. ſub Theodoſio Impp. & Cæleſtino Romano Papa aſſeruit, beatam virginem Mariam non θεοτόκον, id eſt, non Dei, ſed hominis tantùm matrem vel genetricem eſſe. Ac aliam perſonam carnis, aliam fecit Deitatis, nec unum Chriſtum in verbo Dei & carne credidit, ſed ſeparatum atque ſejunctum, alterum filium Dei, alterum filium hominis prædicavit. Itaque hac fallacia uſus eſt, qua à disjunctis ad conjuncta, fit argumentatio, & contra. Quæ enim de Chriſti diſtinctis naturis ſigillatim cõſideratis dicũtur, Neſtorius ea transferebat vel imperitè, vel malitioſè ad totam Chriſti perſonam. Item, quæ de una Chriſti natura per ſe & propriè enunciantur, illa ad alteram ejuſdem Chriſti naturam quoque propriè, non ſolùm per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, συνεκδοχὴν, per communicationem idiomatum referri, ex ignoratione Elenchi volebat & contendebat. Quare Cõcilii Epheſini decretis juſto anathemate condemnatus eſt.

Neſtorii hæreſis qualis ſit.

Nunc hæreſi cognitâ pro tribus excellentiſſimis viris ac Theologis diſſeremus, ut totius orthodoxæ & Euangelicæ Eccleſiæ cauſſam agamus. Ac

Euangelicorum innocentia circa Neſtorianiſmum.

primùm

Digitized by Google

Confeſſion. Helvetica cap.11.

primùm in genere communem Confeſſionem noſtrarum Eccleſiarũ Euãgelicarum in medium producimus, ubi ſententiam noſtram orthodoxam & verè Chriſtianam de CHRISTO VERO DEO ET HOMINE, UNICO MUNDI SALVATORE contra Neſtorianiſmũ ex profeſſo publicè ita enunciamus: *Agnoſcimus ergo in uno atque eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto duas naturas aut hypoſtaſes vel ſubſtantias,* DIVINAM *&* HUMANAM: *& has ita dicimus conjunctas vel unitas eſſe, ut abſorpta, aut confuſa, aut immixta non ſint: ſed ſalvis potiùs & permanentibus naturarum proprietatibus in una perſona unita vel conjuncta: ita ut unum* CHRISTUM *Dominum, non duos veneremur:* UNUM, *inquam, verum Deum & hominem, juxta* DIVINAM *naturam Patri, juxta* HUMANAM *verò* NOBIS HOMINIBUS *conſubſtantialem, & per omnia ſimilem, peccato excepto.* *Heb. 4.* *Etenim, ut Neſtorianum dogma ex uno* CHRISTO *duos faciens, & unionem perſonarum diſſolvens, abominamur: ita Eutychetis & Monothelitarum vel Monophyſicorum veſaniam, expungentem naturæ humanæ proprietatem, execramur penitus. Ergo minimè docemus naturam in Chriſto divinam paſſam eſſe, aut Chriſtum ſecundùm humanam naturam adhuc eſſe in hoc mundo, adeóque eſſe ubique,* &c. Et innumera ſimilia in omnibus noſtris ſcriptis perſpicuè docemus, profitemur & credimus. Quæ pietate præditis & cõtentionis expertibus Chriſtianis abundè ſatisfacere, ac noſtram in Neſtorianiſmi accuſatione innocentiam dilucidiſſimè ob oculos ponere & teſtatam facere poſſunt: præſertim qui in Helvetia, Tiguri, Bernæ, Scaphuſii, Sãgalli, Curiæ Rhetorum & apud confœderatos, Mülhuſii item & Biennæ, Genevæ, in Galliæ, Anglia, Scotia, Ungaria, Germania, Polonia & alibi huic CONFESSIONI FIDEI ORTHODOXÆ ſubſcripſimus, quæ Tiguri Anno 1566. edita & excuſa eſt.

Verùm regerunt Adverſarii Pontificii verba & ſententias peculiares triũ virorum, Lutheri, Calvini & Bezæ, quæ aliter ſentiant, ac nominatim Neſtorianæ hæreſi favere videantur. At quæ ſit Eccleſiarum noſtrarum reformatarum de ſanctiſſimo hoc duarum naturarum, ſeu divinitatis & humanitatis in CHRISTO JESU, myſterio doctrina & ſententia & fides, ex noſtris confeſſionibus, præſertim eâ, quæ paulò ante nominata eſt, publicè editis peti debet, puraque & orthodoxa eſſe ſatis cernitur. Nihil enim clàm fovemus, nihil occultamus, nihil non toti terrarum orbi notum eſſe cupimus. Quod ſi ergo nos, velut perversè ac hæreticè ſentientes, aut dogmatizantes inſtar Neſtorianorum Bellarminus & alii Pontificii redarguere voluiſſent, non tam privatorum hominum dicta & ſcripta concerpere, flectere, proponereque, ſed aliquod, præſertim illud de CHRISTO & ejus naturis, Confeſſionis noſtræ caput producere & evertere, aut falſi convincere debuiſſent. Si hoc vel ipſe, vel alii ex toto ſodalitio ipſorum Papiſtarum feciſſent, tum ſe diſputatores & accuſatores acutos ac fortes, tum ſe hoſtes formidabiles, tum ſe viros præſtitiſſent. Nunc autem meras nugas agunt, ut ex ſuis etiam ſodalibus diſcere potuerunt. Ipſi enim quũ urgentur *Pighii, Hoſii, Gerardi Lorichii, Staphyli, Cochlæi, Sylveſtri Prieratis, Roffenſis,*

Digitized by Google

ſis, Eccii, Hardingi, aliorumque ſuorum complicum confeſſionibus, aut ſcriptis & dictis privatis reſpondent, *eos ſingulares fovere opiniones, viros eſſe privatos: ſe autem ſingulorum ſententiis non teneri.* Quum ergo hoc ſibi concedi poſtulāt, quid eſt, quod Bellarminus & alii Papiſtæ *Lutheri, Calvini, Bezæ*, ac aliorum doctorum noſtrorum privata ſcripta & dicta, peculiareſque opiniones, ſi à cōfeſſionibus noſtris recederent, nobis objiciant? Cur putant nós eas præſtare oportere? Num illi æquum cenſent, legem in nos ferre, quam ipſi non patiuntur? Nobis itaque injuriam faciūt, ſi ſententiæ *Lutheri, Calvini & Bezæ* ſunt Neſtorianæ ac hæreticæ (quod tamen minimè eſt) ac earundem Eccleſiam noſtram totam accuſant. Nobis enim & toti noſtræ Eccleſiæ non præſtandæ eſſent pravæ & hæreticæ opiniones, quæ *Lutherus, Calvinus & Beza* privatim ac peculiariter effudiſſent & ſparſiſſent. Sed nobis præſtanda eſt ea doctrina, ea fides, eæ denique ſententiæ, quæ publicè in Confeſſionibus noſtris exſtant, & orthodoxæ ſunt, ut nullius hæreſeos ullo modo convinci queant.

Præterea, non tamen jure ipſoſmet tres hos viros ac theologos noſtros, *Lutherum, Calvinum & Bezam*, Neſtorianiſmi arguunt, ſed per calumniam evidentiſſimam illis crimen hæreſeos Neſtorianæ imponunt. Quid enim illi non orthodoxè, non catholicè dixerunt & ſcripſerunt? Hoc de ſingulis ordine probabimus.

Lutheri innocentia in Neſtorianiſmo.

PRIMUS trium illorum Theologorū reformatæ Eccleſiæ reus ſiſtitur à Bellarmino Lutherus non ſolū lib. de notis Eccleſiæ cap. 9. verùm etiam in præfat. ad libros de Chriſto §. *Quid quod*, &c. ubi ſcribit: *Mihi*, inquit *Lutherus, negotium fuit cum Neſtorianis, qui pertinaciſſimè* CONTRA ME *diſputabant quod* DIVINITAS *Chriſti non poſſit pati.* Quorſum hæc adverſarius? Ut oſtendat, Lutherum fuiſſe Neſtorianū. Sed ex verbis Lutheri annón magis patet, ipſum Neſtorianis hæreticis tanquam hoſtem acerrimum ſeſe inprimis oppoſuiſſe? Nam loqui eum quoad ſuppoſitum totius perſonæ Chriſti, nō quoad divinitatis naturam, ignorare Bellarminus minimè potuit. Quod diſcrimen luculenter eluceſcit, ſi Neſtorii ſententia, & Lutheri inter ſe cōferantur. *Neſtorius enim*, inquit Valentianus Jeſuita lib. 2. de idololatria c. 5. NEGABAT *Mariæ filium verum Deum eſſe, ſed potius* PURUM HOMINEN, *aliámque perſonam à filio Dei æterno.* Contrà *Lutherus*, ut ait Bellarminus & fatetur ipſe reus, *vocat Chriſtum hominem* OMNIPOTENTEM, *& docet* DIVINITATEM *poſſe pati.* Num ergo Chriſtum Deum eſſe negat, qui eum omnipotentem affirmat? Sed inſtat Adverſarius, & urget: *Homo omnipotens & divinitas patitur*, ut inquit Lutherus. *Hoc Neſtorianiſmum ſapit.* At Gregorius Valentianus lib. 2. contra Ubiquitarios cap. 1. *Lutheranorum error*, ait, *erit Neſtorianiſmo planè contrarius.* Hocque explicat ipſe, dicens: *Quum dicimus Deum ex Maria natum eſſe, non ad naturam divinitatis pertinet, ſed ad Hypoſtaſin, id eſt, ad perſonam Chriſti, qui eſt Deus & homo, & eodem ſenſu dicimus Deum paſſum eſſe.* Et ibidem: *Certiſſimum eſt, Vigilium dicere,* CLAVIS DIVINITATEM CHRISTI CONFIXAM eſſe, *ſed impaſſibiliter. Sic illum interpretor, Chriſtus*

Deus & Homo, quum idem ſit, paſſus eſt in cruce carne & humanitate. Viguit autem hic Vigilius anno à Chriſti nativitate 380. ut vel Lindanus in Panopliæ principio teſtatur.

Huic ergo phraſi de paſſione divinitatis eſt alia de ejus nativitate ſimilis, quemadmodum Aquinas par. 3 q. 35. art. 1. agnoſcit. Nam ſcribit: *Dicit Auguſtinus, natura æterna atque divina non naſcitur ex humana natura, niſi ſecundùm humanam naturam: ex quo effici videtur, divinam naturam concipi.* Respondeo *propter identitatem, quæ ponitur inter naturam & hypoſtaſin, quandoque natura ponitur pro perſona, vel Hypoſtaſi. Et propter hoc dicit Auguſtinus:* Naturam Divinam Esse Conceptam Et Natam: *quia ſcilicet perſona filii concepta erat ſecundùm humanam naturam.* Ad quem locum Thomæ Suarez Jeſuita: *Meritò dicit Thomas,* inquit, *eſſe hanc impropriam locutionem, & piè explicandam.* Si igitur ſancti Patres Divinitatem concipi, naſci, in clavis affigi dicunt, hæcque piè explicanda eſt phraſis, certè Lutherus hæreticum Neſtorianum oppugnans, nihil dixit, aut ſenſit aliud, nec propterea jure Neſtorianæ hæreſis inſimulatur.

utherus ſibiipſi diſſimilis, ut in doctrina de perſona Chriſti, quando Sacramentarii certaminis victoriam quærit.

Tantùm in Sacramentario certamine Lutherus vincendi ſtudio à vera & ſana & doctrina de Perſona Chriſti nonnihil receſſit. Quum enim de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in cœna Dominica diſputatio inter Lutherum & Zuinglium orta eſſet, & utrinque libris editis diſceptaretur, Lutherus ut adverſæ parti de veritate corporis Chriſti, aſcenſione in cœlum & reditu ad judicium corporali reſponderet, ſeque faciliùs expediret, ad Ubiquitatem corporis Chriſti confugit, atque ex ea confutare adverſariorum, nempe Zuinglii & Oecolampadii ac aliorum argumenta de veritate corporis Chriſti, de Aſcenſione in cœlum, & reditu ad judicium voluit, atque ſic tueri corporis Chriſti in cœna corporalem præſentiam & oralem manducationem conatus eſt duobus annis, nempe 1527. & 1528. ac duobus ſcriptis, quorum alterum, *Quod hæc verba Chriſti,* Hoc Est Corpus Meum, *adhuc firma ſunt,* alterum *Confeſſio magna* vocatur, pro ſua πανταχουσίᾳ & μετουσίᾳ alienis perſonæ Chriſti & verbis & ſentētiis pugnat. De quibus Lectori videre licet in Hiſtoriæ Sacramentariæ Parte altera à Rodolpho Hoſpiniano Tigurino Anno Chriſti 1611. edita. Nam à folio 47. plenam ejus rei cognitionem haurire poteſt. At pro Lutheri eximia pietate ac ſingulari ſtudio veritatis, non ſpectandus eſt hic ejus impetus & ardor in certamine Sacramentario per imbecillitatem æquè ac temeritatem admiſſus, ſed prior ipſius vera, ſana atque orthodoxa doctrina & ſentētia de perſona Chriſti, quam ab Anno Chriſti 1517. uſque ad 1527. annū piè, integrè, conſtanterque tenuit, ac in medium propoſuit extra certamen Sacramentarium. Cujus ſumma ab eodem Hoſpiniano ex libris ſcriptis & concionibus Lutheri folio 15 16. 17. 18. fideliter coacervata exponitur. Ubi in primis hæc præclara ejus confeſſio contra Neſtorianiſmum exſtat: *Quia Filius Dei Chriſtus eſt unitus cum natura humana, rectè dicitur aſcendere, mori, pati, &c. propter illam unionem. Hæc ubique diligenter conſiderentur in Prophetis, ubi ſimpliciter loquitur*

Digitized by Google

quitur Scriptura de homine, tribuens ei omnia humana, humanas paſſiones, & quæcunque poſſunt de ea natura dici, non ſecundùm abſtractionem ſed concretionem. Stultè igitur & ridicule NESTORIUS *quærit, quomodo Deus poteſt naſci? Et Diaconus ejus clamabat corã populo. Non tu, Judæe, crucifixiſti Filium Dei, quia, non potuit crucifigi. Populus novo ſermone eſt attonitus, quum hactenus audiviſſet ſuos Epiſcopos ex Scriptura docentes* 1. Cor. 2. *Nequaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Hunc Diaconum ſequitur Neſtorius. Sed contra hunc Synodus piè decrevit, verè dici virginem* θεοτόκον, *ut etiã in ſuperioribus Scriptoribus legebatur: quia peperit non ſeparatum hominem, quaſi ſeorſim ipſa haberet filium, & ſeorſim Deus ſuum filium, ſed eundem, quem ab æterno Deus genuit, peperit ipſa in tempore. Ergo virgo non tantùm eſt mater Domini Chriſti, ut concedit Neſtorius, hoc verbo ornans ſuum venenũ, ſed Filii Dei, qui idem paſſus, crucifixus, mortuus eſt, ſicut dicit Angelus; Quod ex te naſcetur, vocabitur Filius Dei. Hoc dico ad confirmandam fidem noſtram contra præſtigias. Neſtorius facit duas perſonas, duos Filios, alterum natum ex Virgine, alterum natum ex Deo, quum dicit: Non crucifixiſti filium Dei ſed filium Virginis. Hoc non poſſumus pati, ſed docemus cõcretionem & unionem, in eandem perſonam & filiationem, quod idem ſit Virginis & Dei Patris filius. Quicquid ergo de Filio Dei dicitur, idem dicitur de homine vel humana natura in concreto. Ita hic Propheta conjũgit utrumque. Eſt brachium Dei & Filius Dei, & tamen ait, aſcendit, quod eſt proprium naturæ humanæ, & nihilominus idem etiam divinæ tribuitur propter concretionem, quia eſt unum brachiũ non duo, & eadem perſona* Hactenus Lutherus in Enarratione cap. 53. Iſaiæ, &c ut eum à Neſtorii hæreſi alieniſſimum ac totum hîc orthodoxum & catholicum verè affirmare poſſimus.

Proximum producit Bellarminus Calvinum, de quo dicit lib. de Notis Eccleſiæ capite nono: *Idem etiam, quod Neſtoriani, præſtitit Calvinus.* Sed per hoc totum caput, quoties quid Calvino objicit, locum deſignat, hîc ne attingit quidem. Haud temerè autem eſt. Nam ſi quis Calvinum ipſum audiret, ipſius profectò veneraretur calamum, Bellarmini deteſtaretur calumniam. Etenim etſi hoc non facit Adverſarius, tamen nos ſiſtimus reum Calvinum, qui ſeipſum à crimine in entato ſibi Neſtorianæ hæreſis purgat. *Verùm, inquit, nihil eſt, quod furioſi & phrenetici ſpiritus non perturbent. Arripiunt attributa humanitatis ad tollendam divinitatem, divinitatis rurſum, ad tollendam humanitatem. Quæ verò de utraque natura ſic conjuncta dicta ſunt, ut neutri conveniant, ad tollendam utramque. Id verò quid aliud eſt, quàm contendere Chriſtum non eſſe hominem, quia Deus eſt, non eſſe Deum, quia homo eſt: nec hominem, nec Deum eſſe, quia & homo ſimul & Deus eſt? Chriſtum ergo, ut Deus eſt & homo, unitis, licet non confuſis naturis conſtans, Dominum noſtrum verúmque Dei Filium eſſe conſtituimus, etiam ſecundùm humanitatem, etſi non ratione humanitatis. Procul enim abigendus eſt à nobis Neſtorii error, qui dum naturam diſtrahere potiùs quàm diſtinguere volebat, duplicem Chriſtum ita comminiſcebatur: quãdo Scripturã videmus claræ voce reclamare, ubi & Filii Dei nomen inditur ei, qui de Virgine naſcitur, & Virgo ipſa,* MATER DOMINI NOSTRI *appellatur.* Hæc Calvinus. Amens

Calvinus purus à Neſtorianiſmo.

Auguſt in Enchir. ad Laur. c. 36.

Luc. 1. 32. 47.

Digitized by Google

mens ergo & impius eſt, quiſquis eum Neſtorianæ hæreſi quicquam faviſſe ſuſpicatur, nedum dicere audet. Et annon nunc calumniæ deprehenſæ Bellarminum ac ſocios pudet?

Præterea, duas in Chriſto naturas fateri, ſi hæreticū & Neſtorianum eſt, fuerunt etiam Paulus & Petrus Apoſtoli Neſtoriani. Nam ille 2. Cor. 13 ℣. 4. dicit de Chriſto: *Nam etſi crucifixus fuit ex infirmitate* (quo naturam humanam Chriſti confitetur) *vivit tamen ex potentia Dei*, quo ejus naturam divinam exprimit. Et hic 1. Epiſt. 4. 1. ait: *Quum igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armemini*, Nempe: *quod qui paſſus eſt in carne, deſtitit à peccato, ad hoc ut non amplius cupiditatibus hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt temporis in carne, vivat.* Ubi dicens: *Chriſtus paſſus eſt carne*, innuit, quū Deus ſit, tamen humanâ naturâ paſſum, ſecundùm quam ſolum pati potuit. Sic cap. 3. ℣. 18. dixit *Mortificatum carne*, id eſt, ſecundùm humanitatem. Sed abſit blaſphemia, ut propter hæc dicta Apoſtolos hæreticos & Neſtorianos faciamus. Ergo & abſit, Euangelicos duas naturas in Chriſto agnoſcentes, dicere hæreticos.

Theodorus Beza injuria Neſtorianiſmi traducitur.

Sed tamen Beza, inquit, *hoc tempore id docet ſive ex ignorantia ſive ex malitia, dum duas hypoſtaticas uniones in Chriſto ſtatuit, unam animæ cum corpore, alteram divinitatis cum humanitate*, Ac citat hujus teſtem Bezæ librum de Hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum unione.

RESPONDEMUS. Audiatur ipſe Beza reus ſic verbo faſſus. Is in Epiſtola Dedicatoria in novum Teſtamentum; *Manifeſta eſt*, inquit, *pertinacia eorum, qui Chriſti naturas cum Neſtorio diſſolvunt, proprietates verò cum Eutychete confundunt.* Ecquis ergo hîc verborum contextus, ecqua vocula, ecquod jota aliquid hæreſi ſimile ſonat? Nam & Bezæ hic Gregorius Valentianus ipſe Pontificius aſtipulatur, Tom. 4. Diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. §. Fuit dicens: *Neſtorii error eſt errori Eutychis per extremum contrarius. Eutyches ita perſonam Chriſti aſſerebat, ut naturas confunderet. Neſtorius autem ita naturas diſtinguebat, ut unam perſonam non agnoſceret. Eccleſia Catholica incedit media via, qua & naturas contra Eutychetem diſtinguit, & contra Neſtorium retinet perſonæ unitatem.* Atqui Beza hoc jam præſtitit. Ergo Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, non Neſtorianam hæreſin ſequitur.

Ac quo minùs in ſuſpicione ſit Beza quaſi vel tantillum ſenſerit & dixerit, quod hujus erroris ei notam tenuiſſimam inurere poſſit, in libro Confeſſionis ſuæ Articulo de Jeſu Chriſto c. 22. ſcribit: *Fatemur perſonam Filii ab ipſo momento, quo caro ipſius concepta fuit, unitā fuiſſe humanæ naturæ inſeparabiliter, ita ut non ſint duo Filii Dei, nec duo Chriſti, ſed unus ſit propriè Dei Filius Jeſus Chriſtus, verus Deus & verus homo, manentibus tamen ac diſtinctis utriusque naturæ proprietatibus. Nam Divinitas ab humanitate, vel è contrario Humanitas à Divinitate ſejuncta vel alterutra cum altera confuſa nulli nobis uſui eſſet.*

Math. 1. d. 18. & 28. Luc. 1 c. 31. 32. 35. 41. 43.

Nihil autem categoricè ad objecta verba Bezæ reſponderi, poſſet quis objicere. RESP. Invidioſe dictum ejus trahi ac vellicari. Non enim ſentit ille duas eſſe perſonas Chriſti (quod Neſtorianum eſt) aut revera duas eſſe uniones

nones

niones hypoſtaticas ſeu perſonales in Chriſto,quod eodem recideret: Nam hoc ipſum argumentum ibidem ipſe ex profeſſo oppugnat Beza. Sed docet duas uniones eſſe in Chriſto, & in perſona Chriſti, quarum altera,nempe animæ cum carne,hypoſtatica eſt communiter in nobis per naturam,conſtituens hypoſtaſin noſtram,altera,nẽpe divinitatis cum Humanitate,eſt hypoſtatica ſingulariter in Chriſto per *οἰκονομίαν* voluntariam. Utraque igitur unio dicitur hypoſtatica, conſtituensq; hypoſtaſin in individuo. Hoc ipſe Beza ſic ibidem interpretatur.

Nec aliud profectò ſibi Beza voluit per duas uniones hypoſtaticas in Chriſto niſi quod ſymbolum Athanaſii nos docet, dicens: *Sicut anima & corpus conſtituunt unum hominem, ſic homo & Deus unum Chriſtum.* Prior eſt hypoſtaſis naturæ humanæ, altera unius perſonæ, quæ ex humanæ & divinæ perſonæ unione conflata eſt. Etenim vox Hypoſtaſis ambigua eſt, quæ tam naturam quàm perſonam deſignat. Ita exponit & teſtatum facit Alphonſus de Caſtro adverſus Hæreſes, Tit. de Chriſto, ſcribẽs. *Neſtorius ſtatuit in Chriſto duas eſſe perſonas, unam divinam, alteram humanam. Chriſtum dixit tantùm eſſe hominem in quo ſpeciali prærogativa Deus habitabat, non autem fuiſſe hypoſtatica unione Deum & hominem.* Quid ſimile Beza habuit? Imo quid non diſſimile,& planè contrariũ? *Beza*, inquit Bellarminus, *in Chriſto unionem hypoſtaticam ponit, divinitatis cum humanitate.* Alphõſus ait: *Neſtorius hypoſtaticam unionem divinitatis in Chriſto negabat.* In hac ergo accuſatione ab ignorantiæ pariter ac hæreſis ſuſpicione

Beza in verbis ſupra ex Beza citatis.

confeſſio tum Bezæ,tum etiam ex Beza Pontificiorum & Athanaſii ipſum liberat. Et quicquid eſt, ſi error ſubeſt, ipſe etiam Beza poſtea admonitus correxit, ut in illo libro apparet. Et hodie omnino nihil tale tenet. Sed fieri non poteſt, quin Bellarmino iſtam accuſationem in Bezam ſcribenti malitia adhæſerit, quæ quidem cœca eſt, & eos plerunq; excœcat, quos complexa eſt.

CAP. VII.

Euangelicos negantes corpus Chriſti in Euchariſtia manere etiam extra uſum communiones, nihil hæretici committere.

INSTAT adverſarius Bellarminus alio modo Neſtorianiſmi labem Euangelicis aſpergendo, citans quorundam hæreſin eodem tempore, quo Neſtorius vixerit, exſiſtentiam vel permanentiam corporis Domini Jeſu Chriſti in Euchariſtia extra uſum communionis legitimam pernegantium, de quibus tamen an & ipſi Neſtoriani fuerint, ignoret. *Hæreſis decima ſexta*, inquit, *etiam quorundam Neſtorianorum, qui negarunt Chriſti corpus manere in Euchariſtia, ſi ſervetur in alterum diem: quos Cyrillus in Epiſtola ad Coloſirium Epiſcopum inſanire ait. In errore eodem fuerunt Bucerus, Calvinus & alii, qui negant eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia, niſi quum ſumitur.* Hæc ille.

Bellarm. l. de Notis Eccleſ. cap. 9. § Eodem *tempore.*

Nos non poſſumus hoc loco ſatis mirari callidum & diſtortum ingeniũ Pontificiorum, quum Bellarminus fingat neſcio quos veteres Hæreticos hujus opinionis duces exſtitiſſe, Suarez

Digitized by Google

num, non eſt corpus & ſanguis Chriſti, hoc eſt, non eſt corporis & ſanguinis Sacramentum.

III. Relatio ſigni ad ſuum ſignatũ eſt de eſſentia Sacramenti. Hæc autẽ actualis relatio in ſolo uſu reipſa exercetur: quia non propter panem, ſed propter nos, pane illo utentes, dicitur panis eſſe corpus Chriſti. Ergo nè Sacramenti eſſentiam perdamus, in uſu legitimo præciſè manendum eſt, nec uſpiam ab eo deflectendum.

IV. Ut aqua *Baptiſmi* non eſt actuale Sacramentum extra actionem baptizandi: ita nec panis & vinum ſunt actu corpus & ſanguis Chriſti, hoc eſt, Sacramenta eorum, extra Euchariſticam communionem, quia eadem cõmunis eſt ratio utriuſque Sacramenti. Id quod in *circumciſione* quoque & *Agno Paſchali*, aliiſque omnibus Sacramentis evidenter apparet, ubi uſus divinitùs inſtitutus neceſſariò ſemper ſpectari debet.

V. Patres antiquiores, licet ægrotis ac peregrinis abſentibus Euchariſtiam deferrent, id tamen extra communionem non fecerunt: imò hunc quaſi continuum communionis actum eſſe indicarunt. Neque etiam ob pompam, aut adorationem: ſed ob ſolam communionem, ſacra ſigna interdum metu inſtantis periculi aut mortis ad breve tempus aſſervarunt. Quidam etiã reliquias olim vel pueris, vel pauperibus & ſcholaſticis abſumendas dederunt. Alii eas exuſſerunt, &c. De quibus vide hiſtoriæ Sacramentariæ partem 1. à Rodolpho Hoſpiniano editã, & Philippi Mornæi Pleſſiaci Domini libros de Euchariſtia. Hocque factum donec tandem Papalis aſſervatio hoſtiæ contra uſum legitimum ac veterẽ ubiq; ferè obtineret, de qua iidem abundè ſcribunt. Ac ipſe Bellarminus lib. 4. de Euchariſtia cap. 5. §. *Secundo loco* &c. ait: *Objicitur nobis* (Pontificiis) *Origenes, qui dicit, Dominus panem, quem dedit,* NON DISTULIT, *nec differri juſſit in craſtinum.* His ergo & ſimilibus multis rationibus permovemur jure ac merito, ut nullam durationem ſeu permanentiam corporis & ſanguinis Chriſti in ſpeciebus panis ac vini, extra uſum Cœnæ Dominicæ legitimum credamus. Et Gregorius Valentianus rectè ſtatum quæſtionis hujus, quoad Euãgelicos, exprimit, Tom. 4. diſp. 6. q. 1. punct. 3. inquiens: *Contendunt Proteſtantes, Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtere in tota ipſa actione, qualem Chriſtus deſignavit:* ACCIPITE ET MANDUCATE: BIBITE, HOC FACITE: *& in diſtributione utriuſque ſpeciei, dicente Chriſto:* HOC FACITE *in commemorationem mei. Unde etiam pernegant, ſpecies illas aſſervatas, extra illum uſum & actionem, Sacramentum ullo modo eſſe. Quemadmodum, inquiunt, Sacramentum Baptiſmi, quod conſiſtit in illa operatione baptizandi, extra quem uſum aqua ipſa non eſt ulterius Sacramentum.*

Objectiones pro duratione vel permanentia & repoſitione hoſtiæ.

Quibus Euangelicorum argumentis quum occurrere prolixè Pontificii Doctores ſtudent, aqua reſpondentibus, ut eſt in proverbio, hæret. Valentianus ibidem ait: *Concedo reliqua Sacramenta in ipſo uſu materiæ ſolo conſiſtere, ſed in hoc Sacramento non in ſolo materiæ uſu, ſed in materia conſervatã & permanente conſiſtit.* Sed puerilis eſt & ridicula ſolutio, naturæ Sacramentorum repugnans. Quid Bellarminus objectioni no-

Digitized by Google

noſtrorum ex origine reſpondet? *Sed non poteſt inde colligi*, inquit, *non debuiſſe unquam poſtea Euchariſtiam conſervari: multa enim Dominus non per ſe juſſit, quæ poſtea per Apoſtolos juſſit.* Ubi tandem? Hoc divinare faciliùs illi fuerit, quàm demonſtrare.

Sed tamen cap.2.3.4.5. lib.4.de Euchariſtia cumulat longa ſerie Papiſtarum omnia argumenta pro permanentia ſeu duratione corporis ac ſanguinis Domini in hoſtia, ipſaque adeò hoſtiæ repoſitione, quibus Eccleſiæ Romanæ morem animoſè propugnat. Et ſemel conſecratam hoſtiam rectè in ciboriis ad cultum & theatricam pompam reponi affirmat. Nam extra inſtitutum à Domino uſum Sacramenti nullum ejus uſum Pontificii fingere poſſunt, quàm CIRCUMGESTATIONEM in proceſſione & ADORATIONEM. Non aliter, ac ſi hoſtia non minùs extra communionem, quàm in ipſa communione verum & ſubſtantiale Chriſti corpus atque ſanguis ſit, & maneat, &c. Summa huc redit: *Corpus Domini in Euchariſtia permanenter exſiſtere, etiam extra omnem uſum communionis, quamdiu ſcilicet ipſæ ſpecies durant: quibus fortè putreſcentibus, etiam corpus & ſanguis Domini evaneſcant.*

Hoc trium argumentorum acie obtinere ſatagit omnium Pontificiorum nomine. *Primum* eſt, eſſentia Sacramenti non pendet à noſtro conſequente *uſu*: ſed à præcedente Sacerdotis *conſecratione*, hoc eſt, conjunctione verbi cũ elemento, ſive uſus accedat, ſive non. Conſtat autem, Chriſtum in ipſa inſtitutione prout deſcribitur, Math.26. Marc.14. Luc.22. 1.Cor.11. priùs panẽ conſecraſſe, quàm diſcipuli eum comederint, &c. Ergo jam ante omnem uſum corpus Domini adfuit: & proinde etiam extra uſum permanere ſolet.

1\.

Secundum, *Baptiſmus* in eo differt ab *Euchariſtia*, quod ille eſt actio tranſiens: videlicet, ablutio aquæ in verbo vitæ, &c. uti vocatur Epheſ.5.26. *Hæc* verò eſt res permanẽs: videlicet ipſum corpus & ſanguis Domini, 1.Cor.11. Non autem eſt aliqua corporis fractio, aut perceptio, aut tale quippiam, quod ſit opus noſtrum, non autem opus ſolius Dei, &c. Ergo duratio hujus Sacramenti etiam extra uſum, agnoſcenda eſt. 2.

Tertium, Veteres etiam hanc Euchariſtiæ permanentiam agnoverunt: quia pro peregrinis, ægrotis, aliiſque extra ordinem petentibus, eam aſſervarunt, & abſentibus afferendam curarunt, inque periculoſo itinere aut navigatione ſecum ſumpſerunt. Sicut ex Euſebio, Baſilio, Ambroſio, &c. cõſtare poteſt, ubi exempla complura hujus aſſervationis occurrunt. Hæcq; eadem ferè argumẽta etiam Johannes Piſtorius capite vel diſputatione 9. Ducis ſui affert, quæ hîc in brevem ſummam contraximus. 3.

Verùm ea fusè diluerunt tum D. Balthaſar Menzerus, tum Conradus Vorſtius, in Antipiſtorianis ſuis ſcriptis ſeu diſputationibus. Nos ad ea ſic breviter reſpondemus. In *primo* falſum aſſumi: quum interior eſſentia Sacramentis omnino conſiſtat in relatione ſigni ad ſuum finem: hic autem finis, imò & actualis relatio ad hunc finem, in uſu legitimo demùm appareat. In *ſecundo* principium ſimiliter peti, quatenus *Reſponſio.*

Digitized by Google

tenus falſum utriuſque Sacramenti diſcrimen affertur: & ſimul plura interrogata hîc miſceri perperam: nempe an & quatenus Sacramenta ſint opera, ſive actiones noſtræ, &c. In *tertio* eſſe fallaciam conſequentis: quum neque veterum praxis pro certa regula nobis eſſe debeat, neque illi revera ad Perſicam pompã, vel cultum ipſius Sacramenti: ſed ad communionem abſentium ægrotorum, vel peregrinorum, omniumque ſimilium in neceſſitate aliqua verſantium, planè fecerint, quicquid hujus rei fecerunt. Sed nos tamen ad praxin Chriſti & Apoſtolorum potiùs, quàm aliorum veterum provocare ſolemus, imò debemus. Id enim *verius, quod prius*: id prius, quod ab Apoſtolis, &c. ut rectè Tertullianus ſcriptum reliquit.

Eraſmus tract. de Amabili Eccleſiæ concordia ſcribit: *Tempore veteris Eccleſia populus non curſitabat ad videndum id, quod ſacerdos oſtendit, ſed proſtratis humi corporibus, animis* IN CŒLUM *erectis, gratias agebant Chriſto redemptori, qui nos ſua morte redemit.* Et Georg. Caſſander lib. Conſultationum art. 22. *Euchariſtia Sacramentum, inquit Cranzius, à cœleſti magiſtro ad uſum, non ad oſtentationem inſtitutum erat.*

Pontificiis igitur Chriſti diſcipulos & veteres nonnullos falsò comitari, canonesque Pontificum Romanorũ perversè ſequi liceat: NOBIS autem EUANGELICIS DOMINUM NOSTRUM & primam Eccleſiam (cujus exemplar 1. Cor. 11. exſtat) imitari verè atque orthodoxè integrum ſit.

Utut enim hac in re ſurſum & deorſum volutentur Pontificii, quales tandem & quicunque nam illi fuerint, qui in Euchariſtia non manere corpus Chriſtus ſenſerunt, crediderunt & docuerunt, certè neque hæretici hac ſententia facti ſunt, neque hæreſeos convinci poſſunt. Et Euangelici Chriſtiani hodie eandem ſententiam profitentes, nullam ideò hæreſin novam excogitarunt & amplexi ſunt. Nam veteres quidem Euchariſtiam ſervabant in plures dies aliquoties, & mittebant ad amicos illos vel illos: non tamen quod ibi eſſe corpus ac ſanguinem Chriſti ſubſtantiale realiter exiſtimarẽt. Mósque his mittendi Euchariſtiam ultrò citroque fuit Sacramenti abuſus, nec ullo verbo à Chriſto deſignatus. Nam Sacramentum in uſu conſiſtit legitimo, qui eſt ut pane & vino in cœtu cõmuni acceptis, cum gratiarum actione diſtributis, commanducatis & potatis, fidelis celebretur mortis Chriſti recordatio, fides confirmetur, communio Eccleſiæ teſtata reddatur, dilectioque proximi excitetur & declaretur: ut ex Euangeliſtis & Apoſtolis liquet. Reliqua diſcantur ex Rodolphi Hoſpiniani hiſtoriæ Sacramentariæ lib. 4. partis primæ, à fol. 379. uſque ad 383. Ac videant Papiſtæ, ne Sacramentum Chriſti myſterium diutiùs ſervando, propter putredinem tandem cogantur COMBURENDUM (ut Bellarrminus lib. de Euchariſtia cap. 5. §. Tertio loco, &c. quæritur) Vulcano conſecrare.

Euangelici ſanè hîc jam ſcopulum Neſtorianiſmi prætervecti ſunt.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De Eutychianorum hæreſi, quæ ab Euangelicis hodie non foveatur, ut Pontificii garriunt.

ETſi verò probare non poſſunt Pontificii, apud Euangelicos reformatarum Eccleſiarum Chriſtianos locum eſſe hæreſi Neſtorii, qui naturas in Chriſto diſtrahit: tamen in alteram partem deflectentes, protrahunt & derivant in eos Eutychetis hæreſin, qui contra naturas Chriſti confundit.

Eutychiana hæreſis Euangelicis inuritur.

Hæreſis decimaſeptima, inquit Bellarminus lib. 4. de notis Eccleſiæ cap. 9. *Eutychianorum, qui docuerunt eſſe in Chriſto unam naturam, ſicut unam* perſonam. Eandem hoc tempore inſtauraverunt *Schuenkfeldius & nonnulli Lutherani, nimirum Brentius & Schmidelinus, ubi docent Chriſti humanitatem converſam eſſe in naturam divinam, & eſſe ubique.*

Hîc ergo *primum* oſtendemus per Dei gratiam, Euangelicos ab ipſis Papiſtis nota Eutychianę hæreſeos truculenter ac honorificè liberari. *Deinde*, ipſos Euangelicos Eutychianiſmum deteſtari ac confutare, ut ſe penitus orthodoxos & Catholicos eſſe probēt Tertio ipſos potiùs Papiſtas hoc crimine Eutychianæ hæreſeos teneri.

I. Euangelici à gravibus & eruditis Theologis Pontificiis in crimine Eutychianæ hæreſis inſontes proclamantur.

Ad *prioris* confirmationem præſto eſt Euangelicis Gregorius à Valentia, qui lib. 1. contra Ubiquitatem: *Dicunt Lutherani*, inquit, *realem illam cõmunicationem divinarum proprietatum cum humanitate aſſumptam, nequaquam eſſe* eſſentialem, id eſt *non ita illam de humanitate affirmari, quomodo affirmatur de divinitate, quaſi humanitas per ſuam eſſentiam dicatur eſſe illa. Nec communicatio eſt Phyſica, aut ſubjectiva, quaſi in ipſa humanitate inſint tanquam accidentia in ſubjecto. Sed eſſe conjunctam modi ſingularis & arcani, quem hypoſtaticum & perſonalem vocant, atque ita videri volunt non tollere naturarum diſtinctionem, quoniam inquiunt, humanitas phyſicè & ſuâ naturâ manet circumſcripta, at propter hypoſtaticam unionem divina illi competunt.* Rurſus Tom. D. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 1. §. *Tertius error*, &c. ſcribit: *At Eutyches per ſummam amentiam ajebat, tantum eſſe in Chriſto naturam ex duabus conflatam, eámque nunc eſſe tantùm divinam.* Hæc Jeſuita. Si igitur ipſos Euãgelicos ſibi interpretes eſſe patiantur Pontificii videre eſt dilucidiſſimè, quantum ab Eutychianis abhorreant Eutychiani (ut verè dicit Valentianus) docuerũt unam eſſe in Chriſto naturam; at Lutherani (ut appellat) id eſt, Euangelici naturas diſtinguunt. Cur ergo hoc nihilominus Pontificii in crimen Eutychianæ hæreſeos vocant?

Bene eſt. Alibi, nempe lib. 3. de Chriſto, cap. 2. 3. 4. *Bellarminus* explicans & refellens hæreſin Eutychetis contra realem idiomatum divinorum in humana Chriſti natura communicationem ac per conſequens contra Ubiquitatem ea tradit tribus iſtis capitibus, quæ planè orthodoxa ſunt, & à nobis quoque vera eſſe omnia agnoſcuntur, creduntur & probantur. Sed hæc ipſa attentè aſpicientibus & legentibus, occurrũt, maximè è noſtris hauſta & è noſtrorum Theologorum in Euangelicis atque orthodoxis Eccleſiis copia variorum de hac materia circa Perſonam Chriſti tractatuum deſcripta eſſe. Itaq; Bellarmino tum pro

hoc

Digitized by Google

hoc labore tum pro ſtudio veritatis illis in capitibus defenſæ & nobiſcum demonſtratæ, ſummas gratias agimus.

Nam maxima hoc loco vis veritatis appare, ut quæ etiam Adverſarios ſuos licet inſcios, aut invitos, interdum aſſentiri ſibi cogat. Quod enim alibi Papiſtæ aſtruunt (ut ſub finem hujus capitis indicabimus) nempe humanam Chriſti naturam ubique præſentem eſſe, &c. id hic non ſine aperta contradictione negant, ac deſtruunt. Ac in ſumma *Bellarminus* hoc loco & in hac cauſſa nobiſcum tuenda ſuſcipit hæc 4. Axiomata contra realẽ idiomatum divinorum communicationem & corporis Chriſti Ubiquitatem, quibus etiam nos Euangelici in ea redarguenda uti ſolemus, ut vera Perſonæ Chriſti ratio adverſus Eutychianos veteres & novos conſtet. I. Multa quidem & maxima Dei *dona*, ſive divina & planè cœleſtia privilegia, humanæ Chriſti naturæ cum propter unionem perſonalem cum filio Dei, tum propter ſeſſionem ejus ad dextram Dei Patris, verè & realiter communicata eſſe. II. Non tamen ipſa *propria* Deitatis *attributa* ſeu *proprietates Dei eſſentiales*, in aſſumptam Chriſti humanitatem veluti effuſas, ſeu realiter & ſubjectivè derivatas eſſe. III. Quamvis interim rectè dici poſſit, idiomata Deitatis toti perſonæ, licet à ſola natura humana denominatæ, reipſa & veriſſimè communicata eſſe: IV. Id quod ſimiliter de attributis humanitatis cum ipſo λόγῳ, ſeu unigenito filio Dei, revera in unitate Perſonæ communicatis, intelligi debeat: quum *& unio & communicatio* iſta planè reci-

Axiomata 4. contra realem divinorum idiomatũ communicationem.

proca ſit, &c. Sed & ante Bellarminum G. Genebrardus & Claud. Sanctius de hac materia adverſus Ubiquitatẽ nonnulla ſcripſerũt. Adhæc Ingolſtadienſes Theologi circa annum 1561. & Caſſander ac Buſæus Jeſuita orthodoxè contra eam ſcripſerunt. In hac igitur doctrinæ parte omnes omnino Euangelici (exceptis ſolis *Ubiquiſtis* vel *Ubiquitariis*) ex animo conſentiunt, & ipſis quoque Papiſtis, quatenus eam his verbis & hoc ſenſu tenent, aſtipulari conſueverunt. Tantùm deſiderant in Papiſtis tum modeſtiam, quando ſub nomine *Ubiquiſtarum* omnibus Euangelicis Eutychianam hæreſin, naturas Chriſti confundentem & deificantem, tribuunt, tum conſtantiam, quando quod una manu dant, altera mox eripiunt, ut ſub calcem hujus capitis videbimus.

II. Euangelici ipſi præcipuè Eutychianiſmũ oppugnant.

Deinde, in primis Confeſſiones noſtræ de Chriſto, & ſcripta de controverſia Cœnæ Dominicæ, de adoratione Chriſti, contraque Ubiquitatem vel omnipræſentiam corporis ejus edita, teſtantur & evincunt, nos neque Eutychianorum veterum, neque recentiorum, ut pote Schuenckfeldianorum & Ubiquiſtarum opinionem atque doctrinam de communicatione attributorum Divinitatis probare, ſed confutare. Quanquam enim ut Eutyches, naturâ humanitatis in Chriſto ſublatâ, non niſi unam eamque divinã naturam in eo agnoſcebat, nihil prorſus aut corpori aut carni Chriſti relinquens, ſic Schuenkfeldius Chriſtũ nõ eſſe creaturam contendat, imò inprimis poſt reſurrectionem Deificatam aſſerat; tamen ex una parte à Johanne

Schuenkfeldianus Eutychianiſmus ab Euangelicis refutatur.

Digitized by Google

Wigando, ex altera à D. Daniele Toſſano acriter, eruditè & fusè refellitur. Nec exiguo cum fructu & tenui laude idem præſtat Euſebius Clebetus Mémingenſis, Eccleſiæ Sangallenſis miniſter, qui peculiari tractatu Germanico contra Schuenkfeldianos docet, carnem Chriſti verè creaturam eſſe factã. Maximè autem præclaram contra Schuenkfeldianum Eutychianiſmum operam navavit Vir Clariſſ. Joachimus Vadianus Cos. Sangallenſis, qui epiſtolis doctiſſimis eum refutavit. Harum *una* edita eſt anno 1539. ab Hẽrico Bullingero cum D. Vigilii libris quinque, qua præcipuè explicatur hæc quæſtio, an corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti propter conjunctionem cũ verbo inſeparabilẽ ſumat ſibi alienas à corpore conditiones adverſus Schuẽkfeldium. Qui docebat de corpore Chriſti illud poſt aſſumptionem in cœlos & ſeſſionem ad dextram Patris ita deificatum & verbo exæquatum eſſet, ut non ampliùs ſit creatura. Quoniam verò multi de hac controverſia Bullingerum conſulebant, ille Vadianum virum longè ſapientiſſimum & eruditiſſimum atque lumen Helvetiæ, quo familiariſſimè utebatur, conſuluit. Et quia ipſius reſponſio doctè & accurratè perſcripta ſibi admodum placebat, eandem aliis communicavit, atque ut veteris Eccleſiæ ſententia de eadem quæſtione ſimul cognoſci poſſit, Vadiani Epiſtolæ adjũxit libros S. Vigilii Martyris olim contra Eutychianũ errorem conſcriptos, in quibus humanæ naturę veritas & veri corporis ꝓprietas in Chriſto, etiam in gloria exiſtente, perſpicuis ac ſolidis Scripturarum teſtimoniis aſſeritur. *Altera* edita eſt anno 1540. ad Johannem Zuikium Cõſtantienſis Eccleſiæ paſtorem, de quæſtione fere eadem, ac in illa poſt explicatas in Chriſto naturas diverſas, & perſonam in diverſis naturis unam, Jeſum Servatorem noſtrum vel in gloria veram eſſe creaturam, tum oraculis Scripturarum ſacroſanctis, tum interpretum orthodoxorũ authoritate docetur & demonſtratur. Addita eſt huic Antilogia ſive Reſponſio ad Caſpari Schuenkfeldii argumenta, quibus Chriſtum Dominum in gloriam receptum etiam ſecundùm carnem ampliù: creaturam nullo modo eſſe contendit, ſed à Vadiano refutatur.

Similiter etſi initio *Lutherus*, ac dein *Joh. Brevius, Jacobus Andreæ Schmidelinus, Mart: Chemnitius, Flacciani*, uno verbo Ubiquitarii vel Ubiquiſtæ, ſicut Eutyches contrariæ Neſtorii doctrinã docebat naturam Chriſti humanã poſt unionem donatam eſſe proprietatibus Divinitatis; ita ipſi Humanitati ſeu humanæ naturæ Chriſti tribuunt propria eſſentialia Deitatis, id eſt, divinæ naturæ majeſtatem, omnipræſentiam vel Ubiquitatem, &c. tamen eorũ hæreſin paſſim in ſcriptis *Huldrichus Zuinglius, Henricus Bullingerus & Joh. Calvinus* vivente adhuc etiam *Lutheros*, doctiſſimè confutarunt. *Theodorus Beza, Petrus Martyr Vermilius Florẽtinus, Joſias Simlerus, Tigurinus & Lambertus Danaus*, Theologi Heidelbergenſes & Witebergenſes quoque ex profeſſo contra *Arentium, Schmidelinũ*, & horum Socium *Nicolaũ Selneccerum* ac alios Ubiquiſtas ſtylum ſtrinxerunt, ut veram de Perſona Chriſti doctrinam ab hæreſi omni vindicarent

Ubiquiſtæ & pravi Lutheri diſcipuli ab Euangelicis orthodoxis refutati.

Hoſpinianus hiſt. ſacram. part. 2. fol. 51. uſque ad 66. & finem uſque.

Digitized by Google

runt. *Zacharias Urſinus* ſucceſſit, Urſino *Antonius Sadeel*, Sadeeli *Franciſcus Junius*, *Mathias Martinius*, aliique quàm plurimi, qui pro veritate duarum in Chriſto naturarum contra Ubiquitarios egregiè decertarunt, & à Rodolpho Hoſpiniano in Hiſtoriæ Sacramentariæ Tomo 2. ac 3. percenſentur.

Lutherus Eutychianiſmum abjicit.

Quid quod ipſe *Lutherus* tandem ſententiam illam ſuam abjecit, qua quum primum Ubiquiſta factus eſſet paſſionem revera in ipſam quoque divinitatem Chriſti penetraſſe, ut in utraque natura verè illam ſuſtinuerit: Chriſti verò humanitatem, Seſſione ad Dei dextram prorſus incircumſcriptam, & reliquis divinitatis proprietatibus ornatam fuiſſe initio ſenſit & docuit? Unde ipſarum quoque naturarum confuſio, id eſt, eſſentialis Deificatio humanitatis neceſſariò ſequitur, quum proprietates in Dei ſint ipſiſſimę & ſimpliciſſimæ Deitatis eſſentiæ proindeque ab hac minimè ſeparabiles. Ideoque his realiter communicatis, ipſam quoque eſſentiam æquè communicari neceſſe eſt. Hæc verò quid aliud quàm Eutychiana hæreſis erat? Nam Eutyches duplicem conſtituebat confuſionem videlicet ipſius naturarũ in Chriſto ſubſtantiæ & proprietatum ipſis naturis inhærentium, ut qui λόγον ſeu verbum faceret paſſibile à conceptione. Corpus verò à reſurrectione incircumſcriptum & planè deificatum imaginaretur. Hanc inquam, Eutychianam opinionem Lutherus tandem abjecit, ut Hoſpinianus part 2. Hiſtor. Sacramentariæ à fol. 55. uſque ad 66. & ultra recenſet.

Quid quod recentior Brentii, Flacii & Schmidelini Eutychianiſmo, de Ubiquitate ſeu omni præſentia corporis Chriſti, gliſcente & prorumpente, ei ſeſe quoque ſodales illorum intimi: nimirum *Heſſhuſius, Selneccerus, Wigandus & alii* multi ex Lutheri diſcipulis, naviter oppoſuerunt? ut idem Hoſpinianus ibidem à fol. 286. uſque ad finẽ teſtatur.

Acceſſit Marci Beumleri Analyſis Diſputationis Jacobi Andreæ Schmidelini de religioſa carnis Chriſti adoratione, &c. ac Diſputationes duæ de θεανθρώπῳ perſona ac Phraſibus quibus ſacra Scriptura de Chriſtó loquens utitur. Quarum illa anno 1584. hæc 1599. in lucem Tiguri prodiit.

Iis adduntur problemata Benedicti Aretii, & inſtitutiones Theologicæ Guil. Bucani, Theologorum Bernenſium, in quibus doctrina de Perſona Chriſti contra hæreſes quaſcunque prolixè ſolideque refutatur.

Nec prætereundum, *poni unam tantùm in Chriſto naturam* tam à Schuenkfeldio, quã Brentio & Schmidelino (ut ait de illis Bellarminus) impudens mẽdacium eſt. Neuter enim tale quid docet, ſed utraque in Chriſto naturam agnoſcunt. Tantummodò naturam humanam poſt gloriam à reſurrectione in Chriſto propria eſſentialia divinæ naturæ accepiſſe perperam affirmant contra illud: *Tollens proprietates, tollit naturam:* & contra, *Tribuẽs proprietates tribuit naturam*, Et *De quocunque prædicari non poteſt eſſentia, neque eſſentiales illius proprietates de eadem prædicari poſſunt.*

Quo verò clariùs indefeſſum orthodoxorum Euangelicorum ſtudium oppugnandi & profligandi Eutychia-

 niſmo

Digitized by Google

niſmo ſimilem Pſeudolutheranorum opinionem perſpiciamus, tabulam argumentorum utrinque oppoſitorum exhibere non pigebit. Objectiones enim vel rationes præcipuæ pro ſubſtātiali *ubiquitate*, ſive omni præſentia corporis Chriſti, totaq́ue reali idiomatū, inter ipſas ejus naturas facta communicatione, hæ proferuntur. I. Ducitur *ex unione perſonali* duarū Chriſti naturarum. Quæ quum ſit ἀδιάσπαστος, hoc eſt, inſeparabilis, ſive indiſtracta, adeóque arcta, ut aſſumpta natura nonniſi in aſſumente ſubſiſtat: item quum nō niſi per indivulſam humanitatis in Deitatem aſſumptionem *verbum caro factum ſit* (Joh. 1. 14.) quumq́ue *tota Deitatis plenitudo intra humanitatem Chriſti, non extra eam, & quidem corporaliter habitet* (Col. 2. ℣. 9.) certè nuſquam videtur divinitas Chriſti exſiſtere poſſe, ubi nō ſimul præſentiſſima ſit ipſius humanitas: niſi unicam Chriſti perſonam ſolvere, ſeu naturas intimè unitas divellere velimus: quod abſit. In ſumma: hæc unio realem idiomatum communicationem, &c. exigere videtur.

Objectiones & argumẽta ubiquiſtarum pro reali idiomatum inter ipſas naturas facta communicatione.

2. Petitur *ab aſcenſu Chriſti in cœlum*, & ſimul à *ſeſſione* ejuſdem *ad dextram Dei*: prout hæc phraſis Pſal. 110. item Heb. 1. 3. & 8. 2. & alibi paſſim in ſacris literis, atque adeò in ſymbolo Apoſtolico occurrit. Quum enim *cœlum* illud, in quod Chriſtus aſcendit, ſit Spirituale Dei regnum, quod ubique præſto eſt, & præterea *Dei dextra* omnino illocalis & ubique præſens ſit: conſequēs eſſe videtur, ut humana Chriſti natura illo cœlo illata, & ad dextram illā collocata, ſimiliter ubiq; locorum ſit præſens: præſertim quum ad Epheſ. 4. dicatur, *Chriſtum idcirco aſcendiſſe ſupra omnes cœlos, ut omnia impleret*, hoc eſt, omnibus locis efficaciter ſimul & ſubſtantialiter adeſſet.

3. Sumitur ex iis Scripturæ locis, quę de *ſuprema* Chriſti *poteſtate & gloria in tempore à Patre accepta*, diſſerunt, qualia ſunt Math. 11. ℣. 27. & 28. 18. Item Joh. 5. 27. Epheſ. 1. 20. 21. Ad Phil. 2. 8. 9. & alibi, &c. ubi *Chriſto Jeſu*, quatenus homo eſt (Deo enim propriè loquendo nihil dari poteſt) *omnis poteſtas in cœlo & terra*, item *omne imperium & judicium*, denique *nomen ſupra omne nomen*, datum eſſe dicitur, &c. Hinc enim ſequi videtur, ſubſtantialem quoque *omnipræſentiam & omnipotentiam Dei propriam*, & cætera id genus divina idiomata, eidē revera communicata eſſe, utpote illis phraſibus indicata.

4. Ducitur ex iis locis, ubi *Chriſtus* ſe perpetuè Eccleſiæ *adfuturum* promiſit: ut Math. 18. 20. & 28. 20. Joh. 14. 18. & alibi. Quum enim perſona Chriſti diſtrahi ſeu divelli non poſſit, conſequēs eſſe videtur, ut totus Chriſtus, quantus quantus eſt, hoc eſt, ſecundùm utramque naturam ubique ſubſtantialiter adſit. Aut ſi alicubi abeſt, juxta utramque naturam ibidem abſit. Hoc autem abſurdum eſt. Ergo illud credendum, &c.

5. Nititur teſtimoniis quorundam *Patrum & Scholaſticorum*: qui carnem Chriſti, propter unionem perſonalem cum Deitate, præſertim poſt aſcenſionem in cœlum, & ſeſſionem ad dextrā Patris, velut *Deificatam* eſſe, ſeu divinis qualitatibus exornatam eſſe, clarè affirmant. Qui etiam Chriſtum, ſecundùm utramque naturam ubique præ-

ſentem

ſentem eſſe, nonnunquam licet obſcuriùs, aſſerere videntur.

6. Denique ſumitur ex naturali ratione: quæ docere videtur, alienum eſſe *à ſumma beatitudine & excellentia hominis Chriſti*, præſertim jam in cœlo glorificati, adhuc ſpaciis locorum circumſcriptum eſſe, & veluti certis cancellis ac limitibus concluſum, &c. Ergo juxta modum majeſtatis, ſeu dextræ Dei humana Chriſti natura ubique eſt, &c.

Solutiones. Iſtis verò orthodoxi pulcherrimè & validiſſimè occurrunt, PRIMO ſummam omnium reſponſionum vel ſolutionem in duabus rebus ponentes; DEINDE alia argumenta firmiora opponentes. *Summa ſophiſtica pro ubiquitate.* Summa omnium reſponſionum in his duabus rebus præcipuè cõſiſtit: *partim* in explicatione quarundã phraſium, ab ubiquitatis patronis non bene intellectarum, ſed depravatarũ, puta de *incarnatione* filii Dei, ſive *unione perſonali* duarum Chriſti naturarum: deque *ſeſsione ejuſdem ad dextram Dei Patris*: denique de *inhabitatione* divinitatis in ipſo Chriſto, &c. *partim* in *diſtinctione* rerum diverſiſſimarum, licet iiſdem ſæpè vocibus expreſſarum; nempe *donorum* creatorum, ſive *gloriæ & majeſtatis illius donatæ*, quam Chriſtus, quatenus mediator eſt, in tempore à Deo accepit: & proprietatum divinarum, quarum nulla eſt transfuſio ex una natura in alteram: item in *diſtinctione* nominum *concretorum & abſtractorũ*: quorum illa *perſonam* integram, licet ab altera tantùm natura denominatam, hæc verò ſeorſum ipſas *naturas*, in ſeſe conſideratas, ſignificant, &c. *Partim* denique in *negatione* quarundam rerum, in quibus aſſerendis principiũ petitur ab ubiquitatis aſſertoribus plusquam ſophiſticè.

Argumenta ubiquitatem refellentia. Argumenta item contra prædictam corporis Chriſti ubiquitatem & realem divinorum idiomatũ cõmunicationem, in natura Chriſti humana factam, hæc præcipuè firmiora & ſolidiora orthodoxi afferunt, quibus tamen alia non pauca ab aliis paſſim, præſertim etiam à JOHANNE BILSTENIO Mansbergiano in dialectica Inſtitutione, utiliter adjiciuntur.

1. Ubiquitas, ſive *omnipotentia* ſubſtantialis in ſacris literis *ſoli Deo*, tanquam proprietas eſſentialis, paſſim aſcribitur. Jerem. 23. *Ego cælum & terram impleo.* Pſal. 139. *Quò ibo à ſpiritu tuo*, &c. Act. 17. *Non longè abeſt ab unoquoque noſtrûm. Nam in ipſo vivimus, movemur & ſumus*, &c. Sic alibi paſſim. At divinæ naturæ *proprietates* non magis quàm ipſa Dei eſſentia cum creaturis communicari poſſunt, qui ſunt ipſa ſimplex Dei eſſentia. Item, quia nullæ proprietates ſua ſubjecta egrediuntur, &c. Ergo nec corpus Chriſti ubique præſens eſt.

2. Deinde hæc ſubſtantialis *Ubiquitas* ipſi Chriſto, quatenus homo eſt, in ſacris literis apertè denegatur. Sic enim Joh. 6. 17. *Non venerat ad eos Jeſus.* Et ỳ. 24. legitur *Jeſus non erat illic*, &c. Ac Joh. 11. 15. ipſe ait: *Se non fuiſſe eo in loco, ubi Lazarus mortuus fuerat.* Et Math. 28. 6. inquiunt Angeli *Surrexit, non eſt hic.* At qui ubique præſens eſt, idem nuſquam abeſt. Ergo ſubſtantialis Ubiquitas hominis Chriſti nulla eſt. Nec dici poteſt, naturaliter quidem Chriſtum, qua homo eſt, in uno tantùm loco verſari; perſonaliter tamen, & modo

do majeſtatis ubique eſſe. Hæc enim diſtinctio nuſquam in S. literis exſtat, & præterea rei ſubjectæ naturam planè deſtruit.

3. Hæc ipſa Ubiquitas corporis Chriſti cum omnibus penè FIDEI articulis pugnat, qui videlicet agunt de vera Chriſti *conceptione, nativitate, paſſione, morte, ſepultura, reſurrectione & aſcenſione in cœlum*, &c. Res enim ipſa docet eum qui ſua ſubſtantia revera ubique præſens eſt, neque propriè *naſci*, neque verè *mori*, neque in ſublime *aſcendere*, neque inde *deſcendere*, neque alio quovis modo *locum mutare* poſſe. Imo perſpicuum eſt, eum qui eſſentialiter ubique eſt, verum hominem eſſe non poſſe, &c. ut qui finitus & circumſcriptus ſit, &c. Atque hic non orthodoxi tantùm Euangelici, verùm etiam Bellarminus ac alii Papiſtici Doctores, rectè maximo cũ conſenſu docent, *cœlũ* illud ſupremũ, in quod Chriſtus ſuo corpore viſibiliter aſcendit, verum & *corporum* cœlum eſſe & non tam *cœleſtem ſtatum ac gloriam*, quàm locum verè ſublimem & ampliſſimum deſignare propriè, & revera ab hoc inferiore *mũdo* ratione ſitus, ſeu loci diſtinctum, non autem ubique locorum diffuſum eſſe, &c. Vide Act. 1. & 3. &c.

4. Pugnat etiam hæc *Ubiquitas* cum ipſa corporali præſentia, & *orali* manducatione Chriſti, in uſu S. Cœnę, pro quibus tamen aſſerendis potiſſimum excogitata fuit, &c. Conſtat enim id, quod ſubſtantialiter ubique eſt, non magis in S. Cœna, quam ubivis alibi tum verè & realiter adeſſe, tum oraliter etiam, ſi corpus ſit, percipi ſeu manducari poſſe, ita ut vel ipſa Ubiquitas abjicienda vel corporalis præſentia & oralis perceptio Chriſti in S. Cœna præciſè neganda ſit, quum utraque ſimul ſtare non poſſint.

5. Denique pugnat hæc *Ubiquitas* cum perpetuo *totius Eccleſiæ* ſeu purioris Antiquitatis conſenſu, ſicut tum ex *Athanaſio, Baſilio* & aliis patet, q ex attributo Ubiquitatis, adverſus Arianos & Chriſti & Spiritus ſancti divinitatem aſſerere ſolent: tum inprimis apud *Auguſtinum* in Epiſt. 57. ad Dardanum & & paſſim alibi. Item apud *Theodoretum* in Dialogis, & apud *Vigilium* contra Eutychianos, pluresque alios veterum perſpicuè videre licet. Quippe qui clariſſimè teſtantur, Chriſtum etiam nũc in gloria cœleſti verè finitum & circumſcriptum eſſe, nec ullo modo juxta naturam humanam ſubſtantialiter ubique eſſe, &c. ſed hoc reſpectu in cœlo beatorum liberè ac glorioſè habitare.

6. Hoc *Ubiquitatis & communicationis realis* divinorum idiomatum dogmate ex inferis revocantur non modò Neſtorianiſmus & Eutychianiſmus (de quibus antea ſatis) verùm etiam apertè ac multipliciter repetuntur & ſtabiliuntur aliæ multæ ſceleratiſſimæ hæreſes, contra fidei & ſalutis noſtræ fundamentum excitatæ, videlicet *Marcionis, Manichæorum, Serveti, Sabellii, Photini, Samoſateni, Arii, Seleucianorum, Eunomii, Monothelitarum*.

Marcionis & Manichæorum hæreſis.

Docuerunt, *Marcionitæ & Manichæi* Chriſtum non fuiſſe vero ac naturali corpore humano præditum, ſed ſpeciem tantùm corporis oſtentaſſe, ut viſus ſolummodò fuerit carnem & oſſa habere, quum in veritate non habuerit.

Digitized by Google

rit. Talem Chriſtum fingit Ubiquitas Quod enim ubique eſt, illocale & propterea incorporeum eſt.

Severi hæreſis. *Severus* hæreticus cum ſuis diſcipulis humanæ naturæ ſubſtantiam in Chriſto non quidem negabant, naturales verò proprietates ejus abſorptas eſſe contendebant, ut corpus quidem per unionis gratiam evaſerit tanquam incorporeum, ſine quantitate, lineaméntis, ſpecificis proprietatibus, & qualitatibus naturalibus, omnique phyſico veri corporis modo, niſi in quantum extraordinaria aliqua diſpoſitione, externam talem figuram ſine rei veritate geſſerit. Annon autem hæreticam hãc opinionem renovat & confirmat Ubiquitatis figmentum?

Sabelliani & Patripaßiani docuerunt unionem conſiſtere in communicatione proprietatum eſſentialium divinitatis, in quibus ſolis illa facta ſit. Qua ratione non poterit Filius ſolus magis intelligi, & dici incarnatus eſſe, & paſſus, quam Pater & Spiritus ſanctus. Nã ut eſſentia, ſic etiam omnes proprietates eſſentiales Patri Filio & Spiritui ſancto æquè & identicè conveniunt. Hoc autem Sabellianum delirium Ubiquitatis commentum docere evidenter cernitur, ſi hoc cum illo confeŕatur.

Seleuciani vel Hermiani negant Salvatorem in carne ſedere ad dextrãm Patris, ſed eam exuiſſe perhibent. Quod annón etiam ſentiunt & docent Ubiquiſtæ?

Monothelitæ ſublato idiomatum diſcrimine, unicam tantùm in Chriſto actionem ſtabiliebant: quamvis duas diſtinctas ſubſtantias ſeu naturas divinitatis & humanitatis apertè non negarent. Idem faciunt hodie Ubiquitarii, qui ratione perſonalis unionis unicam τȣ͂ λόγȣ & hominis aſſumpti, hoc eſt, humanę naturę, ut ipſi intelligũt, actionem eſſe ſentiunt, humanitate divinitati ſecundum proprietates exequatã. Neque tamen propterea, ut ipſi etiam Monothelitæ, ipſas naturarũ ſubſtantias confundere videri volunt. Eo autem nomine Monothelitæ juſtè damnati fuerunt. Nam quorum operatio indifferenter una eſt, iis etiam ſpeciei unitatem ſervare oportet.

Hinc non injuriã Euangelici orthodoxi in Confeſſionis Helveticæ cap. 11. de Chriſto vero Deo & Homine diſertè dicimus & affirmamus; Ut *Neſtorianum dogma ex uno Chriſto duos faciens, & unionem perſonæ diſſolvens, abominamur: ita Eutychetis & Monothelitarum vel Monophyſicorum veſaniam, expungentem naturæ humanæ proprietatem execramur.* Et quicunque tam orthodidaſcaliæ, quã ſuæ ſalutis amans eſt, cognitis his melioribus & validioribus argumentis, non ſolùm penes nos victoriam eſſe animadvertet, ſed etiam abſurditatem & falſitatẽ dogmatis de reali idiomatum in Chriſto communicatione & commentitia Ubiquitate, dilucidè videbit, ac ideo meritò manibus pedibusq; ſe fugere diſcet.

III. Pontificios ipſos hæreſi Eutychianæ laborare Atq; hunc Eutychianorũ, Schwẽckfeldianorum, Brentii, Smidelini, Flaccianorum & aliorum Pſeudolutheranorum errorem per nos licet exagitẽt, oppugnent & deteſtentur Pontificii, quantum libet, certè in hac accuſatione ſua nec nos, quos Calviniſtas & Zuinglianos vocant, attingunt, nec ul-

Digitized by Google

mens ergo & impius eſt, quiſquis eum Neſtorianæ hæreſi quicquam faviſſe ſuſpicatur, nedum dicere audet. Et an non nunc calumniæ deprehenſæ Bellarminum ac ſocios pudet?

Præterea, duas in Chriſto naturas fateri, ſi hæreticũ & Neſtorianum eſt, fuerunt etiam Paulus & Petrus Apoſtoli Neſtoriani. Nam ille 2. Cor. 13 ꝟ. 4. dicit de Chriſto: *Nam etſi crucifixus fuit ex infirmitate* (quo naturam humanam Chriſti confitetur) *vivit tamen ex potentia Dei*, quo ejus naturam divinam exprimit. Et hic 1. Epiſt. 4. 1. ait: *Quum igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armemini*, Nempe: *quod qui paſſus eſt in carne, deſtitit à peccato, ad hoc ut non amplius cupiditatibus hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt temporis in carne, vivat.* Ubi dicens: *Chriſtus paſſus eſt carne*, innuit, quũ Deus ſit, tamen humanâ naturâ paſſum, ſecundùm quam ſolum pati potuit. Sic cap. 3. ꝟ. 18. dixit *Mortificatum carne*, id eſt, ſecundùm humanitatem. Sed abſit blaſphemia, ut propter hæc dicta Apoſtolos hæreticos & Neſtorianos faciamus. Ergo & abſit, Euangelicos duas naturas in Chriſto agnoſcentes, dicere hæreticos.

Theodorus Beza injuria Neſtorianiſmi traducitur.

Sed tamen Beza, inquit, *hoc tempore id docet ſive ex ignorantia ſive ex malitia, dum duas hypoſtaticas uniones in Chriſto ſtatuit, unam animæ cum corpore, alteram divinitatis cum humanitate*, Ac citat hujus teſtem Bezæ librum de Hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum unione.

Reſpondemus. Audiatur ipſe Beza reus ſic verbo faſſus. Is in Epiſtola Dedicatoria in novum Teſtamentum; *Manifeſta eſt*, inquit, *pertinacia eorum, qui Chriſti naturas cum Neſtorio diſſolvunt, proprietates verò cum Eutychete confundunt.* Ecquis ergo hîc verborum contextus, ecqua vocula, ecquod jota aliquid hæreſi ſimile ſonat? Nam & Bezæ hic Gregorius Valentianus ipſe Pontificius aſtipulatur, Tom. 4. Diſp. 1. quæſt. 2. punct. 2. §. Fuit dicens: *Neſtorii error eſt errori Eutychis per extremum contrarius. Eutyches ita perſonam Chriſti aſſerebat, ut naturas confunderet. Neſtorius autem ita naturas diſtinguebat, ut unam perſonam non agnoſceret. Eccleſia Catholica incedit media via, qua & naturas contra Eutychetem diſtinguit, & contra Neſtorium retinet perſonæ unitatem.* Atqui Beza hoc jam præſtitit. Ergo Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, non Neſtorianam hæreſin ſequitur.

Ac quo minùs in ſuſpicione ſit Beza quaſi vel tantillum ſenſerit & dixerit, quod hujus erroris ei notam tenuiſſimam inurere poſſit, in libro Confeſſionis ſuæ Articulo de Jeſu Chriſto c. 22. ſcribit: *Fatemur perſonam Filii ab ipſo momento, quo caro ipſius concepta fuit, unitã fuiſſe humanæ naturæ inſeparabiliter, ita ut non ſint duo Filii Dei, nec duo Chriſti, ſed unus ſit propriè Dei Filius Jeſus Chriſtus, verus Deus & verus homo, manentibus tamen ac diſtinctis utriusque naturæ proprietatibus. Nam Divinitas ab humanitate, vel è contrario Humanitas à Divinitate ſejuncta vel alterutra cum altera confuſa nulli nobis uſui eſſet.*

Math. 1. d. 18. & 28. Luc. 1. c. 31. 32. 35. 41. 43.

Nihil autem categoricè ad objecta verba Bezæ reſponderi, poſſet quis objicere. Reſp. Invidioſe dictum ejus trahi ac vellicari. Non enim ſentit ille duas eſſe perſonas Chriſti (quod Neſtorianum eſt) aut revera duas eſſe uniones

Digitized by Google

niones hypoſtaticas ſeu perſonales in Chriſto, quod eodem recideret: Nam hoc ipſum argumentum ibidem ipſe ex profeſſo oppugnat Beza. Sed docet duas uniones eſſe in Chriſto, & in perſona Chriſti, quarum altera, nempe animæ cum carne, hypoſtatica eſt communiter in nobis per naturam, conſtituens hypoſtaſin noſtram, altera, nẽpe divinitatis cum Humanitate, eſt hypoſtatica ſingulariter in Chriſto per *οἰκονομίαν* voluntariam. Utraque igitur unio dicitur hypoſtatica, conſtituensq; hypoſtaſin in individuo. Hoc ipſe Beza ſic ibidem interpretatur.

Nec aliud profectò ſibi Beza voluit per duas uniones hypoſtaticas in Chriſto niſi quod ſymbolum Athanaſii nos docet, dicens: *Sicut anima & corpus conſtituunt unum hominem, ſic homo & Deus unum Chriſtum.* Prior eſt hypoſtaſis naturæ humanæ, altera unius perſonæ, quæ ex humanæ & divinæ perſonæ unione conflata eſt. Etenim vox Hypoſtaſis ambigua eſt, quæ tam naturam quàm perſonam deſignat. Ita exponit & teſtatum facit Alphonſus de Caſtro adverſus Hæreſes, Tit. de Chriſto, ſcribẽs. *Neſtorius ſtatuit in Chriſto duas eſſe perſonas, unam divinam, alteram humanam. Chriſtum dixit tantùm eſſe hominem in quo ſpeciali prærogativa Deus habitabat, non autem fuiſſe hypoſtatica unione Deum & hominem.* Quid ſimile Beza habuit? Imo quid non diſſimile, & planè contrariũ? *Beza*, inquit Bellarminus, *in Chriſto unionem hypoſtaticam ponit, divinitatis cum humanitate.* Alphõſus ait: *Neſtorius hypoſtaticam unionem divinitatis in Chriſto negabat.* In hac ergo accuſatione ab ignorantiæ pariter ac hæreſis ſuſpicione

Beza in verbis ſupra ex Beza citatis.

confeſſio tum Bezæ, tum etiam ex Beza Pontificiorum & Athanaſii ipſum liberat. Et quicquid eſt, ſi error ſubeſt, ipſe etiam Beza poſtea admonitus correxit, ut in illo libro apparet. Et hodie omnino nihil tale tenet. Sed fieri non poteſt, quin Bellarmino iſtam accuſationem in Bezam ſcribenti malitia adhæſerit, quæ quidem cæca eſt, & eos plerunq; excæcat, quos complexa eſt.

CAP. VII.

Euangelicos negantes corpus Chriſti in Euchariſtia manere etiam extra uſum communiones, nihil hæretici committere.

INSTAT adverſarius Bellarminus alio modo Neſtorianiſmi labem Euangelicis aſpergendo, citans quorundam hæreſin eodem tempore, quo Neſtorius vixerit, exſiſtentiam vel permanentiam corporis Domini Jeſu Chriſti in Euchariſtia extra uſum communionis legitimam pernegantium, de quibus tamen an & ipſi Neſtoriani fuerint, ignoret. *Hæreſis decima ſexta*, inquit, *etiam quorundam Neſtorianorum, qui negarunt Chriſti corpus manere in Euchariſtia, ſi ſervetur in alterum diem: quos Cyrillus in Epiſtola ad Coloſirium Epiſcopum inſanire ait. In errore eodem fuerunt Bucerus, Calvinus & alii, qui negant eſſe corpus Chriſti in Euchariſtia, niſi quum ſumitur.* Hæc ille.

Bellarm. l. de Notis Eccleſ. cap. 9. § Eodem tempore.

Nos non poſſumus hoc loco ſatis mirari callidum & diſtortum ingeniũ Pontificiorum, quum Bellarminus fingat neſcio quos veteres Hæreticos hujus opinionis duces exſtitiſſe, Suarez

Digitized by Google

num,non eſt corpus & ſanguis Chriſti, hoc eſt, non eſt corporis & ſanguinis Sacramentum.

III. Relatio ſigni ad ſuum ſignatũ eſt de eſſentia Sacramenti. Hæc autẽ actualis relatio in ſolo uſu reipſa exercetur: quia non propter panem, ſed propter nos, pane illo utentes, dicitur panis eſſe corpus Chriſti. Ergo ne Sacramenti eſſentiam perdamus, in uſu legitimo præciſè manendum eſt, nec uſpiam ab eo deflectendum.

IV. Ut aqua *Baptiſmi* non eſt actuale Sacramentum extra actionem baptizandi: ita nec panis & vinum ſunt actu corpus & ſanguis Chriſti, hoc eſt, Sacramenta eorum, extra Euchariſticam communionem, quia eadem cõmunis eſt ratio utriuſque Sacramenti. Id quod in *circumciſione* quoque & *Agno Paſchali*, aliiſque omnibus Sacramentis evidenter apparet, ubi uſus divinitùs inſtitutus neceſſariò ſemper ſpectari debet.

V. Patres antiquiores, licet ægrotis ac peregrinis abſentibus Euchariſtiam deferrent, id tamen extra communionem non fecerunt: imò hunc quaſi continuum communionis actum eſſe indicarunt. Neque etiam ob pompam, aut adorationem: ſed ob ſolam communionem, ſacra ſigna interdum metu inſtantis periculi aut mortis ad breve tempus aſſervarunt. Quidam etiã reliquias olim vel pueris, vel pauperibus & ſcholaſticis abſumendas dederunt. Alii eas exuſſerunt, &c. De quibus vide hiſtoriæ Sacramentariæ partem I. à Rodolpho Hoſpiniano editã, & Philippi Mornæi Pleſſiaci Domini libros de Euchariſtia. Hocque factum donec tandem Papalis aſſervatio hoſtiæ contra uſum legitimum ac veterẽ ubiq; ferè obtineret, de qua iidem abundè ſcribunt. Ac ipſe Bellarminus lib. 4. de Euchariſtia cap. 5. §. *Secundo loco* &c. ait: *Objicitur nobis* (Pontificiis) *Origenes, qui dicit, Dominus panem, quem dedit*, NON DISTULIT, *nec differri juſſit in craſtinum*. His ergo & ſimilibus multis rationibus permovemur jure ac merito, ut nullam durationem ſeu permanentiam corporis & ſanguinis Chriſti in ſpeciebus panis ac vini, extra uſum Cœnæ Dominicæ legitimum credamus. Et Gregorius Valentianus rectè ſtatum quæſtionis hujus, quoad Euãgelicos, exprimit, Tom. 4. diſp. 6. q. 1. punct 3. inquiens: *Contendunt Proteſtãtes, Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtere in tota ipſa actione, qualem Chriſtus deſignavit:* ACCIPITE ET MANDUCATE: BIBITE, HOC FACITE: *& in diſtributione utriuſque ſpeciei, dicente Chriſto:* HOC FACITE *in commemorationem mei. Unde etiam pernegant, ſpecies illas aſſervatas, extra illum uſum & actionem, Sacramentum ullo modo eſſe. Quemadmodum, inquiunt, Sacramentum Baptiſmi, quod conſiſtit in illa operatione baptizandi, extra quem uſum aqua ipſa non eſt ulterius Sacramentum.*

Quibus Euangelicorum argumentis quum occurrere prolixè Pontificii Doctores ſtudent, aqua reſpondentibus, ut eſt in proverbio, hæret. Valentianus ibidem ait: **Concedo reliqua Sacramenta in ipſo uſu materiæ ſolo conſiſtere, ſed in hoc Sacramento non in ſolo materiæ uſu, ſed in materia conſervata & permanente conſiſtit.** Sed puerilis eſt & ridicula ſolutio, naturæ Sacramentorum repugnans. Quid Bellarminus objectioni no-

Objectiones pro duratione vel permanentia & repoſitione hoſtia.

Digitized by Google

noſtrorum ex origine reſpondet? *Sed non poteſt inde colligi*, inquit, *non debuiſſe unquam poſtea Euchariſtiam conſervari: multa enim Dominus non per ſe juſſit, quæ poſtea per Apoſtolos juſſit.* Ubi tandem? Hoc divinare faciliùs illi fuerit, quàm demonſtrare.

Sed tamen cap.2.3.4.5. lib.4.de Euchariſtia cumulat longa ſerie Papiſtarum omnia argumenta pro permanentia ſeu duratione corporis ac ſanguinis Domini in hoſtia, ipſaque adeò hoſtiæ repoſitione, quibus Eccleſiæ Romanæ morem animoſè propugnat. Et ſemel conſecratam hoſtiam rectè in ciboriis ad cultum & theatricam pompam reponi affirmat. Nam extra inſtitutum à Domino uſum Sacramenti nullum ejus uſum Pontificii fingere poſſunt, quàm CIRCUMGESTATIONEM in proceſſione & ADORATIONEM. Non aliter, ac ſi hoſtia non minùs extra communionem, quàm in ipſa communione verum & ſubſtantiale Chriſti corpus atque ſanguis ſit, & maneat, &c. Summa huc redit: *Corpus Domini in Euchariſtia permanenter exſiſtere, etiam extra omnem uſum communionis, quamdiu ſcilicet ipſæ ſpecies durant: quibus fortè putreſcentibus, etiam corpus & ſanguis Domini evaneſcant.*

Hoc trium argumentorum acie obtinere ſatagit omnium Pontificiorum nomine. *Primus* eſt, eſſentia Sacramenti non pendet à noſtro conſequente *uſu*: ſed à præcedente Sacerdotis *conſecratione*, hoc eſt, conjunctione verbi cũ elemento, ſive uſus accedat, ſive non. Conſtat autem, Chriſtum in ipſa inſtitutione prout deſcribitur, Math.26. Marc.14. Luc.22. 1.Cor.11. priùs panẽ

1.

conſecraſſe, quàm diſcipuli eum comederint, &c. Ergo jam ante omnem uſum corpus Domini adfuit: & proinde etiam extra uſum permanere ſolet.

Secundum, *Baptiſmus* in eo differt ab *Euchariſtia*, quod ille eſt actio tranſiens: videlicet, ablutio aquæ in verbo vitæ, &c. uti vocatur Epheſ.5.26. *Hæc* verò eſt res permanẽs: videlicet ipſum corpus & ſanguis Domini, 1.Cor.11. Non autem eſt aliqua corporis fractio, aut perceptio, aut tale quippiam, quod ſit opus noſtrum, non autem opus ſolius Dei, &c. Ergo duratio hujus Sacramenti etiam extra uſum, agnoſcenda eſt. 2.

Tertium, Veteres etiam hanc Euchariſtiæ permanentiam agnoverunt: quia pro peregrinis, ægrotis, aliiſque extra ordinem petentibus, eam aſſervarunt, & abſentibus afferendam curarunt, inque periculoſo itinere aut navigatione ſecum ſumpſerunt. Sicut ex Euſebio, Baſilio, Ambroſio, &c. cõſtare poteſt, ubi exempla complura hujus aſſervationis occurrunt. Hæcq; eadem ferè argumẽta etiam Johannes Piſtorius capite vel diſputatione 9. Ducis ſui affert, quæ hîc in brevem ſummam contraximus. 3.

Verùm ea fusè diluerunt tum D. Balthaſar Menzerus, tum Conradus Vorſtius, in Antipiſtorianis ſuis ſcriptis ſeu diſputationibus. Nos ad ea ſic breviter reſpondemus. In *primo* falſum aſſumi: quum interior eſſentia Sacramentis omnino conſiſtat in relatione ſigni ad ſuum finem: hic autem finis, imò & actualis relatio ad hunc finem, in uſu legitimo demùm appareat. In *ſecundo* principium ſimiliter peti, quatenus *Reſponſio.*

Digitized by Google

tenus falſum utriuſque Sacramenti diſcrimen affertur: & ſimul plura interrogata hîc miſceri perperam: nempe an & quatenus Sacramenta ſint opera, ſive actiones noſtræ, &c. In *tertio* eſſe fallaciam conſequentis: quum neque veterum praxis pro certa regula nobis eſſe debeat, neque illi revera ad Perſicam pompã, vel cultum ipſius Sacramenti: ſed ad communionem abſentium ægrotorum, vel peregrinorum, omniumque ſimilium in neceſſitate aliqua verſantium, planè fecerint, quicquid hujus rei fecerunt. Sed nos tamen ad praxin Chriſti & Apoſtolorum potiùs, quàm aliorum veterum provocare ſolemus, imò debemus. Id enim *verius, quod prius*: id prius, quod ab Apoſtolis, &c. ut rectè Tertullianus ſcriptum reliquit.

Eraſmus tract. de Amabili Eccleſiæ concordia ſcribit: *Tempore veteris Eccleſia populus non curſitabat ad videndum id, quod ſacerdos oſtendit, ſed proſtratis humi corporibus, animis* IN CŒLUM *erectis, gratias agebant Chriſto redemptori, qui nos ſua morte redemit*. Et Georg. Caſſander lib. Conſultationum art. 22. *Euchariſtia Sacramentum, inquit Cranzius, à cœleſti magiſtro ad uſum, non ad oſtentationem inſtitutum erat*.

Pontificiis igitur Chriſti diſcipulos & veteres nonnullos falsò comitari, canoneſque Pontificum Romanorũ perversè ſequi liceat: NOBIS autem EUANGELICIS DOMINUM NOSTRUM & primam Eccleſiam (cujus exemplar 1. Cor. 11. exſtat) imitari verè atque orthodoxè integrum ſit.

Utut enim hac in re ſurſum & deorſum volutentur Pontificii, quales tandem & quicunque nam illi fuerint, qui in Euchariſtia non manere corpus Chriſtus ſenſerunt, crediderunt & docuerunt, certè neque hæretici hac ſententia facti ſunt, neque hæreſeos convinci poſſunt. Et Euangelici Chriſtiani hodie eandem ſententiam profitentes, nullam ideò hæreſin novam excogitarunt & amplexi ſunt. Nam veteres quidem Euchariſtiam ſervabant in plures dies aliquoties, & mittebant ad amicos illos vel illos: non tamen quod ibi eſſe corpus ac ſanguinem Chriſti ſubſtantiale realiter exiſtimarẽt. Móſque his mittendi Euchariſtiam ultrò citroque fuit Sacramenti abuſus, nec ullo verbo à Chriſto deſignatus. Nam Sacramentum in uſu conſiſtit legitimo, qui eſt ut pane & vino in cœtu cõmuni acceptis, cum gratiarum actione diſtributis, commanducatis & potatis, fidelis celebretur mortis Chriſti recordatio, fides confirmetur, communio Eccleſiæ teſtata reddatur, dilectioque proximi excitetur & declaretur: ut ex Euangeliſtis & Apoſtolis liquet. Reliqua diſcantur ex Rodolphi Hoſpiniani hiſtoriæ Sacramentariæ lib. 4. partis primæ, à fol. 379. uſque ad 383. Ac videant Papiſtæ, ne Sacramentum Chriſti myſterium diutiùs ſervando, propter putredinem tandem cogantur COMBURENDUM (ut Bellarminus lib. de Euchariſtia cap. 5. §. Tertio loco, &c. quæritur) Vulcano conſecrare.

Euangelici ſanè hîc jam ſcopulum Neſtorianiſmi prætervecti ſunt.

CAP. VIII.

De Eutychianorum hæreſi, quæ ab Euangelicis hodie non foveatur, ut Pontificii garriunt.

ETsi verò probare non poſſunt Pontificii, apud Euangelicos reformatarum Eccleſiarum Chriſtianos locum eſſe hæreſi Neſtorii, qui naturas in Chriſto diſtrahit: tamen in alteram partem deflectentes, protrahunt & derivant in eos Eutychetis hæreſin, qui contra naturas Chriſti confundit.

Eutychiana hæreſis Euangelicis inuritur.

Hæreſis decimaſeptima, inquit Bellarminus lib. 4. de notis Eccleſiæ cap. 9. *Eutychianorum, qui docuerunt eſſe in Chriſto unam naturam, ſicut unam* perſonam. Eandem hoc tempore inſtauraverunt *Schuenkfeldius & nonnulli Lutherani, nimirum Brentius & Schmidelinus, ubi docent Chriſti humanitatem converſam eſſe in naturam divinam, & eſſe ubique.*

Hîc ergo *primum* oſtendemus per Dei gratiam, Euangelicos ab ipſis Papiſtis nota Eutychianę hæreſeos trũculenter ac honorificè liberari. *Deinde*, ipſos Euangelicos Eutychianiſmum deteſtari ac confutare, ut ſe penitus orthodoxos & Catholicos eſſe probẽt Tertio ipſos potiùs Papiſtas hoc crimine Eutychianæ hæreſeos teneri.

I. Euangelici à gravibus & eruditis Theologis Pontificiis in crimine Eutychianæ hæreſis inſontes proclamantur.

Ad *prioris* confirmationem præſto eſt Euangelicis Gregorius à Valentia, qui lib. 1. contra Ubiquitatem: *Dicunt Lutherani*, inquit, *realem illam cõmunicationem divinarum proprietatum cum humanitate aſſumptam, nequaquam eſſe* eſſentialem, id eſt *non ita illam de humanitate affirmari, quomodo affirmatur de divinitate, quaſi humanitas per ſuam eſſentiam dicatur eſſe illa. Nec communicatio eſt Phyſica, aut ſubjectiva, quaſi in ipſa humanitate inſint tanquam accidentia in ſubjecto. Sed eſſe conjunctam modi ſingularis & arcani, quem hypoſtaticum & perſonalem vocant, atque ita videri volunt non tollere naturarum diſtinctionem, quoniam inquiunt, humanitas phyſicè & ſuâ naturâ manet circumſcripta, at propter hypoſtaticam unionem divina illi competunt.* Rurſus Tom. Diſp. 1. quæſt. 2. punct. 1. §. *Tertius error*, &c. ſcribit: *At Eutyches per ſummam amentiam ajebat, tantum eſſe in Chriſto naturam ex duabus conflatam, eámque nunc eſſe tantùm divinam.* Hæc Jeſuita. Si igitur ipſos Euãgelicos ſibi interpretes eſſe patiantur Pontificii videre eſt dilucidiſſimè, quantum ab Eutychianis abhorreant Eutychiani (ut verè dicit Valentianus) docuerũt unam eſſe in Chriſto naturam; at Lutherani (ut appellãt) id eſt, Euangelici naturas diſtinguunt. Cur ergo hoc nihilominus Pontificii in crimen Eutychianæ hæreſeos vocant?

Bene eſt. Alibi, nempe lib. 5. de Chriſto, cap. 2. 3. 4. *Bellarminus* explicans & refellens hæreſin Eutychetis contra realem idiomatum divinorum in humana Chriſti natura communicationem ac per conſequens contra Ubiquitatem ea tradit tribus iſtis capitibus, quæ planè orthodoxa ſunt, & à nobis quoque vera eſſe omnia agnoſcuntur, creduntur & probantur. Sed hæc ipſa attentè aſpicientibus & legentibus, occurrũt, maximè è noſtris hauſta & è noſtrorum Theologorum in Euangelicis atque orthodoxis Eccleſiis copia variorum de hac materia circa Perſonam Chriſti tractatuum deſcripta eſſe. Itaq; Bellarmino tum pro hoc

Digitized by Google

hoc labore tum pro ſtudio veritatis illis in capitibus defenſæ & nobiſcum demonſtratæ, ſummas gratias agimus.

Nam maxima hoc loco vis veritatis appare, ut quæ etiam Adverſarios ſuos licet inſcios, aut invitos, interdum aſſentiri ſibi cogat. Quod enim alibi Papiſtæ aſtruunt (ut ſub finem hujus capitis indicabimus) nempe humanam Chriſti naturam ubique præſentem eſſe, &c. id hic non ſine aperta contradictione negant, ac deſtruunt.

Axiomata 4. contra realem divinorum idiomatū communicationem.

Ac in ſumma *Bellarminus* hoc loco & in hac cauſſa nobiſcum tuenda ſuſcipit hæc 4. Axiomata contra realē idiomatum divinorum communicationem & corporis Chriſti Ubiquitatem, quibus etiam nos Euangelici in ea redarguenda uti ſolemus, ut vera Perſonæ Chriſti ratio adverſus Eutychianos veteres & novos conſtet. I. Multa quidem & maxima Dei *dona*, ſive divina & planè cœleſtia privilegia, humanæ Chriſti natura cum propter unionem perſonalem cum filio Dei, tum propter ſeſſionem ejus ad dextram Dei Patris, verè & realiter communicata eſſe. II. Non tamen ipſa *propria* Deitatis *attributa* ſeu *proprietates Dei eſſentiales*, in aſſumptam Chriſti humanitatem veluti effuſas, ſeu realiter & ſubjectivè derivatas eſſe. III. Quamvis interim rectè dici poſſit, idiomata Deitatis toti perſonæ, licet à ſola natura humana denominatæ, reipſa & veriſſimè communicata eſſe: IV. Id quod ſimiliter de attributis humanitatis cum ipſo λόγῳ, ſeu unigenito filio Dei, revera in unitate Perſonæ communicatis, intelligi debeat: quum & *unio* & *communicatio* iſta planè reciproca ſit, &c. Sed & ante Bellarminum G. Genebrardus & Claud. Sanctius de hac materia adverſus Ubiquitatē nonnulla ſcripſerūt. Adhæc Ingolſtadienſes Theologi circa annum 1561. & Caſſander ac Buſæus Jeſuita orthodoxè contra eam ſcripſerunt. In hac igitur doctrinæ parte omnes omnino Euangelici (exceptis ſolis *Ubiquiſtis* vel *Ubiquitariis*) ex animo conſentiunt, & ipſis quoque Papiſtis, quatenus eam his verbis & hoc ſenſu tenent, aſtipulari conſueverunt. Tantùm deſiderant in Papiſtis tum modeſtiam, quando ſub nomine *Ubiquiſtarum* omnibus Euangelicis Eutychianam hæreſin, naturas Chriſti confundentem & deificantem, tribuunt, tum conſtantiam, quando quod una manu dant, altera mox eripiunt, ut ſub calcem hujus capitis videbimus.

II. Euangelici ipſi præcipuè Eutychianiſmū oppugnant.

Deinde, in primis Confeſſiones noſtræ de Chriſto, & ſcripta de controverſia Cœnæ Dominicæ, de adoratione Chriſti, contraque Ubiquitatem vel omnipræſentiam corporis ejus edita, teſtantur & evincunt, nos neque Eutychianorum veterum, neque recentiorum, ut pote Schuenckfeldianorum & Ubiquiſtarum opinionem atque doctrinam de communicatione attributorum Divinitatis probare, ſed confutare. Quanquam enim ut Eutyches, naturâ humanitatis in Chriſto ſublatâ, non niſi unam eamque divinā naturam in eo agnoſcebat, nihil prorſus aut corpori aut carni Chriſti relinquens, ſic Schuenckfeldius Chriſtū nō eſſe creaturam contendat, imò inprimis poſt reſurrectionem Deificatam aſſerat; tamen ex una parte à Johanne

Schuenkfeldianus Eutychianiſmus ab Euangelicis refutatur.

Digitized by Google

Wigando, ex altera à D. Daniele Toſſano acriter, eruditè & fusè refellitur. Nec exiguo cum fructu & tenui laude idem præſtat Euſebius Cleberus Mémingenſis, Eccleſiæ Sangallenſis miniſter, qui peculiari tractatu Germanico contra Schuenkfeldianos docet, carnem Chriſti verè creaturam eſſe factã. Maximè autem præclaram contra Schuenkfeldianum Eutychianiſmum operam navavit Vir Clariſſ. JOACHIMUS VADIANUS Cos. Sangallenſis, qui epiſtolis doctiſſimis eum refutavit. Harum *una* edita eſt anno 1539. ab Hẽrico Bullingero cum D. Vigilii libris quinque, qua præcipuè explicatur hæc quæſtio, an corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti propter conjunctionem cũ verbo inſeparabilẽ ſumat ſibi alienas à corpore conditiones adverſus Schuẽkfeldium. Qui docebat de corpore Chriſti illud poſt aſſumptionem in cœlos & ſeſſionem ad dextram Patris ita deificatum & verbo exæquatum eſſet, ut non ampliùs ſit creatura. Quoniam verò multi de hac controverſia Bullingerum conſulebant, ille Vadianum virum longè ſapientiſſimum & eruditiſſimum atque lumen Helvetiæ, quo familiariſſimè utebatur, conſuluit. Et quia ipſius reſponſio doctè & accurratè perſcripta ſibi admodum placebat, eandem aliis communicavit, atque ut veteris Eccleſiæ ſententia de eadem quæſtione ſimul cognoſci poſſit, Vadiani Epiſtolæ adjũxit libros S. Vigilii Martyris olim contra Eutychianũ errorem conſcriptos, in quibus humanæ naturę veritas & veri corporis ꝓprietas in Chriſto, etiam in gloria exiſtente, perſpicuis ac ſolidis Scripturarum teſtimoniis aſſeritur. *Altera* edita eſt anno 1540. ad Johannem Zuikium Cõſtantienſis Eccleſiæ paſtorem, de quæſtione fere eadem, ac in illa poſt explicatas in Chriſto naturas diverſas, & perſonam in diverſis naturis unam, Jeſum Servatorem noſtrum vel in gloria veram eſſe creaturam, tum oraculis Scripturarum ſacroſanctis, tum interpretum orthodoxorũ authoritate docetur & demonſtratur. Addita eſt huic Antilogia ſive Reſponſio ad Caſpari Schuenkfeldii argumenta, quibus Chriſtum Dominum in gloriam receptum etiam ſecundùm carnem ampliùs creaturam nullo modo eſſe contendit, ſed à Vadiano refutatur.

Ubiquiſtæ & pravi Lutheri diſcipuli ab Euangelicis orthodoxis refutati.

Similiter etſi initio *Lutherus*, ac dein *Joh. Brevius, Jacobus Andreæ Schmidelinus, Mart: Chemnitius, Flacciani*, uno verbo *Ubiquitarii* vel *Ubiquiſtæ*, ſicut Eutyches contrariæ Neſtorii doctrinâ docebat naturam Chriſti humanã poſt unionem donatam eſſe proprietatibus Divinitatis; ita ipſi Humanitati ſeu humanæ naturæ Chriſti tribuunt propria eſſentialia Deitatis, id eſt, divinæ naturæ majeſtatem, omnipræſentiam vel Ubiquitatem, &c. tamen eorũ hæreſin paſſim in ſcriptis *Huldrichus Zuinglius, Henricus Bullingerus & Joh. Calvinus* vivente adhuc etiam *Lutheros*, doctiſſimè confutarunt. *Theodorus Beza, Petrus Martyr Vermilius Florẽtinus, Joſias Simlerus, Tigurinus & Lambertus Danæus*, Theologi Heidelbergenſes & Witebergenſes quoque ex profeſſo contra *Arentium, Schmidelinũ*, & horum Socium *Nicolaũ Selneccerum* ac alios Ubiquiſtas ſtylum ſtrinxerunt, ut veram de Perſona Chriſti doctrinam ab hæreſi omni vindicarent

Hoſpinianus hiſt. ſacram. part. 2. fol. 51. uſque ad 66. & finem uſque.

Digitized by Google

runt. *Zacharias Urſinus* ſucceſſit, Urſino *Antonius Sadeel*, Sadeeli *Franciſcus Junius*, *Mathias Martinius*, aliique quàm plurimi, qui pro veritate duarum in Chriſto naturarum contra Ubiquitarios egregiè decertarunt, & à Rodolpho Hoſpiniano in Hiſtoriæ Sacramentariæ Tomo 2. ac 3. percenſentur.

Lutherus Eutychianiſmum abjicit.

Quid quod ipſe *Lutherus* tandem ſententiam illam ſuam abjecit, qua quum primum Ubiquiſta factus eſſet paſſionem revera in ipſam quoque divinitatem Chriſti penetraſſe, ut in utraque natura verè illam ſuſtinuerit: Chriſti verò humanitatem, Seſſione ad Dei dextram prorſus incircumſcriptam, & reliquis divinitatis proprietatibus ornatam fuiſſe initio ſenſit & docuit? Unde ipſarum quoque naturarum confuſio, id eſt, eſſentialis Deificatio humanitatis neceſſariò ſequitur, quum proprietates in Dei ſint ipſiſſimę & ſimpliciſſimæ Deitatis eſſentiæ, proindeque ab hac minimè ſeparabiles. Ideoque his realiter communicatis, ipſam quoque eſſentiam æquè communicari neceſſe eſt. Hæc verò quid aliud quàm Eutychiana hæreſis erat? Nam Eutyches duplicem conſtituebat confuſionem videlicet ipſius naturarũ in Chriſto ſubſtantiæ & proprietatum ipſis naturis inhærentium, ut qui λόγον ſeu verbum faceret paſſibile à conceptione. Corpus verò à reſurrectione incircumſcriptum & planè deificatum imaginaretur. Hanc inquam, Eutychianam opinionem Lutherus tandem abjecit, ut Hoſpinianus part 2. Hiſtor. Sacramentariæ à fol. 55. uſque ad 66. & ultra recenſet.

Quid quod recentior Brentii, Flacii & Schmidelini Eutychianiſmo, de Ubiquitate ſeu omni præſentia corporis Chriſti, gliſcente & prorumpente, ei ſeſe quoque ſodales illorum intimi: nimirum *Heßhuſius*, *Selneccerus*, *Wigandus & alii* multi ex Lutheri diſcipulis, naviter oppoſuerunt? ut idem Hoſpinianus ibidem à fol. 286. uſque ad finẽ teſtatur.

Acceſſit Marci Beumleri Analyſis Diſputationis Jacobi Andreæ Schmidelini de religioſa carnis Chriſti adoratione, &c. ac Diſputationes duæ de θεανθρώπου perſona ac Phraſibus quibus ſacra Scriptura de Chriſto loquens utitur. Quarum illa anno 1584. hæc 1599. in lucem Tiguri prodiit.

Iis adduntur problemata Benedicti Aretii, & inſtitutiones Theologicæ Guil. Bucani, Theologorum Bernenſium, in quibus doctrina de Perſona Chriſti contra hæreſes quaſcunque prolixè ſolideque refutatur.

Nec prætereundum, *poni unam tantùm in Chriſto naturam* tam à Schuenkfeldio, quã Brentio & Schmidelino (ut ait de illis Bellarminus) impudens mẽdacium eſt. Neuter enim tale quid docet, ſed utrãque in Chriſto naturam agnoſcunt. Tantummodò naturam humanam poſt gloriam à reſurrectione in Chriſto propria eſſentialia divinæ naturæ accepiſſe perperam affirmant contra illud: *Tollens proprietates, tollit naturam:* & contra, *Tribuẽs proprietates tribuit naturam,* Et *De quocunque prædicari non poteſt eſſentia, neque eſſentiales illius proprietates de eadem prædicari poſſunt.*

Quove clariùs indefeſſum orthodoxorum Euangelicorum ſtudium oppugnandi & profligandi Eutychianiſmo

niſmo ſimilem Pſeudolutheranorum opinionem perſpiciamus, tabulam argumentorum utrinque oppoſitorum exhibere non pigebit. Objectiones enim vel rationes præcipuæ pro ſubſtātiali *ubiquitate*, ſive omni præſentia corporis Chriſti, totaque reali idiomatū, inter ipſas ejus naturas facta communicatione, hæ proferuntur. I. Ducitur *ex unione perſonali* duarū Chriſti naturarum. Quæ quum ſit ἀδιάσπαστος, hoc eſt, inſeparabilis, ſive indiſtracta, adeóque arcta, ut aſſumpta natura nonniſi in aſſumente ſubſiſtat: item quum nō niſi per indivulſam humanitatis in Deitatem aſſumptionem *verbum caro factum ſit* (Joh. 1. 14.) quumque *tota Deitatis plenitudo intra humanitatem Chriſti, non extra eam, & quidem corporaliter habitet* (Col. 2. ℣. 9.) certè nuſquam videtur divinitas Chriſti exſiſtere poſſe, ubi nō ſimul præſentiſſima ſit ipſius humanitas: niſi unicam Chriſti perſonam ſolvere, ſeu naturas intimè unitas divellere velimus: quod abſit. In ſumma: hæc unio realem idiomatum communicationem, &c. exigere videtur.

Objectiones & argumenta ubiquiſtarum pro reali idiomatum inter ipſas naturas facta communicatione.

2. Petitur *ab aſcenſu Chriſti in cælum*, & ſimul à *ſeſſione* ejuſdem *ad dextram Dei*: prout hæc phraſis Pſal. 110. item Heb. 1. 3. & 8. 2. & alibi paſſim in ſacris literis, atque adeò in ſymbolo Apoſtolico occurrit. Quum enim *cælum* illud, in quod Chriſtus aſcendit, ſit Spirituale Dei regnum, quod ubique præſto eſt, & præterea *Dei dextra* omnino illocalis & ubique præſens ſit: conſequēs eſſe videtur, ut humana Chriſti natura illo cœlo illata, & ad dextram illā collocata, ſimiliter ubiq; locorum ſit præſens: præſertim quum ad Epheſ. 4. dicatur, *Chriſtum idcirco aſcendiſſe ſupra omnes cælos, ut omnia impleret*, hoc eſt, omnibus locis efficaciter ſimul & ſubſtantialiter adeſſet.

3. Sumitur ex iis Scripturæ locis, quę de *ſuprema* Chriſti *poteſtate & gloria in tempore à Patre accepta*, diſſerunt, qualia ſunt Math. 11. ℣. 27. & 28. 18. Item Joh. 5. 27. Epheſ. 1. 20. 21. Ad Phil. 2. 8. 9. & alibi, &c. ubi *Chriſto Jeſu*, quatenus homo eſt (Deo enim propriè loquendo nihil dari poteſt) *omnis poteſtas in cælo & terra*, item *omne imperium & judicium*, denique *nomen ſupra omne nomen*, datum eſſe dicitur, &c. Hinc enim ſequi videtur, ſubſtantialem quoque *omnipræſentiam & omnipotentiam Dei propriam*, & cætera id genus divina idiomata, eidē revera communicata eſſe, utpote illis phraſibus indicata.

4. Ducitur ex iis locis, ubi *Chriſtus* ſe perpetuò Eccleſiæ *adfuturum* promiſit: ut Math. 18. 20. & 28. 20. Joh. 14. 18. & alibi. Quum enim perſona Chriſti diſtrahi ſeu divelli non poſſit, conſequēs eſſe videtur, ut totus Chriſtus, quantus quantus eſt, hoc eſt, ſecundùm utramque naturam ubique ſubſtantialiter adſit. Aut ſi alicubi abeſt, juxta utramque naturam ibidem abſit. Hoc autem abſurdum eſt. Ergo illud credendum, &c.

5. Nititur teſtimoniis quorundam *Patrum & Scholaſticorum*: qui carnem Chriſti, propter unionem perſonalem cum Deitate, præſertim poſt aſcenſionem in cœlum, & ſeſſionem ad dextrā Patris, velut *Deificatam* eſſe, ſeu divinis qualitatibus exornatam eſſe, clarè affirmant. Qui etiam Chriſtum, ſecundùm utramque naturam ubique præ-

ſentem

Digitized by Google

ſentem eſſe, nonnunquam licet obſcuriùs, aſſerere videntur.

6. Denique ſumitur ex naturali ratione: quæ docere videtur, alienum eſſe *à ſumma beatitudine & excellentia hominis Chriſti*, præſertim jam in cœlo glorificati, adhuc ſpaciis locorum circumſcriptum eſſe, & veluti certis cancellis ac limitibus concluſum, &c. Ergo juxta modum majeſtatis, ſeu dextræ Dei humana Chriſti natura ubique eſt, &c.

Solutiones. Iſtis verò orthodoxi pulcherrimè & validiſſimè occurrunt, PRIMO ſummam omnium reſponſionum vel ſolutionem in duabus rebus ponentes; DEINDE alia argumenta firmiora opponentes. Summa omnium reſponſionum in his duabus rebus præcipuè cōſiſtit: *partim* in explicatione quarundā phraſium, ab ubiquitatis patronis non bene intellectarum, ſed depravatarū, puta de *incarnatione* filii Dei, ſive *unione perſonali* duarum Chriſti naturarum: deque *ſeßione ejuſdem ad dextram Dei Patris*: denique de *inhabitatione* divinitatis in ipſo Chriſto, &c. *partim* in *diſtinctione* rerum diverſiſſimarum, licet iiſdem ſæpè vocibus expreſſarum; nempe *donorum* creatorum, ſive *gloriæ & majeſtatis illius donatæ*, quam Chriſtus, quatenus mediator eſt, in tempore à Deo accepit: & proprietatum divinarum, quarum nulla eſt transfuſio ex una natura in alteram: item in *diſtinctione* nominum *concretorum & abſtractorū*: quorum illa *perſonam* integram, licet ab altera tantùm natura denominatam, hæc verò ſeorſum ipſas *naturas*, in ſeſe conſideratas, ſignificant, &c. *Partim* denique in *negatione* quarundam rerum, in quibus aſſerendis principiū

Summa ſophiſtica pro ubiquitate.

petitur ab ubiquitatis aſſertoribus plusquam ſophiſticè.

Argumenta ubiquitatem refellentia. Argumenta item contra prædictam corporis Chriſti ubiquitatem & realem divinorum idiomatū cōmunicationem, in natura Chriſti humana factam, hæc præcipuè firmiora & ſolidiora orthodoxi afferunt, quibus tamen alia non pauca ab aliis paſſim, præſertim etiam à JOHANNE BILSTENIO Maſbergiano in dialectica Inſtitutione, utiliter adjiciuntur.

1. Ubiquitas, ſive *omnipotentia* ſubſtantialis in ſacris literis *ſoli Deo*, tanquam proprietas eſſentialis, paſſim aſcribitur. Jerem. 23. *Ego cœlum & terram impleo*. Pſal. 139. *Quò ibo à ſpiritu tuo*, &c. Act. 17. *Non longè abeſt ab unoquoque noſtrûm. Nam in ipſo vivimus, movemur & ſumus*, &c. Sic alibi paſſim. At divinæ naturæ *proprietates* non magis quàm ipſa Dei eſſentia cum creaturis communicari poſſunt, qui ſunt ipſa ſimplex Dei eſſentia. Item, quia nullæ proprietates ſua ſubjecta egrediuntur, &c. Ergo nec corpus Chriſti ubique præſens eſt.

2. Deinde hæc ſubſtantialis Ubiquitas ipſi Chriſto, quatenus homo eſt, in ſacris literis apertè denegatur. Sic enim Joh. 6. 17. *Non venerat ad eos Jeſus*. Et ỿ. 24. legitur *Jeſus non erat illic*, &c. Ac Joh. 11. 15. ipſe ait: *Se non fuiſſe eo in loco, ubi Lazarus mortuus fuerat*. Et Math. 28. 6. inquiunt Angeli *Surrexit, non eſt hic*. At qui ubique præſens eſt, idem nuſquam abeſt. Ergo ſubſtantialis Ubiquitas hominis Chriſti nulla eſt. Nec dici poteſt, naturaliter quidem Chriſtum, qua homo eſt, in uno tantùm loco verſari, perſonaliter tamen, & modo

rit. Talem Chriſtum fingit Ubiquitas Quod enim ubique eſt, illocale & propterea incorporeum eſt.

Severi hæreſis.

Severus hæreticus cum ſuis diſcipulis humanæ naturæ ſubſtantiam in Chriſto non quidem negabant, naturales verò proprietates ejus abſorptas eſſe contendebant, ut corpus quidem per unionis gratiam evaſerit tanquam incorporeum, ſine quantitate, lineamẽtis, ſpecificis proprietatibus, & qualitatibus naturalibus, omnique phyſico veri corporis modo, niſi in quantum extraordinaria aliqua diſpoſitione, externam talem figuram ſine rei veritate geſſerit. Annon autem hæreticam hãc opinionem renovat & confirmat Ubiquitatis figmentum?

Sabelliani & Patriſpaſſiani docuerunt unionem conſiſtere in communicatione proprietatum eſſentialium divinitatis, in quibus ſolis illa facta ſit. Qua ratione non poterit Filius ſolus magis intelligi, & dici incarnatus eſſe, & paſſus, quam Pater & Spiritus ſanctus. Nã ut eſſentia, ſic etiam omnes proprietates eſſentiales Patri Filio & Spiritui ſancto æquè & identicè conveniunt. Hoc autem Sabellianum delirium Ubiquitatis commentum docere evidenter cernitur, ſi hoc cum illo confeiatur.

Seleuciani vel Hermiani negant Salvatorem in carne ſedere ad dextram Patris, ſed eam exuiſſe perhibent. Quod annón etiam ſentiunt & docent Ubiquiſtæ?

Monothelitæ ſublato idiomatum diſcrimine, unicam tantùm in Chriſto actionem ſtabiliebant: quamvis duas diſtinctas ſubſtantias ſeu naturas divinitatis & humanitatis apertè non negarent. Idem faciunt hodie Ubiquitarii, qui ratione perſonalis unionis unicam τῦ λόγυ & hominis aſſumpti, hoc eſt, humanę naturę, ut ipſi intelligũt, actionem eſſe ſentiunt, humanitate divinitati ſecundum proprietates exequatã. Neque tamen propterea, ut ipſi etiam Monothelitæ, ipſas naturarũ ſubſtantias confundere videri volunt. Eo autem nomine Monothelitæ juſtè damnati fuerunt. Nam quorum operatio indifferenter una eſt, iis etiam ſpeciei unitatem ſervare oportet.

Hinc non injuriã Euangelici orthodoxi in Confeſſionis Helveticæ cap. 11. de Chriſto vero Deo & Homine diſertè dicimus & affirmamus; Ut *Neſtorianum dogma ex uno Chriſto duos faciens, & unionem perſonæ diſſolvens, abominamur: ita Eutychetis & Monothelitarum vel Monophyſicorum veſaniam, expungentem naturæ humanæ proprietatem execramur.* Et quicunque tam orthodidaſcaliæ, quã ſuæ ſalutis amans eſt, cognitis his melioribus & validioribus argumentis, non ſolùm penes nos victoriam eſſe animadvertet, ſed etiam abſurditatem & falſitatẽ dogmatis de reali idiomatum in Chriſto communicatione & commentitia Ubiquitate, dilucidè videbit, ac ideo meritò manibus pedibusq́ ſe fugere diſcet.

III. Pontificios ipſos hæreſi Eutychianæ laborare

Atq; hunc Eutychianorũ, Schwẽkfeldianorum, Brentii, Smidelini, Flaccianorum & aliorum Pſeudolutheranorum errorem per nos licet exagitẽt, oppugnent & deteſtentur Pontificii, quantum libet, certè in hac accuſatione ſua nec nos, quos Calviniſtas & Zuinglianos vocant, attingunt, nec ul-

la ratione unquam Eutychianæ hæreſis convincere poterunt. Verùm tum ſuæ propriæ Religionis Helenam, nẽpe MISSAM (utinam omiſſam) hac accuſatione penitus jugulant, tum ſe Eutichianiſmo turpiter infectos eſſe probant.

Miſſa Pontificia Eutychiana hæreſeos cõvincitur.

De MISSA enim Bellarminus lib 3. de Euchariſtia cap. 5. *Dicimus*, inquit, *corpus Chriſti fuiſſe in duobus locis ſimul, etiã localiter*, Ac lib. 3. de Chriſto cap. 18. §. *Quod autem*, &c. ait: *Dicimus corpus Chriſti eſſe ubicunque ſunt hoſtiæ conſecratæ, At dicere illud eſſe, vel eſſe poſſe in infinitis locis, immenſitatem requirit & Eutychianiſmum defendit*. Hæc ille.

Sed hanc eſſe Ubiquiſtarum æquè hæreſin atque Eutychianorum, Doctor illorum Seraphicus demonſtrat, inquiens: *Corpus Chriſti nec in quantum corpus, neque in quantum divinitati unitum eſt, hoc habet, ut ſit in pluribus locis ſimul*. Nã Ubiq; *eſſe, eſt divinæ naturæ proprietas, nulli creaturæ cõpetit, ut ne humanæ quidẽ Chriſti natura communicari poſſit*, Orthodoxè inprimis: à qua ſententia nec argumentorum, nec tormentorum vis ulla nos debet avellere. Sed habent Pontificii perfugium, Quodnam? *Non dicimus*, inquit Bellarminus, *Chriſtum pluribus in locis naturaliter eſſe poſſe, ſed per omnipotentiam divinam*. Et Ubiquiſtæ: *Humanitas naturaliter*, inquiunt, *infirma eſt, & circumſcripta, ſed propter divinitatis communionem ubique & omnipotens*. Anne autem rectè Annon hæreticè & Eutychianorum inſtar? Appellamus Scholæ veſtræ Archimoderatorem, qui impotens veſtrum omnipotentiæ divinæ aſylum evertat prorſus atque proſternat. Nam: *Si poteſt*, inquit, *Chriſti corpus eſſe in duobus locis ſimul, tum etiam in pluribus, atque adeo* Ubique. *Sed dicendũ quod in pluribus locis ſimul eſſe* NE QUIT *ne per miraculum quidẽ*: *At enim*, inquit & reſpondet Bellarminus *poſſit*, ſed *in myſterio*. Et Ubiquiſtæ, quos tamẽ his oppugnat: *Ubique eſt*, ajunt, *ſed ineffabili modo*.

Aquin. diſt. 27 quæſt. 1. in 1 l. Sent.

Aquin in Supplem. q. 85 art. 3.

Aut igitur Papiſmus vobis Pontificiis renunciandus eſt, aut Lutheraniſmus, adeoque (ſi vobis credimus) Eutychianiſmus confitendus. Quia ſi verba ſpectamus, Lutherani Eutychiani non erunt. Si conſequentiam verborum negemus, vos pariter eritis. *Quia perinde*, inquit Bellarminus, *eſt, Si ve dixerimus, Chriſti corpus eſſe, aut poſſe eſſe ubique*. Idem quoque, ut ait Aquinas, *dicere eſſe poſſe in pluribus locis, & infinitis*.

Argumenta Pontificia pro Ubiquitate.

Horq; ie magis hic *Pontificios*, non modò parùm ſibi conſtare dicimus, quippe qui quod in lib. *de Chriſto* clarè negant, humanam ſcilicet Chriſti naturam ſubſtantialiter ubique ferè præſentem eſſe, ſive infinitis penè in locis inter ſe reipſa diviſis, uno & eodem tẽpore eſſẽtialiter ſeu corporaliter adeſſe &c. idque propter eaſdem fermè cauſſas, quæ ab ubiquitariis afferri ſolent id in cõtroverſia de *S. Cœna ſeu Euchariſtia* rurſus diſertè ac prolixè aſſerunt. verũ etiam planè in Ubiquitatis barathrum proruere, ac proinde in Eutychianiſmum prolabi, affirmamus. Nam relictis, imo everſis & pudefactis rationibus & argumentis in lib. de Chriſto cõtra Ubiquitatẽ allatis nũc per eundẽ Bellarm. in cauſſa & lite de Euchariſtia alia contraria *pro Ubiquitate* lib. 3. de Euchariſt. animoſẽ ac confidenter in ſcenam producunt. Néve omnia operoſè è lib. 1. & 2. de Euchariſt. congeramus

Digitized by Google

mus & recitemus, ſaltem quæ lib. 3. de Euchariſtia cap. 1. & 2. 3. de potentia Dei circa corpus Chriſti in Euchariſtia & cap. 8. de Dei voluntate profert: majoris fidei faciendæ cauſſa in unum locum contrudemus, atque oculis ſubjiciemus.

Equidem ibi ex naturali ratione ſeu vera Philoſophia *duo* pro ſua principali Theſi nempe de eſſentiali & corporali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia Bell. affert: videlicet, Deũ *&* *poſſe & velle* efficere, ut corpus Chriſti, licet finitum, circumſcriptum & numero unicum, omnibus illis locis ſubſtantialiter adſit: & ab omnibus oraliter percipiatur, ubicunque Euchariſtia vel Miſſa celebratur, & communicantes aliqui adſunt, quicunque tandem iſti ſint. Hæc enim totius rei, quam aſtruit, ſumma eſt.

à Potentia Dei vel Poſſibilitate.

Prius his ſeptem argumentis probat. 1. Deo omnia poſſibilia ſunt, quæcunque non implicant contradictionem. Math. 19. 26. Luc. 1. 37. *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, &c. Corpus numero unum & verè finitum ſimul eſſe in multis locis, non implicat contradictionem: quum præſentia localis, aut vera loci occupatio, non ſit de eſſentia corporis, ſed tantùm accidens quoddam, merè extrinſecum, & à ſubjecto ſuo ſeparabile; & proinde veritatem corporis non tollit, ſive una tantum, ſive varia & diverſa ſimul, ſive etiam nulla ſit.

2. Chriſtus, quum Apoſtolo Paulo corporaliter aſſiſteret in terra Act. 9. & 22. & 26. ſimul tamen manſit in altiſſimo cœlo beatorum: quippe quo ipſum contineri oportet uſque ad tempus judicii extremi, Act. 1. & 3. Ergo ſimul corporaliter fuit in diverſis locis, & cõſequenter hæc corporis polytopia poſſibilis eſt.

3. Patres etiam teſtantur, eundem Chriſtum, qui cum Patre ſurſum in cœlo ſedet, eodem tempore verè in altari offerri, & manibus communicantium tractari Ut *Chryſoſt. Ambroſ. Auguſtin.* & alii viri ſanè docti & ſapientiſſimi. Ergo non eſt verę ſapientiæ, aut ſanæ rationi contrarium, unius corporis πολυπρεσίαν aſſerere & proinde nulla hic contradictio eſt.

4. Deus ipſe, licet individuus & maximè unus ſit, totus tamen ſimul diverſis in locis adeſt. Et anima licet unica ſit, tota tamen eſt in diverſis corporis partibus. Ergo nec unitas corporis impedire poteſt præſentiam ipſius in multis ſimul locis.

5. Credimus alia myſteria, etiam quàm iſtud ſit difficiliora: videlicet unam Dei eſſentiam ſubſiſtere in tribus perſonis & contrà, tres eſſentias in Chriſto conſtituere unam perſonam: Item eadem corpora bis fieri, ſeu reproduci, quatenus eadem numero reſurrectura ſunt. Item, aliquid ex nihilo produci, & rurſus in nihilum redigi: denique idem æternitatis ſpacium, ſeu punctum, diverſis temporibus totum coëxiſtere. Ergo etiam hæc corporis πολυτοπία credenda eſt, ut pote ratione minùs abſurda, quam illa modo dicta, aut tandem omnia fidei myſteria prorſus abjicienda ſunt.

6. Duo corpora poſſunt ſimul eſſe in uno loco proprio & adæquato. Ergo & unum corpus poteſt ſimul eſſe in locis diverſis, &c. Antecedens multis

Digitized by Google

exemplis probatur. Nam Math. 19. 26. *Camelus per foramē acus à Deo traduci poſſe dicitur*. Et Joh. 20. legimus, *Chriſtum per clauſas januas ad diſcipulos veniſſe*. Et conſtat, eundem Chriſtum, quum homo mortalis naſceretur, *per clauſum virginis uterum penetraſſe*. quia ſecus ex intemerata virgine natus non fuiſſet. Et Math. 28. idem Chriſtus reſurgens, *lapidem ſepulchri penetravit*. Et deniq; aſcendens *in altum verè cœlos penetravit*, qui tamen Jobi 37. *dicuntur ſolidi inſtar æris fuſi*. Quare ſi penetratio multorum corporum poſſibilis eſt, ſequitur etiam πολυπαρουσίαν unius corporis eſſe poſſibilem & conſequenter hac in re nihil abſurdi latere.

7. Deus ſua infinitâ virtute rerum proprietates actu ſæpè tollit, ipſis rebus interim ſalvis manentibus. Verbi gratia *vim urendi ab ipſo igne*, Dan. 3. *Gravitatem, ſeu proclivitatem ſubſidendi, à corpore gravi*, Math. 14. & 2. Reg. 6. 6. *Viſibilitatē à corpore colorato*, Luc. 24. Itē reipſa efficit, ut ignis inferni, licet corporeus, excruciet ſubſtantias merè ſpirituales, videlicet dæmones & animas damnatorum: itemque efficiet, ut olim corpora impiorum in æternum verè urantur, ac torqueantur, abſque ulla tamen ipſorum diſſolutione, &c. Quæ omnia non minùs impoſſibilia videntur, quàm multipræſentia unius numero corporis, aut ejuſdem corporis in loco aliquo præſentia ſine vera loci occupatione. Itaque ſi hæc vera & poſſibilia ſunt, etiam corporalis polytopia Chriſti vera erit, ſaltem reſpectu poſſibilitatis. Et tantum de priore parte, hoc eſt, de poſſibilitate.

Poſterius membrum, *de voluntate Dei* his argumentis confirmant. 1. Quia incredibile eſt, Deum illum benigniſſimum hac in re totam Eccleſiam ſuam tãdiu errare permiſiſſe. Deinde *Zuinglio* aliiſque nihili hominibus veritatem hanc ſalutarem patefacere voluiſſe. Hæc enim poſtulata ex antedictis jam pro confeſſis ſumuntur. *2. A Dei voluntate.*

2. Quia Deus variis ſignis, ac miraculis non paucis, doctrinam Catholicorum, id eſt Pontificiorum ſemper hactenus confirmavit: adeò ut beſtiæ etiam hoſtiam aliquando adoraverint &c. ſicut ex hiſtoriis *Franciſci*, *Dominici*, &c. apparet.

3. Quia & nobis *utile* eſt & Chriſto *glorioſum* ejuſque erga nos amore & bonitate dignū, ut corporaliter ipſe ſe nobis uniat, nempe ut ipſe ita intimum ſuum erga nos affectum teſtetur, utque nos æternam vitam tantò certiùs ab ipſo nos accepturos ſperemus.

Ex his jam eſſe perſpicuum arbitramur, quanta cum protervia & inconſtantia Pontificii hac in accuſatione Eutychianiſmi non modò aliud ſtantes aliud ſedentes dicant, id eſt, alibi realem divinarum proprietatum communicationem ac Ubiquitatem ſeu omnipræſentiam inficientur, alibi eam admittant: ſed etiam aliorum medici, ipſi ulceribus ſcateant, hoc eſt, aliis hæreſin Eutchianam exprobrēt, quum ipſi ea toti cōmaculati ſint. Quàm vafrè etiam utantur prorſum Pyrrhandri cōmento, dum non omnipræſentiam, ſed duntaxat multipræſentiam coporis Chriſti ſeu humanæ in Chriſto naturæ fingunt? Sed parum intereſt, ſive cum *Ubiquiſtis* abſolutam παντοπαρουσίαν, hoc eſt, omni-

præ-

Digitized by Google

præſentiam generalem ejuſdem corporis Chriſti, ex fundamẽtis ſuprà poſitis pertinaciter aſſerant. an ſpecialem quandam & reſtrictam Ubiquitatem, ſeu penè infinitatem quandam πλυπηίαν id eſt, multipræſentiam corporis Chriſti in locis propè infinitis aſtruant, quum eadem quæ Ubiquitarii fundamenta retineant.

Reſponſio & ſolutio. Iisdem etiam rationibus, quibus Ubiquiſtarum argumenta, facilè hæc Pontificia nova turpi contradictione prioribus illorum repugnantia, ſolvi atque repelli poſſunt. Nam ad *primi generis argumenta*, quæ magis ſpecioſa ſunt, ſic reſpondemus. In 1. & 2. falſum dicimus aſſumi, ſeu principium peti: quatenus illic quidem præſentia localis extrinſecum quoddam accidens corporis eſſe, & ab eo ſeparabile eſſe aſſeritur: hic autem Chriſtus in cœlo manens, ſimul aliquando corporaliter ſeu revera ſecundum corpus ſuum in terris ad fuiſſe dicitur; quale nihil ex locis citatis oſtendi poteſt. In 3. fallaciam figuræ dictionis eſſe; quatenus tropica locutio in propriam temerè mutatur. Nam quod Patres in myſterio & fidei contemplatione hic fieri docent, idem adverſarii Pontificii, realiter & propriè in terra fieri contendunt. In 4. & 5. partim diſſimilia & aliena, partim etiã falſa exẽpla afferri, eoq; nihil ex iis ſolidè cõcludi poſſe dicimus. In 6. principiũ peti in omnib. exemplis, quæ pro dimenſionũ penetratione afferuntur: quum revera nihil tale uſpiam in Scriptura S, legatur. In 7. idem vitium latere: quum Deus non ipſas eſſentiales rerum proprietates à rebus ſalva ipſarum ſubſtantia verè abſtuliſſe, ſed actiones earum externas & contingentes tantũ ad tẽpus ſuſpendiſſe illic dicatur. Nec mirum ſit ignem etiam in ſpiritus creatos (ut pote non prorſus incorporeos) efficaciter agere, &c. Atque hęc de primo genere hic ſufficiant, quæ plenius in Antipiſtorio & Apologia fidei Calvinianæ aliiſque libellis Conradi Vorſtii explicata inveniuntur.

Ad reliqua argumenta, pro rei probabilitate ſeu Dei volũtate, ſic reſpondemus ſumma brevitate. In primo & falſum aſſumi, & inconſequentiam evidentem eſſe: quum neque Eccleſia tota ita ſemper ſenſerit, ut Adverſarii volunt: nec qui fortè aliter ſenſerunt, continuo impii, aut nihili homines idcirco fuerint. Et non inſolens ac novũ eſt errante diu Eccleſia Dei, veritatem obſcuris ac coram mundo abjectis hominibus revelari. Nam ut alia multa exempla taceam, nativitas Chriſti ſimul ac ſalutis in eo exortæ agnitio non illuſtribus mundi monachis, neque ſanctitatis aut eruditionis & fortunarum titulo fulgentibus ſacerdotibus aut ſcribis, ſed obſcuris atque indoctis paſtoribus & piſcatoribus primùm à Deo patefacta eſt. Et hunc morem Deus etiã his ſeculis noſtris ſervavit, ac ſervat. In 2. inanes fabulas, aut Satanæ præſtigias pro certis hiſtoriis ac veris miraculis adferri dicimus. In 3. etiam principium peti: quum neutrum iſtorum cõſiſtere hic poſſit. Hocque ex noſtris argumentis abundè conſtare poteſt.

Ne enim deſit plenior & fortior Papiſtici illius Eutychianiſmi & demonſtratio & refutatio, quoniam Papiſtæ errorem ſuum adeò rationi con- *Argumenta Ubiquitati Papiſtica oppoſita.*

ſentaneum eſſe putant, officii noſtri erit, hoc quoque examen ſuſcipere: ut quid hac in re Deum *facere velle*, quid item hac in re *fieri poſſe* ſtatuendum ſit, exactiùs intelligamus. Nec nos fundamentum noſtræ cauſſæ in ratione aut Philoſophia, ſed *in ſolo Dei verbo* collocabimus.

1. Corporalis Chriſti præſentia in terra, poſt aſcenſionem ipſius in cœlū, uti & oralis perceptio Chriſti corporis, per ſe minimè ſalutaris eſt: teſte ipſo Chriſto Joh. 6 63. *Caro non prodeſt quicquam*, &c. Item Joh. 16.7. *Expedit vobis, ut ego abeam*, &c. Imò non rarò etiā noxia dicitur eſſe hæc poſterior perceptio, quatenus etiam impiis tribuitur, ex ſententia quidem Adverſariorum juxta illud, 1. Cor. 11.29. *Judicium ſibi edit*. Ergo neutra tanquam neceſſaria, aut utilis in Eccleſia Chriſti urgeri debet: puta nec corporalis præſentia, nec oralis perceptio ob quam illa ita temerè ac falsò aſtruitur.

2. Indignum eſt cœleſti Chriſti majeſtate, oraliter etiam ab impiis manducari, atque ita corpus ipſius ut cibū corruptibilem non modo profanari. Hoc enim ex illo neceſſario ſequitur: niſi aliud, multò abſurdiùs ſtatuere velimus, videlicet Chriſtū in impiis ſemper habitare, &c. Vide Joh. 6.76. *Qui carnem meam edit, in me manet*. Et 2. Cor. 6.15. *Quod conſortium Chriſto cum Beliali* Ergo & corporalis præſentia & oralis perceptio Chriſti, qualis in Papatu aſſeritur, abſurda cenſeri debet: quippe quæ manifeſta abſurda neceſſariò ponit.

3. Nuſquam legitur, Jesum Christum, quatenus homo eſt, ſimul diverſis in locis fuiſſe: ſed contrarium paſſim traditur, Joh. 6.17.24. & 11.15. ac Math. 28. 6. ubi diſertè docetur, eum ſubinde hîc vel illic non fuiſſe: ubi videlicet nullo ſenſu apprehendebatur, hoc eſt, nullo modo conſpiciebatur. Ergo neque nunc aliter de hac re ſtatuendum eſt, quia nullum contrariæ voluntatis ipſius indicium exſtat.

4. Impoſſibilis quoque eſt, & contradictoria ſecumque pugnans hæc corporalis Chriſti multi præſentia, ſive unius corporis polytopia: quia unum numero corpus neceſſariò circumſcriptum, & continuum eſt, hoc eſt, ſemper à ſeipſo indiviſum & indivulſum: eoque locis diviſis ac diſcontinuis ſine contradictione adeſſe non poteſt, ſicut ex ſana philoſophia conſtat.

5. Similiter contradictoria eſt corporum penetratio, quæ ad illam polytopiam palliandam afferri ſolet. Nā omne quantum neceſſariò extenſum eſt, & habet partem extra partem. Eóque neceſſe eſt ſingulares partes ſuo proprio ſpacio finiri, ac circumſcribi: quia dimenſiones, ſeu partes à ſe invicem diverſæ, eodem loco coëxiſtere nunquam poſſunt, niſi ipſos inter ſe commiſcere velimus.

6. Denique eſſentia corporis veri, etiam generaliſſimè accepti, ne cogitari quidem poteſt abſque dimenſiva quantitate, itemque abſque ſiſlu, figura & extenſione partium. Neque hæc vel eſſe, vel intelligi poſſunt abſque circumſcriptiva & locali præſentia: neque hæc rurſus abſque loci adæquali occupatione: quum poſterius horum ex priore, tanquam effectum propriū ex propria cauſſa, neceſſariò perpetuóque

Digitized by Google

que dependeat. Qua de re univerſalis experientia, imò communis ſenſus & conſenſus omnium gentium, præter evidentem rationem ex ipſis rerum propoſitarum definitionibus exſtructam manifeſtè nobis atteſtantur. Videant, quibus placet, prolixiores tractatus noſtrorum de hoc argumento, præſertim P. Martyris, & Bullingeri, & Sadeelis, &c. Nobis enim ſatis eſt, ſumma rerum capita leviter hoc loco perſtringere, ut conſtare evidenter poſſit, nec *voluntatem*, nec poteſtatem Chriſti talem hic eſſe, qualem Adverſarii deſcribunt. Ac evolvi etiam poſſunt, quæ Conradus Vorſtius piè & ſolidè & eruditè in Antibellarmino ſuo à pag. 388. uſque ad 399. contra Papiſtico-ubiquitatem ampliùs tractat. Quamdiu ergo ab Adverſariis hæc retinetur, non poterunt nævo Eutychianæ hæreſeos deſtitui, ſed eo ipſi quàm maximè ſunt deformati. Cur ergo vident feſtucam in alienis oculis, trabem autem, quæ eſt in oculis ſuis non animadvertunt, neque ejiciunt vel extrahunt? Math. 7. 3. 4. Hypocritæ, ejicite primùm trabem illam ex oculo veſtro, & tum diſpicite, ut ejiciatis feſtucam ex oculis fratrum veſtrorum. Math. 7. 5.

CAP. IX.

Xenaiæ ſententiam, quàm Pontificii de imaginibus non colendis, ut hæreticam Euangelicis objiciunt, neque hæreſin eſſe, neque ullo modo damnandam, ſed in illo pariter atque Euangelicis pro orthodoxa agnoſcendam.

Nihilominus dicunt tria ex curia Pontificii, ut proverbio dicitur, id eſt, petulantiùs in Euangelicos etiã hæreſin Xenaiæ cujuſdam Perſæ de imaginibus torquent, ſed magno ſuo malo ſeipſos ea in re hæreſi grandi ac multiplici intricatos eſſe arguunt.

Accuſatio Euangelicis de imaginibus intẽtata.

Hæreſis decima octava, inquit Bellarminus lib. de notis Eccleſiæ cap. 9. & Lindanus Panopliæ tab. 1. *eſt, quod Xenaias primus palàm aſſeruit, Chriſti & ſanctorum imagines non eſſe venerandas. Idem nunc Calvinus docet lib. 1. Inſtit. cap. 11. toto, ubi etiam ſect. 7. non vult ullo modo erigi ſignum crucis.* Addit: *In quo ſe fratrem Diaboli oſtendit, niſi quod Diabolum ipſum impietate vincit. Diabolus enim crucem execratur, quia timet, & timendo honorat: Calvinus autem execratur, quia deſpicit atque irridet.*

Purgatio.

Quæ quum ſit peracris accuſatio, ſingularem etiam & peracrem purgationem deſiderat. Itaque demonſtrabimus primùm, ſententiam de imaginibus non colendis potiùs eſſe orthodoxam doctrinam & religionem, quã hæreſin. Deinde, aliquot etiam ex ipſis Romanæ Eccleſiæ doctoribus Euangelicos hac in re orthodoxos cenſere & promulgare. Tertiò, cultum imaginum potiùs errorem & hæreſin eſſe.

I. Imaginum cultus vetitus à Deo.

Quoad *primum*, Xenaias quiſquis fuerit, non docuit is primus, imagines Chriſti & ſanctorum non eſſe venerãdas, ſed tum Apoſtoli Rom. 1. ℣. 21. 23. 25. Act. 17. 23. 25. 29. 1. Cor. 10. 7. 14. 1. Joh. 5. ℣. ultimo, tum Patres vetuſtiſſimi. Hoc quinque problematibus ſequentibus probabimus, ut ſimul objectiones Adverſariorum pro imaginibus diluere, & totam de iis materiam paucis

Digitized by Google

paucis excutere velimus, prout ipſi adverſarii occaſionem præbent. Et ſic altero etiam libro ſequenti totum negotium de imaginibus erit notius & expeditius.

1. *An inter imaginem & idolum ſit diſcrimẽ.* Adverſarii noſtri Pontificii, & inter hos præcipuè Bellarminus de ſanctorum beatitudine libro 2. eorum maximus πρόμαχος, aſſerunt diſcrimen inter *imaginem* & *idolum* ac *ſimulachrum* cap. 5. Ac Azorius Jeſuita Inſtit. lib. 9. cap. 17. ait: *Appellat Calvinus imagines ſanctorum idola & ſimulachra, quaſi à ſacris authoribus promiſcuè uſurpentur. Falſum.* Hinc in Scripturis *idola*, non *imagines* prohiberi volunt. At inter hæc diſcrimen nullum ſacra Scriptura facit, ac proinde tum imagines prohibet, ne colas, tum idola & ſimulachra. Aſſertionis noſtræ rationes ſunt quinque.

PRIMA, *Quia ſacra Scriptura diſcrimen illud non agnoſcit.* Hoc intelligitur cùm ex aliis locis, tum ex Rom. 11. 4 & ex 1. Reg. 19. 18. in quorum priori dicuntur fuiſſe ſepties mille viri, qui non flexerunt genua τῇ Βάαλ, id eſt, εἰκόνι, imagini: in poſteriori verò τῷ Βααλ, id εἰδώλῳ. Hoc modo ἀδιαφόρως, & indifferenter dicuntur ſimulachra Baalis εἰκόνες, *imagines* 2. Reg. 11. 18. At εἴδωλα αὐτῦ, *idola* ejuſdem, 2. Chron. 23. 17. &c. Sic vox Tzelem redditur εἰκὼν, *imago*, Ezech. 7. 20. & 16. 17. At εἴδωλον, *idolum*, Num. 33. 51. pariter vox Peſel, Exod. 20. 4. vertitur, εἴδωλον: at εἰκὼν, *imago*, Iſa. 40. 10. Εἰκὼν autem eſt imago & ſimilitudo rei veræ & ſubſiſtentis: ut agnoſcit Bellarminus ipſe lib. 2. cap. 6. de Eccleſia triumphante, vel ſanctor. beatit.

SECUNDA *Quia ſi inter imaginem & idolum hoc diſcriminis eſt, ut imago rem referat veram & ſubſiſtentem, idolum verò falſam & fictam: tum veteres illi, qui colebant imagines hominum, qui olim vixerant, aut adhuc vivebant* (ut erant imagines & ſtatuæ viventium Cæſarum, quod de C. caligulæ in vita adhuc morantis Philo teſtatur) *non dicendi erunt idololatræ. Ut nec illi, qui Chriſti imaginem venerabantur, quem creaturam tantùm affirmabant.* At hi idololatriæ paſſim accuſantur. Nam Irenæus, qui floruit circa annum Chriſti 180. lib. 1. cap. 23. inter errores Baſilidis & ſectatorum ejus hunc etiam recenſet, quod uterentur imaginibus. Et cap. 24. inter hæreſes Carpocratis & Gnoſticorum, pernicioſiſſimorum illius temporis hæreticorum, iſtam numerat, quod depictas haberent imagines Chriſti & Apoſtolorum, eaſque coronarent & adorarent. Hinc apparet, quod ſi tunc imaginum uſus aliquis in Eccleſia orthodoxa fuiſſet, tum hæreticis illum, tanquam impium, Irenæus non exprobraſſet. Prompta enim illis fuiſſet exceptio, idem à cæteris quoque Chriſtianis & orthodoxis factitari. Ac ne objiciant Adverſarii noſtri Pontificii, prædictos hæreticos ab Irenæo reprehendi, quod imaginem Chriſti cum Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis, aliiſq; ue profanorum imaginibus miſcerent, ſcias primò illos ideò accuſari, quod depictam atque etiam effictam haberent imaginem: deinde, quod eam ſertis atque coronis ornarent, atque ita venerarentur, ut Gentes ſolebant idola ſua venerari, & olim Samaritani Jehovam, Deum Iſraëlis, gentili more venerabantur.

TERTIA

TERTIA, *quia nec orthodoxi Patres Eccleſiæ primava inter imagines ab hominibus cultas & idola diſtinxerunt*. Teſtis præ aliis Juſtinus Martyr, qui floruit circa annum Chriſti 164. inquiens in Dialogo cum Tryphone Judæo: *Dicite mihi, annon Deus is erat. qui per Moſem ſánxit,* μήτε εἰκόνα, μήτε ὁμοίωμα, &c. ποιῆσαι, *nullam omnino fieri imaginem vel ſimilitudinem?* Ubi quod verſio Græca ſeptuaginta interpretum habet εἴδωλον, ille εἰκόνα reddit: ne quis cavilletur, inter εἰκόνα ϗ εἴδωλον, imaginem & idolum, diſcrimen eſſe, ac proinde fabricationem idolorum Gentilium tantùm prohibitam. Et Tertullianus, qui floruit circa annum Chriſti 200. *Omnia*, inquit in lib. de idol. *colit humanus error, præter ipſum omnium conditorem. Eorum imagines idola: Imaginum conſecratio idololatria*. Item eodem libro: εἴδωλον *dictum ab* εἶδος, *hoc eſt, formula,* εἶδος *formam ſignificat:* εἴδωλον, *formam fecit. Igitur omnis forma vel formula idolum ſe dici expoſcit*. Et Auguſtinus in Pſal. 103. *Quod attinet ad ipſa ſimulachra*, inquit, *quæ Græcè appellarunt idola, quo nomine jam utimur pro latino, oculos habent, & non vident*, &c. Simulachrorum nomine ait notari imagines humanas. At ſimulachra dicit eſſe idola. Ergo idola ſunt imagines humanæ: Aſtipulatur ANSHELMUS Laudunenſis in gloſſa biblica interlineari, ex patribus confecta. Qui in Deut. 4. cap. verba illa *formam non vidiſtis*, &c. exponens ait: *Ne ſcilicet volens imitari ſculpendo faceres idolum tibi*, &c. Ergo manufacta imago Dei eſt idolum. Jam ſi manufacta imago Dei eſt idolum: quidni imagines Chriſti & ſanctorum erunt idola, maximè ſi cultu religioſo afficiantur?

5. Cæterùm idem de imaginis & ſimulachri judicium eſt. Nam quod Bellarminus, *imaginem non rectè vocari ſimulachrum, & ſimulachrum ubique poni in Scriptura pro idolo*, id commentitium eſt. Simulachrum enim dicitur à ſimilitudine propriè, eò quod ſimile ſit ei, cujus eſt ſimulachrum: quam etymologiam tradunt Lactantius, Thomas & alii: NON à ſimulando, quod eſt falſum, ut fingit Bellarminus. Deinde, *ſimulachrum* nonniſi falſum Deum referre, negatur ex loco, Act. 7. 41. ubi vitulus aureus nominatur à Stephano *ſimulachrum*, ut habet editio vulgata (nã in Græco eſt εἴδωλον) vitulus autem ille Iſraëlis non falſum, ſed verum Deum repræſentabat. Negatur tertiò, ſimulachrum ubique poni pro *idolo* ex locis Exod. 34. 15. Lev. 26. 30. Iſa. 10. 10. Act. 17. 73. & infinitis aliis: quibus brevitatis cauſſa ſuperſedemus.

2. An Imagines liceat facere & habere.

DISTINGUIMUS autem inter imagines, quæ & promiſcuè *idola* & *ſimulachra* dicuntur, hoc potiſſimùm modo. Aliæ *licitæ* ſunt: aliæ *illicitæ*. LICITAS vocamus, quas Deus lege ſua nõ prohibuit: veluti imagines rei alicujus honeſtæ, & bonis moribus non adverſantes, ſervientes ſolummodò vel ad typum, vel ad ornatum, vel ad memoriam, vel ad diſciplinam. Cujuſmodi imagines ſunt ſerpens æneus, Num. 21. ℣. 9. & illæ, quæ in tabernaculo, templo & palatio Hieroſolymitano quõdam poſitæ fuerunt. Imagines item parentum & aliorum hominum, nec non ſtirpium & aliarum rerum phyſicarum vel mathematicarum, &c. Hujus generis imagines, quia prohibitæ non ſunt, aſſerimus poſſe fieri ac haberi,

Exod. 15. 18. & 31. 3. 1. *Reg.* 6. 23. 28, 19. *Et* 7. 25. c. 10. 20. *Math.* 22. 20.

ri,ne mahometanorum ſimiles videamur,qui nullas imagines ferunt,ſed omnes ſeu pictas ſeu ſculptas deteſtantur,& Chriſtianos, qui his delectantur,idololatras cognominant. Sed errant.

ILLICITAS vocamus,quas Deus lege ſua prohibuit: veluti imagines inhoneſtas, & adverſantes bonis moribus: inprimis verò factas religionis ergò,ſive repræſentent rem verè exſiſtētem,ut imagines veri Dei,ſanctorum, Angelorum,crucis,ſolis,lunæ,&c. ſive fictam, ut imagines falſorum Deorū, & eorum,quæ nunquam fuerunt,nec erunt,nec ſunt in rerum natura: imò etiam imagines divino juſſu factas, ſi religioſus cultus eis habeatur: qualis imago fuit ſerpens æneus, quum incenſum ei populus adoleret.

Et de his quidem hoc loco potiſſimū n quæri ſolet. Bellarminus,& quicunque idem cum illo ſentiunt omnes ferè Pontificii, fabricationem harum imaginum γυμνῇ κεφαλῇ, quod ajunt, novis quotidie paradoxis, ceu machinis quibuſdam & tormentis bellicis, propugnant. Sacra Scriptura & Patres antiqui illam χερσὶ καὶ ποσὶ oppugnant.

Imagines Dei illicitæ ſunt.

Et Dei quidem imagines cur vel nō fieri,vel non haberi poſſint,hæ graviſſimæ rationes ſunt. PRIMA, *Quia imagines Dei pingi ac fieri poſſe Scriptura διαῤῥήδην negat.* Hæc enim poſtquam dixit Exod.20.4 *Ne facias tibi ſculptile,* & ſtatim ſubjunxit, *aut ullam imaginem,* ne videlicet quis putaret ſculptilia tantùm prohiberi,non verò etiam pictas imagines, explicationem ſubjicit *eorum, quæ ſunt in cœlo ſurſum.* His verbis prohibet omnes imagines factitias cùm Angelorum,Solis,Lunę & cæterorum ſiderum,&c.tum Dei ipſius. Ratio una additur à Moſe Deut.4.16. *quia Dei ſimilitudinem Judæi non viderint.* Quæ ratio hoc concluditur ſyllogiſmo:

Quod Deus in monte Judæis oſtendit, id eis exemplar debet eſſe cultus divini. Hæc propoſitio habetur,Exodi 25.4. & Heb.8.5 ubi dicitur, omnia Moſi facienda eſſe ad exemplar, quod ipſi eſt oſtenſum in monte.

At in monte nullam ſui ſimilitudinem Deus Judæis oſtendit.

Ergo Deo nulla ſimilitudo eſt facienda.

Deinde additur ab Iſaia cap.40.25. *Cui ſimilem facietis Deum, & quam ſimilitudinem diſponetis ei?* Quæ ratio iſto ſyllogiſmo perficitur:

Quod eſt incorporeum, infinitum, ἀσχημάτιστον, id eſt, nulla figura expreſſū, id corporea, finita & formam habente imagine, ſine majeſtatis ipſius diminutione repræſentari nequit.

At Deus eſt incorporeus, infinitus ἀσχημάτιστος, nulla figura expreſſus.

Ergo Deus corporea, finita & formam habente imagine, ſine majeſtatis ſuæ diminutione, repræſentari nequit.

SECUNDA ratio, *quia imagines Dei pingi poſſe orthodoxi etiam Patres ingenuè negant.* CLEMENS Alexandrinus,qui claruit circa annum Chriſti 190. lib. Strom.6. *Nobis,* inquit, *nullum eſt ſimulachrum in mundo: quoniam in rebus genitis nihil poteſt* DEI *referre imaginem.* TERTULLIANUS, qui floruit circa annum Chriſti 200. lib. de idol. inquit: *Deus omnem ſimilitudinem vetat fieri, quantò magis imaginis ſuæ?* ORIGENES, qui vixit circa annum Chriſti 225. contra Celſum l.7. *Ne ſimulachra quidē,* inquit,

Nos

Nos *veneramur, quippe qui Deum ut inviſibilem & incorporeum figura nulla circumſcribimms.* Lactantius, qui viguit circa annum Chriſti 320. lib. 2. Inſtit. cap. 2. *Hominis imago,* inquit, *neceſſaria tum videtur, quum procul abeſt, ſupervacua futura, quum præſto eſt.* D E I *autem, cujus ſpiritus ac numen ubique diffuſum, abeſſe nunquam poteſt. Semper itaque imago ejus ſupervacanea eſt.* CHRYSOTOMUS, qui ſcripſit circa annum Chriſti 345. in 3. cap. Iſaiæ. *Quid magis ridiculum,* inquit, *quam quum homo eſt opifex Dei? Ideo dicitur* βδέλυγμα, *abominatio, à* βδελύττεσθαι *quod eſt valde odiſſe.*

Rom. 1. 23.

AUGUSTINUS, qui docuit circa annum Chrſti 421. de Fide & Symbolo, ait: *Execratur Apoſtolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptipilis hominis. Tale enim ſimulachrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare,* &c. DAMASCENUS idem confirmavit poſterioribus ſeculis circa annum Chriſti 730. ac ideo dicit:

Lib. 4. orthod fid. c. 17.

Inviſibilis, & incorporei & incircumſcriptibilis & infigurabilis Dei quis poteſt facere repræſentationem? inſipientia igitur extrema, & impietatis eſt figurare divinitatem. Hinc in antiquo Teſtamento tritus non fuit imaginum uſus. Hæc Damaſceni verba attētiori meditatione digna ſunt, ꝓpterea quod etſi humana imbecilitate, vel ſuperſtitione erumpere incipiente, imagines Chriſti & Angelorum defendit; tamen Dei imagines improbat & prohibet. Quam ejus ſententiam

Lib. 18. c. 53.

THOMAS AQUINAS & DURANDUS corroborant. NICEPHORUS inquit, *Imagines etiam Patris & Spiritus ſancti effigiant, quod per quàm eſt abſurdum. Imagines enim corporum eorum ſunt quæ videri & circumſcribi poſſunt: non eorum quæ inviſibilia ſunt & intelligentia comprehendi nequeunt.* Exſtat Epiſtola regis agrippæ ad C. Caligulam Cæſarem, ſtatuam ſuam in tēplo Hieroſolymitano collocare volentem, quam recitat Philo Judæus, hic non prætereunda: *Hoc templum,* inquit, rex, *Cai Domine, jam inde ab initio nullam unquam admiſit manufactam effigiem, quū ſit Deo domicilium. Pictorum enim atque ſtatuariorum opera ſunt ſenſibilium Deorum imagines.* Illum *autem* INVISIBILEM *pingere aut fingere nefas duxerūt noſtri Majores.*

TERTIA ratio, *quia Concilium Elibertinum probata nota in Hiſpania circa annum Domini* 792. *celebratum, Imaginum* DEI *picturas expreſsè prohibet.* Nam poſt alia: *Placuit,* inquit, *picturas in Eccleſiis eſſe non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Loquitur de Imagine Dei quia quod colitur, aut adoratur, id dicit non eſſe depingendū: At coli & adorari debet ſolus Deus. Ergo Deum non eſſe depingendum dicit.

Deut. 6 Math. 4.

Nec obſtat, quod Jeſuita Cardinalis infert, Concilium intelligendum eſſe de Imagine Dei primi generis, quæ ſcilicet fit ad exprimendam perfectam immediatam & propriā divinæ naturæ ſimilitudinem, non quæ fit ad imaginem imperfectam mediatam & metaphoricam. Hanc talem enim pingēdi Dei imaginem Scriptura ignorat, ut quæ Dei imagines factitias prohibet ac deteſtatur univerſaliter & indiſcriminatim.

Imagines Sanctorum vetita à Deo.

Imagines deinde hominum, etiam SANCTISSIMORUM, ſi ad colendum fabricentur ac proponantur, Scriptura pariter atque veteres Patres vehementiſſimè improbant. De Scriptura nemini dubium pio & non contentioſo

Digitized by Google

qui ſcita ejus partim hactenus commemorata, partim deinceps commemoranda mente ſua reponit. Nam ipſi Sãcti quum vetuerint alienorum imagines, multò magis ſuipſis prohibuerunt. Ac ſi aliorum imagines non colendæ ſunt, quantò magis eorum, qui diſertè atque ex officio cultum earum prohibuere? qui etiam doctrinam illam ſuo ſanguine obſignarunt, qua ab idolis & imaginibus cavendum docuerunt: JOSEPHUS qui l.18. Antiquit. Judaicarum cap. 4. refert, Judæos imagines Cæſaris, quas Pilatus in ſanctam civitatem intulerat, ferre noluiſſe, ſubdit cauſſam: Εικόνων ποίησιν ἀπαγορεύοντος ἡμῖν τοῦ νόμου, *eò quod facturam imaginum lex nobis probibeat.* Hoc παγίως & ſolidè conſtabilit Tertullianus. Quũ enim veteres idololatræ ipſi objicerẽt, cur Moſes in eremo ſimulachrum ſerpentis ex ære feciſſet? reſpondet, præceptum fuiſſe extraordinarium. *Bene,* inquit, *quod idem Deus & lege voluit ſimilitudinem fieri, & extraordinario præcepto ſerpentis ſimilitudinem edixit.* Concludit tandem, nullas omnino fieri debere imagines, niſi quas Deus præceperit. *Ne facias,* inquit, *adverſus legem ſimulachrum aliquod, niſi & tibi Deus juſſerit.* At Deus nuſpiam, nec quenquam juſſit facere ad cultum ullius ſancti & Angeli imaginem. Cum Tertulliano planè ſentit Clemẽs Alexandrinus, qui lib. 5. Stromatωn inquit: *Moſes multis ante ſeculis apertè legem ſanxit,* μὴ δεῖν γρυπτὸν, χωνευτὸν, πλαστὸν, ἢ γραπτὸν ἄγαλμά τε καὶ ἀπεικόνισμα ποιεῖσθαι, *nullam oportere ſculptilem, vel fuſilem, vel fictam, vel pictam imaginem ſimulachrúmve facere: ut ſenſilia minimè attẽderemus, ſed ea tranſiremus, quæ percipiuntur intelligentia,* &c. Nec Clemens utitur nomine εἰδώλου, verùm ἀγάλματος καὶ ἀπεικονίσματος, ut dictum.

Sed & Synodus univerſalis Conſtãtinopolitana 7. quam numero 330. Epiſcopi conſtituebant, rectè definit, ac velut è ſacro tripode pronunciat: OMNEM IMAGINEM *ex quacunque materia, improba pictorum arte factam, ab Eccleſia Chriſtianorum rejiciendam, veluti alienã & abominabilem.* Et definitione 17. *Si quis ſanctorum omnium ideas in imaginibus inanimatis & mutis materialibus coloribus depingere ſtudeat, quum uſum nullum afferant,* ANATHEMA *fit. Vana enim eſt excogitatio, & diabolicæ inſidiationis inventio. Nónne ſatiùs fuerit illorum virtutes & facta, quæ per ſcriptas hiſtorias tradita ſunt, veluti vivas quaſdam imagines à ſeipſo depingere, & ad eadem iſta ſeipſum zelo iſtiuſmodi excitare, quemadmodum ſancti Patres nos docuerunt.* GREGORIUS Neocæſariẽſis Epiſcopus in Cõcilio Niceno 2. Act. 6. p. 577. ſcribit: *Johannes autẽ Chryſoſtomus ſic docet, nos per ſcripta ſanctorum fruimur præſentia, non ſanè corporum ipſorum, ſed animarum imagines habentes. Nam quæ ab illis dicta ſunt, animorum illorum imagines ſunt.* THEODORUS Ancyranus, eadem Gregorio citante, ibidem pag. 580. inquit: SANCTORUM *formas & ſpecies ex materialibus coloribus formari minimè decorum putamus. Horum autem virtutes, quæ per ſcripta tradita ſunt, veluti vivas quaſdam imagines reficere ſubinde oportet. Ex his enim ad ſimilium imitationem & zelum pervenire poſſumus. Dicant enim nobis, qui illas erigunt ſtatuas, quænam utilitas ex illis ad ſe redit? An quòd qualiſcunque recordatio eos habet ex tali ſpeciali contemplatione? Sed manifeſtum eſt, quod* VANA *ſit ejuſmodi* NB.

cognitio

cognitio, & diabolicæ inventionis inventum. Eodem alludit ſanctus Auguſtinus, dicens: *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum* (nempe qualiumcunque tam præcipuè ſanctorum ac piorum Martyrum, quàm aliorum) *quia ſi piè vixerunt, non ſic habentur, ut tales quærant honores, ſed* DEUM *à nobis coli volunt. Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.*

Et ex Joh. 1. 27. ac 3. 27. 28. &c. Act. 3. 12. 13. ac 14. 14. 15. 16. Apoc. 19. 10. ac 22. 9. colligere licet, quódnam ſanctorum cœlitum circa honorem & cultũ ſuum ingenium ſit. Ut nimirum non pro ſua privata, ſed pro Dei gloria inprimis dimicent, ac intolerabilis illis blaſphemia eſſe putetur, ſi quis Dei cultum vel illis ipſis, vel aliis creaturis tribuat. Ad fœdus enim Dei & ejuſdem legem anxiè reſpiciunt, cujus hoc præcipuum caput eſt, ut ipſum ſolum Deum noſtrum eſſe agnoſcamus, & ipſum ſolum veneremur, nec ullas imagines cultus ſui loco ponamus. Et quia zelotem eſſe noverunt Deum hunc, acerrimumque ſui honoris vindicem, non ſolùm inviti ferunt, Deo ſuum honorem eripi, verùm etiam in ipſos divinum honorem imaginibus ſuis faciendis ac colendis, aliiſque ornamentis in ſuum honorem extruendis, transferri. De iiſdem ſancti & Ecclesia vera teſtatur, quod rerum noſtrarum ac ſortis noſtræ in his terris ignari ſint. *Iſa. 63.* Adhæc ex Deut. 6. & Math. 4. ſciunt, homines qualeſcunque etiã vel ſanctiſſimos, nec vivos, nec defunctos divinos honores mereri, nedum huc trahendos, ut cultus atque honor ſuus in mutuum humanarum opera, mutas nimirum imagines ſuas transferantur. Quin officii ſui eſſe norunt, ut à vanitatibus imaginum, idolorum, ſimiliumque cultuum omnes homines abducant. Nec obſcurè fatentur ſe oblatos ipſis divinitatis honores, atque adeò imaginum ſuarum cultum abſque manifeſto ſummæ in Deum perfidiæ & impietatis crimine recipere non poſſe. Et ideò oblatos ſibi ejuſmodi honores, qui cultum divinum reſiperent, ſemper ſingulari cum deteſtatione repudiarunt, quia ſe perfidiæ, proditionis, & lenocinii crimen ſubituros agnoſcebant, ſi quid tale admitterent. Deniq; vanitatem vocant quemcunque honorem contra Dei legem Exod. 20. ſibi delatum, nec ullo modo pium religioſum videri debere ſignificant, quicquid ſibi adverſus eam impendatur. Math. 15. Iſa. 29. Act. 14.

3. An liceat imagines factas habere in templis.

Etſi verò imagines ullæ factæ ſunt ſive Dei & ſanctæ Trinitatis, ſive Angelorum, ſive ſanctorum cœlitum ac Martyrum: tamen non licet eas in tẽplis ac fanis habere. Rationes multæ hujus oſtendi poſſunt. I. *Quia imagines collocatæ in templis materiam erroris & idololatriæ ſuppeditant ſive Eccleſiæ infirmis mẽbris, ſive ejuſdem hoſtibus.* Erroris, quatenus ex earum figura aliter imaginantur homines Deum vel ſanctos, quàm revera ſunt: idololatriæ verò, quatenus cultus ipſis exhibetur & adoratio, quia Dei & Deo acceptæ ac gratæ putantur eſſe imagines. Veriſſimum hoc eſſe, *partim* univerſa hæc experientia locupletiſſimè teſtatur, quando imaginibus ſacella, & templa exſtruuntur, aræ conſecrantur, capita aperiuntur oſcula figuntur, genua flectuntur, cor-

Digitized by Google

pora incurvantur, circumgeſtationes, vota, peregrinationes, aliaque religioſa officia ac ſtudia præſtantur: *partim* conſenſus veterum Patrum in verè antiquâ fide primævæ Eccleſiæ luculentiſſimè comprobat.

Augustinus epiſt. 49. ad Deo gratias inquit: *Et idolum quidem omni ſenſu carere quis dubitat? Veruntamen quum his locantur ſedibus, honorabili ſublimitate, ut à precantibus atque immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum quamvis inſenſata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impenditur.* Et de conſenſu Euãgeliſtarum lib. 1. cap. 10. *Omnino errare meruerunt*, inquit, *qui Chriſtum & Apoſtolos ejus non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſierint.* In Pſal 113. *Plus valent ſimulachra ad curvandam infelicem animam, quod os, oculos, pedes habent, quàm ad corrigendam, quod non loquuntur, neque vident, neque audiunt.* Ex quibus Auguſtini verbis Cassander, vir ſummæ apud Pontificios auctoritatis concludit: *Hinc conſtare Auguſtini ætate ſimulachrorum uſum in Eccleſiis non fuiſſe.* Indicat autem Auguſtinus, non tantùm illos, qui putant ſimulachra eſſe numina, confirmari in errore & idololatria, ſed etiam illos, qui non credunt eſſe numina, verùm numinum ſimulachra, ex ipſo aſpectu tandem incidere in ſordidiſſimum affectum erroris & idolatriæ.

Conſult. c. 21. de imaginibus.

Tertullianus idem innuit, dicens: *Propter hanc cauſſam, ad eradicandã ſcilicet materiam idololatriæ, lex divina proclamat: Ne feceritis idolum. Et conjungens, neque ſimilitudinem eorum, quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, & quæ in mari, toti mundo ejuſmodi artibus interdixit ſervis Dei.*

Certè hac etiam de cauſſa imagines & idola μετωνυμικῶς vocantur *thobeboth & Schikkukim*, id eſt, deteſtationes, exſecrationes & abominationes: quia deſteſtandæ, exſecrandæ & abominandæ idololatriæ oleum præbent atque operam. Hac de cauſſa *Gillulim*, ſtercora nuncupantur, quia cultui divino cultum adſpergunt ſtercoreum, hoc eſt, idololatricum. 2. Reg. 17. 12. Jer. 50. 2. Ezech. 8 10. aliiſque locis. Nominantur item *More Schakar*, Doctores falſi, & *Muſar habalim*, eruditio vanitatis, imò ipſa vanitas: quia ſcilicet animos ſuperſtitionũ falſitate imbuunt, ac vanitate eos nimirum ἐγκόπτοντες τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι, impedientes ne veritatem admittant. Pulchrè hinc Tertullianus: *Non amat falſum auctor veritatis. Adulterium eſt apud illum omne, quod fingitur.* Et alibi: *Idololatria Deo fraudem facit, in illa etiam vanitas: in illa mendacium*, &c. Legimus Lacedæmonios in curiis ſuis, ubi de republica conſultabant, nullam imaginem vel ſimulachrum poni voluiſſe, ne Senatores impedirentur in conſultationibus, ſed de rebus propoſitis quàm attentiſſimè cogitarent. Quantò magis in curiis cœleſtibus, quæ tẽpla ſunt, caveri debet, ne imaginum collocatione & aſpectu, artificioſè præſertim elaboratarum, noſtri vagentur hinc inde oculi, diſtrahantur animi, atque à precibus & cæterarum rerum divinarum ardentiore contemplatione avocentur?

Deut. 32. 16. Iſa. 44. 19. Jer. 4 1. Ezech. 6. 9.

Secunda ratio, *quia concilium ſuprà*

Digitized by Google

prà commemoratum picturas in templis fieri expreſsè prohibet. Jeſuita hîc infert, Concilio huic nonniſi 19. Epiſcopos interfuiſſe. Et Concilium fuiſſe non Oecumenicum, ſed provinciale: & ex eo ſatis intelligi, id temporis imagines fuiſſe. Verùm non multitudine Epiſcoporum, ſed veritatis confirmatione æſtimanda ſunt Concilia. Nec impedit, etſi non œcumenicum, ſed provinciale aut particulare fuit, modò œcumenicam & orthodoxam veritatem confirmet. Præterea Deus omnis generis imagines, ad cultum & adorationem expoſitas, prohibet, Exod. 20. 4. Nec tamen hinc ſequitur Judæos id temporis imagines habuiſſe. Et quid quæſo diſertiùs dici potuit, ab Auguſtino, quàm hoc: *Simulachrum Deo nefas eſt Chriſtiano in templis collocare.* Hac percitus cauſſâ SEVERUS, Epiſcopus Maſſilienſis, imagines ſuſtulit è templis anno 590. Chriſti.

TERTIA ratio, *quia Epiphanii Salamina Cypri Epiſcopi adhuc ſeculo circa annũ Chriſti 380. nulla in templis Chriſtianorum fuerunt imagines. Et ſi qua fuêre, eas tamen orthodoxi Patres improbarunt & ejecerunt, tanquam cum ſacra Scriptura auctoritate ex diametro manifeſtiſſimè pugnantes.* Hoc lucidiſſimè apparet ex ipſius Epiphanii verbis, quæ Gregorius Nicotas citat act. 6. ſecundæ Synodi Nicenæ, ſic: *Eſtote memores, dilecti filii mei, ne in Eccleſiam imagines inferatis, neque in ſanctorum cœmeteriis eas ſtatuatis, ſed perpetuò circumferte Deum in cordibus veſtris.* Et lucidiùs ex ejus epiſtola ad Johannem Epiſcopum Hieroſolymorum, quàm latinè reddidit Hieronymus, inter cujus etiam opera exſtat, ut Epiphanius ſic ſcribit: *Quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more Eccleſiaſtico facerem, & veniſſem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidiſſemq; ibi præteriens lucernam ardentẽ & interrogaſſem, quis locus eſſet? didiciſſemq; eſſe Eccleſiam, & intraſſem, ut orarem, inveni ibi velum pendens in foribus ejuſdem Eccleſiæ tinctum atque depictum & habens imaginem quaſi Chriſti, vel ſancti cujuſdam; Non enim ſatis memini cujus imago fuerit. Quum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti* CÕTRA AUCTORITATEM SCRIPTURARŨ *hominis pẽdere imaginẽ, ſcidi illud, & illud & magis dedi conſilium cuſtodibus ejuſdem loci ut pauperem mortuum eo obvolverent & efferent. Illique contra murmurantes dixerunt: Si ſcindere volueras, juſtum erat, ut daret velum, atque mutaret. Quod quum audiſſem me daturum eſſe pollicitus ſum, & illico eſſe miſſurum, &c. Nunc autem miſi de cypro, quod potui reperire. Et precor, ut jubeas præcipere in Eccleſia Chriſti iſtiuſmodi vela, quæ* CONTRA NOSTRÃ RELIGIONEM *veniunt non appendi. Decet enim honeſtatem tuam, hanc magis habere ſollicitudinem, ut ſcrupuloſitatem tollat, quæ indigna eſt Eccleſia* CHRISTI *& populis, qui tibi crediti ſunt.* Bellarminus juxta ſolitum ſuum φρύαγμα μεγαλοχύματ⊙, id eſt anhelitum & fremitum magnæ ſuæ jactantiæ atque oſtentationis, Epiſtolam hãc ſupoſititiã eſſe totis viribus contendit Sed illum contundit concentus veterum, inprimis Concilium Francofurtenſe, ſub Carolo Magno habitũ. *A.DN. 798.* *Alphonſus* certè de Caſtro adverſus hæreſes ſcribẽs in voce *Imago* Epiphanii Epiſtolam omnino agnoſcit. Et hanc ut probam, καὶ ἀγαθοῦ κόμματ⊙, boni ſonii ac valoris, totidem verbis allegat

Concilium

Concilium etiam Pariſinum, ſub Ludovico Bono anno Chriſti 824. celebratum.

Quarta ratio, quia ſi aliquis imaginum uſus in templis fuiſſet Chriſtianorum veterum, tum Aëlius Lampridius hiſtoriographus Ethnicus, in Alexandro Severo Cæſare nõ diceret, *Adrianum Imp. in gratiam Chriſtianorum templa juſſiſſe exſtrui in omnibus civitatibus ſine ſimulachris*. Templa hîc quidem intelligit Bellarminus ſine ſimulachris Gentilium. Verùm quum Lampridius loquatur indiſtinctè καὶ ἀδιαφόρως & indifferẽter, id Jeſuitæ commentum ſit nobis meritò ſuſpectum: præſertim quum & per longam temporum ſeriem dicta ſint *templa Adriani*, nec Adriani dicta fuiſſent ſi Imagines habuiſſent. Neque enim diſcrimen illud inter Imagines & Idola, quod tanto fervore hodie urgetur, vulgo notum fuit. Quadrat huc quæſitum Cæcilii Ethnici, in dialogo Minutii Felicis: *Cur nullas aras habent Chriſtiani? templa nulla? nulla ſimulachra?*

Cæterùm quæ de imaginibus in tẽplis non collocandis aut habendis ſunt dicta, ea & de collocatione earum in aliis locis publicis, aut etiam privatis, ubi ad cultum vel ad ornatum periculoſum ponuntur, intelligamus. Hinc enim idem Epiphanius eodem loco, poſtquam Imagines in templa & cœmiteria inferendas prohibuit, ſubdit: *Quin etiam neque in domo communi tollerentur*. Et addit rationem: *Non enim fas eſt Chriſtianum per oculos ſuſpenſum teneri; ſed per occupationem mentis*. Hæc totidem Epiphanii verba concilium Conſtantinopolitanum 7. citat, & calculo ſuo probat. Ex Lampridio equidem patet, apud Chriſtianos Imperatoris Adriani ævo non tam in publicis locis, quàm privatis domibus ſimulachra nulla exſtitiſſe. Item ex aliis hiſtoriis cõſtat Erasmo teſte, qui in Catecheſi ſua ingenuè teſtatur, uſque ad Hieronymi ætatem *fuiſſe probata vita & religionis viros, qui publicè imaginẽ nullam habuerũt, nec pictam, nec ſculptam, nec textam ac ne ipſius Chriſti quidem*. Cassander, cujus ſupra memini, idem his verbis confirmat? *Certum eſt ex Clemente & Arnobio, initio prædicati Euangelii aliquanto tempore inter Chriſtianos, præſertim in Eccleſiis, imaginum uſum nullum omnino fuiſſe*. Quod aſſerere non dubitat etiam Gregorius Giraldus, Romanæ alioquin ſedis acerrimus defenſor, qui non obſtante periculo temporis ac loci in quo vixit, dicit. Illud certè non prætermittam, nos dico Chriſtianos ut aliquãdo Romanos, fuiſſe ſine imaginibus in primitiva, quæ vocatur, Eccleſia.

Fervidè nihilominus Pontificii ipſum cultum imaginum religioſum propugnant, ut neceſſe ſit etiam in hoc oppugnationem & confutationem illorum ſententiæ adferre. Prima & præcipua eſt, *quod cultum imaginum Deus in Scriptura ſua ſeveriſſimis legibus prohibet, ac punitürum ſe minatur* Exod. 20. 5. Rom. 1. 15. 1. Joh. 5. ult. & alibi. Bellarminus hic infert Deum citatis locis reprehendere idololatriam, quam ipſe interpretatur quando magines pro diis habentur & coluntur. Ecquis verò puer fraudem non deprehẽdat, qui modo non ignoraverit, quod etiã Judæi & Gentes non ſemper habuerint idola & imagines ſuas pro diis, ſed in iis vel verum Deum colue-

4. An imagines ſint religioſè colendæ.

coluerint vel eos, quorum imagines referebant. Et tamen utrique idololatriæ obligantur. De Judæis judicare licet ex cultu vituli aurei, in quo Deum verum, qui ex Ægypto ipſos eduxerat, colebant, & tamen idolatriæ non tantùm obligati, ſed ob eam etiam puniti ſunt. De Gẽtibus conſtat ex hac Lactãtii admonitione: *Ethnici dicunt. Non ipſa colimus ſimulachra, ſed eos ad quorum imagines facta, & quorum nomine conſecrata ſunt.* Quis verò negabit eos & idololatriam commiſiſſe, & propterea punitos eſſe.

Exod. 32. & 33.

2. Reg. 18.

SECUNDA ratio, *quia rex Ezechias ſummopere laudatur, quod ſerpentem æneum amoverit & confregerit, quum populus eum religiosè colere cœpiſſet.* Erat enim ſerpens iſte quidẽ non hominum, ſed Dei juſſu fabricatus: erat maximo ſanationis miraculo clarus: erat Chriſti crucifigendi imago: ſed tamen quum populus incenſum ei adoleret, ſicque ad cultum eo uti occepiſſet, rectè fuit comminutus. Ecquis igitur ſit tam εὐήθης & fungus, quin intelligat, imagines hodie quoque à piis magiſtratib. rectè è templis tolli, ne colantur? Certè tanti momenti rationem ipſum etiam JUS CANONICUM comprobare non dubitat, diſt. 63. Can. Quia, §. ſi verum. *Per illud Ezechiæ confringentis æneum ſerpentem, quẽ fecit Moſes, hanc magnam authoritatem habendam in Eccleſia, ut ſi nonnulli ex majoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem & ſuperſtitionem,* SINE TARDITATE *aliqua & cum magna auctoritate à poſteris deſtruantur, &c.*

TERTIA ratio, *quia imago nec ſanctitatis aliquid habet in ſe, ſive materiam ejus ſpeciem, ſive formam puta lignum, lineamenta & alia.* Sanè enim Scriptura non ſemel aut iterum, ſed ſæpiſſimè imagines, quę ad cultum proſtant, appellat *Gillulim,* ſtercora & *Thoheboth, ac Schikkutzim,* deteſtationes, exſecrationes & abominationes (ut ſupra quoque dictum) quia ſanctus Dei cultus illis tollitur, aut fœdè commaculatur, & deteſtatur exſecrandus atq; abominandus redditur, licet humanæ rationis calculo eas metientes, pretioſas & ſanctas ac religioſas opinentur.

Deut. 32. Iſa 44. 19. Jer. 4. Ezech. 6. 9. 1. Reg. 17. 11. Jer. 50. c. Ezech. 8. 10.

QUARTA ratio, *quia homo imago Dei potiùs eſt, quàm imago lignea vel lapidea, &c. Eſt enim vera & viva, quum imagines ſint lignea vel lapidea, &c. Nec tamen homo religiosè colitur. Multo minus ſunt colenda imagines.* Scitum iſtud egregiè comprobat Auguſtinus de verâ Religione cap. 55. *Non ſit nobis,* inquiens, *religio in Phantaſmatibus noſtris. Non ſit nobis religio humanorum operum cultus: Meliores enim ſunt ipſi artifices, qui talia fabricantur, quos tamẽ colere non debemus.* Et Athanaſius: *Cur non potius,* inquit, *per vera & naturalia animantia, ad quorum ſpeciem ſculptilia deformata ſunt, præſentia Numinis ſentiatur? Æquius erat ipſa viva potius coli, quàm vivorũ effigies in iſtis adorari.* Et Ambroſius ad Rom. 1. *Quanta hebetudo,* ait, *quanta ſtultitia, hoc ſe ſapientes appellare ad ſuam damnationẽ, apud quos plus poteſt,* IMAGO, *quã veritas, & mortui potiores ſunt vivis.* Ac Lactantius l. 2. cap. 18, *Eſt perverſum & incongruum, ut ſimulachrum hominis à ſimulachro Dei colatur. Colit enim, quod eſt deterius & imbecillius. Tene tu inexpiabile facinus eſſe deſerere viventem, ut defunctorum monimentis ſervias. Altera vanitas religionis eſt, quod ipſa imagines ſacra, quibus homines*

Digitized by Google

vaniſſimi ſerviunt, omni ſenſu carent, quoniam terra ſunt.

Quinta ratio, *quia multa pia & legitima Concilia cultum imaginũ damnarunt, quorũ catalogus bene longus texi poſſet.* Horum in numero præ aliis cenſentur Elibertinum, Constantinopolitanum, ſub Leone 3. Conſtantinopolitanum aliud ſub Conſtantino Copronymo, Francfurtense ſub Carolo M. in quo damnatum Concilium Nicenũ 2. juſſu Irenes Imperatricis cõvocatum, quod inprimis Imagines ſuaſerat & ſtabilierat. Ac decretum Concilii Francofurtenſis Ludoicus Caroli F. adverſus imaginum cultum inſtauravit.

Sexta ratio, quod Conciliorum illorum legitimorum decreta adjuvant, exornant & confirmant teſtimonia ſexcenta ineluctabilia beatorum Patrum, Irenæi, Hieronymi, Auguſtini, Athanaſii & aliorum, quorum commemoratione ſuperſedeo brevitatis cauſſa, & quod obvia ſunt cuivis hoc genus Auctorum diligentius verſanti.

Objectiones præcipuæ Pontificiorũ diluuntur.

Verum Bellarminus à capite 4. libri 2. de Sanctorum Beatitudine uſque ad caput 26, ita ſe contra gerit atque jactat, ut licet fateatur non ita certũ eſſe in Eccleſia, an imagines Dei faciẽdæ, in templis locandæ & colendæ ſint: tamẽ orthodoxam doctrinam contra imagines è ſacris Scripturis, Patribus, Conciliis, Hiſtoriiſque piæ ac puræ antiquitatis productam, & merito maximi ponderis ac digniſſimæ fidei habitam, apertè & prolixè negat, imò damnat: Tot etiam & tanta pro ſua negatione & damnatione argumenta profert, ut admirationi ſint, & apud rudes ſacrarum Scripturarum & vetuſtatis ſinceriotis, infirmoſque nonnihil momenti ſortiri queant. Sed tam generali, quàm ſpeciali reſponſione orthodoxa viciſſim ſolvi, dilui, atque refutari ſolidiſſimè poſſunt, quod Deo auxiliante brevibus præſtabimus, rogantes ut lectores collationem Bellarmini argumentorum & meatum ſolutionum inſtituere dignentur.

Generaliter notanda eſt *gemina fallacia* quæ in adverſariorum Põtificiorum argumentis, ſaltem præcipuis occultatur: puta, *Ignoratio Elenchi & Petitio principii.* Nam quæcunque ab iis hic afferuntur teſtimonia ſacræ Scripturæ, itemque indicia praxeos hominum verè Sanctorum, pro imaginibus ipſius Dei, item pro collocatione imaginum, alioqui licitarum, in templis, denique pro religioſo iſtarum cultu, &c. ea vel nihil ad rem faciunt, ſed de aliis materiis extra quæſtionem hanc verſantibus aliquid tantùm attingunt, vel ſi omnino huc tanquam appoſita trahi debent, ſaltem à vero genuino ſenſu detorquentur. Et ſic revera falsò citantur. Etenim certiſſimum eſt, neque de Imaginibus ipſius *Dei* ſive *S. Triadis* aut faciendis aut habendis ac colendis, neque de *creaturarum* imaginibus & ſtatuis, eo quidem modo & fine quo Papiſtæ faciunt palàm erigendis atque uſurpandis *religioſéque colendis*, ſive ſuppliciter venerandis & adorandis &c. ullum in univerſa ſacra Scriptura vel Dei *mandatum* (aut ſaltem *conſilium* aut indultum) vel hominum verè Sanctorum *præceptum, conſilium atque exemplum* reperiri poſſe. Nam quæ poſtea demum circa quartum, aut quintum

vel

Digitized by Google

vel potiùs ſextum, aut ſeptimum Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculum, in *Conciliis* quibuſdam definita, aut à *Patribus*, Epiſcopis, Reginis, Principibuſque nõnullis in Eccleſiis invecta fuerunt, ea per ſe nullam in hac, aut ſimili aliqua ſacra controverſia, probandi vim obtinere poſſunt, aut debent. Atque hæc generalis reſponſio ſufficere poſſet. Sed tamen ut omnia pleniùs diluantur, de ſingulis Adverſariorum argumentis & rationibus pro imaginum cultu allatis ſeorſim aliquid reſpondẽdum libenter ſuſcipiamus.

Specialiter *tres ordines* argumentorum Adverſarii ſervant. Itaque ad argumenta *primi ordinis*, hoc eſt, pro *Dei picturis & imaginibus* allata ſic reſpondemus. In *ſecundo & tertio* tum ignorationem elenchi, tum fallaciam conſequentis latêre: quum aliud ſit, eſſentiam vel naturam Dei, per imaginẽ aliquam externam ac corpoream exprimere, aliud autem, judicium vel opus aliquod ejuſdem per viſionem internam ac ſpiritualem adumbrare. Itẽ, quum aliud ſit metaphoricè de Deo loqui, & membra eidem figuratè tribuere, idque ex aliis ſacræ Scripturæ locis commodè declarare: aliud autẽ ſpeciem ejuſdem viſibilem, quaſi veram & propriam, oculis omnium nudè ſubjicere, & ſic imperitis occaſionẽ de Deo malè, perperam ac ſuperſtitioſè ſentiendi præbere. In *primo* autem, & *quarto* & *quinto* variam conſequentis fallaciam admitti: videlicet ortam ex inepta comparatione imparium, tanquam parium, &c. Nam inter omnes abundè conſtat, non eandem eſſe rationem virtutum, aut hominum, aut etiam ſpirituum creatorum, quæ eſt Dei Opt. Max. aut S. Triadis, cujus ſcilicet ineptæ, imò fœdæ picturæ vel imagines non uno loco in Papatu contra ſacram Scripturam & orthodoxam vereque Catholicam antiquitatem conſpiciuntur.

Ad argumenta *ſecundi ordinis*, quæ videlicet afferuntur pro imaginibus Christi & Sanctorum atque Martyrum in templis collocandis, ita reſpondemus. In *primo* non rectè citari impertinens exemplum veteris Teſtamenti, quippe ubi nulla vel *Dei*, vel Christi, nedum *ſanctorum & Martyrum* mortuorum picturæ aut ſtatuæ in templo ullo viſebantur. *Cherubinorum* autem & *Beſtiarum* quarundã, puta boum & leonum imagines ita poſitæ erant, ut nullum hîc metuendũ eſſet idololatriæ periculum. In *ſecundo & tertio*, partim à ſtatu quæſtionis recedi, quatenus ex *Tertulliano* de picturis, vel pictis calicibus alienum quippiam affertur: partim incerta quædam & dubia, aut omnino fabuloſa ex *Nicephoro*, &c. de imagine Chriſti adduci: partim inconſequentiam variam admitti, quatenus ex his vel illis veterum actionibus aut decretis, non ſatis ad Dei verbum conformatis, perpetua lex, ſeu regula quædam univerſalis ineptè colligitur. In *quarto* denique ſimiliter ferè peccari. Ornatum enim aut uſum hiſtoricum imaginum nullum unquam tantum eſſe poſſe, quin majus ſemper ſit periculum multiplicis abuſus & idololatriæ: item majus ac periculoſius ſcandalum tum multorum *Chriſtianorum*, tũ etiam *Judæorũ & Turcarum* quorum omnium accurata

Digitized by Google

ratio nobis habenda eſt, juxta illud 1. Cor. 10. *Eſtote abſque offendiculo & Judæis & Gentilibus & Eccleſia Dei.*

Denique ad argumenta *tertii ordinis*, quæ afferunt adverſarii pro cultu imaginum, ita reſpondemus. In *primo & ſecundo & tertio* diverſiſſimas res ineptè miſceri, hoc eſt, externam & politicam reverentiam, ſeu civilem venerationem cum religioſa vereque divina adoratione confundi. Nec unquam in veteri Teſtamento eum ipſum cultum exhibitum fuiſſe aut *Cherubinis*, aut *arcæ fœderis*, aut *Æneo ſerpenti*, &c. qui nunc in Papatu *imaginibus Chriſti & ſanctorum* vulgò palàm exhibetur. In *quarto & quinto* facti tantùm, non juris, præſertim divini probationem afferri: quum nullius *Concilii* aut *Epiſcopi* tanta ſit auctoritas, ut quicquam adverſus cœleſtem veritatem ſtatuere poſſit. Imò nec perpetuam, nec univerſalem Eccleſiæ praxin hîc adduci, quum ſatis conſtet, antiquiores Eccleſiæ doctores aliter hîc ſenſiſſe, & tum ante, tum poſt ſeptimam Synodum, contrarias ſuper hac re Synodos, ab Imperatoribus & Epiſcopis Chriſtianis, præſertim Græcis habitas fuiſſe. In *ſexto & octavo* vitioſè ab eventu externo de veritate vel falſitate doctrinæ concludi, imò & falſum dupliciter aſſumi. Nam non minùs, imò magis interdum improbi & infelices fuerũt (in illis quidem certaminibus de imaginum cultu) *iconoplaſtæ & iconolatræ*, quàm *iconoclaſtæ* & *iconomachi*. Denique *miracula* illa aut omnino fabuloſa & falſa fuerunt, aut alium ſaltem ſcopum, quàm defenſionem iconolatriæ habuerunt. In *ſeptimo* variã eſſe aſyllogiſtiam, quia & impa-ria pro paribus, & diſſimilia pro ſimilibus ſæpè hîc accipiuntur, & ex uno rerum genere ad alterum temerè tranſitur: ſicut ex inſpectione ipſius Bellarmini lib. 2. de ſanctorum beatitudine à c. 4. uſq; ad 26. facilè cernetur. Et tantùm de imaginibus, earumq; cultu illicito. Nunc ad imaginem CRUCIS, peculiariter à Bellarmino objectam Calvino, & ſub hujus colore toti Eccleſiæ Euangelicæ, tranſibimus, ejus quoque refutationem congruam ac perſpicuam in medium allaturi.

QUANQUAM, quæ ſuprà tradidimus, ſatis etiam refellere poſſunt, quæ Papiſtæ ſentiunt atque credunt de ſigno, ligno & imagine ſanctæ *crucis Dominicæ*: tamen quum Bellarminus non modò ſingularem mentionem ejus faciat, verùm etiam inprimis acerbè ac contumelioſè Calvino contemtum ejus objiciat, diſſeram perſpicuè & breviter quàm innocens & purus ſceleris atque hæreſeos hîc Calvinus cum ſectatoribus ſuis ſit, è contra autem cultus CRUCIS vanus atque ab officio Chriſtianorum alienus.

5. An ſignũ, lignum & imago S. crucis ſit licita.

Aſſertiones & defenſiones quidem Crucis in tria membra dividit Bellarminus, incipiens c. 26. libri 2. de ſanct. beatitudine uſque ad finem, quæ ordine recitabimus.

Defenſio cultus crucis apud Papiſtas.

Prius membrum eſt de *ligno* crucis Dominicæ, de quo *duo* hæc vera eſſe contendit. *Unum* eſt, ligneam illam crucem, cui Chriſtus olim affixus fuit, verè ſimul & miraculoſè ab HELENA Conſtantini Magni matre repertam fuiſſe. Nempe quia Euſebius in Chronico, & poſt eũ multi veteres idipſum magno conſenſu tradunt. *Alterum* eſt, eandem

1. De ligno crucis.

eandem hanc crucem, ejuſque omnia fruſtula, ſuppliciter adoranda, ſeu religioſè colenda eſſe. Ac pro poſteriore hac theſi hæc argumenta afferunt.

1. Quia Chriſtus *crucem* ſanctiſſimi ſui corporis contactu, quaſi conſecravit, & ſanguinem ſuum largiter in ea profudit: ita ut inter *reliquias Chriſti*, non immeritò recenſeri poſſit, quum portio quædam ſanguinis Chriſti ſemper illi adhæſerit.

2. Quia idem Chriſtus, Scriptura teſtante, redemptionem generis humani per eam, atque in ea, tanquam in ara Deo conſecrata peregit. Imò velut trophæum & inſigne victoriæ de Satana & morte reportatæ eandem erexit, juxta illud Col. 1. 20. *Per ſanguinem crucis omnia reconciliavit Deo.* Et cap. 2. 14. *Chirographum, quod erat nobis contrarium ſuſtulit affixum cruci.* Ergo propter hanc conſecrationem crux adoranda eſt.

3. Quia magna & admiranda ſunt hujus crucis *myſteria*: ſive formam ac modum ſtructuræ, ſive Chriſti in ea pendentis expanſionem, ſive dimenſionem ejuſdem crucis, hoc eſt, longitudinem, latitudinem, &c. ſpectemus, juxta illam Apoſtoli alluſionem Eph. 3. 18. *Ut valeatis aſſequi cum omnibus, quæ ſit latitudo & longitudo & profunditas & ſublimitas, &c.*

4. Quia hiſtoria inventionis ſimul & exaltationis hujus crucis abũdè teſtatur, religioſum ejus cultum Deo omnino probari: quippe quæ utraque miraculis referta eſt, &c.

2. *De cultu crucis.* *Altero* membro pugnat pro cultu crucis, & imaginem ejus in templis erectam, ſive pictam, ſive ſculptam, ſive fuſam, minore quidem cultu, quàm quæ veræ cruci debetur, ſed tamen religioſo afficiendam eſſe affirmat tribus potiſſimùm rationibus.

1. Quia crucis imago, juxta veterum interpretationem, eſt *ſignum illud filii hominis*, quod Chriſtus ipſe aliquando in nubibus appariturum eſſe teſtatur. Unde ſequitur, hãc imaginem à Chriſto præ aliis exaltatam, & proinde nobis ſuppliciter adorandam eſſe. *Math. 24. 30.*

2. Quia ſignum hoc olim Conſtantino Magno divinitùs oſtenſum fuit, addita hac inſcriptione: *In hoc vinces*, &c. Unde poſtea factum eſt, ut Imperator idem hoc ſignum in ſuo *labano*, ſeu vexillo, ſemper à militibus adorari voluerit, &c. Quare & nobis adhuc adorandum eſt.

3. Quia juſtum & decorum eſt, ut imagines rerum ſacrarum, præſertim in rebus ſacris conſtructæ, religioſè colantur: videlicet ob cauſſam, ſuprà de cultu imaginum in genere ſatis explicatam. Atqui crux Chriſti res ſacra eſt: ſicut ex ſuperiore membro patet. Ergo & imago ejus colenda.

3. *De ſigno crucis.* *Tertium* membrum agit de *ſigno crucis tranſeunte*, quod in fronte vel pectore ſignatur. Ac tradit in ſumma, non tantùm utiliter, ſed & neceſſariò in omnibus rebus atque actionibus à Chriſtianis uſurpari, quippe quod ex opere operato ſimul & operantis vim habeat ſanctificandi, terrendi & fugandi dæmones, pellendi morbos & omnia mala, &c. Hæc tribus rationibus evincere nititur.

1. Quia jam olim per varios & myſteriorũ plenos *typos* in veteri Teſt. adumbratum fuit puta per *cancellatas Jacobi Patriarchæ manus*, quas ita decuſſa-

ſimile eſt, nullam etiam in hac cauſſâ probandi vim habet, ut pote merè humanum, nec ullo certo Dei teſtimonio approbatum, præſertim quũ hiſtoria ipſa non per omnia certæ veritatis ſit. Quin ipſum ſignum quo vicit *Conſtantinus* non fuit ſignum Crucis, ſed nominis Chriſti character, qualis cernitur in multis antiquis numiſmatis Cõſtantini, & aliorum Chriſtianorum Imperatorum. Qualis etiam eſt hic, quem ſic

Signum quo vicit Conſtantinus.



apponi curavimus unà cum hac inſcriptione, *τέτῳ νίκα*, vel (ut habent Socrates lib. 1. cap. 1. Niceph. lib.7.cap.29. & Zonaras in Conſtantino) *ἐν τέτῳ νίκα*, hoc eſt, *in iſto* videlicet Deo, non Signo (nam id literæ & characteres oſtenderunt) *vince*. Denique de cultu crucis ſatisfacere poſſunt, quæ ſupra de cultu imaginum in genere accepto attulimus. Nec crux fuit à veteribus culta & adorata, minus latriâ adorata. Veneratio tantùm ei tributa fuit, id eſt, uſus cum reverentia, eamq; uſurparunt in teſtimoniũ fidei ſuæ, ſimulq; laudarũt crucem quatenus fuit ſignũ intrepidæ fidei in Chriſtũ crucifixũ corã Ethnicis, etiã dum illi pœnas minarẽtur. Hic uſus & finis jã nõ habetur, nec haberi debet, quia non ſumus mixti Gẽtilib. aut Judæis. Arnobius lib. 8. *Cruces*, inquit, *nec colimus, nec optamus.* Ambroſius de obitu Theodoſii Imperatoris part.3.l.5.fol.51.d. *Invenit Helena*, inquit. *titulum* REGEM ADORAVIT, *non lignum utique, quia hic Gentilis eſt error, & vanitas impiorum.* CRUX tamen cœpit paulatim à quibuſdam adorari circa annum demum 400. à natali Soſpitatoris, quod ex Prudentio colligitur qui libro Apotheoſis.

- - - - jam purpura ſupplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Chriſti,
Vexillũq; crucis ſummus dominator adorat.

Paulinus epiſt. 11. *crucem* ait *Epiſcopus* (nempe urbis Hieroſolymæ) *quotannis cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe adorantium promit.* Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait, Eam proſtratã ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adoraſſe. Et epiſt.17. ad Marcellam, *Paula & Euſtochium* optant ſibi licere crucis lambere lignum. *Apamenſes* anno Dominĩ 540. productam in medium crucem adorant & amplexantur, ſcribit Evagrius lib.4.cap.25. Quæ ideò recenſemus, ut videatur ſerũ hujus *σαυρολατρείας* initium, & quod hæc exempla ſint facti, non juris. Ideo pòſt, Imaginẽ Chriſti *λατρείᾳ* colendam, ac proinde multò magis crucem, negavit Synodus Ncena 2. Actione 7.

Poſtremi etiam membri argumenta planè ſophiſtica ſunt, quum falſum ſit, *ſignum crucis* fuiſſe in locis Scripturæ per typos olim præfiguratum: Aut vim aliquam ſpiritualem dæmones ejiciendi, item morbos propellendi, denique nos noſtraque ſanctificandi, & quidẽ ex opere operato, &c. vel olim unquã habuiſſe, vel etiam nunc habere: ac proinde adhuc neceſſario uſurpandũ eſſe. *Praxis* autem *veterum* præterquam quòd alio modo & fine, quam quę nũc regnat, juſtituta fuit, nullum etiam præjudicium per ſe nobis afferre poteſt, ut pote merè humana, & per ſe ad minimum adiaphora, &c.

Majoris verò ponderis eſſe poterũt hæ noſtræ ſolutiones, contra externum uſum, adorationem, imaginem, ſignũ-

que

Rationes & argumenta Euangelicorum contra crucis uſum extremum & religioſum.

que crucis allatæ, ſi jam quoque noſtras Euangelicorum rationes atque argumenta proferam, quibus talem crucis uſum in univerſum fugiendum atque profligandum conſent.

Nam *de lignea Chriſti cruce vera*, in qua Chriſtum olim pependit, *duo* quædam hic neceſſariò aſſerimus Adverſariorũ & doctrinæ & conſuetudini contraria. UNUM eſt. Non magnopere de hoc cõtendendum eſſe ſive vera, ſive ſuppoſitia fuerit illa crux Chriſti, quam *Helena* mater Conſtantini Magni Imperatoris olim Hieroſolymis inveniſſe dicitur. Et multo credibilius eſſe, ipſam *Helenam* ex fœminea quadam, hoc eſt, exceſſiva & ſuperſtitioſa devotione potiùs, quàm ex ſingulari Spiritus ſancti inſtigatione, crucem illam tam ſtudioſè quæſiviſſe, ſi modò hiſtoria ipſa per ſe quoque non eſt fabuloſa, & in dubium vocari meretur.

Contra lignum crucis.

Joh. 4. 24.

Nam 1. Sive vera, ſive falſa fuerit illa crux, nihil inde Religioni Chriſtianæ vel accedit, vel decedit, quippe quæ tota ſpiritualis eſt: & ejuſmodi res externas à Deo minimè præceptas, ſed Exod. 20. 4. diſertè ac graviter vetitas, minimè curat. Quæque jam ante per 300. atque adeò 400. circiter annos incorruptè tradita, religioſè ſervata fuerat, quum tamen nemo illud crucis lignum vel ſciret vel curaret. Ergone nunc quidem, ſi incorruptam religionis puritatem amamus, hoc lignum magnifaciendum eſt, nec de eo quale aut ubi ſit, anxiè laborandum.

2. Ex hiſtoriis patet illorum temporum, una cum externa pace & opulentia, quæ ſub Conſtantino Magno cœpit, creviſſe etiam ſuperſtitionem & cupiditatem nimiam rerum externarum, contraque veram pietatem & fidei ſinceritatem magis ac magis ab illo tempore decreviſſe. Nam hoc fatetur *Euſebius* paſſim, præſertim lib. 8. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Unde non ineptè colligitur, *Helenam* quoque ſui ſeculi mores ſequutam, non ex divino inſtituto, ſed ex ſuo quodam proprio motu, hoc ex curioſitate, ut ſaltem pio fortaſſe, ſed tamen muliebri & imprudenti zelo crucem illam, quæ poſtea multiplicis idololatriæ ſeminarium facta eſt, tam operoſe inquiſiviſſe, & tanto ſtudio eã ejuſque fruſtula quædam aſſervari voluiſſe.

3. Denique prædictus *Euſebius*, licet in Chronico ſuo aliquam mentionem hujus faciat, in libris tamen Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, item de vita CONSTANTINI Magni, præſertim lib. 3. (ubi multa etiam de Helena narrat, deque repurgatione montis Calvariæ) hujus inventionis S. crucis nihil meminit. Et qui poſtea ejus meminerunt, non pariùm inter ſe diſcrepant in ejus circumſtantiis enarrandis. Ut non temerè ſuſpicari quis poſſit hiſtoriam ipſam aut omnino fabuloſam, aut ſaltem in aliquot ſuis partibus incertam & dubiam eſſe. Cruces certè in Eccleſia caruerunt imagine crucifixi per annos à Chriſto 500. aut amplius, & contrariũ doceri ex probata antiquitate non poteſt. Videtur iſtiuſmodi imago publicè primùm invaluiſſe circa annum Chriſti 710. ut è Synodo Trullana conſtat, quæ can. 82. decernit. *Ut quod perfectum eſt, vel colorum expreſſionibus omnium oculis ſubjiciatur, ejus qui tollit peccata mundi, Chriſti*

Digitized by Google

Chriſti Dei noſtri, inſtar hominis. Characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno ſtatui jubemur. Sed res ipſa per ſe nullius momenti, nec voluntatis Dei eſt, quæ talia potiùs Exod. 20. Joh. 4. prohibet. Optandum ergo potiùs eſſet, reſpectu habito ad eventum valdè periculoſum & pernicioſum, crucē illam nunquam ab Helena inventam fuiſſe.

Contra cultum & adorationem crucis. *Alterum* ſententiæ noſtræ caput eſt, lignum vel imaginem crucis Dominicæ neque cultu *latriæ*, ſeu merè divino (quod *Thomas* tamen apertè aſſerit) neque ullo *religioſo cultu*, præſertim propriè & per ſe (quod Bellarminus & plerique alii Papiſtæ docent) afficiendam eſſe: ſed eodem planè loco, inque eodem rerum gradu habendam, quo *lanceæ*, aut *clavi*, aut *virgæ*, aut *baculi*, quibus Chriſtus olim percuſſus, aut vulneratus fuit. Item, quo *columna*, cui alligatus: *ſpongia*, quâ potatus: *ſpinæ*, quibus coronatus fuit, & cætera id genus inſtrumenta paſſionis ac mortis Dominicæ, habenda ſunt. Quæ fortaſſis ad conſervandam ipſius rei geſtæ memoriam, ſive ad uſum merè hiſtoricum, ubi verè habentur, abſque peccato aſſervari poſſunt: adorari verò ac coli religioſè abſque idololatriæ crimine nequeunt: ut de reliquiis probavimus ſuis locis.

Nam *primùm* aperta IDOLOLATRIA eſt, etiam Adverſariis interdum ultrò fatentibus, quum *latriæ* cultus alicui creaturæ impenditur. Ergo opinio *Thomæ* & ſequacium ejus hac in parte damnanda eſt: quippe qui crucem Domini hoc genere divini cultus ſimpliciter & per ſe part. 3. quæſt. 25. art. 3. & 4. &c. afficiendam eſſe docent.

Secundò, Non minùs vera, etſi non ita confeſſa idolodulia, imò & idololatria eſt, quum vera θρησκεία ſeu religioſus cultus (puta *dulia vel hyperdulia*) rebus creatis, & quidem brutis ac mutis, hoc eſt, neque ratione, neque ſenſu, neque vita præditis, exhibetur. Ergo & Bellarmini, aliorumque Papiſtarum opinio ſimiliter averſanda eſt: quippe qui cultum iſtum divinum ac religioſum ligneæ cruci, ejusque fruſtulis omnibus, deferendum eſſe contendunt.

Tertiò, inepta & craſſa *ſuperſtitio* eſt, ea religioſè colere, & devotè ac ſuppliciter oſculari atque adorare, quæ olim ab hoſtibus Chriſti ad ipſum Chriſtū affligendum & excarnificandum, velut exquiſita inſtrumenta crudeliter adhibita fuerunt, quaſi videlicet infandam illorum crudelitatem, itémq; acerba hujus ſupplicia & cruciatus, iſta ratione tacitè approbemus: quum tamen omnes verè pii ac ſapientes iſta potiùs in ſeipſis deteſtanda eſſe noverint. Act. 2. 23. & 3. 14. 15.

Quartò, lignum crucis neque inter veras corporis Chriſti *reliquias* (quales certè nullæ uſpiam in mundo extant) neque inter veras ejuſdem imagines, aut ſigna ipſum verè repræſentantia, referri poteſt. Ergo nec per ſe propriè, nec per accidens impropriè religioſo cultu afficiendum eſt, etiamſi alioqui conſtaret, & illas per ſe & has per accidens ita colendas eſſe: cujus contrarium tamen ſuprà ſatis evicimus.

Quintò, ſi crucis imago ſive picta, ſive ſculpta, ſive fuſa, ſive ex auro, argēto, ſtanno, cupro, ſive ex lapide, ſive alia quacunque materia conſtans, propterea

Oooo

præterea ſuppliciter & religioſè venerāda atque adoranda eſſet, quia verum illud crucis Dominicæ lignum repræſentat, eadem ratione omnes infantiū *cunas*, aut *præſepia* omnia, omneſque virorum *togas ac veſtes, imò omnes virgas, coronas, baculos, claves, lanceas ſpongias, flagella*, omnes deniq; *aſinos & aſinas* ſuppliciter venerandas eſſe: quippe quæ omnino ſignificent, & quodammodo nobis repræſentent ea *præſepia*, eas *cunas*, in quibus Chriſtus olim infans jacuit: eas que veſtes, quibus olim indutus fuit: item eas *virgas, baculos, lanceas, flagella*, quibus olim ſacrum ejus corpus percuſſum & laceratū fuit, omnes eas *ſpongias*, quibus olim potatus fuit: denique eum aſinum vel aſinam, quâ aliquando vectus ſanctam urbem intravit. Hæc enim omnia ſacrum Chriſti corpus attigerunt. At ſi hoc non modò ridiculum & abſurdum eſt, verum etiam abominandum & deteſtādum: tum illud quoque tale & eſt & cenſeri meritò debet.

Sextò, imagines crucis veræ & propriæ novi Teſtamenti ſunt doctrina ſive prædicatio Euangelii, & omnia alia, quæ ex inſtituto Dei ad eam pertinent. Gal. 3. 1. Nam Apoſtolus: *Quis vos faſcinavit*, inquit, *ut non obediretis veritati, quorum ob oculos Chriſtus fuerat ante depictus, inter vos crucifixus*? Unde conſequitur prædicationem verbi, cui adminiſtratio Sacramentorum eſt appenſa, excellentiſſimam & expreſſiſſimam eſſe picturā & imaginem, qua Chriſtus cum omnibus ſuis beneficiis nobis ad vivum repræſentatur. Nec quicquam diſſentimus ab Origene, qui l. 8. contra Celſum ait: *Sunt præterea nobis & ſimulachra & Deo digna oblationes, non per impuros aliquos opifices fabricata, ſed per Dei verbum in nobis edita & formata, virtutum ſcilicet exempla & ſtructura, quæ imitatrices ſunt Chriſti*. Quaſi dicat, Chriſtianos ipſos eorumque converſationem laudabilem eſſe Chriſtianorum imagines.

Tertium ſententiæ noſtræ caput eſt de *ſigno crucis*, quod manu vel digito in aëre fortè formatur, aut in fronte vel pectore ſignatur. Contra ſignum crucis. De hoc invenimus, crucem tranſeuntem, id eſt, ſignum crucis in uſu apud puriorem Eccleſiam communiter fuiſſe, non permanentē, id eſt, crucem è ligno aut metallo cōpoſitam, aut etiam pictam in Eccleſiis vel oratoriis per annos à Chriſto 400. Crucem quoque nunquam adhibitā fuiſſe ad ſignandum Sacramenta, niſi circa 400. annum. Nam annis à Chriſto 300 fuit ſignum externæ profeſſionis fidei in vita communi, ut qui ſe ſigno crucis vel in fronte, vel pectore, vel aëre ſignabant, ea ratione ſe inter Ethnicos & Judæos declararint eſſe Chriſtianos, quos Chriſti crucifixi nō pudeat, quin in eo ſpem ac fiduciam ſalutis figant, & fixam teneant. Veteres ſe cruce hujuſmodi contra dæmones munierunt, non quod externo ſigno crucis tantam vim & efficaciam aſcripſerint, ſed hac ſolenni ceremonia ſuam fiduciam in crucem, id eſt, mortem Chriſti apud alios teſtari, & quodam quaſi monitorio fidē excitare voluerunt, quæ victoria noſtra eſt omnia mala depellens. 1. Joh. 5. 4. 5. Senſim quoque ad conſignationē catechumenorum vel infantum circa Baptiſmum ceremonia crucis adhiberi cœpit. Tandem cœptum eſt etiam ſignum crucis uſurpari

&

Digitized by Google

& admoveri in cœna Dominica, primò quidem, ut ſignaret nobis Chriſti bona, ut ex Auguſtino tract. 118. in Johannem conjicitur. Tum poſtea, ut per eam benedictio Sacramenti & cõſecratio fieret. Sed tamen ſignum crucis primò per multa ſecula fuit in Sacramenti adminiſtratione ſimplex ritus: poſtea verò circa annum 1000. mutato ritu ſemper eſt adhibita in numero impari, teſte Micrologo cap. 14.

Quid ampliùs? Veteres ſigno crucis muniri animam dixerunt: Vel ex ſententia Montani, ut Tertullianus lib. de reſurrectione carnis: *Caro*, inquit, *ſignatur, ut & anima muniatur:* Vel dubitanter, teſte Auguſtino de peccatorum meritis & remiſſione cap. 26. lib. 2. dicente: *Catechumenos ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti & oratione manus impſiotionis* PUTO *ſanctificari*. Ubi verba, *ſecundum quendam modum, & puto*, expendenda. Significant enim Auguſtinum de iſto ritu addubitaviſſe: & ſanctificationem fieri dicit non per ſolam crucem, ſed per ORATIONEM.

Miracula à Deo fiebant ad ſignum crucis, inquiunt Adverſarii & quidam veteres. Sit ita. Habebat enim adjunctam nominis crucifixi vel manifeſtã vel tacitam invocationem, ac poteſtatem faciendi miracula, ut Tertullianus in Scorpiaco & contra Gnoſticos ait: *Nobis fides præſidium, ſi non & ipſa percutitur differentia ſignandi.* Et mox: *Hoc*

Act. 28. *modo*, id eſt, ſignando, *Ethnicis ſæpè ſubvenimus, donata à Deo ea poteſtate, quam Apoſtolus dedicavit, quum morſum viperæ ſprevit.* Et proinde non ſigno, ſed fidei miraculorum, & invocationi Chriſti miraculum & depulſionem dæmonũ tribuenda. Lactantius de vera relig. lib. 4. cap. 27. ait: *Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet, qui viderit, quatenus adjurati per Chriſtum de corporibus, quæ obſederant, fugiunt.* Et paulò poſt: *Chriſti ſectatores eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis excludere.* Sermone 19. de ſanctis apud Auguſtinum: *Hoc curſum noſtrum dirigit, &c. hoc facit cum fideli* INVOCATIONE *nominis Chriſti, victorioſa crucis inſignita memoria.* Cyrillus Catecheſ. 13. *Hoc ſignum oſtenta fortiter: quando enim dæmones crucem viderint, recordantur crucifixi.* Ut verbo dicam, VETERES mira tribuunt non tam ſigno crucis, quàm orationi & precibus. Vide *Nazianzenum* ad Nemeſium, *Origenem* contra Celſum lib. 3. & 8. *Theodoretum* in Petro & Thalaſſio, *Euſebium* lib. 8. hiſt. cap. 7. *Sulpitium* epiſt. 1. ad Euſebiũ Preſbyterum, *Authorem Dialogorum* apud Gregorium lib. 1. Dial. cap. 1. *Victorẽ* lib. 2. de perſequutione Vandelica, Paulinum lib. 2. de vita ſancti Martini. Imò ſignum crucis, prout eo utebantur veteres, fuit tacita quædam Chriſti crucifixi invocatio. Figmentum ergo eſt, valuiſſe eam ex opere operato, quæ omnem ab invocatione vim accepit.

Quid ergo etiamnum hodie de hoc ſigno ſentiendum & faciendum? ALII Euangelicorum & orthodoxorum in ſumma ſentiunt, *rem* eſſe per ſe prorſus *adiaphoram*, ſi modò ſuperſtitio abſit, & opinio illa magica de ſpirituali ac divina hujus ſigni virtute ad morbos ſimul & dæmones fugandos, & res profanas ſanctificandas. Hæc enim opinio, præterquam quod nullo ne- NB.

Digitized by Google

que *Scriptura* neque *natura* fundamento nititur, etiam in ipſam veram Chriſti crucem, hoc eſt, paſſionem ac mortem, ſive in ipſum Chriſtum crucifixũ vehementer injuria eſt, ut quæ propriã Dei & Chriſti virtutem (puta ſpiritualem illam efficaciam nos ſanctificandi, Diabolos exturbandi, morbos abigẽdi) rebus inanimis, imò pictis ac fictis, ſi non apertè & directè, ſaltem obliquè & reipſa tandem adſcribit. Unde etiam idololatria ſpecialis, tum interna, tum externa, paulatim emergere ſolet: prout experientia in Papatu ſatis ſuperque hactenus oſtendit.

Summatim, extra hanc magicam opinionem & praxin planè ſuperſtitioſam, ipſam crucis ſignationem nõnulli Euangelici & orthodoxi per ſe minimè damnant: ſed, ut ante diximus, inter adiaphora numerant. Quam & olim, dum dona ſanationum aliorumq; miraculorum adhuc vigebant, in expellendis dæmoniis, morbis, ſanctificandisq; hominibus ac reb. inter alios & externos ritus, tanquam ſignum quoddam compendiarium Chriſtianæ profeſſionis, fortaſſe non inutiliter adhibitum fuiſſe, facilè concedunt. Nunc tamen donis illis jampridem ceſſantibus neceſſariò adhuc uſurpandam, aut aliis peregrinis uſibus adhibendam eſſe crucis conſignationem, ut conſtanter, ita jure & meritò negant.

Alii ergo removent inter Euangelicos & orthodoxos prorſum ceremoniam hanc, utendi ſigno crucis vel in fronte, vel pectore, vel aëre, tamque in Baptiſmo quã Euchariſtia. Inter quos Theodorus Beza epiſtola 8. p. 63. rationem affert, quam omnibus orthodoxis & veris Euangelicis ſequendam monet: *Crucis verò conſignatio*, inquit, *etſi vetuſtiſſima eſt, tamen quid utilitatis afferat, ſanè non video. Et quamvis mirificè & prorſus* ὑπερβολικῶς, *à Chryſoſtomo præſertim, quaſi quadam religionis Chriſtianæ ſumma commendatur, tamen quum neque auctoritate verbi Dei, neque ullo Apoſtolorum exemplo* (ἀπόκρυφα *enim illa nihil moror*) *nitatur, id eſt, quum omni Dei verbo deſtituatur, nec ſanè etiam ad decorum ullo modo pertineat: denique quum maximè abominandæ ſuperſtitioni & omnium horribiliſſimæ illi hyperduliæ crucis primum aditum patefecerit, multò minùs velim inter* ἀδιάφορα *numerare, quàm æneum illum ſerpentem Ezechias. Cujus quidem ſanctiſſimi regis hac potiſſimùm in re, id eſt, in evertendis crucis & crucifixorum idolis exemplũ imitari Chriſtianos omnes Principes ſanè oportuit.* 2 Reg. 18. 4.

Ad hæc ullam à Chriſto Euchariſtiæ conſecrationem cruce factam, negat *Amalarius*, eamque aſcribit Auguſtino. Chryſoſtomus: *Crucem*, inquit, *non ſimpliciter digito in corpore, ſed magna profectò fide in mente formare oportet.* Ergo crux non ſignificat ipſum ſignum crucis, ſed per metonymiam crucifixi Chriſti paſſionem. Origen. in epiſt. ad Rom. 6. Et ſigni crucis laudes apud veteres ſunt tantummodò rhetoricationes: ut quũ dicitur *ara* & *altaria*, tropica locutio eſt à legalibus: & quum dicitur *ſcala* hyperbolica eſt metaphora. Atque ad omnia dicta Patrum, *ubi crucem, ſpem, redemptionem, & ſalutem*, &c. eſſe volunt, reſpondemus intelligenda eſſe *relativè*, ut referantur ad paſſionem Chriſti, vel ad ipſum crucifixum Chriſtum, ſi- Hom. 55. in Math.

Digitized by Google

gno crucis repræſentatum. Nam apud eos tritum eſt, contenti nomen continenti tribuere.

Concluſio de cruce. Quod igitur ad Calvinum in ſcenã hîc à Jeſuita productum, negat is ſuperioribus omnibus ſingulis rationibus atque argumentis inductus ac cõfirmatus, merito & jure, tum omnem imaginem tum inprimis crucem eſſe venerandam ſeu adorandam & colendam ullo modo. Nam multiplex varia & execrabilis idololatria eſt cultus, veneratio & adoratio tam ullius imaginis, quàm ſanctæ crucis. In quo diabolum non fratrem, ut calumniatur Bellarminus, ſed hoſtem habet, qui amat idololatriam.

Et quàm puerile ac ridiculum eſt, quod Jeſuita dicit, *diabolum crucem execrari, quia eam timeat & timendo honoret: Calvinum autem exſecrari, quia deſpiciat atque irrideat?* Nam iſtas ligneas, & lapideas, & metallarias, & ſignatas digito cruces diabolus non magis timet, quã lignum, & lapidem, & metallum & digitum. Quid enim metueret in cruce, num materiam? ut ea eſt nihil aliud quam lignum, aut lapis, aut metallum aut ſignum, lineamentum, umbra, color, vibex, aut aliud quid ejusmodi, quæ timorem incutere non poſſunt. Num formam? non magis certè, quam duas in ædificio tranſverſas trabes? Ergo non timet crucem ab hominibus factam aut ſignatam omnino.

Effectus crucis in genere quidem mirabiles recenſet ibi Jeſuita lib. 2. de Sanct. Imaginibus cap. ultimo. *Primo*, inquit, terret & fugat dæmones, 2. pellit morbos & omnia mala. 3. Sanctificat ea, quibus imprimitur. Sed hæc ex Scripturis probari non poſſunt. Superioribus argumentis & rationibus noſtris redarguuntur. Imò auferunt Chriſto ſuum honorẽ & gloriam quã ſibi unicè vendicat, Math. 11. 5. & 12. 28. 29. 1. Joh. 3. 8. & 2. 3. Heb. 9. 14. & 10. 10. 14. Et annon ſacræ literæ in hoc verſantur, ut nobis commendẽt crucem, hoc eſt, paſſionem & mortem Domini noſtri JESU CHRISTI, ejusque merita ſapiẽtiæ, juſtitiæ, ſanctificationis, juſtificationis & redẽptionis nobis per hãc acquiſitæ. *1. Cor. 1. 30.* Ubi craſſiſſima eſt Pontificiorũ nõ tã ruditas & imperitia, quã temeritas & impudentia, ad figurã ſeu ſignũ crucis torquentiũ ea Scriptura dicta, quæ de cruce, id eſt, paſſione morte & ſatisfactione Chriſti, ejusq; obediẽtia in cruce Deo Patri perfectiſſimè pro nobis præſtita loquuntur. Quæ homonymia illis non ingrata eſt, ut ſe data opera rudes oſtendant aut callidos ac confidentes & malitioſos, qui lucẽ tenebras, & tenebras lucem dicant, aliàs autem de eruditionis palma cum aliis certare geſtiunt.

Taceo latam feneſtram non tam ſuperſtitionum plurimarum, quam magicarum artium, quam ſignum crucis frequenter adhibendo aperiunt, teſte experientia, quod maximum eſt impietatis facinus præter idololatriam quæ ſimul committitur, ut nemo ſanæ mentis poteſt inficiari. Noſtrum igitur quiſque cum S. Paulo ſentit: *Non quicquam ergo novi, niſi* JESUM CHRISTUM *eúmque crucifixum*, 1 Cor. 2. 2. quo ab hæreſi abſumus.

Ac optimè idcirco etiam res Calvini habet, quod non à parvæ auctoritatis & doctrinæ & prudentiæ viris, ex i-

II. Euangelici in ſententia contra imaginum & crucis cultū ab ipſis Papiſtis pronunciantur hæreſis expertes.

pſorum Pontificiæ Eccleſiæ Doctorū grege, inſententia contra imaginum ac crucis uſum religioſum expers hæreſis pronuntiatur. Ipſe Bellarminus lib. 2. de Imaginibus cap. 8. in principio, *Opinio*, inquit, *Calvini eſt. Imagines Chriſti & Sanctorum non eſſe ſimpliciter prohibitas, ſed non debere poni in templis, eáſque ſine notatione hiſtorica rerum geſtarum uſum nullum habere.* Quo hoc ingenio docuit? An diabolico? negat idem Bellarminus, dicens cap. 9. in principio: *Vetat Calvinus imagines in templis in ſublimi ſtatui, ob periculum idololatriæ, ex Auguſtino*: Ac cap. 11. *Et adducit Calvinus experientiam, quæ docet in cultu imaginum ſuperſtitionem & errorem irrepſiſſe.* Non igitur omnem imaginum uſum contumelioſè vel confidenter abjecit, ſed piè prudenterq; abuſum cavit, ne videlicet ſacroſanctus Dei cultus idololatriæ ſuperſtitione ſatanica polluatur. Agedum itaque ut clariùs cernatur, quam mirificè Bellarminus Calvinum accuſet pariter & excuſet, accuſationem ſuam repetat. *Diabolus odio Chriſti ejus imaginem exſecratur & honorando honorat.* Apologiam mox ſubtexit: *Calvinus præ reverentia Chriſti, ne idololatria cultus divinus conſpurcetur, Imagines coli vetat.* Et tamen *Calvinus* inquit, *eſt diabolo pejor.* Quæ hæc veſania, quam Proteo potius Bellarminus mutabilior, quam Calvinus diabolo nequior?

Non enim nam nobis deſunt teſtimonia aliorum quoque Pontificiorū locupletiſſima, quæ Calvini amorem pium in Eccleſiam, judiciumque ſanū in hac doctrinæ parte fuiſſe conteſtantur, ſed pauca ad Calvinomaſtiges abigendos & repellendos producere ſat habebimus. ERASMUS Rotoredamus: *Qui ſævierunt in imagines*, inquit, *non prorſus abs re concitati ſunt ad eum zelum (licet immodicū mea ſententia) nam horribile crimen eſt idololatria, hoc eſt, Simulachrorū cultus. Qui tametſi jam olim ſublatus eſt è moribus hominum tamen, periculum eſt, ne technis dæmonum eodem revolvantur incauti.* *De concordia Eccleſ.*

Propius autem ut ad cauſſam accedamus, alienum eſt à noſtro inſtituto, quæ huc ſpectant omnia huc conferre. Tātum calumniis iis occurremus, quibus in hac controverſia Calvinus iniquè & invidioſè premitur. Eis ad hæc capita, Nomen, Perſonam, cultumque ipſum revocabimus. VALENTIANUS Jeſuita lib. 3. de Idolo. cap. 8. §. Quod autem *Idolum*: inquit, *Græcè imaginem* (de ſacris imaginibus loquitur) *ſive ſimulachrum ſignificat.* Hæc ille. Et tamen poſt hæc nomina ita miſerè confundit, ut non vereatur ſimulachrorū cultum in hunc modum ex Scripturis defendere. Sed *idolum, imaginem & ſimulachrū pro eodem accipi*, teſtatur Cardinalis Palæotus l. 1. de ſacris & profanis imaginibus cap. 13. *Sanctus*, inquit, *Hieronymus ſcribit, ubi in ſacris literis Idola poſitum eſt, Aquilam figuras vel imagines interpretatum eſſe. Et apud Ciceronem legimus imagines, quæ idola nominantur. Et Plato, Idola vocamus imagines, quæ & in aquis, & in ſpeculis ſunt, & quæ picta ſunt, & quæ typis ſeu figuris expreſſa, atque alia hujuſmodi. Ita ſimulachri nomen, quod latinè dicitur, pro eo acceperunt,* *Pſal. 115. 4.* *quod eſt idolum apud Græcos quum in Latina interpretatione, ubi dicitur in Pſalmo*: Simulachro Gentium argentum & aurū; *Græcè dicuntur τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν.* Addit: *Imaginis nomen, ſi vocis proprietatem inſpiciamus*

ciamus

ciamus,impia & diabolica forma convenire. Et ſic diſtinctio imaginis & idoli non obſervata fuit,ſed pro eodem accepta à Latino interprete Deut.4.16. Et 4. Reg.11.18. Sapient. 13.& 14. Iſa. 40.18. &.44.13.Ezech.7.20.&c.

Jam ut de perſona teſtimonia producamus,ait Bellarminus lib. de Eccl. triumphant. cap.8. §.Ergo: *Calvinus ait, neſas eſſe Deo inviſibili & incorporeo imaginem corpoream & viſibilem collocare, nos Catholici contra.* At quo ſuprà §. *Hac opinio*, nonnullos Catholicos, id eſt Pontificios contra illos pro Calvino ſentire & docere ipſe fatetur,dicens: *Opinio illa Calvini,non licere pingere imaginem Dei in forma hominis,eſt etiam aliquod Catholicorum*(id eſt, Papiſtarum) *ut Albucenſis, Durandi,Pereſii, qui dicunt,hac non rectè fieri.* Ac ipſe Bellarminus tandem propemodum tergiverſatur,dicens: *Hîc ergo tantum defendimus,non eſſe in univerſum defendendas hujuſmodi imagines.* Inde Caſſander lib.conſult.art.21. *Certum eſt*,inquit,*initio prædicati Euangelii & aliquanto tempore poſt, Imaginum uſum non fuiſſe, ut ex Clemente Alexandrino & Arnobio patet.* Ac Eraſmus in Catecheſi lib.2. ait: *Uſque ad tempora Hieronymi probatæ religionis viri fuerunt, qui nullam faciebant imaginem,ne ipſius quidem Chriſti.*

Porro quantum ad cultum, dicit Bellarminus in Præfatione librorum de Sanctorum Beatitudine: *Quis Catholicorum divinum honorem imaginibus unquam detulit?* Reſpondemus. Nullus. At Pontificiorum (hos enim intelligit) nõ ſolum nonnulli, ſed innumeri & infiniti. Fatetur & teſtatur hoc Polydorus

De Inveritor cap.13. Vergilius,dicens: *Sunt bene multi rudiores ſtupidioréſque,qui imagines colunt non figuras,ſed perinde quaſi ipſa aliquem ſenſum habeant,magiſque iis credant, quam Chriſto.* Ac Cornelius AGRIPPA lib.de vanit.c. 57. *Dici non poteſt*, inquit, *quanto idololatria apud rudem populũ alatur per imagines.* Ac Joh.GERSON. *Dum imaginib. exhibēt latria cultum.* *Quaſt.de neglig. Pilato.* Ac ponente Bellarmino theſin hanc lib. 2.de Eccleſia triumph. cap.21. *Sit hac noſtra propoſitio: Imagines Chriſti & ſanctorũ veneranda ſunt,nõ ſolum per accidens, vel impropriè, verum etiam propriè, ita ut terminetur adoratio in magine, non ſolum ut vicem gerit exemplaris.* Ac cap.21. *Imagines ſunt proprie & per ſe colenda,nulla ratione habita ad exēplar*; Reſpõdet ei Gabriel Vaſquez lib.2.de Ador. diſp.2.cap 3. & 8. *Stultum hoc eſt & ſuperſtitioſum*,ac deinceps hoc accuratè evincit quatuor argumẽtis. Quid quod nihilominus ibidem Vaſquez dicente; *Veteres Scholaſtici abſolutè dicunt, imagines Chriſti eſſe colendas adoratione latria qua eadẽ fuit opinio Thoma:* Ac Alorio Inſtit.l.9. c.6. §. Tota hæc inquiente: *Conſtans eſt Theologorum* (ô Theologos) *ſententia, imaginum eodem honore & cultu coli,quo colitur id,cujus eſt imago* excipit Bellarmin. lib.2. de Eccleſia triumph. cap.22. in principio. *Hic modus loquendi non caret periculo,quique id dicunt, vix ſeſe intelligunt.* Perinde ac ſi diceret, quãdo cœcus cœcum ducit (de quo genere Chriſtus Math.15.14. loquitur)de utriuſq; ſalute eſſe penitus deſperandum. Ideo amplius Gerſon. *In declaratione defectuum Eccleſiaſt.* *Judicare*,inquit,*ſi tanta varietas imaginum & picturarum in Eccleſia expediat? & annon plures nonnunquam ſimplices ad idololatriam pervertantur?* CASSANDER itidem: *Qua fuerit mens Romana Eccleſia tempore Gregorii, ex ejus ſcriptis colligitur. Haberi nimirum picturas, nõ ut co-* *Quo ſupra.*

lerent

Digitized by Google

ratio nobis habenda eſt, juxta illud 1. Cor. 10. *Eſtote abſque offendiculo & Judæis & Gentilibus & Eccleſiæ Dei.*

Denique ad argumenta *tertii ordinis*, quæ afferunt adverſarii pro cultu imaginum, ita reſpondemus. In *primo & ſecundo & tertio* diverſiſſimas res ineptè miſceri, hoc eſt, externam & politicam reverentiam, ſeu civilem venerationem cum religioſa vereque divina adoratione confundi. Nec unquam in veteri Teſtamento eum ipſum cultum exhibitum fuiſſe aut *Cherubinis*, aut *arcæ fœderis*, aut *Æneo ſerpenti*, &c. qui nunc in Papatu *imaginibus Chriſti & ſanctorum* vulgò palàm exhibetur. In *quarto & quinto* facti tantùm, non juris, præſertim divini probationem afferri: quum nullius *Concilii* aut *Epiſcopi* tanta ſit auctoritas, ut quicquam adverſus cœleſtem veritatem ſtatuere poſſit. Imò nec perpetuam, nec univerſalem Eccleſiæ praxin hîc adduci, quum ſatis conſtet, antiquiores Eccleſiæ doctores aliter hîc ſenſiſſe, & tum ante, tum poſt ſeptimam Synodum, contrarias ſuper hac re Synodos, ab Imperatoribus & Epiſcopis Chriſtianis, præſertim Græcis habitas fuiſſe. In *ſexto & octavo* vitioſè ab eventu externo de veritate vel falſitate doctrinæ concludi, imò & falſum dupliciter aſſumi. Nam non minùs, imò magis interdum improbi & infelices fuerũt (in illis quidem certaminibus de imaginum cultu) *iconoplaſtæ & iconolatræ*, quàm *iconoclaſtæ & iconomachi*. Denique *miracula* illa aut omnino fabuloſa & falſa fuerunt, aut alium ſaltem ſcopum, quàm defenſionem iconolatriæ habuerunt. In *ſeptimo* variã eſſe aſyllogiſtiam, quia & impa-ria pro paribus, & diſſimilia pro ſimilibus ſæpè hîc accipiuntur, & ex uno rerum genere ad alterum temerè tranſitur: ſicut ex inſpectione ipſius Bellarmini lib. 2. de ſanctorum beatitudine à c. 4. uſq; ad 26. facilè cernetur. Et tantùm de imaginibus, earumq; cultu illicito. Nunc ad imaginem CRUCIS, peculiariter à Bellarmino objectam Calvino, & ſub hujus colore toti Eccleſiæ Euangelicæ, tranſibimus, ejus quoque refutationem congruam ac perſpicuam in medium allaturi.

QUANQUAM, quæ ſuprà tradidimus, ſatis etiam refellere poſſunt, quæ Papiſtæ ſentiunt atque credunt de ſigno, ligno & imagine ſanctæ *crucis Dominicæ*: tamen quum Bellarminus non modò ſingularem mentionem ejus faciat, verùm etiam inprimis acerbè ac contumelioſè Calvino contemtum ejus objiciat, differam perſpicuè & breviter quàm innocens & purus ſceleris atque hæreſeos hîc Calvinus cum ſectatoribus ſuis ſit, è contra autem cultus CRUCIS vanus atque ab officio Chriſtianorum alienus. *5. An ſignũ, lignum & imago S. crucis ſit licita.*

Aſſertiones & defenſiones quidem Crucis in tria membra dividit Bellarminus, incipiens c. 26. libri 2. de ſanct. beatitudine uſque ad finem, quæ ordine recitabimus. *Defenſio cultus crucis apud Papiſtas.*

Prius membrum eſt de *ligno* crucis Dominicæ, de quo *duo* hæc vera eſſe contendit. *Unum* eſt, ligneam illam crucem, cui Chriſtus olim affixus fuit, verè ſimul & miraculoſè ab HELENA Conſtantini Magni matre repertam fuiſſe. Nempe quia Euſebius in Chronico, & poſt eũ multi veteres idipſum magno conſenſu tradunt. *Alterum* eſt, *1. De ligno crucis.*

eandem

Digitized by Google

eandem hanc crucem, ejuſque omnia fruſtula, ſuppliciter adoranda, ſeu religioſè colenda eſſe. Ac pro poſteriore hac theſi hæc argumenta afferunt.

1. Quia Chriſtus *crucem* ſanctiſſimi ſui corporis contactu, quaſi conſecravit, & ſanguinem ſuum largiter in ea profudit: ita ut inter *reliquias Chriſti*, non immeritò recenſeri poſſit, quum portio quædam ſanguinis Chriſti ſemper illi adhæſerit.

2. Quia idem Chriſtus, Scriptura teſtante, redemptionem generis humani per eam, atque in ea, tanquam in ara Deo conſecrata peregit. Imò velut trophæum & inſigne victoriæ de Satana & morte reportatæ eandem erexit, juxta illud Col. 1. 20. *Per ſanguinem crucis omnia reconciliavit Deo.* Et cap. 2. 14. *Chirographum, quod erat nobis contrarium ſuſtulit affixum cruci.* Ergo propter hanc conſecrationem crux adoranda eſt.

3. Quia magna & admiranda ſunt hujus crucis *myſteria*: ſive formam ac modum ſtructuræ, ſive Chriſti in ea pendentis expanſionem, ſive dimenſionem ejuſdem crucis, hoc eſt, longitudinem, latitudinem, &c. ſpectemus, juxta illam Apoſtoli alluſionem Eph. 3. 18. *Ut valeatis aſſequi cum omnibus, quæ ſit latitudo & longitudo & profunditas & ſublimitas, &c.*

4. Quia hiſtoria inventionis ſimul & exaltationis hujus crucis abũdè teſtatur, religioſum ejus cultum Deo omnino probari: quippe quæ utraque miraculis referta eſt, &c.

2. *De cultu crucis.* *Altero* membro pugnat pro cultu crucis, & imaginem ejus in templis erectam, ſive pictam, ſive ſculptam, ſive fuſam, minore quidem cultu, quàm quæ veræ cruci debetur, ſed tamen religioſo afficiendam eſſe affirmat tribus potiſſimùm rationibus.

1. Quia crucis imago, juxta veterum interpretationem, eſt *ſignum illud filii hominis*, quod Chriſtus ipſe aliquando in nubibus appariturum eſſe teſtatur. Unde ſequitur, hãc imaginem à Chriſto præ aliis exaltatam, & proinde nobis ſuppliciter adorandam eſſe. *Math. 24. 30.*

2. Quia ſignum hoc olim Conſtantino Magno divinitùs oſtenſum fuit, addita hac inſcriptione: *In hoc vinces*, &c. Unde poſtea factum eſt, ut Imperator idem hoc ſignum in ſuo *labano*, ſeu vexillo, ſemper à militibus adorari voluerit, &c. Quare & nobis adhuc adorandum eſt.

3. Quia juſtum & decorum eſt, ut imagines rerum ſacrarum, præſertim in rebus ſacris conſtructæ, religioſè colantur: videlicet ob cauſſam, ſuprà de cultu imaginum in genere ſatis explicatam. Atqui crux Chriſti res ſacra eſt: ſicut ex ſuperiore membro patet. Ergo & imago ejus colenda.

Tertium membrum agit de *ſigno crucis tranſeunte*, quod in fronte vel pectore ſignatur. Ac tradit in ſumma, non tantùm utiliter, ſed & neceſſariò in omnibus rebus atque actionibus à Chriſtianis uſurpari, quippe quod ex opere operato ſimul & operantis vim habeat ſanctificandi, terrendi & fugandi dæmones, pellendi morbos & omnia mala, &c. Hæc tribus rationibus evincere nititur. 3. *De ſigno crucis.*

1. Quia jam olim per varios & myſteriorũ plenos *typos* in veteri Teſt. adumbratum fuit puta per *cancellatas Jacobi Patriarchæ manus*, quas ita decuſſatim

ſimile eſt, nullam etiam in hac cauſſa probandi vim habet, ut pote merè humanum, nec ullo certo Dei teſtimonio approbatum, præſertim quũ hiſtoria ipſa non per omnia certæ veritatis ſit. Quin ipſum ſignum quo vicit *Conſtantinus* non fuit ſignum Crucis, ſed nominis Chriſti character, qualis cernitur in multis antiquis numiſmatis Cõſtantini, & aliorum Chriſtianorum Imperatorum. Qualis etiam eſt hic, quem ſic apponi curavimus unà cum hac inſcriptione, τούτῳ νίκα, vel (ut habent Socrates lib. 1. cap. 1. Niceph. lib. 7. cap. 29. & Zonaras in Conſtantino) ἐν τούτῳ νίκα, hoc eſt, *in iſto* videlicet DEO, non SIGNO (nam id literæ & characteres oſtenderunt) *vince*. Denique de cultu crucis ſatisfacere poſſunt, quæ ſupra de cultu imaginum in genere accepto attulimus. Nec crux fuit à veteribus culta & adorata, minus latriâ adorata. Veneratio tantùm ei tributa fuit, id eſt, uſus cum reverentia, eamq́; uſurparunt in teſtimoniũ fidei ſuæ, ſimulq; laudarũt crucem quatenus fuit ſignũ intrepidæ fidei in Chriſtũ crucifixũ corã Ethnicis, etiã dum illi pœnas minarẽtur. Hic uſus & finis jã nõ habetur, nec haberi debet, quia non ſumus mixti Gẽtilib. aut Judæis. Arnobius lib. 8. *Cruces*, inquit, *nec colimus, nec optamus*. Ambroſius de obitu Theodoſii Imperatoris part. 3. l. 5. fol. 51. d. *Invenit Helena*, inquit, *titulum* REGEM ADORAVIT, *non lignum utique, quia hic Gentilis eſt error, & vanitas impiorum*. CRUX tamen cœpit paulatim à quibuſdam adorari circa annum demum 400. à natali Soſpitatoris, quod ex Prudentio colligitur qui libro Apotheoſis.

Signum quo vicit Conſtantinus.



- - - *jam purpura ſupplex*
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Chriſti,
Vexillũq; crucis ſummus dominator adorat.

Paulinus epiſt. 11. *crucem* ait *Epiſcopus* (nempe urbis Hieroſolymæ) *quotannis cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe adorantium promit*. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait, Eam proſtratã ante crucem, quaſi pendentem Dominum cerneret, adoraſſe. Et epiſt. 17. ad Marcellam, *Paula & Euſtochium* optant ſibi licere crucis lambere lignum. *Apamenſes* anno Domini 540. productam in medium crucem adorant & amplexantur, ſcribit Evagrius lib. 4. cap. 25. Quæ ideò recenſemus, ut videatur ſerũ hujus σταυρολατρείας initium, & quod hæc exempla ſint facti, non juris. Ideo pòſt, Imaginẽ Chriſti λατρείᾳ colendam, ac proinde multò magis crucem, negavit Synodus Ncena 2. Actione 7.

Poſtremi etiam membri argumenta planè ſophiſtica ſunt, quum falſum ſit, *ſignum crucis* fuiſſe in locis Scripturæ per typos olim præfiguratum: Aut vim aliquam ſpiritualem dæmones ejiciendi, item morbos propellendi, denique nos noſtraque ſanctificandi, & quidẽ ex opere operato, &c. vel olim unquã habuiſſe, vel etiam nunc habere: ac proinde adhuc neceſſario uſurpandũ eſſe. *Praxis* autem *veterum* præterquam quòd alio modo & fine, quam quę nũc regnat, inſtituta fuit, nullum etiam præjudicium per ſe nobis afferre poteſt, ut pote merè humana, & per ſe ad minimum adiaphora, &c.

Majoris verò ponderis eſſe poterũt hæ noſtræ ſolutiones, contra externum uſum, adorationem, imaginem, ſignũque

Digitized by Google

Rationes & argumenta Euangelicorum contra crucis uſum extremum & religioſum.

que crucis allatæ, ſi jam quoque noſtras Euangelicorum rationes atque argumenta proferam, quibus talem crucis uſum in univerſum fugiendum atque profligandum cenſent.

Nam *de lignea Chriſti cruce vera*, in qua Chriſtum olim pependit, *duo* quædam hic neceſſariò aſſerimus Adverſariorũ & doctrinæ & conſuetudini contraria. Unum eſt. Non magnopere de hoc cõtendendum eſſe ſive vera, ſive ſuppoſitia fuerit illa crux Chriſti, quam *Helena* mater Conſtantini Magni Imperatoris olim Hieroſolymis inveniſſe dicitur. Et multo credibilius eſſe, ipſam *Helenam* ex fœminea quadam, hoc eſt, exceſſiva & ſuperſtitioſa devotione potiùs, quàm ex ſingulari Spiritus ſancti inſtigatione, crucem illam tam ſtudioſè quæſiviſſe, ſi modò hiſtoria ipſa per ſe quoque non eſt fabuloſa, & in dubium vocari meretur.

Contra lignum crucis.

Joh. 4. 24. Nam 1. Sive vera, ſive falſa fuerit illa crux, nihil inde Religioni Chriſtianæ vel accedit, vel decedit, quippe quæ tota ſpiritualis eſt: & ejuſmodi res externas à Deo minimè præceptas, ſed Exod. 20. 4. diſertè ac graviter vetitas, minimè curat. Quæque jam ante per 300. atque adeò 400. circiter annos incorruptè tradita, religioſè ſervata fuerat, quum tamen nemo illud crucis lignum vel ſciret vel curaret. Ergo ne nunc quidem, ſi incorruptam religionis puritatem amamus, hoc lignum magnifaciendum eſt, nec de eo quale aut ubi ſit, anxiè laborandum.

2. Ex hiſtoriis patet illorum temporum, una cum externa pace & opulentia, quæ ſub Conſtantino Magno cœpit, creviſſe etiam ſuperſtitionem & cupiditatem nimiam rerum externarum, contraque veram pietatem & fidei ſinceritatem magis ac magis ab illo tempore decreviſſe. Nam hoc fatetur *Euſebius* paſſim, præſertim lib. 8. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Unde non ineptè colligitur, *Helenam* quoque ſui ſeculi mores ſequutam, non ex divino inſtituto, ſed ex ſuo quodam proprio motu, hoc ex curioſitate, ut ſaltem pio fortaſſe, ſed tamen muliebri & imprudenti zelo crucem illam, quæ poſtea multiplicis idololatriæ ſeminarium facta eſt, tam operoſe inquiſiviſſe, & tanto ſtudio eã ejusque fruſtula quædam aſſervari voluiſſe.

3. Denique prædictus *Euſebius*, licet in Chronico ſuo aliquam mentionem hujus faciat, in libris tamen Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, item de vita Constantini Magni, præſertim lib. 3. (ubi multa etiam de Helena narrat, deque repurgatione montis Calvariæ) hujus inventionis S. crucis nihil meminit. Et qui poſtea ejus meminerunt, non parùm inter ſe diſcrepant in ejus circumſtantiis enarrandis. Ut non temerè ſuſpicari quis poſſit hiſtoriam ipſam aut omnino fabuloſam, aut ſaltem in aliquot ſuis partibus incertam & dubiam eſſe. Cruces certè in Eccleſia caruerunt imagine crucifixi per annos à Chriſto 500. aut amplius, & contrariũ doceri ex probata antiquitate non poteſt. Videtur iſtiuſmodi imago publicè primùm invaluiſſe circa annum Chriſti 710. ut è Synodo Trullana conſtat, quæ can. 82. decernit. *Ut quod perfectum eſt, vel colorum expreſſionibus omnium oculis ſubjiciatur, ejus qui tollit peccata mundi, Chriſti*

Digitized by Google

Chriſti Dei noſtri, inſtar hominis. Characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno ſtatui jubemur. Sed res ipſa per ſe nullius momenti, nec voluntatis Dei eſt, quæ talia potiùs Exod. 20. Joh. 4. prohibet. Optandum ergo potiùs eſſet, reſpectu habito ad eventum valdè periculoſum & pernicioſum, crucẽ illam nunquam ab Helena inventam fuiſſe.

Contra cultum & adorationem crucis. *Alterum* ſententiæ noſtræ caput eſt, lignum vel imaginem crucis Dominicæ neque cultu *latriæ*, ſeu merè divino (quod *Thomas* tamen apertè aſſerit) neque ullo *religioſo cultu*, præſertim propriè & per ſe (quod Bellarminus & pleriquealii Papiſtæ docent) afficiendam eſſe: ſed eodem planè loco, inque eodem rerum gradu habendam, quo *lanceæ*, aut *clavi*, aut *virgæ*, aut *baculi*, quibus Chriſtus olim percuſſus, aut vulneratus fuit. Item, quo *columna*, cui alligatus: *ſpongia*, quâ potatus: *ſpina*, quibus coronatus fuit, & cætera id genus inſtrumenta paſſionis ac mortis Dominicæ, habenda ſunt. Quæ fortaſſis ad conſervandam ipſius rei geſtæ memoriam, ſive ad uſum merè hiſtoricum, ubi verè habentur, abſque peccato aſſervari poſſunt: adorari verò ac coli religioſè abſque idololatriæ crimine nequeunt: ut de reliquiis probavimus ſuis locis.

Nam *primùm* aperta Idololatria eſt, etiam Adverſariis interdum ultrò fatentibus, quum *latria* cultus alicui creaturæ impenditur. Ergo opinio *Thomæ* & ſequacium ejus hac in parte damnanda eſt: quippe qui crucem Domini hoc genere divini cultus ſimpliciter & per ſe part. 3. quæſt. 25. art. 3. & 4. &c. afficiendam eſſe docent.

Secundò, Non minùs vera, etſi non ita confeſſa idolodulia, imò & idololatria eſt, quum vera θρησκεία ſeu religioſus cultus (puta *dulia vel hyperdulia*) rebus creatis, & quidem brutis ac mutis, hoc eſt, neque ratione, neque ſenſu, neque vita præditis, exhibetur. Ergo & Bellarmini, aliorumque Papiſtarum opinio ſimiliter averſanda eſt: quippe qui cultum iſtum divinum ac religioſum ligneæ cruci, ejuſque fruſtulis omnibus, deferendum eſſe contendunt.

Tertiò, inepta & craſſa *ſuperſtitio* eſt, ea religioſè colere, & devotè ac ſuppliciter oſculari atque adorare, quæ olim ab hoſtibus Chriſti ad ipſum Chriſtũ affligendum & excarnificandum, velut exquiſita inſtrumenta crudeliter adhibita fuerunt, quaſi videlicet infandam illorum crudelitatem, itémq; acerba hujus ſupplicia & cruciatus, iſta ratione tacitè approbemus: quum tamen omnes verè pii ac ſapientes iſta potiùs in ſeipſis deteſtanda eſſe noverint. Act. 2. 23. & 3. 14. 15.

Quartò, lignum crucis neque inter veras corporis Chriſti *reliquias* (quales certè nullæ uſpiam in mundo extant) neque inter veras ejuſdem imagines, aut ſigna ipſum verè repræſentantia, referri poteſt. Ergo nec per ſe propriè, nec per accidens impropriè religioſo cultu afficiendum eſt, etiamſi alioqui conſtaret, & illas per ſe & has per accidens ita colendas eſſe: cujus contrarium tamen ſuprà ſatis evicimus.

Quintò, ſi crucis imago ſive picta, ſive ſculpta, ſive fuſa, ſive ex auro, argẽto, ſtanno, cupro, ſive ex lapide, ſive alia quacunque materia conſtans, pro-

præterea ſuppliciter & religioſè veneráda atque adoranda eſſet, quia verum illud crucis Dominicæ lignum repræſentat, eadem ratione omnes infantiũ *cunas*, aut *præſepia* omnia, omneſque virorum *togas ac veſtes, imò omnes virgas, coronas, baculos, claves, lanceas, ſpongias, flagella*, omnes deniq; *aſinos & aſinas* ſuppliciter venerandas eſſe: quippe quæ omnino ſignificent, & quodammodo nobis repræſentent ea *præſepia*, eas *cunas*, in quibus Chriſtus olim infans jacuit: easque veſtes, quibus olim indutus fuit: item eas *virgas, baculos, lanceas, flagella*, quibus olim ſacrum ejus corpus percuſſum & laceratũ fuit, omnes eas *ſpongias*, quibus olim potatus fuit: denique eum aſinum vel aſinam, quâ aliquando vectus ſanctam urbem intravit. Hæc enim omnia ſacrum Chriſti corpus attigerunt. At ſi hoc non modò ridiculum & abſurdum eſt, verum etiam abominandum & deteſtãdum: tum illud quoque tale & eſt & cenſeri meritò debet.

Sextò, imagines crucis veræ & propriæ novi Teſtamenti ſunt doctrina ſive prædicatio Euangelii, & omnia alia, quæ ex inſtituto Dei ad eam pertinent. Gal. 3. 1. Nam Apoſtolus: *Quis vos faſcinavit*, inquit, *ut non obediretis veritati, quorum ob oculos Chriſtus fuerat ante depictus, inter vos crucifixus?* Unde conſequitur prædicationem verbi, cui adminiſtratio Sacramentorum eſt appenſa, excellentiſſimam & expreſſiſſimam eſſe picturã & imaginem, qua Chriſtus cum omnibus ſuis beneficiis nobis ad vivum repræſentatur. Nec quicquam diſſentimus ab Origene, qui l. 8. contra Celſum ait: *Sunt prætereà nobis & ſimulachra & Deo digna oblationes, non per impuros aliquos opifices fabricata, ſed per Dei verbum in nobis edita & formata, virtutum ſcilicet exempla & ſtructura, quæ imitatrices ſunt Chriſti.* Quaſi dicat, Chriſtianos ipſos eorumque converſationem laudabilem eſſe Chriſtianorum imagines.

Tertium ſententiæ noſtræ caput eſt de *ſigno crucis*, quod manu vel digito in aëre fortè formatur, aut in fronte vel pectore ſignatur. *Contra ſignum crucis.* De hoc invenimus, crucem tranſeuntem, id eſt, ſignum crucis in uſu apud puriorem Eccleſiam communiter fuiſſe, non permanentẽ, id eſt, crucem è ligno aut metallo cõpoſitam, aut etiam pictam in Eccleſiis vel oratoriis per annos à Chriſto 400. Crucem quoque nunquam adhibitã fuiſſe ad ſignandum Sacramenta, niſi circa 400. annum. Nam annis à Chriſto 300 fuit ſignum externæ profeſſionis fidei in vita communi, ut qui ſe ſigno crucis vel in fronte, vel pectore, vel aëre ſignabant, ea ratione ſe inter Ethnicos & Judæos declararint eſſe Chriſtianos, quos Chriſti crucifixi nõ pudeat, quin in eo ſpem ac fiduciam ſalutis figant, & fixam teneant. Veteres ſe cruce hujuſmodi contra dæmones munierunt, non quod externo ſigno crucis tantam vim & efficaciam aſcripſerint, ſed hac ſolenni ceremonia ſuam fiduciam in crucem, id eſt, mortem Chriſti apud alios teſtari, & quodam quaſi monitorio fidẽ excitare voluerunt, quæ victoria noſtra eſt omnia mala depellens. 1. Joh. 5. 4. 5. Senſim quoque ad conſignationẽ catechumenorum vel infantum circa Baptiſmum ceremonia crucis adhiberi cœpit. Tandem cœptum eſt etiam ſignum crucis uſurpari

&

& admoveri in cœna Dominica, primò quidem, ut ſignaret nobis Chriſti bona, ut ex Auguſtino tract. 118. in Johannem conjicitur. Tum poſtea, ut per eam benedictio Sacramenti & cõſecratio fieret. Sed tamen ſignum crucis primò per multa ſecula fuit in Sacramenti adminiſtratione ſimplex ritus: poſtea verò circa annum 1000. mutato ritu ſemper eſt adhibita in numero impari, teſte Micrologo cap. 14.

Quid ampliùs? Veteres ſigno crucis muniri animam dixerunt: Vel ex ſententia Montani, ut Tertullianus lib. de reſurrectione carnis: *Caro*, inquit, *ſignatur, ut & anima muniatur:* Vel dubitanter, teſte Auguſtino de peccatorum meritis & remiſſione cap. 26. lib. 2. dicente: *Catechumenos ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis* Puto *ſanctificari*. Ubi verba, *ſecundum quendam modum, & puto*, expendenda. Significant enim Auguſtinum de iſto ritu addubitaviſſe: & ſanctificationem fieri dicit non per ſolam crucem, ſed per Orationem.

Miracula à Deo fiebant ad ſignum crucis, inquiunt Adverſarii & quidam veteres. Sit ita. Habebat enim adjunctam nominis crucifixi vel manifeſtã vel tacitam invocationem, ac poteſtatem faciendi miracula, ut Tertullianus in Scorpiaco & contra Gnoſticos ait: *Nobis fides præſidium, ſi non & ipſa percutitur differentia ſignandi.* Et mox: *Hoc* Act. 28. *modo*, id eſt, ſignando, *Ethnicis ſæpè ſubvenimus, donata à Deo ea poteſtate, quam Apoſtolus dedicavit, quum morſum viperæ ſprevit.* Et proinde non ſigno, ſed fidei miraculorum, & invocationi Chriſti miraculum & depulſionem dæmonũ tribuenda. Lactantius de vera relig. lib. 4. cap. 27. ait: *Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet, qui viderit, quatenus adjurati per Chriſtum de corporibus, quæ obſederant, fugiunt.* Et paulò poſt: *Chriſti ſectatores eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis excludere.* Sermone 19. de ſanctis apud Auguſtinum: *Hoc curſum noſtrum dirigit, &c. hoc facit cum fideli* Invocatione *nominis Chriſti, victorioſa crucis inſignita memoria.* Cyrillus Catecheſ. 13. *Hoc ſignum oſtenta fortiter: quando enim dæmones crucem viderint, recordantur crucifixi.* Ut verbo dicam, Veteres mira tribuunt non tam ſigno crucis, quàm orationi & precibus. Vide *Nazianzenum* ad Nemeſium, *Origenem* contra Celſum lib. 3. & 8. *Theodoretum* in Petro & Thalaſſio, *Euſebium* lib. 8. hiſt. cap. 7. *Sulpitium* epiſt. 1. ad Euſebiũ Preſbyterum, *Authorem Dialogorum* apud Gregorium lib. 1. Dial. cap. 1. *Victorē* lib. 2. de perſequutione Vandelica, Paulinum lib. 2. de vita ſancti Martini. Imò ſignum crucis, prout eo utebantur veteres, fuit tacita quædam Chriſti crucifixi invocatio. Figmentum ergo eſt, valuiſſe eam ex opere operato, quæ omnem ab invocatione vim accepit.

Quid ergo etiamnum hodie de hoc ſigno ſentiendum & faciendum? NB. Alii Euangelicorum & orthodoxorum in ſumma ſentiunt, *rem* eſſe per ſe prorſus *adiaphoram*, ſi modò ſuperſtitio abſit, & opinio illa magica de ſpirituali ac divina hujus ſigni virtute ad morbos ſimul & dæmones fugandos, & res profanas ſanctificandas. Hæc enim opinio, præterquam quod nullo ne-

que *Scriptura* neque *natura* fundamento nititur, etiam in ipſam veram Chriſti crucem, hoc eſt, paſſionem ac mortem, ſive in ipſum Chriſtum crucifixũ vehementer injuria eſt, ut quæ propriã Dei & Chriſti virtutem (puta ſpiritualem illam efficaciam nos ſanctificandi, Diabolos exturbandi, morbos abigẽdi) rebus inanimis, imò pictis ac fictis, ſi non apertè & directè, ſaltem obliquè & reipſa tandem adſcribit. Unde etiam idololatria ſpecialis, tum interna, tum externa, paulatim emergere ſolet: prout experientia in Papatu ſatis ſuperque hactenus oſtendit.

Summatim, extra hanc magicam opinionem & praxin planè ſuperſtitioſam, ipſam crucis ſignationem nõnulli Euangelici & orthodoxi per ſe minimè damnant: ſed, ut ante diximus, inter adiaphora numerant. Quam & olim, dum dona ſanationum aliorumq; miraculorum adhuc vigebant, in expellendis dæmoniis, morbis, ſanctificandisq; hominibus ac reb. inter alios & externos ritus, tanquam ſignum quoddam compendiarium Chriſtianæ profeſſionis, fortaſſe non inutiliter adhibitum fuiſſe, facilè concedunt. Nunc tamen donis illis jampridem ceſſantibus neceſſariò adhuc uſurpandam, aut aliis peregrinis uſibus adhibendam eſſe crucis conſignationem, ut conſtanter, ita jure & meritò negant.

Alii ergo removent inter Euangelicos & orthodoxos prorſum ceremoniam hanc, utendi ſigno crucis vel in fronte, vel pectore, vel aëre, tamque in Baptiſmo quã Euchariſtia. Inter quos Theodorus Beza epiſtola 8. p. 63. rationem affert, quam omnibus orthodoxis & veris Euangelicis ſequendam monet: *Crucis verò conſignatio*, inquit, *etſi vetuſtiſſima eſt, tamen quid utilitatis afferat, ſanè non video. Et quamvis mirificè & prorſus* ὑπερβολικῶς, *à Chryſoſtomo præſertim, quaſi quadam religionis Chriſtianæ ſumma commendatur, tamen quum neque auctoritate verbi Dei, neque ullo Apoſtolorum exemplo* (ἀπόκρυφα *enim illa nihil moror*) *nitatur, id eſt, quum omni Dei verbo deſtituatur, nec ſanè etiam ad decorum ullo modo pertineat: denique quum maximè abominanda ſuperſtitioni & omnium horribiliſſimæ illi hyperduliæ crucis primum aditum patefecerit, multò minùs velim inter* ἀδιάφορα *numerare, quàm aneum illum ſerpentem Ezechias. Cujus quidem ſanctiſ-* 2 Reg. 18. 4.
ſimi regis hac potiſſimùm in re, id eſt, in evertendis crucis & crucifixorum idolis exemplũ imitari Chriſtianos omnes Principes ſanè oportuit.

Adhæc ullam à Chriſto Euchariſtiæ conſecrationem cruce factam, negat *Amalarius*, eamque aſcribit Auguſtino. Chryſoſtomus: *Crucem*, inquit, *non ſim-* Hom. 55.
pliciter digito in corpore, ſed magna profectò in Math.
fide in mente formare oportet. Ergo crux non ſignificat ipſum ſignum crucis, ſed per metonymiam crucifixi Chriſti paſſionem. Origen. in epiſt. ad Rom. 6. Et ſigni crucis laudes apud veteres ſunt tantummodò rhetoricationes: ut quũ dicitur *ara* & *altaria*, tropica locutio eſt à legalibus: & quum dicitur *ſcala* hyperbolica eſt metaphora. Atque ad omnia dicta Patrum, *ubi crucem, ſpem, redemptionem, & ſalutem*, &c. eſſe volunt, reſpondemus intelligenda eſſe *relativè*, ut referantur ad paſſionem Chriſti, vel ad ipſum crucifixum Chriſtum, ſi-

gno

Digitized by Google

gno crucis repræſentatum. Nam apud eos tritum eſt, contenti nomen continenti tribuere.

Concluſio de cruce.

Quod igitur ad Calvinum in ſcenā hîc à Jeſuita productum, negat is ſuperioribus omnibus ſingulis rationibus atque argumentis inductus ac cōfirmatus, merito & jure, tum omnem imaginem tum inprimis crucem eſſe venerandam ſeu adorandam & colendam ullo modo. Nam multiplex varia & execrabilis idololatria eſt cultus, veneratio & adoratio tam ullius imaginis, quàm ſanctæ crucis. In quo diabolum non fratrem, ut calumniatur Bellarminus, ſed hoſtem habet, qui amat idololatriam.

Et quàm puerile ac ridiculum eſt, quod Jeſuita dicit, *diabolum crucem execrari, quia eam timeat & timendo honoret: Calvinum autem exſecrari, quia deſpiciat atque irrideat?* Nam iſtas ligneas, & lapideas, & metallarias, & ſignatas digito cruces diabolus non magis timet, quā lignum, & lapidem, & metallum & digitum. Quid enim metueret in cruce, num materiam? ut ea eſt nihil aliud quam lignum, aut lapis, aut metallum aut ſignum, lineamentum, umbra, color, vibex, aut aliud quid ejusmodi, quæ timorem incutere non poſſunt. Num formam? non magis certè, quam duas in ædificio tranſverſas trabes? Ergo non timet crucem ab hominibus factam aut ſignatam omnino.

Effectus crucis in genere quidem mirabiles recenſet ibi Jeſuita lib. 2. de Sanct. Imaginibus cap. ultimo. *Primo*, inquit, terret & fugat dæmones, 2. pellit morbos & omnia mala. 3. Sanctificat ea, quibus imprimitur. Sed hæc ex Scripturis probari non poſſunt. Superioribus argumentis & rationibus noſtris redarguuntur. Imò auferunt Christo ſuum honorē & gloriam quā ſibi unicè vendicat, Math. 11. 5. & 12. 28. 29. 1. Joh. 3. 8. & 2. 3. Heb. 9. 14. & 10. 10. 14. Et annon ſacræ literæ in hoc verſantur, ut nobis commendēt crucem, hoc eſt, paſſionem & mortem Domini noſtri JESU CHRISTI, ejusque merita ſapiētiæ, juſtitiæ, ſanctificationis, juſtificationis & redēptionis nobis per hāc acquiſitæ. *1. Cor. 1. 30.* Ubi craſſiſſima eſt Pontificiorū nō tā ruditas & imperitia, quā temeritas & impudentia, ad figurā ſeu ſignū crucis torquentiū ea Scriptura dicta, quæ de cruce, id eſt, paſſione morte & ſatisfactione Chriſti, ejusq; obediētia in cruce Deo Patri perfectiſſimè pro nobis præſtita loquuntur. Quæ homonymia illis non ingrata eſt, ut ſe data opera rudes oſtendant aut callidos ac confidentes & malitioſos, qui lucē tenebras, & tenebras lucem dicant, aliās autem de eruditionis palma cum aliis certare geſtiunt.

Taceo latam feneſtram non tam ſuperſtitionum plurimarum, quam magicarum artium, quam ſignum crucis frequenter adhibendo aperiunt, teſte experientia, quod maximum eſt impietatis facinus præter idololatriam quæ ſimul committitur, ut nemo ſanæ mentis poteſt inficiari. Noſtrum igitur quiſque cum S. Paulo ſentit: *Non quicquam ergo novi, niſi* JESUM CHRISTUM *cúmque crucifixum*, 1 Cor. 2. 2. quo ab hæreſi abſumus.

Ac optimè idcirco etiam res Calvini habet, quod non à parvæ auctoritatis & doctrinæ & prudentiæ viris, ex i-

Digitized by Google

ciamus, impia & diabolica forma convenire. Et ſic diſtinctio imaginis & idoli non obſervata fuit, ſed pro eodem accepta à Latino interprete Deut. 4. 16. Et 4. Reg. 11. 18. Sapient. 13. & 14. Iſa. 40. 18. & 44. 13. Ezech. 7. 20. &c.

Jam ut de perſona teſtimonia producamus, ait Bellarminus lib. de Eccl. triumphant. cap. 8. §. Ergo: *Calvinus ait, nefas eſſe Deo inviſibili & incorporeo imaginem corpoream & viſibilem collocare, nos Catholici contra.* At quo ſuprà §. *Hac opinio*, nonnullos Catholicos, id eſt Pontificios contra illos pro Calvino ſentire & docere ipſe fatetur, dicens: *Opinio illa Calvini, non licere pingere imaginem Dei in forma hominis, eſt etiam aliquod Catholicorum* (id eſt, Papiſtarum) *ut Albucenſis, Durandi, Pereſii, qui dicunt, hæc non rectè fieri.* Ac ipſe Bellarminus tandem propemodum tergiverſatur, dicens: *Hic ergo tantum defendimus, non eſſe in univerſum defendendas hujuſmodi imagines.* Inde Caſſander lib. conſult. art. 21. *Certum eſt*, inquit, *initio prædicati Euangelii & aliquanto tempore poſt, Imaginum uſum non fuiſſe, ut ex Clemente Alexandrino & Arnobio patet.* Ac Eraſmus in Catecheſi lib. 2. ait: *Uſque ad tempora Hieronymi probatæ religionis viri fuerunt, qui nullam faciebant imaginem, ne ipſius quidem Chriſti.*

Porro quantum ad cultum, dicit Bellarminus in Præfatione librorum de Sanctorum Beatitudine: *Quis Catholicorum divinum honorem imaginibus unquam detulit?* Reſpondemus. Nullus. At Pontificiorum (hos enim intelligit) nõ ſolum nonnulli, ſed innumeri & infiniti. Fatetur & teſtatur hoc Polydorus Vergilius, dicens: *Sunt bene multi rudiores ſtupidioréſque, qui imagines colunt non figuras, ſed perinde quaſi ipſa aliquem ſenſum habeant, magiſque iis credant, quam Chriſto.* *De Invent. rer. cap. 13.* Ac Cornelius Agrippa lib. de vanit. c. 57. *Dici non poteſt*, inquit, *quanto idololatria apud rudem populũ alatur per imagines.* Ac Joh. Gerson. *Dum imaginib. exhibet latria cultum.* *Quæſt. de neglig. Pilato.* Ac ponente Bellarmino theſin hanc lib. 2. de Eccleſia triumph. cap. 21. *Sit hæc noſtra propoſitio: Imagines Chriſti & ſanctorũ venerandæ ſunt, nõ ſolum per accidens, vel impropriè, verum etiam propriè, ita ut terminetur adoratio in imagine, non ſolum ut vicem gerit exemplaris.* Ac cap. 21. *Imagines ſunt propriè & per ſe colendæ, nulla ratione habita ad exẽplar*; Reſpõdet ei Gabriel Vaſquez lib. 2. de Ador. diſp. 2. cap. 3. & 8. *Stultum hoc eſt & ſuperſtitioſum*, ac deinceps hoc accuratè evincit quatuor argumẽtis. Quid quod nihilominus ibidem Vaſquez dicente; *Veteres Scholaſtici abſolutè dicunt, imagines Chriſti eſſe colendas adoratione latria quæ eadẽ ſuit opinio Thomæ:* Ac Alotio Inſtit. l. 9. c. 6. §. Tota hæc inquiente: *Conſtans eſt Theologorum* (ô Theologos) *ſententia, imaginum eodem honore & cultu coli, quo colitur id, cujus eſt imago* excipit Bellarmin. lib. 2. de Eccleſia triumph. cap. 22. in principio. *Hic modus loquendi non caret periculo, quique id dicunt, vix ſeſe intelligunt.* Perinde ac ſi diceret, quãdo cœcus cœcum ducit (de quo genere Chriſtus Math. 15. 14. loquitur) de utriuſq; ſalute eſſe penitus deſperandum. Ideo amplius Gerſon. *Judicare*, inquit, *ſi tanta varietas imaginum & picturarum in Eccleſia expediat? & annon plures nonnunquam ſimplices ad idololatriam pervertantur?* *In declaratione defectuum Eccleſiaſt.* Cassander itidem: *Quæ fuerit mens Romanæ Eccleſiæ tempore Gregorii, ex ejus ſcriptis colligitur. Haberi nimirum picturas, nõ ut colerent* *Quo ſupra.*

Digitized by Google

letentur, ſed ut per eam imperiti rerum geſtarum admonerentur. Sed Agrippa lib. de Vanitate ſcient. cap 57. *Judei*, ait, *qui erāt Dei populus nihil magis horrebāt*, inquit, *Joſephus, quam ſimulachra. Ipſi Ethnici quū ad Chriſti religionem converterentur, in Eccleſiam noſtram ſimulachra & multas ſteriles ceremonias introducebāt, quarum omninò* Nihil *eſt apud primos illos & verè Chriſtianos.* Apertius tamen & fortius Polydorus Virgilius lib. 6. de Inven. cap. 13. *Omnes veteres Patres*, inquit, *teſte Hieronymo ſimulachrorum cultum damnabant.* Ac Caſſander paulò ante ſcripta emendās & indicans non in uſu admonitionum de rebus geſtis manſiſſe imagines, ſed contra Dei legem in idololatriam degeneraſſe, addit: *Quomodo Eccleſia nomen tueri poteſt, quæ talem doctrinam in conſuetudinem recepit, qua Chriſti meritum obſcuretur Deo proprius honor eripiatur & creaturis vendicetur?* Omitto plura alia, quæ oſtenduntur & docentur ab ipſis Pontificiis, ut teſtentur, quàm nec Apoſtolicus & antiquus; nec probatus ſit imaginum & crucis cultus, ſed novus, abſurdus, gravis, iniquus, impius minimeque Chriſtianus.

III. Pontificios ex imaginū & crucis cultu hæreſeos varie argui.

Unde conſequi neceſſe eſt, non Calvinum, nec qui ſub latere ejus punguntur Calvinianos, hæreſi propter neglectum imaginum atque crucis cultum teneri, ſed potiùs Papiſtas ſtudioſè & inſano modo cultui illi deditos, ſeſe ſic hæreticos reddere. Hoc inductione exemplorum comprobari poteſt non leviter. Nam Papiſtæ vulgò ac palam complures hæreſes, ab antiquis hæreticis introductas, & uſitatas, à Conciliis verò ſeu ſanctis orthodoxiſque Patrib. damnatas retinent & exercent,

Staurolatræ tum inde dicti ſunt olim, quia cruci latriam detulerunt, tum ideò hæreſeos damnati ſunt. † *Niceph. hiſt. Eccleſ. 18. c 35. 53. 54. & lib. 14. 45.*

Ejuſdem criminis condemnati ſunt *Armeni* & *Jacobitæ*, quia fingebant & adorabant imagines Dei Patris & Spiritus ſancti.

Anthropomorphitæ pro hæreticis id circo habitos, quod anno 949. Deum habere membra humana credebant, & ut talem colebant, non modò Iſidorus & Thomas 1. contra Gentes, cap. 21. teſtantur, ſed etium Alphonſus de Caſtro lib. 5. de hæreſ. tit. Deus, ubi dicit: *Hæreſis Anthropomorphitarum fuit, quâ creditur Deum ex humanis membris conſiſtere.* Ad quæ Bellarminus lib. 2. de imaginibus cap. 8. *Niſi idiotæ*, inquit, *à concionatoribus inſtituantur, membra, quæ in hac pictura cernuntur, eſſe metaphoricè accipienda, fateor* NON SINE PERICULO *exhiberi.*

Montaniſtas fuiſſe hæreticos, quando ſigno crucis muniri animam dixère, ſuprà ex Tertulliano lib. de reſurrect. annotatum eſt.

Carpocrates relatus eſt in hæreticorū catalogum, quod pictis uſus eſt imaginibus. *Marcellina*, quod colebat imagines Jeſu & Pauli. *Gnoſtici*, quod haberent & coronarent imagines. *Omnes* item, qui imaginem beatæ Virginis circumferebant: teſte Irenæo lib. 1. c. 24. ac Epiphanio hæreſ. 49. Auguſt. de hæreſibus cap. 6. *Iren. lib. 1. cap. 24.*

Simoniani imagines Simonis Magi & Helenæ venerantes, hæreticorum duces dicti ſunt, ut Epiphanius perhibet.

Baſilidiani denique notam ſibi hæreſeos eo inuſſerunt, quod non tantùm

ima

imagines adorabant,ſed etiam incantationibus & creaturarum ſuperſtitioſis adjurationibus uſi ſunt: teſtante Irenæo lib.1.cap.23.

Num non ergo pariter hæretici ſunt Papiſtæ,qui ut iſti hactenus recitati omnes crucem, imagine:que ſanctorũ & non ſanctorum,ut Franciſci,Dominici,Claræ, Lojolæ, ſimiliumque religioſè venerantur? Imagini Jeſu Chriſti divinos honores exhibent? Deum Patrem & Spiritum ſanctum humanis artibus effingunt,ac colunt? In imaginum quoque cultu maximam religionis partem ponunt,iiſque omnes ſuorum templorum angulos replent? nec quenquam ferunt,niſi publicè & privatim crucem atque imagines Dei, Chriſti, ſanctorumque colat & adoret? Quæ Papiſticæ religionis labes infrà à nobis divina adjuvante gratiâ ulteriùs penſitabitur,& in Papiſtis manifeſtè demonſtrabitur: ut quoniam inſontes Euangelicos ejus temerè inſimulant,ipſi verè ſontes non lateant, ſed & perſpici & caveri poſſint.

CAP. X.

Quomodo Lampetianorum doctrina votis falsò à Pontificiis tum hæreſis dicatur,tum Euangelicis tanquam hæreſis aſcribatur.

NON pudet tamen Pontificios etiam aliorum doctrinam ſanam & orthodoxam pro hæretica inceſſere,ac tanquam hæreticam Euangelicis objicere,nihil metuentes væ illud horrẽdum, quod Deus per ſanctiſſimum Prophetam ſic intonat: *Væ dicentibus malum bonum, & bonum malum: qui ponunt tenebras lucem,& lucem tenebras.* Iſa.5.20.

Nam Bellarminus lib.4.de Eccleſia milit.cap.9. *Lampetiani*,inquit,*docuerũt monaſteria libera eſſe debere,id eſt,ſine votis perpetuis, ita ut mutari queant: eadem eſt Lutheri & Calvini ſententia.* Idem lib.2. de Monachatu c.15.in princip.repetit. Accuſatio.

Diverſo autem modo recenſet Alphonſus à Caſtro Lampetianorum opinionem. *Lampetiani*,inquit,*vota* OMNIA *oppugnabant,dicentes illa Chriſtianis non prodeſſe, quia videntur Chriſtianis neceßitatem quandam & coactionem inferre.* Quod convenit cum Bernardi Lucelburgii verbis,qui ſcribit: *Lampetiani ſe jactabant Apoſtolicos,& de ordine Apoſtolorum,& quod* OMNIA VOTA,*quacunque etiam vitari deberent,prorſus tolli affirmabant.* Hæc ille. De hæreſi tit.vota.

Bellarminus verò ſua ex Johanne Damaſceno ſumpſiſſe videtur,qui dicit: *Lampetiani à Lampetio quodam hoc appellati ſunt nomine. Is, qui vitam in communitatibus & cœnobiis degere inſtituunt,ſinũt, quod quiſque velit & probet vivendi genus, id ſequi: quod etiam de veſtitu judicandum eſt eodem modo. Nihil enim,inquiunt,Chriſtianus invitus facere debet,proptereaq́ ſcriptum eſt:Voluntariè ſacrificabo tibi*: Et rurſus: *Ex voluntate mea confitebor tibi.* Hactenus Damaſcenus. Pſal.54.8. & 27.

Quæſtio igitur eſt, vel ſtatus rei de votis monaſticis: quæ olim Lampetiani & hodie Euangelici aut nulla,aut libera eſſe velint,ſed ea ratione utrinque ſe ipſi horrendo laqueo hæreſeos conſtringant: interim Papiſtis,qui vota certis ac perpetuis regulis alligent, Catholicis & orthodoxis ſeſe præſtantibus.

Obſervandum hoc probè, quia ſic primò Lampetiani purgantur: deinde Lutherus & Calvinus, imò omnes Euangelici non hæreticè, ſed orthodoxè de votis ſentire probantur: tertiò, Pontificii potiùs hac in re ſeſe hæreſeos reſti indutos perſpiciunt.

I. Lampetiani orthodoxè ſenſerunt.

Nam quoad *Lampetianos*, ſi vota omnia, quaſi non omnino proſint, oppugnaſſent, meritò fuiſſent pro hæreticis habiti. At quia ſaltem monaſtica vota aut nulla, aut libera eſſe debere contenderunt, injuria pro hæreticis habentur. Nam quum de *votis generaliter & per ſe* loquendum eſt, facilè conceditur, quendam etiam in novo Teſtamento piorum votorum, hoc eſt, ſanctarum promiſſionum uſum eſſe, quibus nos ipſi aſtringimus ſponte, ad faciendum quippiam in ſpecie bonũ, quod alioqui non ita facere teneremur. Talia igitur vota quædam adhuc præſtari poſſe, largimur: ſed à quibus tamen omnis opinio *meriti*, ſeu cultus meritorii, abeſſe debeat: quęque *à votis ceremonialibus*, ſeu veteris Teſtamenti propriis accuratè diſtingui oporteat: quæ denique ita temperanda ſint, ut non modò ad *facultatem* noſtram, itẽque ſpecialem *vocationem*, verùm etiam ad *libertatem* Chriſtianam accommodata eſſe oporteat. Quin etiam illud hoc loco adjicimus, multa quidem in *genere* eſſe libera, ſive *per ſe* indebita: quæ tamen quum ad *ſpeciales* circumſtantias deſcenditur, per quoddam accidens ſæpe neceſſaria fiant. Itaque rectè hîc monemus, qui omnia omnino vota reprehendat, aut ſublata præciſè velit, eum hallucinari, ac forſan hæreſin incurrere. Monemus autem ſimul

Vota non omnia in N. T. ſublata.

inprimis in permiſſione votorum piorum & licitorum omnem ſuperſtitionem atque ἐθελοθρησκείαν diligenter eſſe vitandam: de qua Col. 2. videre eſt: contra uſum libertatis Chriſtianæ vel Euangelicæ ſtudioſè conſervandum, de quo Gal. 4. & 5. Apoſtolus agit. Denique neque noſtris ipſorum, neque aliorum conſcientiis ullum hîc laqueũ injiciendum eſſe: prout ad Rom. 14. per totum, item 1. Cor. 7. & 8. & 10. prolixè à Spiritu ſancto admonemur. Conferamus ſtudioſè & candidè abſque præjudicio tractatum *Lutheri* de votis Monaſticis, cum libro *Petri Martyris* adverſus Schmitzũ de iiſdem: Item Guilielmi Perkinſi Catholicum reformatum de votis pag. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. Et nota, *Alphonſum* in eo cum Bernardo Lucelburgio non leviter hallucinari, quod à Lampetianis OMNIA omnino vota in novo Teſtamento damnari putat, imò affirmat. Nam à Damaſceno excuſantur & purgantur Lampetiani, oſtenditurque, quod duntaxat hoc de votis Monaſticis ſentiant: aliàs vota nonnulla Chriſtianis libera relinquant.

Ac quum tantummodò vota Monaſtica Lampetiani damnẽt, teſte Damaſceno & Bellarmino agnoſcente, nequaquam hæreticè faciũt, ſed juſtis de cauſſis adducuntur. Etenim de votis religioſe & rectè Deo factis aut faciendis quæſtio eſt, ac controvertitur. Negatur autẽ vota Monaſtica de paupertate, caſtitate & obedientia talia eſſe. Hoc ex ipſa definitione voti ab ipſo adverſario Bellarmino allata probatur. Ipſe enim l. 1. de Monach. c. 14. dicit

Vota Monaſtica à Deo prohibita.

Digitized by Google

cit: *Votum eſſe religioſam promiſſionem alicujus excellentioris boni, Deo factam, libera voluntate.* At vovere paupertatem, caſtitatem & obedientiam, non eſt religionis actus. Hæ enim extranei vovere poſſunt, & non tantùm Eccleſiæ filii. Præterea paupertate multi eſſl gũtur ſine voto, & vitam cœlibem multi ducunt, non quòd hoc vitę genus Deo placeat, ſed propter inſtantem neceſſitatem. Obedientia verò monaſtica, quæ in non tangendo, non guſtando, & in obſervatione feſtorum ac ceremoniarum fixarum, & in humilitate & corporis caſtigatione conſiſtit, ab Apoſtolo Coloſſ. 2. & Gal. 4. reprehéditur.

Deinde, ſi promiſſio ſit *contractus inter Deum & hominem*, ut aſſerit Bellarminus, & votum ſit promiſſio, tum vota caſtitatis, paupertatis & obedientiæ non ſunt legitima. Nulla enim ex illis contrahitur inter Deum & homines obligatio. Neque enim, qui obedientiam profitetur ſub regula Monaſtica, ſe Deo obligat, nec Deus homini propter caſtitatem, paupertatem, aut obedientiam obligatur.

Tertiò, ſi votum *ſit excellentioris boni*, tum Monaſticæ ſponſiones non ſunt verè vota. Quid enim excellentiæ eſt in paupertate, aut obedientia regulæ monaſticæ, aut cœlibatu, quum hæc homines Ethnici præſtiterint, & Chriſtiani ſinguli hæc vovere poſſint? Num magnum eſt abjicere facultates, & ſubjicere ſe monaſteriorum præpoſitis, & nuptias horrere ac abjurare? At ita Apoſtolici & alii hæretici, quos 2. libro infrà nominabimus, maximi erunt. Nunquam certè vir ſapientiſſimus orans dixiſſet; *Mendicitatem aut divitias ne dederis mihi*, ſi in mendicitate aut paupertate aliquid boni fuiſſet. *Prov. 30.*

Quartò vota monaſtica non Deo ſolùm, ſed ſanctis etiam nuncupantur. Præmonſtratenſis ordinis Canonici ſe offerunt *Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Dei genetricis*. Hoſpitalarii voventes dicunt ſinguli: *Ego N. N. voveo & promitto Deo omnipotenti, beatæq́; Mariæ ſemper virgini & ſancto Johanni Baptiſtæ.* Similia vota & alii ordines emittunt. Rectè quidem fieri putat & dictitat Bellarminus: quia *Sancti ex excellentiſſimo modo participent Dei naturam & gloriam.* Sed ſi per naturam intelligat eſſentiam, hoc impiè & flagitiosè dicitur. Neque enim partibilis eſt Dei eſſentia, nec communicabilis. Si autem intelligere velit imaginem & ſimilitudinem Dei, non tamen ferendum eſt, quod Papiſtæ divinos honores ad creaturas transferunt. Certè, ſi ſanctis vota fiunt, tum falſum eſt vota ea Deo fieri. *Serm 4. Ad ord. præmonſt. In ſtatutis Sixti V.*

Quintò non fiunt hæc vota libera voluntate, nec verè. Non *liberè*, quia poſt vota emiſſa nulla datur è Monaſteriis egrediendi copia, licet ea contingant, quæ voventes nunquam cogitabant. Non *verè*, quia vovent caſtitatem homines impuri: obedientiam homines pertinaces & rebelles: paupertatem homines opulenti. Et hæc *duo* uno quaſi faſciculo comprehenſa ipſa re & praxi probabimus.

Nam in Monaſteriis ad tria potiſſimùm vota religioſi, adempta & erepta omni libertate mutandi, ſeveriſſimè ac rigidiſſimè aſtringuntur his plerunque verbis: *Ego frater aut ſoror* N. N. *promitto Deo auxiliante perpetuam continentiam, carentiam* *Formula votorum Monaſticorum.*

Digitized by Google

ſentiam propriâ, & obedientiam tibi Pater N. *& ſucceſſoribus ſuis canonicè inſtituendis ſecundùm regulam beati* N. *& ſecundùm cõſtitutiones capituli noſtri generalis.* Hæc juramento quoque ſanctiſſimè vovent ac pollicentur.

Continentiæ voti obſervatio falſa.

Quod ſi verò eorum vitam & mores perluſtremus, eos primùm, nempe *continentiam* tam egregiè præſtare reperimus, ut nonniſi continentiam ſimulent ac fingant, quomodo nec ipſa hoc feliciùs poſſet hypocriſis. Eo enim cõtinentiæ ſtudio ducuntur, ea caſtitate inſignes ſunt, quæ ne fruſtrà Patres dicantur prohibet. Qua nimirum orbem univerſum ſpuriis replere, virgineo pudori inſidias ubique ſtruere, matronas omnes cujuſcunque loci ac ordinis ad ſtupra ſolicitare & pertrahere ſoliti ſunt, & id quidem tanta impudẽtia, ut nec inter ipſa ſacra aliquando libidini ſuæ imperandum cenſeant. Huc enim pertinent, inter tot miſſarum ſolennia diabolicis artibus parata philtra. Huc faciunt tot inter confeſſionis murmur ſolicitatæ ac vitiatæ virgines & matronæ. Huc ſpectant ſimulati quorundam morbi, & ſuſceptæ peregrinationes religioſæ, quæ ſacrificulis monachisq́ue ipſas comprimendi occaſiones ac locum dedère. Et hæc quidem ita omnibus notiſſima ſunt, ut vix aliquod ignobile ſuburbium pagusq́ue tam vilem invenire liceat, qui non aliquo libidinis exemplo, per hoſce nobilitatus ſit. Taceo nunc fœdiora magisq́ue nefanda de Sodomiæ ſcelere, quod impune illis perpetrare licitum eſt. Et tamen quamvis conjugium legitimum & à Deo conſtitutum contra tantas libidinis flammas remedium expetant, neutiquam libertatem & facultatem id contrahendi impetrare poſſunt. Et Johannes MOLANUS Pontificius doctor in compendio Theologiæ per ſummam & profligatiſſimã impudentiam docet 158. pagina de Sacramento ordinis, ſub quo & monaſticam vitam intelligit ac comprehendit, concluſione quarta: *Porrò quamvis nulla juris divini lege miniſtris majoribus ordinibus evitandis conjugium expreſſè prohibitum ſit: Eccleſia tamen Apoſtolica* (ubi, ubi, & cui, quæſo, veræ) *conſtitutioni inhærens, tribus ſacris clericorum ordinibus continentiæ legem annexuit. Contra quam, qui matrimonium contrahere nituntur, nihil agunt, graviúsque peccant, quàm ſi fornicando Dei legem violarent.* Idem in monaſteriis ſancitur.

Paupertatis votum falſum.

Et quæ ac qualis *paupertas* in monaſteriis eſt? Ea nimirum, qua toti mundo illudunt, hypocriſin ſolam ſuis coloribus exprimunt, dum in rigidiſſimo altiſſimæ inopiæ, imò juratæ voto maximis & ampliſſimis opibus utuntur ac fruũtur, toti mũdo ceu potentiſſimi Principes imperitãt, prædiis, fundis, cẽſibus reditibus, clientelis amœniſſimis, feraciſſimis, ampliſſimis, ditiſſimis, opulentiſſimis, munitiſſimisq́ue præditi ſint, nec minimam vel paupertatem, vel rerum neceſſariarum penuriam ſentiant, nedum patiuntur. Quin eos invenire eſt, qui quum vel perquam exiguo vel etiam prorſus nullo patrimonio inſtructi fuerint, monaſteriumq́ue aliquod ingreſſi paupertatem voveant ac profiteantur voluntariam & perpetuam, tum ibi omnibus affluentes & circumfluentes honoribus, fortunisq́ue, vitam degunt otioſiſſimam, floren-

Digitized by Google

florentiſſimam & nullius omnino rei indigam, tandemque vel Abbates, vel Priores, vel Provinciales, vel etiam Epiſcopi ac Cardinales, quin etiam Pōtifices Max. creari poſſint, ac in ſupremum opulentiæ, voluptatis & dominationis cacumen aſcendant. Et tamen ſe paupertatem vovere dicunt, quando eas occaſiones captant, quibus opulentiſſimis potentiſſimisque Principibus, Regibus & Imperatoribus ſuperiores fieri, ſive æquari poſſunt. Sunt ergo aſtutiſſimi illi Diomedes, qui etiam non animadvertente Glauco, rude nimirum plebecula, ænea aureis permutant.

Obedientia regularis falſitas.

Nec alia apud Monachos & vitæ Monaſticæ cultores *obedientia* viget, quàm intermiſſio divinorum præceptorum, obſervatio autem mandatorũ humanorum & fideliſſimus ac prōptiſſimus in ſervandis ſuperſtitionibus atque erroribus injunctis animus. Simul in promiſſa Abati ſeu Priori paupertate ſpontanea ac continentia perpetua ardentiſſimum voluptatum, opū, honorum, fortuarumque omnis generis ambiendarum, ſectandarum, utendarumque ſtudium, ſceleratiſſimus & maximè effrenis ad nefarias ſcortationes, adulteria, Sodomiam omnisque generis libidines ardor atque impetus, denique efferatiſſima & ſumma inobedientia, contumacia & rebellio cōtra Magiſtratus & Præſides politicos, quā ita palàm & inſolenter ſuperbiunt ut ſe immunes ab omnibus oneribus, edictis, juſſisque eorum legitimis, nemini mortalium quicquam debere jactent. Si quid enim ab illis legitimus & à Deo inſtitutus Magiſtratus exigat mox ſuam prætexunt imunitatem Eccleſiaſticam, quæ illos ab omnibus cōmunis populi, nobilitatis, Reique pub. oneribus liberat. Quod ſi illos, quis urgere velit & in ordinē cogere communem communium onerum politicorũ conetur, ſtatim arma proferunt, excommunicationem, fulmina & Romanæ ſedis tonitru objiciunt. Quod multis malis edocti hactenus ipſi quoque Imperatores timere didicerunt. Quam ergo aliam dicemus illorum obedientiā, quā quòd ſub fuco caſtitatis & paupertatis omnium domini, omnes magiſtratus ac ſubditos præ ſe ludibrio habēt, populi totius ac etiā Regū, Principum, Cæſarumq; ſervitio ſibi ſubjecto abuntur, & quaſi Penelopes penſi ac telluris inutile pondus, ea inertes & ignavi, aut curioſi & alienarum rerum ſtudioſi devorant, quæ vix plurimis, & indefeſſis laboribus ac ſudoribus innumerabilium hominum acquiruntur & congeruntur.

Vota monaſtica verbo Dei repugnant.

Poſtremo, repugnant vota illa tria Monaſtica apertè Dei verbo atque præceptis. Etenim adverſus *caſtitatis* ſeu ſpontaneæ *continentiæ* ac *cœlibatus* perpetui votum docet S. Paulus 1. Cor. 7. ℣. 9. *Si ſe non continent, nubant*. Et 1. Tim. 4. 3. pronunciat *eſſe doctrinam dæmoniorũ prohibere matrimoniũ iis*, qui huic idonei ſunt. Pontificii autem Monachis & Sāctimonialibus maximè præ aliis conjugio aptis, qui ſe neutiquam continere queunt matrimonium prohibent, eosque voto continentiæ illigant. Cōtra votum paupertatis, quam illi (ut Latinæ elegantiæ ſtudioſi ſunt) carentiam proprii appellant, docet S. Apoſtolus, *Beatius eſt dare, quam accipere.* Et

Digitized by Google

Act. 20. 35 Salomon ſapientiſſimus Rex. *Des mihi*
Prov. 30. 8. *neque divitias nec paupertatem.* Imò Scriptura ſacra teſtatur viros juſtos ac pios eorumq́ue liberos eò ferè non redigi, ut pauperes & omnium prorſus egeni fiant, ac mendicando panem quærere cogantur; à Deo enim illis facultates & vitæ ſubſidia neceſſaria adminiſtrari, Pſal. 37. Ab his verò Pontificii temerè reſilientes, cum mendicantium Monachorum ordines multos ac varios inſtituerunt, tum reliquos religioſos jurejurãdo ad egeſtatem voluntariam ſive (ut malunt ipſi loqui) carentiam proprii adigunt, aut in hac hypocritas eſſe & fieri compellunt. Contra obedientia regularis (ut vocant) ſeu Monaſticæ votum diſſerit S. Apoſtolus Gal. 5. 1. *State igitur firmi in ea libertate, qua vos Chriſtus liberavit.* Et Coloſſ. 2. 16. *Ideoque nemo vos judicet in cibo & potu,* &c. Ac Rom. 13. *Omnis anima* Poteſtatibus eminentibus ſubjecta eſto. Cui adduntur, quæ Chriſtus Marc. 12. 17. & S. Petrus 1. Epiſt. 2. 13. præcipit. Quis ergo ſanioris mentis & doctrinæ purioris ſtudioſus non videt, Monaſteria libera eſſe debere ſine votis perpetuis in iis verſandum eſſe? Cui non hinc patet, Lampetianos hanc doctrinam & ſententiam ſequutos, nihil hæretici, ſed quod orthodoxæ eſt religionis atque doctrinæ, amplexos eſſe?

II. *Lutherus & Calvinus de votis nihil heretici docuere.* Inde innoteſcit etiam nec *Lutherum nec Calvinum* quicquam hæreſin ſapiẽs tradere, qñ de votorum negotio agũt. Nã quod omnia omnino vota in novo Teſt. ab illis, aliiſq; Euãgelicis damnari ſicut à Lampetianis, quorum opinionem ſequantur: ait Bellarminus, id jam eo falſum eſſe evicimus, quod Lampetianos orthodoxam ſententiam contra vota, inprimis ac nominatim contra Monaſtica tenuiſſe oſtendimus. Deinde, *libri Lutheri, Calvini* ac Noſtrorum declarant, eos de ceremonialibus, ſeu typicis tantùm & aliis id genus veteris Teſtamenti propriis votis (cum quibus, ſcilicet, *vota Monaſtica* ex Papiſtarum opinione ſimilitudinem aliquam habere videntur) ibidem verba facere, non autem generalem ſeu perpetuum votorum uſum ſupra à nobis delineatum & à *Perkinſo* ac *Martyre* uberiùs explicatum, ſimpliciter improbare.

Neve dubium ſubſit, Auctores ipſos inſpicere & expendere licet. Scripſit quidem *Lutherus* in Aſſertionibus propoſitione prima: *Suadendum ut vota prorſus omnia tollantur aut vitentur.* Ac jã tum Parrisienſium condemnatio hæc confeſtim ſubſequuta eſt: *Hæc propoſitio eſt Chriſti doctrinæ & ſanctorum Patrum obſervationi, qui vovere conſulunt, contraria ex errore procedens Lampetianorum*, *Wiclefiſtarum, & eorum, qui ſe jactabant de ordine Apoſtolorum.* *Lutheri condemnatio.*

Sed Lutherus à quodam præclarè defenditur, qui condemnationem ſic confutat. *Juſtitiarii iſti Parriſienſes Theologi, Pelagiana labe infecti, ſuiipſorum ſalvatores eſſe conantur per opera, per ſtudia à ſeſe electa, quibus juſtificationem extorquere nituntur, veluti præmium de congruo debitum. Sed ſtultiſſimè hîc ineptiunt, ejuſmodi perſuadentes contra manifeſtam Scripturam in veteri Teſtamento. Non facietis ſinguli, quod vobis rectum videtur. Et in calce ejuſdem cap dicit Dominus: Tantùm quod ego præcipio tibi, tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas. Quorum divinorũ verborũ juſſionem ridiculũ quoddã Magiſtris noſtris conſtat* *Defenſio Lutheri.* *Deut.* 4.

eſſe

eſſe Parriſienſibus. Quum enim divina Scriptura nihil aut præcipiat, aut conſulat de hoc votorum genere, quorſum attinet ea pro ſancto & publico vivendi genere ſtatuere? Quando non hominum regulis, ſed ſpiritu aguntur filii Dei. Quum tota Monachiſmi ratio ruat [Gal. 2.] *bis duobus ſacræ Scripturæ teſtimoniis. Deus perſonas non accipit, perſonas, inquam, non hominum tantùm, ſed & locorum, veſtium* [Rom. 13.] *dierum, ciborum, in quibus omnibus tyrannis quadam agitur in Monachatu. Et nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Quam dilectionem in alios effundere non licet per humanas ſuas traditiunculas, quib. ſic ſunt addicti, ut malint proximũ, quantumvis ſive de vita tum animæ tum corporis, ſive de facultatibus periclitari, quàm ſuis deeſſe vellent præſcriptis officiis.*

[Rom. 4.] *Videtur votum Monaſticum circumciſioni comparandum, quæ tamen à Deo inſtituta voto præcellat. Nam ut lex, ita & votum irã operatur, eſtque miniſtratio mortis & damnationis, ſi abſit* FIDES. *Sicut ſcriptum eſt, quod Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam,* [Rom. 9.] *apprehenderunt juſtitiã, juſtitiam autẽ eam, quæ eſt* EX FIDE. *Contra Iſrael, qui ſectabatur legem juſtitiæ, ad legẽ juſtitiæ nõ pervenit. Propter quid? Quia non ex fide, ſed tanquam* [Gal. 3.] *ex operibus legis.* Impegerunt enim in lapidem *offendiculi. Et alibi: Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Hoc eſt, maledicti ſunt, qui opera legis abſque fide faciunt.* Eſt autem lex juſta, ſancta, bona, ſi juſtè, ſanctè & rectè, hoc eſt, in fiducia miſericordiæ Dei fuerit ſervata. [Rom. 2.] *Sicut ait:* Non auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed ſectatores legis juſtificabuntur. *Sic etiam votum iram operatur eſtque mortis operatio, & damnationis præcipitium, ſi in ejus operib. tanquam bonis innitens fidem negligas, quæ ſola ſervaris. Sicut qui circumciditur, legem non cuſtodit, ſed teſtificatur,* [Gal. 6.] *quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ, dum ea, quæ in manifeſto eſt carnis circumciſio, circumciſio non eſt, ſed circumciſio cordis, quæ ſpiritu conſtat non litera, cujus laus non ex hominibus eſt, ſed ex Deo. Ita voventes, neq; legem cuſtodiunt, neque vota implent, univerſæ tamẽ legis implendæ debitores.*

Hoc autem votum non ex hominibus, ſed ex Deo eſt, quo conſentimus divinæ in nobis operationi. Hic enim totus homo Deo offertur, ut ille verus animarum rector in nobis regnet. Nam tunc pium emittimus votum, quotieſcunque afflati ſpiritu, ex animo regnum uni Deo permittentes optamus: [Math. 6.] Adveniat regnum tuum, *rex meus & Dominus meus. Domini ſiquidem eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Tali voto ſeſe aſtrinxit Deo Pſaltes, quum diceret:* [Pſal. 37. 22. 23. & 23.] Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. *Et item:* Dominus regit me, & nihil mihi deerit. *Summa, quiſquis conſilium Domini ſequutus abnegarit ſeipſum, abiens poſt veſtigia gregum ſuorum, hic verè vovet, id eſt, ſe totum in Deum rejicit. Hoc votum profuit divo Bernardo, Benedicto, Franciſco, aliiſque Patribus, qui dum operarentur ſua opera, non habuere excellentiora propter votum, ſed hoc ſe magis demiſere, quo Deo videbantur magis obnoxii, nihil gloriæ ſibi arrogantes. Et Dominus eos juvit, ne in ſtultam ſuperſtitionem & vanam confidentiam prolaberentur, uti pueri illi in fornace à flamma ignis illæſi perſtiterunt.* Dan. 3.

Vota ergo illa, quæ foris cum tubæ cantu “
paſſim præſcriptis verbis quaſi jactamus, o- “
mnino tollenda aut vitanda ſaltem docet: “
quippe quæ in ore tantùm nata, & raro in alto “
pectore, dignos pariunt fructus animi, videli- “
cet elationem, ſui complacentiam, hypocriſin, “
ſuperſtitionem, alienæ vitæ deſpectum. Quis “

non

Digitized by Google

non intelligit, exuendum eſſe affectum rerum temporalium, mortificandam quamcũque carnis concupiſcentiam, obediendum Prælatis etiã σκολιοῖς *id eſt, duris & præfractis & cuivis laico, antequam in æterna tabernacula, in qua nihil inquinatum ingredi poteſt, recipiamur?*

Quod ſi verum eſt, video omnes Chriſtianos, ad illa TRIA VOTA OBLIGARI. *Quæ Monaſtici tanto cum ſtrepitu & non ferenda ſuperbia Deo ſe offerre ſimulant (de bonis non loquor) Quiſquis enim non cunfidit in divitiis, nec rapitur aſpectu rerum temporalium, & de ſe humiliter ſentit, verè pauper eſt ſpiritu, paratus quicquid poßidet in pauperes expendere, dum charitas jubet, etiam ſi centena agri jugera poßideat, & votũ paupertatis videtur efficaciter voviſſe. Itẽ qui carnis refrenat concupiſcentiam, & corpus ita redigit in ſervitutẽ, ut audiat, ſpiritus caſtus eſt, & virginitatem reipſa cuſtodit, quam verbis duntaxat promittunt alii. Id voto ſuo ſpecioſo debent Monaſtici, qui dum uruntur ſpurciſsimis cogitationibus, & nefandis libidinibus priùs involvi coguntur, quàm ad conjugii remedium à Domino magis imperatum quam*

Math. 19. *conſultum, dum dicit:* Non omnes capiunt hoc verbum, *licet accedere. Quod genus hominum foris quidẽ videtur retinere votum, ſed mente ſtuprum, adulterium, & portentoſam quamvis libidinem conſummãt,*

1. Tim. 5. *primam fidem planè irritam facientes. Continentis etenim mentis eſt, ſanctam purámque eſſe cum corpore tum ſpiritu, à qua infiniti hujus tempeſtatis abſunt votorum utriusque ſexus magnifici profeſſores,*

Poſtremò, qui præfectorũ imperium in libertate ſpiritus adimplet, aut tyrannidem patienter tolerat, annon obedientiæ fructum conſequitur? Ferè fit, ut omnes plerique Monaſtica, magis ſtatutis & obſervationibus ſuis domi natis obſequantur timore adacti, quàm liberè ſubdito collo. Et tamen his factis foris tantùm ſpecioſis, cœlum ſibi deberi putant, & non cœlum tantùm, quin & opera ſupererogationis, neſcio, quæ interea ſomniant, quibus fortè extra cœlum debetur infernus.

Quæ omnia teſtantur, Lutherum non vera & legitima vota, omnibus Chriſtianis in Euangelio præſcripta, damnare, ſed tantùm hypocritica & arbitratu humano impoſita ac ſuſcepta: ut ipſe Chriſtus & Apoſtoli fecerunt.

Quoniam autem in humanis ac monaſticis ambitio præcipuè regnat, qua illa vota etiam *generali* & legitimo S. *Baptiſmatis* voto, cui omnes Chriſtiani aſtricti ſunt, longè ſumma arrogantia præferuntur, nova damnatione Lutherus illa proſcribit, & viciſſim ab adverſariis ſuis condemnatus ac proſcriptus, S. Baptiſmatis votum rectè explicando & cunctis Chriſtianis ſuadendo, purgatur atque abſolvitur.

Nam propoſitio ſeu theſis Lutheri altera de votis eſt: *Probabile eſt, vota hodie non videre, niſi ad operum jactantiam & præſumptionem.* Cui condemnatio à Parrifienſibus tali modo incuſſa eſt: *Hæc propoſitio eſt falſa, ſtatui religionis contumelioſa & præfatis erroribus* (ſcilicet Lãpetianorum & Apoſtolicorum) *conſona.* *Lutheri condemnatio alia.*

Verùm rurſus fidus ejus Achilles, ſeu potiùs Heliſæus adeſt, qui condemnationem ita confutat: *Iſti Scholaſtici doctores, dum ſuos errores ſcholaſticos nimiũ tuentur, Servatori noſtro juſtam detrahunt reverentiam. Attendite* (inquit Salvator, ceu rem maximi momenti præmoniturus) *ne juſtitiam veſtram faciatis coram* *Defenſio & abſolutio ejus.* Math. 6.

homi-

Digitized by Google

hominibus,ut videamini ab illis. Et: Quum oratis,non eritis ſicut hypocritæ,qui amant in ſynagogis & angulis platearū orare, ut videantur ab hominibus. Sed quum oratis,intrate in cubiculum cordis, & clauſo oſtio precemini in abſcondito. *Quantū hodie jactitent ſua opera cucullati,nemo ignorat. Vulgò abiit in proverbium,*Cum cucullo & raſo vertice ſimul accreſcere & inexplebilem avaritiam: *id quod futurum non eſſet,ſi ſuæ ſorditatis & infirmitatis conſcii opera ſua nō venditarent.*

Baptiſmi votum generale & optimum.

Nullum votum aut ſanctius aut religioſius habeo eo voto,quo duci CHRISTO *in baptiſmate nomen dedimus. Cujus ut Helidorus recordaretur, hortatur Hieronymus in Epiſtola prima*: Recordare tyrocinii tui diem,quo Chriſto in baptiſmate conſepultus, in Sacramenti verba juraſti pro nomine ejus,non te patri parciturum, non matri. *Quapropter expediret, ut omnia vota tollerentur, quoad baptiſmi votum,ubi pluſquam implere poſſumus,vovemus, cuncti revocaremur. Verùm illud obſcurarunt,penéque(proh nefas)à ſtirpe exciderunt,tot monachorum Phariſaica ſupercilia,tot operum varia ſuperſtitiones, tot concionatorum vaniſſima nugamenta & pernicioſiſſima dogmata.* Una eſt *Chriſtianorum tantùm profeſſio, quâ Chriſto ſumus inauthorati,per* BAPTISMI & GRATIÆ DEI *donaria,cui viciſſim & nos totos debemus,tantùm abeſt,ut aliquot à nobis excogitatis votis ſupererogare poſſimus. Quam ſidem ſi gnaviter vindicemus, noſtris ſtatutis, noſtris obſervatiunculis & præfixis legibus nihil opus.*

Vide Perkinſi Catholicum reformatū pag.185.

Apoſtolus videtur hunc cucullatorum fratrum ſtatum apertis verbis deſignare & ferire,quum dicit: quoſdam pietatis quidem ſpeciem habentes,cæterum virtutem ejus negantes. Optima eſt religio,charitate mutua copulari. Nihil refert,quid cognominis Franciſci,aut Dominici,quis color veſtis admoveatur,ater an albus,quis ciborum delectus obſervetur. Non eſt enim regnum Dei eſca aut potus. Omnia munda mundis. Non quod intrat, coinquinat hominem. *Satis ſum felix,ſi Chriſtianus cenſear, ut nomine ita & re humanam appellationem deſpicio.* Quid enim eſt Apollo? Quid Cæphas? In Chriſto Jeſu non eſt Judæus,neque Græcus,non eſt ſervus,neque liber,non eſt maſculus,neque fœmina. *Non Minorita,nō Carmelita,non votarius,non ſolitarius: ſed omnes unus ſumus in Chriſto. Arguit Apoſtolus eos,qui mutuo adverſum ſe inflarentur,in hominibus glorianter, Chriſtum dividentes, dum inquiunt: Ego ſum Capha,ego ſum Pauli.* Et hactenus Lutheri defenſio, unde quantum ab hæreticis abſit, æqui & pii ſatis percipiunt.

2.Tim.3. *Rom.14.* *Math 15.* *Tit.1.* *1.Cor.1.* *Gal.3.25.*

Acriter quoque Calvinus tum ipſe ſemet tuetur,tum ab adverſariis quoque Papiſtis defenditur. Hoc fusè obviam eſt in Calvini Inſtitutione libro quarto,ſeu capite 4.per totum. Adhæc in explicatione verborum Pſalmi 116. 14. *Vota mea reddam Domino nunc coram omni populo*,dicit: *Votorum ergo finis & uſus eſt,primùm ut impetrandi fiduciam cordibus ſuis obtineant filii Dei. Deinde, ut ſe magis ad gratiarum actionem incitent. Nam certè* VOVENDI LIBERTAS *filiis Dei pro ſublevanda eorum infirmitate conceditur, quia hoc modo ad eos deſcendit indulgentiſſimus Pater,& ſecum permittit filialiter agi, modò in hunc,quem dicimus,finem voveant.* Hinc ei & omnibus noſtris ipſe accuſator Bellarminus fit advocatus, di-

Calvini doctrina de votis defenditur.

Digitized by Google

cens: *Volunt* (intelligit Proteſtantes vel Euangelicos) *vota de rebus quibuſdam poſſe fieri, ſi ad bonos fines fiant.*

Calvinus à Bellarmino purgatur, qui ſe reum falſi facit.

Quàm proximè veritati Calvinus, ac ſub ejus nomine etiam Euangelici omnes adhæreant, videamus. Scribit Bellarminus loco citato: *Primùm Lutherus & Calvinus docent, vota non poſſe fieri niſi de rebus à Deo præceptis.* Sed dormitat hîc bonus Jeſuitarum Homerus, qui vix tribus interjectis lineis experrectior, agnoſcit contrarium, ac dicit: *Docent ſecundò, vota de rebus à Deo* NON PRÆCEPTIS *poſſe fieri.* Quæ hæc vertigo? Sed bene cedit. Res enim præcepta & non præcepta à Deo poſſit materia voti eſſe, ſed illa ut Domina, hæc ut ancilla, & quatenus divino præcepto obediat. Sic ipſe reus Calvinus explicat, interpretans hanc Pſalmi 132. verſum 2. *Qui juravit Jehova, vovit potenti ipſius Jaacob.* Dicit enim: *Quantum ad votum pertinet, ex hoc loco & ſimilibus, perperam colligunt Papiſtæ, quicquid abſque delectu votorum effutiverunt, Deo probari. Nam ſicut Deo vovere quod ſibi gratum fore pronunciat, laudabile eſt: ita nimis vitioſa audacia eſt, dum carnis ſuæ ſenſu ad quidvis vovendum proſiliunt homines. Itaque ſpectandum, quid probet, ne præcipuo jure ſuo fraudetur: quia apud eum potior eſt obedientia, quàm victima.* Quibus innuit vota tantùm eatenus eſſe reddenda, quatenus vovendo divinis præceptis promptiùs conſtantiusque nos accommodemus. Nec tamen negat, poſſe etiam vota de rebus à Deo non mandatis fieri, ſi juſtæ & bonum finem reſpiciant. Etenim fatetur de eo ipſe Bellarminus loco ſuprà producto: *Volunt* (videlicet Euangelici) *vota de rebus à Deo non præceptis poſſe fieri, ad negotia hujus vitæ expeditiùs expedienda, vel ad vitanda peccata, vel* ALIOS BONOS FINES *fiant. Exempli cauſſâ, eum, ut docet Calvinus, qui ſæpè in vitium ebrietatis labitur, rectè facturum, ſi voveat ſe triduo aquam bibiturum, ſi iterum in ebrietatem inciderit. Quomodo etiam exiſtimat viduas quaſdam* (*tempore Apoſtolorum*) *voviſſe continentiam, ut expeditiùs fungerentur munere diaconiſſarum.*

De monachis lib. 2. cap. 15. & 19.

Præterea ne generale quidem votũ Baptiſmatis Calvinum negare, ipſe etiam Bellarminus teſtatur. Nam dicit: *Ait Calvinus unum eſſe commune votum fidelium, promiſsionem illam, quam in Baptiſmo facimus, idq; propriè votum dici.* Et hoc rectè affirmari, teſtatur Azorius Jeſuit. Inſtit. lib. 9. cap. 5. §. *Tertiò quæritur*, dicens: BAPTISMA *eſſe votum propriè ac verè dictum,* VETERES *Theologi cum Magiſtro* (nempe lib. 4. ſent. diſt. 38.) *videntur ſentire. Sed probabilius eſt, quod ſcholaſtici alii tenent.* Sic ille. At illud verum, hoc tantùm probabile dicit. Et ignoſcere nobis debet, ſi in hac parte, ubi eſt tanta auctorum contentio, veteribus ſcholaſticis veritati propioribus magis, quàm novis, & magiſtro ipſorũ adultioris ingenii ac eruditionis cumulatioris firmiùs, quàm diſcipulo rudiori aſſentiri malimus.

Denique profert ipſe quoque Bellarminus, quid Calvinus & Euangelici de vera monaſteriorum antiquitate & vivendi ratione ſentiant. Et quamvis ipſe aliud velit & doceat: tamen graviori auctoritate, majore doctrina, ſanctioreque vita Pontificii Euangelicos rectè ſentire perhibent. Nam poſtquam lib. 2. de monachis cap. 2. dixerat: *Nunc de religioſis. Religio eſt ſtatus hominis*

Digitized by Google

minis ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota tendentium. Ac cap. 3. Monachi dicuntur, quorum duo ſunt genera, EREMITÆ & COENOBITÆ, attexit cap. 5. in princip: *Proteſtantes de horum origine tria docent. Primum, religiones incepiſſe demum quarto ſeculo, id eſt, poſt annum Chriſti 300. primósque authores fuiſſe Antonium & Machariũ & ſimiles. Secundum, Eremitas alios caſu factos propter perſequutiones. Tertium, fuiſſe apud veteres quarti & quinti ſeculi aliquos monachos, ſed eos, qui nunc ſunt, nihil cum iis commune habere: ideóque Monachatum, ut nunc eſt, rem eſſe novam.* *Ibid. c. 10.* *Quartum, tempore Auguſtini monaſteria fuiſſe libera collegia,* non aſtricta ullis votis obedientiæ, cõtinentiæ, paupertatis. Hæc ille: ſed deinceps multis convellere ac refellere molitur.

Quid igitur alii ejus ſocii? Opitulantur noſtris Euangelicis contra illũ, ac cum iis duo hæc perprobè expediũt, ordinem monaſticum vera antiquitate carere, & ipſos monachos, quos antiquitas probavit, à Pontificiis monachis ut ſeculis, ita regulis & moribus diſſentire. CORNELIUS Agrippa: *Sunt adhuc in Eccleſia,* inquit, *diverſarum ſectarum populi,* MONACHI *& fratres* ANACHORITÆ, *quibus vetus lex omnino caruit, caruit etiam Eccleſia, eo tempore, quo fuit optima, nec tot ceremoniarum ritibus implicita.* *De vanit. ſcient. c. 62.*

De iiſdem ipſe Bellarminus cap. 5 & 6. lib. 2. de monachis: *Antonius,* inquit, *verè princeps Eremitarum fuit, quippe qui nec ab alio didicit, & ipſe docuit omnes. & Athanaſius docet ante Antonium non fuiſſe Eremitas, qui floruit initio quarti ſeculi.*

Suffragatur Polydorus Vergilius, ſcribens: *Quidam altiùs repetentes, etiam & Johannem Baptiſtam ejus rei authores faciunt: ſed ut is pluſquam Propheta, ita iſto pluſquam monachus cenſeri debet. Alii* ANTONIO *aſſignant, alii cuidam* PAULO *Thebæo. Sed* ANTONIO *hujus rei initium jure optimo acceptum referri debet, qui etſi nõ ante omnes fuit, primus tamen monachorum dogma inſtituit. Is vixit anno ſalutis humanæ 361.* *Lib. 7. de invent. c. 4.*

BERNARDUS verò: *Dæmon meridianus eſt,* inquit, *quoties (verbi cauſâ) majoris boni imaginem tentans ad malum, bene proficiſcentibus in cœnobiis invidens, obtentu quaſi majoris puritatis* EREMUM *petere perſuaſit. Et cognoverunt miſeri tandem, quàm verus ſit ſermo, quem fruſtra legerant:* VÆ SOLI, *quoniam ſi ceciderit, non habet ſublevantem.* *In cant. ſerm. 33.* *Eccleſ. 4.*

De votorum vetuſtate non adeò vetuſta cum Euangelicis etiam non pauci ſentiunt. ERASMUS (ut patet in Indice expurgatorio pag. 49.) dicit: *Vota tria monaſtica* OLIM *non valebant.* Ac Polydorus Virgilius lib. 7. de invẽt. c. 2. *Baſilius,* inquit, *circiciter annũ Domini 385. primus omnium monachos novis legibus obligavit, ut voverent. Multæ familiæ ſunt, quæ Hieronymi, Auguſtini, Benedicti, & quorumlibet divorum regulas (ſicut perhibent) profitẽtur, quas tamen tantùm abſuit, ut ipſi inſtituiſſent, ut etiam ne tale quicquam unquam cogitaſſent futurum.* Item: *Tempora Hilarionis & Baſilii nullo adhuc certo vivẽdi ritu monachi utebantur, ſed id temporis vitæ genus ſimplex ac* LIBERUM *erat, & iſtis ceremoniis minimè obſtrictum, quas hodie monachi obſervant, nullum votorum vinculum, ita ut ſi quàm hujuſmodi inſtituti pœnituiſſet, etiam poteſtas eſſet ad priſtinam redeundi viam, non abſque tamen inconſtan-* *De votorũ monaſticorum vetuſtate.*

„ *tia notâ. Quod ſi deinceps per* NOVAS *hominum* LEGES *inviolatum permanere licuiſſet, longè ſanctiſſimos omni tempore monachos habuiſſemus. In principio monachi precibus, vigiliis, jejuniis, literarum ſtudiis dediti fuerunt.*

De pietatis & exercitiorum ac ſtudiorum antiquitate in monaſteriis.

Quæ autem de exercitiorum pietatis & ſtudiorum bonarum literarum antiquitate in cœnobiis Euãgelici tradunt ex hiſtoriis, negat quidem Bellarminus, ſed alii confirmant. Ille: *Dicunt Proteſtantes*, inquit, *præterea monaſteria fuiſſe ſcholas ſacrarum literarum & aliarum diſciplinarum, & Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique veteres, dum deſcribunt inſtituta Monachorum, meminerunt orationis, jejunii, Pſalmodiæ, de ſcholis literarum ne verbum quidẽ. Quum ergo dicunt olim pios homines, qui Monachi fiebant, ſe per diſciplinam Monaſticam ad Eccleſiæ gubernationem præparaſſe, eſt mendacium contumelioſiſſimum in omnes ſanctos, qui ex Monaſteriis inviti ad Epiſcopatus eligebantur.*

Lib. conſul. art. 25.

CASSANDER verò: *Monachorum cœtus*, inquit, *initio ex illiteratis tantùm ferè conſtabat.* Hocque factum præcipuè cum Monachis iis, qui tempore perſequutionis in cryptis & deſertis ſeſe abdiderunt: *At poſtquam pax Chriſtianis affulſit, mox cœperunt ſtudia non ſolùm divinarum literarum, ſed etiam liberalium artium exerceri, ſic ut ibi adoleſcentes in liberalibus artibus, & potiſſimùm pietatis ſtudiis imbuerentur: ac tandem ex iis Eccleſiæ miniſtri & paſtores aſſumerentur. Ita de Gelaſio II. legimus, eum in Monaſterio inſtitutum fuiſſe, & Severus in vita Martini teſtatur, ex ejus Miniſterio Epiſcopos & Sacerdotes accitos fuiſſe. Et Pelagius Pontifex optat, ut qui in Monaſteriis nutriuntur, provecta ætate & vita probata ad ſacerdotium valeant promoveri.*

Comment. in Tim. digreſſ. lib. 3. cap. 12.

Epiſcopus Eſpenſæus: *Erant olim cœnobia*, ait, *collegia & ἀσκητήρια, id eſt, exercitationes, in quibus orationi lectio, lectioni ſuccedebat oratio, ut eſt apud Hieronymum, ac proinde Epiſcoporum ſeminaria. Vendicavimus Monachiſmum veterem ab imperitiæ nota, quem utinam propiùs ſequatur* RECENTIOR. *Vix nunc viceſimum quodque cœnobium literatorium invenies. Hodierno tempore malunt hæc everſa penitus, quàm ad originem reverſa.* Ac ad finem capitis: *Hos enim, inquit, qui ventri obedientes ſunt, animalium loco numeremus an hominum? Imò quoſdam ne animalium quidẽ, ſed mortuorum. Vivit enim, qui ſe utitur, & multis uſus eſt. Qui verò latitant & torpent, ſic in cellula ſunt, quomodo in conditivo. Otium enim ſine literis mors eſt, & vivi hominis ſepultura.*

Studia literarum in cœnobiis an in ſanctos ſint contumelioſa.

Quia autem Bellarminus *contumelioſum in ſanctos eſſe dicit*, ſi eos in Monaſteriis literarum ſtudiis addictos ad Eccleſiæ adminiſtrationem prodiiſſe dicatur, *quia conſtat, eos omnes invitos ex Monachis Epiſcopos factos, vehementer Epiſcopatum fugiſſe, ut perpetuò in Monaſterio viverent*, largiamur id cum Auguſtino, Chryſoſtomo, Baſilio, qui initio Monachi fuere, poſtea Epiſcopi facti ſunt, primus Hipponenſis, ſecundus Conſtantinopolitanus, tertius Cæſarienſis, verum eſſe. At agnoſcenda & laudanda eſt illorum modeſtia, quod alios ſibi præponendos cenſuerunt: probitas, quòd nulla fraude & ambitione ad tantum munus atque honorem obrepſerunt: fides denique & induſtria, quod in Monaſteriis omni genere literarum exculti, ſi que ad verbi miniſterium habiles facti ſunt, tandemque ad illud obeundum faciles & conſtan-

Digitized by Google

tes evaſerunt, neque obſtinato & impudenti animo oblatum & commiſſum ſibi munus reſpuerunt, neq; perfidè datum ſibi à Chriſto talentum defoderunt, quod contumelioſum in ipſos, Chriſto injurioſum & Eccleſiæ pernicioſum fuiſſet, ſi feciſſent. At quum acceperint hoc munus, à contumelia ſeipſos, ab injuria Chriſtum, à damno Eccleſiam liberarunt.

Probamus hoc ipſis etiam Pōtificiis pietate & judicii dexteritate inſignibus. Peraldus Epiſcopus in Sum. Virt. cap. 12. ait: *Qui prædicatoris officio idonei eſſe poſſunt, & eligunt ſibi ſolùm vivere, licet bona intentione faciunt, ut ſcilicet cum puriori conſcientia Deo ſerviant, tamen multum timendum videtur, eo quod ſervus is, qui talentum abſcondidit in ſudario, vocatur à Domino ſervus nequã. Et ut Gregorius dicit, qui ſcientiis & virtute præditi ſeceſſum ſpeculationis appetunt, tot animarum rei ſunt, quot animabus prædicando prodeſſe potuerunt.*

Salmeron tract. 7. in parab. ſeminis jacti, &c. Mar. 4. ait: *Frumentum periclitatur, dum foſſis ſubterraneis abſconditur, quod dæmones præſtare ſolent, dum perfectis hominibus perſuadent, ut in Eremũ, aut quẽdam ſecretum locum ſe abdant, ut populum* verbo Dei *aut vita exemplo non paſcant.* Hujus teſtimonio tum qui vido contenti eſſe poſſimus.

In ejus vita. Quin verò etiam cœlibatus lex digniſſimos ab hoc munere abſterret. Eraſmus enim Thomas Morus, inquit: *ad pietatem totum animum appulit, vigiliis, jejuniis, precationibus Sacerdotium meditans. Neque quicquam obſtabat, quo minus huic vitæ generi addiceret,* Niſi quod *uxoris deſiderium non poſſit excutere. Maluit ergo eſſe maritus* Castus, *quàm ſacerdos impurus.*

Loco ſup. citato. Inſuper Epiſcopus Eſpenſæus: *Sunt,* inquit, *quos deſperatio, vel certè magna animi anxietas ex Regibus, Cæſaribus, nedum Epiſcopis Monachos effecit.* Duo *olim Monachiſmũ glorioſum reddiderunt,* Vitæ Meritũ & Eruditio Scripturarum. *Verum Monacho maſtix Monacho imperitiorem proverbialiter, dixit, utinam hoc in loco vanus & mentitus! Nec ſcio qua ratione iſti Monachi, qui vulgo Mendicantes vocitantur, qui ſolum precarium quæſtum faciunt, ac male ſeſe ſuſtinent, debeãt ſemper in mẽdicando hærere, quando ſatis conſtat,* Apostolos *non otioſos expectaſſe ab aliis victum. Monachi in Ægypto, teſte Chryſoſtomo, exercuerunt ſe manibus operando.*

Monachatus hodiernus tam novus quã nequam. Deniq; quod Euangelici ſentiunt ac ſcribunt, Monachatum hodiernum tã novum eſſe quàm nequam, id etiam nonnulli Pontificii celebres teſtatum facere nõ erubeſcunt. Nos ergo ut explodatur eo libentiùs breviter annotabimus. Granatensis de communione part. 4. cap. 9. ait: *Sic devotioni vacandum eſt, ut quæ ſunt officii non negligas ut qui filios habere ducet, atque iis proſpiciat, neque omnia in templis exſtruendis inſumat. Hoc voluntatis eſt, illud neceſsitatis, hoc conſilii, illud præcepti, hoc eſt, fundamentum vitæ ne opera juſtitiæ propter ea quæ ſunt gratiæ omittamus. Sriptura, Melior* eſt obedientia quam victima. *Illud officium vocat, ad quod præceptis obligati ſumus, hoc victimam, quicquid ex devotione & voluntate proficitur. Sed homines plerumque in contraria ſententia præcipites ſunt, ut quæ ipſi excogitarunt, neque proprio animi motu aſſumunt, magis curent, quàm quæ ſunt illis impoſita.* *1. Sam 15. 22. 23.* Explicat hæc *Stella*, dicens: *Dominus* *Stella in Luc. 9.*

Obſervandum hoc probè, quia ſic primò Lampetiani purgantur: deinde Lutherus & Calvinus, imò omnes Euangelici non hæreticè, ſed orthodoxè de votis ſentire probantur: tertiò, Pontificii potiùs hac in re ſeſe hæreſeos reſti indutos perſpiciunt.

I. Lampetiani orthodoxè ſenſerunt.

Nam quoad *Lampetianos*, ſi vota omnia, quaſi non omnino proſint, oppugnaſſent, meritò fuiſſent pro hæreticis habiti. At quia ſaltem monaſtica vota aut nulla, aut libera eſſe debere contenderunt, injuria pro hæreticis habentur. Nam quum de *votis generaliter & per ſe* loquendum eſt, facilè conceditur, quendam etiam in novo Teſtamento piorum votorum, hoc eſt, ſanctarum promiſſionum uſum eſſe, quibus nos ipſi aſtringimus ſponte, ad faciendum quippiam in ſpecie bonũ, quod alioqui non ita facere teneremur. Talia igitur vota quædam adhuc præſtari poſſe, largimur: ſed à quibus tamen omnis opinio *meriti*, ſeu cultus meritorii, abeſſe debeat: quęque *à votis ceremonialibus*, ſeu veteris Teſtamenti propriis accuratè diſtingui oporteat: quæ denique ita temperanda ſint, ut non modò ad *facultatem* noſtram, itẽque ſpecialem *vocationem*, verùm etiam ad *libertatem* Chriſtianam accommodata eſſe oporteat. Quin etiam illud hoc loco adjicimus, multa quidem in *genere* eſſe libera, ſive *per ſe* indebita: quæ tamen quum ad *ſpeciales* circumſtantias deſcenditur, per quoddam accidens ſæpe neceſſaria fiant. Itaque rectè hîc monemus, qui omnia omnino vota reprehendat, aut ſublata præcisè velit, eum hallucinari, ac forſan hæreſin incurrere. Monemus autem ſimul inprimis in permiſſione votorum piorum & licitorum omnem ſuperſtitionem atque ἐθελοθρησκείαν diligenter eſſe vitandam: de qua Col. 2. videre eſt: contra uſum libertatis Chriſtianæ vel Euangelicæ ſtudioſè conſervandum, de quo Gal. 4. & 5. Apoſtolus agit. Denique neque noſtris ipſorum, neque aliorum conſcientiis ullum hîc laqueũ injiciendum eſſe: prout ad Rom. 14. per totum, item 1. Cor. 7. & 8. & 10. prolixè à Spiritu ſancto admonemur. Conferamus ſtudioſè & candidè abſque præjudicio tractatum *Lutheri* de votis Monaſticis, cum libro *Petri Martyris* adverſus Schmitzeũ de iiſdem: Item Guilielmi Perkinſi Catholicum reformatum de votis pag. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. Et nota, *Alphonſum* in eo cum Bernardo Lucelburgio non leviter hallucinari, quod à Lampetianis OMNIA omnino vota in novo Teſtamento damnari putat, imò affirmat. Nam à Damaſceno excuſantur & purgantur Lampetiani, oſtenditurque, quod duntaxat hoc de votis Monaſticis ſentiant: aliàs vota nonnulla Chriſtianis libera relinquant.

Vota non omnia in N. T. ſublata.

Ac quum tantummodò vota Monaſtica Lampetiani damnẽt, teſte Damaſceno & Bellarmino agnoſcente, nequaquam hæreticè faciũt, ſed juſtis de cauſſis adducuntur. Etenim de votis religioſe & rectè Deo factis aut faciendis quæſtio eſt, ac controvertitur. Negatur autẽ vota Monaſtica de paupertate, caſtitate & obedientia talia eſſe. Hoc ex ipſa definitione voti ab ipſo adverſario Bellarmino allata probatur. Ipſe enim l. 1. de Monach. c. 14. dicit

Vota Monaſtica à Deo prohibita.

Digitized by Google

cit: *Votum eſſe religioſam promiſſionem alicujus excellentioris boni, Deo factam, libera voluntate.* At vovere paupertatem, caſtitatem & obedientiam, non eſt religionis actus. Hæ enim extranei vovere poſſunt, & non tantùm Eccleſiæ filii. Præterea paupertate multi eſſl gũ tur ſine voto, & vitam cœlibem multi ducunt, non quòd hoc vitę genus Deo placeat, ſed propter inſtantem neceſſitatem. Obedientia verò monaſtica, quæ in non tangendo, non guſtando, & in obſervatione feſtorum ac ceremoniarum fixarum, & in humilitate & corporis caſtigatione conſiſtit, ab Apoſtolo Coloſſ.2. & Gal.4. reprehẽditur.

Deinde, ſi promiſſio ſit *contractus inter Deum & hominem*, ut aſſerit Bellarminus, & votum ſit promiſſio, tum vota caſtitatis, paupertatis & obedientiæ non ſunt legitima. Nulla enim ex illis contrahitur inter Deum & homines obligatio. Neque enim, qui obedientiam profitetur ſub regula Monaſtica, ſe Deo obligat, nec Deus homini propter caſtitatem, paupertatem, aut obedientiam obligatur.

Tertiò, ſi votum *ſit excellentioris boni*, tum Monaſticæ ſponſiones non ſunt verè vota. Quid enim excellentiæ eſt in paupertate, aut obedientia regulæ monaſticæ, aut cœlibatu, quum hæc homines Ethnici præſtiterint, & Chriſtiani ſinguli hæc vovere poſſint? Num magnum eſt abjicere facultates, & ſubjicere ſe monaſteriorum præpoſitis, & nuptias horrere ac abjurare? At ita Apoſtolici & alii hæretici, quos 2. libro infrà nominabimus, maximi erunt. Nunquam certè vir ſapientiſſimus orans dixiſſet; *Mendicitatem aut divitias ne dederis mihi*, ſi in mendicitate aut paupertate aliquid boni fuiſſet. *Prov. 30.*

Quartò vota monaſtica non Deo ſolùm, ſed ſanctis etiam nuncupantur. Præmonſtratenſis ordinis Canonici ſe offerunt *Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Dei genetricis*. Hoſpitalarii voventes dicunt ſinguli: *Ego N. N. voveo & promitto Deo omnipotenti, beatæq; Mariæ ſemper virgini & ſancto Johanni Baptiſtæ.* Similia vota & alii ordines emittunt. Rectè quidem fieri putat & dictitat Bellarminus: quia *Sancti ex excellentiſſimo modo participent Dei naturam & gloriam.* Sed ſi per naturam intelligat eſſentiam, hoc impiè & flagitioſè dicitur. Neque enim partibilis eſt Dei eſſentia, nec communicabilis. Si autem intelligere velit imaginem & ſimilitudinem Dei, non tamen ferendum eſt, quod Papiſtæ divinos honores ad creaturas transferunt. Certè, ſi ſanctis vota fiunt, tum falſum eſt vota ea Deo fieri. *Serm. 4. Ad ord. præmonſt. In ſtatutis Sixti V.*

Quintò non fiunt hæc vota libera voluntate, nec verè. Non *liberè*, quia poſt vota emiſſa nulla datur è Monaſteriis egrediendi copia, licet ea contingant, quæ voventes nunquam cogitabant. Non *verè*, quia vovent caſtitatem homines impuri: obedientiam homines pertinaces & rebelles: paupertatem homines opulenti. Et hæc *duo* uno quaſi faſciculo comprehenſa ipſa re & praxi probabimus.

Nam in Monaſteriis ad tria potiſſimùm vota religioſi, adempta & erepta omni libertate mutandi, ſeveriſſimè ac rigidiſſimè aſtringuntur his plerunque verbis: *Ego frater aut ſoror* N.N. *promitto Deo auxiliante perpetuam continentiam, carentiam* *Formula votorum Monaſticorum.*

Digitized by Google

ventiam proprii, & obedientiam tibi Pater N. *& ſucceſſoribus ſuis canonicè inſtituendis ſecundùm regulam beati* N. *& ſecundùm cõſtitutiones capituli noſtri generalis.* Hæc juramento quoque ſanctiſſimè vovent ac pollicentur.

Continentia voti obſervatio falſa. Quod ſi verò eorum vitam & mores perluſtremus, eos primùm, nempe *continentiam* tam egregiè præſtare reperimus, ut nonniſi continentiam ſimulent ac fingant, quomodo nec ipſa hoc feliciùs poſſet hypocriſis. Eo enim cõtinentiæ ſtudio ducuntur, ea caſtitate inſignes ſunt, quæ ne fruſtrà Patres dicantur prohibet. Qua nimirum orbem univerſum ſpuriis replere, virgineo pudori inſidias ubique ſtruere, matronas omnes cujuſcunque loci ac ordinis ad ſtupra ſolicitare & pertrahere ſoliti ſunt, & id quidem tanta impudẽtia, ut nec inter ipſa ſacra aliquando libidini ſuæ imperandum cenſeant. Huc enim pertinent, inter tot miſſarum ſolennia diabolicis artibus parata philtra. Huc faciunt tot inter confeſſionis murmur ſolicitatæ ac vitiatæ virgines & matronæ. Huc ſpectant ſimulati quorundam morbi, & ſuſceptæ peregrinationes religioſæ, quæ ſacrificulis monachiſque ipſas comprimendi occaſiones ac locum dedère. Et hæc quidem ita omnibus notiſſima ſunt, ut vix aliquod ignobile ſuburbium paguſque tam vilem invenire liceat, qui non aliquo libidinis exemplo, per hoſce nobilitatus ſit. Taceo nunc fœdiora magiſque nefanda de Sodomiæ ſcelere, quod impune illis perpetrare licitum eſt. Et tamen quamvis conjugium legitimum & à Deo conſtitutum contra tantas libidinis flammas remedium expetant, neutiquam libertatem & facultatem id contrahendi impetrare poſſunt. Et Johannes MOLANUS Pontificius doctor in compendio Theologiæ per ſummam & profligatiſſimã impudentiam docet 158. pagina de Sacramento ordinis, ſub quo & monaſticam vitam intelligit ac comprehendit, concluſione quarta: *Porrò quamvis nulla juris divini lege miniſtris majoribus ordinibus evitandis conjugium expreſſè prohibitum ſit: Eccleſia tamen Apoſtolica* (ubi, ubi, & cui, quæſo, veræ) *conſtitutioni inhærens, tribus ſacris clericorum ordinibus continentia legem annexuit. Contra quam, qui matrimonium contrahere nituntur, nihil agunt, graviúſque peccant, quàm ſi fornicando Dei legem violarent.* Idem in monaſteriis ſancitur.

Et quæ ac qualis *paupertas* in monaſteriis eſt? Ea nimirum, qua toti mundo illudunt, hypocriſin ſolam ſuis coloribus exprimunt, dum in rigidiſſimo altiſſimæ inopiæ, imò juratæ voto maximis & ampliſſimis opibus utuntur ac fruũtur, toti mũdo ceu potentiſſimi Principes imperitãt, prædiis, fundis, cẽſibus reditibus, clientelis amœniſſimis, feraciſſimis, ampliſſimis, ditiſſimis, opulentiſſimis, munitiſſimiſque præditi ſint, nec minimam vel paupertatem, vel rerum neceſſariarum penuriam ſentiant, nedum patiuntur. Quin eos invenire eſt, qui quum vel perquam exiguo vel etiam prorſus nullo patrimonio inſtructi fuerint, monaſteriumque aliquod ingreſſi paupertatem voveant ac profiteantur voluntariam & perpetuam, tum ibi omnibus affluentes & circumfluentes honoribus, fortuniſque, vitam degunt otioſiſſimam, *Paupertatis votum falſum.*

floren-

Digitized by Google

florentiſſimam & nullius omnino rei indigam, tandemque vel Abbates, vel Priores, vel Provinciales, vel etiam Epiſcopi ac Cardinales, quin etiam Põtifices Max. creari poſſint, ac in ſupremum opulentiæ, voluptatis & dominationis cacumen aſcendant. Et tamen ſe paupertatem vovere dicunt, quando eas occaſiones captant, quibus opulentiſſimis potentiſſimisque Principibus, Regibus & Imperatoribus ſuperiores fieri, ſive æquari poſſunt. Sunt ergo aſtutiſſimi illi Diomedes, qui etiam non animadvertente Glauco, rude nimirum plebecula, ænea aureis permutant.

Obedientia regularis falſitas.

Nec alia apud Monachos & vitæ Monaſticæ cultores *obedientia* viget, quàm intermiſſio divinorum præceptorum, obſervatio autem mandatorũ humanorum & fideliſſimus ac prõptiſſimus in ſervandis ſuperſtitionibus atque erroribus injunctis animus. Simul in promiſſa Abati ſeu Priori paupertate ſpontanea ac continentia perpetua ardentiſſimum voluptatum, opũ, honorum, fortuarumque omnis generis ambiendarum, ſectandarum, utendarumque ſtudium, ſceleratiſſimus & maximè effrenis ad nefarias ſcortationes, adulteria, Sodomiam omnisque generis libidines ardor atque impetus, denique efferatiſſima & ſumma inobedientia, contumacia & rebellio cõtra Magiſtratus & Præſides politicos, quâ ita palàm & inſolenter ſuperbiunt ut ſe immunes ab omnibus oneribus, edictis, juſſisque eorum legitimis, nemini mortalium quicquam debere jactent. Si quid enim ab illis legitimus & à Deo inſtitutus Magiſtratus exigat mox ſuam prætexunt imunitatem Eccleſiaſticam, quæ illos ab omnibus cõmunis populi, nobilitatis, Reique pub. oneribus liberat. Quod ſi illos, quis urgere velit & in ordinẽ cogere communem communium onerum politicorũ conetur, ſtatim arma proferunt, excommunicationem, fulmina & Romanæ ſedis tonitru objiciunt. Quod multis malis edocti hactenus ipſi quoque Imperatores timere didicerunt. Quam ergo aliam dicemus illorum obedientiã, quã quòd ſub fuco caſtitatis & paupertatis omnium domini, omnes magiſtratus ac ſubditos præ ſe ludibrio habẽt, populi totius ac etiã Regũ, Principum, Cæſarumq; ſervitio ſibi ſubjecto abuntur, & quaſi Penelopes penſi ac telluris inutile pondus, ea inertes & ignavi, aut curioſi & alienarum rerum ſtudioſi devorant, quæ vix plurimis, & indefeſſis laboribus ac ſudoribus innumerabilium hominum acquiruntur & congeruntur.

Vota monaſtica verbo Dei repugnant.

Poſtremo, repugnant vota illa tria Monaſtica apertè Dei verbo atque præceptis. Etenim adverſus *caſtitatis* ſeu ſpontaneæ *continentiæ* ac *cælibatus* perpetui votum docet S. Paulus 1. Cor. 7. ℣. 9. *Si ſe non continent, nubant*. Et 1. Tim. 4. 3. pronunciat *eſſe doctrinam dæmoniorũ prohibere matrimoniũ iis*, qui huic idonei ſunt. Pontificii autem Monachis & Sãctimonialibus maximè præ aliis conjugio aptis, qui ſe neutiquam continere queunt matrimonium prohibent, eosque voto continentiæ illigant. Cõtra votum paupertatis, quam illi (ut Latinæ elegantiæ ſtudioſi ſunt) carentiam proprii appellant, docet S. Apoſtolus, *Beatius eſt dare, quam accipere*. Et

Digitized by Google

Act. 10. 35 *Prov. 30. 8.* Salomon ſapientiſſimus Rex. *Des mihi neque divitias nec paupertatem*. Imò Scriptura ſacra teſtatur viros juſtos ac pios eorumq́ue liberos eò ferè non redigi, ut pauperes & omnium prorſus egeni fiant, ac mendicando panem quærere cogantur; à Deo enim illis facultates & vitæ ſubſidia neceſſaria adminiſtrari, Pſal. 37. Ab his verò Pontificii temerè reſilientes, cum mendicantium Monachorum ordines multos ac varios inſtituerunt, tum reliquos religioſos jurejurãdo ad egeſtatem voluntariam ſive (ut malunt ipſi loqui) carentiam proprii adigunt, aut in hac hypocritas eſſe & fieri compellunt. Contra obedientia regularis (ut vocant) ſeu Monaſticæ votum diſſerit S. Apoſtolus Gal. 5. 1. *State igitur firmi in ea libertate, qua vos Chriſtus liberavit*. Et Coloſſ. 2. 16. *Ideoque nemo vos judicet in cibo & potu*, &c. Ac Rom. 13. *Omnis anima* Poteſtatibus eminentibus ſubjecta eſto. Cui adduntur, quæ Chriſtus Marc. 12. 17. & S. Petrus 1 Epiſt. 2. 13. præcipit. Quis ergo ſanioris mentis & doctrinæ purioris ſtudioſus non videt, Monaſteria libera eſſe debere ſine votis perpetuis in iis verſandum eſſe? Cui non hinc patet, Lampetianos hanc doctrinam & ſententiam ſequutos, nihil hæretici, ſed quod orthodoxæ eſt religionis atque doctrinæ, amplexos eſſe?

II. Lutherus & Calvinus de votis nihil haeretici docuere. Inde innoteſcit etiam nec *Lutherum nec Calvinum* quicquam hæreſin ſapiẽs tradere, q̃n de votorum negotio agũt. Nã quod omnia omnino vota in novo Teſt. ab illis, aliisq; Euãgelicis damnari ſicut à Lampetianis, quorum opinionem ſequantur: ait Bellarminus, id jam eo falſum eſſe evicimus, quod Lampetianos orthodoxam ſententiam contra vota, inprimis ac nominatim contra Monaſtica tenuiſſe oſtendimus. Deinde, *libri Lutheri, Calvini* ac Noſtrorum declarant, eos de ceremonialibus, ſeu typicis tantùm & aliis id genus veteris Teſtamenti propriis votis (cum quibus, ſcilicet, *vota Monaſtica* ex Papiſtarum opinione ſimilitudinem aliquam habere videntur) ibidem verba facere, non autem generalem ſeu perpetuum votorum uſum ſupra à nobis delineatum & à *Perkinſo* ac *Martyre* uberiùs explicatum, ſimpliciter improbare.

Lutheri condemnatio. Neve dubium ſubſit, Auctores ipſos inſpicere & expendere licet. Scripſit quidem *Lutherus* in Aſſertionibus propoſitione prima: *Suadendum ut vota prorſus omnia tollantur aut vitentur*. Ac jã tum Parriſienſium condemnatio hæc confeſtim ſubſequuta eſt: *Hæc propoſitio eſt Chriſti doctrinæ & ſanctorum Patrum obſervationi, qui vovere conſulunt, contraria ex errore procedens Lampetianorum*, *Wicleſiſtarum, & eorum, qui ſe jactabant de ordine Apoſtolorum.*

Defenſio Lutheri. Sed Lutherus à quodam præclarè defenditur, qui condemnationem ſic, confutat. *Juſtitiarii iſti Parriſienſes Theologi, Pelagiana labe infecti, ſuiipſorum ſalvatores eſſe conantur per opera, per ſtudia à ſeſe electa, quibus juſtificationem extorquere nituntur, veluti præmium de congruo debitum. ſed ſtultiſſimè hìc ineptiunt, ejuſmodi perſuadentes contra manifeſtam Scripturam in veteri Teſtamento. Non facietis ſinguli, quod vobis rectum videtur. Et in calce ejuſdem cap dicit Dominus: Tantùm quod ego præcipio tibi, tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas. Quorum divinorũ verborũ juſſionem ridiculũ quoddã Magiſtris noſtris conſtat* *Deut. 4.*

eſſe

eſſe Parriſienſibus. Quum enim divina Scriptura nihil aut præcipiat, aut conſulat de hoc votorum genere, quorſum attinet ea pro ſancto & publico vivendi genere ſtatuere? Quando non hominum regulis, ſed ſpiritu aguntur filii Dei. Quum tota Monachiſmi ratio ruat Gal. 1. *his duobus ſacræ Scripturæ teſtimoniis. Deus perſonas non accipit, perſonas, inquam, non hominum tantùm, ſed & locorum, veſtium* Rom. 13. *dierum, ciborum, in quibus omnibus tyrannis quædam agitur in Monachatu. Et nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Quam dilectionem in alios effundere non licet per humanas ſuas traditiunculas, quib. ſic ſunt addicti, ut malint proximũ, quantumvis ſive de vita tum animæ tum corporis, ſive de facultatibus periclitari, quàm ſuis deeſſe vellent præſcriptis officiis.*

Rom. 4. *Videtur votum Monaſticum circumciſioni comparandum, quæ tamen à Deo inſtituta voto præcellat. Nam ut lex, ita & votum irã operatur, eſtque miniſtratio mortis & damnationis, ſi abſit* FIDES. *Sicut ſcriptum eſt, quod Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam,* Rom. 9. *apprehenderunt juſtitiã, juſtitiam autẽ eam, quæ eſt* EX FIDE. *Contra Iſrael, qui ſectabatur legem juſtitiæ, ad legẽ juſtitiæ nõ pervenit. Propter quid? Quia non ex fide, ſed tanquam* Gal. 3. *ex operibus legis.* Impegerunt enim in lapidem *offendiculi. Et alibi: Quotquot ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Hoc eſt, maledicti ſunt, qui opera legis abſque fide faciunt.* Eſt autem lex juſta, ſancta, bona, ſi juſtè, ſanctè & rectè, hoc eſt, in fi- Rom. 2. ducia miſericordiæ Dei fuerit ſervata. *Sicut ait:* Non auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed ſectatores legis juſtificabuntur. *Sic etiam votum iram operatur eſtque mortis operatio, & damnationis præcipitium, ſi in ejus operib. tanquam bonis innitens fidem negligas, quæ ſola ſervaris. Sicut qui circumciditur, legem non cuſtodit, ſed te-* Gal. 6. *ſtificatur, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ, dum ea, quæ in manifeſto eſt carnis circumciſio, circumciſio non eſt, ſed circumciſio cordis, quæ ſpiritu conſtat non litera, cujus laus non ex hominibus eſt, ſed ex Deo. Ita voventes, neq; legem cuſtodiunt, neque vota implent, univerſæ tamẽ legis implendæ debitores.*

Hoc autem votum non ex hominibus, ſed ex Deo eſt, quo conſentimus divinæ in nobis operationi. Hic enim totus homo Deo offertur, ut ille verus animarum rector in nobis regnet. Nam tunc pium emittimus votum, quotieſcunque afflati ſpiritu, ex animo regnum u- Math. 6. *ni Deo permittentes optamus:* Adveniat regnum tuum, *rex meus & Dominus meus. Domini ſiquidem eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Tali voto ſeſe aſtrinxit Deo* Pſal. 37. 22. 23. & 23. *Pſaltes, quum diceret:* Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. *Et item:* Dominus regit me, & nihil mihi deerit. *Summa, quiſquis conſilium Domini ſequutus abnegarit ſeipſum, abiens poſt veſtigia gregum ſuorum, hic verè vovet, id eſt, ſe totum in Deum rejicit. Hoc votum profuit divo Bernardo, Benedicto, Franciſco, aliiſque Patribus, qui dum operarentur ſua opera, non habuere excellentiora propter votum, ſed hoc ſe magis demiſere, quo Deo videbantur magis obnoxii, nihil gloriæ ſibi arrogantes. Et Dominus eos juvit, ne in ſtultam ſuperſtitionem & vanam confidentiam prolaberentur, uti pueri illi in fornace à flamma ignis illæſi perſtiterunt.* Dan. 3.

“ *Vota ergo illa, quæ foris cum tuba cantu paſſim præſcriptis verbis quaſi jactamus, omnino tollenda aut vitanda ſaltem docet: quippe quæ in ore tantùm nata, & raro in alto pectore, dignos pariunt fructus animi, videlicet elationem, ſui complacentiam, hypocriſin, ſuperſtitionem, alienæ vitæ deſpectum. Quis non*

Digitized by Google

non intelligit, exuendum eſſe affectum rerum temporalium, mortificandam quamcũque carnis concupiſcentiam, obediendum Prælatis etiã σκολιοῖς id eſt, duris & præfractis & cuivis laico, antequam in æterna tabernacula, in qua nihil inquinatum ingredi poteſt, recipiamur?

Quod ſi verum eſt, video omnes Chriſtianos, ad illa TRIA VOTA OBLIGARI. *Quæ Monaſtici tanto cum ſtrepitu & non ferenda ſuperbia Deo ſe offerre ſimulant (de bonis non loquor) Quiſquis enim non confidit in divitiis, nec rapitur aſpectu rerum temporalium, & de ſe humiliter ſentit, verè pauper eſt ſpiritu, paratus quicquid poſſidet in pauperes expendere, dum charitas jubet, etiam ſi centena agri jugera poſſideat, & votũ paupertatis videtur efficaciter voviſſe. Itẽ qui carnis refrenat concupiſcentiam, & corpus ita redigit in ſervitutẽ, ut audiat, ſpiritus caſtus eſt, & virginitatem reipſa cuſtodit, quam verbis duntaxat promittunt alii. Id voto ſuo ſpecioſo debent Monaſtici, qui dum uruntur ſpurciſſimis cogitationibus, & nefandis libidinibus priùs involvi coguntur, quàm ad conjugii remedium à Domino magis imperatum quam* *Math. 19.* *conſultum, dum dicit:* Non omnes capiunt hoc verbum, *licet accedere. Quod genus hominum foris quidẽ videtur retinere votum, ſed mente ſtuprum, adulterium, & portentoſam quamvis libidinem conſummãt,* *1.Tim.5.* *primam fidem planè irritam facientes. Continentis etenim mentis eſt, ſanctam purámque eſſe cum corpore tum ſpiritu, à qua infiniti hujus tempeſtatis abſunt votorum utriusque ſexus magnifici profeſſores,*

Poſtremò, qui præfectorũ imperium in libertate ſpiritus adimplet, aut tyrannidem patienter tolerat, annon obedientiæ fructum conſequitur? Ferè fit, ut omnes plerique Monaſtica, magis ſtatutis & obſervationibus ſuis domi natis obſequantur timore adacti, quàm liberè ſubdito collo. Et tamen his factis foris tantùm ſpecioſis, cœlum ſibi deberi putant, & non cœlum tantùm, quin & opera ſupererogationis, neſcio, quæ interea ſomniant, quibus fortè extra cœlum debetur infernus.

Quæ omnia teſtantur, Lutherum non vera & legitima vota, omnibus Chriſtianis in Euangelio præſcripta, damnare, ſed tantùm hypocritica & arbitratu humano impoſita ac ſuſcepta: ut ipſe Chriſtus & Apoſtoli fecerunt.

Quoniam autem in humanis ac monaſticis ambitio præcipuè regnat, qua illa vota etiam *generali* & legitimo S. *Baptiſmatis* voto, cui omnes Chriſtiani aſtricti ſunt, longè ſumma arrogantia præferuntur, nova damnatione Lutherus illa proſcribit, & viciſſim ab adverſariis ſuis condemnatus ac proſcriptus, S. Baptiſmatis votum rectè explicando & cunctis Chriſtianis ſuadendo, purgatur atque abſolvitur.

Nam propoſitio ſeu theſis Lutheri altera de votis eſt: *Probabile eſt, vota hodie non videre, niſi ad operum jactantiam & præſumptionem.* Cui condemnatio à Parriſienſibus tali modo incuſſa eſt: *Hæc propoſitio eſt falſa, ſtatui religionis contumelioſa & præfatis erroribus* (ſcilicet Lãpetianorum & Apoſtolicorum) *conſona.* *Lutheri condemnatio alia.*

Verùm rurſus fidus ejus Achilles, ſeu potiùs Heliſæus adeſt, qui condemnationem ita confutat: *Iſti Scholaſtici doctores, dum ſuos errores ſcholaſticos nimiũ tuentur, Servatori noſtro juſtam detrahunt reverentiam. Attendite* (inquit Salvator, ceu rem maximi momenti præmoniturus) *ne juſtitiam veſtram faciatis coram* *Defenſio & abſolutio ejus.* *Math. 6.*

homi-

hominibus,ut videamini ab illis. Et: Quum oratis,non eritis ſicut hypocritæ,qui amant in ſynagogis & angulis platearũ orare, ut videantur ab hominibus. Sed quum oratis,intrate in cubiculum cordis, & clauſo oſtio precemini in abſcondito. *Quantũ hodie jactitent ſua opera cucullati,nemo ignorat. Vulgò abiit in proverbium,*Cum cucullo & raſo vertice ſimul accreſcere & inexplebilem avaritiam: *id quod futurum non eſſet,ſi ſuæ ſorditatis & infirmitatis conſcii opera ſua nõ venditarent.*

Baptiſmi votum generale & optimum.

Nullum votum aut ſanctius aut religioſius habeo eo voto,quo duci CHRISTO *in baptiſmate nomen dedimus. Cujus ut Helidorus recordaretur, hortatur Hieronymus in Epiſtola prima*: Recordare tyrocinii tui diem,quo Chriſto in baptiſmate conſepultus, in Sacramenti verba juraſti pro nomine ejus,non te patri parciturum, non matri. *Quapropter expediret, ut omnia vota tollerentur, quoad baptiſmi votum,ubi pluſquam implere poſſumus,vovemus, cuncti revocaremur. Verùm illud obſcurarunt,penéque(proh nefas) à ſtirpe exciderunt,tot monachorum Phariſaica ſupercilia,tot operum varia ſuperſtitiones, tot concionatorum vaniſſima nugamenta & pernicioſiſſima dogmata.* Una *eſt Chriſtianorum tantùm profeſſio, quâ Chriſto ſumus inauthorati,per* BAPTISMI & GRATIÆ DEI *donaria,cui viciſſim & nos totos debemus,tantùm abeſt,ut aliquot à nobis excogitatis votis ſupererogare poſſimus. Quam fidem ſi graviter vindicemus, noſtris ſtatutis, noſtris obſervatiunculis & præfixis legibus nihil opus.*

Vide Perkinſi Catholicum reformatũ pag.185.

Apoſtolus videtur hunc cucullatorum fratrum ſtatum apertis verbis deſignare & ferire,quum dicit: quoſdam pietatis quidem ſpeciem habentes,cæterum virtutem ejus negantes. Optima eſt religio,charitate mutua copulari. Nihil refert,quid cognominis Franciſci,aut Dominici,quis color veſtis admoveatur,ater an albus,quis ciborum delectus obſervetur. Non eſt enim regnum Dei eſca aut potus. Omnia munda mundis. Non quod intrat, coinquinat hominem. *Satis ſum felix,ſi Chriſtianus cenſear, ut nomine ita & re humanam appellationem deſpicio.* Quid enim eſt Apollo? Quid Cæphas? In Chriſto Jeſu non eſt Judæus,neque Græcus,non eſt ſervus,neque liber,non eſt maſculus,neque fœmina.*Non Minorita,nõ Carmelita,non votarius,non ſolitarius: ſed omnes unus ſumus in Chriſto. Arguit Apoſtolus eos,qui mutuo adverſum ſe inflarentur,in hominibus glorianter, Chriſtum dividentes, dum inquiunt: Ego ſum Capha,ego ſum Pauli.* Et hactenus Lutheri defenſio, unde quantum ab hæreticis abſit, æqui & pii ſatis percipiunt.

2.Tim.3. Rom.14. Math 15. Tit.1. 1.Cor.1. Gal.3.25.

Acriter quoque Calvinus tum ipſe ſemet tuetur,tum ab adverſariis quoque Papiſtis defenditur. Hoc fusè obviam eſt in Calvini Inſtitutione libro quarto,ſeu capite 4.per totum. Adhæc in explicatione verborum Pſalmi 116. 14. *Vota mea reddam Domino nunc coram omni populo,*dicit: *Votorum ergo finis & uſus eſt.primùm ut impetrandi fiduciam cordibus ſuis obtineant filii Dei. Deinde,ut ſe magis ad gratiarum actionem incitent. Nam certè* VOVENDI LIBERTAS *filiis Dei pro ſublevanda eorum infirmitate conceditur, quia hoc modo ad eos deſcendit indulgentiſſimus Pater,& ſecum permittit filialiter agi, modò in hunc,quem dicimus,finem voveant.* Hinc ei & omnibus noſtris ipſe accuſator Bellarminus fit advocatus, di-

Calvini doctrina de votis defenditur,

Digitized by Google

cens: *Volunt* (intelligit Proteſtantes vel Euangelicos) *vota de rebus quibuſdam poſſe fieri, ſi ad bonos fines fiant.*

Calvinus à Bellarmino purgatur, qui ſe reum falſi facit.

Quàm proximè veritati Calvinus, ac ſub ejus nomine etiam Euangelici omnes adhæreant, videamus. Scribit Bellarminus loco citato: *Primùm Lutherus & Calvinus docent, vota non poſſe fieri niſi de rebus à Deo præceptis.* Sed dormitat hîc bonus Jeſuitarum Homerus, qui vix tribus interjectis lineis experrectior, agnoſcit contrarium, ac dicit: *Docent ſecundò, vota de rebus à Deo* NON PRÆCEPTIS *poſſe fieri.* Quæ hæc vertigo? Sed bene cedit. Res enim præcepta & non præcepta à Deo poſſit materia voti eſſe, ſed illa ut Domina, hæc ut ancilla, & quatenus divino præcepto obediat. Sic ipſe reus Calvinus explicat, interpretans hunc Pſalmi 132. verſum 2. *Qui juravit Jehova, vovit potenti ipſius Jaacob.* Dicit enim: *Quantum ad votum pertinet, ex hoc loco & ſimilibus, perperam colligunt Papiſtæ, quicquid abſque delectu votorum effutiverunt, Deo probari. Nam ſicut Deo vovere quod ſibi gratum fore pronunciat, laudabile eſt: ita nimis vitioſa audacia eſt, dum carnis ſuæ ſenſu ad quidvis vovendum proſiliunt homines. Itaque ſpectandum, quid probet, ne præcipuo jure ſuo fraudetur: quia apud eum potior eſt obedientia, quàm victima.* Quibus innuit vota tantùm eatenus eſſe reddenda, quatenus vovendo divinis præceptis promptiùs conſtantiusque nos accommodemus. Nec tamen negat, poſſe etiam vota de rebus à Deo non mandatis fieri, ſi juſtæ & bonum finem reſpiciant. Etenim fatetur de eo ipſe Bellarminus loco ſuprà producto: *Volunt* (videlicet Euangelici) *vota de rebus à Deo non præceptis poſſe fieri, ad negotia hujus vitæ expeditiùs expedienda, vel ad vitanda peccata, vel* ALIOS BONOS FINES *fiant. Exempli cauſâ, eum, ut docet Calvinus, qui ſæpè in vitium ebrietatis labitur, rectè facturum, ſi voveat ſe triduo aquam bibiturum, ſi iterum in ebrietatem inciderit. Quomodo etiam exiſtimat viduas quaſdam (tempore Apoſtolorum) voviſſe continentiam, ut expeditiùs fungerentur munere diaconiſſarum.*

Præterea ne generale quidem votũ Baptiſmatis Calvinum negare, ipſe etiam Bellarminus teſtatur. Nam dicit: *Ait Calvinus unum eſſe commune votum fidelium, promiſſionem illam, quam in Baptiſmo facimus, idq; propriè votum dici.* Et hoc rectè affirmari, teſtatur Azorius Jeſuit. Inſtit. lib. 9. cap. 5. §. *Tertiò quæritur*, dicens: BAPTISMA *eſſe votum propriè ac verè dictum*, VETERES *Theologi cum Magiſtro* (nempe lib. 4. ſent. diſt. 38.) *videntur ſentire. Sed probabilius eſt, quod ſcholaſtici alii tenent.* Sic ille. At illud verum, hoc tantùm probabile dicit. Et ignoſcere nobis debet, ſi in hac parte, ubi eſt tanta auctorum contentio, veteribus ſcholaſticis veritati propioribus magis, quàm novis, & magiſtro ipſorũ adultioris ingenii ac eruditionis cumulatioris firmiùs, quàm diſcipulo rudiori aſſentiri malimus.

De monachis lib. 2. cap. 15. & 19.

Denique profert ipſe quoque Bellarminus, quid Calvinus & Euangelici de vera monaſteriorum antiquitate & vivendi ratione ſentiant. Et quamvis ipſe aliud velit & doceat: tamen graviori auctoritate, majore doctrina, ſanctioreque vita Pontificii Euangelicos rectè ſentire perhibent. Nam poſtquam lib. 2. de monachis cap. 2. dixerat: *Nunc de religioſis. Religio eſt ſtatus hominis*

Digitized by Google

minis ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota tendentium. Ac cap. 3. *Monachi dicuntur, quorum duo ſunt genera,* EREMITÆ & CŒNOBITÆ, attexit cap. 5. in princip: *Proteſtantes de horum origine tria docent. Primum, religiones incepiſſe demum quarto ſeculo, id eſt, poſt annum* Chriſti 300. *primóſque authores fuiſſe Antonium & Machariū & ſimiles. Secundum, Eremitas alios caſu factos propter perſequutiones. Tertium, fuiſſe apud veteres quarti & quinti ſeculi aliquos monachos, ſed eos, qui nunc ſunt, nihil cum iis commune habere: ideóque Monachatum, ut nunc eſt, rem eſſe novam.* (*Ibid. c. 10.*) *Quartum, tempore Auguſtini monaſteria fuiſſe libera collegia,* non aſtricta ullis votis obedientiæ, cōtinentiæ, paupertatis. Hæc ille: ſed deinceps multis convellere ac refellere molitur.

Quid igitur alii ejus ſocii? Opitulantur noſtris Euangelicis contra illū, ac cum iis duo hæc perprobè expediūt, ordinem monaſticum vera antiquitate carere, & ipſos monachos, quos antiquitas probavit, à Pontificiis monachis ut ſeculis, ita regulis & moribus diſſentire. CORNELIUS Agrippa: (*De vanit. ſcient. c. 62.*) *Sunt adhuc in Eccleſia,* inquit, *diverſarum ſectarum populi,* MONACHI *& fratres* ANACHORITÆ, *quibus vetus lex omnino caruit, caruit etiam Eccleſia, eo tempore, quo fuit optima, nec tot ceremoniarum ritibus implicita.*

De iiſdem ipſe Bellarminus cap. 5 & 6. lib. 2. de monachis: *Antonius,* inquit, *verè princeps Eremitarum fuit, quippe qui nec ab alio didicit, & ipſe docuit omnes. & Athanaſius docet ante Antonium non fuiſſe Eremitas, qui floruit initio quarti ſeculi.*

Suffragatur Polydorus Vergilius, ſcribens: (*Lib. 7. de invent. c. 1.*) *Quidam altiùs repetentes, etiam & Johannem Baptiſtam ejus rei authores faciunt: ſed ut is pluſquam Propheta, ita iſte pluſquam monachus cenſeri debet. Alii* ANTONIO *aſſignant, alii cuidam* PAULO *Thebæo. Sed* ANTONIO *hujus rei initium jure optimo acceptum referri debet, qui etſi nō ante omnes fuit, primus tamen monachorum dogma inſtituit. Is vixit anno ſalutis humanæ* 361.

BERNARDUS verò: (*In cant. ſerm. 33.*) *Dæmon meridianus eſt,* inquit, *quoties (verbi cauſâ) majoris boni imaginem tentans ad malum, bene proficiſcentibus in cœnobiis invidens, obtentu quaſi majoris puritatis* EREMUM *petere perſuaſit. Et cognoverunt miſeri tandem, quàm verus ſit ſermo, quem fruſtra legerant:* VÆ SOLI, *quoniam ſi ceciderit, non habet ſublevantem.* (*Eccleſ. 4.*)

De votorum vetuſtate non adeò vetuſta cum Euangelicis etiam non pauci ſentiunt. (*De votorū monaſticorum vetuſtate.*) ERASMUS (ut patet in Indice expurgatorio pag. 49.) dicit: *Vota tria monaſtica* OLIM *non valebant.* Ac Polydorus Virgilius lib. 7. de invēt. c. 2. *Baſilius,* inquit, *circiciter annū Domini 385. primus omnium monachos novis legibus obligavit, ut voverent. Multæ familiæ ſunt, quæ Hieronymi, Auguſtini, Benedicti, & quorumlibet divorum regulas (ſicut perhibent) profitētur, quas tamen tantùm abſuit, ut ipſi inſtituiſſent, ut etiam ne tale quicquam unquam cogitaſſent futurum.* Item: *Tempora Hilarionis & Baſilii nullo adhuc certo vivēdi ritu monachi utebantur, ſed id temporis vitæ genus ſimplex ac* LIBERUM *erat, & iſtis ceremoniis minimè obſtrictum, quas hodie monachi obſervant, nullum votorum vinculum, ita ut ſi quàm hujuſmodi inſtituti pœnituiſſet, etiam poteſtas eſſet ad priſtinam redeundi viam, non abſque tamen inconſtan-*

Digitized by Google

tes evaſerunt, neque obſtinato & impudenti animo oblatum & commiſſum ſibi munus reſpuerunt, neq; perfidè datum ſibi à Chriſto talentum defoderunt, quod contumelioſum in ipſos, Chriſto injurioſum & Eccleſiæ pernicioſum fuiſſet, ſi feciſſent. At quum acceperint hoc munus, à contumelia ſeipſos, ab injuria Chriſtum, à damno Eccleſiam liberarunt.

Probamus hoc ipſis etiam Pōtificiis pietate & judicii dexteritate inſignibus. PERALDUS Epiſcopus in Sum. Virt. cap. 12. ait: *Qui prædicatoris officio idonei eſſe poſſunt, & eligunt ſibi ſolùm vivere, licet bona intentione faciunt, ut ſcilicet cum puriori conſcientia Deo ſerviant, tamen multum timendum videtur, eo quod ſervus is, qui talentum abſcondidit in ſudario, vocatur à Domino ſervus nequā. Et ut Gregorius dicit, qui ſcientiis & virtute præditi ſeceſſum ſpeculationis appetunt, tot animarum rei ſunt, quot animabus prædicando prodeſſe potuerunt.*

Salmeron tract. 7. in parab. ſeminis jacti, &c. Mar. 4. ait: *Frumentum periclitatur, dum foſſis ſubterraneis abſconditur; quod dæmones præſtare ſolent, dum perfectis hominibus perſuadent, ut in Eremū, aut quēdam ſecretum locum ſe abdant, ut populum* verbo Dei *aut vita exemplo non paſcant.* Hujus teſtimonio tum qui vido contenti eſſe poſſimus.

In ejus vita.

Quin verò etiam cœlibatus lex digniſſimos ab hoc munere abſterret. Eraſmus enim THOMAS MORUS, inquit: *ad pietatem totum animum appulit, vigiliis, jejuniis, precationibus Sacerdotium meditans. Neque quicquam obſtabat, quo minus huic vitæ generi addiceret,* Niſi *quod uxoris deſiderium non poſſit excutere. Maluit ergo eſſe maritus* CASTUS, *quàm ſacerdos impurus.*

Loco ſup. citato.

Inſuper Epiſcopus Eſpenſæus: *Sunt,* inquit, *quos deſperatio, vel certè magna animi anxietas ex Regibus, Cæſaribus, nedum Epiſcopis Monachos effecit.* Duo *olim Monachiſmū glorioſum reddiderunt,* VITÆ MERITŪ & ERUDITIO SCRIPTURARUM. *Verum Monacho maſtix Monacho imperitiorem proverbialiter, dixit, utinam hoc in loco vanus & mentitus! Nec ſcio qua ratione iſti Monachi, qui vulgo Mendicantes vocitantur, qui ſolum precarium quæſtum faciunt, ac male ſeſe ſuſtinent, debeāt ſemper in mēdicando hærere, quando ſatis conſtat,* APOSTOLOS *non otioſos expectaſſe ab aliis victum. Monachi in Ægypto, teſte Chryſoſtomo, exercuerunt ſe manibus operando.*

Monachatus hodiernus tam novus quā nequam.

Deniq; quod Euangelici ſentiunt ac ſcribunt, Monachatum hodiernum tā novum eſſe quàm nequam, id etiam nonnulli Pontificii celebres teſtatum facere nō erubeſcunt. Nos ergo ut explodatur eo libenciùs breviter annotabimus. GRANATENSIS de communione part. 4. cap. 9. ait: *Sic devotioni vacandum eſt, ut quæ ſunt officii non negligas ut qui filios habere ducet, atque iis proſpiciat, neque omnia in templis exſtruendis inſumat. Hoc voluntatis eſt, illud neceſſitatis, hoc conſilii, illud præcepti, hoc eſt, fundamentum vitæ ne opera juſtitiæ propter ea quæ ſunt gratiæ omittamus. Sriptura, Melior* eſt obedientia quam victima. *Illud officium vocat, ad quod præceptis obligati ſumus, hoc victimam, quicquid ex devotione & voluntate proficitur. Sed homines plerumque in contraria ſententia præcipites ſunt, ut quæ ipſi excogitarunt, neque proprio animi motu aſſumunt, magis curent, quàm quæ ſunt illis impoſita.* Explicat hæc *Stella*, dicens: *Dominus*

1. Sam 15. 22. 23.

Stella in Luc. 9.

Digitized by Google

nus Luc. 9. ſic præcipit: Tolle crucem tuam. At multa conjugata omittẽtes curam domus ſuæ, obſequium, quod viris ſuis debent (quæ eſt cura ipſorum) abjiciunt, & ſuſcipiunt Monialium crucem.

Lib. conſult. art. 25. CASSANDER: *Quam longè,* inquit, *Monachatus hodie à prima ſua origine degenerarit & quantis abuſibus contaminatus & deformatus ſit ſatis per ſe manifeſtum. Nam paulatim religio vera & ſolida in ſuperſtitionem & inanem ſpeciem religionis converſa eſt, & accreſcentibus opibus, decrevit pietas. & in ejus locum larvæ ceremoniarum ſucceſſerunt, in quibus, vera pietatis operibus neglectis ſumma totius religionis conſtituta ſit. Si Monachatus in ea forma perſtitiſſet, qua deſcribitur ab Athanaſio, & Patribus, nunquam tam graves reprehenſiones incurriſſet. Manent adhuc veſtigia communis & canonicæ vitæ, ſed in ædificiis & nominibus tantum. Alii abſurdo & monſtroſo nomine Canonici Seculares dicuntur, hoc eſt, regulares irregulares dici cœperunt. Quare haud injuria,* ALBERTUS CRANZIUS, *Canonicum Secularem vocat* MONSTRUM SINE EXEMPLO, REGULAREM SINE REGULA, CANONICUM SINE CANONE.

Alberti Cranzii dictum.

Chemenſis Epiſcopus: *In modernis religioſis,* inquit, *ſui amore affectis, ſub ovina cuculla lupum agentibus, Dei charitas friget.*

Onus Eccleſiæ. c. 22. Ubertinus *Mendicantes,* inquit, *perverſi deſignantur per locuſtas de puteo abyſſi exeuntes, quia ipſi ſunt ſcurriles, leves, volatiles, carnales, rodentes ſacras literas virides, Paganica Philoſophia ſequaces, quaſi equi currentes, ſic illi in vanam diſputationem:*

2. Brig. 7. Vincentius dicit, *eſſe pejores cæteris Chriſtianis.* BRIGITTA *Eſt religioſus,* inquit, *habitu & profeſſione Monachus, ſed moribus apoſtata, dignitate ſacerdos, ſed ſervus peccati, peregrinus fama, ſed intentione girovagus. Hieroſolymitanus opinione, ſed magis Babylonicus.*

RODERICUS oſtendit Monachos ſui temporis *fuiſſe vitioſos, incontinentes, diſſolutos, & inquietos.* In ſpec. human. vita lib. 2. c. 27.

PETRUS de Alliaco lib. de Reformatione Eccleſiæ teſtatur, *Clauſtra virginum ultra modum dehoneſtata fuiſſe.* Joh. Picus Mirandulanus in Orat. ad Leonem X. *in lupanaria converſa fuiſſe* queritur.

---- *Myſtæ,* inquit, Palingenius, *vafriq; cuculli* (vel In Virgine.
Quos caſtos dicet eſſe. palàm cum pellicibus,
Furtim cum pueris, matronis, virginibúſque
Nocte diéque cubant.

Quare quum vota cum Monaſteriis & Monaſteria cum votis in Papatu nihil aliud eſſe probetur, quam ludibria, fruſtrationes & perjuria, agnoſci & dici debet ab omnibus, Eccleſiam noſtrã Euangelicam non quicquam in eo hæreticum facere & tenere, quod illa aut nulla aut libera eſſe debere ſentit, fatetur, docet ac credit. Pieque Caſſander monet ac conſulit: *Concionator celebris Franciſcani inſtituti, hac noſtra ætate ſcriptũ reliquit; Cavendũ eſt, ne ponatur juſtitia, id eſt ſalus in hujuſmodi obſervationibus, id eſt, ne quis putet ſe promereri juſtitiam & remiſſionem peccatorum.*

III. Pontificios vota Monaſtica mordicus retinentes ſeſe hæreſi polluere.

Hoc unicè deplorandum, Pontificios licet à ſacra Scriptura, à Patribus orthodoxis, denique à quorundam è ſuorum agmine ſententiis atque teſtimoniis piis ad tollenda vel vitanda vota Monaſtica extimulatos, tamen ea non ſolùm mordicus retinere, ſed etiã manibus pedibuſque defendere. 1. Docent

Digitized by Google

cent nos in novo Teſtamento non minùs ad vota facienda, imò etiam ad exercitia externa obligari, quàm olim Judæi. Sed falſum eſt. *Primum*, quia lex ceremonialis jam abrogata eſt, ut Col. 2. & per totam Epiſt. ad Hebræos habetur. *Deinde*, quod non niſi duas externas ceremonias Baptiſmum ſcilicet & cœnam Dominicam, ex mandato Dei obſervandas accepimus. *Adhæc*, quia Judæi olim expreſſum ejus rei, nempe votorum faciendorum mandatum habuere, nos verò nullum. *1. Neceſſaria in N. T. vota falsò ſtatuuntur.*

Objiciunt dictum Iſa. 19. 21, ubi de tempore revelati Euangelii agatur, ac dicatur: *In illo tempore agnoſcent Ægyptii Jehovam, ac vovebunt ei vota, ac præſtabunt ea.* Reſpondemus 1. Prophetam hoc loco declarare cultum novi Teſtamenti per cultũ ceremonialem veteris, quẽadmodum etiam cap. ultimo, ubi Miniſtros novi Teſtamenti vocat *ſacerdotes & Levitas.* 2. Etſi vovere debeat Eccleſia novi Teſtatamenti vota, tamen ea eſſe de rebus moralibus & cultibus debitis ex Euãgelio, qui negligi omnino non debent, quum nos in pietate promoveant & juvent. Ideò quoties ad Euchariſtiam accedimus, renovemus in animis noſtris obedientiæ votum & promiſſionem. Quod ſi vota aliqua fiant de rebus & actionibus indifferentibus, non ſunt tamen pars aliqua cultus divini, ut deinceps probabitur.

2. Allegant verba Pſal. 76 12. *Vovete vota, & perſolvite ea Jehovæ Deo veſtro.* Quod mandatum ajunt quemvis hominem Chriſtianum obligare. R E S P. Eo maximè Judæos ad præſtandas ceremonias legales impelli. Adhæc, ſermonem præcipuè eſſe de laudibus & gratiarum actione Deo præſtanda, ut ipſe Pſalm. 56. 13. exponit: *Mihi facta ſunt ô Deus promiſſiones tuæ.* Ideo *gratiarum actiones perſolvam tibi.*

3. Afferunt exempla Sanctorum veteris & novi Teſt. etiam quorundam ante legem latam, qui Deo vota quædam moralia nuncuparunt. Ut Jacobi Gen. 28. 20. *Davidis* 2. Samuelis 7. 1. Timoth. 5. *viduarum,* quæ olim miniſterio Eccleſiæ ſeſe devoverint. Nã quum Apoſtolus ibi *de prima fiducia quibuſdam illorum irrita facta* loquatur, non poſſe id de promiſſione illa prima & generali, quam omnes Chriſtiani in *Baptiſmo* faciunt, ſed de ſpeciali voto intelligi. Et ſic porrò concludit, etiam in novo Teſtamento vota quædam licita eſſe. R E S P. 1. Confundi ſtatum veteris Teſtamenti cum novi Teſtam. 2. Apoſtolum viduas intelligere, qui conſecrarint ſe ſtudio inſerviendi Eccleſiæ, otio autem libidinem provocante eo impulſæ ſint, ut ab inſtituto reſilierint & ſic κρίμα, id eſt, infamiæ notã ſibi inuſſerint, ac diſcurrendo, omnia rimãdo, multaque impudentiùs & curioſiùs dicendo, ac faciendo ſcandalum aliis præbuerint. Quapropter iis ſuaſiſſe, ut nubant, quod à Domino Gen. 3. Heb. 13. inſtitutum. Unde multò magis patet, quàm vana ſint, quæ de votis Monaſticis Papiſtæ nugantur, quàm ut vota hujus ſtabiliant, &c.

II. Exiſtimant & docent, *quodvis hominum votum eſſe Dei cultum.* Inprimis quæ fiunt de rebus nõ mandatis ut cibo, potu, veſtitu, & ſimilibus. In his ſi vota fiant, admitti ſtatum perfectionis &c. Hoc ergo dogma eſt verè falſum, erroneum, hæreticum, & piarum aurium *2 Vota falsò cultus Dei putantur. Lib. 2 de Monachis cap.*

rium ut ipſi loquuntur, offenſivum. Primum quia Dei cultus non eſt quicquid homines fingunt, volunt, offerũt, dicunt & faciunt, ſed id ſolùm, quod Deus ſibi fieri, dici & offerri disertè juſſit, Deut. 12. 8. Iſa. 29. 13. Math. 15. 9. Col. 2. 23. Gal. 1. 9.

2. Quia Deus ipſe quædam ſibi voveri & offerri expreſſe vetuit, ut *claudas, cæcas & mutilas pecudes*, Levit. 22. 22. 23. Precium meretricis aut Canis Deut. 23. 18. Itaque ſi hæc Deo voventur & offeruntur, quantacunque bona intentione fiat, Deus non colitur, nec probat.

3. Quia ipſimet Sholaſtici & cum his Canoniſtæ agnoſcunt, eſſe quædam vota mala, quæ etſi de facto voventur de jure tamen non valent. Tale fuit votum Jephtę ex Hieronymi ſententia *Nam in vovendo fuit ſtultus Jephta, in reddẽdo impius*, ut ait Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 2. ad ſecundum canonẽ *in malis* 23. quæſt. 11. 1. Ergo ſi concipiantur ejuſmodi vota, per ea, quæ ſunt impia, Deus non colitur: neque iſta ſunt Deo grata.

ꝶ. Nec obſtat, quod velo verſo excipiunt, ſe de legitimis & conceſſis, non de illicitis, vel pravis votis loqui. Ea enim vota tunc Dei cultus ſunt, non quia vota ſunt (id quod vult Bellarminus) ſed quia ſunt res à Deo ſibi offerri ac fieri præceptæ, atque ſuo verbo non alienæ veluti votum Nazareatus olim Lev. 27. & Num. 6. Deut. 12. Jud. 13. Math. 2. 23.

Bellarm. l. de Monach. 2. c. 16.

Objiciunt. 1. ex Iſa. 12 21. *vovebant* in Eccleſia Chriſtiana *Ægypti*. Ergo quævis vota ſunt Dei cultus. RESP. ex Deut 12. 6. 8. ait Dominus, *Non vovebis quicquid tibi in mentem venerit, ſed quod Dominus juſſerit duntaxat*. Exemplum Deut. 23. 8.

2. Omne votum, inquiunt, eſt promiſſio Deo facta. Atqui omnis promiſſio Deo facta eſt ipſius cultus. RESP. falſum eſſe aſſumptũ, teſte *Moſe* Deut. 12. 8. *Johan*. 22. 22: *Recipe ex ore Dei legem*. Chriſto Math. 15. 9 Eſt item fallacia à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter.

3. Omne juramentum, ajunt, eſt cultus Dei. Ergo & votum. RESP. duplicem eſſe fallaciam. *Unam* à dicto ſecundùm quid. Nec enim omnia Juramenta ſunt Dei cultus, quum quædam apertè damnet ipſe *Chriſtus* Math. 5. 34. & *Amos* 8. 14. *per reatum ſeu vitulos Samariæ, Leges Cæſariæ* Novel. Authentic. *ut ne luxurientur contra naturam homines*, item Canones, can. *Conſidera*. & can. *Siquis per capillum creatoris* 22. quæſt. 1. Fallacia *altera* eſt, à non conſequente. Nec enim tam disertè Deus præſcripſit ſibi vota fieri, quàm jubet per ſe ſuum q; nomen jurare, Deut. 10 20. Iſa. 43. 23. Deut. 23.

4. & 5. ajunt, Diis falſis vovere etiam licita eſt peccatum, item non reddens vota licita Deo, peccat. Ergo quod vis votum eſt Dei cultus. RESP. Eſt fallacia à non conſequenti, & à dicto ſecundũ quid ad dictum ſimpliciter. Vota licita ſed non omnia non reddere Deo, eſt peccatum. Ergo quod de licitis duntaxat dicitur, illi extendunt ad omnia vota. Ubique hoc capite ſic peccat:

6. Quævis actio ob Deum facta & ſuſcepta eſt Dei cultus. Ergo & votum quodvis Dei cultus eſt. Reſp. Hoc aſſumptum eſt blaſphemum, & à *Moſe* confutatum Deut. 12. 8. à *Chriſto* Math. 15 9. à Paulo Col. 2. 23. Ac licet Adverſarii

Digitized by Google

ſarii Patres objiciant, fruſtrà tamen fit, quum nos Dei verbum opponamus.

7. & 8. dicunt, Deo votum eſſe gratum, quia fit de re non præcepta, & vovere Deo, non eſſe præceptum Dei. Reſpondemus: Votum Deo gratum eſt idcirco, quoniam ab iis, qui ſic ipſius Spiritu impellerentur, hoc fieri præcepit, & de iis rebus & eo modo, quas & quo ipſe ſuo verbo præſcripſit ac mandavit: non autem aliter, Deut. 12. 6. 7. 6. & 23. 18. Num. 6. Ergo probatur eatenus duntaxat à Deo votum, quatenus aut de re ab eo præcepta nũcupatur: aut præceptis Dei non refragatur, ſed ſcienter ac prudenter fit juxta Dei legem, ut ei gratum eſſe queat. Id quod annon quoque argumentum confutat?

9. enim repetunt Patrum nonnullorum vota, quæ Deo grata fuerint, ut *Jacobi* Gen. 28. *Davidis* Pſal. 132. 2. Ergo quodvis votum eſſe Dei cultum. RESPOND. Eodem paralogiſmo fallunt, quo ſuprà, nimirum à dicto ſecundùm quid, &c. ſic: Quædam vota probat Deus, ergo omnia. Quod quis non ſentit eſſe impoſturam & ineptias?

10. Opponentibus Euangelicis (ut ſub finem cap. 16. lib. 2. de Monach. Bellar. recenſet) ex Col. 2. 23. & Rom. 14. 23. *Omnis cultus à Deo non præceptus, ſed ſponte ſuſceptus, & qui non ex fide fit, eſt illi ingratus*, reſpondent ſolùm agi ab Apoſtolo de rebus inanibus & planè Judaicis, ut lotionibus, quas Deus neque probet, neque commendet. Ergo per ipſos Papiſtas, & ex hac reſponſione illorum apparet, ea demum Deo grata eſſe, & in Dei conſpectu ponenda, quę Deus ipſe & probet, & nobis commẽdat: aut verbo ejus nec directè nec obliquè reluctantur. Hoc probent de Monachatus ſui votis, & vicerint. Alioqui ſeſe manifeſtè refellunt, & ſeipſos evertunt, niſi probent Monachatum nobis à Deo fuiſſe mandatum & commendatum.

III. Contra votum generale ac commune ſacroſancti BAPTISMI certant, ei monaſtica vota anteponentes. Nam diſputant, *utrum ea promiſſio, quæ fit à nobis Deo in Baptiſmo, vel etiam extra & poſt Baptiſmum, de ſanctè piéque vivendo & mundo, carni ac Diabolo renunciandi, ſit votum* (ut Euangelici contendant) *an ſolùm promiſſio ſimplex, minor voto, id eſt, minus nos apud Deum obligant, quàm votum monaſticum.* Finis & ſcopus hujus quæſtionis illis eſt, ut homines præferant vota monaſtica Baptiſmo: & ſanctior, perfectiorq; ſſe vitæ ſanctæ inſtitutio in monachatu eſſe credatur, quàm in Chriſti præceptis: denique ut monaſtica vita facilior & compendioſior ad vitam æternam via cenſeatur, quàm via in Baptiſmo à Chriſto præcepit, licet ſit ipſa illa ſapientia. Ergo vera, meraque in Deum & ejus Chriſtum Dominum blaſphemia eſt finis ac ſcopus hujus quæſtionis & controverſiæ.

3 Baptiſmi votum cõmune monaſticis poſt ponentes Papiſtæ peccant. Lib. 2. de mon. c. 19.

Ejuſdem quoque definitio & deriſio, quam duce & doctore Bellarmino fingunt & ſequuntur, eſt & falſa & itidem blaſphema. Vult enim hic, eam noſtram, quæ fit Deo etiam in publico Baptiſmo, promiſſionem, minus nos obſtringere, quàm ſuum, id eſt, monaſticum votum, id eſt, promiſſionem voluntariæ paupertatis, caſtitatis & obedientiæ. Ergo *ſtipulationem* (ut Pe- *1. Pet. 3. 21.*

trus vocat (ſeu promiſſionem *Baptiſmi* & votum eſſe negat, & ea, quæ in Baptiſmo promittimus, Deo voveri poſſe etiam iterùm à nobis pernegat. Quæ falſa eſt ſententia utraque, ut ex oppoſitione noſtrorum pro Baptiſmo & Bellarmini contra Baptiſmum argumentorum liquebit.

Pro Baptiſmi voto rationes.

Primum, noſtrum eſt, Quæcunque ſunt pia, & ſancta & honeſta, Deo voveri ac promitti à nobis poſſunt, imò debent, teſte Paulo, Phil. 4. 8. At ea, quæ ſignificantur & promittuntur in Baptiſmo ſunt maximè pia, ſanctiſſima & honeſtiſſima: Ergo vovenda. Auguſtinus in Pſal. 75. & ſerm. 7. de tempore idem ſentit.

Secundum, Quæcunque ſunt Dei, promitti Deo poſſunt & debent, ac ea promiſſio propriè votum dicitur: vel ex Pet. Lombardi definitione lib. 4. ſentent. diſt. 38. cap. 1. quam definitionem veriſſimam eſſe tradit Thomas in eum locum art. 1. in reſponſione. Ergo falſa eſt Bellarmini ſententiatia, qui hoc negat.

Tertium, Thomas ipſe in ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 2 (quem hîc pro ſe citat Bellarminus) ſcribit in reſponſione, hanc promiſſionem rerum ad ſalutem neceſſariarum & in Baptiſmo comprehenſarum factam Deo, eſſe propriè votum, etſi non propriiſſima & ſtrictiſſima vocis ſignificatione. Idẽ tradit Durandus ibidem, quęſt. 1. N. 6. Idem Dominicus à Soto lib. 7. quæſt. 1. art. 3. de *juſtitia*, & Alphonſus à Caſtro lib. 1. cap. 10. de lege pœnali.

Quartum, Magis obligat nos, quæ majore authoritate jubente fit à nobis promiſſio, velut rege jubente: quàm quæ fit minore (velut judice tantùm pedaneo) præcipiente, quia violatâ eâ major authoritas offenditur. At quæ in Baptiſmo promittũtur, eá Chriſto jubente promittuntur: quæ verò in monaſticis votis voventur, ſolis hominibus authoribus promittuntur Deo. Ergo vota monaſtica minus obligant, quàm promiſſio in Baptiſmo, Chriſto authore facta.

Contra Baptiſmi votum argumenta.

Adverſarii contra alia argumenta objiciunt: *Primum & ſecundum* Bellarmini eodem ſpectant. Nam *promiſſio in Baptiſmo neceſſaria eſt*, ait, *non ſpontanea: Ergo non eſt votum, quod eſt ſpontanea teſtificatio.* Item: *Fit promiſſio in Baptiſmo à pueris, qui nullum adhuc velle habent.* RESPONDEMUS: Quæ fit ab *adultis* promiſſio in Baptiſmo, ea procul dubio ſpontanea eſt, & teſtificatio quæ fit Deo, & de his, quæ ſunt Dei. Ergo eſt votum. Vide l. 4. ſent. diſt. 38. & Thomam art. 1. Quæ fit pro *infantibus* à patrinis & ſuſceptoribus, dum baptizantur, tum demum rata fit plenè, quum illi pueri ad annos diſcretionis pervenerint: quo tempore jam illi ſpontaneæ ſuæ voluntatis teſtimonium manifeſtum reddunt, ut explicat Bernardus epiſt. 1. ad Robertum. Et ſic quoq; illa promiſſio votum eſt, & Deo fit, & de his, quæ ſunt Dei. Itaque hæc promiſſio poſterior retròtrahitur ad id, quo primum illi baptizati fuerunt, tẽpus: & ſic eſt ſpontanea promiſſio.

Tertium & quartum Bellarmini argumentum ſunt larvæ. *Non eſt*, ait, *hæc promiſſio, ſcilicet, Baptiſmi, implicitè votum, nec explicitè*: alioqui peccata hominum omnium baptizatorum eſſent duplicia, nempe ratione Baptiſmi & voti. RESPOND.

Digitized by Google

SPOND. Et implicitè & explicitè promiſſio facta Deo in Baptiſmo eſt votũ vel ex definitione P. Lombardi, quam probat Thomas, & per ſe probata eſt. Eſt *explicitè*. Nam manifeſtè baptizati in annis diſcretionis teſtificantur ultrò Deo, ſe renunciare diabolo, mundo & carni: qui infantes baptizantur, poſtea id declarant. Quæ declaratio ad prius tempus retrotrahitur, quo primùm illi baptizati ſunt, uti diximus, & eſt votum *implicitè* eadem promiſſio. Nam Chriſtianæ religioni eſt annexum votum renunciandi diabolo, & omnibus operibus ejus, juxta illud Jac. 4.7. *Reſiſtite diabolo.* Et Pet. 1. epiſt. 5.8. Ergo fallitur Bellarminus & fallit, qui id negat. Neque novo voto Chriſtianis opus eſt, ut ſe de iis obligent Deo, quæ in ſuo Baptiſmo promiſerunt, niſi ad recordationem & firmiorem perſeverantiam ſibi imponendam. Saltem unicus ſancti Petri locus 1. epiſt. 3.21. de his adverſarios ſatis admonere debebat. Nam clarè ibi Baptiſmi votum dicitur *ſtipulatio bonæ conſcientiæ*: id eſt, ejus quæ certò apud nos ſtatuimus renũciare peccato, morti, diabolo, carni, & abnegare noſipſos, & credere in Chriſtum, producere denique fructus veræ reſipiſcentiæ.

4. Argumenta pro tribus Monaſticis votis frivola habent Papiſtæ. c. 20.

POSTREMO, argumentis ſpecialibus pro ipſis tribus monaſticis votis perquàm debilibus nituntur Pontificii, ut paucis demonſtrabimus. PRIMO pro *paupertatis* voto ajunt: Dicit Chriſtus, *Beati pauperes ſpiritu*, Math 5.3. *Ergo perpetua paupertas eſt Deo vovenda, & bona ſunt monaſterio vel cognatis aut aliis relinquenda.* RESPONDEMUS. Subeſt duplex fallacia: *Una*, à falſa illius loci explicatione: altera petitione principii: quia dubium pro certo vero ſumit. Nã quum ejus loci Math. 5.3. teſte ipſomet, quintuplex ſit interpretatio, ipſe que ſumat ſuam ſolam interpretationem pro vera contra Chryſoſtomi, Auguſtini, Bernardi ſententiam, quam ipſemet citat, laborat incerto & dubio fundamento, quo nemo niti poteſt. Deinde vox *ſpiritus*, non magis votum hoc loco, aut in tota ſacra Scriptura declarat, quàm *rhedam* aut *lecticam*: ſed animi affectum Deo, Deique voluntati ſubmiſſum. Ergo, qui miſeriam & inopiam ſummam à Deo ſibi impoſitã, non autem voto & gratis ſuſceptam, patienter ferunt, illi dicuntur à Chriſto *beati*, & in futuro ſeculo ditandi. Nec alia mens eſt Luc. 6.20. ubi hoc Chriſti dictum explicat, de voto autem ne literam quidem pictam habet. Pugnat adhæc hæc expoſitio cum Chriſti mẽte, qui quam ſummam felicitatem putat mundus eſſe in hac vita (nempe *αὐτάρκειαν* & rerum omnium affluentiã) refutat, & vanam felicitatem eſſe docet. Id quod interpretatus eſt Paulus 1. Tim. 6.17. Alluſit enim Chriſtus ad has libri Proverbiorum ſententias cap. 9.1. & 28 6.11. ubi paupertas cum patientia & mentis integritate divitiis atque opibus præfertur.

1. Paupertatis votũ malè ſtabilitur.

SECUNDO citant ex Math. 19.21. *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Ergo perpetua & monaſtica paupertas Deo voveri debet.* Quod nihil valet. Nam ne *γρὺ* quidem Chriſtus de voto hîc agit. Deinde, qui ſua bona ex voto monaſtico abjiciunt, non dant ea pauperib. ſed monaſteriis, aut agnatis aliàs ditiſſimis. Ergo non ſequuntur mentem

Rrrr 2 Chriſti

Digitized by Google

Chriſti, qui iſtam paupertatem vovent.

Tertio ex Act. 4. & *quartò* ex 5. Act. exempla petit, ſed per eandem fallaciam à Principii petitione. Sumit enim hæc, quæ illic commemorantur, ex voto præcedente facta fuiſſe. Id quod & falſum eſt, & ex ipſis textus verbis refutatur. Quærit ergo apud Patres ſuæ ſententiæ perfugium, quæ tamen nihil probent. *Primùm*, quòd nihil de voto vendendi agri præmiſſum fuit à venditoribus. Ait enim Petrus (qui vota Deo perſolvenda eſſe ex Levit. 22. & Deut. 12. optimè norat) *Nónne ſi ſervaſſes, manebat tibi? & venundatum erat in tua poteſtate?* Ergo non antea voverunt Deo illud prædium venditores. Deinde, vox *vovendi* in teſtimoniis Patrũ ſumitur tropicè & figuratè, pro deſtinaſſe apud populum illic collectum, ſi venditorum verba ſpectantur, hoc totum precium Dei pauperibus alendis: non autem ſignificat, Deo reipſa & ex animo voviſſe eos. *Denique*, nihil habent commune vota monaſtica de paupertate cum illis exemplis primitivæ Eccleſiæ, in quibus, qui bona ſua vendebant, pios & fideles ex eorũ pretio alebant. At Monachi paupertatem ſuſcipientes (ſi qui priùs erant divites. Nam contra multi priùs pauperrimi, fiunt per Monachatum ditiſſimi, & rebus omnibus abundantes) Monachi, inquam, iſti non pauperibus, ſed ditibus Monaſteriis, ſua erogant, contra veteris Eccleſiæ exempla.

Aliis noſtrorum cõtra votum iſtud paupertatis perpetuæ objectionibus non reſpondet Bellarminus, præſertim autem contra Monaſticam mendicitatem, quæ apud Johannem Wiclephum extant dialogorum lib. 4. c. 29. è quibus hæ ſunt paucæ: *Non erit mendicus inter vos*, Deut. 15. 4. Quod *paupertatem à ſe dimoveri pii precantur*, Prov. 30. 8. Qui non laborat, inquit Paulus, *non manducet*, 2. Theſſ. 2 10. Job. 29. optat ſibi divitias, non paupertatem. Gen. 1. *In ſudore vultus tui edes panem*. Item; quod lex naturæ jubet honeſtè fovere corpus, non affligere, Epheſ. 5. 29. Denique Monachi mendici eripiunt veris Dei pauperibus ſuam eleemoſynam, nec iis ipſi ullam aut parciſſimam conferunt, quod eſt crudele & inhumanum.

Capite 21. obedientiæ Monaſticæ votum confirmare conatur Bellarminus, per quod homines Chriſtiani ſeſe ſui Præpoſiti, id eſt, alterius velut Domini arbitrio ac nutui planè tanquã mancipia ſubjiciunt, quod tamen Paulus 1. Cor. 7. 23. & Gal. 5. 1. vetat. Primo autem ille dicit. *Jeremiæ 35. filii Jonadab paruerunt in rebus indifferentib. ſuo Patri. Ergo obedientia Monaſtica votum, dependenda in omnibus etiam religioſis ſuo Abbati eſt Deo gratum.* *1. Obedientia votum malè firmatur.*

Resp. Eſt fallacia à dicto ſecundùm quid. Quod enim in rebus mediis (in quibus ſolis iſti Rechabitæ parenti ſuo obedierunt) concedi poteſt, transfert Bellarminus ad quamvis obedientiam, quod eſt vitioſiſſimum. Deinde, eſt fallacia ab Ignoratione Elenchi. Nã non eſt par ratio rerum à Deo præſcriptarum, & religioſarum, quæ Monaſticæ dicuntur, in quibus non eſt ulla in nos extra hoc Dei præſcriptum voluntas & poteſtas hominum & rerum mediarum, in quibus eſt aliquod jus & imperium hominum.

Secun-

Digitized by Google

Secundam rationem affert, ipſo teſte, non admodum firmam ex Math. 16.24. *ubi Chriſtus jubet, ut nos ipſos abnegemus. At perfecta ſui abnegatio eſt*, inquit, *in obedientia iſtius Monaſtica voto. Ergo hoc votum eſt Deo acceptum, ac proinde nuncupandum.* RESP. Falſam eſſe aſſumptionem. Nam qui ſe ſic alteri ſubjicit, eſt prorſus illius hominis, non autem amplius Dei ſervus, 2.Pet.2.19. Rom 6.16. At noſtri abnegatio non debet nos eripere Deo, ut hominum mācipia ſimus. Ergo hæc obedientia nequaquam eſt illa noſtri abnegatio, quam requirit à nobis Chriſtus, neque propterea Deo probatur. Præterea hæc obediētia jam eſſet Dei præceptum, non uti volunt, Conſilium. Ideò ſic ſibi repugnat.

Tertia illius ratio eſt. *In quovis hominum cœtu unus aliquis præ eſſe debet. Ergo obedientia illi præfecto etiam ex voto promittenda eſt.* At præpoſitis juſtis & legitimis eſt obſequendum, non quibus vis nec in omnibus rebus, ut iſte vult & Monachi faciunt, ac Hieronymus vult ad Ruſticū, ſed in iis duntaxat, quæ neque cum verbo Dei pugnant, neque ipſorum poteſtatis fines egrediūtur. At obedientia Monaſtica Monachum in omnib. ſubjicit alterius arbitrio, ut neq; quicquam ille in mandato ſibi facto diſcutere debeat, teſte hoc ipſo §. *Quarta* col.1220.2.D. *Heb.13.8.* *Act.4.19.*

Quarta ratio ſumitur ex Patrum, jam iſto Monachatus errore faſcinatorum, & tantùm tamē nonnullorū ſcriptis & auctoritate, qua ejuſmodi obedientia cum voto probetur. RESP. Nō quid Patres ſcripſerint, ſed quid ſcribere debuerint, nobis ſpectandum eſt. Nec quæ vota Deo ſunt grata, ex hominum ſcitis & placitis, ſed ex ſolo Dei ipſius verbo definiendū eſt. At iſta obedientia Monaſtica facit homines Chriſtianos brutos, pecudes, ſaxeos, qui ne dijudicare quidem debeant, aut poſſint, quo illis præcipiatur à ſuis præpoſitis, utrum honeſtum an turpe ſit, peccatum an Deo obedientia ut ex *Hieronymi* Epiſtola ad Ruſticum, *Caſſiano* lib.4. Collationum cap.33. Gregorio Homil. 20. in Ezechielem contendit Bellarminus. Ergo ſeipſum & Monachatum hic jugulat, dum ejuſmodi obedientiam probat, quæ pios Deo eripit, homini autem ſubjicit atque addicit.

Quinta ratio ſumitur *ex Miraculis* à Monachis obſequentibus æditis, quēadmodum Sulpitius lib.1. de Sancto Martino, *Caſſianus* lib.4.cap.23. *Greg.* lib.2. Dialog.cap.7. referunt. RESP. Hæc miracula & inepta & ſuppoſita eſſe, & qui ea ſcripſerunt, ex auditu tantùm habuiſſe, non ex viſu, teſte ipſo Sulpitio. Deinde, hoc ſuſcipere, quod Abbates iſti præceperunt, erat Deum impiè tentare, quod Chriſtus Math.4.6. fieri vetat. Denique nihil miracula probant, niſi præceſſerit Dei verbo conſentiens doctrina & res, id quod hîc longiſſimè abeſt.

Tandem cap.22.23.24.25.26.27.28.29. &c. rationes pro continentiæ voto incredibili conatu producit, ſed nihil proficit, quàm ut Monachatum impuriſſimæ ſcortationis ac ſpurciſſimæ Sodomiæ ſeminarium eſſe prodat. PRIMA eſt ex Luc.1.34. ubi dicat B. Maria virgo ad Angelum: *Quomodo fiet iſtud, quum virum non cognoſcam?* Ergo votum continentiæ perpetuæ virginem Mariam vo- *3. Continentiæ votum malè fundatur.*

Digitized by Google

pauperibus præbendi, iisque ſuccurrẽdi, à junioribus viduis facta intelliguntur. Ergo priorem fidem de miniſterio ſuo & opera pauperibus Chriſti promiſſa deſeruere iſtæ viduæ juniores, dum nupſere. Maritis enim poſtea nuptæ adhærere cogebantur, & Chriſti pauperum curam deſerere compellebãtur. *Nemo enim duobus dominis ſervire poteſt.* Quare de voto non nubendi concepto ne per ſomnium quidem agit illic Paulus. Imò ſi votum de continendo in perpetuum ab iſtis viduis junioribus emiſſum fuiſſet, & illud Paulus probaſſet ut legitimum & obligatoriũ, vetuiſſet Paulus eas nubere, quia vota juſta Deo reddenda eſſe noverat. Potius contra permittit, ut eæ juniores viduæ nubant, nec earum hoc ſecundum conjugium damnat (quod & temerè & falsò & contra hunc Pauli locum tam concilia quædam & Patres, quàm Pontifices ac Canon *de viduis, viduas*, & Can. *Diaconiſſam* 27. quæſt. 1. ſtatuerunt) ſed ratum eſſe vult. Temeritatem tantùm ac levitatem relicti ab iſtis fœminis promiſſi muneris curãdi pauperes accuſat.

Gen. 2. 24. Math. 19. 5. 1. Cor. 7. 3. 34. Math. 6. 24.

Quartam rationem haurit cap. 27. à conciliis quibuſdam. Sed ea poſt natum jam de Monachatus voto errorem, quũ pura Apoſtolorum doctrina jam retineri deſiiſſet, circa & poſt annum 308. celebrata ſunt. Adhæc nullum illa fundamentum ex ſacra Scriptura pro votis adferunt.

Quintam cap. 26. è Pontificum Romanorum decretis excerpit. Sed ea privata ſunt, & interdum ſuppoſititia, aut alio fine propoſitia, ut inſpicienti palam fit.

Sextam cap. 27. rurſus à Patribus adducit, quorum tamen nemo de perpetuæ virginitatis voto mentionem facit, ſed tantùm docent, ſuo jam ſeculo fœminas extitiſſe Chriſtianas, ob ingruẽtes Eccleſiæ afflictiones & inſaniam luxus, toto tunc mundo Ethnico regnantem, ſponte, at nullo perpetuæ continentiæ voto emiſſo, ſe velabant caſtæque vivere cupiebant, verùm domi quæque ſuæ, non in uno Monaſterio ſimul collectæ erant, concluſæ ac tandiu quandiu dono illo continentiæ à Deo donatæ manerent. Manebat enim illis hæc Pauli ſententia duplex infixa: *Melius eſt nubere, quàm uri.* Item: *Si nupſerit virgo, non peccat.* 1. Cor. 7. 7. & 28. Sic reliquæ quas affert rationes ſolummodo aut ab humanis fictis argumentantur, aut alio modo, ac ille refert, acciderunt. Iiſdem quoque fallaciis, quas ſuperiores habuere, aut gravioribus laborant. Quare tædii vitandi cauſſa ab iis recenſendis ſuperſedemus, non defuturi, ſi poſtulari animadverterimus. Et ſatis etiam eaſdem ſupra in Joviniani, Vigilantii, aliorumque hæreſi fruſtra Euangelicis intentata refutavimus.

Ne plura. Vovent Pontificiorum Monachi, Moniales ſeu nonnæ & ſacrifici caſtitatem, quum eam probare non poſſint, nullumque hominum genus ſit impurius, & libidinoſius. Vovent etiam paupertatem ſed ſine authoritate divina, quumque Reges palatiorum & ædium ſplendore; Epicuræos ciborũ lautitiis; ſummos viros ac principes divitiis ſuperent. Vovent & ſpondent denique obedientiam, cujus nullum mandatum divinum habent, quumque iidem ſint Deo & legitimis magiſtratibus rebelles, imò & omnium incendiorum ac

Digitized by Google

ac bellorum, quibus populus Chriſtianus propè alterius eſt, præcipuæ faces. Unde conſequitur ipſos doctrinam & conſuetudinem prorſus hæreticā hac in re tenere & ſequi, quum orthodoxa & verè Catholica ſit ſententia, monaſteria ac vota monaſtica aut nulla aut libera eſſe oportere.

CAP. XI.

Falsò veterum quorundam opinionem, qui Euchariſtiam tantùm figuram corporis Chriſti eſſe docuerunt, Euangelicis aſcribi.

NEc ſe continet Bellarminus, quin viceſimam & poſtremam eo in capite 9. de notis Eccleſiæ hæreſin addat, quaſi ea Euangelici & reformatarum Eccleſiarum ſectatores corrupti ſint.

Intentatio hæreſis de Euchariſtia.

Hæreſis 20. & ultima, inquit, quorundam, qui negabant Euchariſtiam eſſe veram carnem Chriſti, & tantùm eſſe volebant figuram, ſeu imaginem corporis Chriſti: ut docet Theodoretus in dialogo tertio. Hanc hæreſin docet Zuinglius libro de verbis cœnæ Dominicæ, & Calvinus Inſtitut. 18. §. 12. 13. 14. 15. &c.

Depulſio.

RESPONDEBIMUS *tria* auſpiciis Dei, quibus tam Zuinglius & Calvinus, quàm Euangelici omnes in reformatis hodie Eccleſiis, ab intentato hoc crimine non ſine laude abſolvi poſſe confidimus. *Primò*, Calvinum & Zuinglium non modò diſſentire ab iſtis hæreticis, verùm etiam illis ex diametro repugnare. *Deinde*, duos illos Theologos etiam veritatem docere. *Tertiò*, Pontificios hîc hæreſi craſſiſſima implicari.

I. Diſſentiunt veteres hæretici de Euchariſtia & Euangelici hodierni.

PRIMUM ipſo Bellarmino advocato expedire poſſumus. Is lib. 1. de Euchariſtia cap. 1. paulò poſt principium: *Ne glorientur, inquit, Calviniſtæ, ſententiā ſuam valdè antiquam eſſe, obſervandum eſt antiquiſſimos illos hæreticos, de quibus Theodoretus loquitur, non tam Sacramentum Euchariſtiæ, quàm myſterium incarnationis oppugnaſſe.* Ubi vertiginis ſpiritus, quo agitatur Bellarminus, animadverti debet. Ne concedat Calviniſtarum, imò potiùs orthodoxorum ſententiam orthodoxam *antiquam* eſſe, docet *non fuiſſe eandem* vetuſtarum hæreticarum, quos Theodoretus deſcribat. Ut tamen doceat eam eſſe *hæreticam*, dicit *eandem antiquam hæreſin* Calvinum docuiſſe. Antiquum ergo obtinet, idem modò ajens, modò negans, in quo tamen videri poſſit minimè idem, niſi quod eſt torquendo & retorquendo idem, qui idem ſolet.

Bell. loco jam ſuprà citato.

Ac non malè tandem cedit ipſius vertigo & intemperies. Nunc enim explicat ipſe, quantum Calvinus & hæretici illi veteres diſſideant. *Hæretici iſti, inquit, negarunt Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia, negarunt enim incarnationē Chriſti, & in Euchariſtia volebant tantùm eſſe figuram ejus corporis.* Quid autem Calvinus? *Docet ſymbola & corpus Chriſti, licet loco inter ſe plurimum diſtent, tamen conjūcta eſſe.* NON SOLUM *ratione* SIGNI, *quia unum eſt ſignum alterius, ſed etiam, quia cum ſigno Deus verè nobis exhibet* IPSŪ VERUM CHRISTI CORPUS ET SANGUINEM, *quo anima noſtra verè alantur.* Optimè: ſed meliùs, quod repetit ipſa etiam verba Calvini, ac dicit: *Sic enim ſcribit Calvinus in Math. 26. & lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 5.* VERE *in cœna datur nobis corpus*

pus

Digitized by Google

Pus Chriſti, ut ſit animis noſtris in cibum ſalutarem, hoc eſt, ſubſtantia corporis Chriſti paſcuntur anima noſtra, ut VERE *unum efficiamur cum eo. Non ergo vacuum aut inane ſignum nobis proponitur, ſed vera carnis Domini fiunt participes, qui fide hanc promiſſionem recipiunt. In ſacra ſua cœna jubet me Dominus ſub ſymbolo panis & vini corpus & ſanguinem ſumere. Nihil dubito, quin & ipſe verè porrigat, & ego recipiam,* SED SOLO ORE FIDEI. *Similia habet Beza.* Hæc Bellarminus de illis.

Bell. lib. 1. de Euchariſt. cap. 5. §. ſeptima eſt.

Quid ex his colligit? *Admittit Calvinus panem Euchariſtiæ non eſſe nudam figuram corporis Chriſti, ſed figuram, quæ rem ipſam exhibeat.*

Bell. ibid. cap. 1. §. No.

Videtis ergo, ô Chriſtiani & pii lectores, aſtutiam & iniquitatem accuſationis. *Hæretici iſti*, inquit, *negabant Dominum habere verum corpus: At Calvinus*, inquit, *dicit* FIDELES *veri corporis Chriſti verè eſſe participes.* Deinde: *Hæretici*, inquit, *in Euchariſtia volebant eſſe tantùm figuram corporis Chriſti. At Calvinus*, inquit, *admittit non tantùm figuram corporis Chriſti in Euchariſtia.* Et tamen *eandem*, inquit, *hæreſin Calvinus docuit.* Quum ergo tam manifeſtè prævaricetur, deploratam prodit conſcientiam. Adhæc ipſiſmet ſuis verbis, quibus Calvinum accuſat, eundem excuſat & purgat. Hoc ex iſtis acuto & intelligenti ac prudenti lectori ſatis patet. Ac abundè jam innocentia Calvini elucet, noſtrarumque Euangelicarum Eccleſiarum orthodoxa de Euchariſtia doctrina, quæ ab omni hæreſi remotiſſima ſit, ex eo nitet atque innoteſcit, quod ipſo Adverſario teſte veteres hæretici, & Calvinus diſcrepant ac diſſident.

Ad hoc tamen clariùs & ampliùs comprobandum, ſecundo nunc loco oſtendemus, planiſſimè etiam Calvinum & Zunglium veritatem de Euchariſtia docuiſſe, ut de nulla prorſus hæreſi poſſint eſſe ſuſpecti. Primùm ipſos Adverſarios veram Calvini ſententiam proferentes cognoſcemus: deinde eandem noſtris atque doctorũ noſtrorum verbis confirmabimus, dũ robur argumentorum noſtrorum pro ea ſiſtamus.

II. Calvinum & Zuinglium Euangelicos veritatem de Euchariſtia planè docuiſſe.

Ex Pontificiis, qui Calvinum veritatem de Euchariſtia docuiſſe perhibent, eſt Gregorius de Valentia, qui Tom. 4. diſputat. 6. quæſt. 3. punct. 1. §. Item, &c. inquit: *Fortunatus Calviniſta dicit, in Sacramento corpus Chriſti veriſſimè, realiſſiméque percipi.* Ac §. 7. ait: *Et Calvinus affirmat ſæpius, Chriſti corpus eſſe præſens in Sacramento, quatenus ibi noſtris animis verè unitur, & communicatur* SUBSTANTIALITER *(ſic enim loquitur) ſecundùm ſubſtantiam, non modò ſecundùm effectum.* Et ibidem §. 9. dicit: *Cum quo Beza & Sadeel conſentiunt.* Hæc Valentianus. Qui verum, invito Bellarmino, de Calvini doctrina circa præſentiam Chriſti in corona ſacra fatetur. Nam Bellarminus lib. 1. de Euchariſtia c. 2. §. *Quartò Concilium*, ſcribit: *Concilium Tridentinum dicit, corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia verè contra Calviniſtas, qui dicunt eſſe in figura tantùm: figura enim opponitur veritati. Deinde Concilium dicit adeſſe realiter, contra figmentum Calviniſtarum, qui dicunt corpus* FIDE *tantùm apprehendi. Sæpè quidem aſſerunt corpus Chriſti realè ſumi in Euchariſtia. Sed* REALITER NUNQUAM. Falſum ergo ſic Bellarminum de Calviniſtis dicere arguit ac probat Valentianus, qui hos non tan-

1 Calvini doctrina de Euchariſtia.

tùm in figura, non tantùm fide, non *realiter nunquam*, ſed *veriſſimè, realiſſimè, præſentia Sacramentali*, quin & *ſecundùm ſubſtãtiam*, non modò ſecundùm effectum Chriſti corpus ac ſanguinem in ſacra cœna percipi, aperta doctrina & ſententia credere atque docere affirmat & teſtatur.

Et inſuper ſenſum eorum geminum profert. Nam attexit: *Hæc eſt eorum ſententia, corpus Chriſti licet σωματικῶς καὶ οὐσιωδῶς, id eſt, corporaliter & eſſentialiter ſit tantùm in cœlo, nihilominus duplici modo in hoc Sacramento verè percipi.* PRIMO *ſpiritualiter ore quidem & mentis, id eſt, per fidem, & per arctiſſimam conjunctionẽ Chriſti cum animo communicantis virtute Spiritus ſancti, non corporaliter ore dentis, ſed mẽtis.* SECUNDO *Sacramentaliter, ore quidem corporis ſumendo, non ipſum Chriſtum, ſed ſignum corporis ejus, panem & vinum: quæ dicunt eſſe ſigilla certa, quibus promiſſio redemptionis in corpore & ſanguine* Chriſti FIDELIBUS *obſignatur.* Quibus fideliter exponit Calvini & Euangelicorum ſententiam.

Et poteſt Calvinus ipſe evolvi Inſtitut. lib. vel cap. 17. §. 22. 13. 14. 15. 16. 17. 18. quibus tandem ſectione 19. hæc ſubjungit, ut ſummatim ſuam ſententiam explicet: *Dico igitur, quod & ſemper in Eccleſia receptum fuit, & hodie docẽt, quicunque rectè ſentiunt,* DUABUS REBUS *conſtare ſacrum cœnæ myſterium:* CORPOREIS SIGNIS, *quæ ob oculos poſita, res inviſibiles ſecundùm imbecillitatis noſtræ captum nobis repræſentãt: &* SPIRITUALI VERITATE, *quæ per ſymbola ipſa figuratur ſimul & exhibetur. Ea qualis ſit, dum familiariter demonſtrare volo,* TRIA *ſoleo ponere:* SIGNIFICATIONEM, MATERIAM *quæ ex ea dependet,* VIRTUTEM *ſeu effectum, qui ex utraque conſequitur.* SIGNIFICATIO *in promiſſionibus eſt ſita, quæ quodammodò ſunt ſigno implicita.* MATERIAM *aut ſubſtantiam voco Chriſtum cum ſua morte & reſurrectione. Per effectum autem redemptionem, juſtitiam, ſanctificationem, vitámque æternam: & quæcunque alia nobis beneficia affert Chriſtus, intelligo. Porrò tametſi fidem hæc omnia reſpiciunt: nullum tamen locum relinquo huic cavillo: quaſi* FIDE *percipi Chriſtum dico, intelligentia duntaxat ac imaginatione velim concipi. Offerunt enim illum promiſſiones, non ut in aſpectu modò nudáque notitia hæreamus, ſed ut vera ejus communicatione fruamur. Et ſanè non video, quomodo in cruce Chriſti redemptionem ac juſtitiam, in ejus morte vitam habere ſe quis confidat, niſi vera Chriſti ipſius communione inprimis fretus. Non enim ad nos bona illa pervenirent, niſi ſe priùs noſtrũ Chriſtus faceret. Dico igitur in cœnæ myſterio per ſymbola panis & vini Chriſtum verè nobis exhiberi, adeóque corpus & ſanguinem ejus, in quibus omnem obedientiam procomparanda nobis juſtitia adimplevit: quo ſcilicet primùm in unum corpus cum ipſo coaleſcamus: deinde participes ſubſtantiæ ejus facti, in bonorum omnium communicatione virtutem quoque ſentiamus.* &c. Hactenus Calvinus.

2. Zuinglii doctrina de Euchariſtia.

Quoniam verò conjungitur Calvino nominatim *Huldricus Zuinglius* tum præſenti loco de Eccleſia Milit. lib. 4. cap. 9. c. quam libris Euchariſtia præſertim lib. 1. cap. 1. &c. ubi Bellarminus Calvinum initio ſcribit à Zuinglio diſſentire Col. 363. L. C. §. *addit*, &c. ſed mox ibidem fatetur illum cum eodem planè ſentiri: & eodem lib. 1. cap. 8. referam & probabo etiam veram Zuinglii ſenten-

Digitized by Google

ſententiam de Euchariſtia ſeu Cœna Dominica ex Rodolphi Hoſpiniani Hiſtoriæ Sacramentariæ parte ſecunda, qui fol.27.& 28.ita ſcribit.

Zuinglius ut verba Chriſti, Hoc eſt, corpus meum, expoſuerit.

ZUINGLIUS verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, quibus in cœnæ inſtitutione uſus eſt, per Tropum, & quidem Metonymiã expoſuit, Eſt per ſignificat interpretãs, ac proinde verba cœnæ ſic exponenda docuit: *Hoc ſignificat corpus meũ*, vel *Hoc eſt ſignum, figura, memoria corporis mei*: & familiare in Scripturis eſſe contẽdit, ut quoties de Sacramentis agitur, rei ſignatæ nomen ad ſignum ipſum transferatur. Hoc igitur ſenſum verborũ Domini eſſe docuit: Hoc, videlicet, *hic panis* (ut ex ipſo ſermonis contextu, & cum præcedentibus & ſequentibus cohærentia perſpicitur) *eſt corpus meum, quod pro vobis datur, ſeu frangitur.* Id eſt, *Hic panis eſt ſymbolum ſive ſignum & pignus corporis mei, ſignificans non ſolùm, ſed etiam teſtificans & obligans vobis, qui in me creditis, corpus meum dari pro vobis in crucem, ut illic frangatur, hoc eſt, acerbiſſimis doloribus excrucietur.* Item: Hoc ſcilicet poculum, ſeu vinum in poculo contentum, ut etiam ex ipſa cohærentia & Euangeliſtarum collatione planè liquet) *eſt ſanguis meus novi Teſtamenti ſeu fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Id eſt, *Hoc poculum ſeu vinum, eſt ſignum & pignus ſanguinis mei, ſignificans, obſignans & teſtificans vobis ſanguinem meum effuſum iri in cruce, ad confirmandum fœdus illud gratiæ, atque ita promerendum vobis apud Deum remiſſionem peccatorum, quatenus ſcilicet expiavero illa, proq; eis ſatisfecero juſtitiæ Dei morte mea.*

Quũ itaq; Zuinglius Eſt interpretatur ſignificat, ſuum *ſignificandi* modum eo ſenſu ſumi vult, quo ſolent modo Sacramentorum ſigna ſignificare. Nam ut varia ſunt ſignorum genera, ita ſignificandi quoque rationes variæ ſunt, pro natura cujuſq; tũ materiæ, tũ argumẽti in quo verſamur. Zuinglius ergo in Sacramẽto Cœnę S. nõ aliã ipſi ſignificationẽ tribuit, quã quæ veterẽ referat Sacramentorum naturam. Itaq; ſi panẽ corpus Chriſti, & vinum ſanguinem ſignificare docuit, modo ſignificandi Sacramentis proprio & peculiari, non intellexit profectò hanc ſignificationem inanem, vacuam & nudam ſine certiſſima rei ſignificatæ præſentia, & cum rebus, quas ſignificant ſocietate. Neque dubitavit, quin idipſum Deus revera præſtet, quod Sacramenti hujus Symbolis repræſentat, quodque promiſſio ipſius annexa, tanquam divina nota ipſis impreſſa, teſtatur & continet.

Zuinglius qualem ſignificationẽ ſtatuerit in verbo EST.

Gen 17. 11. Exod. 13. 9. 16.

Sed ut Lector mentem & doctrinã Zuinglii de Cœna adhuc melius percipiat & intelligat, paulò fuſius eam ex ſcriptis ipſius & libris ab eo editis repetam. Et quantum quidem ad ſenſum verborum Domini attinet, *Hoc eſt corpus meum, &c.* docuit una cum Oecolampadio, *ſententiam hanc non reddendam eſſe ex litera ſed ex mente Domini loquentis. Figuratum enim ſermonem eſſe, non conſtituentem panem corpus, ſed ſignum, figuram, vel Sacramentum. Sacramenta verò rerum ſignatarum nomine ſibi uſurpare. Hoc etiam docuiſſe in negotio Cœnæ vetuſtos Patres & idcirco hæreticos non eſſe, qui per Tropũ verba Domini,* Hoc eſt corpus meum *exponunt, ſicuti & illa, Phaſe eſt tranſitus,*

Dilucidior explicatio ſententiæ Zuinglii.

Gen. 17. 11. Exod. 13. 9.

Exod. 12. 17. 1. Cor. 10. 4.

rium ut ipſi loquuntur, offenſivum. Primum quia Dei cultus non eſt quicquid homines fingunt, volunt, offerũt, dicunt & faciunt, ſed id ſolùm, quod Deus ſibi fieri, dici & offerri diſertè juſſit, Deut. 12. 8. Iſa. 29. 13. Math. 15. 9. Col. 2. 23. Gal. 1. 9.

2. Quia Deus ipſe quædam ſibi voveri & offerri expreſſe vetuit, ut *claudas, cæcas & mutilas pecudes*, Levit. 22. 22. 23. Precium meretricis aut Canis Deut. 23. 18. Itaque ſi hæc Deo voventur & offeruntur, quantacunque bona intentione fiat, Deus non colitur, nec probat.

3. Quia ipſimet Sholaſtici & cum his Canoniſtæ agnoſcunt, eſſe quædam vota mala, quæ etſi de facto voventur de jure tamen non valent. Tale fuit votum Jephtę ex Hieronymi ſententia *Nam in vovendo fuit ſtultus Jephta, in reddẽdo impius*, ut ait Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 2. ad ſecundum canonẽ *in malis* 23. quæſt. 11. 1. Ergo ſi concipiantur ejuſmodi vota, per ea, quæ ſunt impia, Deus non colitur: neque iſta ſunt Deo grata.

℞ Nec obſtat, quod velo verſo excipiunt, ſe de legitimis & conceſſis, non de illicitis, vel pravis votis loqui. Ea enim vota tunc Dei cultus ſunt, non quia vota ſunt (id quod vult Bellarminus) ſed quia ſunt res à Deo ſibi offerri ac fieri præceptæ, atque ſuo verbo non alienæ veluti votum Nazareatus olim Lev. 27. & Num. 6. Deut. 12. Jud. 13. Math. 2. 23.

Bellarm. l. de Monach. 2. c. 16.

Objiciunt. 1. ex Iſa. 12 21. *vovebant* in Eccleſia Chriſtiana *Ægypti*. Ergo quævis vota ſunt Dei cultus. RESP. ex Deut 12. 6. 8. ait Dominus, *Non vovebis quicquid tibi in mentem venerit, ſed quod Dominus juſſerit duntaxat*. Exemplum Deut. 23. 8.

2. Omne votum, inquiunt, eſt promiſſio Deo facta. Atqui omnis promiſſio Deo facta eſt ipſius cultus. RESP. falſum eſſe aſſumptũ, teſte *Moſe* Deut. 12. 8. *Johan.* 22. 22: *Recipe ex ore Dei legem.* Chriſto Math. 15. 9 Eſt item fallacia à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter.

3. Omne juramentum, ajunt, eſt cultus Dei. Ergo & votum. RESP. duplicem eſſe fallaciam. *Unam* à dicto ſecundùm quid. Nec enim omnia Juramenta ſunt Dei cultus, quum quædam apertè damnet ipſe *Chriſtus* Math. 5. 34. & *Amos* 8. 14. *per reatum ſeu vitulos Samariæ, Leges Cæſariæ* Novel. Authentic. *ut ne luxurientur contra naturam homines*, item Canones, can. *Conſidera*. & can. *Si quis per capillum creatoris* 22. quæſt. 1. Fallacia *altera* eſt, à non conſequente. Nec enim tam diſertè Deus præſcripſit ſibi vota fieri, quàm jubet per ſe ſuum q; nomen jurare, Deut. 10 20. Iſa. 43. 23. Deut 23.

4. & 5. ajunt, Diis falſis vovere etiam licita eſt peccatum, item non reddens vota licita Deo, peccat. Ergo quod vis votum eſt Dei cultus. RESP. Eſt fallacia à non conſequenti, & à dicto ſecundũ quid ad dictum ſimpliciter. Vota licita ſed non omnia non reddere Deo, eſt peccatum. Ergo quod de licitis duntaxat dicitur, illi extendunt ad omnia vota. Ubique hoc capite ſic peccat:

6. Quævis actio ob Deum facta & ſuſcepta eſt Dei cultus. Ergo & votum quodvis Dei cultus eſt. Reſp. Hoc aſſumptum eſt blaſphemum, & à *Moſe* confutatum Deut. 12. 8. à *Chriſto* Math. 15. 9. à Paulo Col. 2. 23. Ac licet Adver-

ſarii

Digitized by Google

ſarii Patres objiciant, fruſtrà tamen fit, quum nos Dei verbum opponamus.

7. & 8. dicunt, Deo votum eſſe gratum, quia fit de re non præcepta, & vovere Deo, non eſſe præceptum Dei. Reſpondemus: Votum Deo gratum eſt idcirco, quoniam ab iis, qui ſic ipſius Spiritu impellerentur, hoc fieri præcepit, & de iis rebus & eo modo, quas & quo ipſe ſuo verbo præſcripſit ac mandavit: non autem aliter, Deut. 12. 6. 7. 6. & 23. 18. Num. 6. Ergo probatur eatenus duntaxat à Deo votum, quatenus aut de re ab eo præcepta nũcupatur: aut præceptis Dei non refragatur, ſed ſcienter ac prudenter fit juxta Dei legem, ut ei gratum eſſe queat. Id quod annon quoque argumentum confutat?

9. enim repetunt Patrum nonnullorum vota, quæ Deo grata fuerint, ut *Jacobi* Gen. 28. *Davidis* Pſal. 132. 2. Ergo quodvis votum eſſe Dei cultum. RESPOND. Eodem paralogiſmo fallunt, quo ſuprà, nimirum à dicto ſecundùm quid, &c. ſic: Quædam vota probat Deus, ergo omnia. Quod quis non ſentit eſſe impoſturam & ineptias?

10. Opponentibus Euangelicis (ut ſub finem cap. 16. lib. 2. de Monach. Bellar. recenſet) ex Col. 2. 23. & Rom. 14. 23. *Omnis cultus à Deo non præceptus, ſed ſponte ſuſceptus, & qui non ex fide fit, eſt illi ingratus*, reſpondent ſolùm agi ab Apoſtolo de rebus inanibus & planè Judaicis, ut lotionibus, quas Deus neque probet, neque commendet. Ergo per ipſos Papiſtas, & ex hac reſponſione illorum apparet, ea demum Deo grata eſſe, & in Dei conſpectu ponenda, quę Deus ipſe & probet, & nobis commẽdat: aut verbo ejus nec directè nec obliquè reluctantur. Hoc probent de Monachatus ſui votis, & vicerint. Alioqui ſeſe manifeſtè refellunt, & ſeipſos evertunt, niſi probent Monachatum nobis à Deo fuiſſe mandatum & commendatum.

III. Contra votum generale ac commune ſacroſancti BAPTISMI certant, ei monaſtica vota anteponentes. Nam diſputant, *utrum ea promiſſio, quæ fit à nobis Deo in Baptiſmo, vel etiam extra & poſt Baptiſmum, de ſanctè piéque vivendo & mundo, carni ac Diabolo renunciandi, ſit votum* (ut Euangelici contendant) *an ſolùm promiſſio ſimplex, minor voto, id eſt, minus nos apud Deum obligant, quàm votum monaſticum.* Finis & ſcopus hujus quæſtionis illis eſt, ut homines præferant vota monaſtica Baptiſmo: & ſanctior, perfectiorq́; ſe vitæ ſanctæ inſtitutio in monachatu eſſe credatur, quàm in Chriſti præceptis: denique ut monaſtica vita facilior & compendioſior ad vitam æternam via cenſeatur, quàm via in Baptiſmo à Chriſto præcepit, licet ſit ipſa illa ſapientia. Ergo vera, meraque in Deum & ejus Chriſtum Dominum blaſphemia eſt finis ac ſcopus hujus quæſtionis & controverſiæ. *3. Baptiſmi votum cõmune monaſticis poſt ponentes Papiſtæ peccant. Lib. 2. de mon. c. 19.*

Ejuſdem quoque definitio & deriſio, quam duce & doctore Bellarmino fingunt & ſequuntur, eſt & falſa & itidem blaſphema. Vult enim hic, eam noſtram, quæ fit Deo etiam in publico Baptiſmo, promiſſionem, minus nos obſtringere, quàm ſuum, id eſt, monaſticum votum, id eſt, promiſſionem voluntariæ paupertatis, caſtitatis & obedientiæ. Ergo *ſtipulationem* (ut Pe- *1. Pet. 3. 21.*

trus vocat (ſeu promiſſionem *Baptiſmi* & votum eſſe negat, & ea, quæ in Baptiſmo promittimus, Deo voveri poſſe etiam iterùm à nobis pernegat. Quæ falſa eſt ſententia utraque, ut ex oppoſitione noſtrorum pro Baptiſmo & Bellarmini contra Baptiſmum argumentorum liquebit.

Pro Baptiſmi voto rationes.

Primum, noſtrum eſt, Quæcunque ſunt pia, & ſancta & honeſta, Deo voveri ac promitti à nobis poſſunt, imò debent, teſte Paulo, Phil. 4. 8. At ea, quæ ſignificantur & promittuntur in Baptiſmo ſunt maximè pia, ſanctiſſima & honeſtiſſima: Ergo vovenda. Auguſtinus in Pſal. 75. & ſerm. 7. de tempore idem ſentit.

Secundum, Quæcunque ſunt Dei, promitti Deo poſſunt & debent, ac ea promiſſio propriè votum dicitur: vel ex Pet. Lombardi definitione lib. 4. ſentent. diſt. 38. cap. 1. quam definitionem veriſſimam eſſe tradit Thomas in eum locum art. 1. in reſponſione. Ergo falſa eſt Bellarmini ſententiatia, qui hoc negat.

Tertium, Thomas ipſe in ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 2 (quem hîc pro ſe citat Bellarminus) ſcribit in reſponſione, hanc promiſſionem rerum ad ſalutem neceſſariarum & in Baptiſmo comprehenſarum factam Deo, eſſe propriè votum, etſi non propriiſſima & ſtrictiſſima vocis ſignificatione. Idē tradit Durandus ibidem, quęſt. 1. N. 6. Idem Dominicus à Soto lib. 7. quæſt. 1. art. 3. de *juſtitia*, & Alphonſus à Caſtro lib. 1. cap. 10. de lege pœnali.

Quartum, Magis obligat nos, quæ majore authoritate jubente fit à nobis promiſſio, velut rege jubente: quàm quæ fit minore (velut judice tantùm pedaneo) præcipiente, quia violatâ eâ major authoritas offenditur. At quæ in Baptiſmo promittuntur, ea Chriſto jubente promittuntur: quæ verò in monaſticis votis voventur, ſolis hominibus authoribus promittuntur Deo. Ergo vota monaſtica minus obligant, quàm promiſſio in Baptiſmo, Chriſto authore facta.

Contra Baptiſmi votum argumenta.

Adverſarii contra alia argumenta objiciunt: *Primum & ſecundum* Bellarmini eodem ſpectant. Nam *promiſſio in Baptiſmo neceſſaria eſt, ait, non ſpontanea: Ergo non eſt votum, quod eſt ſpontanea teſtificatio.* Item: *Fit promiſſio in Baptiſmo à pueris, qui nullum adhuc velle habent.* RESPONDEMUS: Quæ fit ab *adultis* promiſſio in Baptiſmo, ea procul dubio ſpontanea eſt, & teſtificatio quæ fit Deo, & de his, quæ ſunt Dei. Ergo eſt votum. Vide l. 4. ſent. diſt. 38. & Thomam art. 1. Quæ fit pro *infantibus* à patrinis & ſuſceptoribus, dum baptizantur, tum demum rata fit plenè, quum illi pueri ad annos diſcretionis pervenerint: quo tempore jam illi ſpontaneæ ſuæ voluntatis teſtimonium manifeſtum reddunt, ut explicat Bernardus epiſt. 1. ad Robertum. Et ſic quoq; illa promiſſio votum eſt, & Deo fit, & de his, quæ ſunt Dei. Itaque hæc promiſſio poſterior retròtrahitur ad id, quo primum illi baptizati fuerunt, tēpus: & ſic eſt ſpontanea promiſſio.

Tertium & quartum Bellarmini argumentum ſunt larvæ. *Non eſt, ait, hæc promiſſio, ſcilicet, Baptiſmi, implicitè votum, nec explicitè*: alioqui peccata hominum omnium baptizatorum eſſent duplicia, nempe ratione Baptiſmi & voti. RESPOND-

ſPOND. Et implicitè & explicitè promiſſio facta Deo in Baptiſmo eſt votũ vel ex definitione P. Lombardi, quam probat Thomas, & per ſe probata eſt. Eſt *explicitè*. Nam manifeſtè baptizati in annis diſcretionis teſtificantur ultrò Deo, ſe renunciare diabolo, mundo & carni: qui infantes baptizantur, poſtea id declarant. Quæ declaratio ad prius tempus retrotrahitur, quo primùm illi baptizati ſunt, uti diximus, & eſt votum *implicitè* eadem promiſſio. Nam Chriſtianæ religioni eſt annexum votum renunciandi diabolo, & omnibus operibus ejus, juxta illud Jac.4.7. *Reſiſtite diabolo*. Et Pet.1.epiſt.5.8. Ergo fallitur Bellarminus & fallit, qui id negat. Neque novo voto Chriſtianis opus eſt, ut ſe de iis obligent Deo, quæ in ſuo Baptiſmo promiſerunt, niſi ad recordationem & firmiorem perſeverantiam ſibi imponendam. Saltem unicus ſancti Petri locus 1.epiſt.3.21. de his adverſarios ſatis admonere debebat. Nam clarè ibi Baptiſmi votum dicitur *ſtipulatio bonæ conſcientiæ*: id eſt, ejus quæ certò apud nos ſtatuimus renũciare peccato, morti, diabolo, carni, & abnegare noſipſos, & credere in Chriſtum, producere denique fructus veræ reſipiſcentiæ.

4. Argumenta pro tribus Monaſticis votis frivola habent Papiſtæ. c.20.

POSTREMO, argumentis ſpecialibus pro ipſis tribus monaſticis votis perquàm debilibus nituntur Pontificii, ut paucis demonſtrabimus. PRIMO pro *paupertatis* voto ajunt: Dicit Chriſtus, *Beati pauperes ſpiritu*, Math 5.3. *Ergo perpetua paupertas eſt Deo vovenda, & bona ſunt monaſterio vel cognatis aut aliis relinquenda*. RESPONDEMUS. Subeſt duplex fallacia: *Una*, à falſa illius loci explicatione: altera petitione principii: quia dubium pro certo vero ſumit. Nã quum ejus loci Math.5.3. teſte ipſomet, quintuplex ſit interpretatio, ipſè que ſumat ſuam ſolam interpretationem pro vera contra Chryſoſtomi, Auguſtini, Bernardi ſententiam, quam ipſemet citat, laborat incerto & dubio fundamento, quo nemo niti poteſt. Deinde vox *ſpiritus*, non magis votum hoc loco, aut in tota ſacra Scriptura declarat, quàm *rhedam* aut *lecticam*: ſed animi affectum Deo, Deique voluntati ſubmiſſum. Ergo, qui miſeriam & inopiam ſummam à Deo ſibi impoſitã, non autem voto & gratis ſuſceptam, patienter ferunt, illi dicuntur à Chriſto *beati*, & in futuro ſeculo ditandi. Nec alia mens eſt Luc.6.20. ubi hoc Chriſti dictum explicat, de voto autem ne literam quidem pictam habet. Pugnat adhæc hæc expoſitio cum Chriſti mẽte, qui quam ſummam felicitatem putat mundus eſſe in hac vita (nempe *αὐτάρκειαν* & rerum omnium affluentiã) refutat, & vanam felicitatem eſſe docet. Id quod interpretatus eſt Paulus 1.Tim. 6.17. Alluſit enim Chriſtus ad has libri Proverbiorum ſententias cap.9.1. & 28 6.21. ubi paupertas cum patientia & mentis integritate divitiis atque opibus præfertur.

1. Paupertatis votũ malè ſtabilitur.

SECUNDO citant ex Math.19.21. *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Ergo perpetua & monaſtica paupertas Deo voveri debet*. Quod nihil valet. Nam ne γρῦ quidem Chriſtus de voto hîc agit. Deinde, qui ſua bona ex voto monaſtico abjiciunt, non dant ea pauperib. ſed monaſteriis, aut agnatis aliàs ditiſſimis. Ergo non ſequuntur mentem

Chriſti, qui iſtam paupertatem vovent.

Tertio ex Act. 4. & *quartò* ex 5. Act. exempla petit, ſed per eandem fallaciam à Principii petitione. Sumit enim hæc, quæ illic commemorantur, ex voto præcedente facta fuiſſe. Id quod & falſum eſt, & ex ipſis textus verbis refutatur. Quærit ergo apud Patres ſuæ ſententiæ perfugium, quæ tamen nihil probent. *Primùm*, quòd nihil de voto vendendi agri præmiſſum fuit à venditoribus. Ait enim Petrus (qui vota Deo perſolvenda eſſe ex Levit. 22. & Deut. 12. optimè norat) *Nónne ſi ſervaſſes, manebat tibi? & venundatum erat in tua poteſtate?* Ergo non antea voverunt Deo illud prædium venditores. Deinde, vox *vovendi* in teſtimoniis Patrũ ſumitur tropicè & figuratè, pro deſtinaſſe apud populum illic collectum, ſi venditorum verba ſpectantur, hoc totum precium Dei pauperibus alendis: non autem ſignificat, Deo reipſa & ex animo voviſſe eos. *Denique*, nihil habent commune vota monaſtica de paupertate cum illis exemplis primitivæ Eccleſiæ, in quibus, qui bona ſua vendebant, pios & fideles ex eorũ pretio alebant. At Monachi paupertatem ſuſcipientes (ſi qui priùs erant divites. Nam contra multi priùs pauperrimi, fiunt per Monachatum ditiſſimi, & rebus omnibus abundantes) Monachi, inquam, iſti non pauperibus, ſed ditibus Monaſteriis, ſua erogant, contra veteris Eccleſiæ exempla.

Aliis noſtrorum cõtra votum iſtud paupertatis perpetuæ objectionibus non reſpondet Bellarminus, præſertim autem contra Monaſticam mendicitatem, quæ apud Johannem Wiclephum exſtant dialogorum lib. 4. c. 29. è quibus hæ ſunt paucæ: *Non erit mendicus inter vos*, Deut. 15. 4. Quod *paupertatem à ſe dimoveri pii precantur*, Prov. 30. 8. Qui non laborat, inquit Paulus, *non manducet*, 2. Theſſ. 3. 10. Job. 29. optat ſibi divitias, non paupertatem. Gen. 3. *In ſudore vultus tui edes panem.* Item; quod lex naturæ jubet honeſtè fovere corpus, non affligere, Epheſ. 5. 29. Denique Monachi mendici eripiunt veris Dei pauperibus ſuam eleemoſynam, nec iis ipſi ullam aut parciſſimam conferunt, quod eſt crudele & inhumanum.

Capite 21. obedientiæ Monaſticæ votum confirmare conatur Bellarminus, per quod homines Chriſtiani ſeſe ſui Præpoſiti, id eſt, alterius velut Domini arbitrio ac nutui planè tanquã mancipia ſubjiciunt, quod tamen Paulus 1. Cor. 7. 23. & Gal. 5. 1. vetat. Primo autem ille dicit, *Jeremiæ 35. filii Jonadab paruerunt in rebus indifferentib. ſuo Patri. Ergo obedientia Monaſtica votum, dependendæ in omnibus etiam religioſis ſuo Abbati eſt Deo gratum.* 1. Obedientiæ votum malè firmatur.

Resp. Eſt fallacia à dicto ſecundùm quid. Quod enim in rebus mediis (in quibus ſolis iſti Rechabitæ parenti ſuo obedierunt) concedi poteſt, transfert Bellarminus ad quamvis obedientiam, quod eſt vitioſiſſimum. Deinde, eſt fallacia ab Ignoratione Elenchi. Nã non eſt par ratio rerum à Deo præſcriptarum, & religioſarum, quæ Monaſticæ dicuntur, in quibus non eſt ulla in nos extra hoc Dei præſcriptum voluntas & poteſtas hominum & rerum mediarum, in quibus eſt aliquod jus & imperium hominum.

Secun-

Digitized by Google

Secundam rationem affert, ipſo teſte, non admodum firmam ex Math. 16.24. *ubi Chriſtus jubet, ut nos ipſos abnegemus. At perfecta ſui abnegatio eſt*, inquit, *in obedientia iſtius Monaſtica voto. Ergo hoc votum eſt Deo acceptum, ac proinde nuncupandum.* Resp. Falſam eſſe aſſumptionem. Nam qui ſe ſic alteri ſubjicit, eſt prorſus illius hominis, non autem amplius Dei ſervus, 2. Pet. 2.19. Rom 6.16. At noſtri abnegatio non debet nos eripere Deo, ut hominum mācipia ſimus. Ergo hæc obedientia nequaquam eſt illa noſtri abnegatio, quam requirit à nobis Chriſtus, neque propterea Deo probatur. Præterea hæc obediētia jam eſſet Dei præceptum, non uti volunt, Conſilium. Ideò ſic ſibi repugnat.

Tertia illius ratio eſt. *In quovis hominum cœtu unus aliquis præeſſe debet. Ergo obedientia illi profecto etiam ex voto promittenda eſt.* At præpoſitis juſtis & legitimis eſt obſequendum, non quibus vis nec in omnibus rebus, ut iſte vult & Monachi faciunt, ac Hieronymus vult ad Ruſticū, ſed in iis duntaxat, quæ neque cum verbo Dei pugnant, neque ipſorum poteſtatis fines egrediūtur. At obedientia Monaſtica Monachum in omnib. ſubjicit alterius arbitrio, ut neq; quicquam ille in mandato ſibi facto diſcutere debeat, teſte hoc ipſo §. *Quarta* col. 1220. 2. D.

Heb. 13.8.

Act. 4.19.

Quarta ratio ſumitur ex Patrum, jam iſto Monachatus errore faſcinatorum, & tantùm tamē nonnullorū ſcriptis & auctoritate, qua ejuſmodi obedientia cum voto probetur. Resp. Nō quid Patres ſcripſerint, ſed quid ſcribere debuerint, nobis ſpectandum eſt. Nec quæ vota Deo ſunt grata, ex hominum ſcitis & placitis, ſed ex ſolo Dei ipſius verbo definiendū eſt. At iſta obedientia Monaſtica facit homines Chriſtianos brutos, pecudes, ſaxeos, qui ne dijudicare quidem debeant, aut poſſint, quo illis præcipiatur à ſuis præpoſitis, utrum honeſtum an turpe ſit, peccatum an Deo obedientia ut ex *Hieronymi* Epiſtola ad Ruſticum, *Caſſiano* lib. 4. Collationum cap. 33. Gregorio Homil. 20. in Ezechielem contendit Bellarminus. Ergo ſeipſum & Monachatum hic jugulat, dum ejuſmodi obedientiam probat, quæ pios Deo eripit, homini autem ſubjicit atque addicit.

Quinta ratio ſumitur *ex Miraculis* à Monachis obſequentibus æditis, quemadmodum Sulpitius lib. 1. de Sancto Martino, *Caſſianus* lib. 4. cap. 23. *Greg.* lib. 2. Dialog. cap. 7. referunt. Resp. Hæc miracula & inepta & ſuppoſita eſſe, & qui ea ſcripſerunt, ex auditu tantùm habuiſſe, non ex viſu, teſte ipſo Sulpitio. Deinde, hoc ſuſcipere, quod Abbates iſti præceperunt, erat Deum impiè tentare, quod Chriſtus Math. 4.6. fieri vetat. Denique nihil miracula probant, niſi præceſſerit Dei verbo conſentiens doctrina & res, id quod hîc longiſſimè abeſt.

Tandem cap. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. &c. rationes pro continentiæ voto incredibili conatu producit, ſed nihil proficit, quàm ut Monachatum impuriſſimæ ſcortationis ac ſpurciſſimæ Sodomiæ ſeminarium eſſe prodat. Prima eſt ex Luc. 1.34. ubi dicat B. Maria virgo ad Angelum: *Quomodo fiet iſtud, quum virum non cognoſcam?* Ergo votum continentiæ perpetuæ virginem Mariam voviſſe

3. Continentia votum malè fundatur.

Rrrr 3

pauperibus præbendi, iisque ſuccurrẽdi, à junioribus viduis facta intelliguntur. Ergo priorem fidem de miniſterio ſuo & opera pauperibus Chriſti promiſſa deſeruere iſtæ viduæ juniores, dum nupſere. Maritis enim poſtea nuptæ adhærere cogebantur, & Chriſti pauperum curam deſerere compellebantur. *Nemo enim duobus dominis ſervire poteſt.* Quare de voto non nubendi concepto ne per ſomnium quidem agit illic Paulus. Imò ſi votum de continendo in perpetuum ab iſtis viduis junioribus emiſſum fuiſſet, & illud Paulus probaſſet ut legitimum & obligatoriũ, vetuiſſet Paulus eas nubere, quia vota juſta Deo reddenda eſſe noverat. Potius contra permittit, ut eæ juniores viduæ nubant, nec earum hoc ſecundum conjugium damnat (quod & temerè & falsò & contra hunc Pauli locum tam concilia quædam & Patres, quàm Pontifices ac Canon *de viduis, viduas*, & Can. *Diaconiſſam* 27. quæſt. 1. ſtatuerunt) ſed ratum eſſe vult. Temeritatem tantùm ac levitatem relicti ab iſtis fœminis promiſſi muneris curãdi pauperes accuſat.

Gen. 2. 24. Math. 19. 5. 1. Cor. 7. 3. 34. Math. 6. 24

Quartam rationem haurit cap. 27. à conciliis quibuſdam. Sed ea poſt natum jam de Monachatus voto errorem, quũ pura Apoſtolorum doctrina jam retineri deſiiſſet, circa & poſt annum 308. celebrata ſunt. Adhæc nullum illa fundamentum ex ſacra Scriptura pro votis adferunt.

Quintam cap. 26. è Pontificum Romanorum decretis excerpit. Sed ea privata ſunt, & interdum ſuppoſititia, aut alio fine propoſitia, ut inſpicienti palam fit.

Sextam cap. 27. rurſus à Patribus adducit, quorum tamen nemo de perpetuæ virginitatis voto mentionem facit, ſed tantùm docent, ſuo jam ſeculo fœminas extitiſſe Chriſtianas, ob ingruẽtes Eccleſiæ afflictiones & inſaniam luxus, toto tunc mundo Ethnico regnantem, ſponte, at nullo perpetuæ continentiæ voto emiſſo, ſe velabant caſtæque vivere cupiebant, verùm domi quæque ſuæ, non in uno Monaſterio ſimul collectæ erant, concluſæ ac tandiu quandiu dono illo continentiæ à Deo donatæ manerent. Manebat enim illis hæc Pauli ſententia duplex infixa: *Melius eſt nubere, quàm uri.* Item: *Si nupſerit virgo, non peccat.* 1. Cor. 7. 7. & 28. Sic reliquæ quas affert rationes ſolummodo aut ab humanis fictis argumentantur, aut alio modo, ac ille refert, acciderunt. Iiſdem quoque fallaciis, quas ſuperiores habuere, aut gravioribus laborant. Quare tædii vitandi cauſſa ab iis recenſendis ſuperſedemus, non defuturi, ſi poſtulari animadverterimus. Et ſatis etiam eaſdem ſupra in Joviniani, Vigilantii, aliorumque hæreſi fruſtra Euangelicis intentata refutavimus.

Ne plura. Vovent Pontificiorum Monachi, Moniales ſeu nonnæ & ſacrifici caſtitatem, quum eam probare non poſſint, nullumque hominum genus ſit impurius, & libidinoſius. Vovent etiam paupertatem ſed ſine authoritate divina, quumque Reges palatiorum & ædium ſplendore; Epicuræos cibotũ lautitiis; ſummos viros ac principes divitiis ſuperent. Vovent & ſpondent denique obedientiam, cujus nullum mandatum divinum habent, quumque iidem ſint Deo & legitimis magiſtratibus rebelles, imò & omnium incendiorum

ac

Digitized by Google

ac bellorum, quibus populus Chriſtianus propè alterius eſt, præcipuæ faces. Unde conſequitur ipſos doctrinam & conſuetudinem prorſus hæreticã hac in re tenere & ſequi, quum orthodoxa & verè Catholica ſit ſententia, monaſteria ac vota monaſtica aut nulla aut libera eſſe oportere.

CAP. XI.

Falsò veterum quorundam opinionem, qui Euchariſtiam tantùm figuram corporis Chriſti eſſe docuerunt, Euangelicis aſcribi.

NEc ſe continet Bellarminus, quin viceſimam & poſtremam eo in capite 9. de notis Eccleſiæ hæreſin addat, quaſi ea Euangelici & reformatarum Eccleſiarum ſectatores corrupti ſint.

Intentatio hæreſis de Euchariſtia.

Hæreſis 20. & ultima, inquit, quorundam, qui negabant Euchariſtiam eſſe veram carnem Chriſti, & tantùm eſſe volebant figuram, ſeu imaginem corporis Chriſti: ut docet Theodoretus in dialogo tertio. Hanc hæreſin docet Zuinglius libro de verbis cœnæ Dominicæ, & Calvinus Inſtitut. 18. §. 12.13.14.15.&c.

Depulſio.

RESPONDEBIMUS *tria* auſpiciis Dei, quibus tam Zuinglius & Calvinus, quàm Euangelici omnes in reformatis hodie Eccleſiis, ab intentato hoc crimine non ſine laude abſolvi poſſe confidimus. *Primò*, Calvinum & Zuinglium non modò diſſentire ab iſtis hæreticis, verùm etiam illis ex diametro repugnare. *Deinde*, duos illos Theologos etiam veritatem docere. *Tertiò*, Pontificios hîc hæreſi craſſiſſima implicari.

I. Diſſentiunt veteres hæretici de Euchariſtia & Euangelici hodierni.

PRIMUM ipſo Bellarmino advocato expedire poſſumus. Is lib. 1. de Euchariſtia cap. 1. paulò poſt principium: *Ne glorientur, inquit, Calviniſtæ, ſententiã ſuam valdè antiquam eſſe, obſervandum eſt antiquiſſimos illos hæreticos, de quibus Theodoretus loquitur, non tam Sacramentum Euchariſtiæ, quàm myſterium incarnationis oppugnaſſe.* Ubi vertiginis ſpiritus, quo agitatur Bellarminus, animadverti debet. Ne concedat Calviniſtarum, imò potiùs orthodoxorum ſententiam orthodoxam *antiquam* eſſe, docet *non fuiſſe eandem* vetuſtarum hæreticarum, quos Theodoretus deſcribat. Ut tamen doceat eam eſſe *hæreticam*, dicit *eandem antiquam hæreſin* Calvinum docuiſſe. Antiquum ergo obtinet, idem modò ajens, modò negans, in quo tamen videri poſſit minimè idem, niſi quod eſt torquendo & retorquendo idem, qui idem ſolet.

Bell. loco jam ſuprà citato.

Ac non malè tandem cedit ipſius vertigo & intemperies. Nunc enim explicat ipſe, quantum Calvinus & hæretici illi veteres diſſideant. *Hæretici iſti, inquit, negarunt Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia, negarunt enim incarnationẽ Chriſti. & in Euchariſtia volebant tantùm eſſe figuram ejus corporis.* Quid autem Calvinus? *Docet ſymbola & corpus Chriſti, licet loco inter ſe plurimum diſtent, tamen conjũcta eſſe.* NON SOLUM *ratione* SIGNI, *quia unum eſt ſignum alterius, ſed etiam, quia cum ſigno Deus verè nobis exhibet* IPSŨ VERUM CHRISTI CORPUS ET SANGUINEM, *quo anima noſtra verè alantur.* Optimè: ſed meliùs, quod repetit ipſa etiam verba Calvini, ac dicit: *Sic enim ſcribit Calvinus in Math. 26. & lib. 4. inſtit. cap. 17 §. 5.* VERE *in cœna datur nobis corpus*

pus

Digitized by Google

pus Chriſti, ut ſit animis noſtris in cibum ſalutarem, hoc eſt, ſubſtantia corporis Chriſti paſcuntur anima noſtra, ut VERE *unum efficiamur cum eo. Non ergo vacuum aut inane ſignum nobis proponitur, ſed vera carnis Domini fiunt participes, qui fide hanc promiſſionem recipiunt. In ſacra ſua cœna jubet me Dominus ſub ſymbolo panis & vini corpus & ſanguinem ſumere. Nihil dubito, quin & ipſe verè porrigat, & ego recipiam,* SED SOLO ORE FIDEI. *Similia habet Beza.* Hæc Bellarminus de illis.

Bell. lib. 1. de Euchariſt. cap. 5 §. ſeptima eſt.

Quid ex his colligit? *Admittit Calvinus panem Euchariſtiæ non eſſe nudam figuram corporis Chriſti, ſed figuram, quæ rem ipſam exhibeat.*

Bell. ibid. cap. 1. §. No.

Videtis ergo, ô Chriſtiani & pii lectores, aſtutiam & iniquitatem accuſationis. *Hæretici iſti*, inquit, *negabant Dominum habere verum corpus: At Calvinus*, inquit, *dicit* FIDELES *veri corporis Chriſti verè eſſe participes.* Deinde: *Hæretici*, inquit, *in Euchariſtia volebant eſſe tantùm figuram corporis Chriſti. At Calvinus*, inquit, *admittit non tantùm figuram corporis Chriſti in Euchariſtia.* Et tamen *eandem*, inquit, *hæreſin Calvinus docuit.* Quum ergo tam maniſeſtè prævaricetur, deploratam prodit conſcientiam. Adhæc ipſiſmet ſuis verbis, quibus Calvinum accuſat, eundem excuſat & purgat. Hoc ex iſtis acuto & intelligenti ac prudenti lectori ſatis patet. Ac abundè jam innocentia Calvini elucet, noſtrarumque Euangelicarum Eccleſiarum orthodoxa de Euchariſtia doctrina, quæ ab omni hæreſi remotiſſima ſit, ex eo nitet atque innoteſcit, quod ipſo Adverſario teſte veteres hæretici, & Calvinus diſcrepant ac diſſident.

Ad hoc tamen clariùs & ampliùs comprobandum, ſecundo nunc loco oſtendemus, planiſſimè etiam Calvinum & Zunglium veritatem de Euchariſtia docuiſſe, ut de nulla prorſus hæreſi poſſint eſſe ſuſpecti. Primùm ipſos Adverſarios veram Calvini ſententiam proferentes cognoſcemus: deinde eandem noſtris atque doctorũ noſtrorum verbis confirmabimus, dũ robur argumentorum noſtrorum pro ea ſiſtamus. *II. Calvinum & Zuinglium Euangelicos veritatem de Euchariſtia planè docuiſſe.*

Ex Pontificiis, qui Calvinum veritatem de Euchariſtia docuiſſe perhibent, eſt Gregorius de Valentia, qui Tom. 4. diſputat. 6. quæſt. 3. punct. 1. §. Item, &c. inquit: *Fortunatus Calviniſta dicit, in Sacramento corpus Chriſti veriſſimè, realiſſimèque percipi.* Ac §. 7. ait: *Et Calvinus affirmat ſæpius, Chriſti corpus eſſe præſens in Sacramento, quatenus ibi noſtris animis verè unitur, & communicatur* SUBSTANTIALITER *(ſic enim loquitur) ſecundùm ſubſtantiam, non modò ſecundùm effectum.* Et ibidem §. 9. dicit: *Cum quo Beza & Sadeel conſentiunt.* Hæc Valentianus. Qui verum, invito Bellarmino, de Calvini doctrina circa præſentiam Chriſti in corona ſacra fatetur. Nam Bellarminus lib. 1. de Euchariſtia c. 2. §. *Quartò Concilium*, ſcribit: *Concilium Tridentinum dicit, corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia verè contra Calviniſtas, qui dicunt eſſe in figura tantùm: figura enim opponitur veritati. Deinde Concilium dicit adeſſe realiter, contra figmentum Calviniſtarum, qui dicunt corpus* FIDE *tantùm apprehendi. Sæpè quidem aſſerunt corpus Chriſti realiter ſumi in Euchariſtia. Sed* REALITER NUNQUAM. Falſum ergo ſic Bellarminum de Calviniſtis dicere arguit ac probat Valentianus, qui hos non tan-

1. Calvinũ doctrina de Euchariſtia.

ſententiam de Euchariſtia ſeu Cœna Dominica ex Rodolphi Hoſpiniani Hiſtoriæ Sacramentariæ parte ſecunda, qui fol.27.& 28.ita ſcribit.

Zuinglius ut verba Chriſti, Hoc eſt, corpus meum, expoſuerit.

ZUINGLIUS verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, quibus in cœnæ inſtitutione uſus eſt, per Tropum, & quidem Metonymiã expoſuit, Eſt per ſignificat interpretãs, ac proinde verba cœnæ ſic exponenda docuit: *Hoc ſignificat corpus meũ*, vel *Hoc eſt ſignum, figura, memoria corporis mei*: & familiare in Scripturis eſſe contẽdit, ut quoties de Sacramentis agitur, rei ſignatæ nomen ad ſignum ipſum transferatur. Hoc igitur ſenſum verborũ Domini eſſe docuit: Hoc, videlicet, *hic panis* (ut ex ipſo ſermonis contextu, & cum præcedentibus & ſequentibus cohærentia perſpicitur) *eſt corpus meum, quod pro vobis datur, ſeu frangitur*. Id eſt, *Hic panis eſt ſymbolum ſive ſignum & pignus corporis mei, ſignificans non ſolùm, ſed etiam teſtificans & obligans vobis, qui in me creditis, corpus meum dari pro vobis in crucem, ut illic frangatur, hoc eſt, acerbiſſimis doloribus excrucietur*. Item: Hoc ſcilicet poculum, ſeu vinum in poculo contentum, (ut etiam ex ipſa cohærentia & Euangeliſtarum collatione planè liquet) *eſt ſanguis meus novi Teſtamenti ſeu fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*. Id eſt, *Hoc poculum ſeu vinum, eſt ſignum & pignus ſanguinis mei, ſignificans, obſignans & teſtificans vobis ſanguinem meum effuſum iri in cruce, ad confirmandum fœdus illud gratiæ, atque ita promerendum vobis apud Deum remiſſionem peccatorum, quatenus ſcilicet expiavero illa, proq; eis ſatisfecero juſtitiæ Dei morte mea*.

Quũ itaq; Zuinglius Eſt interpretatur ſignificat, ſuum *ſignificandi* modum eo ſenſu ſumi vult, quo ſolent modo Sacramentorum ſigna ſignificare. Nam ut varia ſunt ſignorum genera, ita ſignificandi quoque rationes variæ ſunt, pro natura cujuſq; tũ materiæ, tũ argumẽti in quo verſamur. Zuinglius ergo in Sacramẽto Cœnę S. nõ aliã ipſi ſignificationẽ tribuit, quã quæ veterẽ referat Sacramentorum naturam. Itaq; ſi panẽ corpus Chriſti, & vinum ſanguinem ſignificare docuit, modo ſignificandi Sacramentis proprio & peculiari, non intellexit profectò hanc ſignificationem inanem, vacuam & nudam ſine certiſſima rei ſignificatæ præſentia, & cum rebus, quas ſignificant ſocietate. Neque dubitavit, quin idipſum Deus revera præſtet, quod Sacramenti hujus Symbolis repræſentat, quodque promiſſio ipſius annexa, tanquam divina nota ipſis impreſſa, teſtatur & continet.

Zuinglius qualem ſignificationẽ ſtatuerit in verbo EST.

Gen 17. 11. Exod. 13. 9. 16.

Sed ut Lector mentem & doctrinã Zuinglii de Cœna adhuc melius percipiat & intelligat, paulò fuſius eam ex ſcriptis ipſius & libris ab eo editis repetam. Et quantum quidem ad ſenſum verborum Domini attinet, *Hoc eſt corpus meum, &c.* docuit una cum Oecolampadio, *ſententiam hanc non reddendam eſſe ex litera ſed ex mente Domini loquentis. Figuratum enim ſermonem eſſe, non conſtituentem panem corpus, ſed ſignum, figuram, vel Sacramentum. Sacramenta verò rerum ſignatarum nomine ſibi uſurpare. Hoc etiam docuiſſe in negotio Cœnæ vetuſtos Patres & idcirco hæreticos non eſſe, qui per Tropũ verba Domini*, Hoc eſt corpus meum *exponunt, ſicuti & illa, Phaſe eſt tranſitus,*

Dilucidior explicatio ſententiæ Zuinglii.

Gen. 17. 11. Exod. 13. 9.

Exod. 12. 17. 1. Cor. 10. 4.

Petra erat Chriſtus,&c.niſi libeat etiam vetuſtos orthodoxos Patres hæreſeos damnare. Deinde monuit, *Panem quidem in ſubſtã tiam corporis Chriſti non tranſire, ſed manere panem, non tamen nudum, ſeu vulgarem panem, qualem piſtor habet: Inſtitutione enim, verbo, voluntate & ſanctificatione Domini, eſt ſacramentum veri corporis Chriſti,* Ubi & conſecrationem Papiſticam (quam efficacem exiſtimant, ſi ſacerdos legitimè ordinatus conſecrandi intentione, verba illa ſollennia quinque, Hoc enim eſt corpus meum, pronunciat ſuper panem) reprobavit. Nõ itaque docuit Chriſtum Dominum à Cœna ſua abſentem hodie in Eccleſiis fidelium, ſed maximè inſtitutione ſua præſentem eſſe, adeoque ſine Domino non poſſe eſſe cœnam Domini. Explicationis autem & perſpicuitatis gratia docuit ſimul, *præſentiam hanc Domini nõ eſſentialem, ſive corporalem, ſed talem eſſe, qualem Sacramenta requirunt myſtica.* Oſtendit etiam figmenta eſſe verborum, quando dicitur, *corpus Domini adeſſe ſubſtantialiter & corporaliter, non tamen quãtitativè, aut in loco.* Verum enim corpus Domini retinere etiam poſt unionem cum divinitate & poſt clarificationem humani corporis proprietates atque naturam; verum autem corpus ſemper ubicunque ſit, ſuum habere locum, neque unquam poſſe ſimul in pluribus eſſe locis, nedum ubique.

Quemadmodum verò Eccleſiam Dei præſentia Chriſti vivifica non ſpoliavit Zuinglius; ita cibum & potum corporis & ſanguinis Chriſti ſalvificum non ſubduxit Eccleſiæ, & pro eo putamina, hoc eſt, inania ſigna, falſamque & inefficacem imaginationem repoſuit. Docuit enim, *ipſum Domini verũ corpus, quod traditum eſt pro nobis, & verum ejus ſanguinem, qui in cruce pro nobis effuſus eſt, verè manducari & bibi ad vitam æternam. Neque enim ullum alium eſſe cibũ & potum vivificum, niſi corpus & ſanguinẽ Domini.* Rurſus tamen explicandi & perſpicuitatis gratia addit, *fieri hæc non corporaliter, ſed ſpiritualiter per fidem. Carnem enim naturaliter manducatã* (ſicut ipſemet Dominus atteſtatus eſt) *nihil prodeſſe.* Joh. 6. 63. Atque modum hunc non eſſe miraculoſum aut ineſtabilem, licet interim fidei myſterium ideò nuncupari poſſit ineffabile, quod perficiatur cœleſti virtute Spiritus, quæ nunquam poſſit planè vel exactè & congruis verbis explicari. Docuit quoque, *credendum eſſe verbis Domini, & non curioſius in illa inquirendum.* Credendum autem *quoque, quod in mortẽ ſit tradita Chriſti caro, & non quod panis ſit factus caro,* vel quod In, ſub & cum pane ſit vera caro. Hunc enim ſenſum *μετουσίας* & *συνουσίας*, Conſubſtantiationis non elici poſſe ex verbis Domini, pugnare etiam cum articulis fidei, *Aſcendit in cœlum, Sedet ad dextram Patris, Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos, &c.* Hæc eſt ſumma doctrinæ Zuinglii de *cœna Dominica*, quã pro nihili habita hac appellatione à S. Paulo Apoſtolo 1. Cor. 11. 20. ei indita, Pontificii *Euchariſtiam* appellare malunt.

Colligitur ex his luculentiſſimè, *partim* Zuinglium & Calvinum nonnihil verbis diverſos ac diſcrepantes videri, ſed in re ipſa optimè ac planiſſimè convenire; *partim* nihil hæretici docere, imò prorſum ex diametro illorũ hæreticorum doctrinæ & opinioni repugnare,

pugnare,

Digitized by Google

pugnare, qui panem & vinum in Euchariſtia ſeu Dominica Cœna ſaltem figuram atque imaginem corporis & ſanguinis Chriſti eſſe ſenſerunt.

Summa ſententia Euangelicorum de Euchariſtia.

Et quæ illorum de hac re fuit ſententia, eadem eſt nunc omnium Euangelicorum in reformatis Eccleſiis, qui doctrinæ Zuinglii & Calvini ſacris literis conſentaneæ adhærent, ſententia atque fides. Summatim enim tam illi, quàm nos omnes ſanè ex verbi divini ſententia ſentimus, credimus, dicimus, docemus, ſcribimus & prædicamus, in Cœna Dominica panem & vinum in ſua ſubſtantia atque natura permanere, & Chriſti naturalem carnem, imò totum naturale corpus nuſquam actu, niſi in cœlo eſſe, percipi tamen à Chriſtianis fidelibus. Nam Chriſti corpus verè ac realiter ſumi dicimus & ſentimus, ſed non corporali & orali modo.

Quia autem Bellarminus non modò in hac accuſatione lib. 4 de Eccleſia milit. cap. 9. hanc noſtram orthodoxam ſententiam, ſeu potius ipſius Dei verbi de ſacra Dominica cœna veritatem, hæreſeos inſimulando exagitat, ſed etiam lib. 1. de Euchariſtia inprimis magno animi æſtu & labore excutit atque evolvit, ut eadem explicet aut evertat: opponimus longiſſimis & ſcrupuloſiſſimis ejus verbis ac thematibus ab eo confictis breviter & perſpicuè hanc noſtram explicationem.

Quæſtio eſt, de vera præſentia carnis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti in Euchariſtia, vel ſacra Cœna. Utrum videlicet Euchariſtia verè ſit præſens caro, ſeu corpus & ſanguis Chriſti, an tantũ figura & imago corporis Chriſti? Resp. & exponimus categoricè atque exegeticè, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* in ſua ſacra cœna inſtituiſſe duo ſigna, videlicet panẽ & vinum, ut eſſent nobis verè credentibus noſtræ cum vera ipſius carne, & vero eſſentialique ſanguine ac realis communicationis illorum σφραγῖδες & ſigilla (ut Apoſtolus Rom. 4. 11. & vulgo Sacramenta dicuntur) ad ſpiritualem animæ noſtræ alimoniam obſignandam, & certiſſima hujus Dei promiſſionis teſtimonia confirmanda 1. Cor. 10. & 11.

Ex quo fit, ut ſigna & ſigilla moneant & confirment, nunquam autem res ipſa ſignata, nempe vera & eſſentialis caro, ac verus & eſſentialis ſanguis Chriſti, fiant. Nam panis reipſa manet, quod ad ſuam ſubſtantiam, panis: uſu verò & fine differt à communi pane propter inſtitutionem ac promiſſionẽ Chriſti. Propter analogiam autem ſignorum cum re ſignata, & ipſorum in hac actione Sacramentali finem atque uſum, tropicè ſeu metonymicè panis hic Sacramentalis dicitur *corpus* ſeu *caro* Chriſti: Vinum hoc Sacramentale, *ſanguis* Chriſti.

Ergo differunt eſſentiæ ratione, toto genere. *Signa & res ſignata*, ſeu *caro & ſanguis Chriſti* in ſacra cœna: neque ſimul ſunt localis præſentiæ modo. Nã *ſigna* ſunt *in terris*: *res ſignata*, ex Act. c. 1. 9. ac 3. 21. eſt *in cœlis*.

Rei autem ſignatæ communicant omnes ii, qui vera fide illam Chriſti veriſſimam de ſuæ carnis eſu promiſſionem amplectuntur: atque ii quidem ſolum. *Signa* verò ſacræ Cœnæ & fideles & infideles ſumunt.

Digitized by Google

Res ſignata eſt vera caro & verus ſanguis Chriſti, quæ nobis communicantur, id eſt, animis noſtris, non eſſentiarum mixtura, non communione carnali, ſed ſpirituali, quia & quatenus fide à Spiritu Dei renati Chriſto homini ſecundo noſtro Adamo, ejuſque naturæ humanæ, & omnibus iis virtutibus, quæ illi inſunt, nobis ad ſalutem neceſſariis communicamus: quemadmodum nativitate carnali primo Adamo, ejuſque naturæ humanæ, & omnibus vitioſis illius qualitatibus propter peccatum illi inhærentibus communicamus. Virtutes autem illæ, quæ in Chriſti natura humana inſunt, ex Johan. 6. & *Spiritus* & *ſubſtantia* carnis Chriſti nominantur, quoniam in eam à divina illa natura, cui hypoſtaticè eſt unita, manant, profluunt & infunduntur. Nec enim eas qualitates, virtutes, & vires natura etiam humana Chriſti à ſe habet, ſed à divina natura, cui perſonaliter eſt unita. Nec eſt nobis vivifica Chriſti caro, etſi humana, quatenus ſimpliciter eſt caro humana: ſed quatenus & quidem ſola eſt Unigeniti Filii Dei caro, atque illi unita, Joh. 6.

Panem & vinum in Euchariſtia etiam à Patribus ſigna, figuram, imaginem dici corporis Chriſti.

Eran non Scriptura ipſa Gen. 17. 11. & Exod. 13. 9. ac 16. Sacramenta eſſe *ſigna* dicit? An ideò hæretica? Et annõ etiam *Tertullianus, Auguſtinus, Ambroſius ac Hieronymus*, Chriſtum dediſſe in cœna ſacra, *figuram corporis ſui*, ajunt? Nam panem ipſum quidem veteres Patres frequentiſſimè carnem Chriſti nominant, & calicem ſanguinem vocant. Sed hoc hyperbolicè fit, quia in amplificanda Sacramenti dignitate verſantur, ut arctiſſimam rerum ſignatarum & ſignorum conjunctionem, quin rerum ſignificatarum cum fidelibus copulationem dilucidiùs denotent. Idẽ, ut populum ejuſmodi loquendi formis ad rei dignitatem oculis fidei penitùs inſpectandam incitent: non quod hujuſmodi hyperbolis vel tranſubſtantiationem vel conſubſtantiationem rerum cum ſymbolis ullo modo innuant.

Si autem à Patribus ad explicationẽ veniendum, tum profectò omnes craſſas imaginationes & opiniones de tranſubſtantiatione & conſubſtantiatione, quâ ſymbolis miraculoſa in res ſignatas converſio vel permutatio tribuitur, rejiciunt, ſeque figuratè locutos eſſe declarant. Qua de cauſſa ipſorum Patrum verba adducemus, partim ut Euangelicorum doctorum de Euchariſtia ſententiam, quæ ſuprà verbis Zuinglii & Calvini, aliiſque à nobis prolata eſt, non novam, ſed perantiquam eſſe videamus: partim deniq; ut eandem minimè *hæreticam* (in quo ſumma rei hîc ſita eſt) ſed planè orthodoxam & verè Catholicam eſſe totius Chriſtiani orbis theatro conſtet. Nam verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, eodem modo, quo Patres in primitiva Eccleſia interpretati ſunt, & quæ vetuſtiſſimis doctoribus, iiſque probatiſſimis olim ſunt de Euchariſtia piè & orthodoxè tradita, noſtri etiam bona fide hauſerunt, docuerunt & propagarunt. Ut TERTULLIANUS: *Chriſtus*, inquit, *acceptum panem, & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit* (ubi hactenus videmus, ſymbolo tribui nomen corporis, id eſt, rei ſignatæ. Sed ne pro tranſubſtantiatione vel cõſubſtantiatione accipiatur, ſeipſum exponens *Lib. 4. contra Marcionem.*

ponens

ens ſubjicit) *Hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt,* FIGURA *corporis mei. Figura autem non eſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.* Argumentum tale eſt.

Figura corporis naturale corpus arguit: ſpectri enim ſeu phantaſmatis figura eſſe non poteſt.

Chriſtus autem diſcipulis ſuis corporis ſui figuram diſtribuit. Panis enim ille, quem Dominus corporis ſui figuram effecit, dicendo: Hoc eſt corpus meum, figura eſt corporis ejus.

∴ *Ergo Chriſtus verum & naturale, non phantaſticum corpus, vel imaginariū habuit.*

Idem lib. 1. contra eundem: *Sed Chriſtus quidem,* inquit, *uſque nunc nec aquam reprobavit creatoris, quâ ſuos abluit, nec oleū, quo ſuos ungit, nec mellis & lactis ſocietatem, quâ ſuos infantat, nec* PANEM *quo ipſum* CORPUS *ſuum* REPRÆSENTAT, *etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus creatoris.* Zuinglius ergo & Calvinus ſua expoſitione à vetuſtiſſimo hoc Patre ne latum quidem unguem diſcedit, nec ullo modo diſſentit. Ut enim hi, ita ille quoque panem corporis figuram vocavit, & Chriſtum hac ſua locutione non aliud ſignificare voluiſſe docuit. Licet enim in 1. libro *repræſentandi* verbo uſus eſſet: alterum tamen illud, quod de *figura* corporis loquitur, quomodo ſuperius illud intelligi debeat, abundè ſatis declarat.

In Pſal. 3. AUGUSTINUS ſcribit: *Chriſtum in ſacro hoc convivio corporis & ſanguinis ſui* FIGURAM *diſcipulis cōmendaſſe & tradidiſſe.* Hic figuræ vocabulum propriè & abſolutè ab Auguſtino ponitur, ut antea à Tertulliano. *Idem* Auguſtinus contra Adimantum Manichæi diſcipulū cap. 12. Manichæorum ineptias diſcutiens, quibus Scripturæ locutiones de ſanguine, carne & aliis tropicè dictas miſerè torquebant, inter alia ſic ſcribit: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, quum* Signum *daret corporis ſui.* Ubi quod antea *Figuram* dixit, nūc *Signum* vocat Auguſtinus, quod perinde eſt, ac ſi *ſignificandi* verbo cum Zuinglio uſus fuiſſet. Idem Auguſtinus ſcribit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & ſanguinem ejus biberitis, nō habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur jubere. Figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.* Ejuſdem generis eſt, quod ad Bonifacium de Sacramentalibus loquendi formulis in genere inter alia hæc ſcribit: *Si ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramēta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent, Ex hac autem ſimilitudine plerunque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quendā modum Sacramētum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt, ſacramentū ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt, Ita Sacramētū hodie fides eſt, &c.* Quid his quæſo apertius dici poterat? Sacramēta non ipſas res eſſe dicit, ſed rerum in ſe habere ſimilitudinem. Interim Scripturæ locutiones non tollit, non invertit, non mutat, non violat, ſed ſecundùm eum modum accipiendas eſſe dicit, quo dictæ ſunt, videlicet SACRAMENTALEM, qui à figurato & tropico nihil diſtat, quum omnia Sacramenta rerum ſpiritualium figuræ ſint.

Lib. 3. de doct Chriſt. cap 16.

Joh. 6. 53.

AMBROSIUS in 1. Corinth. 11 inquit,

quit, *Quicunque morte Domini liberati ſumus, in memoriam hujus rei edendo & potando corpus & ſanguinem ipſius, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus.* Et lib. 4. de Sacramentis cap. 4, ait: *Sacramenta non pro rebus ipſis, ſed in ſimilitudinẽ rerum, quarum Sacramenta dicuntur, & nomina ſortita ſunt, accipiuntur. Hinc in cœna ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti dicitur, ſicut in Baptiſmo ſimilitudo mortis & reſurrectionis in Chriſto.* De eodẽ habetur apud Gratianum diſt. 2. de Conſec. cap. 69. quod verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, idem valere docet, quod *veri corporis Sacramentum eſſe. Quia*, inquit, *poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur.* Item: *Quia divini beneficii teſtis eſt ſanguis, in hujus typum calicem ſanguinis myſticum percipimus.* Zuinglii ergo expoſitio verborum cœnæ etiam apud Ambroſium antiquiſſimum Scriptorem Eccleſiæ Catholicæ deprehenditur.

Sic etiam Hieronymus in cap. 26. Math. dicit. *Chriſtum panem in manus acceptum Eccleſia ſua ſacramentum ordinaſſe, ut eo veritatẽ corporis ſui repræſentaret.* Hic adverſarii quum aliud non habeant, quo loca hæc verbum *repræſentandi* uſurpãtia eludere poſſint, dicunt. *Repræſentandi* verbum ſic accipiendum, quaſi ipſum corpus per panem; vel accidẽtia panis realiter præſentari, hoc eſt, præſens reddi intellexerint Patres. Quaſi verò hi, ac præſertim Hieronymus, politiſſimus Latinæ linguæ cultor voce hac tam barbarè uti voluiſſent & non potius uſurpare pro eo, quod eſt, rem aliquam ſimilitudine aliqua aut imagine referre, atque exprimere. Nam in 1. Cor. 12. cap. ſic ſcribit: *Quia morte Domini liberati ſumus, hujus rei memores in edendo & potando, carnem & ſanguinem Domini, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus.* Ut Ambroſius dicit contra Jovinianum, *In typo*, inquit, *ſanguinis ſui obtulit vinum* lib. 2. Sic etiam alii Patres cœnæ Dominicę panem & vinum *Typos* & *Antitypos* nominant. *Typus* autem Græcis idem, quod Latinis *figuram* ſignificat. Vide plura loca & teſtimonia Patrum Parte prima Hiſtoriæ Sacramentariæ, per Rod. Hoſpinianum evulgatæ, à fol. 75. per aliquot ſequentia. Quibus quid accommodatius proferri poſſet? Nam hoc verſatur in controverſia & quæſtione, quo ſenſu Chriſtus appellarit panem ſuum corpus? Item, an Euchariſtia ſit vera caro & verum corpus ac ſanguis Chriſti? an tantum ejus figura, typus & imago? Tertullianus, Auguſtinus, Ambroſius & Hieronymus, aliique Patres reſpondent, per panem & vinum notari figuram, ſignũ typum corporis atque ſanguinis Chriſti. An ideò hi Patres ſunt hæretici? Abſit. Annos Euangelici qui iis conſentimus, iiſdem cum illis phraſibus ac formulis loquendi ad explicanda verba Cœnę Dominicæ, genuinumq́; eorum ſenſum eruendum ac promendũ, utimur, hæretici ſumus? Tam non, ac antiquiſſimi illi & ſanctiſſimi patres. Aut ſi nos ſumus, tum & illi ſunt. At poſterius eſt falſum & iniquum cogitatu ac dictu. Ergo & prius.

Sunt etiam penè innumeri libri noſtrorum editi, quibus hæc noſtra ſententia de S. Domini Cœna & præſentia carnis Chriſti in ea copioſè ac ſolidè docetur. Ac evincitur & probatur, eã præſentem realiter actu & reipſa piorũ ac credentium animis, quoniam illam reipſa

Digitized by Google

reipſa & actu credentes fide participãt, ſignis autem σχετικῶς, id eſt, relativè ſacramentaliter ac ſignificativè præſens eſt eadem caro. Quid hac ſententia verius?

Objectiones Adverſariorum vel eluſiones.

Eam tamen malignè circumſcribit Bellarminus lib. 2. de Euchariſt. cap. 1. & alibi, idque tripliciter. *Primum* quod ubique in noſtra ſententia recitanda fidem, quam maximè ſpectamus & prædicamus, ſciens omittit. Totum enim veræ præſentiæ carnis Chriſti & realis fundamentum apud cœnæ S. adminiſtrationem in FIDE, quam quis habet Chriſti promiſſioni & verbis, collocamus. Ille fingit, *nos ex aſſiſtentia, deſcenſu, aut locali aſcenſu animæ noſtræ aut carnis Chriſti ad nos eam præſentiam cogitare, metiri, fundare.* Sed falſo, ne dicã impiè hoc dicitur. Nam quum corpus Chriſti ſit in cœlo, nec inde ante extremum diem rediturum, realiter & verè à nobis editur, nobiſque conjungitur, operante in nobis Spiritu ſancto & FIDE. Nam ſanctus Johannes: *Per hoc,* inquit, *agnoſcimus (in Chriſto) nos habitare & ipſum in nobis, quod de Spiritu ſuo dedit nobis.* Ac Ephel. 3. 17. *Inhabitat Chriſtus per fidem in cordibus noſtris. Nam ſi viſus noſter temporis momento ipſa ſydera viſualiter contingit,* inquit Auguſtinus, *multò magis viſus conjungit nos cum ipſo Chriſto, adeóque cum humana ejus natura cœlo collocata.* Et idem tractatu 50. in Johannem: *Fidem,* inquit, *mitte in cœlum, & eum in terris tanquam præſentem tenuiſti.*

1. Joh. 4. 13.

Epiſt. 3. ad Voluſianũ.

Conſenſus Euangelicorum de Euchariſtia.

Deinde, fingit nos nobis eſſe contrarios, & latenter, quæ dicimus, revocare, aut corrigere poſtea, nec tueri. RESP. falſiſſimum hoc eſſe. Etſi enim de hac potiſſimùm hujus loci quæſtione noſtri *Euangelici,* communiter ita dicti, nõdum inter ſe planè conſentiunt, imò non pauci ſatis acriter, & interdũ hoſtiliter (quod ſeriò dolendum eſt) inter ſe diſſident, animoſeque contra fratres ſuos pugnant: in eo tamen omnes probè conveniunt, *non talem* eſſe Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ *præſentiam*, qualem in ſpecie Pontificii aſſignant, & unde peculiares illorum errores de *tranſubſtantiatione, Sacramenti mutilatione, adoratione, déque ſacrificio miſſa,* &c. promanare ſolent: quos omnes ab omnibus Euangelicis damnari conſtat. Hæc autem eſt præſentia illa Papiſtica, qua Chriſtus totus, quantus quantus eſt, cum corpore & anima & divinitate ſua, verè ac ſubſtantialiter non modò *in, ſub, cum* ſymbolis illis (ut nonnulli noſtratium credunt) omnib. communicantibus, in ipſo ſacræ Cœnæ uſu diſtribuatur, &c. ſed & revera ſub ſpeciebus illis, tanquam unicum ipſarum ſuppoſitum, extra omnem quoque uſum, & quidem permanenter ſeu perduranter, hoc eſt, donec ipſæ ſpecies intereant, præſens adeſſe, ſeu realiter ineſſe putatur. Quam opinionem, unà cum ſuis appendicibus, & fructibus, OMNES OMNINO EUANGELICI rejicere ac damnare ſolent. Sic tamen ut *alii* quidem CORPORALEM Chriſti *præſentiam*, ſed in genere tamen & latè ſumptam, & in uſu legitimo tãtùm vigentem, quæque hinc porrò pendet, *oralem* ejuſdem Chriſti manducationem ac bibitionem (quæ etiã ab hypocritis & impiis revera fiat) impudenter hucuſque retineant, ac mordicus defendunt. Sic autem ἀρτολα-

Præſentia carnis Chriſti in Euchariſtia Papiſtica.

τιας. Pontificiæ idolo potiſſimùm faſcinati ac dementati ſunt, quam tam ægrè deſerere poſſunt. *Alii* verò (quibus in hac parte Nos ac melior & potior pars aſſentimur) non quidem *corporalem* hanc Chriſti præſentiam, ſive *realem in ſignis externis inexiſtentiã*, nec *oralem* iſtam perceptionem, &c. ſed *ſpiritualem* tamen & verè myſticam, ſeu quæ S. myſterio ſpeciatim conveniat, verè gratioſam & efficacem illius præſentiam, ſimul & perceptionem ſalutarem, ſincerè agnoſcunt. Quâ nimirũ fiat, ut Chriſtus Servator vera fide apprehenſus, perque eandem in cordibus fidelium (non impiorum aut hypocritarum) efficaciter habitans, hanc ipſam ſui in nobis habitationem, ac ſalvificam nobiſcum communionem, per uſum ſacræ Cœnæ magis ac magis nobis declaret, atque obſignet, & ſic porrò fidem noſtram confirmet: nóſque viciſſim ipſi gratias pro hoc beneficio ſolenniter agamus, &c. In hac nos ſententia bene conſentire, conſtãteſque eſſe ex majore & meliore parte teſtantur Acta publica, confeſſiones Eccleſiarum noſtrarum, ſcriptaque omnis generis ac linguæ Euchariſtica in lucem hactenus emiſſa. Et ſi qui deteriorem ſententiam de conſubſtantiatione, quæ ſoboles tranſubſtantiationis eſt, de elevatione, adoratione, ſimilibuſque meliora à noſtris edocti tandem deſerunt, tam non illis vitio verti debet hæc correctio, quàm ſancto Paulo non emendatio Phariſæiſmi, ac tranſitus ad Chriſtianiſmum. Quòd ad deteriorem inclinant aut deſciſcunt, judicio Dei commendati rationem illi gravem reddituri ſunt.

Tertiò, Bellarminus tria quædam pronunciata ſua ex noſtra ſententia perperàm ac falsò colligit. Primum eſt: *Nos non aliter velle panem eſſe ſymbolũ & μνημόσυνον carnis Chriſti in Euchariſtia, quàm imago crucifixi picta eſt memoria ejuſdem crucis Chriſti.* Resp. Imò toto genere iſta ſigna differunt. Nam *panis* ſacræ cœnæ eſt ſymbolum & ſignum certiſſimum carnis Chriſti, utpote à Deo inſtitutum. At *imago crucifixi* eſt ex genere ipſo ſignificandi (nam multa falſa pingi poſſunt) incertum ſignum, & ab hominibus, non à Deo inſtitutum, quin à Deo vetitum, Exod. 20. 4. 1. Joh. 5. ultimo. *Panis* Euchariſtiæ certiſſimam Dei promiſſionem habet de uſu ſpirituali carnis Chriſti, ſi quis credat: at *imago crucifixi* nullum niſi viſus, aut ſolius delectationis uſum habet, aut in ſuperſtitionis atque idololatriæ adminiculum (ne quid gravius dicam) convertitur. Ergo hoc ſignum eſt ſolùm pictura: illud autem ſignum eſt obſignatio & teſtificatio præſens.

Imago crucifixi an ſimilis ſymbolu Euchariſticu.

Secundum eſt, quod colligit falsò ex noſtra ſententia *ſymbola ſolùm in ſacra Cœna dari & offerri fidelibus.* Resp. *Fidelibus* & ſymbola & res ſignata verè, actu, certoque præbetur à Deo propter promiſſionem: *Infidelibus* autem, qui Dei beneficium ſponte reſpuunt, ſymbola tantùm & ſigna præbentur ab hominibus.

Tertium, quod falsò colligit, eſt: *Fruſtrà dari cuiquam ſacram Cœnam ex noſtra ſententia, quia quum credant, jam ſumpſerunt ex noſtra ſententia corpus Chriſti & ſacram cœnam.* Resp. Sacra Cœna eſt ſacramentum obſignans & confirmans magis magiſque Dei beneficium gratiæ

Digitized by Google

tiæ divinæ in Chriſto exhibitæ piis ac credentibus per & propter Chriſtum datum, ac collatum. Ex quo fit, ut in ſacra Cœna pii & fideles accipiant majus & firmius ſuæ cum Chriſti vera carne communionis teſtimonium, ſolidioremque confirmationem tanquam pignus præſens: non verò aut ſolùm in ſacra Cœna, aut tunc primùm, quum illa datur ipſis, carni Chriſti communicant fideles, quod Pontificii putant. Nam hi opus proprium Chriſti tranſcribunt, & aſcribunt pani ac vino, terrenis elementis, à ſe magica quadam metamorphoſi deificatis, & in gloriam Chriſti impiè evectis & exaltatis. Ergo pii utiliter & ſanctè accipiunt teſtimonium ſuæ cum Chriſto conjunctionis, ab ipſomet Chriſto inſtitutum. Sed quia de his ipſis rebus etiam poſtea ſæpiùs agit Bellarminus, ut ſuas in nos calumnias repetat, legantur ii, qui Tertium ejus Tomum de Sacramentis refutarunt. Nos de his admoniti, tela ejus ſequentia faciliùs evitare poſſe exiſtimamus.

Noſtræ autem ſententiæ & doctrinæ Euchariſticæ fulcra validiſſima, & antidota contra venena Papiſticarum objectionum atque exceptionum præſentiſſima ac ſaluberrima, reperire licet piis ac æquis lectoribus apud *Guilielmi Perkinſi* Catholicum Reformatum à pag. 225. uſque ad 270. In *confeſſione Helvetica & Harmonia Confeſſionum* art. 19. & 21. apud *Antonium Sadeelem* tract. de Spirituali & Sacramentali manducatione corporis ſanguinisque Chriſti, cum defenſione Theſium D. D. *Jacobi Grinæi* in Academia Heidelbergenſi propoſitarum. In *epiſtolis Bezæ*, epiſt. 4. & 5 à pag. 35. uſque ad 49. & alibi paſſim.

III. Hæreſis Euchariſtica Papiſtas eſſe reos.

RESTAT cura & ſtudium declarandi errores Papiſticos circa Euchariſtiã, ut qui de præſentia Chriſti reali in ea aliis hæreſin falsò affingunt, ſuam veram agnoſcant & emendare diſcant. Summa opinionis Pontificiorum de Euchariſtia, & præſentia carnis & ſanguinis Chriſti in eadem] pulchra & plauſibilis eſt: Nimirum, Corpus & ſanguinem Chriſti per verba conſecrationis, imò totum Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, verum Deum & verum hominem, verè, realiter & ſubſtantialiter contineri ſub ſpecie panis & vini in Euchariſtia, oraliterque ab omnibus communicantibus etiam incredulis & impiis percipi. *Lib. 1. de Eucha. cap. cap. 2.* At Bellarminus hanc theſin maximè ex Tridentini concilii ſeſſ. 13. cap. 1. deducit ac cõfirmat. Sed falſiſſima pariter ac horribiliſſima eſt. *Primùm*, quia magicam attractionem & evocationem corporis & ſanguinis Chriſti è cœlo per ſyllabarum, ac certorum verborum præciſam pronunciationem, quam *conſecrationem* vocat, inducit. *Secundò*, quia contra totius S. Theologiæ dogma, Chriſtum etiam, quâ verus eſt Deus, certo loco & ſpacio, eoque exiguo, nẽpe ſub ſpeciebus panis & vini, contineri ſtatuit. Atqui Deus Chriſtus eſt ubique diffuſus, nec uno loco coërceri poteſt. *Tertiò*, quia hæc Theſis, canon & ſententia non tranſubſtantiationẽ, ſed *conſubſtantiationem* probat. Corpus enim Chriſti verum cum ſpecie & elemento panis conjungit, non autem panem in Chriſti corpus tranſubſtantiat. Id quod eſt ipſam totam *ſcholaſti-*

Concilium Trident. malè fundat præſentiam corporalem in Euchariſtia.

Digitized by Google

cam & Pontificiam doctrinam de hoc articulo evertere, & *Innocentium III.* c. 1. extra de ſumma Trinitate, & cap. *cum Mathei* de celebratione miſſarum, can. *Ego Berengarius*, de conſec. diſt. 2. *Thomã*, magiſtrum ſententiarum damnare, eosq; impietatis ac hæreſis (utpote, qui ſolam tranſubſtantiationem probent) facere. Ex quo fit, ut hujus ſeſſionis 13. canon ſit impius, quia magicus, ſit ineptus, quia ἀθεόλογος: ſit Pontificiarum ipſarum aurium (ut ipſi loquuntur) offenſivus, quia receptum illius dogma & communiter approbatũ oppugnat, ac ideò à tota ſchola religioneq; Pontificia diſſentiens & diſcors.

Inepta declarationes præſentia corporalis. Accedunt probationes & declarationes Bellarmini, nomine Pontificiorum, *partim* ex falſis poriſmatibus & illationibus: *partim* ex regulis de modo locutionum ex nulla grammatica, dialectica vel phyſica deſumptis, ſed recens excogitatis: imò & iis ipſis, teſte hoc ipſo Bellarmino, dubiis, incertis, controverſis & falſis: ut ex refutatione earundem à D. Lamberto Danæo allata conſtat.

Abſurda rationes pro præſentia corporali. Augentur iſti errores rationibus & argumentis quidem variis, ac in ſex *claſſes* diſtributis, ſed & abſurdis & falſis, quæ corpus Chriſti ineſſe realiter & ſubſtantialiter in pane & vino ſacræ Cœnæ ſeu Euchariſtiæ probare nullo pacto queunt: ut propterea hæretica eſſe omnino neceſſe ſit. Hoc in ſingulis claſſibus planum faciemus.

I. Figura V. T. falsò ad corporalem præſentiam torta. Claſſis *prima* continet lib. 1. de Euchar. cap. 3. & 4 *figuras* V. T. quibus Euchariſtiæ Sacramentum, ut ait, olim præfiguratum fuit: quæque neceſſariò inferiores eſſe debent re ipſa figurata, tanquam umbræ ſuo corpore: prout Col. 2. & Heb. 10. dicitur. Tales autem figuræ *duorum* generum ſunt. *Alia* enim *æquales* ſunt ſignis Euchariſtiæ: ut panis & vinum, quæ olim obtulit Melchidechus Gen. 14. item *panes propoſitionis* Exod. 40. & *panes primitiarum* Levit. 23. denique panis Heliæ datus ab Angelo 1. Reg. 19. *Alia* verò ſunt *excellentiores*: ut *Agnus Paſchalis*, Exod. 12. & *ſanguis ille*, quo vetus Teſtamentum olim ſancitum fuit, Exod. 24. & *Manna* ſeu panis cœleſtis, Exod. 16. Pſal. 78. &c. Unde ſic in ſumma concluditur: Niſi corpus & ſanguis Chriſti realiter eſſent in ipſo Euchariſtię Sacramento, ſive in ipſis S. Cœnæ ſymbolis, aut ſpeciebus, jam figuratũ non eſſet ſuis figuris præſtãtius, ſed vel æquale, vel vilius eſſet. Nam quoad ſignificationem & obſignationem figuræ iſtæ V. T. ſi non majorem, ſaltem parem cum Euchariſtia virtutem atque efficaciam habuerunt. Hoc autem abſurdum eſt. Ergo & illud, unde hoc ſequitur. Et proinde corporalis præſentia & oralis manducatio Chriſti in Euchariſtia omnino agnoſcenda eſt.

II. Promiſſiones Euchariſtia falsò ad præſentiam corporalem torta. Bellar. c. 5. lib. 1. de Eucharist. Claſſis *ſecunda* continet ea Scripturæ loca, quæ agunt de promiſſione Euchariſtiæ: quæ omnia extant Joh. 6. ubi Chriſtus aliquoties ait: *Se daturum ſuis panem vitæ, & corpus ſive carnem ſuam eſſe panem illum vitæ, à fidelibus manducandum*, &c. Ubi emphaſis verbi futuri, *dabo*, inprimis obſervanda eſſe docetur. Nam quum Chriſtus dicat in futuro: Panis, quem ego dabo vobis, &c. & hæc ipſa verba optimè reſpondeant verbis illis Euchariſtiæ: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, &c. quum etiam

Digitized by Google

iam de propria ac reali carnis Chriſti manducatione ſæpiùs hîc agatur: & alioqui dicere abſurdum ſit, *Johannem* ſolum nihil de hoc auguſtiſſimo Sacramento ſcripſiſſe, &c. idcirco omnino ſtatuendum eſt, *corporalem* Chriſti *præſentiam* in Euchariſtia, quæque hinc pendet, *oralem* ſive *Sacramentalem* ejuſdem perceptionē hîc promitti: & proinde utramq; neceſſariò credendā eſſe.

Reſponſio & ſolutio.

Verùm in illa 1. & 2. claſſe eſt multiplex aſyllogiſtia, itemque varia principii petitio: quum neque typi illi ſeu *figura* V. T. ad ſacram Cœnam, propriè loquendo: ſed ad rem ejus ſignificatā, videlicet ipſum *Chriſtum*, ejusque cruentam mortem ac ſalutarem victimam omnino pertineant. Quumque *dignitas & efficacia* ſacrorum ex ipſius verbi, ſeu fœderis, cujus appendices ſunt, efficacia & dignitate (quæ certè in N. T. major eſt, quàm olim in V. T. fuit) æſtimari tota debeat. Item quum in *loco Joh. 6.* nihil quicquam de Sacramento Euchariſtiæ, ſed de ſpirituali manducatione propriè agatur: nec futurum illud tempus hîc quicquam aliud deſignat, quàm carnem Chriſti tunc nondum pro nobis in mortem fuiſſe traditam, ſed ſuo demum tempore tradendam, & ſic nobis cibum vivificum reipſa efficiendam eſſe, &c.

III. Cœna S. inſtitutio falsò ad corporalem præſentiam torta.

Claſſis *tertia* habet lib. 1. de Euchariſt: cap. 8. 9. 10. 11. 12. teſtimonia de ipſa *S. Cœnæ Inſtitutione*, prout hæc disertè Math. 26. Marcus 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. recitatur. In qua quidem verba illa Domini, *Hoc eſt corpus meum*, &c. omnia propriè & ſine tropo accipienda eſſe multæ circumſtantiæ non obſcurè videntur docere: *tum* quia ſunt verba *Teſtamenti* ſimul & *præcepti* Chriſti ipſius Domini: *tum*, quia apud familiares & *rudes* diſcipulos à Chriſto jam moribūdo prolata ſunt: *tum*, quia nec *Metonymia*, nec alius *tropus* ſine abſurditate in iiſdē verbis ſtatui poſſe videtur, &c. quum nec in Pronomine *Hoc*, nec in verbo *Eſt*, nec in prædicato *corpus meum*, &c. (ut quod propriè intelligendum eſſe ex annexa illa exegeſi, *quod pro vobis traditur*, apparere videtur) locum habere poſſit, &c. Unde ſequitur verum Chriſti corpus & ſanguinem ſubſtantialiter in Euchariſtiæ ſpeciebus adeſſe, & oraliter ab omnibus communicantibus percipi.

IV. Finis & effectus Euchariſtiæ ad corporalem præſentiam tortus.

Claſſis *quarta* comprehendit loca illa, quæ agunt de *fine* ſeu *effectu ac fructu* hujus Sacramenti uti ſunt locus *unus* 1. Corinth. 10. 15. & *alter* 1. Corinth 11. 24. ubi & *conſecratio* iſtius Sacramenti neceſſaria eſſe traditur, dum panis *benedictionis* appellatur: & paucis in myſterio pro nobis *frangi*, hoc eſt, immolari, ſive incruentè offerri dicitur: & idem panis *communicatio* ſeu *participatio* corporis Chriſti appellatur & denique quidam eorum, qui Sacramentum hoc percipiunt, nempe qui indignè id ſumunt, ipſius corporis ac ſanguinis Chriſti, tanquam irreligiosè perceptorum, rei fieri dicuntur, &c. Quorum omnium nihil eſſet, niſi corpus Chriſti, reipſa & ſubſtantialiter in Euchariſtia exſiſteret.

Solutio.

Sed in 3. & 4. Claſſe tum eadem petitio principii, tum etiam multiplex fallacia conſequentis latet, quum ex omnibus S. Cœnę cauſſis ac circumſtantiis appareat, verba illa Chriſti omnino per *tropum* accipienda & hunc ipſum non quidem in ſubjecto, ſed vel in *copu-*

Digitized by Google

la vel potiùs in ipſo prædicato ſtatuendum eſt: quumque omnes hujus Sacramenti effectus, etiam ſine corporali Chriſti præſentia ſinguli ſuo loco rectiſſimè conſiſtant; nec contrarium ullo modo concludi poſſit vel ex ratione *præceptorum* aut *teſtamentorum*, vel ex *diſcipulorum*, aut ipſius etiam *Chriſti* qualicunque conditione vel ex cōnexa *prædicati* declaratione, aut ex quantacunq; hujus Sacramēti *honorifica appellatione*, vel denique ex quorundam indignè communicantium *reatu*, &c. Hæc enim omnia & ſingula ſuo loco rectè conſiſtere, & dextrè intelligi poſſunt, etiamſi tropus admittatur; imò hoc non admiſſo, nec conſiſtere iſta, nec rectè intelligi ullo modo poſſunt: ſicut ex reipſa patet.

V. Sententia Patrum falsò ad corporalem præſentiam tortæ.

Claſſis *quinta* complectitur libro 2. de Euchariſt. toto ſententias veterum Patrum omnium ætatum inde ab Apoſtolorum obitu, qui corporalem præſentiam Chriſti ac oralem ejus mãducationem exprimere & ſtabilire videntur. Ex quibus in compendium redactis, hæc argumenta pro theſi ſua conſtat.

1. Patres appellant fere ſemper corpus & *ſanguinem Domini*; item, *magnum ac tremendum myſterium* & nonnunquam etiam *ſignum*, aut *figuram* nudam illic eſſe negant.

2. *Comparant eandem cum Sacramentis veteris Teſtamenti tanquam rem figuratam cum figuris. Item cum myſterio Dominicæ incarnationis, cúmque Angelis, in aſſumpto aliquo corpore apparentibus*, &c.

3. Docent, *veram & realem mutationem illic fieri, qualis in converſione aquæ in vinum, & aliis id genus miraculis olim accidit. Item, Panem in ſua natura nō manere; ſenſus noſtros hic falli; omnipotentiā Dei hic ſeſe exſerere & hanc ſolam una cum Chriſti verbo ſpectanda eſſe.*

4. *Negant hoc myſterium ſine fide intelligi poſſe, aut infideles ad ipſum vel videndum admittendos eſſe, &c. Quod de nudis ſignis, & eorum ſignificatione dici non poteſt.*

5. Monent *adorandum atque invocandum eſſe Chriſtum in Euchariſtia & diligentiſſimè cavendum, ne quid de ea in terram cadat, aut pereat*, &c.

6. Docent *Chriſtum in ea corporaliter nobis uniri, & corpora noſtra ex ea ritè percepta ſpem reſurrectionis habere*, &c. Hæc omnia, inquit Bellarminus, docent & perhibent antiqui patres omnium Chriſtianæ fidei ſeculorum de Euchariſtia. Ergo ſenſerunt, Chriſtum illic corporaliter adeſſe, & oraliter ibidem percipi. Videndum inprimis ſuadet inter alios *Ambroſium* lib. 4. de Sacramētis cap. 4. *Chryſoſt.* ad populum Antiochenū Hom. 61. Et in Johan. homil. 45. *Cyrillum* ad Coloſirium, &c. *Epiphanium* in Ancyrato, &c: *Nazianzenum* in Oratione de Georg. *Auguſtinum* in Pſal. 33. & in Serm. ad Neophytos, &c. *Theophylactum* in Johannem & Marcum, &c. Ubi ſuperiores illæ ſententiæ paſſim occurrant, ex quibus theſis de *præſentia* corporali & orali manducatione exſtrui poſſe videtur. In ſumma Patribus in hac cauſſa plurimum deferendum, imò plus quàm recentioribus, qui vocentur Proteſtantes aut Zuingliani & Calviniſtæ, &c.

Reſponſio orthodoxa.

Sed nihil hæc omnia Pontificiam cauſſam juvare poſſunt. Nam ſi *Patres* ipſi (puta antiquiores, quorum quidē genuina ſcripta ſuperſunt) diligenter inſpi-

Digitized by Google

inſpiciantur,tum ex ſola ipſorum inter ſe mutua collatione patebit ſolutio argumentorum, quæ Bellarminus ex Patribus antiquioribus, puta iis qui primis 5. ſeculis olim floruerunt (nam poſt inchoatum ſextum ferè ſeculum, hoc eſt,poſt *Gregorium* Magnum & deinceps,errores non paucos etiam in hoc doctrinæ capite irrepſiſſe clariſſimè reperitur) pro ſua Theſi operosè adducit. Etenim *in* 1. argumento partim conſequentis ,partim ſecundùm quid,partim etiam petitionis principii fallacia continetur: niſi fortè per *figuram* inane ſignum, ſeu nuda figura ſignificatur,cum qua ſcilicet rei ſignificatæ perceptio conjuncta non ſit.*In* 2.eſt fallacia ſecundùm quid,item homonymiæ: quia veteres Euchariſtiam ἐν πλάτει,in lata quadam ſignificatione & παρατατικῶς extenſive, vel σ ἀνόλως (ut ita dicam)id eſt,univerſam Sacramenti rationem comprehenſivè plerumq; conſiderant, videlicet pro ſigno ſimul & re ſignificata & hujus ſententiæ reſpectu non ineptè ſimilibus illis utuntur, quibus vera noſtri cũ Chriſto conſociatio exprimitur.*In* 3. & 4. eædẽ fallaciæ ſunt,quia vera mutatio dicitur etiam reſpectu uſus & effectus(qui potius hic quàm ſubſtantia ſeu natura ſignorum ſpectari debet)& ſenſus externi hanc mutationem non percipiunt,ſed ſola mens ſeu fides,&c. In 5.& 6.tum hæ ipſæ,tum etiam conſequentis & figuræ dictionis fallaciæ ſunt,quia certè Chriſtus ipſe, ut in aliis divinis officiis,ita etiam in legitimo uſu Euchariſtiæ, adorandus eſt,& ſigna ſacra nõn profano modo habẽda,ſed reverẽter omnino tractanda,non tamen ipſa hęc ſigna religiosè adoranda ſunt. Nam de una geniculatione rectiſſimè Theodorus Beza judicat, *Geniculatio, dum ſymbola accipiuntur.ſpeciem quidem habet pia ac Chriſtianæ venerationis,ac proinde diu potuit cũ fructu uſurpari,tamẽ ex hoc fonte orta eſt ἀρτολατρεία illa deteſtabilis & adhuc in multorum animis hærens,meritò ſublata* (nempe in orthodoxis Euangelicorũ Eccleſiis) *eſſe videtur.* Imò Chriſtus etiã in ſano ſenſu corporaliter, hoc eſt,vero ſecundùm corpus ſuum (qua videlicet pro nobis in mortem traditum eſt)non tamen modo corporali, ſed ſpirituali,hoc eſt, per veram fidem,&c nobiſcum unitur. Ita ut *corporaliter* uniri ad rem ipſam,quæ unitur, non ad modum,quo unitur,referri debeat. *Epiſt. 12. Pag. 15.*

Claſſis *ſexta* proponit lib.3. de Euchariſt. uſque ad 11. caput,argumenta ex *naturali ratione* (ut ille dicit)nempe ex *voluntate* & *omnipotentia* Dei deſumpta.Sed quia ea ſupra hoc libro de Hæreticis cap 32. refutavimus, ubi Euangelici per nos ab Eutychianiſmo purgati ſunt,eò lectorem ablegamus.Nũc hic pauca hæc addimus. Ita eſt nimirum,quod Deus ſit omnipotens. At hic nobis quæſtio eſt, non quid poſſit, ſed quid velit. Imò quia omnipotens eſt,ideò quædam res ſunt, quas efficere nequit,quales ſunt,negare ſe ipſum, mentiri, aut facere ut duo contradictoria ſimul ſint vera. Oſtendant igitur Pontificii,iſta eſſe Dei *voluntatem*, ut realitas per præſentiam corporalẽ Chriſti in Cœna ſit. Nempe non poſſunt ullo modo verè oſtendere. Deus enim non vult omnino,ut Chriſti corpus vel aliâ conſtet,quàm carnea ſub- ſtantiâ

VI. Naturales rationes pro præſentia corporali falsò afferuntur.

Omnipotentia Dei ſine ejus voluntate nulla eſt.

Digitized by Google

ſtantia, vel cum alia realiter uniatur. Si verbis inſiſtunt, & nos diſertiſſimis verbis *Dei pœnitentiam* aſtruemus. Negant hæc eſſe paria: fatemur equidem in multis eſſe imparia. Sed tamen in eo convenire liquet, quod utrunque ex verbis expreſſis in Scriptura colligitur, utrunque tamen divinæ repugnat voluntati, atque ideo neutrum omnipotentiæ clypeo defendi poteſt. Quoties igitur aliquis urgebit ex verbis Scripturæ, Deum pœnitere benificii dati, fatebimur propoſitionẽ eſſe veriſſimã. Sin autem addet de ſuo, id realiter ac ſubſtantialiter debere intelligi, tum objiciemus id fieri omnino non poſſe, quia Deus non ſit ſimilis homini, quem poſſit pœnitere, aut qui ſe poſſit abnegare & *irrevocabilia eſſe Dei dona* cum Paulo clamabimus, ita ut *eum illorum pœnitere haud poſſit.* Eodem planè modo, ſi dixerit quis, panem eſſe corpus Chriſti, quia Domini verba agnoſcimus, fatemur eſſe veriſſima. Si addit quis de ſuo, vel *realiter eſſe panem corpus*, vel *ſubſtantialiter corpori conjunctum* & unitum, affirmativè teſtabimur, fieri id omnino nõ poſſe, quippe quòd repugnet non modo Sacramentorũ analogiæ, definitioni, nomini, partibus, toti deniq; naturæ, ſed ipſi etiam manifeſtiſſimæ Dei voluntati, qui Chriſti corpus noſtri per omnia ſimile eſſe voluit Gen. 3. 15. & 22. 18. 2. Sam. 7. 12. 14. Iſa. 7. 14. Luc. 1. 37. & 2. 7. 21. Luc. 24. 39. Heb. 2. 14. Math. 26. 38. & 4. 2. Joh. 19. 29. 34. Math. 27. 50. & 9. 36. &c.

Rom. 11. 29.

Omnino igitur fatemur cum *Auguſtino* de civit. Dei lib. 5. cap. 10. & contra Fauſtum lib. 26. cap. 5. cum *Theodoreto* in Dialogo, qui dicitur Apathus, Imò verò cum Paulo ipſo nonnulla dici poſſe, quæ Deus præſtare nequeat, non modo quia non velit, ſed quia neque poſſit velle, neque velit poſſe: utpote quòd ejus efficaci potentiæ adverſantur. Quum enim *potentia* ejus individuo nexo cum *veritate* ſit copulata, quicquid verum eſt, id ſanè omnipotentia falſum facere (quandiu quidem verum eſt) nequeat. Alioqui falſum ſit, facere eum quæcunquè velit facere, ſi quæ velit facere, eadem faciat ut non ſint. Quæcunque igitur contradictionem in oratione adferunt, ea quia Dei potentiæ adverſantur, ideò ad ejus omnipotentiam referri nequeunt.

Redeamus ad rem. Si Deus effeciſſet, ut corpus Chriſti eodem tempore in diverſis locis eſſet, feciſſet id non corpus, dum adhuc eſt corpus: & circum ſcriptum exſiſtere in loco aliquo ſingulari & unico tantummodo, & ſimul non circumſcriptum, eò quod eſſet ſimul in pluribus locis: eſſe præterea viſibile in cœlo, inviſibile in Sacramento, atque ita feciſſet duas contradictorias ſimul eſſe veras. Id quod facere contra Dei naturam eſt, & verò ſignum eſt non potentiæ, ſed impotẽtiæ. Unde Auguſtinus de Symb. Fidei ad Catechumenos lib. 1. cap. 1. Tom. 9. dicit; *Si mentiri, ſi fallere, ſi iniquè agere poſſet, non eſſet omnipotens.* Ideo (præmittit) *omnipotens eſt, quia iſta non poteſt.* Et lib. 5. de civit. Dei cap. 10. ait. *Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non poteſt. Dicitur enim omnipotens faciendo quod non vult, non patiendo quod non vult. Quod ſi ei accideret, nequaquam eſſet omnipotens. Unde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt.*

Cætera

Digitized by Google

Cætera omnia, quæ Bellarminus ſuis de Euchariſtia libris pro præſentia Chriſti corporali in ea diſputat & propugnat, *Lambertus Danæus* doctè & ſolidè refutavit. Eandem operam de toto hoc negotio egregiè præſtitit *Joh. Oecolampadius, P. Martyr Vermilius*, & recé-er adhuc *Antonius Sadeel, Philip. Mornaus, Matheus Sutlivius, Abdias Liberius* in Syntagmate univerſæ de ſacroſanctâ Cœna controverſiæ, anno 1567. edito. Adhæc doctiſſimè & pleniſſimè in hiſtoriæ Sacramentariæ parte 1. à Rodolpho Hoſpiniano ipſis Patrum verbis, teſtimoniis, ſententiisque explicata, & ad realis ac corporalis præſentiæ craſſæ refutationem accōmodata ſunt. Marcus item Beumlerus Tigurinus in Elocutionis Rhetoricæ lib. 1. cap. 9. Tropum metonymiæ in verbis Cœnæ eſſe ad oculum demonſtrat.

Papiſtas hic ſeipſos facere hæreticos.

Concludimus: Quoniam igitur Pontificii in ſententia ſua de corporali præſentia carnis Chriſti in ſacroſanctâ Cœna Domini noſtri Jeſu Chriſti, tot habent errores, quot adferunt pro ea tuenda rationes, & argumenta ex ſacris Scripturis, Patribus, naturaque, ſequitur eos ſui oblitos, injuria aliis labem hæreſeos affricare, in ſeipſis non animadvertere. Nam ſi errorem fidei orthodoxæ ac catholicæ repugnantem pertinaciter tueri hæreſis eſt, certè Pontificii doctrinam & ſententiam de præſentia corporali atque eſſentiali carnis Chriſti in Euchariſtia, articulis fidei orthodoxæ & catholicæ de aſcēſione Chriſti in cœlos, ſeſſione ad dextram & reverſione ad judicium vivorum ac mortuorum adverſantem, mordicus retinentes ac defendentes, hæretici omnino eſſe debent. At verum antecedens. Verum itaque & conſequens.

Hocque eò magis ſequitur, tantóque verius eſt, quod primi hominum Chriſti doctrinam & fidem audientium, qui in ſacroſanctâ Domini Cœna & corporis Chriſti præſentia errarunt, fuére ii, quorum ipſi Pontificii ſe ſobolem eſſe apertè profitentur, & hæreſin defendunt; Nempe *Capernaitæ* teſte Auguſtino (ut eſt in canone, *Prima quidem hæreſis*; de conſecrat. diſt. 2.) qui carnem Chriſti carnaliter, ſicut & Pontificii, manducari credebant, *Joh. 6. à verſu 26. uſque ad finem. Joh. 6. 52.*

Adhæc, quando duce Bellarmino Pontificii ex l b. ipſius 1. de Euchariſt. cap. 9. contendunt, propriè, non tropicè ac figuratè explicanda eſſe illa verba, HOC EST CORPUS MEUM, utunturque argumento à materia hujus Sacramenti deducto ſic: *Cœna Dominica eſt Sacramentum, Teſtamentum, Præceptum & Dogma. Iſta verò omnia propriis, non tropicis verbis concipi à Deo & hominibus ſolent & debent: Ergo verba hæc S. Cœnæ*, HOC EST CORPUS MEUM *propriè & tropicè ac figuratè à Chriſto concepta & uſurpata ſunt*, explicarique atque intelligi debent, &c. tum id argumentū certè ab *Ubiquitariis*, quos ipſe Bellarminus & omnes Pontificii hæreticos judicant, eſt ſumptum. Turpe autem eſt Chriſtianum ab hæretic s ſuæ fidei, dogmatiſve probationem mutuari. At hoc faciunt Pontificii. Dum enim in nos agunt, hoc idem telum, ſed hebes, nullum, falſumque aſſumunt, & in nos emittunt. Quare ſi Ubiquitarii ſunt hæretici, ut ipſi vociferantur ac cenſent, tum ipſi quoque Ubiquita-

Vuuu riorum

hanc rurſus acuere, & ad nos revincendos iterùm inſtruere voluerint Adverſarii, per nos illis hoc licet, ſi libet: modo ne ad eandem noſtra quoque cura, in duſtria & vigillantia per Dei opem non minus fortiter excipiendam, quàm penitus hebetandam perfringendã, conterendamque, nos inermes & imparatos putent. Etſi enim jam ſatis à jugulis noſtris eam repulimus: pluribus tamen & firmioribus cum argumentis tum teſtimoniis refutationem illius inſimulationis atque accuſationis veterum hæreſum nobis intentatæ illuſtrari, communiri, ac confirmari poſſe, num nobis ſtudiũ & neceſſaria, Deo vitam & bonam valetudinem noſtram conſervante, deeſſe exiſtimabunt?

Præſtiterit verò illis, paci almæ Eccleſiæ & privatæ ſuæ trãquillitati conſulere, cognitionem innocentiæ Euangelicorum ad amorem ac favorem erga illos incitandum cõvertere, veritatemque doctrinæ & religionis in univerſum in Eccleſiis reformatis illorum florentem, omni etiam ſtudio amplecti, ac per ſaxa, per ignes ſequi: Ad quod clementiſſimus Pater cœleſtis illis voluntatem, virtutem & felicitatẽ benigniſſimè largiatur, per Filium ſuum Jeſum Chriſtum unicum verum Mediatorem inter ipſum & nos, Amen.

F I N I S.

Digitized by Google

miſſu Lutherum excuſat, Papiſtas accuſat 312. ejus efficaciam orthodoxè tenere perquam neceſſarium 334. eſt Sacramentum pœnitētia 373 ejus effectus 1008. votum generale & optimum 1345

Baptiſmi & fidei diſcrimen in peccato 1016

Baſilienſis Eccleſia miniſtrorum litera de hæreſibus Serveti 404. eorundem in Servetū ſententia 412

Baſilides cur damnatus 1131

Baſilidiani 93. damnantur ab Euangelicis 653.1338

Beatorum præmia eſſe paria non ſtatuunt Euangelici 1078

Beghardi perfectos à jejunio excipiunt 860

Belgæ feliciter bellum contra Hiſpanos gerunt 198

Belgica bella adverſus Euāgelicos 195

Bellarminus ſua praxi theſin ſuam de paupertate votiva evertit 1191. ejus apertum mēdacium 983. antitheſis pro reliquiarū cultu 1126

Bellum ſacrum ab anno 1095. uſq; ad 1200. geſtum 212

Benedictio & Deo, & Sacerdotibus tribuitur 366

Bernenſium ſcriptum de Serveti hæreſibus ex peſſimis veterum conſutis 403. eorundem in Servetum ſententia 412

Bernhardus verè fuit orthodoxus 165 ejus de operibus bonis ſentētia 240

Beza injuſtè Neſtorianiſmi traducitur 1239

Blandrata 786

Bona homini objecta triplicia, naturalia 467. humana, ſpiritualia 468

Bucerus ut ſenſerit de Serveto 420. Zuinglium piè de peccato originis ſentire fatetur 1209

Bullingerus vindicatur à Papiſtarum mendaciis 793. ejus ad Calvinum de Serveto epiſtola 421

C.

Cajani cur damnati 1131

Caini 95

Calvinus vindicatur ab hæreſi Florini 280. Manichæorum 464. Joviniani 1060. Neſtorii 1238. à calumnia in doctrina de libero arbitrio 461. à mendaciis Pontificiorum 794. nihil hæretici de peccati paritate & defectu fidei docet 1113. falsò hæreticus vocatur ob negatam Quadrageſimam 873. purgatur à Bellarmino, qui ſe reū falſi facit 1347. ejus epiſtola ad Simonem Sulzerum 420. doctrina de Votis defenditur 1346. placidè obiit Genevæ 170

Carnis Chriſti in Euchariſtia præſentia Papiſtica 1394

Carnium abſtinentia quomodo probetur 910

Caro corrupta cauſſa hæreſeos 88

Carolſtadius piè obiit Baſileæ 169

Carolus V. Imp. Euangelicos ab Ariana hæreſi liberat 773

Carpocrates 1328

Carpocratiani 93

Cataphryges 94

Catecheſis Auſtriaca quem ſtatuat eſſe hæreticum 62

Catechiſmus Romanus quomodo definiat hæreticum 62

Catholici quinam ſint ex Cyrillo & edicto Imperatorio 138. annon ſint, qui quovis modo ab aliquo denominantur 143

Catholicum eſt inviſibile 138

Catholicus Orthodoxis quid ſit 12 quid Papiſtis 124. nomen inane nihil probat 121. fruſtrà à Papiſtis nota vera Eccleſiæ ſtatuitur 136

Catonis verbum de mulierum in viros imperio 298

Cerdonitæ 95

Ceremoniarum in confirmatione abſurditas 394

Cerinthiani 93

Chameron Stoicus 905

Chiliaſtæ 94

Chriſma eſſe Confirmationis materiam & formam quomodo probent 387

Chriſtianum nomen omittentes non ſunt Catholici 141

Chriſtianus ut perire in peccatis ſuis nequeat, niſi nolit credere 242

Chriſtophori legenda 1147

Chriſtus eſt αὐτόθεος 658. probatur 679. contradictio Papiſtarum circa hanc phraſin 659. an ſit genitus de patris eſſentia 671. eſt mediator ſecundum utramq; naturam 795

Chryſoſtomi de hæreticis ſententia 55

Ciborum delectus pernicioſus 907

Circumcelliones 94

Clementis Alexandrini de hæreticis dictum quadrat in Papiſtas 47

Cœlibatus, quibus argumentis oppugnetur ab Euangelicis 932. qua ratione conjugio præferatur à Papiſtis 1050. ut præſtet matrimonio 1051. æquatur conjugio à quibuſdam Pontificiis 1056. ejus defenſores ſunt hæretici Aëriani 918 regula immota 962. epilogus hiſtoricus 1064

Conciliorū decreta unanimiter facta an ſint Apoſtolicæ traditiones 751

Digitized by Google

Concluſio totius operis 1412

Concupiſcentia quid ſit 327. *eſt verè peccatum* 326

Condaus interficitur 187

Confeſſio Euangelicorum de Papatu 164. *hæreſibus & hæreticis oppoſita* 119

Confirmatio hodie licita 383. *non eſt Sacramentum* 386. *ut volũt Pontificii* 385. *ejus ritus* 382. *quomodo probetur* 385. *effectum* 391. *miniſter* 393

Conjugii æquitas injuriâ Euangelicis denegatur 1179. *tam ante ordinationem* 1182. *quam poſt, ibid.*

Conjugium cunctis eſt licitum 919. *à quibus hæreticis olim fuerit repudiatum* 922. *quos Papiſtæ æmulantur* 924. *dignitate Virginitati meritò æquatur* 1049. *imò cœlibatui præſtat* 1053

Conſenſio in doctrina cum antiqua Eccleſia, an ſit nota Eccleſiæ, & penes Papiſtas 228. *an apud Euangelicos* 151

Conſolatio in mutabilitate ſeu lapſu fidei & juſtitiæ electorum 1022

Conſtantinus Magnus liberis fuit infelix 203

Continẽtia voti obſervatio falſa 1335 *malè fundatur* 1370. *non eſt ſita in noſtra poteſtate* 938

Contumacia in Reliquias Euangelicis tributa vana eſt 1137

Convertere ut Deus & miniſtri dicantur 367

Cordis pravitas 473

Corpora glorioſa an alia corpora penetrent 801

Corporalis Chriſti præſentia in Euchariſtia malè probatur ex figuris V.T. 1399. *ex promiſſionibus factis* 1400. *ex inſtitutione Cœnæ* 1401. *ex ejus fine ſeu effectu* 1402 *ex ſententiis Patrum* 1403. *naturalibus rationibus* 1406

Corpus Chriſti ut ſit in Euchariſtia 780. *an maneat extra uſum legitimum* 1243

Creaturis ut liberum arbitrium tribuatur 467

Crucis ſanctæ ſignum, lignũ & imago an licita 1304. *ejus cultus religioſus quomodo defendatur ibid. impugnetur* 1307. *item* 1311

Crux fidei & Eccleſiæ vera comes 171

Curioſi facilè ſeducuntur 104

Cypriani de hæreticis fugiendis exhortatio 58

χωρεῖν *ut in recontinentia accipiatur* 940

D.

D*Æmones divinis perſonis conſeruntur à Pontificiis* 800

Dæmoniaca doctrina ob prohibitos certos dies & cibos æquè Papiſtæ ac veteres hæretici inſimulantur 916

Damaſi Pontificis doctrina & fides quæ fuerit 82

David Georgius execrabilis hæreticus 105

Davidici 101

Deſideriis ſervientes facilè ſeducuntur 104

DEI operatio *triplex* 275. *univerſalis, ſpecialis* 275. *gratia* 279. notitia, *naturalis* 595. *ejus uſus* 597. *quomodo à ſtultis negetur* 596. *ſupernaturalis* 597. eſſentia 599. *ſimplicitas ibid. æternitas, impatibilitas, immutabilitas* 601. *vita, intellectus* 602. *voluntas, benignitas, miſericordia, gratia* 606. *gaudium, ſpes, deſideriũ, pœnitentia, ira* 607. *juſtitia, potentia, perfectio* 608. *beatitudo, gloria* 609

Deitatis tres eſſe perſonas probatur ex Scriptura 681. *patribus* 684

Deo ut liberum arbitrium 466. *ut natura tribuatur* 598

Deum unum eſſe 595. *probatur ex Scriptura & patribus* 680. *item rationibus* 681. *nullatenus eſſe peccati authorẽ* 478. *nec ſtatui cauſſam peccati ab Euangelicis* 263

Deus author bona hæreſeos 87. *eſt cauſſa ordinans & regens peccata* 266 *non ſolùm permittit, ſed etiã vult peccata* 272. *eſt unus eſſentiâ non ſpecie* 598

Diabolus author mala hæreſeos 87. *eſt ſeductor primarius* 98

Dictiones tres de Deo notandæ, quomodo inter ſe differant 594

Diffidentia in fide cauſſa, & reparatio 1025

Digami an ad miniſterium admittendi 1002

Doctrina per continuam ſucceſſionem ab Apoſtolis ſe venditans, an ſit Apoſtolica traditio 735

Dominicani cum hæreticis de Spiritu ſancto conſentiunt 809

Dominici cultus religioſus in Papatu 145. *crudelis ſanctitas* 1150

Donatiſtæ 94 *eorum hæreſis de Eccleſia viſibili* 499. *odium in Epiſcopos & Monachos* 540

Dulia quid 1150

Duratio Eccleſiæ Euangelicæ 149

E.

E*Ccleſia duobus modis Catholica dicitur* 137. *quæ non habet viſibiles notas* 137. *oſtẽditur in ſuis particularib.* 138. *diſtinguitur in duas ſpecies, inviſibilẽ* 502. *viſibilẽ* 509

Eccleſia

Digitized by Google

Eccleſia viſibilis duplex vetus & nova 511. an ſemper ſit conſpicua 512. an ſemper fuerit ſub Papatu 515. an interire poſſit 121. ejus notæ genuina & propria 518. ubi fuerit pura in Papatu 517. an tantùm in locis ſeptentrionalib. vigeat 522

Eccleſia Euangelica ex Hieroſolymitana propagata eſt 524. ut ſit viſibilis & inviſibilis 526. ut ſit Catholica 527. ut non ſit nova 529. ut ſucceſſionem legitimam habeat 530. ut in ea ſit unitas fidei 535. contra eam plures & acriores objectiones Papiſtarum 538. an ex traditione myſteria fidei noſcat 738. ejus dignitas an in myſteriis celandis & traditionibus conſiſtat 739. ejus ſtatuta juxta ſenſum Scripturæ an recipienda 746. an ab Apoſtolis acceperit, quod omnibus temporibus eſt obſervatũ 747

Edmundi Campiani atrox calumnia 468

Efficacia doctrinæ in Eccleſiis Euangelicis 159

Electos perire, imò ne ſeduci quidem poſſe finaliter 242

Electio an faciat membrum Catholicæ Eccleſiæ 507

Eleemoſynam non eſſe ſatisfactoriam pro peccatis, & meritoriam vitæ æternæ 825

Eliſabetha Angliæ Regina, an ſe pro Pontifice geſſerit 313. vocatione divina fuit regno præfecta ibid. donis neceſſariis inſtructa 314. officio ut olim omnes pii Reges ac Principes functa 315. meliore jure & gubernatione, quàm Pontificia ſoror Maria eſt uſa 317. defenditur exemplo ipſorum adverſariorũ 319

Emicho Comes Lyningenſis poſt mortem cum turba armata apparet 826

Encratitæ 94. 904.

Enim Conjunctio nõ ſemper eſt cauſſalis 827

Enthuſiaſtarum error 369

Epiſcopi & Epiſcopatus ἔτυμον 541. deſcriptio 543. ejus eminentia ſupra alios origo 545. quales hodie Euangelici damnẽt, & quare 547 eos errare non poſſe falsò ſibi Papiſtæ perſuadent 580. an & quomodo à Presbyteris differant 877

Equitis ſimile 281

Eſſentia divina eſt Deus unus & trinus 637. ut differat à perſonis ratione 623. 638

Ethnica hæreſes 92

Euangelici jure contra Papiſtarum infeſtas accuſationes ſeſe defendunt 6. imò neceſſariò 7. nec debent tacere, cùm vocantur hæretici 10. modeſtè tamen innocẽtiam ſuam tueantur 14. idq; conjunctis viribus 15. Ethnicis & Judæis deteriores cenſentur 53. vocantur hæretici 41. cum nec vera, nec falſa definitio hæretici ipſis conveniat 114. probantur eſſe Catholici ab hujus deſcriptione 121. à noſtris Eccleſia 126. quomodo Doctorum ſuorũ nomina aſſumant 130. exſecrantur nomina ſchiſmatica 131. non nituntur cujuſquam hominis authoritate ibid. à Chriſto ejusq; doctrina denominãtur 134. an inter illos ullus ſit bonus 160. an cum antiquis hæreticis conſpirent 235. ſunt alieni ab hæreſi Simonianorum 237. Eunomii 257. Procli & Meſſalianorum 324. Novatianorum 359. Pelagianorum 1196. Eutychianorum 1251. neq; Prophetas cum Manichæis rejiciunt 487. neq; patrum honori detrahunt 489. non omnes traditiones rejiciunt 714. nec religionẽ labefactarunt, nec Imperii nervos inciderunt 802. de effectu & diſcrimine Baptiſmi & fidei orthodoxè ſentiunt 1008. jejunia non tollunt, ſed diſcrimen ciborum & meritũ in iis negant 1027. de Euchariſtia ut ſentiant 1385. & inter ſe conſentiant 1393

Euchariſtiæ doctrina an eadem Euangelicorum, quæ veterum hæreticorum 1376. de ea veritatem docuit Zuinglius & Calvinus 1378

Eunomius cur damnatus 236. 1131

Euſtatiani 95. 905

Eutychiani 93

Excluſiva ſola fide nos juſtificari offendit Pontificios, ſed injuriâ 243

Exitus Doctorum noſtrorum 168

Expeditiones Chriſtianorum in Aſiam 214

F.

Farelli ad Calvinum epiſtola 422

Felicitas Eccleſiæ Euangelicæ vera 170. eſt interna 172. temporalis & externa eſt falſa Eccleſiæ maximè propria 173

Fide ſola nos juſtificari probatur ex ſcripturis 244. ex patribus 248. pontificiis quibuſdã Theologis 251

Fidei veræ defectus falsò adſtruitur 1018. 1021

Fidem ſolitariam Euangelicos non habere nec fingere 253

Fides juſtificans non poteſt eſſe ſine bonis operibus 258. amitti non poteſt 1017

Digitized by Google

Filii Deitas quinque argumentis firmiſſimis evincitur 688. *patrum teſtimoniis confirmatur* 692

Filium Dei Patri conſubſtantialem eſſe Euangelici non negant 656

Filius eſt ſecunda perſona Trinitatis 613. *ejus proprietas* 640. *tribuitur ipſi redemptio* 644

Flagellationes pro mortuis 840

Florinus Deum ſtatuit cauſſam peccati 263. *à qua hæreſi Euangelici ſunt immunes* 263

Fluctuatio mentis oſtium aperit erroribus 104

Formula pacis inter Papiſtas & Euangelicos in Helvetia 166

Franciſci religioſus cultus in Papatu 145

Franciſcus Davidis 786

Francofordienſis Synodus quomodo damnarit Nicenā ſecūdam 749

Fratres ſi nos hæreticos vocent quid faciendum 15

Fratricellæ & Dulciniſtæ fruſtrà objiciuntur Euangelicis à Sandero 222

G.

GAlli in rebus dubiis uxores conſulunt 299

Gallica bella ob religionem 176

Genevenſes hæreſes Serveti collectas redarguerunt 402

Geneva ut accepta & expedita ſit Helveticarum Eccleſiarū in Servetum ſententia 413

Georgius pro Sancto habitus 1142

Georgius Caſſander Regibus poteſtatem in conſtituendis rebus Eccleſiaſticis vendicat 316

Germani olim in dubiis uxores conſuluerunt 299

Germanicum bellum ob religionē 175

Giffordi & Rainoldi calumnia in Calvino-Turciſmo ſparſa refelluntur 772

Gilbertus Porretanus dānatur 789

Gnoſtici 95

Goodrici eremitæ lepidè dictum 570

Gorgonis uxoris Leonidæ ſcita excuſatio 168

Gratia à Papiſtis in Libero Arbitrio perperam accipitur 448 *pro infuſo habitu, & qualitate inhærente* 454. *primo homini neceſſaria* 470

Gratiæ Papiſtis varia 446 *gratis data. gratum faciens eſt vera ibid. præparans. præveniens, & operans* 447. *ſubſequens & cooperās* 448

Græci ut Hæreticum definiant 26

H.

HÆreſis unde & quot modis dicatur 29. *ineptè derivatur ab hæreo* 23. *vocabuli uſus in abuſum deflexit* 24. *à Papiſtis & vulgo nō in bonā, ſed malā partem accipitur* 27. *quomodo his libris accipiatur* 34 *bona eſt à Deo* 87. *mala à Diabolo & carne corrupta* 88

Hæreſeon cauſſæ efficientes generales & ſpeciales 86. 89 *ſpecies ſeu genera* 92. *aliæ ſunt publicæ vel privatæ* 95. *Inveteratæ, recentes, renovatæ* 96. *ſchiſma facientes vel non* 96. *ſcripturas recipiunt, vel abjiciūt, vel corrumpūt* 97. *quàm culpabiles & pernicioſæ* 108. *earum culpa in materia, autore, ipſiſq; adeo hæreticis* 109. 110. *an per traditiones unquam ſint refutatæ* 766

Hæretici conditio miſera 9. *atrocitas* 54. *à quibus ita vocemur refert* 14 *definitio Papiſtica non valet negativè* 64. *neq; affirmativè* 71. *confutatur ſacris ſcripturis, patrū orthodoxorum, juris pontificii & Cæſarei decretis* 73. *vera definitio ſyllogiſmo comprehēditur* 73 *probatur* 76. *quidam fundamenta fidei concutiunt* 93. *quidam in ſecundariis rebus errant* 94. *quos potiſſimum ſeducant* 102. *nocent ſibi ipſis* 111. *aliis* 112. *ſcripturas traditionibus poſtponunt* 729. *ut traditiones rejecerint* 735. *in pœna ſtatuitur ab Euangelicis certo modo* 424

Hæreticus ſecundùm Tertullianū 24. *Auguſtinum* 25. *Græcos & Scholaſticos* 26. *Muſculum* 85. *ſeductor à ſeducto quid differat* 98

Hebionitæ 93

Hebdomadarium jejunium Papiſticum 866

Hebraica derivatio vocis Kātzer 37

Helceſaitæ 94

Heliogabalus pervicit, ut mater in ſenatum admitteretur 299

Helvetica bella ob religionem 174

Heraclii infelicitas 203

Hermiani 1265

Hierachitæ 94

Hieronymi de traditionibus dictū 69

Homines qui potiſſimum per hæreticos ſeducantur 102

Hominis ſtatus quadruplex integritatis 464. *corruptionis* 472. *reſtaurationis* 474. *gloriæ vel perfectionis* 476

Homo primus cur flexibilis conditus 471

Honorii infelicitas 203

Hoſtiam ex adipe canino confici quidam aſſerunt 269. *Pharmacopolæ eas appellant nebulas* 770

Hoſtium Eccleſiæ verorum exitus infelix 170
Hypoſtaſeon in Deo conſideratio, ac notitia 609

I.

Jacobitæ 1328
Jacobus cap. 2. de operum juſtificatione cum Paulo conciliatur 252
Idiomatum realis communicatio inter ipſas naturas facta quomodo ab Ubiquitiſtis aſtruatur 1259. ab Orthodoxis deſtruatur 1259
Jejunium verum Euangelicorũ 842. publicum, privatum, ejus ceremonia 841. tempus 844. cibus 845. modus, finis 846. Falſum Papiſtarum 848. non eſt refectio in die tantùm unica 849. neq; delectus ciborum 850. ſed abſtinentia ab omni cibo 851. neceſſarium eſſe quomodo doceant 852. Papiſtici leges 856. finis & effectus refelluntur 862. ſpecies & tempora 864. quatuor temporum 867. quibus diebus vacationem habeant 869. modus in delectu ciborum meritò reprehenditur 1030. nam in tali jejunio jejunium ipſum deſideratur 1032. genera ejus quinq; 1033 meritũ ejus meritò rejicitur 1035 Chriſti merito evertitur 1036. forma vera 1039. uſus & finis à patribus declaratur 1041. ſuperſtitioſum Chriſtianorum æquè ac Judæorum prohibetur 913. ejus negatio non tollit diſciplinã 1048
Jeſuitarũ ſtupor de conceptione & infirmatione Mariæ puerperæ 1072
Ignorantia mater ſeductionis 103
Illyrici error de imagine Dei, & inſiti peccati natura Euangelicos nihil attinet 288
Imago Dei an penitus poſt lapſum in homine deleta 287
Imago crucifixi an ſimilis ſymbolis Euchariſticis 1396
Imago & idolum quid differant 127
Imaginum cultus à Deo vetitus 1278 à Synodo Epheſina ſecunda ſtatutus 748. à Conſtantinopolitana & Francofurdienſi damnatur 849
Imagines an liceat facere & habere 1262. Dei ſunt illicita 1283. ſanctorum à Deo vetita 1286. an religiosè colendæ 1296. ut volunt pontificii 1299
Impatientia inducit in hæreſin 89
Impp. Occidentales miſeri potius quã felices ſub Papis fuerunt 207. Orientales ſchiſmatici fuere 206
Imperium in viros mulieribus lege vetitum 294
Indulgentiæ defunctis nihil proſunt 823. earum vanitas 828. de iis quæſtiones inutiles 832. jam in communi, jam in particulari conducere dicuntur 836 ſimiles ſtatuuntur ſummæ pecuniariæ 839
Infantes fidelium ut in peccato originis ſalventur 1200
Infelicitas Eccleſiæ Euangelicæ non mala 167
Infernus an nihil aliud ſit, quàm conſcientiæ horror 291
Inſcitia multos ſeduci 89.
Inſtabiles facilè ſeducuntur 105
Intellectus corruptio 437
Invectiva juſta & modeſta in adverſariorum proterviam contra Euangelicos in negotio Trinitatis ſanos 676
Invidia præceps in hæreſin 89
Johannis Gerſonis de onere traditionum Eccleſiæ Romanæ querela 67
Johannes Huſs & Hieronymus Pragenſis inſtinctu Papæ cõdẽnati 1223
Johannes VIII mulier ſexum mentita virilẽ Pontificatũ tenuit 321
Joviniani hæreſes ſex Euãgelicis aſperſæ 1011. ejuſdem & Calvini ſententia de jejunio cõparatur 1029 cœlibatum conjugio æquans à quibuſdam Pontificiis defenditur 1057. ut ſenſerit de peccati inæqualitate 111
Judaicæ hæreſes 92
Julianus cur damnatus 1131
Juſtiniani ſenioris infelicitas 204
Juſtificationem ſola remiſſione peccatorum conſtare 1005. quæ ejus forma 1096
Juſtitiã ut ſint homines pares vel non 1089
Juſtitiæ inæqualitas quomodo ſtatuatur à Pontificiis 1092. ejus imputationem quomodo negant Papiſtæ 1099. probẽt Euangelici 1102. inhærentis ratio & vis 1106
Juſtitiam noſtram in Chriſto & remiſſione peccatorum conſtituunt patres 1104

K.

Kätzer & Ketzerey unde Germanis dicatur, & quid ſint 36
Kätzer ab Hebraico Kazar derivat Bullingerus 37
Kätzer à Catharis deduci putat Muſculus 41. cur ita dicantur, qui contra naturam libidinantur ib.

L.

Lacedæmonii mulieres conſiliis publicis adhibebant 299
Lambertus Danæus de imagine Dei præclarè ſcripſit 292
Lampetianorum doctrina de votis an hæretica 1331

Latria quid 1150. *idem & dulia* 1151
Legi perfectam obedientiam nemo præſtare poteſt 476
Lex Caſarea contra hæreticos 82
Libertas triplex 956. *ejus vox quid ſonet* 466
Liberum arbitrium ab Euangelicis non negatur ſed in Deo firmatur 438. *dum enim facit, quod ex ſe eſt, peccat mortaliter* 441. *ante gratiam nihil valet, niſi ad peccãdum, non autem ad pœnitendum* 443. *poſt gratiam bonum intelligere, velle & perficere poteſt* 450. *ejus ratio orthodoxè* 464 *vox qualis, item definitio* 466. *an ponat libertatem à peccato* 467. *In ſtatu integritatis fuit ad bonum & malum* 469. *In non renatis potius ſervũ quàm liberum* 472. *homini renato ad bonum ex parte tantùm tribuitur* 475. *in ſtatu gloriæ tantùm ad bonum, non autem ad malum* 476. *hujus doctrinæ uſus* 477
Lis de hæreſi & hæreticis inter Papiſtas & Euangelicos magnâ curâ dijudicãda 1. *de loco Rom.* 7. *v.* 10. *uſq; ad finem* 336
Locus Johan. 20 *v.* 23. *ex quo pontificii ſacramentum pœnitentiæ extrudere conantur, dextrè explicatur* 369. *Item Joh.* 10. *v.* 30. *an probet Chriſtum patri eſſe homouſion* 673
Loſſius vindicatur à calumnia pontificiorum 793
Lubino rectè nomen beſtiæ competit 1148
Luciferi Sardiniæ Epiſcopi ad Conſtantinum Imp. dictum 55
Luther quid ſignificet 41
Lutherus, quomodo ſcripſerit, plurimum boni Chriſtiani eſſe ſub Papatu 165. *ejus obitus* 169. *dictorũ interpretatio de operibus, quæ non curat Deus* 241. *an mulieri Sacerdotium tribuat* 308 *an ponat divinitatem triplicem* 797. *vindicatur in doctrina de libero arbitrio à Manichaiſmo contra Pariſienſes* 434. *eidem patres opitulantur* 453. *ejus innocentia in Neſtorianiſmo* 1237. *ſibi ipſi fuit diſſimilis, quando Sacramentarii certaminis victoriam quærit* 1535 *de votis nihil hæretici docuit* 1339

M.

Macedoniani 95
Mali quænam origo, quæſtio antiquiſſima 479
Manichæi 93. 940. *eorum hæreſis triplex de facultate liberi arbitrii* 433. *in origine mali* 478. *in rebus veteris Teſt.* 486
Marcellina 1328
Marcionitæ 93. 1264
Marcoſii 94
Mariam in partu virginitatem amiſiſſe nõ ſentiunt Euangelici 1067. *quarum ſententiæ patres ſuffragantur* 1068. *ejus infirmitatibus modus* 1073. *virginitas perpetua* 1074. *ut ſit aliis hominibus æqualis* 1089
Matthæus Gribaldus Servetanus ab Euangelicis compreſſus 420
Medardo nomẽ beſtiæ competit 1148
Mediatio Chriſti 805
Mendicantium ordinis vana fundamenta 898. *ſucceſſus* 901
Meſa Varia Romæ in Senatu ſedit 299
Meſſaliani 94. 324
Michaël Servetus refutatur 632
Miniſterium Eccleſiaſticum à Chriſto inſtitutũ 364. *mulieribus non competit* 295
Miniſtrorũ Eccleſiæ gradus veri 886
Miraculorum gloria apud Euangelicos 161
Miſſa pontificia Eutychianiſmi convincitur 1267. *ejus nundinatio & vanitas* 822
Miſſio Lutheri & aliorum 162
Monachus unde dicatur 553. *Monachorum origo* 554. *miracula* 163. *ſtatus nullo jure divino expreſſè ſtabilitur* 552. *repugnat priſcorum Monachorum moribus, & patrum ſententiæ* 553. *ſicarios ad Principũ cædem ſubmittunt* 5591. *eorum oppugnatio neceſſaria* 561. *facti ſunt hæretici* 574. *errare poſſunt* 580
Monachatus ab antiquis & recentibus reprehẽſus 556. *illi patres non patrocinantur* 566. *hodierni tam novitas, quàm nequitas* 1354
Monaſteria olim exercitiis pietatis, & ſtudiorum dicata 1351
Monaſticam vitam quomodo defendant papiſtæ 557
Monaſticorum votorũ vetuſtas 1350
Monaſticum certamen de paupertatis regula votiva 1192
Monialium origo 554
Monothelitæ 1265
Montaniſtæ 1328
Mors vita præſentis periculum interdum denotat 828
Morſus Calvino & Martyri inflicti 993
Mortus ad ſolius Dei nõ põtificis judicium pertinent 833 *per quem modũ ipſis indulgentia conducãt* 834

Muliebre

Muliebre imperium in viros illicitum 297. *ſemper fuit infame & exoſum ib. limitatur* 391. *deq; eo Bezæ ſententia* 302
Mulier quædam Romæ propriā cauſſam in foro dixit 298
Mulieres quæ rebus & viris præfuiſſe in ſacra ſcriptura legantur 300
Mulierum ſenatulus Romæ 299
Muſculi judicium, quot modis hæreticus rectè dici & intelligi debeat 26

N.

Natura Deo ut tribuatur 598
Negligentes in religione vera facilè ſeducuntur 106
Neſtorii hæreſis qualis fuerit 1230
Nicolaus Hardingus apologiam Eccleſiæ Anglicanæ ſibi refutandam ſumſit 45
Noëtiani 93
Novatiana hæreſis de pœnitentia 352 *de Chriſmate* 382
Numa mulieres curioſas eſſe prohibuit 298
Nuptiæ Pariſinæ 191

O.

Obedientia regularis falſitas 1337. *ſtabilitur* 1368
Obedientiam Legi nemo perfectè præſtat 476
Objectio Papiſtarum ex Johan. 16. *v.* 12. *diluitur* 89
Oblationes voluntariæ Deo offerendæ 955
Obliterare quid ꝓpriè ſignificet 287
OEcolampadii pia mors 169
ὁμοούσιος vocabulum non negatur ab Euangelicis 609
Omnipotentia Dei ſine ejus voluntate nulla eſt 1406
Opera bona ut ad ſalutem neceſſaria 240, *ea Deum non curare quomodo dixerit Lutherus* 241. *omnia fide à juſtificatione excluduntur* 248. *renatorum ſunt imperfecta* 476
Opera Trinitatis ad intra 659. *ad extra* 642
Organiſta ſimile 281
Origenis hæreſin præter rationem Euangelicis adſcribi 286
Orthodoxi ab hominibus inſidioſè denominantur 131
Oſſa ſanctorum 120
Oſſeni 95

P.

Pacificatio ab Euangelicis in Gallia inſtituitur 189
Panem & vinum in Euchariſtia etiam à patribus, ſignum, figuram, imaginē dici corporis Chriſti 1387
Papiſtarum in Euangelicos torva accuſatio 3. *anſâ falſa definitionis hæreſeos procacius Euāgelicos vocant hæreticos* 60. *eorundem in hac accuſatione levitas* 43. *rationes & probationes frivolæ* 45. *tres fallaciæ circa conſenſum in doctrina cum vetuſtis patribus* 234. *hæreſis de Trinit.* 788. *errores tetri de perſonis Deitatis* 800. *de Spiritu ſancto* 810. *filii Deitate* 804. *objectio pro differentia Epiſcopi & Presbyteri* 887. *vertigo* 1196
Papiſtæ homonymia vocis Hæreſeos turpiter Euangelicis illudunt 20. *veterum dicta de hæreſeos atrocitate colligendo, Euangelicorum doctrinam inviſam reddere conātur* 52. *ab hæreſiarchis denominantur, quos & religioſè colunt* 145 *ſuperando Euangelicos ſe reddunt hæreticos* 210. *ipſi purgant Euangelicos à Simonianiſmo* 243 *de Trinitate & Filii divinitatē malè ſentiunt* 665. *in Trinitatē ſingularitatem inducūt* 801. *ſentiētes Baptiſmum verè tollere peccatum, ſiunt Joviniani* 1015. *ambiguè ſentiunt, præmia beatorum diſcrimen habere* 1080. *laborant Eutychianiſmo* 1266. *ex imaginum & crucis cultu variæ hæreſeos rei aguntur* 1327. *vota monaſtica mordicus defendendo ſiunt hæretici* 1356. *peccant, dum Baptiſmi votum commune Monaſticis poſtponunt* 362. *hæreſeos Euchariſticæ ſunt rei* 1398
Pater eſt prima perſona Deitatis 611 *quomodo prima dicatur, & cur illi generatio tribuatur ib. ejus proprietas* 640. *tribuatur ei creatio* 643. *quomodo Calvinus dixerit Patrem eſſe per excellētiam Deum* 662. *ut Filio ſit major* 667
Patres veritatis teſtes, nō judices 232
Patripaſſiani 93. 1265.
Patrum doctrina ſacræ ſcripturæ conſentiens recipienda 230. *collatio cum doctrina Papiſtica & Euangelica* 233
Paulus Alciatus 786
Paupertas votiva jure improbatur 1186. *ab ipſis Pontificiis* 1189. *eſt res media* 1187. *Euangelica quæ ſit germana* 1188. *votum falſum* 1336. *malè ſtabilitur* 1366
Peccata ut fidelibus non noceant 260 *eorum cauſſa non ſtatuitur Deus ab Euāgelicis* 263. *ordinantur tamen & reguntur à Deo* 266. *ut deleantur* 330. *nō ſunt paria* 1110 *per ſe omnia mortalia, ex gratia Dei venialia* 1111. 1222
Peccati cauſſam Deum eſſe, unde or-

ſtantia, vel cum alia realiter uniatur. Si verbis inſiſtunt, & nos diſertiſſimis verbis *Dei pœnitentiam* aſtruemus. Negant hæc eſſe paria: fatemur equidem in multis eſſe imparia. Sed tamen in eo convenire liquet, quod utrunque ex verbis expreſſis in Scriptura colligitur, utrunque tamen divinæ repugnat voluntati, atque ideo neutrum omni-

Rom.11.29. potentiæ clypeo defendi poteſt. Quoties igitur aliquis urgebit ex verbis Scripturæ, Deum pœnitere benificii dati, fatebimur propoſitioné eſſe veriſſimā. Sin autem addet de ſuo, id realiter ac ſubſtantialiter debere intelligi, tum objiciemus id fieri omnino non poſſe, quia Deus non ſit ſimilis homini, quem poſſit pœnitere, aut qui ſe poſſit abnegare & *irrevocabilia eſſe Dei dona* cum Paulo clamabimus, ita ut *eum illorum pænitere haud poſſit*. Eodem planè modo, ſi dixerit quis, panem eſſe corpus Chriſti, quia Domini verba agnoſcimus, fatemur eſſe veriſſima. Si addit quis de ſuo, vel *realiter eſſe panem corpus*, vel *ſubſtantialiter corpori conjunctum* & unitum, affirmativè teſtabimur, fieri id omnino nō poſſe, quippe quòd repugnet non modo Sacramentorū analogiæ, definitioni, nomini, partibus, toti deniq; naturæ, ſed ipſi etiam manifeſtiſſimæ Dei voluntati, qui Chriſti corpus noſtri per omnia ſimile eſſe voluit Gen.3.15. & 22.18. 2.Sam.7.12.14. Iſa. 7.14. Luc.1.37. & 2.7.21. Luc.24.39. Heb.2.14. Math.26.38. & 4.2. Joh.19. 29.34. Math.27.50. & 9.36. &c.

Omnino igitur fatemur cum *Auguſtino* de civit. Dei lib. 5. cap.10. & contra Fauſtum lib.26. cap.5. cum *Theodoreto* in Dialogo, qui dicitur Apathus, Imò verò cum Paulo ipſo nonnulla dici poſſe, quæ Deus præſtare nequeat, non modo quia non velit, ſed quia neque poſſit velle, neque velit poſſe: utpote quòd ejus efficaci potentiæ adverſantur. Quum enim *potentia* ejus individuo nexo cum *veritate* ſit copulata, quicquid verum eſt, id ſanè omnipotentia falſum facere (quandiu quidem verum eſt) nequeat. Alioqui falſum ſit, facere eum quæcunque velit facere, ſi quæ velit facere, eadem faciat ut non ſint. Quæcunque igitur contradictionem in oratione adferunt, ea quia Dei potentiæ adverſantur, ideò ad ejus omnipotentiam referri nequeunt.

Redeamus ad rem. Si Deus effeciſſet, ut corpus Chriſti eodem tempore in diverſis locis eſſet, feciſſet id non corpus, dum adhuc eſt corpus: & circumſcriptum exſiſtere in loco aliquo ſingulari & unico tantummodo, & ſimul non circumſcriptum, eò quod eſſet ſimul in pluribus locis: eſſe præterea viſibile in cœlo, inviſibile in Sacramento, atque ita feciſſet duas contradictorias ſimul eſſe veras. Id quod facere contra Dei naturam eſt, & verò ſignum eſt non potentiæ, ſed impotētiæ. Unde Auguſtinus de Symb. Fidei ad Catechumenos lib.1. cap.1. Tom.9. dicit; *Si mentiri, ſi fallere, ſi iniquè agere poſſet, non eſſet omnipotens.* Ideo (præmittit) *omnipotens eſt, quia iſta non poteſt.* Et lib.5. de civit. Dei cap.10. ait. *Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori & falli non poteſt. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod ſi ei accideret, nequaquam eſſet omnipotens. Unde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt.*

Cætera

Cætera omnia, quæ Bellarminus ſuis de Euchariſtia libris pro præſentia Chriſti corporali in ea diſputat & propugnat, *Lambertus Danæus* doctè & ſolidè refutavit. Eandem operam de toto hoc negotio egregiè præſtitit *Joh. Oecolampadius, P. Martyr Vermilius*, & recẽtêr adhuc *Antonius Sadeel, Philip. Mornaus, Mathæus Sutlivius, Abdias Liberius* in Syntagmate univerſæ de ſacroſancta Cœna controverſiæ, anno 1567. edito. Adhæc doctiſſimè & pleniſſimè in hiſtoriæ Sacramentariæ parte 1. à Rodolpho Hoſpiniano ipſis Patrum verbis, teſtimoniis, ſententiisque explicata, & ad realis ac corporalis præſentiæ craſſæ refutationem accõmodata ſunt. Marcus item Beumlerus Tigurinus in Elocutionis Rhetoricæ lib. 1. cap. 9. Tropum metonymiæ in verbis Cœnæ eſſe ad oculum demonſtrat.

Papiſtas hic ſeipſos facere hæreticos. Concludimus: Quoniam igitur Pontificii in ſententia ſua de corporali præſentia carnis Chriſti in ſacroſancta Cœna Domini noſtri Jeſu Chriſti, tot habent errores, quot adferunt pro ea tuenda rationes, & argumenta ex ſacris Scripturis, Patribus, naturaque, ſequitur eos ſui oblitos, injuria aliis labem hæreſeos affricare, in ſeipſis non animadvertere. Nam ſi errorem fidei orthodoxæ ac catholicæ repugnantem pertinaciter tueri hæreſis eſt, certè Pontificii doctrinam & ſententiam de præſentia corporali atque eſſentiali carnis Chriſti in Euchariſtia, articulis fidei orthodoxæ & catholicæ de aſcẽſione Chriſti in cœlos, ſeſſione ad dextram & reverſione ad judicium vivorum ac mortuorum adverſantem, mordicus retinentes ac defendentes, hæretici omnino eſſe debent. At verum antecedens. Verum itaque & conſequens.

Hocque eò magis ſequitur, tantòque verius eſt, quod primi hominum Chriſti doctrinam & fidem audientium, qui in ſacroſancta Domini Cœna & corporis Chriſti præſentia errarunt, fuêre ii, quorum ipſi Pontificii ſe ſobolem eſſe apertè profitentur, & hæreſin defendunt; Nempe *Capernaitæ* teſte Auguſtino (ut eſt in canone, *Prima quidem hæreſis*; de conſecrat. diſt. 2.) qui carnem Chriſti carnaliter, ſicut & Pontificii, manducari credebant. *Joh. 6. à verſu 26. uſque ad finem. Joh. 6. 52.*

Adhæc, quando duce Bellarmino Pontificii ex lib. ipſius 1. de Euchariſt. cap. 9. contendunt, propriè, non tropicè ac figuratè explicanda eſſe illa verba, HOC EST CORPUS MEUM, utunturque argumento à materia hujus Sacramenti deducto ſic: *Cœna Dominica eſt Sacramentum, Teſtamentum, Præceptum & Dogma. Iſta verò omnia propriis, non tropicis verbis concipi à Deo & hominibus ſolent & debent: Ergo verba hac S. Cœna*, HOC EST CORPUS MEUM *propriè & tropicè ac figuratè à Chriſto concepta & uſurpata ſunt*, explicarique atque intelligi debent, &c. tum id argumentũ certè ab *Ubiquitariis*, quos ipſe Bellarminus & omnes Pontificii hæreticos judicant, eſt ſumptum. Turpe autem eſt Chriſtianum ab hæreticis ſuæ fidei, dogmatiſve probationem mutuari. At hoc faciunt Pontificii. Dum enim in nos agunt, hoc idem telum, ſed hebes, nullum, falſumque aſſumunt, & in nos emittunt. Quare ſi Ubiquitarii ſunt hæretici, ut ipſi vociferantur ac cenſent, tum ipſi quoque Ubiquita-

Digitized by Google

hanc rurſus acuere, & ad nos revincendos iterùm inſtruere voluerint Adverſarii, per nos illis hoc licet, ſi libet: modo ne ad eandem noſtra quoque cura, in duſtria & vigillantia per Dei opem non minus fortiter excipiendam, quàm penitus hebetandam perfringendã, conterendamque, nos inermes & imparatos putent. Etſi enim jam ſatis à jugulis noſtris eam repulimus: pluribus tamen & firmioribus cum argumentis tum teſtimoniis refutationem illius inſimulationis atque accuſationis veterum hæreſum nobis intentatæ illuſtrari, communiri, ac confirmari poſſe, num nobis ſtudiũ & neceſſaria, Deo vitam & bonam valetudinem noſtram conſervante, deeſſe exiſtimabunt?

Præſtiterit verò illis, paci almæ Eccleſiæ & privatæ ſuæ trãquillitati conſulere, cognitionem innocentiæ Euangelicorum ad amorem ac favorem erga illos incitandam cõvertere, veritatemque doctrinæ & religionis in univerſum in Eccleſiis reformatis illorum florentem, omni etiam ſtudio amplecti, ac per ſaxa, per ignes ſequi: Ad quod clementiſſimus Pater cœleſtis illis voluntatem, virtutem & felicitaté benigniſſimè largiatur, per Filium ſuum Jeſum Chriſtum unicum verum Mediatorem inter ipſum & nos, Amen.

F I N I S.

miſſus Lutherum excuſat, Papiſtas accuſat 312. ejus efficaciam orthodoxè tenere perquam neceſſarium 334. eſt Sacramentum pœnitētiæ 373 ejus effectus 1008. votum generale & optimum 1345
Baptiſmi & fidei diſcrimen in peccato 1016
Baſileenſis Eccleſiæ miniſtrorum literæ de hæreſibus Serveti 404. eorundem in Servetū ſententia 412
Baſilides cur damnatus 1131
Baſilidiani 93. damnantur ab Euangelicis 653.1338
Beatorum præmia eſſe paria non ſtatuunt Euangelici 1078
Beghardi perfectos à jejunio excipiunt 860
Belgæ feliciter bellum contra Hiſpanos gerunt 198
Belgica bella adverſus Euāgelicos 195
Bellarminus ſua praxi theſin ſuam de paupertate votiva evertit 1191. ejus apertum mēdacium 983. antitheſis pro reliquiarū cultu 1126
Bellum ſacrum ab anno 1095. uſq; ad 1200. geſtum 212
Benedictio & Deo, & Sacerdotibus tribuitur 366
Bernenſium ſcriptum de Serveti hæreſibus ex pesſimis veterum conſutis 403. eorundem in Servetum ſententia 412
Bernhardus verè fuit orthodoxus 165 ejus de operibus bonis ſentētia 240
Beza injuſtè Neſtorianiſmi traducitur 1239
Blandrata 786
Bona homini objecta triplicia, naturalia 467. humana, ſpiritualia 468
Bucerus ut ſenſerit de Serveto 420. Zuinglium piè de peccato originis ſentire fatetur 1209
Bullingerus vindicatur à Papiſtarum mendaciis 793. ejus ad Calvinum de Serveto epiſtola 421

C.

Cajani cur damnati 1131
Caini 95
Calvinus vindicatur ab hæreſi Florini 280. Manichæorum 464. Joviniani. 1060. Neſtorii 1238. à calumnia in doctrina de libero arbitrio 461. à mendaciis Pontificiorum 794. nihil hæretici de peccati paritate & defectu fidei docet 1113. falsò hæreticus vocatur ob negatam Quadrageſimam 873. purgatur à Bellarmino, qui ſe reū ſalſi facit 1347. ejus epiſtola ad Simonem Sulzerum 420. doctrina de Votis defenditur 1346. placidè obiit Genevæ 170
Carnis Chriſti in Euchariſtia præſentia Papiſtica 1394
Carnium abſtinentia quomodo probetur 910
Caro corrupta cauſſa hæreſeos 88
Carolſtadius piè obiit Baſileæ 169
Carolus V. Imp. Euangelicos ab Ariana hæreſi liberat 773
Carpocrates 1328
Carpocratiani 93
Cataphryges 94
Catecheſis Auſtriaca quem ſtatuat eſſe hæreticum 62
Catechiſmus Romanus quomodo definiat hæreticum 62
Catholici quinam ſint ex Cyrillo & edicto Imperatorio 138. annon ſint, qui quovis modo ab aliquo denominantur 143
Catholicum eſt inviſibile 138
Catholicus Orthodoxis quid ſit 12 quid Papiſtis 124. nomen inane nihil probat 121. fruſtrà à Papiſtis nota vera Eccleſiæ ſtatuitur 136
Catonis verbum de mulierum in viros imperio 298
Cerdonitæ 95
Ceremoniarum in confirmatione abſurditas 394
Cerinthiani 93
Chamæron Stoicus 905
Chiliaſtæ 94
Chriſma eſſe Confirmationis materiam & formam quomodo probent 387
Chriſtianum nomen omittentes non ſunt Catholici 141
Chriſtianus ut perire in peccatis ſuis nequeat, niſi nolit credere 242
Chriſtophori legenda 1147
Chriſtus eſt αὐτόθεος 658. probatur 679. contradictio Papiſtarum circa hanc phraſin 659. an ſit genitus de patris eſſentia 671. eſt mediator ſecundum utramq; naturam 795
Chryſoſtomi de hæreticis ſententia 55
Ciborum delectus pernicioſus 907
Circumcelliones 94
Clementis Alexandrini de hæreticis dictum quadrat in Papiſtas 47
Cœlibatus, quibus argumentis oppugnetur ab Euangelicis 932. qua ratione conjugio præferatur à Papiſtis 1050. ut præſtet matrimonio 1051. æquatur conjugio à quibuſdam Pontificiis 1056. ejus defenſores ſunt hæretici Aëriani 918 regula immota 962. epilogus hiſtoricus 1064
Conciliorū decreta unanimiter facta an ſint Apoſtolicæ traditiones 751

Digitized by Google

Concluſio totius operis 1412
Concupiſcentia quid ſit 327. *eſt verè peccatum* 326
Condaus interficitur 187
Confeſſio Euangelicorum de Papatu 164. *hæreſibus & hæreticis oppoſita* 119
Confirmatio hodie licita 383. *non eſt Sacramentum* 386. *ut volũt Pontificii* 385. *ejus ritus* 382. *quomodo probetur* 385. *effectum* 391. *miniſter* 393
Conjugii æquitas injuriâ Euangelicis denegatur 1179. *tam ante ordinationem* 1182. *quam poſt*, *ibid.*
Conjugium cunctis eſt licitum 919. *à quibus hæreticis olim fuerit repudiatum* 922. *quos Papiſtæ æmulantur* 924. *dignitate Virginitati meritò æquatur* 1049. *imò cœlibatui præſtat* 1053
Conſenſio in doctrina cum antiqua Eccleſia, an ſit nota Eccleſiæ, & penes Papiſtas 228. *an apud Euangelicos* 151
Conſolatio in mutabilitate ſeu lapſu fidei & juſtitiæ electorum 1022
Conſtantinus Magnus liberis fuit infelix 203
Continẽtiæ voti obſervatio falſa 1335 *malè fundatur* 1370. *non eſt ſita in noſtra poteſtate* 938
Contumacia in Reliquias Euangelicis tributa vana eſt 1137
Convertere ut Deus & miniſtri dicantur 367
Cordis pravitas 473
Corpora glorioſa an alia corpora penetrent 801
Corporalis Chriſti præſentia in Euchariſtia malè probatur ex figuris V.T. 1399. *ex promiſſionibus factis* 1400. *ex inſtitutione Cœnæ* 1401. *ex ejus fine ſeu effectu* 1402 *ex ſententiis Patrum* 1403. *naturalibus rationibus* 1406
Corpus Chriſti ut ſit in Euchariſtia 780. *an maneat extra uſum legitimum* 1243
Creaturis ut liberum arbitrium tribuatur 467
Crucis ſanctæ ſignum, lignũ & imago an licita 1304. *ejus cultus religioſus quomodo defendatur ibid. impugnetur* 1307. *item* 1311
Crux fidei & Eccleſiæ vera comes 171
Curioſi facilè ſeducuntur 104
Cypriani de hæreticis fugiendis exhortatio 58
χωρεῖν *ut in recontinentia accipiatur* 940

D.

DAEmones divinis perſonis conferuntur à Pontificiis 800
Dæmoniaca doctrina ob prohibitos certos dies & cibos æquè Papiſtæ ac veteres hæretici inſimulantur 916
Damaſi Pontificis doctrina & fides quæ fuerit 82
David Georgius execrabilis hæreticus 105
Davidici 101
Deſideriis ſervientes facilè ſeducuntur 104
DEI operatio *triplex* 275. *univerſalis*, *ſpecialis* 275. *gratia* 279. notitia, *naturalis* 595. *ejus uſus* 597. *quomodo à ſtultis negetur* 596. *ſupernaturalis* 597. eſſentia 599. *ſimplicitas ibid. æternitas, impatibilitas, immutabilitas* 601. *vita, intellectus* 602. *voluntas, benignitas, miſericordia, gratia* 606. *gaudium, ſpes, deſideriũ, pœnitentia, ira* 607. *juſtitia, potentia, perfectio* 608. *beatitudo, gloria* 609
Deitatis tres eſſe perſonas probatur ex Scriptura 681 *patribus* 684
Deo ut liberum arbitrium 466. *ut natura tribuatur* 598
Deum unum eſſe 595. *probatur ex Scriptura & patribus* 680. *item rationibus* 681. *nullatenus eſſe peccati authorẽ* 478. *nec ſtatui cauſſam peccati ab Euangelicis* 263
Deus author bona hæreſeos 87. *eſt cauſſa ordinans & regens peccata* 266 *non ſolùm permittit, ſed etiã vult peccata* 272. *eſt unus eſſentiâ non ſpecie* 598
Diabolus author malâ hæreſeos 87. *eſt ſeductor primarius* 98
Dictiones tres de Deo notandæ, quomodo inter ſe differant 594
Diffidentia in fide cauſſa, & reparatio 1025
Digami an ad miniſterium admittendi 1002
Doctrina per continuam ſucceſſionem ab Apoſtolis ſe venditans, an ſit Apoſtolica traditio 735
Dominicani cum hæreticis de Spiritu ſancto conſentiunt 809
Dominici cultus religioſus in Papatu 145. *crudelis ſanctitas* 1150
Donatiſtæ 94 *eorum hæreſis de Eccleſia viſibili* 499. *odium in Epiſcopos & Monachos* 540
Dulia quid 1150
Duratio Eccleſiæ Euangelicæ 149

E.

ECcleſia duobus modis Catholica dicitur 137. *quæ non habet viſibiles notas* 137. *oſtẽditur in ſuis particularib.* 138. *diſtinguitur in duas ſpecies, inviſibilẽ* 502. *viſibilẽ* 509

Eccleſia viſibilis duplex vetus & nova 511. an ſemper ſit conſpicua 512. an ſemper fuerit ſub Papatu 515. an interire poſſit 121. ejus notæ genuina & propria 518. ubi fuerit pura in Papatu 517. an tantùm in locis ſeptentrionalib. vigeat 522
Eccleſia Euangelica ex Hieroſolymitana propagata eſt 524. ut ſit viſibilis & inviſibilis 526. ut ſit Catholica 527. ut non ſit nova 529. ut ſucceſſionem legitimam habeat 530. ut in ea ſit unitas fidei 535. contra eam plures & acriores objectiones Papiſtarum 538. an ex traditione myſteria fidei noſcat 738. ejus dignitas an in myſteriis celandis & traditionibus conſiſtat 739. ejus ſtatuta juxta ſenſum Scripturæ an recipienda 746. an ab Apoſtolis acceperit, quod omnibus temporibus eſt obſervatũ 747
Edmundi Campiani atrox calumnia 468
Efficacia doctrinæ in Eccleſiis Euangelicis 159
Electos perire, imò ne ſeduci quidem poſſe finaliter 242
Electio an faciat membrum Catholicæ Eccleſiæ 507
Eleemoſynam non eſſe ſatisfactoriam pro peccatis, & meritoriam vitæ æternæ 825
Eliſabetha Angliæ Regina, an ſe pro Pontifice geſſerit 313. vocatione divina fuit regno præfecta ibid. donis neceſſariis inſtructa 314. officio ut olim omnes pii Reges ac Principes functa 315. meliore jure & gubernatione, quàm Pontificia ſoror Maria eſt uſa 317. defenditur exemplo ipſorum adverſariorũ 319
Emicho Comes Lyningenſis poſt mortem cum turba armata apparet 826
Encratitæ 94. 904.
Enim Conjunctio nõ ſemper eſt cauſſalis 827
Enthuſiaſtarum error 369
Epiſcopi & Epiſcopatus ἔτυμον 541. deſcriptio 543. ejus eminentia ſupra alios origo 545. quales hodie Euangelici damnẽt, & quare 547 eos errare non poſſe falsò ſibi Papiſtæ perſuadent 580. an & quomodo à Presbyteris differant 877
Equitis ſimile 281
Eſſentia divina eſt Deus unus & trinus 637. ut differat à perſonis ratione 623. 638
Ethnica hæreſes 92
Euangelici jure contra Papiſtarum infeſtas accuſationes ſeſe defendunt 6. imò neceſſariò 7. nec debent tacere, cùm vocantur hæretici 10. modeſtè tamen innocẽtiam ſuam tueantur 14. idq; conjunctis viribus 15. Ethnicis & Judæis deteriores cenſentur 53. vocantur hæretici 41. cum nec vera, nec falſa definitio hæretici ipſis conveniat 114. probantur eſſe Catholici ab hujus deſcriptione 121. à notis Eccleſiæ 126. quomodo Doctorum ſuorũ nomina aſſumant 130. execrantur nomina ſchiſmatica 131. non nituntur cujuſquam hominis authoritate ibid. à Chriſto ejusq; doctrina denominãtur 134. an inter illos ullus ſit bonus 160. an cum antiquis hæreticis conſpirent 235. ſunt alieni ab hæreſi Simonianorum 237. Eunomii 257. Procli & Meſſalianorum 324. Novatianorum 359. Pelagianorum 1196. Eutychianorum 1251. neq; Prophetas cum Manichæis rejiciunt 487. neq; patrum honori detrahunt 489. non omnes traditiones rejiciunt 714. nec religionẽ labefactarunt, nec Imperii nervos inciderunt 802. de effectu & diſcrimine Baptiſmi & fidei orthodoxè ſentiunt 1008. jejunia non tollunt, ſed diſcrimen ciborum & meritũ in iis negant 1027. de Euchariſtia ut ſentiant 1385. & inter ſe conſentiant 1393
Euchariſtiæ doctrina an eadem Euangelicorum, quæ veterum hæreticorum 1376. de ea veritatem docuit Zuinglius & Calvinus 1378
Eunomius cur damnatus 236. 1131
Euſtatiani 95. 905
Eutychiani 93
Excluſiva ſola fide nos juſtificari offendit Pontificios, ſed injuriâ 243
Exitus Doctorum noſtrorum 168
Expeditiones Chriſtianorum in Aſiam 214

F.

Farelli ad Calvinum epiſtola 422
Felicitas Eccleſiæ Euangelicæ vera 170. eſt interna 172. temporalis & externa eſt falſæ Eccleſiæ maximè propria 173
Fide ſola nos juſtificari probatur ex ſcripturis 244. ex patribus 248. pontificiis quibuſdã Theologis 251
Fidei vera defectus falsò adſtruitur 1018. 1021
Fidem ſolitariam Euangelicos non habere nec fingere 253
Fides juſtificans non poteſt eſſe ſine bonis operibus 258. amitti non poteſt 1017

Filii

Filii Deitas quinque argumentis firmiſsimis evincitur 688. *patrum teſtimoniis confirmatur* 692
Filium Dei Patri conſubſtantialem eſſe Euangelici non negant 656
Filius eſt ſecunda perſona Trinitatis 613. *ejus proprietas* 640. *tribuitur ipſi redemptio* 644
Flagellationes pro mortuis 840
Florinus Deum ſtatuit cauſſam peccati 263. *à qua hæreſi Euangelici ſunt immunes* 263
Fluctuatio mentis oſtium aperit erroribus 104
Formula pacis inter Papiſtas & Euangelicos in Helvetia 166
Franciſci religioſus cultus in Papatu 145
Franciſcus Davidis 786
Francofordienſis Synodus quomodo damnarit Nicænā ſecūdam 749
Fratres ſi nos hæreticos vocent quid faciendum 15
Fratricellæ & Dulciniſtæ fruſtrà objiciuntur Euangelicis à Sandero 222

G.

GAlli in rebus dubiis uxores conſulunt 299
Gallica bella ob religionem 176
Genevenſes hæreſes Serveti collectas redarguerunt 402
Geneva ut accepta & expedita ſit Helveticarum Eccleſiarū in Servetum ſententia 413
Georgius pro Sancto habitus 1142
Georgius Caſſander Regibus poteſtatem in conſtituendis rebus Eccleſiaſticis vendicat 316
Germani olim in dubiis uxores conſuluerunt 299
Germanicum bellum ob religionē 175
Giffordi & Rainoldi calumnia in Calvino-Turciſmo ſparſæ refelluntur 772
Gilbertus Porretanus dānatur 789
Gnoſtici 95
Goodrici eremitæ lepidè dictum 570
Gorgonis uxoris Leonidæ ſcita excuſatio 268
Gratia à Papiſtis in Libero Arbitrio perperam accipitur 448 *pro infuſo habitu, & qualitate inhærente* 454 *primo homini neceſſaria* 470
Gratiæ Papiſtis variæ 446 *gratis data. gratum faciens eſt vera ibid. præparans. præveniens, & operans* 447. *ſubſequens & cooperās* 448
Græci ut Hæreticum definiant 26

H.

HÆreſis unde & quot modis dicatur 29. *ineptè derivatur ab hæreo* 23. *vocabuli uſus in abuſum deflexit* 24. *à Papiſtis & vulgo nō in bonā, ſed malā partem accipitur* 27. *quomodo his libris accipiatur* 34 *bona eſt à Deo* 87. *mala à Diabolo & carne corrupta* 88
Hæreſeon cauſſæ efficientes generales & ſpeciales 86. 89 *ſpecies ſeu genera* 92 *aliæ ſunt publicæ vel privatæ* 95. *Inveteratæ, recentes, renovatæ* 96. *ſchiſma facientes vel non* 96. *ſcripturas recipiunt, vel abjiciūt, vel corrumpūt* 97. *quàm culpabiles & pernicioſæ* 108. *earum culpa in materia, autore, ipſiſq; adeo hæreticis* 109. 110. *an per traditiones unquam ſint refutatæ* 766
Hæretici conditio miſera 9. *atrocitas* 54. *à quibus ita vocemur refert* 14 *definitio Papiſtica non valet negativè* 64. *neq; affirmativè* 71. *confutatur ſacris ſcripturis, patrū orthodoxorum, juris pontificii & Cæſarei decretis* 73. *vera definitio ſyllogiſmo comprehē ditur* 73 *probatur* 76. *quidam fundamenta fidei concutiunt* 93. *quidam in ſecundariis rebus errant* 94. *quos potiſsimum ſeducant* 102. *nocent ſibi ipſis* 111. *aliis* 112. *ſcripturas traditionibus poſtponunt* 729. *ut traditiones rejecerint* 735. *iis pœna ſtatuitur ab Euangelicis certo modo* 424
Hæreticus ſecundum Tertulliană 24. *Auguſtinum* 25. *Græcos & Scholaſticos* 26. *Muſculum* 85. *ſeductor à ſeducto quid differat* 98
Hebionitæ 93
Hebdomadarium jejunium Papiſticum 866
Hebraica derivatio vocis Käzer 37
Helceſaitæ 94
Heliogabalus pervicit, ut mater in ſenatum admitteretur 299
Helvetica bella ob religionem 174
Heraclii infelicitas 203
Hermiani 1265
Hierachitæ 94
Hieronymi de traditionibus dictū 69
Homines qui potiſsimum per hæreticos ſeducantur 102
Hominis ſtatus quadruplex integritatis 464. *corruptionis* 472. *reſtaurationis* 474. *gloriæ vel perfectionis* 476
Homo primus cur flexibilis conditus 471
Honorii infelicitas 203
Hoſtiam ex adipe canino confici quidam aſſerunt 269. *Pharmacopolæ eas appellant nebulas* 770

Hoſtium

Digitized by Google

Hoſtium Eccleſiæ verorum exitus infelix 170

Hypoſtaſeon in Deo conſideratio, ac notitia 609

I.

Jacobita 1328

Jacobus cap. 2. de operum juſtificatione cum Paulo conciliatur 252

Idiomatum realis communicatio inter ipſas naturas facta quomodo ab Ubiquitiſtis *aſtruatur* 1259. *ab Orthodoxis deſtruatur* 1259

Jejunium verum Euangelicorũ 842. *publicum, privatum, ejus ceremonia* 841. *tempus* 844. *cibus* 845. *modus, finis* 846. *Falſum Papiſtarum* 848. *non eſt refectio in die tantùm unica* 849. *neq; delectus ciborum* 850. *ſed abſtinentia ab omni cibo* 851. *neceſſarium eſſe quomodo doceant* 852. *Papiſtici leges* 856. *finis & effectus refelluntur* 862. *ſpecies & tempora* 864. *quatuor temporum* 867. *quibus diebus vacationem habeant* 869. *modus in delectu ciborum meritò reprehenditur* 1030. *nam in tali jejunio jejunium ipſum deſideratur* 1032. *genera ejus quinq;* 1033 *meritũ ejus meritò rejicitur* 1035 Chriſti *merito evertitur* 1036. *forma vera* 1039. *uſus & finis à patribus declaratur* 1041. *ſuperſtitioſum* Chriſtianorum *aquè ac* Judæorum *prohibetur* 913. *ejus negatio non tollit diſciplinã* 1048

Jeſuitarũ ſtupor de conceptione & infirmatione Mariæ puerperæ 1072

Ignorantia mater ſeductionis 103

Illyrici error de imagine Dei, & inſiti peccati natura Euangelicos nihil attinet 288

Imago Dei an penitus poſt lapſum in homine deleta 287

Imago crucifixi an ſimilis ſymbolis Euchariſticis 1396

Imago & idolum quid differant 127

Imaginum cultus à Deo vetitus 1278 *à Synodo Epheſina ſecunda ſtatutus* 748. *à Conſtantinopolitana & Francofurdienſi damnatur* 849

Imagines an liceat facere & habere 1262. *Dei ſunt illicitæ* 1283. *ſanctorum à Deo vetitæ* 1286. *an religioſè colendæ* 1296. *ut volunt pontificii* 1299

Impatientia inducit in hæreſin 89

Impp. Occidentales miſeri potius quã felices ſub Papis fuerunt 207. *Orientales ſchiſmatici fuere* 206

Imperium in viros mulieribus lege vetitum 294

Indulgentiæ defunctis nihil proſunt 823. *earum vanitas* 828. *de iis quæſtiones inutiles* 832. *jam in communi, jam in particulari conducere dicuntur* 836 *ſimiles ſtatuuntur ſummæ pecuniariæ* 839

Infantes fidelium ut in peccato originis ſalventur 1200

Infelicitas Eccleſiæ Euangelicæ non mala 167

Infernus an nihil aliud ſit, quàm conſcientiæ horror 291

Inſcitia multos ſeduci 89.

Inſtabiles facilè ſeducuntur 105

Intellectus corruptio 437

Invectiva juſta & modeſta in adverſariorum protervism contra Euangelicos in negotio Trinitatis ſanos 676

Invidia præceps in hæreſin 89

Johannis Gerſonis de onere traditionum Eccleſiæ Romanæ querela 67

Johannes Huß & Hieronymus Pragenſis inſtinctu Papæ cõdẽnati 223

Johannes VIII *mulier ſexum mentita virilẽ Pontificatũ tenuit* 321

Joviniani hæreſes ſex Euãgelicis aſperſæ 1011. *ejuſdem & Calvini ſententia de jejunio cõparatur* 1029 *cœlibatum conjugio æquans à quibuſdam Pontificiis defenditur* 1057. *ut ſenſerit de peccatis inæqualitate* 111

Judaica hæreſes 92

Julianus cur damnatus 1131

Juſtiniani ſenioris infelicitas 204

Juſtificationem ſolâ remiſſione peccatorum conſtare 1005. *quæ ejus forma* 1096

Juſtitiâ ut ſint homines pares vel non 1089

Juſtitiæ inæqualitas quomodo ſtatuatur à Pontificiis 1092. *ejus imputationem quomodo negant Papiſtæ* 1099. *probẽt Euangelici* 1102. *inhærentis ratio & vis* 1106

Juſtitiam noſtram in Chriſto & remiſſione peccatorum conſtituunt patres 1104

K.

Kätzer *&* Kätzerey *unde Germanis dicatur, & quid ſint* 36

Kätzer *ab Hebraico* Kezar *derivat Bullingerus* 37

Kätzer *à Catharis deduci putat Muſculus* 41. *cur ita dicantur, qui contra naturam libidinantur ib.*

L.

Lacedæmonii mulieres conſiliis publicis adhibebant 299

Lambertus Danæus de imagine Dei præclarè ſcripſit 292

Lampetianorum doctrina de votis an hæretica 1331

Digitized by Google

Latria quid 1150. idem q; dulia 1151
Legi perfectam obedientiam nemo præſtare poteſt 476
Lex Cæſarea contra hæreticos 82
Libertas triplex 956. ejus vox quid ſonet 466
Liberum arbitrium ab Euangelicis non negatur ſed in Deo firmatur 438. dum enim facit, quod ex ſe eſt, peccat mortaliter 441. ante gratiam nihil valet, niſi ad peccādum, non autem ad pœnitendum 443. poſt gratiam bonum intelligere, velle & perficere poteſt 450. ejus ratio orthodoxè 464. vox qualis, item definitio 466. an ponat libertatem à peccato 467. In ſtatu integritatis fuit ad bonum & malum 469. In non renatis potius ſervū quàm liberum 472. homini renato ad bonum ex parte tantùm tribuitur 475. in ſtatu gloriæ tantùm ad bonum, non autem ad malum 476. hujus doctrinæ uſus 477
Lis de hæreſi & hæreticis inter Papiſtas & Euangelicos magnâ curâ dijudicāda 1. de loco Rom. 7. v. 10. uſq; ad finem 336
Locus Johan. 20 v. 23. ex quo pontificii ſacramentum pœnitentiæ extrudere conantur, dextrè explicatur 369. Item Joh. 10. v. 30. an probet Chriſtum patri eſſe homouſion 673
Loſſius vindicatur à calumnia pontificiorum 793
Lubino rectè nomen beſtiæ competit 1148
Luciferi Sardiniæ Epiſcopi ad Conſtantinum Imp. dictum 55
Luther quid ſignificet 41
Lutherus, quomodo ſcripſerit, plurimum boni Chriſtiani eſſe ſub Papatu 165. ejus obitus 169. dictorū interpretatio de operibus, quæ non curat Deus 241. an mulieri Sacerdotium tribuat 308 an ponat divinitatem triplicem 797. vindicatur in doctrina de libero arbitrio à Manichaiſmo contra Pariſienſes 434. eidem patres opitulantur 453. ejus innocentia in Neſtorianiſmo 1237. ſibi ipſi fuit diſſimilis, quando Sacramentarii certaminis victoriam quærit 1535 de votis nihil hæretici docuit 1339

M.

Macedoniani 95
Mali quænam origo, quæſtio antiquiſſima 479
Manichæi 93. 940. eorum hæreſis triplex de facultate liberi arbitrii 433. in origine mali 478. in rebus veteris Teſt. 486
Marcellina 1328
Marcionitæ 93. 1264
Marcoſii 94
Mariam in partu virginitatem amiſiſſe nō ſentiunt Euangelici 1067. quarum ſententiæ patres ſuffragantur 1068. ejus infirmitatibus modus 1073. virginitas perpetua 1074. ut ſit aliis hominibus æqualis 1089
Matthæus Gribaldus Servetanus ab Euangelicis compreſſus 420
Medardo nomē beſtiæ competit 1148
Mediatio Chriſti 805
Mendicantium ordinis vana fundamenta 898. ſucceſſus 901
Meſa Varia Romæ in Senatu ſedit 299
Meſſaliani 94. 324
Michaël Servetus refutatur 632
Miniſterium Eccleſiaſticum à Chriſto inſtitutū 364. mulieribus non competit 295
Miniſtrorū Eccleſiæ gradus veri 886
Miraculorum gloria apud Euangelicos 161
Miſſa pontificia Eutychianiſmi convincitur 1267. ejus nundinatio & vanitas 822
Miſſio Lutheri & aliorum 162
Monachus unde dicatur 553. Monachorum origo 554. miracula 163. ſtatus nullo jure divino expreſſè ſtabilitur 552. repugnat priſcorum Monachorum moribus, & patrum ſententiæ 553. ſicarios ad Principū cædem ſubmittunt 5591. eorum oppugnatio neceſſaria 561. facti ſunt hæretici 574. errare poſſunt 580
Monachatus ab antiquis & recentibus reprehēſus 556. illi patres non patrocinantur 566. hodierni tam novitas, quàm nequitas 1354
Monaſteria olim exercitiis pietatis, & ſtudiorum dicata 1358
Monaſticam vitam quomodo defendant papiſtæ 557
Monaſticorum votorū vetuſtas 1350
Monaſticum certamen de paupertatis regula votiva 1192
Monialium origo 554
Monothelitæ 1265
Montaniſtæ 1328
Mors vita præſentis periculum interdum denotat 828
Morſus Calvino & Martyri inflicti 993
Mortuos ad ſolius Dei nō pōtificis judicium pertinent 833 per quem modū ipſis indulgentia conducāt 834

Digitized by Google

Muliebre imperium in viros illicitum 297. ſemper fuit infame & exoſum ib. limitatur 391. deq; eo Bezæ ſententia 302
Mulier quædam Romæ propriã cauſſam in foro dixit 298
Mulieres quæ rebus & viris præfuiſſe in ſacra ſcriptura legantur 300
Mulierum ſenatulus Romæ 299
Muſculi judicium, quot modis hæreticus rectè dici & intelligi debeat 26

N.

NAtura Deo ut tribuatur 598
Negligentes in religione vera facilè ſeducuntur 106
Neſtorii hæreſis qualis fuerit 1230
Nicolaus Hardingus apologiam Eccleſiæ Anglicanæ ſibi refutandam ſumſit 45
Noëtiani 93
Novatiana hæreſis de pœnitentia 352 de Chriſmate 382
Numa mulieres curioſas eſſe prohibuit 298
Nuptiæ Pariſinæ 191

O.

OBediẽtia regularis falſitas 1337. ſtabilitur 1368
Obedientiam Legi nemo perfectè præſtat 476
Objectio Papiſtarum ex Johan. 16. v. 12. diluitur 89
Oblationes voluntariæ Deo offerendæ 955
Obliterare quid ꝓpriè ſignificet 287
OEcolampadii pia mors 169
ὁμοουσίου vocabulum non negatur ab Euangelicis 609
Omnipotentia Dei ſine ejus voluntate nulla eſt 1406
Opera bona ut ad ſalutem neceſſaria 240. ea Deum non curare quomodo dixerit Lutherus 241. omnia fide à juſtificatione excluduntur 248. renatorum ſunt imperfecta 476
Opera Trinitatis ad intra 659. ad extra 642
Organiſta ſimile 281
Origenis hæreſin præter rationem Euangelicis adſcribi 286
Orthodoxi ab hominibus inſidioſè denominantur 131
Oſſa ſanctorum 120
Oſſeni 95

P.

PAcificatio ab Euangelicis in Gallia inſtituitur 189
Panem & vinum in Euchariſtia etiam à patribus, ſignum, figuram, imaginẽ dici corporis Chriſti 1387
Papiſtarum in Euangelicos torva accuſatio 3. anſâ falſa definitionis hæreſeos procacius Euãgelicos vocant hæreticos 60. eorundem in hac accuſatione levitas 43. rationes & probationes frivolæ 45. tres fallaciæ circa conſenſum in doctrina cum vetuſtis patribus 234. hæreſis de Trinit. 788. errores tetri de perſonis Deitatis 800. de Spiritu ſancto 810. filii Deitate 804. objectio pro differentia Epiſcopi & Presbyteri 887. vertigo 1196
Papiſtæ homonymia vocis Hæreſeos turpiter Euangelicis illudunt 20. veterum dicta de hæreſeos atrocitate colligendo, Euangelicorum doctrinam inviſam reddere conãtur 52. ab hæreſiarchis denominantur, quos & religioſè colunt 145 ſuperando Euangelicos ſe reddunt hæreticos 210. ipſi purgant Euangelicos à Simonianiſmo 243 de Trinitate & Filii divinitatẽ malè ſentiunt 665. in Trinitate ſingularitatem inducũt 801. ſentiẽtes Baptiſmum verè tollere peccatum, ſiunt Joviniani 1015. ambiguè ſentiunt, præmia beatorum diſcrimen habere 1080. laborant Eutychianiſmo 1266. ex imaginum & crucis cultu variæ hæreſeos rei aguntur 1327. vota monaſtica mordicus defendendo ſiunt hæretici 1356. peccant, dum Baptiſmi votum commune Monaſticis poſtponunt 362. hæreſeos Euchariſticæ ſunt rei 1398
Pater eſt prima perſona Deitatis 612 quomodo prima dicatur, & cur illi generatio tribuatur ib. ejus proprietas 640. tribuatur ei creatio 643. quomodo Calvinus dixerit Patrem eſſe per excellẽtiam Deum 662. ut Filio ſit major 667
Patres veritatis teſtes, nõ judices 232
Patripaſſiani 93. 1265.
Patrum doctrina ſacræ ſcripturæ conſentiens recipienda 230. collatio cum doctrina Papiſtica & Euangelica 233
Paulus Alciatus 786
Paupertas votiva jure improbatur 1186. ab ipſis Pontificiis 1189. eſt res media 1187. Euangelica quæ ſit germana 1188. votum falſum 1336. malè ſtabilitur 1366
Peccata ut fidelibus non noceant 260 eorum cauſſa non ſtatuitur Deus ab Euãgelicis 263. ordinantur tamen & reguntur à Deo 266. ut deleantur 330. nõ ſunt paria 1110 per ſe omnia mortalia, ex gratia Dei venialia 1111. 1222
Peccati cauſſam Deum eſſe, unde or-

Digitized by Google

tum ſit 481. diſtinctio in veniale & mortale 1222. an admitti poſſit 1223. vel non 1225
Peccatum & concupiſcentia idem ſunt apud Paulum 326 remittitur in Baptiſmo 330 in baptiſatis & renatis remanet 335. non regnat tamen 346. regnans & non regnans 349. in Spiritum ſanctum quid ſit 353. ejus genus differentia, materia & forma 354. finis, effectus, ſubjectum 355 quomodo remaneat poſt Baptiſmum in renatis & reprobis 1011 Originis tam ad fidelium, quàm infidelium liberos pertinet 1 17. mortale quid ſit verè 1224. veniale quid ſit verè 1223. duo in peccato conſideranda, Actio & actionis pravitas 481
Pelagiani 94. eorum hæreſis circa originale peccatum 1195
Peputiani 94 eorum hæreſis quænam fuerit 294 fruſtrà impingitur Euangelicis 205
Peregrinationes religioſa fiducia meriti inutiles 824
Perſonarum nimia admiratio parit erroribus 107
Perſona in Deitate quid ſit 610. tres ſunt in divinitate 611. 788
Perſonæ divinitatis ut inter ſe differant ad intra & ad extra 618 ut differant ratione 623. ut τῷ εἶναι 627 quomodo diſtinguantur 638
Perſonæ quæ vota facere debeant referuntur 1001
Perſonas calumniari, ubi res reprehendi non poteſt, hæreticorum eſt 812
Piſcium eſum quomodo probent pontificii 910. caro evertit jejunium papiſticum 910
Pœnitentia non eſt ſacramentum 350. 363. cur tabula poſt naufragium vocetur 306. à Chriſto non inſtitutum 364. caret elemento 370. eadem in V. & N. Teſt. 371 privata & publica ut differant 375. vera & orthodoxa, ejus definitio genus 376. ſubjecta, materia, differentia ſeu forma 377. cauſſa 378. partes, effectus 379. finis, pugnantia & ad eandem exhortatio 380
Pœnitentibus veniam prædicant & concedunt Euangelici, contra ac Novatiani 357
Politica gubernatio an æqualis Eccleſiaſtica, & an ſine ſcriptura conſtet 737
Politicum jejunium in Anglia 912
Porphyrius cur damnatus 1131
Preces pro mortuis rectè Aërius noluit 816
Priſcillianiſtæ 905
Procli hæreſis quæ fuerit 323. ab hac Euangelici vindicantur 324
Propheticum lumen in Eccleſia Euangelica 164
Propria nulla velle poſſidere eſt hæreſis Aëriana & Papiſtica 893
Proprietates perſonarum Trinitatis quomodo diſtinguantur 638
Providentia Dei univerſalis circa peccatum 257. ejus uſus 281

Q.

Quadrageſima non eſt traditio Apoſtolica 747. ejus jejunium Papiſticum 864. varietas 865. ratio & cauſſa 867
Qualitates corporũ in Deo nõ ſũt 609
Quartodecimani 94

R.

Rebecca an dolo freta benedictionem præripuerit 496
Reconciliationis una via ante & poſt Baptiſmum 374
Reformatio Eccleſiam viſibilem Dei gratiâ penitus reſtituit 518
Regeneratio cur imperfecta in hac vita 346. ejus modus 475
Reliquiæ ſanctorum vera ut tractandæ 1120. quis honor iis denegandus 1121. non ſunt more Papiſtico colendæ 1122. earum oppugnatores vetuſti opinione Papiſtarum 1131
Remiſſio peccatorum Deo & miniſtris per tropum tribuitur 365
Renati gratiâ Dei peccata regnare non ſinunt 347. eorum opera ſunt imperfecta 476
Rhythmi procaciter in Zuinglium & & Leonem Judæ jacti 22
Rogationum jejunium 878
Romana Eccleſia tam veteris, quàm novæ conditio 66. Traditiones quales ſint 70
Romanam doctrinam cum vetuſtis Patribus conſentire, an Euangelici agnoſcant 234

S.

Sabelliani 9. 1265. eorum hæreſis 389 refutantur 620
Sacerdotes ſunt omnes Chriſtiani 3110. an debeãt eſſe uxorati 1177
Sacramenti pœnitentiæ abuſus 375
Sacrum bellum 212
Samoſateniani 95
Sanctitas doctrinæ Euangelicæ 158. authorum doctrina 160
Sancti qui verè ſint 210. Pontificiorum à Papa illaſi 2.8. potiores Papiſtis 221. eorum lapſus nobis utiles 491. an invocandi 1139. dicuntur mortui 114. an umbræ ut larvæ, colluvies, monſtra appellentur 1145

Sancti

Digitized by Google

Sancti putatitii ſunt carnifices 1146. beſtiæ 1147. cur in Calẽdariis etiã apud Euangelicos ponantur 1148
Sanctos ab Euangelicis rectè honorari ipſi Pontificii Doctores teſtantur 1149 eorum legitimus cultus probatur ex ſcripturis 1150. qui ſint eorum honoris gradus 115. honeſta memoria ib. Dei in ſanctis glorificatio 1156 fidei confirmatio ex ſanctorum exemplo ac fide 1157. imitatio 1158. obſequium doctrinæ 1159. an ſint intercesſores apud Deum 1160. quomodo Deũ adorẽt 1161. minimè invocãdi 1162
Sanctorum invocatio pro hæreſi olim habita 1170
Sanderi objectio diluitur, & Papam Antichriſtum eſſe cõvincitur 218
Saraceni AEgyptum occupant 205
Sauromatæ ſub imperio uxorio vivunt 298
Scaphuſianorum de Serveti hæreſibus ſententia 407 in eundem Servetum 413
Schegkius defenditur 794
Scholaſtici quomodo hæreticum definiant 26
Schwenckfedianus Eutychianiſmus ab Euangelicis refutatur 1254
Scorpiacus Tertulliani qualis liber 1133
Scortatio an licita ob continentiæ difficultatem 937
Scripta ſanctorum 1120
Scripturarum contemtus multos facit hæreticos 89. in non omnia ad ſalutem neceſſaria expreſſè contineri ſed inde deduci 718. ſine traditionibus, neceſſe neceſſarias, ſufficientes negatur 719. earum perfectionẽ quomodo impugnẽt Pontificii ex ſcripturis 759. patribus 762. & noſtras rationes ſolvere conentur 765
Secta unde & de quibus dicatur 39
Seducti ut habendi & tractandi 99
Seductor hæreticus quomodo habendus & tractandus ſit 98
Seleuciani 1265
Semiramidis imperium 298
Sententiæ peculiares non omnibus Euangelicis imputandæ 773
Serapionis in eleemoſynis dandis liberalitas 825
Serveti & Servetianorũ hæreſis 399 in Filium Dei blaſphemia 402
Servetiſmus quibus in locis hodie regnet 408. ab Euangelicis retectus, oppugnatus, damnatus 410
Servetus quo ſupplicii genere affectus & epitome rerum ipſius 414. in ejus rebus quatuor notanda 415. ſublatus, ne ſuſpicio hæreſeos ejus Euangelicis inhæreret 416. hinc orta calumnia in Euangelicos 423 ei genus mortis à Magiſtratu politico conſtitutum 419
Servare ut tam Deus, quàm miniſtri dicantur 366
Severiani 94. 1265
Signum quo vicit Conſtantinus quale fuerit 1309
Simonianorum hæreſis 95. 1328, docuerunt omnes ſalvari per gratiã Simonis Magi 231. nos fide tanquam opere juſtificari ibid.
Socrates de hæreticis q̃d pronũciet 54
Socinus 786
Sõlis & cadaveris ſimile 297
Sophiſtica præcipitat in hæreſin 89
Spartanæ mulieres viris imperãt 298
Spiritus ſanctus eſt tertia perſona Trinitatis 614. ejus proprietas 640. ei tribuitur ſanctificatio 644 ejus Deitas adverſus Turcicas Giffordi calumnias declaratur 808
Stancarus 786
Stationum jejunium 688
Staurolatræ 1328
Studia literaria in Cœnobiis an contumelioſa in ſanctos 1352
Succeſſio Epiſcoporum & Doctorum legitimorum in Eccleſia Euangelica 150. doctrina maximè neceſſaria 531
Sumptus Hiſpanici in Belgis ſubjugandis fruſtra impenſi 202
Superbia hæreſeos mater 89
Surculus carnis, qui Paulo datus ſit 951

T.

Tatiani 94
Tenebræ omnis generis calamitatis ſignificant 828
Tertullianus quomodo hæreticum definiat 24. 54. rejicit traditiones 68
Theodorus Beza de muliebri imperio 302
Theodoſii ſenioris & junioris infelicitas 203. 204
Theodoſius Imp. qua arte hæreticos ſui temporis compeſcuerit 229
Theodotiani 92
Tigurini hæreſin Serveti exponunt 400. eorundem in Servetum ſententia 410
Traditiones vetitæ à Chriſto, ab Apoſtolis, ab antiquis patrib. 608 quæ licita 69. Romana Eccleſia quales 70. an eas omnes rejiciunt Euangelici 710. vox quid ſignificet 716 earũ inepta diviſio 717. quæ ſemper & omnibus temporibus obſer-

Digitized by Google

obſervanda 718. quæ ſint Apoſtolica vera 719. Papiſtica carēt ſolido fundamēto, ideoq́ rejiciendæ 720 non ſcriptæ, nec tamen omnes, in dubium vocantur 722. ad politiam & decorum Eccleſiæ pertinentes ſunt ſervandæ 742 earum regula à Papiſtis poſita refelluntur 743. vera regulæ 757. non ſcriptæ quomodo ab Eccleſia recipiantur 180
Tridentinum Concilium malè fundat præſentiam corporalem in Euchariſtia 1398
Trinitatis SS. cognitio vetuſtiſſima 400. ejus adverſariii antiqui, novi 401. nomen ejus an negent Euangelici 592. ut eam rectè credant 593. etſi nomen non exſtet in in ſcriptura, tamen rectè uſurpatur in negotio Deitatis 616. nomen ut Luthero non placuerit 619
Trinitas unitatem eſſentiæ non tollit 617. ſunt enim tres perſonæ 636. myſterium hoc ex ſcripturis ſciri Euangelici affirmant, Papiſtæ negant 775
Tritheitæ à Papiſtis orti 787. refutantur 636. eorum errores malè à Papiſtis repetuntur 795
Tropus in verbis Baptiſmi latens 330

V.

Valentiniani 93
Valentinus Gentilis Servetanus 420. ejus objectiones contra eſſentiam divinam refutantur 646. exitus ejuſdem 648
Valoſii 94
Ubiquitiſtica calumnia ob ſublatum Servetum 426. ſolidè retunditur, ab eoq́ Euangelici vel à Bellarmino purgantur 431
Ubiquitas quo ſophiſmate probetur 1262. quibus argumentis refellatur 1262 pro ea argumenta Pontificia 1268. ſolvuntur 1273. iiſq́ argumenta contraria opponuntur 1274
Verbum Dei ut à principio mundi ſit erit 725
Veſtes ſanctorum 1121
Victor Pontifex Romanus ſemina jecit falſæ definitionis hæretici 61
Vigiliarum jejunium 868
Vigilantius quis fuerit 1118. litem de reliquiis ſanctorum cum Hieronymo habuit, quas tamē non violavit 1117. Cajanis injuriâ accenſetur 1132. ut & Eunomio 1134. ſanctorum honori non detraxit 1139. falsò cum Euangelicis confer. ur 1178
Virginitas malè definitur à Papiſtis 1069. ſicut ejus violatio ineptè quoq́ deſcribitur 1067
Virium impotentia 473
Vita æterna ut ſit æqualis aut inæqualis 1079. ejus gradus unde ſint 1088
Vitia ſanctorum quid utilitatis afferre debeant 481
Unio in reformatis Eccleſiis 157
Unio perſonalis quid 634
Volendi actus eſt in Deo, nō permiſſio ſolùm 272
Vota an opera faciant laude digna 957. non omnia in N.T. ſublata 1331. monaſtica à Deo prohibita 1332. eorum formula 1334. Dei verbo repugnant 1337. falsò ſtatuuntur neceſſaria in N.T. 1357. falsò putantur eſſe cultus Dei 1358 quàm frivolis argumentis adſtruantur à Pontificiis 1365
Voto continentiæ Monachos & Nonnas obligari hæreticum eſt 932
Votum & propoſitum cordis differunt 1012
Votum Baptiſmi rationibus probatur 1363. improbatur 1364. ſed hæ reprobantur ib.
Uſtio carnis & ſcortatio differunt 994
Waldenſium ad Ladiſlaum Regem confeſſio 570

X.

Xenajas rectè imaginum cultum reprehendit 1278
Xerxi vitio datum, quod Artemiſiam frequentius conſuleret 299

Z.

Zanchii liber de tribus Elohim vindicatur à Pontificiorum calumnia 794
Zwinglii mors beata potiùs, quàm miſera 169
Zwinglius temerè Pelagianiſmi inſimulatur 1201. à quo abſolvitur 1211. ut verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, expoſuerit 1318. qualem ſignificationem ſtatuerit in verbo Est 1382

FINIS.

Πάντοτε δόξα Θεῷ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google